



THESAURUS
ROMANARUM
ANTIQUITATUM.
VOLUMEN VI.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS


a

JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

ACCESSERUNT

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN SEXTUM.



VENETIIS,

Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEG. EXCELLENTISS. SENATUS.

JOANNIS GEORGII GRÆVII
PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



N tibi, Lector, ſextum antiquitatum tomum. In ejus fronte vides Bernardi Ferrarii de veterum acclamatione & plauſu libros ſeptem, in quibus multi ritus tam ſacri Hebræorum & Chriſtianorum, quam aliarum gentium, Romanæ præſertim explicantur. De libri hujus auctore plura dixi in procemio, quod præfixi ejus commentariis de veterum concionibus, cum a Longe in hac Urbe propter exemplorum penuriam prœlis iterum ſubjiceretur. noſtris vero rariores ſunt hi de acclamationibus libri, qui in pauciſſimorum bibliothecis viſuntur, cum ſemel tantum ante ſint editi Mediolani anno hujus ſeculi viceſimo ſeptimo. Quod libri II. cap. 5. tradit pollicis utriuſqe preſſione ſignificatum fuiſſe populi favorem theatralem, & cap. 13. ejuſdem libri pollicis converſione infeſtum ſpectatorum animum in theatro erga ſcenicos diſplicentes, fallitur. Non pertinebant hæ ſive favoris, ſive odii ἐπισημασίαι ad theatra & ſcenam, ſed ad amphitheatra, ad munera, ſeu ſpectacula gladiatoria; ad theatra pertinent plauſus, ſibili, exploſio. Pollicem preſſum & converſum non ſpectaſſe ſcenicos patet ex Juvenali, Prudentio, Pentadio, quorum verba ipſe Ferrarius in dictis capitibus exhibet, & dudum ante Ferrarium Torrentius ad Horatii locum, ex undeviceſima epiſtola libri primi, qui hanc locutionem ab arenæ favore tranſtulit ad quarumvis rerum laudem. Verba hæc ſunt:

Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Sententia eſt poetæ, ſi videbit potentior amicus, te delectari ſtudiis iis, quibus ipſe capitur, illum ludum puerilem, quem in rure tuo juſſiſti ludere pueros, quod oſtendit in præcedentibus verſibus, valde laudabit. Sicut autem pollex preſſus aut verſus in arena, ſic & digitus tantum locum habet in arena, non in ſcena. Gladiatores enim, qui ſuccumbebant, tollebant digitum, quo ſignificabant ſe fateri, ſe victos eſſe, ut Lipſius in Saturnalibus & alii obſervarunt. Sic & *ad digitum* non nunquam pugnabant gladiatores, ut patet ex obſcuriſſimo Martialis loco, qui doctos viros torſit. Eſt in libro de ſpectaculis epigramma XXIX.

An erat ad digitum poſita concurrere palma:
Quod licuit, lances donaque ſæpe dedit.

Vide non tantum quæ Raderus, & Petrus Scriverius notant ad hoc epigramma, ſed & quæ Salmaſius de illo diſputat ad Hiſtoriam Auguſtam, qui explicat *ad digitum pugnare* digitis pugnare. Nolo in aliorum opinioni-

bus referendis & refellendis tempus locare. Exponam quæ mihi veriſſima videtur hujus loci ſententia. Muneratores olim cum ederent ſpectacula gladiatoria, leges & conditiones pugnandi quibus pugnandum erat, antequam committerentur gladiatores, ferebant. Paſſio Perpetuæ & Felicitatis: *Et exivit vir quidam miræ magnitudinis, &c. efferens virgam quaſi laniſta, & ramum viridem, in quo erant mala aurea. Et petiit ſilentium, & dixit: Et ſi hanc vicerit, occidet illum gladio, & ſi hunc vicerit, accipiet ramum iſtum.* Hæ erant leges muneris. Quamvis enim hæc in ὁράματι acciderint, omnia tamen moribus arenæ reſpondebant. In illo munere, de quo Martialis, lex erat a Cæſare lata, ut tam diu pugnarent, donec alter digito erecto teſtaretur, ſe victum eſſe. Qui vincebat, accipiebat palmam, quæ pro more in amphitheatro, aut loco, in quo committebantur, erat fixa. Cum diu hoc par apud Martialem dimicaſſet, utrique invicti, ſed feſſi ſuccubuerunt, & ſe victos eſſe delaſſatione, non armis & virtute adverſarii, ſublato digito declararunt. Itaque uterque miſſionem etiam impetravit a Cæſare. Poſſis etiam explicare, hanc fuiſſe legem illius ſpectaculi, tam diu pugnandum fuiſſe utrique gladiatori, quam diu Cæſar digitum haberet erectum, & hoc eſſe ad digitum pugnare.

Ferrarii de acclamationibus libros ſequitur Berthaldi Congregationis Oratorii Jeſu liber ſingularis de ara perrarus etiam, qui paucorum in manibus verſatur. Quæ cap. x. de ara ignoto Deo apud Athenienſes dicata ex Hieronymo aliiſque prodit, ac ſi integra inſcriptio, quam Paullus Athenis viderit, hæc fuerit, Græcis tamen eadem ſignificantibus verbis: DIIS. ASIÆ. EUROPÆ. ET. AFRICÆ. DIIS. IGNOTIS. ET. PEREGRINIS, jure rejicit & damnat Vir doctiſſimus Thomas Rineſius in Syntagmate Inſcriptionum, in claſſis primæ titulo primo, quem vide.

Hunc excipit Caſparis Sagitarii, Profeſſoris Jenenſis qui multa ſcripſit, & non ante multos annos fatis conceſſit, diſſertatio de januis veterum.

Sequuntur ſcriptores de re Veſtiaria. Lazarus Bayſius, qui primus in hoc elaboravit argumento, quamvis offendat ſæpe, ut ſolent rudia eſſe cujuſvis doctrinæ initia, cum tamen ſæpe laudetur, & correxerint ejus lapſus poſteriores, qui poſt ad hanc antiquitatis partem dilucidandam acceſſerunt, ut dies diem docet, non tamen inutiliter legitur, nec fuit prætermittendus.

Politiora & luculentiora ſunt, quæ de veſtitu veterum prodidit Octavius Ferrarius, Vir diſertiſſimus, grande Lycei Patavini decus, quem vivum obſervavi, & nunc mortuum colo. Is ſeptem de re veſtiaria libros publicavit, quorum priores tres prodierunt Patavii cIↃ IↃc xlii. quatuor vero poſteriores, cum prioribus auctioribus duodecimo anno poſt cIↃ IↃc liv. Male & valde negligenter a noſtro librario fronti editionis noſtræ inſcriptum eſt, quod reperit in Patavina, *quatuor poſtremi nunc demum prodeunt*, cum ante quadraginta tres lucem viderint.

Applicavit animum etiam ad hoc doctrinæ genus illuſtrandum Albertus Rubenius, Petri Paulli filius, vir & dignitate & ingenii doctrinæque elegantia in primis ætatis illius conſpicuus: Erat enim Regis

Hiſpaniarum Conſilio Bruxellis a ſecretis & non unum ingenii cultiſſimi ſpecimen edidit æmulatus patruum Philippum Rubenium, extinctum in ætatis primo flore. Sicut & Albertum acerba fata, cum nondum exceſſiſſet annum quadrageſimum, nobis eripuerunt. Erat ei filiolus unicus, lepidiſſimus puer, deliciæ parentum, cujus manum cum domeſtica canicula rabie correpta leviter momordiſſet, paucis diebus poſt cœpit abhorrere ab omni potu & liquido, & ſic ὑδροφοβίᾳ periit miſerrime. Mater, fœmina genere, forma & virtute præſtans, doloris acerbitate fracta paucis diebus poſt filii obitum eſt ſecuta. Pater, ſive ipſe quoque dolorem, duobus cariſſimis capitibus amiſſis, non ferens, ſive fatalis inſtaret dies, qua ex hac evocabatur vitæ ſtatione, quamvis omnia fuiſſent domi ſalva & læta, paucis hebdomadibus poſt quoque febri correptus vivere deſiit magno bonorum omnium mœrore, qui & publicam & litterariam rem tantum decus perdidiſſe dolebant. Erat enim homo plenus officii, & humanitatis, qui hunc unum dignitatis, quam ſuſtinebat, fructum ducebat quam plurimis commodare, ne quid dicam de mirifica ſuavitate morum & eruditione ſumma, cujus documentum extat in brevi explicatione nummorum Croyacorum, quos edidit Byæus Antwerpiæ, eruditis hominibus valde probata. Rubenio enim noſtro has notas deberi ex Gevartio, qui alterum tum erat Brabantiæ lumen, & Rubenio mortuo unus ſupererat in illo tractu ex reliquiis aurei ſeculi, cum mihi librum illum donaret, audivi, qui id ignorare non poterat. Rubenius cum animadverteret conclamatam eſſe valetudinem, voluit ſchedas ſuas de Re Veſtiaria perferri ad me, ut, ſi poſſent componi & edi, illas publicarem, ſin, remitterem ad heredes. Iſtarum ſchedarum, erant autem ſoluta folia, majora minorave, ingens & indigeſta moles, ſine ullo ordine, ciſtæ condita mittebatur ab heredibus, Antwerpia Lugdunum ad Joannem Fridericum Gronovium, qui illam ad me curabat Daventriam, ubi tum degebam. His perlegendis & digerendis biennium fere inſudavi, & incredibili labore tandem has quaſi disjectas teſſellas fruſtillatim conquiſi & aptavi, ut muſivum iſtud, ut ita loquar, opus Rubenianum de lato clavo concinnaretur, idque primum Gronovio, dein Gevartio probavi, qui id publicandum commiſit Moreto. Reliquæ diſſertationes Rubenii, quæ ſubjectæ ſunt libris de re veſtiaria, non ex ſparſis ſchedis ſunt collectæ, ut illi, ſed ab ipſo illarum auctore ſic ſunt compoſitæ & deſcriptæ, uti a me fuerunt productæ, quas ſervabat Gevartius, & cum heredibus tradidiſſem latum illum clavum ex mille plagulis conſutum, mihi is reddebat diſſertationes de gemma Tiberiana, de gemma Auguſtæa, de Urbibus Neocoris, de nummo Auguſti qui inſcribitur *Aſia Recepta*, de Natali die Cæſaris Auguſti, ſine lituris ipſa manu Rubenii deſcriptas, ut poſſent etiam nemine recognoſcente typis mandari. Laborem, quem alieno operi, Rubenianis ſchedis perlegendis, recenſendis, componendis impendebam, fallebat ſtudium & ſummi amici judicio ſatisfaciendi, & non pauca nova, eaque præclara in hoc ſtudiorum genere protrahendi in lucem, quæ alioquin tineis pabulum præbuiſſent, æque ut Gevartianæ curæ, quas apud eum vidi plurimas non unius generis, inprimis animadverſiones in

opera Triſtani, & non tenuem, ſed ponderoſum ſane commentarium in M. Antoninum περὶ ἑαυτῶ, quem poſt Gevartii fata publicandum ſuſceperat, Joannes Baptiſta Steenbergius, Supremi Tribunalis, quod Mechliniæ eſt, Senator ampliſſimus, Vir perelegantis ingenii, ſed ille quoque immatura morte occupatus fidem datam liberare non potuit. Quo autem poſt Steenbergii obitum pervenerint hæ lucubrationes Gevartii, expiſcari nullus potui. Si Rubenio ipſi, ut ad eum revertar, licuiſſet adornare ac elimare hoc opus de lato clavo, longe politius, perfectius, ſplendidius fuiſset futurum, & fortaſse nævis illis omnibus, qui pulchro corpori adſperſi ſunt, careret. Nunc, quoniam fatorum acerbitas interceſſit, hoc Catone ſimus contenti, præcipue cum tam multa in hoc ſyntagmate ex abſtruſis Muſarum penetralibus ſint hauſta, quæ aut luce perfundant tot obſcura præſtantiſſimorum ſcriptorum loca, aut emendent depravata, ut labeculas illas facile tegant. Si nihil aliud nos docuiſset Rubenii hic poſtumus fœtus, vel propter ſolam de clavis veſtium Romanarum, qui doctiſſimorum hominum exercuerant ingenia, doctrinam veriſſimam, quam primus aperuit, dignus equidem erat, qui non lateret in tenebris. Abſque Rubenio eſſet, ignoraremus ſane etiam nunc omnes, quid eſſet latus clavus, quid anguſti clavi. Hos Rubenii libros, cum emerſiſſent in lucem, non æquis oculis adſpexit Octavius Ferrarius, qui indignabatur in hanc meſſem, quam omnem ſui juris eſſe ſibi perſuaſerat, alium immiſiſſe falcem, aut alium eſſe, qui plus ſe videre poſtularet in hoc argumento, quod exhauſiſſe ſe, cum in eo tot annorum, aut potius vitæ ſpatium conſumſiſſet, in animum induxerat. Hinc contra Rubenium edidit analecta, in quibus totum Rubenianum opus confodere & jugulare ſtuduit, ut ex manibus hominum iſte liber excuteretur, & nihil uſquam extaret, quod ejus officeret luminibus vel leviſſime. In quibuſdam recte reprehenſum, ut de aperta toga, & pœnula, nonnulliſque aliis, non nego. quæ forte Rubenius ipſe fuiſſet reſcripturus, ſi ſuas ſchedas recognoſcere per ſe & componere per fatorum legem potuiſſet. Illa quamvis & Gronovio & mihi non probarentur, noſtrum tamen non judicabamus eſſe in alienis lucubrationibus ingenioſos eſſe, & quæ nobis non arridebant expungere. Nemo poteſt ægre ferre, ſi quæ male ſunt intellecta & perperam tradita corrigantur. At in non paucis caſtigationibus Ferrarii ærugo pellucet, ut in præfatione, cum ait oſtentationem juvenilem in primi capitis epigraphe prodi, cum jactet ſe adverſus Egnatii, Sigonii, Cujacii, Budæi, Salmaſii, Joſephi Scaligeri ſententiam docuiſſe, quid ſit clavus, quaſi ſcilicet ipſe ſolus ſciat, quod tot Viri celeberrimi ignorarint. Veriſſimum tamen eſt, illum ſolum ſciviſse, quod doctiſſimi quique ante illum ignorarunt. Verum ſi hæc eſt oſtentatio juvenilis, quoties Ferrarius in hoc ipſum crimen incurrit? Statim in præfatione libri primi, inquit, *Res ea*, inquit, *nondum ſatis viris doctiſſimis explicata. Nam quæ ad hunc diem hoc argumento* (credo Ferrarium ſcripſiſse *de hoc argumento*, quamvis ſic utraque editio) *prodiere*, *hiantes deludunt*, *cumque auctores multum æſtuarint grandia minati pro Romanis barbaros ac peregrinos habitus obtrudunt*. An non hic eodem jure poſsemus queri, Ferrarium puerili jactantia promittere, ſe ſcire & explicare velle, quæ tot Viri doctiſſimi, qui deluſerant

hian-

hiantes, nescierunt. Inscriptio cap. 2. libri I. *Sigonii opinio refellitur;* tertii capitis, *Sigonii sententia rejecta.* in aliis, *Lipsii opinio damnata, & Pancirolli non unus error.* In ipsius operis singulis fere paginis hujus generis elogia doctos adversus viros videmus. Sed duo cum faciunt idem, non est idem. Ferrario licuit adversus virorum doctorum sententiam dicere quicquid libet, sine jactationis nota, sed Rubenius si hiscat, & in titulis capitum aliter se sentire, quam viri docti adhuc senserint de clavis, ostentator est. Ne jam dicam, & repetam, quæ ex iis, quæ superius dixi, facile quivis potest intelligere, Rubenium nec capitum, nec epigrapharum, quæ iis sunt inscriptæ, auctorem esse. Me in juvenilis ætatis flore hos clavos ex plurimis pannis consuisse, hoc est, ex plurimis incompositis scidis in hunc ordinem, in hos libros, in hæc capita descripsisse, & titulos quoque capitibus adjecisse, ut si quæ culpa sit, non Rubenii, sed mea sit culpa. Licet non videam quæ culpa esse possit, si quis tradit, se aliquid ingenii studiique contentione eruisse, quod doctissimi Viri nondùm sciverint. Quid quæso in toto libro suo aliud egit Ferrarius? Quod in se nolit culpari, cur in aliis culpat? Nonne hoc faciunt omnes, qui non exscribunt, aut meros suunt centones? Num qui invenerunt aliquid in arte ulla, quod alii ignorarunt, omnes ignorasse ante se id palam profiteri nec religioni ducunt, nec apud alios jactantiæ reprehensionem contrahunt. Quid illa, quæ paullo post in eadem præfatione multo intemperantius ingerit? *Quæ omnia cum partim falsa sint, ac plane absurda, ut in contextu operis apparebit,* &c. post, *si quæ autem recta sint, ab aliis pridem & a nobis observata & discussa, illico haud digna visa sunt, quæ a nobis refutarentur, erroris ac vanitatis manifesta, omnemque, quæ in id impenderetur, operam perituram facile apparebat.* Hic quidem est merus nigræ lolliginis succus. Errare potuit Rubenius, nec enim præcipuam sibi arrogavit, aut communem omnium hominum sortem recusavit, sed omnia qui possunt absurda esse, quæ scripsit, cum Rubenius vir fuit, ut ipse fatetur in Analectis non uno in loco Ferarius, tam eruditus, & eruditionis ejus ac eximii ingenii, judiciique acerrimi tam illustria sint argumenta in aliis ejus libris, in expositione nummorum Croyacorum, in diatribis, quas subnectimus libris lato clavo, quas ipse conscripsit, & concinnavit. Sed aliis longe oculis hæc intuebatur Ferrarius, quam alii homines. Nimirum splendor clavorum Rubenianorum, quo Ferrariani obfuscabantur, ita præstrinxerat ejus oculos, ut ipsum purpuræ Tyriæ lumen ei esse pullum videretur. Si quis unquam a vanitate fuit alienus, is fuit Rubenius, qui ipse vivus nihil edidit, nisi quæ sine nomine fuerunt edita. Nunquam in quenquam inclementius dictum excidit Rubenio, ne dum in Ferrarium, a quo ubi dissentit, nunquam id facit sine verborum honore. Satim in capite primo ait Rubenius: *Ita Lipsius* &c. *& novissime Octavius Ferrarius illo opere, quo ita omnem de priscis vestibus materiam exhausit, ut promissos a Casaubono & Salmasio de Re Vestiaria commentarios vix desideremus.* Quid potest dici honestius? Nec hoc Ferrarius negat, sed caussatur, *hanc in speciem fictam fuisse laudis testificationem, cum a Rubenio lacessitus sit, qui omnia ejus*

impugnare ex instituto sit aggressus, & multa e suis sibi arrogare fas putarit. Unde hoc unquam ex Rubenio ullus mortalium potuit colligere, illum hoc argumentum suscepisse, ut ex professo aggrederetur Ferrarium? In paucissimis locis mentionem fecit Ferrarii, & semper honorificam. In aliis, ubi discrepat sententia Rubenii a Ferrarii, non tam illa Ferrario propria sunt, sed communia fere doctis aliis viris, qui hoc argumentum attigerunt. Antequam Ferrarii prima prodiit editio de Re Vestiaria, pleraque consignarat litteris Rubenius, quod & ex ejus accepi ore, cum adolescens ipsum vidi, qui a teneris annis de Vestitu Romano cogitarit, patrui Philippi Rubenii exemplo præcipue permotus, qui in Adversariis statuam togatam & tunicatam explicarat. Hoc etiam deprehendi in illis scidis, ex quibus hos libros confeci, quæ diversis temporibus fuerunt scriptæ. Hinc & variæ de eadem re opiniones Rubenii in diversis scidis, diverso tempore scriptis reperiebantur. Verum hic prætextus erat quærendus, ut inveheretur impune in Rubenium effusius, sive ut eum orationis libertate, ut ipse loquitur, perstringeret, non quod ex instituto sit aggressus Ferrarium, sed quod post Ferrarium de Re Vestiaria fas putarit aliquid commentari. Suos scilicet fines infestari, & in hoc stadium, in quo se solum decurrere posse credebat, Rubenium etiam descendisse ferebat irate. Hoc est illud crimen, quod tam acerbe luendum fuit Manibus Rubenianis. Quantopere stomachatur Ferrarius, & quam conqueritur de Salmasio in Prooemio secundi tomi de Re Vestiaria, quod ab eo sit male habitus, quia de holoveris vestibus ab illo dissenserit. Quam facile sibi homines ignoscunt, aliis succensent, & in iis non ferunt, quod ipsi in se admittunt. Nimirum nemo videt manticam quæ in tergo pendet. Cum sua tuetur Ferrarius rationibus laudo. Sed istam verborum asperitatem quis laudet, qui quidem humanitati non indixit bellum? Nec veriora sunt, quæ Rubenio impingit Ferrarius, quasi multa sit a se mutuatus ille: Opulentia Rubenii, cujus tam luculenta in omnibus ejus dissertationibus exstant monumenta, nec ullius eget stipis, nec opus habet alienæ insidiari arcæ. Si eorundem scriptorum verbis usus est uterque in quibusdam locis, nihil est miri, cum de uno eodemque agant argumento. An non Ferrarius testimonia multorum adhibet, quæ jam adhibuerat Baysius, Manutius, aliique? Cum idem sentit cum Ferrario nihil certius, quam alios ante Ferarium sic quoque sensise, communemque esse doctorum hominum opinionem. Si quid novi statuit Ferrarius, quod ante se nemo statuerat, id si usquam sibi vindicat Rubenius, & pro suo venditat, non intercedo, quin plagii reus sit. Quovis vero sacramento cum quolibet contendere sum paratus, nihil in Rubenio furtivæ rei inveniri. Ejusdem farinæ sunt, cum in lemmate capitis XL. Rubenio exprobrat maledicentiam in summos viros, quia postquam viderint statuæ togatæ explicationem in patrui Philippi Electis, maluerint glandibus vesci. Nulla in scriptis dictisve Alberti Rubenii, qui ad omnem humanitatem a Musis & Gratiis factus erat, & quo nemo studiosius viros doctos colebat, & magis illorum in remp. merita magnificabat, maledicentiæ

umbra apparet. Quamvis in illo loco, ubi agit de forma togæ & ejus quasi ſtructura, hallucinatus ſit Rubenius, cum togam apertam putat fuiſſe, verum tamen hoc eſt, Philippum patruum ejus oſtendiſſe locum balthei, umbonis, & ſinus, recteque dici, qui hoc viſo, alium umbonem, alios ſinus fingunt, βαλανοφαγεῖν. Num hæc eſt maledicentia, viros doctos meliora cum potuerint vidiſſe, deteriora ſecutos eſſe; nam hoc eſt glandes edere? Molliorane ſunt, quæ ſcribit Ferrarius lib. 1. cap. 7. *Ad quem locum Ciceronis mire nugantur interpretes, quos non moror*? & tales floſculi paſſim in ejus hortis naſcuntur.

Clavos fuiſſe lineas ad inſtar faſciarum, oblongas quadratas, non rotunda fruſta, aut pannos, capitibus clavorum ſimiles, tam certis & liquidis argumentis probare mihi videtur Rubenius, ut ne Pyrrho quidem de hac re dubitare poſſit. Quæ hinc inde habentur diſperſa, ad id probandum, nos cogemus in brevem conſpectum, ut uno quaſi obtutu poſſit omnium oculis & animis ſe ingerere. Tunica laticlavia dicitur Græcis μεσοπόρφυρος, quæ in medio purpuram habet intextam, ut μεσόλευκος χιτὼν tunica Regum Perſarum apud Xenophontem, quod eſſet, ut Curtius ait lib. 3. purpurea tunica, cui medium album intextum erat. Cujus formæ erat illud medium album? non utique rotundum ad ſimilitudinem bullæ, aut capitis clavi, ſed oblongum ad inſtar lineæ albæ, quæ per mediam gemmam currebat, quæ ob hanc cauſſam μεσόλευκος dicebatur, & illius floris, qui etiam μεσόλευκος appellabatur propter eandem rationem. De gemma Plin. 37. 10. *Meſoleucos eſt, mediam gemmam candida diſtinguente linea. Meſomelas nigra vena quemlibet colorem ſecante per medium*. De flore idem lib. 27. 11. *Meſoleucos flos, cujus per medium folium candida linea tranſcurrit*. Sic & μεσοπόρφυρος χιτὼν eſt candida tunica, cujus per medium purpurea lata linea tranſcurrit. Et ſicut per totam gemmam, & leuces folium, nam & ſic flos ille appellatur, extenditur linea, ſic & per totam tunicam a ſumma ad imam oram extenditur purpurea illa lata linea, quam latum clavum dicunt. Nam talem fuiſſe laticlaviam patet ex Horatio, qui de illa,

—— *latum demiſit pectore clavum*,

quia latus clavus porrigebatur a ſummo per medium pectus ad imum, ut meſoleucos flos, cujus per totum folium medium linea candida extenditur. Non poſſunt dici demitti pectore rotundæ bullæ, quæ tunicæ circa pectus ſive adtextæ ſive adſutæ ſunt, ut non niſi illi parti tunicæ adhæreant, quæ pectus velat. Quicquid his obducitur, tam detortum eſt, ut nemo poſſit capere. Ideoque in illis refellendis nolo ludere operam. Nam verum ubi elucet, ſtatim contrarium corruit. Patet ex Alcuino & Amelario clavos fuiſſe oblongos, inſtar virgarum & linearum. Iſidorus lib. XIX. cap. 22. Etymologici docet Dalmaticam fuiſſe veſtem ſacerdotalem candidam *cum clavis ex purpura*. Hos clavos Alcuinus cap. 40. de celebratione miſſæ vocat *coccineas virgulas*, Amelarius de eccle-

ſiaſticis officiis II. 21. *coccineas lineas* , & *purpureos tramites* . Joannes Diaconus in vita Gregorii P. P. cap. 83. *duas zonas*. Loca ipſa vide apud Rubenium I. 8. Iſti duo clavi etiam nunc videntur in Dalmaticis diaconorum. Sed colobia presbyterorum fuerunt laticlavia. Unde Commentator antiquus Horatii Cruquianus tunicam ſenatoriam laticlaviam vocat colobium , ut & lex I. Cod. Theodoſ. de habitu, quo uti oportet intra Urbem. Vide loca in libro Rubenii lib. I. cap. 18. Rationem cur ſacerdotis colobion fuerit laticlavium reddit Honorius Auguſtodunenſis de antiquo ritu Miſſæ lib. I. cap. 233. quod eſt de veſtibus Clericorum : *Hujuſcemodi veſtitu etiam ſenatores uſi ſunt , ex quibus in eccleſiaſticum uſum tranſierunt*. Poſterior lati clavi pars a tergo mutata eſt in colobio Presbyterorum in crucem, ut ex Tertulliani de corona militis libro Rubenius oſtendit. *Tui ordinis, & tui magiſtratus, & ipſum curiæ nomen eccleſia Chriſti eſt, illinc & conſcriptum in libris vitæ. Illinc purpuræ tuæ ſanguis Chriſti : & clavus latus in cruce ipſius*. Eccleſia , inquit Tertullianus , eſt tua curia , ibi eſt tuus ſenatus, & tui magiſtratus , & tuæ purpuræ , ſeu prætextæ ſunt ſanguis Chriſti, & pro albo ſenatorio liber vitæ, & latus clavus tuorum ſenatorum eſt in cruce ejus , quæ ſcilicet videtur in presbyterorum habitu a tergo . Poterit quidem hic locus etiam generalius exponi, ſed ubi Honorii & Amelarii verba conſideraverimus, hæc colobia presbyterorum reſpexiſſe Tertullianum eſt vero ſimillimum. Unde liquet quoque vera eſſe, quæ tradit Rubenius tunicam ſenatoriam unum tantum clavum habuiſſe lātum , equeſtrem vero clavos anguſtos, eoſque duos , unde ſemper ſenatoria tunica dicitur *latus clavus* nunquam *lati clavi* , ſed equeſtri tribuuntur *clavi* . Præter illos ſcriptores, quos laudavit Rubenius , Paſſio S. Perpetuæ & Felicitatis , quam debemus Holſtenio: *Et exivit vir quidem miræ magnitudinis , ut etiam excederet faſtigium ampitheatri , diſcinctus purpuram inter duos clavos , per medium pectus habens calliculas multiformes ex auro & argento factas , efferens virgam quaſi laniſta*. Sic enim interpungendum, ut conſtat ex verbis , quæ paullo ante leguntur : *Erat veſtitus diſtinctam candidam , habens multiplices calliculas*. Priorem locum recte Holſtenius exponit , purpuream veſtem gerens duobus clavis ſive faſciis diſtinctam ſine zona . Illa veſtis per medium pectus habebat multas calliculas aureas & argenteas . Aurei quoque fuerunt clavi , quales ſolebant eſſe in purpureis tunicis , ut in palmata triumphantium. Gymnaſiarcharum autem veſtem fuiſſe purpuream Holſtenius obſervavit, & ante illum Petrus Faber in Agoniſtico. Irridet quidem Ferrarius in Analectis falſe Rubenii hanc obſervationem de duobus clavis, quaſi ineptum eſſet inquirere de multitudine clavorum. Si hæc dixiſſet ſacris Muſarum non initiatus , non eſſet indignandum. At a Ferrario hæc exprobrari Rubenio non crederem, niſi meis oculis eſſet credendum . Quam facile hæc ἀμύητοι poſſunt conferre in omnes Ferrarii libros de Re Veſtiaria, qui omne hoc ſtudium de rebus & ritibus antiquorum non alio loco habent , quam Ferrarius habet diſquiſitionem Rubenii de anguſtis clavis. Quid refert,
di-

dicent illi, clavi ne fuerint rotundi an quadrati, toga claufa an aperta, & cetera fere cuncta, de quibus multo labore quærendum fibi duxit Ferrarius. Sed ut redeamus ad clavos, quia in angufticlavia tunica duo erant clavi, hinc *purpuræ* dicuntur, cum de laticlavia *purpura* femper legatur. Quintilianus de lib. XI. 3. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur*, &c. *ut purpuræ recte defcendant, levis cura eft.* & mox, *ita fubjiciendum finum, ut purpuræ recte cadant.* hoc eft, defcendant, aut demittantur. De angufticlaviis hæc intelligenda nemo non videt. Ait enim Quintilianus, *cui lati clavi jus non erit*, hoc eft, qui eft angufticlavius. Contra ea *purpura & clavus* femper de laticlavia, quia unicus tantum in ea clavus. Si plures fuiffent bullæ aut rotunda capita in laticlavia, quomodo potuifsent appellari *latus clavus*. *Lati clavi* fuifset dicendum. Tertullianus de Pallio: *Cui latioris purpuræ ambitio*. Juvenalis Sat.

——— *quicquid confert purpura major.*

Optandum.

Horatius:

——— *latum demifit pectore clavum.*

Clavi, quorum fit mentio in lebigus Romanis, quas laudavit Ferrarius, fignificant quafvis veftes clavatas, five angufti clavi fuerint iis adfuti hoc eft, five fint laticlaviæ tunicæ, five angufticlaviæ. Hæc omnia tam liquida funt & clara, ut, quæ iis opponuntur expofitiones horum locorum, tam diftortæ fint & obfcuræ, ut in iis refellendis ne horæ momentum nobis debeat perire. His omnibus accedunt toralia & mappæ clavatæ apud Ammianum Marcellinum, Petronium & Martialem. Hi clavi non poffunt alii in his lineis mappis aut toralibus efse, quam purpureæ lineæ aut virgæ, quæ iis funt intextæ. Belgæ clavum latum, ut & Germani vocant, *een breede ftreep.* Talia mantilia olim in Germania vidi, non quidem purpureis, fed coeruleis & aliorum colorum clavis diftincta. Quam fe torquet vir difertiffimus, ut fuas bullas rotundas his mappis & toralibus aut afsuat, aut adtexat. Merito Rubenius fcripfit fe non videre, fi clavi fuerint rotundi inftar capitum, quæ in clavis funt, quomodo apud Marcellinum lib. XVI. intelligi poffit, quod ibi legitur lintea toralia duos clavos latiffimos habuiffe, ut fibi viciffim arte miniftrantium cohærerent, & fimilia mantilia, quæ menfam operuerint, ut tota viderentur effe purpurea. Nam quod ait Ferrarius potuiffe illa toralia & mantilia ita conjungi, & complicari arte miniftrantium, ut pars linteaminis alba clavis interpofita fub iifdem lateat, ut tota purpurea apparuerint, nemo poteft intelligere. Pone, veftem aliquam albam, aut cœruleam aureis ftellis, aut purpureis maculis, five bullis diftinctam effe, quomodo ab ullo miniftro fic complicari poterit, ut illa veftis tota videatur aurea, aut purpurea,

ut nihil albi in illa conſpiciatur. At ſi latiores aureæ virgæ mappæ aut mantili fuerint vel intertextæ, vel adſutæ, quæ ab una ora ad alteram per totam mappam extentæ ſint, facile tale mantile ſic poterit componi, ut clavi ita jungantur, ut album, quod inter clavos eſt, totum obtegatur, & ſola purpura conſpiciatur, quod quomodo fieri queat, vel puer ſeptennis intelligat; & explicet qualis fuerit apud Petronium mappa laticlavia, quam Martialis dixit mappam late variatam clavo, & apud Lampridium, mantilia cocco clavata, & apud Ammianum toralia cum tam latis clavis, ut arte miniſtrantium cohærerent, quod non potuerint miniſtri præſtare, ſi toralia unum tantum latum clavum habuerint. Hic quia toralia illa plurimis latis clavis fuerunt ornata, mentio fit clavorum, quod nunquam de tunica laticlavia legimus, quia unus tantum latus clavus in illa erat. Præterea velim quoque doceri, quis unquam clavorum capita dixerit clavos? Hanc notionem clavis impoſuerunt, qui ſibi perſuaſerunt clavos fuiſſe rotundas bullas, inſtar capitum clavorum, contra Latine loquentium uſum. Hæc cenſui partim ex Rubenio repetenda, partim illuſtranda eſſe, ne pulvis, quem excitavit Ferrarius, vero & oculis legentium tenebras offundat.

Sed non pauca ſunt alia in Analectis, quæ Rubenii ſententiam aut pervertunt, aut detorquent, ut cum capite XLII. contendit, umbonem & ſinum eandem rem eſſe in toga, quod perinde ſe habet, ac ſi contenderem promontorium & ſinum idem eſſe. Sinum duplicem fuiſſe in toga ſomnium eſt ex eburnea porta. Nullus fuit ſinus ſuperior in toga, ſed unus tantum, qui componebatur ex plicis illis togæ, quæ per dextrum humerum & latus ſub baltheo & umbone recurrebant in ſiniſtrum. Tegebat ſinus ventrem & illas partes, in quibus ſatum eſſe poeta cecinit. in hunc caput poterat demitti, ut ridere quis poſſet aliis non videntibus, quod eſt in ſinu gaudere. In illo quoque varia condebantur, ut poma, apophoreta, aliaque. Hic ſinus, & illi ſuperpoſitus umbo cum baltheo in oculos incurrunt, ſi quis togatam ſtatuam contempletur, ut nullus dubitandi locus ſuperſit. Miror Ferrarium, qui omne fere vitæ ſuæ tempus in his monumentis conſiderandis, & priſcorum ſcriptorum locis quæ de veſtitu agunt, examinandis poſuit, potuiſſe ſibi fingere duos ſinus, ac neſcivìſse, qui fuerit baltheus, qui umbo togæ. Hic vere translate dicitur Tertulliano nodus artifex, quo toga continetur, ne defluat: nec enim ſola ſiniſtra totam togam poterat coercere & conſtringere. Vide in ſtatua Rubenii F. H. G. In hanc autem perverſam ſententiam Ferrarium induxit Quintiliani locus Inſtitut. Orat. XI. 2. *Sinus decentiſſimus, ſi aliquando ſupra imam togam fuerit, nunquam certe ſit inferior. Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur velut baltheus, nec ſtrangulet, nec fluat*. Ex hoc loco conficit Ferrarius duos fuiſse ſinus. Nam ad *ille* cenſet intelligendum eſse *ſinus*, ut loquitur in epiſtola ad J. F. Gronovium, quæ legitur in libro 1. pag. 694. hujus tomi. Sed *ille* pertinet ad *baltheus*. *Ille velut baltheus, qui ſub humero deſtro ad ſiniſtrum oblique ducitur*. Hoc eſt pars togæ duplicata, quæ ſpeciem balthei præ ſe fert, quæ ſub hu-

mero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur nec ſtrangulet, nec nimis conſtringat ſe & togam, *nec diffluat*, nec ſit nimis laxa, ut diffluat. Hoc idem de umbone togæ olim J. Fr. Gronovius obſervavit, & Ferrario ſignificavit in litteris, quæ leguntur pag. 687. Quamvis ei reſcripſerit Ferrarius, Gronovius tamen nolebat pluribus de hac re agere, & cum amico contendere, & ſuam tueri ſententiam, in qua ſemper illum permanſiſſe mihi eſt exploratiſſimum. Iſtius generis plura poſſent caſtigari in Analectis. Sed non eſt hujus temporis, nec mei otii. Hæc vero quæ dixi, dicta volo integra & illibata Viri tam docti & eloquentis dignatione & amicitia, quam cum eo colui. Utriuſque ſcripta Ferrarii & Rubenii juſſi in hunc tomum collocari, ut lector facile poſſit ipſe expendere, & decernere, ſecundum quem ſit dandum in pleriſque. His ſubjeci Joannis Donii Florentini, Viri Nobiliſſimi & elegantiſſimi diſſertationem de utraque pœnula, ut & Bartholi Bartolini Dani, non indignum hac erudita familia, quæ tam bene de vario doctrinarum genere merita eſt, libellum, qui prodiit ante ſecundam partem Ferrarii, ne quis hujus ſcrinia compilaſſe Bartolinum exiſtimet. Acceſſerunt ex Aldi Manutii Junioris epiſtolicis quæſtionibus, tres de toga, tunica, & tibiis veterum epiſtolæ, quas allegat Ferrarius. Denique tomum hunc claudit Theophili Raynaudi, Socii Jeſu, Galli, πολυγραφίᾳ notiſſimi, de pileo & tegminibus capitis diatribe. Fruere his Lector & Vale.



SCRIPTORES,

Qui in ſexto tomo Theſauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

DE VETERUM ACCLAMATIONIBUS ET PLAUSU

LIBRI SEPTEM

FRANCISCI BERNARDINI

FERRARII MEDIOLANENSIS

Theologi, ac Ambrosiani Collegii Doctoris.

FACULTAS COLLEGII AMBROSIANI.

TIBI Francifco Bernardino Ferrario, Ambrofiani Collegii Doctori, Opus de VETERUM ACCLAMATIONIBUS, & PLAUSU, omnium ejufdem Collegii Doctorum fuffragiis, confenfuque receptum, imprimendi facultatem concedimus.

Francifcus Collius, Collegii Ambrofiani Præfes, fuo, & Collegarum nomine.

IMPRIMATUR.

Fr. Paulus Ayroldus Mediol. Ordin. Prædic. Sac. Theol. Magifter. Commiffarius S. Officii Mediol.

Fr. Aloyfius Bariola Auguftinianus, Confultor S. Officii; pro Illuftrifs. D. Cardinali Archiepifcopo.

Vidit Saccus pro Excellentifs. Senatu.

INDEX CAPITUM,

Quæ, qua de re in horum Librorum partibus singulis agatur, paucis verbis edunt.

LIBRI PRIMI

CAPUT I.

LIBRI SECUNDI

CAP. I.

LIBRI TERTII

CAPUT I.

LIBRI QUARTI

CAPUT I.

LIBRI QUINTI

CAPUT I.

LIBRI SEXTI.

CAPUT I.

LIBRI SEPTIMI.

CAPUT I.

XV. Ve-

FRANCISCI BERNARDINI

FERRARII

DE VETERUM

ACCLAMATIONIBUS

ET

PLAUSU

LIBER PRIMUS,

Qui est de Acclamationis, & Plausus nominibus, ac differentia; deque iis, quæ universe, vel communia sunt omnibus, sive Acclamationibus, sive Plausibus, vel certe ad ea possunt apte revocari.

CAP. I.

Operis totius Argumentum, & Partitio.



ACCLAMATIONUM, & *Plausuum*, non semel, neque uno in loco, meminere scriptores multi Græci, simul & Latini veteres. In recentium etiam Philologorum monumentis multa sparsim de iisdem notata videas. Sed qui certo, ac B proprio Syntagmate universam plaudendi, & acclamandi rationem sit complexus, hactenus, quod ego sciam, extitit nemo. Atqui multa tamen habet Tractatio hæc & ad Lectoris delectationem apta mirabiliter, A & ad totius antiquitatis cognitionem maxime opportuna. Quapropter crediderim, facturum me operæ pretium, eam si rem totam hac una Diatriba pro meis viribus aperuerim diligenter.

Opus autem totum, ut breviter instituti mei rationem aperiam, in septem Libros partiri commodum duxi. Primus, quid sit Acclamatio? quid, & quotuplex Plausus? quæ fuerint præcipua eorum nomina? quid inter utrumque differat, quidve conveniat? quæ item universe, vel communia sint omnibus, sive Acclamationibus, sive Plausibus, vel certe ad ea apte possint, ac legitime revocari, continebit. In Secundo Theatrales illustrabimus Acclamationes. Dabitur Tertius Scholasticis, ac Forensibus. Senatoriis Quartus. Quintus eas comprehendet, quæ in sacris Christianorum Concionibus, cœtibusque Synodicis fieri solebant. Sextus Militares, & Nuptiales comple-

ctetur. Reliquas, quæ propter varietatem ad certum caput revocari non poſſunt, ob idque placuit Miſcellaneas appellare, in Septimum conferam Librum: ad quem etiam ſelectiores nonnullæ Acclamationum formulæ addentur. His autem omnibus ea opportune admiſcebantur, quæ de Exploſione, ac Sibilis explicanda occurrent. Cæterum antequam de iis ſigillatim diſſero, lubet pauca præfari generatim.

Fauſtas igitur ab Infauſtis, a Profanis Sacras omnino ſejungere hoc in Opere Acclamationes ab initio decreveram. ſed, quominus in eo ſtarem, cauſa me illa ſane probabilis impulit, quod multa neceſſe fuiſſet crebro iterare. ineptum eſt autem, id quod res ipſa loquitur, eadem iterata ſæpius inculcare. Quæ item de Plauſibus ſe ſe ad dicendum obtuliſſent, ſeparatim tradere in animo erat. Verum, quia hæc duo, *Acclamatio*, & *Plauſus*, ut loco docebimus, ſociantur ſæpius, ac nectuntur ab Auctoribus, confunduntur etiam, ac permiſcentur, ob eam credo cauſam, quod raro ad acclamandum ederentur voces, quin manus moverentur ad applaudendum. idcirco nos etiam, ut quiſque locus poſtulabit, cum Sacras, & Profanas, Fauſtas, & Infauſtas jungemus Acclamationes, tum confuſe, ac permiſte ipſos Plauſuum, & Acclamationum Ritus perſtringemus.

Cap. II.

Acclamationis, ac Plauſus nomine, quid ſit a nobis intelligendum?

AGGREDIOR rem ipſam, a nomine, ut fieri ſolet, exorſus. *Acclamatio* igitur, a *clamore* nomen ducens, aliud nihil erat, quam *Voces, ſive plures, ſive pauciores, contentius ſemper, & in cantici modum emiſſæ: quæ ſi fauſtæ erant, laudationes habebant, & bona vota; execrationes, & convicia, ſi infauſtæ.*

Plauſus duplex habetur in Veterum ſcriptis. *dicentium* alter, ac *recitantium*; alter *audientium*, ac *ſpectantium*; *manuum* hic, ille *vocis* ac *linguæ*. Agimus nunc de *manuum Plauſu*, reſervata alterius Tractatione in alium hujuſce primi libri locum.

Ac *manuum* quidem *Plauſus*, *ſonus erat, nec inſuavis, nec abſurdus, quem manus audientium, ſeu ſpectantium, invicem ſeſe apte ferientes, collidentesque artificioſe, ad favorem efficiebant*. Triplex autem erat; ex triplici utique ſono, quem ſolebant excitare in plaudendo manus reddere. *Bombos* dixere, *Imbrices*, ac *Teſtas*. Atque hæc pro tempore ſummatim de Acclamationis, ac Plauſus nomine dicta ſint, infra diſtincte, & accuratius retractanda.

Cap. III.

Quibus potiſſimum nominibus Veteres appellarint Acclamationem, & Plauſum?

FAUSTAM porro *Acclamationem*, & *Plauſum* permultis nominibus ſignarunt Scriptores Græci, ac Latini. Δημηγόρȣς τιμὰς, hoc eſt, *Oratorios honores*, dixit Euripides in *Hecuba*; quod nimirum dicentis laudes haberet fauſta Acclamatio, ut loco docebimus. Quam eandem ob cauſam Plato in lib. VI. *de Republ.* & Beatus Chryſoſtomus in *Homil.* II. *ad Populum Antiochenum*, atque alibi ſæpe, ἔπαινον dixere; & Heliodorus *Æthiopic.* lib. X. δι' φήμȣ βοὰς; appellavit Acclamationem, ipſumque acclamare Dio Chryſoſtomus non uno loco τιμῆσαι vocat, & ἐπιφημίζειν. Plutarchus in *Sympoſiacis* lib. VII. quæſt. V. θόρυβον, κρότον, ἀλαλαγμὸν, nominavit, *tumultum* ſcilicet, & *conclamationem*. & in libro *de Auditione* κραυγὰς, & θορύβȣς, id eſt, *vociferationes, ac tumultus*; ſcilicet ob eam rem, quod ad ravim uſque, ſeu ad vocis uſque defectum, ut infra dicemus, nonnunquam acclamaretur. Unde ab eodem Plutarcho, a Beato Chryſoſtomo, ab Euagrio, aliiſque Scriptoribus non ſemel βοᾷν, ἐκβοᾷν, ἀλαλάζειν, ἐπικράζειν ἐπικραυγάζειν, appellatum eſt acclamare. Idem Plutarchus in adducto *de Auditione* libro, & in eo, qui inſcribitur, *Non poſſe ſuaviter vivi ſecundum Epicuri decreta*, κροτοθορύβȣς, juncta voce dixit, quaſi *Plauſuum tumultus*. Dio Chryſoſtomus in Orat. XXXI. ποππυσμὸν vocat; ἐκβοήσεις autem, & κρότȣς, Themiſtius ſub Orationis primæ initium; & in Orat. IV. κρότȣς, ἐκβολβήσεις, καὶ θορύβȣς. Dio Caſſius in Pertinace, δι' ῥυθμῶς ἐκβοᾷν, hoc eſt, *modulate acclamare*; quod videlicet ad rythmum, modoſque muſicos pronunciari ſolerent Acclamationes; qua de re inferius. Beatus Gregorius Nazianzenus in Carmine *de Vita ſua* ipſum *Plaudere* ἐπιρροθεῖν nominat, quod eſt, *perſtrepere*; in Oratione autem IV. *Canoram manuum actionem* appellat Plauſum, χειρῶν πρᾶξιν ἔμμελον; nimirum, etſi cum ſtrepitu quodam dabatur Plauſus, non inſuavis tamen, nec abſurdus erat ille ſtrepitus: de quo poſtea dicturi ſumus. Sed ex Græcis hæc quidem ſufficiant Plauſuum, & Acclamationum nomina. Proferam deinceps nonnulla ex Latinis itidem Scriptoribus, a Marco Tullio exorſus, qui cæteris omnibus, ut tempore, ſic judicio & ſapientia longe antecellit. In primo igitur *de Oratore* Marcus Cicero *Clamorum*, & *Admirationum* nomine ſignat Acclamationem, quæ Oratoribus fieri ſolebat: quod ſcilicet in admirationem traducti interdum Auditores ob dicentis eloquentiam, contentis vocibus dicenti ipſi acclamarent. Etiam Seneca *Clamores* dixit in epiſt. LII. In extrema autem LIX. Epiſtola, *Acclamationis ſecundæ favorem* appellat. Quinctilianus quoque, & Macrobius *favorem* dixere; is autem hoc etiam amplius, *Laudantis clamorem*, in lib. X. cap. I. alter vero in VII. *Saturnal.* lib. Sanctus Valerianus *ſtudium laudis* appellat, & *vocis favorem* in Homil. XIV. quæ eſt *de Humilitate*. Plura certe alia Plauſuum, & Acclamationum nomina adduci poſſent, tam ex Latinis, quam ex Græcis Scriptoribus: ſed ea ſciens prætermitto, quod & longum nimis eſſet omnia perſequi, & magna eorum pars in promptu ſita eſt. Quapropter de vocis, ac linguæ Plauſu videamus; & an hic eſſet in Veterum dictione, paullulum conſideremus.

Cap. IV.

Vocis etiam, ac linguæ Plauſum fuiſſe in Veterum dictione. Philoſtratus, & Eunapius illuſtrati: emendati eorundem Interpretes. Declaratum, quid eſſet hujuſmodi Plauſus?

PRÆMONUI in II. hujus libri Capite, duplicem olim fuiſſe Plauſum: *Manuum* alterum, alterum *Orationis*, ſeu *vocis* ac *linguæ*; atque ut *dicentium* hic erat, ac *recitantium*, ſic ille *audientium*, ac *ſpectantium*. Ac de manuum quidem Plauſu & nonnulla jam attigimus, & plura deinceps toto in Opere accurate dicentur. Verum, quia hæc commodius omnino, ac dilucidius aperientur,

si cognitum erit prius, fuisse in Veterum dictione *vocis* etiam, ac *linguæ* Plausum; si item patuerit, quid esset hujusmodi Plausus: idcirco placet ista prima loco excutere. Quæ quidem ut coner lubentius, faciunt doctissimi alioqui, ac politissimi Græcorum Auctorum Interpretes, qui verbi κρότος notione decepti, bona eorum venia dixerim, & falluntur ipsi, & alios fallunt. Animadvertentes enim, *manuum* Plausum in Græcorum scriptis κρότος vocabulo sæpe demonstrari; ex eo, ut eadem semper esset vis illius vocis, ac significatio, confici crediderunt. Quod quidem a vero perspicue alienum esse, atque adeo voce illa, *orationis* etiam Plausum, nec a paucis nec raro significari, quæ mox subjiciam, satis ostendent.

Orationis igitur, seu *vocis* ac *linguæ* Plausum fuisse in Veterum dictione, testificatur Apulejus in eo libro, quem *de Deo Socratis* effecit, scribens hoc pacto, *Homines ratione pollentes, oratione plaudentes, immortalibus animis, moribundis membris*, &c. De re eadem in S. Hieronymi Epist. CXXXIX. quæ est *ad Cyprianum*, ista planissime dicuntur: *Postulas, ut difficillimum Psalmum, qui apud Græcos, & Latinos octogesimus nonus inscribitur, tibi edisseram, non composita verborum oratione, plausuque populari, qui solet imperitos Auditores decipere, atque palpare, sed oratione simplici*, &c. Hic animo, tanquam oculis, aperte admodum cernis, ejus omnino Plausus fieri a Hieronymo, sicut & ab Apulejo, mentionem, qui non *manuum* est, sed *vocis* ac *linguæ*, atque adeo in *dicentium* duntaxat *oratione* positus. Invenio etiam ex Græcis Scriptoribus, qui Plausus in hunc eundem sensum meminerint. in eis est Lemnius Philostratus, & Sardianus Eunapius. quorum uterque, Sophistarum in dicendo sonoritatem diligenter quæsitam, & affectatum linguæ pulsum, vocisque conformationem (in quibus nimirum *orationis* Plausus consistit, ut proxime dicturi sumus) exprimere non uno loco intendens, simplex verbum κρότον interdum γλώττης κρότον cum adjunctione usurpat. In primo itaque Philostrati *de Vitis Sophistarum* libro de Polemone Græce sic est: φθέγμα δὲ ἦν αὐτῷ λεπτὸν, καὶ ἐπίπονον, καὶ κρότος θαυμάσιος, οἷος ἀπεκτύπει τῆς γλώττης. Id est, *Vox erat ei tenuis, & laboriosa plaususque mirabilis, prout lingua strepebat*. & ab hoc loco non longe admodum, plaudentem, & altam orationis sonoritatem eidem Polemoni tribuit Philostratus; interrogatum enim aliquando ab Imperatore Marco Sophistam Herodem de Polemonis dictione, ita respondisse ait,

Ἵππων ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει,

hoc est,

Quadrupedum sonitus mi aures perculsit equorum.

Atque, ut indicaret Philostratus, quid vellet Herodes per eam vocem, κτύπος, intelligi, hæc illico subjicit, ἐνδεικνύμενος δὴ τὸ ἐπίκροτον, καὶ τὸ ὑψηχὲς τοῦ λόγου. quæ sic Latine sonant, *Per hoc plaudentem & altam orationis sonoritatem ostendens*. Idem Philostratus in II. *de Vitis Sophistarum* libro, de Atheniensis Herodis stylo, ac dictionis genere agens, hæc scribit: ἡ δὲ ἁρμονία τοῦ λόγου, ἱκανῶς κεκολασμένη, καὶ ἡ δεινότης ὑφέρπουσα μᾶλλον, ἢ ἐγκειμένη. κρότος τε σὺν ἀσφαλείᾳ, καὶ Κριτιάζουσα ἠχὼ, &c. quod est, *Concinnitas sermonis admodum castigata est, & subtilitas gravis, subrepens potius, quam premens; & plausus cum securitate, & sonoritas Critiæ vocis æmula*, &c. Et in eodem libro de Aristoclis dictione eodem sensu ita scriptum est: αὐτή δὲ ἡ Ἀττίκισις εἰ παρὰ τοῦ Ἡρώδου γλῶσσαν βασανίζοιτο, λεπτολογεῖσθαι μᾶλλον δόξει, ἢ κρότου τε καὶ ἤχους ξυγκεῖσθαι. *Atticismus ipse*, ait, *si cum Herodis lingua expendatur, tenuis potius, & exilis esse videbitur, quam qui constet plausu, & sonitu*, Vocis nimirum, ac linguæ; sic enim, quantum video ipse, Latine sonant Philostrati verba, non quomodo reddidit politissimus alioqui Interpres, κρότον, & ἦχον, *plausum*, & *acclamationem Auditorum* convertens. In ejusdem Philostrati Hermocrate de eodem linguæ plausu hæc apertissime leguntur, ἐδίδου τὶ καὶ ἡ εὔροια, καὶ ὁ τῆς γλώττης κρότος. hoc est, *Aliquid ei etiam facilis orationis fluxus, ac linguæ plausus dabat*. Denique in Adriano ita plane scriptum est: τὴν δὲ παρασκευὴν τῆς λέξεως, ἀπὸ τῶν ἀρχαίων σοφιστῶν περιεβάλλετο ἤχῳ προσάγων μᾶλλον, ἢ κρότῳ. *Cæterum*, inquit, *apparatum orationis ab antiquis Sophistis congesserat, sonum vocis potius, quam plausum affectans*. Sardianus vero Eunapius in Himerio, ita ut Philostratus vocem hanc, κρότος, usurpavit dicens, εὔκολος δὲ ἀνὴρ εἰπεῖν καὶ ἦχον ἡ συνθήκη πολιτικὸν, hoc est, *Sermo illi facilis, & concinnus; compositio vero plausum habet, & sonitum politicum*: Moderatum nimirum, & a Sophistarum pompis alienum, qualis consuevit esse civilium orationum plausus, & sonus. Et in Acacio, ἡ λέξις, inquit, μετὰ κρότου πρὸς τὸν ἀρχαῖον ἐπίστρεφε τρόπον. Quem locum Hadrianus Junius sic transtulit, *Dictio ejus ad manuum plausum prisco dicendi generi accedit*.

Verum in eo vertendo, quid opinaretur ipse nobis exposuit; quæ esset Eunapii mens, vel prætermisit, vel minime assecutus est. nunquam enim efficiet, ut vox illa, κρότος, *manuum plausum* hoc loco significet, cum *dicentem* omnino respiciat, non *audientes*; ac proinde, non de *manuum*, sed de *linguæ*, ac *orationis* plausu accipienda est. Nos eum locum sine exornatione ulla, ut veritatis ratio fert, simpliciter ita vertimus, *Dictio cum plausu ad antiquum modum accommodata erat*. Extat etiam Nysseni Gregorii in XII. *adversus Eunomium* Oratione, de voce, κρότος, in hunc eundem sensum usurpata, locus, quem, quod maxime faciat ad rem, libenter recitabo: *Magistrum*, inquit, *nostrum exagitat, & sermonem, quem de commentatione habet ille, distrahit, ac lacerat, & dictis insultat; rursus consueto dictiuncularum sono, & plausu lasciviens verbis, & luxurians*, &c. κατορχεῖ τῷ κρότῳ τῶν λεξειδίων, ἐν σατυρίζων τοῖς ῥήμασι. Ex quibus omnibus plane patet fuisse in Veterum dictione *vocis* etiam, *ac linguæ plausum*. Simul & illud elucet, κρότον, seu γλώττης κρότον, hoc est, *vocis* ac *linguæ* plausum aliud nihil fuisse, quam *dicentium plenam dignitatis sonoritatem, animos audientium quasi titillantem, & ad eos cum suavitate illabentem*: fiebat autem cum ex verbis, ac sententiis lectis, & illustribus, apteque connexis inter se, ac colligatis, tum ex apta vocis ipsius compositione, & pulsu linguæ temperato. Sed omisso *vocis*, ac *linguæ plausu*, ad eum, qui *manibus* edebatur, revertamur.

CAP. V.

Factas raro Acclamationes, quin manuum etiam Plausus darentur.

HOc facillime ex eo deprehendas, quod consueverunt Veteres, tum Græci, tum Latini, semper fere Acclamationes, & Plausus scribendo jungere, ac copulare. Quo posito, quantum ego video, inferre hoc pacto licet; Acclamationes, & Plausus ab Auctoribus scribendo disjunguntur raro ac separantur, igitur raro fiebant, vel sine Plau-

ſu Acclamationes, vel ſine Acclamatione Plauſus. hæc enim conſecutio, ut eſt maxime probabilis, ita neceſſaria videtur. Sed ad probationis firmitatem præſtat ipſa Scriptorum teſtimonia de hac Plauſuum, & Acclamationum conjunctione, ac nexu ſubjicere. Eſt igitur apud Iſocratem in *Panathenaico* his ipſis verbis ſcriptum: *Lecta eſt Oratio, atque laudata, & cum plauſu excepta; & ea conſecuta omnia, quæ exceſſum Declamationum ſequuntur*. Ubi ab vides necti Iſocrate *Acclamationes*, & *Plauſus*; ait enim, lecta Oratione excitatos ſtatim Plauſus, laudeſque emiſſas, quas nimirum fauſtæ, ut dicturi ſumus, habebant Acclamationes.

Theophraſtus in Charactere *de Adulatore*: *Jam*, inquit, *ſi loquatur ille*, declamando ſcilicet, aut recitando, *hic vero adulator ſilentium omnibus imperare; dicenti voce geſtuque applaudere*. Hic etiam copulatam cernis cum *geſtu vocem*, *acclamationem* nimirum cum *plauſu*; quod daretur hic *manibus*, *vocibus* ea fieret, ut non ita multo poſt apparebit.

Apud Plutarchum etiam in lib. *de Auditione* ita legimus; *Canities dicentis, geſtus, ſupercilium, ſui jactatio, maxime autem vociferationes, ac tumultus, & ſalutationes eorum, qui interſunt, faciunt ad percellendum Auditorem imperitum*. Et aliquanto poſt: *Ac mihi ſerio conſidera, quid rei ſit, Philoſopho diſſerente, eos, qui foris ſunt, propter Auditorum vociferationem, & fremitum dubitare, tibicen ne aliquis, an citharœdus, an vero ſaltans laudetur*. Et in libro, cujus Inſcriptio eſt, *Non poſſe ſuaviter vivi ſecundum Epicuri decreta*, hæc ait; *Cardaces ſecum collocare-nt, & Agriantas, & Callias ſcurras, ac Thraſonidas aliquos, & Thraſyleontas, vociferationes, & plauſuum tumultus excitaturos*. Ecce tibi in hiſce Plutarchi locis *Vociferationes*, ac *Fremitus*, ſeu *Tumultus*, manuum ſcilicet motu excitati, conjunctio; ut intelligas, raro ad acclamandum edi ſolitas voces, quin *manus* moverentur ad applaudendum. Id quod ex ipſo contextu Græco manifeſtius adhuc apparet: ſiquidem in adductis locis Plutarchus *Acclamationem*, & *Plauſum* unica voce exprimens, κροτοθορύβους dixit. In eundem autem ſenſum dixerunt & Philoſtratus in Arrichione, *Clamant exilientes a ſedibus, atque hi quidem movent manus*, &c. & Ariſtænetus in lib. I. epiſt. XXVI. de Panareta Pantomima loquens: *Populus interea rectus, ac mirabundus adſtat, & voces alternas melodice reſpondet, manuſque movet*. Caſſius item Dio *Acclamationem*, & *Plauſum* nectit, dum lib. LIV. in Auguſto ita ſcribit; *Quinimo Tiberium increpavit, quod ludis votivis, quos pro ſuo reditu faciebat, Cajo juxta ſe ſedem dediſſet; populumque objurgavit, quod plauſu, & laudibus eum proſecutus eſſet*. Etiam Themiſtius in eorum numerum, qui *Acclamationem*, & *Plauſum* copularint, adſcribendus eſt; ſiquidem ſub primæ Orationis initium ait in hunc modum: *An quod novum vobis, inſolenſque videatur, hominem Philoſophiæ nomine inſignitum, ſublimi quodam in ſolio ſophiſtice in primis, & arroganter ſedere, & ſua vos oratione ad clamores, & plauſus excitare velle; cujuſmodi a vobis multa identidem in beatos Sophiſtas conferri ſolent?* Et in Orat. IV. *Num me etiam nunc creditis, Auditores, veſtro illo plauſu, atque clamoribus indigentem, cujuſmodi mihi a vobis, cum dico, identidem conferuntur, rurſum hic vos congregaſſe, & hodierna die in ſuggeſtum aſcendiſſe, atque illos avide excipere, & amare ſtrepitus, quibus verba mea proſequi ſoletis?* Et in Orat. XVII. *Et plauſum quidem, ut apparet, extremis nunc manibus excitatis, ſummaque*

A *lingua clamores cietis*. Hoc etiam eſt illud, ut opinio mea fert, quod ſub XXXI. Orationis initium ſcriptum reliquit Dio Chryſoſtomus: *Relinquitur*, ait, *ut vobis ipſis imperetis, & civitatem gubernetis, & aliquem honore afficiatis, & plaudatis*. nam quod ait, *Aliquem honore afficiatis*, hoc proinde eſt, ac ſi dixiſſet, *Alicui fauſte acclametis*: habet enim ſecunda Acclamatio, ut planum faciemus, laudes illius & honores, cui acclamatur. Beatus præterea Chryſoſtomus, ut e noſtris etiam aliquem producam, *plauſum*, & *acclamationem* ſæpe conjunxit: In Homil. II. ad populum Antiochen. *Quæ mihi*, ait, *horum*
B *plauſuum utilitas? quæ laudum, & tumultuum?* In Homil. XIII. in Matth. *Nempe omnia dicta laudaſtis, ſed nequaquam ego plauſum requiro, nec faventium ſonos, & vocum tumultus*, &c. In Homil. LIV. in Geneſim: *Nunquid temere & in vanum dicere volumus, ut a vobis laudum fructus recipiamus, & ut plaudentes manibus recedatis? Non hoc ſpectamus, abſit, ſed veſtra utilitas, mea maxima laus eſt, & ſummus plauſus, ſi quis a vitiis ad virtutem convertatur*. Et in Homil. II. de Lazaro: *Tacete, qui hæc auditis, multo majorem vobis habeo gratiam pro ſilentio, quam pro plauſibus:*
C *propterea quod plauſus quidem ac laudes me faciunt glorioſiorem, ſilentium vero hoc vos reddit compoſitiores*. Fauſtam igitur Acclamationem, & Plauſum jungi, copularique ſcribendo conſuevisse, planum ex Græcis feci, ſed quominus idem faciam ex Latinis, ne nunc quidem res ulla impedit. Senecæ verba ſunt ex epiſt. LIX ſub finem: *Sicut plauſus & acclamationis ſecundæ favor, qui magna ſolicitudine & partus eſt, & expiandus*. In lib. VI. Epigrammate XXXIV. ita canit Martialis:

Quæque ſonant pleno voceſque manuſque theatro.

D Crediderim huc etiam alluſiſſe Tacitum, cum in XVI. *Annalium* lib. cap. IV. ſic ſcribit: *Et plebs quidem urbis, hiſtrionum quoque geſtus juvare ſolita, perſonabat certis modis, plauſuque compoſito*. ut perinde ſit, *Perſonare certis modis*, ac, *Conceptis verbis modulate acclamare*. Apertiſſime Suetonius in *Tiberio Claudio* cap. XII. *Eoſdem ſpectacula edentes ſurgens & ipſe* (de Tiberio ſermo eſt) *cum cætera turba voce, ac manu veneratus eſt*. quamquam ſcio, alio flecti poſſe hæc Suetonii verba, ut infra dicemus. Quinctilianus lib. VIII. cap. III. *Nec fortibus modo, ſed etiam fulgentibus armis præliatus in cauſa eſt Cicero Cornelii, qui non*
E *aſſecutus eſſet docendo Judicem tantum, & utiliter demum ac Latine perſpicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur*, & lib X. cap. I. *In lectione certius judicium, quod audienti frequenter aut ſuus cuique favor, aut ille laudantium clamor extorquet*. Beatus demum Hieronymus in epiſt. LXXV. quæ eſt adverſus Vigilantium: *Recordare quæſo*, ait, *illius diei* (ipſum affatus Vigilantium Hieronymus) *quando me de reſurrectione & veritate corporis prædicante, ex latere ſubſultabas, & plaudebas manu, & applodebas pede, & Orthodoxum conclamabas*.

F Si eſt autem, ut aliquis adhuc dubitet de iſta acclamationum ac plauſuum conjunctione, lectis Sexti Aurelii Victoris, Tertulliani, Sidonii, Pauli Diaconi, & Africani Corippi locis, is ut opinio mea fert, dubitare deſinet. Hi enim omnes, *Plauſus* & *Acclamationes* ſcribendo ſic copulant, ac confundunt, ut & *Vocem*, quæ Acclamationum propria eſt, Plauſibus concedant; & *manuum motum*, qui Plauſibus duntaxat debetur, ipſis tribuant Acclamationibus. Placet eorum verba

apponere, ne quid commentitium attulisse existimemur. Sextus igitur Aurelius Victor in Pertinace: *Huic mortuo*, inquit, *Divi nomen decretum est; ob cujus laudem ingeminatis ad vocis usque defectum Plausibus acclamatum est* &c. Expressit hoc, ut alia multa, ex Aurelio Victore Paulus Diaconus, & in x. *Miscellæ Historiæ* libro totidem verbis narravit. A Tertulliano autem in libro *de Spectaculis* cap. xxv. scriptum est hoc pacto: *Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim, de Ecclesia Dei in Diaboli Ecclesiam tendere? De cœlo, quod ajunt, in cœnum? Illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare?* Sidonii vero verba in hanc rem talia sunt in lib. IX. Epist. III. *Licet Prædicationes tuas*, Fausti Rejensis Episcopi, *nunc repentinas, nunc, cum ratio poposcisset, elucubratas, raucus plosor audierim*. Et Corippi ista ex libro II. numero VIII.

——— ingens fremit undique murmur.
Ingeminantque cavos dulci modulamine plausus,

Hæc igitur atque alia hujusmodi, sicuti planum faciunt, raro dividi solitas scribendo ac dissociari a *Plausibus Acclamationes*, ita ostendunt dilucide, factas raro *Acclamationes*, quin *Plausus* etiam darentur. Nunc, quando potissimum disjungerentur, ut brevi dicam, res admonet.

CAP. VI.

Quandonam potissimum fuerit, vel Plausus sine Acclamatione datus, vel facta sine Plausu Acclamatio?

NEQUE vero existimandum est, ita necti consuevisse Acclamationes, & Plausus, ut non aliquando dissolverentur fierentque aut sine Plausu Acclamationes, aut Plausus sine Acclamatione. Locus est in eodem Isocratis *Panathenaico*, qui ea, quæ dico planissime sic approbet: *Non applauserunt*, inquit sub finem, *quod omnibus eleganter disserentibus facere solent; sed acclamaverunt, quasi excellenter perorasset*. Quæ quidem Isocratis verba attento animo legi valde desidero. etenim non modo docent, factum aliquando, ut vel sine Acclamatione Plausus, vel sine Plausu Acclamatio daretur; verum etiam significant apertissime, dicenti tunc potissimum sine Acclamatione plausisse Auditores, cum ipsum Orationis genus summissum esset, ac humile; cum autem excelsum, & mirabile, tunc sine plausu acclamasse. Ex quo etiam illud, meo quidem animo, apparet, vulgare quid, ac magis commune fuisse Plausum, Acclamationem autem excellentius, ac præstantius.

Verum tunc etiam factas sine Plausu Acclamationes, cum in absentes emitterentur, ex eo facillime perspexeris, quod, inquirentes inferius Acclamationis, & Plausus dissimilitudinem, ac differentiam, illud quoque evincimus, factas interdum absentibus Acclamationes, Plausus non nisi præsentibus datos. Tu illinc assume, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur. *Senatorias* item Acclamationes, *Synodicas*, atque eas omnes fere, quas solerent viri graves, non vero imperitum vulgus, facere, sine Plausu emitti solitas observo. Id quod ex iis, quæ infra loco subjiciam, cum singulas recensebo Acclamationes, manifesto apparebit. His ita patefactis, jam, quid inter Plausum, & Acclamationem differat, quidve conveniat, liberius paullo explicemus.

CAP. VIII.

In quo maxime differat ab' Acclamatione Plausus? Factas vocibus Acclamationes, Plausus manibus datos. Vocem, Movere manus, *perinde atque* Plaudere *acceptam*.

HANC utique puto fuisse præcipuam inter Acclamationem, & Plausum differentiam, quod Plausus daretur manibus, vocibus fieret Acclamatio.

Atque hujus quidem posterioris probationem si adferre conemur, frustra sane suscipiatur labor. Res enim est, quam & satis aperit nominis Etymon, ut supra posui, & ipsæ Acclamationum formulæ, quæ loco producentur, dilucidius adhuc patefacient.

De priori vero plena est exemplorum antiquitas, ex quibus hæc illustria maxime supponentur. *Tunc ingressus Vagao*, ita habetur in libr. *Judith* cap. XIV. *cubiculum ejus, stetit ante cortinam, & plausum fecit manibus suis*. Proverbiorum cap. XVII. *Stultus homo plaudet manibus cum spoponderit pro amico suo*. Jeremiæ cap. V. *Stupor, & mirabilia facta sunt in terra; Prophetæ prophebabant mendacium, & Sacerdotes plaudebant manibus suis*. Thren. cap. II. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam*. Ezechielis cap. XXI. *Quin & ego plaudam manu ad manum & implebo indignationem meam*. Nazianzenus Gregorius in Oratione IV. *Canoram manuum actionem* appellat Plausum: sub finem autem Orationis XXXII. quæ est ad CL. Episcopos, hæc ait: *Manibus plaudite, acute clamate, Rhetorem vestrum in sublime tollite*. Themistius in Oratione XVII. *Et Plausum quidem, ut apparet, extremis nunc manibus excitatis, summaque lingua clamores cietis*. Loci sunt pene innumerabiles, tum sacrorum tum prophanorum Auctorum, in quibus res ista apertissime confirmata legitur; sed eos commemorare minime quidem in præsentia necessarium ducimus. Tantum perspici cupio, Voce ila, *movere manus*, quam ii non semel, neque uno in loco scribendo usurparunt, hoc ipsum plane comprobari. Varronis certe, ac Columellæ querelam de suorum temporum Patribus familiæ si quis legerit, is, dum quidem sit doctus, & intelligens existimator, *movere manus*, pariter accipi oportere, ac si *Plaudere*, dixissent, judicabit. adjungamus locos ipsos, ut ex eis, tanquam adhibito lumine, obscura cum Latinæ vocis, tum moris antiqui notio magis illustretur. Varronis ergo ex Præfatione libri II. *de Re Rustica* hæc sunt verba: *Igitur quod nunc intra murum fere Patres familiæ correpserunt, relictis falce & aratro, & manus movere maluerunt in Theatro, ac Circo, quam in segetibus, ac vinetis*, &c. Columellæ vero ista in primi libri Præfatione: *Omnes enim, sicut M. Varro in temporibus avorum conquestus est, Patres familiæ, falce & aratro relictis, intra murum correpsimus, & in Circis potius, ac Theatris, quam in segetibus, & vinetis manus movemus*. Cajus etiam Plinius, scribens ad Aristonem in lib. V. epist. III. ita, ut duo superiores, ea voce usus est, cum dicat: *Itaque has recitandi caussas sequor. Primum, quod ipse, qui recitat, aliquanto acrius scriptis sui Auditorum reverentia intendit. deinde, quod de quibus dubitat, quasi ex consilii sententia statuit. Multa etiam a multis admonetur; & si non admoneatur, quid quisque sentiat, perspexit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu*. &c. Et in epist. XVII. lib. VI. *ad Restitutum: Recitabatur*, ait, *liber absolutissimus; hunc duo, aut tres, ut sibi*

& paucis videntur, diserti, surdis mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique assurrexerunt, &c. Philostratus quoque, & Aristænetus eodem pacto, *Clamant*, inquit ille in Arrichione, *exilientes a sedibus, & hi quidem movent manus, illi vestem*, &c. Alter vero in lib. I. epist. XXVI. *Populus*, ait, *interea rectus, ac mirabundus adstat, & voces alternas melodice respondet, manusque movet, & vestem quatit*. Ut idem omnino esse, *movere manus*, & *Plaudere*, jam satis appareat. Offert autem mihi sese Tranquilli Suetonii locus, quem prætermittere nullo modo debeo; eam præsertim ob causam, quod, tametsi laberetur res nostra, nullius Auctoris boni testimonio firmata, hoc tamen uno posset firmissime fulciri, ac sustentari. Etenim in *Sulpicio Galba* cap. VI. scriptum est hoc pacto: *Postridie quam ad legiones venit*, de eodem Galba loquitur, Tranquillus, *solemni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, ut manus pænulis continerent*. Ex quibus Tranquilli verbis plane licet videamus, *Datos manibus Plausus*; & hoc amplius, *fuisse manus solas Plausuum effectrices*. Quandoquidem, ut plaudere milites vetaret Galba, tesseram dedisse dicitur, quæ manus intra pænulas ita contineret, ut minime possent se se ad applaudendum movere. ex quo necessario consequi videas, *ut manus solæ fuerint Plausuum ministræ, & effectrices*. Nos quidem ita de loci hujus sententia opinamur. Quæ vero protulimus de verbo, *Manus movere*, dicenda omnino videntur de vocibus, *A facie jactare manus*, &, *Tendere in ora manus*, quas in eundem forte etiam sensum a Juvenali, & Martiali usurpatas sequentibus proxime Capitibus, Octavo, & Nono docebimus.

C A P. VIII.

Sine Arte fuisse ab initio Plausus. Eosdem postea nonnisi artificiose datos.

Atque hæc quidem superiora, manibus datos Plausus, fidem faciunt. quo porro manuum gestu, flexu, motuque id fieret, ut dicamus hoc loco, res admonet. Sed hoc, meo judicio, non apte fiet ad docendum, antequam patuerit, Utrum Arte aliqua darentur Plausus, nec ne.

Equidem non dubito, quin fuerint aliquando priscis temporibus omnino sine Arte Plausus; sic nimirum dati, quales naturæ vis quædam, & impetus ad res novas, improvisas, inopinatas, admirabiles, lætas, tristes, & his similes, exprimere solebat. Adducor autem, ut ita credam, Ovidii verbis ex lib. I. *de Arte amandi*, sic habentibus:

In medio Plausu, Plausus tunc arte carebat.

Tunc, ait Ovidius; primis scilicet Imperii Romuli annis, quando facta fuit Sabinarum Virginum rapina, de qua inibi sermo est. Juvenalis quoque, & Martialis huc animum intendisse possunt videri, cum, de Plausu verba facientes, simpliciter dixere, *A facie jactare manus* alter, alter vero *Tendere in ora manus*. Juvenalis verba sunt hæc in Satyra III. de adulatore loquentis:

——— qui semper, & omni
Nocte, deique potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus.

Martialis ista in epigram. x. libri x.

Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus?

[A] *sine arte* videlicet, prout illas repentinus quidam animi impetus ciebat. Id quod etiam de voce illa, *Manus movere*, quam non multo ante commemoravimus, haud absurde dici posse videtur. Quamquam scio, ut monui superius, licere & hanc ipsam, & mox adductas Juvenalis, & Martialis voces, veluti lentam materiem, alio non incommode flectere. Quorsum igitur? an eo detorquenda sunt, ubi nobis indicent, consuevisse plaudentes *Tendere in ora*, seu, *A facie jactare manus*, quasi osculo jactato venerantes eum, cui plauderent? vel suum eidem pollicentes præsidium, ac victoriam deferentes? Nisi forte mavis [B] de artificioso manuum in plaudendo motu voces illas accipere. qua de re tota non ita multo post dicam uberius.

Ut igitur certum est, sine Arte Veteres ab initio plausisse, sic & illud minime dubium, fuisse postea Plausus nonnisi artificiose datos. Id quod ita se habere, Taciti locus ex XVI. *Annalium* libro cap. IV. & V. planissime confirmat; in quo de Plausu Neroni in Theatro cithara canenti dato, hæc verba scripta sunt: *Et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis, plausuque composito. Crederes lætari, ac fortasse lætabantur, per injuriam publici* [C] *flagitii. Sed qui remotis e municipiis, severamque adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam, quique per longas provincias lasciviæ inexperti, officio legationum, aut privata utilitate advenerant, neque adspectum illum tolerare, neque labori inhonesto sufficere: cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros, ac sæpe a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret*. Hic est Taciti locus, quem, quod rem nostram apertissime explicaret, adscribere totum minime gravati sumus. Quod ergo ait, *Plausu composito*, id perin- [D] de est, quasi, *artificiose dato*, dixisset. quod vero addit, *cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros*, hoc indicat manifeste, fuisse aliquam in plaudendo manuum artem, quam nossent alii, alii ignorarent. Idipsum autem cognoscitur æque aperte ex verbis Tranquilli, de eodem Nerone in VI. libro capite XX. ita scribentis: *Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius adolescentulos Equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui, divisi in factiones, Plausuum genera condiscerent.* [E] *Bombos, & Imbrices, & Testas vocabant. operamque navarent cantanti sibi*. Quid enim hæc sibi volunt verba, *Plausuum genera condiscerent*? an non apertissime ostendunt, extitisse Neronis tempore, artificiosam Plausuum doctrinam qui traderent, & qui condiscerent? mihi quidem videntur; credo item aliis. siquidem, quos undique elegisse dicitur Nero e tota juventute, ad id potissimum electos narrat, ut ad Plausuum scientiam erudirentur. Confirmant hoc idem, ut opinio mea fert, commemorata non multo ante Ovidii ex primo libro *de Arte amandi* verba:

[F] *In medio Plausu, Plausus tunc arte carebat.*

ex iis enim, quemadmodum plane licet intelligi, Ab initio quidem, primis nimirum Imperii Romuli annis, sicuti ante dictum est, sine Arte fuisse Plausus: ita postea, ipsius maxime Ovidii temporibus, nonnisi artificiose datos, tum aperte, tum necessario convincitur. Verum hanc rem eandem, etsi hactenus dilucide patefactam,

quæ tamen a nobis deinceps producentur de manuum in plaudendo conformatione ac motu, planius omnino declarabunt.

CAP. IX.

De manuum in plaudendo conformatione ac motu. Pierii Valeriani hac de re inanis Opinio. Arriani locus de Sardanapali statua perpenditur. Strabo, & Athenæus illustrati. Artificiosa manus utriusque illisione plausum effici solitum; palma nimirum cum palma collata interdum, interdum dexteræ digitis paullulum contractis, & lævæ palmam apte ferientibus.

NON dubium est igitur, quin fuerint Plausus manibus artificiose dati. illud adhuc incertum, Quænam esset artificiosa hæc manuum in plaudendo conformatio, ac motus. Age sis ergo, hanc rem quoque tenebris involutam illustrare, quantum licet, experiamur.

Artificiosum plaudendi modum, sunt, qui in eo simulachro, quod in Sardanapali tumulo collocatum visebatur, expressum fuisse existiment. In eis est Pierius Valerianus, vir antiquitatis bene peritus, in XXXV. *Hieroglyphicorum* libro sic scribens: *Plausum, lætitiæ & gratulationis signum, manibus in eum gestum figuratis, ut se complodere viderentur, significari, theatra Romana & Poëtarum pulpita sæpius ostenderunt. Id autem in Sardanapali statua, quæ Tharsi erat, exprimebatur, cum Inscriptione, quæ modis omnibus lasciviendum esse commoneret*. Hæc Pierius. Ac quod dicit, *manibus sese complodentibus* Plausum effici, id ego illi dederim sane non invitus. quod addit autem, fuisse eam *manuum complosionem in Sardanapali statua expressam*; in eo, si me dicam hærere, nihil mentiar. in promptu est ambigendi causa; nam ex Strabone, & Athenæo constat, aliud nihil fuisse eo Sardanapali statuæ gestu expressum, quam inutilium & abjectarum rerum contemptum, si quidem in ea dexteræ pollex, ac medius digitus sese valide collidentes crepitum edere videbantur. qui sane gestus, non plausus erat, sed inanitatis ac vilissimæ rei index; quemadmodum & citati auctores testificantur, & notum est ex eo, quod nunc etiam, cum lubet vilem & abjectam rem exprimere, non alium gestum usurpamus: atque illud, *Ne digitorum quidem crepitu dignum*, ita pervulgatum est, ut jam proverbii locum obtineat, *de re inutili & contempta*. Strabonis & Athenæi verba, quoniam huc apte cadunt, adscribam libenter. Ἐνταῦθα δὲ, ait Strabo in quartodecimo *de Geographia* libro, *εἶναι μνῆμα τῦ Σαρδαναπάλυ, καὶ τύπον λίθινον, συμβάλλοντα τὺς τῆς δεξιᾶς χειρὸς δακτύλυς, ὡς ἂν ἀποκροτῦντα*. & paulo post, ipsam monumenti Inscriptionem commemorans: Ἔσθιε, inquit, *πῖνε, παῖζε. ὡς τ' ἄλλα τὰ ἀνθρώπινα οὐκ ὄντα τύτυ ἄξια τῦ ἀποκροτήματος*. quæ nos in Latinum sic vertimus: *Atque inibi Sardanapali monumentum esse, ac lapideam imaginem, dexteræ manus digitos conjungentem, ac veluti crepitum edentem. Ede, bibe, lude; nam cæteræ res hominum haud dignæ sunt hocce digitorum crepitu*. Apud Athenæum autem in XII. *Deipnosophistarum* libro his ipsis verbis scriptum videas: Ὅθεν ὁ πάντων εὐδαιμονέστατο Σαρδανάπαλος παρ' ὅλον τὸν βίον τιμήσας τὰς ἀπολαύσεις, καὶ τελευτήσας δείκνυσιν ἐν τῷ τῦ μνήματος τύπῳ τοῖς δακτύλοις, οἷον καταγέλωτος ἐστιν ἄξια τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα τῆς ὐκ ἄξια ὄντα ψόφυ δακτύλων; ὃν πεποίηται ποιέμενος δὶς ἐν χορῷ ἡ περὶ τὰ λοιπὰ σπυδή. & aliquanto infra: καὶ ὗν ἐ πόῤῥω τὸ τῦ Σαρδαναπάλυ μνημεῖον, ἐφ' ὗ ἑστάναι τύπον λίθινον συμβεβληκότα τῆς δεξιᾶς χειρὸς τὺς δακτύλυς, εἰς ἂν ἐπικροτῦντα. Ἔσθιε, πῖνε, παῖζε. ὥς τ' ἄλλα τύτυ ὐκ ἄξια τῦ ἀποκροτήματος ἔοικε λέγειν. Efferamus Latine eadem ista; e verbo verbum, quoad licet, exprimentes. *Omnium autem felicissimus Sardanapalus, cum toto vitæ decursu voluptatem plurimi fecisset, post obitum declarat insculptis monumento digitis, res hominum esse ridiculas, & ne digitorum dignas strepitu, quem collisis inter se digitis duobus significavit, inutilem vero curam esse, quæ impenditur reliquis. Illinc haud procul aberat Sardanapali monumentum, ubi sculpta in lapide fuit imago dexteræ manus conjunctis digitis, velut ad sonum elidendum. Ede, bibe, lude. reliqua ne digitorum quidem strepitu digna sunt. hæc scilicet illa loquebatur inscriptio*. Stephanus etiam in libro *de Urbibus*, verbo Ἀγχιάλη. Ἔσθιε, inquit, *πῖνε, παῖζε. ὡς τ' ἄλλα τύτυ ὐκ ἄξια τῦ ἀποκροτήματος*, quæ sic Latine sonant, *Ede, bibe, lude. cætera ne digitorum quidem crepitu digna sunt*. In quibus sane locis tria sunt, quæ in usum nostrum observemus. primum est, Non ambarum, sed unius duntaxat manus, crepitum illum fuisse. Alterum, solitum illum edi ex digitis inter se collisis, seu compressis. Postremum, fuisse eundem inanitatis ac rei contemptæ indicem. Quæ tria de Plausu neutiquam dici possunt. siquidem hic, quemadmodum non ita multo post dicam uberius, nonnisi artificiosa utriusque manus collisione fiebat; & amplius erat lætitiæ ac gratulationis signum. Primum autem illud, quod animadvertendum diximus, aperte significatur, dum in iis locis dexteræ solummodo manus mentio fit. Ostenditur alterum ex eo dilucide, quod ad rem illam exprimendam, voces ἀποκροτέω, & ἀποκρότημα adducti auctores usurpant. quas quidem voces idem omnino valere, quod, *Digitis concrepare*, & *Digitorum crepitus*, quivis unus paullo in Græcis exercitatior non magno negotio deprehendet. & docet Eustathius, ut est in linguæ Græcæ Thesauro, verbo ἀποκρότημα, ea voce *digitorum concrepationem*, seu *crepitum*, significari. subjicit autem Eustathius, crepitum illum *ex digito medio pollici primum innixo, deinde in pulpam ei subjectam illiso, excitari*. Quod autem tertio loco posui, satis indicant ea, quæ ex iisdem auctoribus, citatis locis, protulimus in extremo adjecta, ὡς τ' ἄλλα τύτυ ὐκ ἄξια τῦ ἀποκροτήματος, quæ sententiam habent hujusmodi, ex Sardanapli scilicet mente & lascivia: *Ut res hominum universæ, si cum cibo, potu, ludo, cæterisque voluptatibus conferantur, ne digitorum quidem crepitu dignæ sint*, utpote contemnendæ omnino ac pro nihilo putandæ. sive autem, τῦ ἀποκροτήματος, Inscriptionis ipsius verbum sit, ut omnes pene libri habent, sive eorundem auctorum Inscriptionem explicantium, quemadmodum ad Strabonem distinguit & adnotat vir doctissimus, nihilominus semper res nostra manet. Atque hæc quidem omnia quoniam planissime scripta sunt, eo fit, ut Valerianum Pierium mirer, qui adducto proxime superius libro, a tantis viris dissentiens, Sardanapali statuæ gestum, non ad inanium ac vilium rerum contemptum, sed ad plausum, lætitiæ ac gratulationis signum trahere maluerit. Hic mihi Arrianum afferet Pierius, qui in secundo *de Alexandri Expeditione* libro, tumulum Sardanapali commemorans, in eo collocatum dicit Sardanapalum *συμβεβληκότα τὰς χεῖρας ἀλλήλαις, ὡς μάλιστα ἐς κρότον συμβάλλονται*, hoc est, ex Bonaventuræ Vulcanii interpretatione, *Manus collidentem, ut in plausibus fieri solet*; atque ita confici, ut ex hoc Sardanapali simulachro plauden-

di modus elucescat. Verum, quidquid sit de horum verborum sensu & interpretatione, Arriani certe opinionem inanem & commentitiam esse totam, non modo gravissimi auctores, ut vidimus, Strabo & Athenæus, quibus non habere fidem in re tali pene sit nefas, firmissime coarguunt, sed res etiam ipsa clamat apertissime. Siquidem fuit Sardanapali statua, vel ipso teste Arriano, in eo, quem dixi libro non longe admodum, ob id unum in tumulo collocata, ut indicaret res hominum universas præ voluptatibus ridiculas esse ac pro nihilo ducendas. Qui autem fieri potest, ut ad id exprimendum Plausus adhiberetur, qui fuit lætitiæ semper ac gratulationis, nunquam inanitatis aut contemnendæ rei, signum? Quanto igitur Strabonis & Athenæi, quam Arriani; nostra, quam Pierii, sententia procedit commodius? quam sine offensione ulla? ita quidem res est. Quapropter, cum artificiosus plaudendi modus ex Sardanapali simulachro neutiquam elici possit, aliunde petenda erit hujus rei cognitio. Quam quidem ut facilius consequamur, placet duo præmonere. primum est, Utramque manum in plaudendo adhibitam. alterum, fuisse manus easdem elatas omnino, ac protensas seu porrectas in eos, quibus plaudebatur. Ac primum illud haud obscure partim ex iis, quæ supra posui, partim ex iis, quæ mox dicam, potest perspici. Etenim cap. VII. cum in eo potissimum differre ab Acclamatione Plausum probaremus, quod fieret vocibus Acclamatio, Plausus manibus daretur, quæcunque ad hoc evincendum Veterum loca protulimus, in eis, non unius duntaxat, sed utriusque manus mentio fit. mox autem ex Seneca, Philostrato, & Aristæneto ostendemus, plausum ipsum non nisi ex artificiosa manus ad manum collisione excitari. ex quo sequi oportet, ut ambæ manus in plaudendo adhiberentur. Alterum vero ex Juvenalis Satyra tertia cognoscitur; quo in loco, non semel a nobis citato, plaudentem adulatorem exprimens Juvenalis, tollere eum manus scribit, atque a facie sua in eos jactare, quibus plaudebat; ejus verba sunt hæc Sat. III.

——— qui semper, & omni
Nocte, dieque potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus.

atque etiam ex Martialis epigram. x. libri x. ita scribentis de Auditorum plausu recitantibus Poetis dari solito.

Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus?

in ora scilicet *recitantium*. ut idem omnino sit, *Manus a facie jactare*, &, *Tendere in ora*. Quod si huc etiam vocem illam, *Movere manus*, de qua semel atque iterum superius ex Varrone, Columella, Plinio, & aliis diximus, trahere velis; id ego, si minus ut verum, at ut maxime verisimile, non gravate concedam.

Verum, his ita positis, jam, quæ fuerit artificiosa manuum in plaudendo conformatio, videamus. Apud Senecam in *Quæstionum Naturalium* libro II. cap. XXVII. cum de nubium inter se collisarum sono verba faceret, hæc de manuum item in plaudendo conformatione scripta reliquit: *Quid autem? non quemadmodum illisæ manus inter se plausum edunt, sic illisarum inter se nubium sonus potest esse magnus, quia magna concurrunt?* quibus e vestigio attexuit, ipso Capitis XXVIII. initio: *Videmus nubes impingi montibus, nec sonum fieri. Primum omnium, non quocunque modo illisæ sunt,*

A *sonant, sed si apte sunt compositæ ad sonum edendum. Aversæ inter se manus collisæ non plaudunt, sed palma cum palma collata plausum facit. Et plurimum interest, utrum cavæ concutiantur, an planæ & extentæ.* Sed planius omnino ac distincte magis rem totam junior Philostratus in Comi imagine ita persequitur: Μιμεῖται τινα ἡ γραφὴ καὶ κρότον, οὗ μάλιστα δεῖται ὁ Κῶμος· καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει ἐς τὸ κοῖλον, ἵν᾽ ὦσιν αἱ χεῖρες ξυμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. quæ hoc modo convertas: *Plausum etiam imitatur pictura, cujus maxime indiget Comus. Nam dextera contractis digitis subjectam sinistram ad cavum plectit, ut manus cymbalorum more percussæ consonæ fiant.* Hæc Philostratus; quibuscum ea, quæ Aristænetus in epist. x. libri primi prodidit, maxime congruunt: inibi enim de Plausu in Cydippi & Acontii nuptiis dato loquens: αἱ δὲ τῆς παιδὸς ἡλικιώτιδες, inquit. ἐνεργὸν ὑμέναιον ᾖδον. καὶ ἡ διδάσκαλος ἐπέβλεπε τὴν ἐπᾴδουσαν. καὶ εἰς τὸ μέλος ἱκανῶς ἀνεβίβαζε χειρονομοῦσα τὸν τρόπον. ἑτέρως δὲ τοῖς ᾄσμασιν ἐπεκρότει, καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν ἔπληττεν εἰς τὸ κοῖλον. ἵν᾽ ὦσιν αἱ χεῖρες σύμφωνοι συμπληττόμεναι τρόπον κυμβάλων. Convertimus hæc quoque, ab iis, qui Græce nesciunt, parvo labore gratiam inituri: *At Virginis æquales perfectum tum demum hymenæum cecinere: e queis si qua discrepare visa, respicit eam chori magistra, & ad modulum commode reducit, manibus simul increpans. alius canticis applaudere, dexteræ contractis digitis subjectæ lævæ palmam feriens, ut manus complosæ dulcem sonum, cymbalorum in modum, ederent.* Seneca igitur apertissime omnino, & sine circuitione dicit ulla, *manum alteram alteri adverse, non averse, illisam, palma* scilicet *cum palma collata, plausum facere*. Philostratus autem, & Aristænetus, *Dexteram manum contractam, & fere in pugnum deductam, lævæ palmam apte percutientem, plausum conficere*. Ut jam satis constet, artificiosa omnino manus utriusque conformatione ac illisione plausum effici, palma nimirum cum palma collata interdum, interdum dexteræ digitis paullulum contractis, & lævæ palmam apte ferientibus. Quæ vero sunt adjecta in extremo Philostrati & Aristæneti verba, *Ut percussæ manus, cymbalorum more, consonæ fiant*, &, *Ut manus complosæ dulcem sonum, cymbalorum in modum, ederent*, hoc amplius significant, Elici ex artificioso illo manuum motu sonum, nec insuavem, nec absurdum. Quæ res mihi causam & justam & necessariam attulit, verba hoc loco faciendi de sonitu, quem solerent multiplicem exercitatæ in plaudendo manus efficere.

CAP. X.

Multiplex omnino fuisse Plausuum genus, ex multiplici sono, quem plaudentes manus redderent. Cymbalorum etiam ac Tympanorum sonitum artificiosa manuum collisione expressum. Tria Plausuum genera a Suetonio commemorari, Bombos nimirum, Imbrices, ac Testas.

NAZIANZENUS certe Gregorius, vir sanctissimus & eruditissimus, multiplicem plaudentium manuum sonitum ac crepitum generatim expressit in Orat. IV. semel atque iterum a nobis citata, Plausum, *canoræ manuum actionis* nomine appellans. Quod idem etiam factitatum fuisse observo ab Africano Corrippo, dum in secundo *de laudibus Justini* Imperatoris libro cecinit in hunc modum,

Ingeminantque cavos dulci modulamine plausus.

Singillatim autem Cymbalorum sonum artificiosa manuum collisione redditum aliquando, satis indicant,

cant, quæ proxime superius ex Philostrato, & Aristæneto adduximus; *Ut*, inquiunt, *manus complosæ dulcem sonum, cymbalorum in modum, ederent*. Probant hoc idem Plinii verba, in epist. XIV. libri II. sic scribentis, *Plausus tantum, ac potius Cymbala, ac Tympana illis canticis desunt*. quo loci vides, non Cymbalorum modo, sed Tympanorum etiam sonitum manibus expressisse quandoque plaudentes. Suetonius autem tria omnino Plausuum genera commemorat; utique ex triplici sono, quem artificiosus hic plaudentium manuum motus efficere consuevit: *Bombos* appellat, *Imbrices*, ac *Testas*. quibus autem suam sententiam ostendit, sunt hæc illius in *Nerone* verba, superius etiam a nobis indicata: *Adolescentulos equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit*, Nero, *qui, divisi in factiones, Plausuum genera condiscerent: Bombos, & Imbrices, & Testas vocabant: operamque navarent cantanti sibi*. Talis est Tranquilli locus. in quo triplex quidem constituitur Plausuum genus, & suum etiam cuique generi nomen imponitur; veruntamen, cur ita nominentur, nulla prorsus redditur causa. quæ res nobis curam injecit minime mediocrem experiundi, posset ne de iis nominibus dici aliquid, quod erudito Lectori non incommode dictum videretur.

CAP. XI.

Declaratum, quid essent Bombi in Plausibus, quid Testæ, quid Imbrices?

BOMBUS apud Latinos vere apum sonitus est. atque hoc Plinio teste dicimus; apud quem, de apum operibus agentem ita in lib. XI. cap. X. scriptum legitur: *Ratio operis hæc, interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum; donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo*. & in ejusdem capitis extremo: *Cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolet, eodem quo excitavit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc castrorum more; tunc repente omnes conticescunt*. & Varrone etiam, a quo pauca hæc ex lib. III. *de Re rustica* sumpsimus: *Ex apibus*, enumerat Varro eximendorum favorum signa, *conjecturam faciunt, si intus faciunt bombum*.

Testæ vero vasa erant ex argilla lutoque facta, & ad ignem tosta, unde & nomen invenere. Et has quidem fuisse olim apte percussas, seu pulsatas, multi magna auctoritate viri tradiderunt. In Aristophanis *Ranis* ita est: *Sed quid opus est lyra ad hanc rem? Ubi illa testis crepitans?* ad quem locum Græcus enarrator: *Lyræ*, inquit, *inopia testas nonnulli accipientes crepitum faciebant*. De re eadem in XI. Juvenalis Satyra hæc dicuntur:

> *Non capit has nugas humilis domus; audiat ille*
> *Testarum crepitus.*

Testas, ait vetus Juvenalis Interpres ex docti Viri emendatione, *antea percutiebant saltantibus pantomimis. quia tunc non erat, ut mesochori percuterent manibus*. Planissime etiam Athenæus in XIV. libro ex Didymo & Aristophane: *Didymus scribit, consuevisse quosdam lyræ vice conchas & testas complodere, ac numerosum efficere saltantibus sonum, ut testatur in* Ranis *Aristophanes*. Suidas demum in verbo ξυλυφίων: *Diocles*, inquit, *Atheniensis primus invenit harmoniam in testaceis vasis, quæ pulsabant ligno*. & in verbo ὀξύβαφον: *Ajunt*,

A *Dioclem Atheniensem invenisse harmoniam in fictilibus, quæ pulsaverit bacillo*. Ex quibus omnibus sex minimum elucescunt. primum, Testas olim vere pulsatas seu percussas. alterum factitatum id ligno, seu bacillo. tertium, saltantibus potissimum pantomimis. quartum, lyræ vice solitas illas circumferri. quintum, hujus harmoniæ inventorem ac principem fuisse Dioclem Atheniensem. postremum, nonnisi procedente tempore factum, ut manuum collisione testarum iste crepitus exprimeretur. Quæ cum ita sint, longe fallitur meo judicio Joannes Brodæus, vir cæteroqui doctissimus,
B dum in *Miscellaneis* libro IX. cap. XVII. adductum Juvenalis locum explicans, *Testas* comminiscitur *inseri olim solitas ab architectis in parietes, in theatris potissimum, ut, quemadmodum reciprocas reddit Echo voces, exceptum eæ hominum spectantium plausum cum harmonia quadam redderent*.

Imbrices porro erant tegulæ curvæ & oblongæ ad arcendum imbrem ex primo sui usu tectis applicitæ. Crediderim autem, has quoque fuisse ad Testarum modum apte olim percussas, nisi mavis collisas, ut certum redderent sonum.

C His ita patefactis, in eo, de quo quæritur, ecquid sit veri, non difficile est videre. Nam certe triplicem hunc sonum, sive crepitum, in saltationibus, ac ludis ab initio solitum usurpari, didicit postea artificiosa manuum plaudentium collisio in spectaculis, publicisque auditoriis, exprimere. Ac Neroni quidem publice cantanti eos omnes fuisse adhibitos cognoscimus ex Tranquilli loco, a nobis paullo superius adducto.

Bombum igitur in Plausibus interpretor *sonitum illum, quem ad apum similitudinem, leviorem, nec satis distinctum*, manus apte se se in plaudendo collidentes reddebant. Qui vero Plausus *percussarum*, aut *collisarum*, sive *imbricum*, sive *testarum*, *crepitum* maxime imitarentur, ii *Imbricum*, ac
D *Testarum* nomine sunt appellati.

Dixerit hic aliquis, *Imbricum* nomen fuisse huic Plausui impositum, non quod imitaretur, ut dictum est, pulsatarum, seu collisarum Imbricum sonitum, sed quia cadentis super tegulas pluviæ crepitum exprimeret. equidem contra minime tendam; neque verum, quod esse potest, insipienter negabo. quapropter per me quidem liceat unicuique de duobus utrum malit probare. hoc enim, an illud, an utrumque potius sequatur, ad rem minimum interest. Reliqua nunc videamus, ad Plausuum, & Acclamationum differentiam longo post intervallo redeuntes.
E

CAP. XII.

Plausus nonnisi præsentibus datos, at factas interdum absentibus Acclamationes

IN hoc etiam videntur a Plausibus differre Acclamationes, quod istæ fierent quandoque absentibus, nonnisi præsentibus ii darentur.

F Ac de posteriori quidem, quin ita sit, nihil est, quare quisquam dubitet, cum omnes tum Græcorum, tum Latinorum loci, qui de Plausibus possunt adduci, idipsum apertissime confirment. Eos ego, quod hoc toto in Opere pateant omnibus, sintque positi in promptu, idcirco de industria prætermitto.

Prius vero, factas nimirum quandoque absentibus Acclamationes, quoniam ab iis non satis animadversum video, qui de Acclamationibus multa collegerunt, nos ex gravibus, ac vetustis Au-

ctoribus notum faciamus. Quas igitur in Avidio Cassio commemorat Gallicanus Vulcatius factas Antonino Commodo Acclamationes, eas in absentem emissas parvo labore cognoscet quicunque legendo meminerit, optatam maxime a Senatu inter Acclamandum ipsius Antonini, utpote absentis, præsentiam. Adjungamus autem Acclamationes ipsas. *Hanc Antonini clementiam*, inquit Vulcatius, *Senatus his Acclamationibus prosequutus est. Antonine pie, Dii te servent. Antonine clemens, Dii te servent. Tu noluisti quod licebat, nos fecimus quod decebat. Commodo Imperium justum rogamus, progeniem tuam robora. Fac securi sint liberi tui, bonum Imperium nulla vis lædit. Antonino Tribunitiam potestatem rogamus. Præsentiam tuam rogamus.* En optatam a Senatu absentis Antonini præsentiam. Quæ item a Julio Capitolino in *Maximinis duobus* recensentur emissæ in Gordianum Imperatorem Acclamationes, eas nonnisi absenti factas patet ex eo, quod in Africa tum degeret inter Milites Gordianus, cum ei a Senatu Romæ acclamaretur. Capitolini verba sunt hujusmodi cap. XVI. *Lectis litteris statim Senatus acclamavit, Gordiane Auguste Dii te servent. Felix imperes, tu nos liberasti. Per te salva respubl. omnes tibi gratias agimus.* & mox, *Item Consul retulit, P. C. de Maximinis quid placet?* erant hi quoque absentes, ut ex ipso contextu fit planum, *responsum est, Hostes, Hostes; qui eos occiderit præmium merebitur.* In iisdem *Maximinis* sub finem legimus, nunciata Maximini cæde, Maximo apud Ravennam bellum paranti hæc Romæ a Senatu acclamata: *Hostes populi Romani Dii persequuntur. Jupiter optime tibi gratias. Apollo venerabilis tibi gratias. Maxime Auguste tibi gratias. Balbine Auguste tibi gratias. Tibi gratias Gordiane Auguste. Divis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen olim erasum, nunc animis eradendum. Hostis publici caput in profluentem abjiciatur, corpus ejus nemo sepeliat,* &c. *Victores hostium omnes desideramus. Præsentiam Maximi omnes desideramus.* Etiam narratas ab eodem Capitolino in *tribus Gordianis* Acclamationes, omnino absentibus factas necesse est fateri, cum & senior Gordianus, cui potissimum acclamabatur, apud Afros in oppido Tysdro moraretur; & Senatus ipse, dum acclamat, Gordianorum longe disjunctorum miro se teneri desiderio significat: *Post hæc*, inquit Capitolinus cap. XI. *litteras legit Gordianorum ad Senatum, & ad se missas. Tunc acclamavit Senatus, Dii vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur. Maximinum hostem omnes judicamus. Maximinum cum filio Diis inferis devovemus. Gordianos Augustos appellamus. Gordianos Principes agnoscimus. Imperatores de Senatu Dii conservent. Imperatores nobiles victores videamus. Imperatores nostros Roma videat.* Longe quoque aberant & Valerianus, & Claudius, cum illi in Censorem, huic in Imperatorem delecto fauste acclamat Senatus; si quid est, quod Trebellio Pollioni credere possimus, cujus verba, in *Valeriano* quidem *Patre & Filio*, sunt hæc cap. I. *Ubi primum Prætor edixit, Quid vobis videtur P. C. de Censore deligendo? atque eum, qui erat princeps, cum Senatus sententiam rogasset, absente Valeriano*, absentem hic mecum animadverte Valerianum, *omnes una voce dixerunt, Valeriani vita censura est. Ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus a prima pueritia Censor fuit. Valerianus in tota vita sua Censor fuit. Prudens Senator, modestus Senator, gravis Senator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum. hostis vitiorum. Hunc Censorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus.* In *Claudio* autem ista cap. IV. *Cum esset nunciatum nono Calendas Aprilis Claudium Imperatorem factum*, &c. *hæc in Claudium dicta sunt. Auguste Claudi Dii te nobis præstent. Claudi Auguste, Principem te, aut qualis tu es, semper optavimus. Claudi Auguste, te resp. requirebat. Claudi Auguste, tu frater, tu Pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps*, &c. Eidem præterea Claudio in Illyrico consistenti, bellumque inibi fortiter gerenti, Romæ tamen acclamat Senatus, ut est apud eundem Trebellium in *ipso Claudio* cap. ult. *Cum esset nuntiatum, illum*, Claudium, *cum Marciano fortiter contra gentes in Illyrico dimicasse, acclamavit Senatus, Claudi Dux fortissime habeas virtutibus tuis, devotioni tuæ. Claudio statuam omnes dicamus. Claudium Consulem omnes cupimus.* Tranquillus quoque Suetonius rem eandem aperte confirmat in *Caligula* cap. VI. scribens in hunc modum: *Romæ equidem, cum ad primam famam valetudinis*, de Germanico sermo est, *attonita, & mœsta civitas sequentes nuncios opperiretur, & repente jam vesperi incertis auctoribus convaluisse tandem percrebuisset, passim cum luminibus, & victimis in Capitolium concursum est, ac pene revulsæ Templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium, Salve Roma, salva patria, salvus est Germanicus.* Atque hic videre est, emissas tunc hujusmodi Acclamationes, cum Germanicum, absentem, & jam ægrotum convaluisse tandem Romæ percrebuisset.

Plena est testimoniorum ad rem eandem confirmandam Ecclesiastica etiam antiquitas; quibus tamen recitandis supersedeo, quod ea sunt a nobis in V. libro opportunius producenda. Tantum admonebo, in Synodicis Conventibus consuevisse Patres & Pontifici Romano absenti, & Imperatoribus ac Regibus Catholicis, itidem absentibus, fauste acclamare. sic Cœlestino Pontifici Romano absenti Ephesina Synodus; sic Leoni Chalcedonensis; sic Agathoni Constantinopolitana; sic tandem Tridentina, ut de cæteris omittam dicere, & Pontifici Pio, & Ferdinando Imperatori, & Regibus, ac Principibus Catholicis absentibus acclamat. sed hæc alibi.

In eo igitur standum; quod hactenus ex optimis Auctoribus, iisque perantiquis, ac nobilibus docui, Plausus quidem nonnisi præsentibus dari consuevisse, Acclamationes autem absentibus etiam interdum factas.

CAP. XIII.

A fœminis acclamatum nonnunquam, forte non item plausum.

Ne quid porro prætermittam eorum, quæ Plausuum ab Acclamationibus differentiam possunt quoquo modo illustrare, illud etiam adjungam; fuisse ab ipsis quoque fœminis factas quandoque Acclamationes; an vero Plausus etiam fuerint dati, firme asseverare quempiam posse negabo, cum, qui rem approbet, testis certus produci nemo queat. Philosophus igitur Seneca sub epistolæ XXIX. finem de fœminis acclamantibus: *Cæterum, ait, si te videro celebrem secundis vocibus*

vulgi ; si intrante te clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota te civitate fœminæ, puerique laudaverint ; quid ni ego tui miserear, cum sciam, quæ via ad istum favorem ferat? In Sophistæ etiam Libanii *ad Julianum Legatione* de iisdem fœminarum Acclamationibus hæc apertissime dicuntur : *Simul atque autem hæc quidem finem habuerunt, tua vero incrementum acceperunt, & occasio se obtulit mentem tuam aperiendi, Dii clamorem audiverunt, quantum antea nunquam ; tum virorum, qui non Theatrum tantum compleverant, sed etiam montis sinus ; tum fœminarum, cum pro more suo singulæ ex ædibus suis Acclamatione fausta prosequerentur ob ea, quæ hic gesta fuerant.* Extat etiam Cæsariensis Eusebii in *Ecclesiastica Historia* locus, qui facere ad hanc rem videatur, sic fere ex Ruffini interpretatione in lib. VII. cap. XXVI. conscriptus : *Verbum faciens ad plebem,* Samosatenus Paulus, *jactare supra modum dexteram, ac palmam fœmori illidere, pede quoque subsaltare, ac scabellum ferire cum sonitu. Ab Auditoribus vero non favorem, neque plausum sperare solum, sed Theatrali more Oraria moveri sibi expetebat, & vocem tanquam de caveis dari. Hæc non solum a viris, sed etiam a mulieribus indecenter expectabantur.* Hæc eadem ab Eusebio accepta narravit nobis Callisti filius Nicephorus in *Ecclesiastica Hist.* libr. VI. cap. XXX. hoc pacto : *Subinde fœmur manu pulsans, & suggestum pedibus quatiens; quod si qui hæc non laudarent, &, quod in Theatris fieri solet, fasciarum tenuium jactatione, & concussione non applauderent, quive non acclamarent ; atque itidem, ut qui circa ipsum stabant factionis ejus exilirent, ab eis sibi injuriam fieri putabat. Sic enim Viri, & Mulieres Concionantem indecore ad modum audiebant.* Quæ quidem extrema Eusebii, ac Nicephori verba, si non evincunt necessario, factas a fœminis Acclamationes, Plaususque etiam datos, at saltem significant haud obscure, Concionantem Samosatenum Paulum, qua erat superbia, animique elatione, a fœminis audientibus idipsum, licet indecorum, & forte etiam insolens, ac insuetum, expetisse tamen vehementer, avideque expectasse. Maneat igitur, de Acclamationibus quidem firme asseverari posse, factas illas a fœminis etiam quandoque ; an vero fuerint ab iisdem Plausus quoque dati, nondum certum haberi.

CAP. XIV.

A stantibus æque & factas Acclamationes, & Plausus datos.

ET hæc quidem omnia, quomodo differant inter se Plausus, & Acclamatio, aperiunt: in quo porro conveniant, deinceps nobis explicandum videtur. Atque in eo si dicam potissimum convenire, quod a stantibus æque & Plausus darentur, & fierent Acclamationes, nihil mentiar.

De Plausibus quidem locus extat in M. Tullii epist. XIX. libr. II. *ad Atticum*, qui eos a stantibus datos sic approbet : *Inimici erant Equitibus, qui Curioni stantes plauserant, hostes omnibus.* Idem M. Tullius, hoc ita fieri consuevisse, in *Lælio* his quæ subscripsi verbis docuit : *Qui clamores tota cavea nuper hospitis & amici mei M. Pacuvii in nova fabula?* &c. *Stantes plaudebant in re ficta, quid arbitramur in vera fuisse facturos?* Cognoscitur idipsum ex Suetonio, cum hæc ait in *Augusto* cap. LVI. *Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab universis in Theatro, & a stantibus plausum, gravissime questus est.* Propertius quoque hujusce consue-

A tudinis testimonium dat, cum in Elegia XVI. libri III. scribit in hunc modum ;

I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
Stantiaque in Plausum tota theatra juvent.

Etiam Martialis videtur rem eandem haud obscure significasse, cum in X. lib. epigrammate X. ita cecinit.

Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus?

B vitio enim vertit Paullo inibi Martialis, quod, cum usitato more surgeret ipse, ut recitantibus plauderet, Paullus tamen contra morem sedens manus ad plaudendum moveret. Phædrus tandem de re eadem planissime *Aesopiarum Fabularum* libro quinto in *Tibicine procaci :*

In Plausus, inquit, *consurrectum est. Jactat basia*
Tibicen, gratulari fautores putat.

At vero Acclamationes quoque a stantibus factas, L. Apuleii ex *Apologia* locus hic ostendit, in quo est : C *Sophocles, Poeta, cum accusaretur a filio suomet dementiæ, quasi jam per ætatem desiperet, protulisse dicitur Coloneum, suam peregregiam Tragoediarum, quam forte tum in eo tempore conscribebat, eamque Judicibus legisse : nec quidquam amplius pro defensione sua addidisse, nisi ut audacter dementiæ condemnarent, si carmina senis displicerent. Ibi ego comperior, omnes Judices tanto Poetæ assurrexisse, miris laudibus eum tulisse ob argumenti solertiam, & cothurnum facundiæ.* Cum enim surrexissent Judices, ut Sophoclem honore afficerent, videntur etiam sic stantes eidem fauste acclamasse. Similiter apud Quintilianum *de Institutione Oratoria* lib. II. cap. II. eodem sensu ita scriptum D invenias : *Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi, exultandique in laudando licentia.* Et non multo post : *At nunc proni, atque succincti ad omnem clausulam non exurgunt modo, verum etiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant.* Huc etiam faciunt, quæ inferius a nobis in libro V. afferuntur, ut evincamus, Synodicas item Acclamationes fuisse a stantibus factas. tu vide, quæ inibi dicuntur.

Atque hi quidem Auctores, separatim a stantibus sive Plausus datos, sive factas Acclamationes, prodiderunt ; quos vero proxime adducam, ii & de Acclamationibus, & de Plausibus conjunctim E idipsum docent. In Aristæneti epist. XXVI. libri primi sic est : *Populus interea rectus, ac mirabundus adstat, & voces alternas melodice respondet, manusque movet, & vestem quatit. Vocibus* enim *musico modo emissis* Acclamationem, *manuum* autem *motu* Plausum significari, & ante indicatum est, & deinceps planius dicetur. Apud Philostratum in *Arrichione* ita scriptum videas ; *Clamant exilientes a sedibus ; atque hi quidem movent manus,* &c. Suetonius in *Tiberio Claudio* cap. XII. *Eosdem,* ait, F *spectacula edentes, surgens & ipse cum cætera turba, voce ac manu veneratus est.* In Arnobii demum lib. IV. *adversus Gentes* sub finem diserte scribuntur hæc: *Conclamant, & assurgunt Theatra, caveæ omnes concrepant fragoribus, atque plausibus.*

His autem ita de Plausuum nominibus, genereque multiplici, ac differentia, accurate explicatis ; essent nunc attexenda quæcunque possent de explosione, ac sibilis commode dici : verum, quia in secundo ac tertio libro hæc eadem necessario tractanda sunt, idcirco de iis hoc loco differendi, non sane est, cur suscipiatur labor. Ipsas nunc excutiamus Acclamationes.

CAP. XV.

Artificiose conceptas Acclamationes omnes.

QUID sit Acclamatio; quid, & quotuplex Plausus; quæ sint eorum nomina; quid item inter utrumque potissimum differat, quidve conveniat; ex his, quæ dicta sunt hactenus, satis manifestum putamus. Nunc nostræ sunt partes, ut, quæ communia sunt omnibus Acclamationibus, vel certe ad eas omnes possunt non incommode revocari (hoc enim ultimo loco probandum posuimus) proxime persequamur.

Omnium autem primum sit illud, Non temere, quid quisque vellet acclamatum, sed Arte quadam conceptas Acclamationes omnes. Fuerit hoc aliis forsitan minime dubium: mihi tamen quiddam occurrit, quamobrem videatur de eo posse non abs re ambigi. Certum est enim, id quod ex dicendis apparebit, non semper meditatas fuisse, ac præparatas Acclamationes, sed improvisas etiam nonnunquam, & repentinas; quæ autem repente fiunt, atque ex improviso, omnino sine arte fieri videntur. Verum hanc parvo negotio sustuleris dubitationem, si dicas, subito, ac veluti ex tempore pronunciatas quidem hujusmodi Acclamationes, non tamen ex improviso, ac repente conceptas. siquidem extabant earum usitatæ quædam, ac pervulgatæ quasi formulæ, artificiose conceptæ, quibus ad res, sive improvisas, nec opinatas, sive expectatas, atque prævisas, uterentur acclamantes. Producemus nos hujusmodi formulas suo loco, & accurate exponemus. Cæterum ea ipsa, quæ deinceps, tanquam Acclamationum pene omnium communia proferemus, illud etiam manifesto comprobabunt, fuisse illas nonnisi artificiose conceptas. sunt autem hæc fere ejusmodi, Ad musicos omnino modos pronunciatas Acclamationes; alternis quidem interdum, interdum ab omnibus simul acclamantibus. Eadem inter acclamandum non raro iterata. Non plenas, ac veluti decurtatas, emissas quandoque Acclamationes. Carmine aliquando conceptas. Jurejurando firmatas, ac conclusas nonnunquam. In Acta publica relatas, atque in ære etiam incisas. & alia, neque pauca, neque vulgaria, his similia. quæ, sicut vel omnium pene Acclamationum communia sunt, vel certe ad eas possunt apte revocari; item Arte quadam conceptas omnes, ita patefaciunt luculenter, nihil ut fieri queat illustrius. Ea mox omnia nos, datis in res singulas testibus incorruptis ex antiquorum auctoritate, ac fide gravi, & certa, considerabimus; a concentu ordientes, quem in Acclamando effici ac servari solitum dicebamus.

CAP. XVI.

Contentis omnino vocibus factas olim Acclamationes. Etiam usque ad ravim, hoc est, ad vocis usque defectum fuisse nonnunquam acclamatum.

DE Acclamationum concentu musicisque modis loquar, si prius de vocibus contentis, quibus eæ fieri solebant pauca prædixero. Ac contentius quidem semper pronunciatas olim Acclamationes, præter quam quod satis indicant, & ipsum nominis Etymon a clamore, ut dixi, derivatum, & quæ mox suggeram de concentu in Acclamando effici, ac servari solito: ex eo præterea fit planum, quod Acclamationes, quemadmodum supra posui in capite III. *κραυγὰς*, & *θορύβυς*, hoc est, *vociferationes*, ac *tumultus* ipsumque acclamare, *βοᾷν*, *ἐκβοᾷν*, *ἀλαλάζειν*, *ἐπικράζειν*, *ἐπκραυγάζειν*, quod est, *vociferari*, ac *perstrepere*, Veteres nominarunt. Quam eandem ob caussam *Sophos* (de qua nos acclamandi formula loco dicemus) appellatum est a Martiali *grande* interdum, interdum *magnum*, aliquando *insanum*, quandoque *tergeminum*: quod scilicet nonnisi magna & contenta voce pronunciari soleret. Idipsum etiam puto ex Suetonio satis ostendi, apud quem in *Caligula* capite VI. dicitur Tiberius ex somno excitatus faustis populi acclamantis vocibus: *Expergefactus*, inquit Suetonius, *e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium, Salva Roma, Salva Patria, Salvus est Germanicus.* Sed planius omnino Aurelius Victor, Paulus Diaconus, & Apollinaris Sidonius, dum usque ad ravim, hoc est, ad vocis usque defectum, fuisse nonnunquam acclamatum affirmant. eorum verba, aliam in rem superius adducta ad faciendam huic etiam fidem adscribam libenter. Aurelius Victor in *Pertinace*, & ex eo Paulus Diaconus in X. *Miscellæ Historiæ* libro, de eodem Pertinace loquentes: *Huic mortuo*, ajunt, *Divi nomen decretum est; ob cujus laudem ingeminatis ad vocis usque defectum plausibus acclamatum est*, &c. Apollinaris autem Sidonius in Epistola III. lib. IX. *Licet*, inquit, *prædicationes tuas, nunc repentinas, nunc, cum ratio poposcisset, elucubratas raucus plausor audierim*, &c. loquitur Sidonius de Acclamationibus, & Plausibus Fausto Rejensi Episcopo concionanti datis.

CAP. XVII.

Ad rythmum, musicosque modos pronunciatas olim Acclamationes, tam Faustas, quam Infaustas.

QUAS porro diximus solitas emitti contentius Acclamationes, non inconditos illas, ac dissonos fuisse clamores, verum suaves omnino, & ad rythmum, modosque musicos accomodatas voces, magna auctoritate multi prodiderunt. Probant autem hoc aperte adducta a nobis in superiori capite Tranquilli verba in *Caligula* ex capite sexto, ubi referens Romani populi Acclamationes absenti Germanico ob restitutam sanitatem factas, qui acclamant, hoc *concinentes* dixit: *Expergefactus*, Tranquilli verba sunt, *e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium, Salva Roma, Salva Patria, Salvus est Germanicus.* Idem Suetonius in *Nerone* cap. XX. Alexandrinorum Acclamationes commemorans, quibus Nero mirifice delectari consueverat, & ad quarum deinde similitudinem Romæ Plaudentium & Acclamantium factiones instituit, eas utique *modulatas* appellat: *Captus*, inquit de Nerone, *modulatis Alexandrinorum laudationibus*, &c. *Adolescentulos Equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui, divisi in factiones, Plausuum genera condiscerent.* Nec aliud certe puto nobis indicari iis Taciti verbis, *Plebs personabat certis modis*, superius a nobis ex XVI. *Annalium* lib. prolatis. Plausibus etenim jungens inibi Tacitus Acclamationes, Neroni in Theatro cithara canenti factas, sicut illos nonnisi artificiose datos, ut dictum est, has item canoras omnino, & ad musicos editas modos prodit: *Et plebs quidem*, ait, *Urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis, plausuque composito.* Etiam Taciti æqualis, & amicus C. Plinius sententiam hanc eandem confirmat, dum populi Acclamationes *concentum* appellat, *teneros clamores*, & *cantica*. *Concentum* quidem in *Panegyrico ad Trajanum*, scribens hoc pacto non multo post initium, *Et populus Romanus dilectum Principem servat, quantoque paulo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat; quibusque aliquando clamoribus gestum alterius, & vocem, hu-*

jus pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat. atque etiam ibidem, sed multo post, hoc modo; *Rogatus es tu, quod cogebat alius, cœpitque esse beneficium, quod necessitas fuerat. Neque enim a te minori concentu, ut tolleres pantomimos; quam a Patre tuo, ut restitueret, exactum est.* Teneros autem *Clamores*, & *Cantica*, in Epist. XIV. lib. II. iis verbis, *Pudet referre, quæ quam fracta pronunciatione dicantur, quibus quam teneris clamoribus excipiantur. plausus tantum, ac potius sola cymbala, & tympana illis canticis desunt.* Cassius item Dio in *Pertinace*, Acclamare, ἐῤῥύθμως ἐκβοᾶν, dixit, hoc est, *concinne*, seu *modulate clamare*, & *canere*. Ejus verba ex lib. LXXIII sic Latine convertas: *Tum omnia, quæ in Theatris dicere in honorem Commodi consueverant concinnis quibusdam clamoribus, ea versa in contumeliam canebant illudendi causa.* Ex quo Dionis loco plane licet intelligi, non *faustas* modo, sed *infaustas* etiam Acclamationes fuisse *ad rythmum, musicosque modos* pronunciatas. Cognoscitur illud idem ex Apuleii *Apologia*, in qua *congruentissima voce, ad musicos* videlicet *inflexa modos*, acclamatum dicitur. *Dissero*, inquit Apulejus, *aliquid postulantibus amicis publice. Omnes, qui aderant, ingenti celebritate Basilicam, qui locus Auditorii erat, complentes, inter alia pleraque congruentissima voce insigniter acclamant, petentes, ut remanerem fieremque civis Oeensium.* Aristænetus quoque in Epist. XXVI. lib. I. *Populus*, ait in hanc rem, *interea rectus, ac mirabundus adstat, & voces alternas melodice respondet.* Africanus item Corippus in libro II. cecinit in hunc modum:

——— *ingens fremit undique murmur,*
Ingeminantque cavos dulci modulamine Plausus.

Sed longe manifestius Cassiodorus in primo *Variarum* epistola XXXI. In ea enim populi Romani lasciviam in spectaculis edicto coercens Theodoricus, Italiæ, & Gothorum Rex, de Acclamantibus ita loquitur: *Soletis aera ipsa mellifluis implere clamoribus, & uno sono dicere, quod ipsas quoque belluas delectet audire: profertis voces organo dulciores, & ita sub quadam harmonia citharæ concavum Theatrum per vos resonat, ut tonos possit quilibet credere potius, quam clamores.* De Ecclesiasticarum item Acclamationum concentu, musicisque modis, alibi dicimus.

CAP. XVIII.

Musicum in acclamando concentum alternis factitatum interdum, interdum ab omnibus simul acclamantibus. Acclamandi signum fuisse in Auditoriis a Mesochoro datum, quemadmodum vel canendi in Veterum Choris a Coryphæo, vel a Portisculo seu Pausario in navibus remigandi.

QUÆRAT hic aliquis forsitan, Cum Musicus iste in acclamando concentus duplici posset modo; altero, ab acclamantibus omnibus una canentibus; altero, præcinentibus aliis, aliis succinentibus; ex his duobus, quemnam potissimum tenuisse Veteres, censere oporteat. Equidem non dubito, quin fuerit uterque modus a Priscis promiscue usurpatus.

Si enim ad Cassii Dionis verba ex extremo LXI. libro respicias, eum alternis omnino factum dices. Siquidem de Acclamationibus in Neronem, citharа in Theatro publice canentem, emissis loquens, præcinuisse ait Augustales (erant hi homines a Nerone ad id potissimum electi & instituti, ut canenti sibi acclamarent & plauderent) cæteros omnes succinuisse. Dionis verba, ex eo quem dixi libro, sunt hæc: *Assistebant ei Burrus & Seneca, ut magistri, suggerentes aliquid: cumque dixisset,*

A *plaudebant manibus & vestimentis, ut reliquos ad idem faciendum inducerent. Erant ob eam causam parata quinque millia militum, qui, Augustales nominati, incipiebant eum laudibus extollere; post hos cæteri omnes inviti acclamare cogebantur: atque in primis nobiles viri studiose simul & ingemiscentes omnia comprobabant, quæ ab Augustalibus dicta essent atque una simulata lætitia conclamant.* Idipsum etiam ante Dionem discere licet ex Livii libro IV. de Cajo Valerio triumphante scribentis in hunc modum: *Cum ex Senatusconsulto urbem ovans introiret, alternis inconditi versus militari licentia jactati: quibus Consul increpitus Menenii celebre nomen laudibus fuit,*
B *cum ad omnem mentionem Tribuni favor circumstantis populi plausu & assensu cum vocibus militum certaret.* Fescenninos etiam versus a pueris in nubentes alternis omnino acclamatos tradunt Horatius, Livius, & alii; quorum testimonia producuntur a nobis in sexto Libro. Aristænetus item testificatur, fuisse nonnisi alternis Panaretæ pantomimæ acclamatum; *Populus*, inquit in epistola XXVI. lib. I. *interea rectus ac mirabundus adstat, & voces alternas melodice respondet.*

Sin autem Platonis ex *Euthydemo*, & Caii Plinii ex epist. XIV. libr. II. locos spectes; ne non ab
C omnibus simul acclamantibus efficeretur, non injuria dubitaveris. etenim narrant hi, fuisse unum aliquem in Auditorum corona (*Magistrum* appellat Plato, Plinius μεσόχορον) qui signum opportune daret; quo dato cuncti simul acclamandi initium facerent. Sunt hæc ipsa Platonis verba: *Cum hæc ille dixisset, quemadmodum Chorus, signum dante Magistro, summo plausu conclamarunt, & riserunt omnes ii, qui Euthydemi, & Dionysodori partes sequebantur.* Plinii autem locus ita scriptus est; *Heri duo nomenclatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur: tanti constat, ut sis disertissimus:*
D *hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur: hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσόχορος dedit signum; opus est enim signo apud non intelligentes, ne audientes quidem; nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant.* Hæc sunt Platonis, & Plinii, planissime meo judicio scripta; ut eos mirer, qui ex hisce locis, alternis factas Acclamationes crediderunt; Magistrum, ac μεσόχορον, *præcentorem* interpretantes. Errorem quorum ea certe verba, *signum dante*, & *Dedit signum* plane coarguunt. Nimirum, quemadmodum in Veterum Choris erant τοῦ χοροῦ κορυφαῖοι, qui pede terram, aut pulpitum tundentes, ca-
E nendi signum ac modum cæteris dabant, neutiquam canentes ipsi, vel certe cum reliquis una canentes (id quod nunc etiam fit in Musicis concentibus ab eo, qui, librum aut mensam levata positaque manu feriens, cantici modulationem temperat ac moderatur), quemadmodum etiam in navibus erat unus aliquis (*pausarium* appellavit hunc Seneca in epist. LVI. Plautus in *Asinaria portisculum*) qui, nequaquam ipse remigans, remigibus tamen remigandi modos ac signum daret: sic aderat in Auditoriis Magister, seu μεσόχορος, qui cunctis signum acclamandi daret, minime acclamans ipse, vel certe una cum cæteris acclamans.

F Tales sunt ergo Platonis ac Plinii loci; talis est expressa illorum hac de re sententia. Ut jam satis liqueat, Et duplici modo effici potuisse hunc in acclamando concentum, & utrumque promiscue fuisse Veteribus usurpatum.

A

CAP. XIX.

Carmine conceptas aliquando & pronunciatas Acclamationes.

UT certum est igitur, contentis quidem semper, sed ad Musicos tamen omnino modos proferri solitas Acclamationes; sic & illud minime dubium, fuisse easdem carmine nonnunquam conceptas ac pronunciatas. Argumento sunt, tum dicteria, ac joculares illæ Acclamationes, quas, carminibus plane conceptas, scimus olim a militibus jactatas in triumphantes Imperatores; tum obscæni illi, mollicieque ac lascivia diffluentes versus, quos & *Fescenninos* appellavit antiquitas, sive quod fascinum arcere putarentur, sive quod essent ex urbe Fescennina primum allati, & nubentibus olim puerorum multitudo impune acclamare consuevit. Possum equidem Dionysii Halicarnassæi, Cassii Dionis, Horatii, Livii, Suetonii, Velleii Paterculi, Plinii, & aliorum, tum Græcorum, tum Romanorum, testimoniis hæc, quæ dixi de jocularibus in triumphantes, & obscænis in nubentes, conceptis carmine, ac pronunciatis Acclamationibus confirmare; sed, quoniam sunt ea necessario proferenda, cum in Sexto hujus Operis libro Militares, ac Nuptiales persequemur Acclamationes, idcirco placet nunc illa præterire, ne objicias, eadem a me sæpius inculcari. Suetonius autem firmum hujus rei testimonium dat, dum in *Caligula* cap. VI. hæc ait fuisse ab universo populo in Germanicum sanitati reductum fauste acclamata:

Salva Roma, Salva Patria, Salvus est Germanicus:

his enim verbis trochaicum integrum versum omnino effici, adnotarunt ad Suetonium Viri docti. Rem eandem Tertullianus planissime confirmat. in *Apologetici* capite XXXV. scribens in hunc modum: *Jam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset, cujus non præcordia insculpta apparent novi ac novi Cæsaris scenam in Congiario dividundo præsidentis? etiam illa hora, qua acclamant,*

De nostris annis tibi Jupiter augeat annos.

Ad quam certe veterem Acclamandi formulam & ante Tertullianum Ovidius, & post B. Ambrosius animum intendisse possunt videri, cum in primo *Fastorum* libro alter, imperium longum, multosque annos Augusto precaturus, ita canit,

Augeat Imperium nostri Ducis, augeat annos.

alter vero in Oratione de obitu Valentiniani Imperatoris dum scribit in hæc verba: *Quod si me ad istum revocatis dolorem, quod cito excessit e vita; nec ego abnuo, immatura obiisse ætate, quem nostræ vitæ temporibus fulcire cuperemus, ut de nostris annis viveret, qui fungi non potuit suis.* Huc etiam si quis dixerit pertinere vota illa in Synodorum Acclamationibus pro Imperatorum, ac Episcoporum salute in hunc fere modum concipi solita, *Multos annos Augustis, Patriarchis multos annos; Multi sint anni Patriarchæ, multi anni Imperatoris, multi anni Augustæ*; & hujusmodi alia pene innumera, quæ extant passim in Synodorum Actis, & a nobis infra loco accurate exponentur, id ei nos quoque non gravate concesserimus. Ceterum ex iis Tertulliani verbis, quæ mox supra posui, hanc carmine conceptam Acclamationis formulam in Congiarii potissimum largitione solitam usurpari, facillime possumus intelligere. qua de re infra.

CAP. XX.

Fuisse multa identidem inter acclamandum iisdem verbis iterata. Indicatur ejus rei causa.

VERE conclusum igitur, contentis quidem, sed canoris tamen, & ad musicos omnino modos accommodatis vocibus factas olim Acclamationes. Quemadmodum autem fieri videmus in quibusdam cantionibus, ut eadem ex intervallo repetantur, sic multa fuisse in iisdem Acclamationibus identidem iterata reperio. Historiæ Augustæ Scriptores, Spartianus, Vulcatius, Lampridius, Capitolinus, Trebellius, & Vopiscus, hujus consuetudinis testes idonei sunt. apud eos enim licet passim videre, iterum ac tertio inter acclamandum iisdem omnino verbis, & repeti vota ad Deos pro bonorum Imperatorum salute, eorumque virtutes laudibus efferri, & execrationes fieri pro malorum exitio, eorumque vitia exagitari. Id quod etiam in Ecclesiasticis Conciliis, tam pro Pontificum ac Principum salute ac laudatione, quam pro Hæreticorum exitio & vituperatione, sæpe factitatum ab acclamantibus, alibi observo. Aelius autem Lampridius in *Alexandro Severo* ex Actis ea retexens, quæ & Senatus acclamans diceret Alexandro, cum ei vellet *Antonini* & *Magni* nomen deferre, & Alexander ipse responderet, illud idem nomen recusans, hæc subjicit, morem nostrum aperte confirmantia: *Item acclamata quæ supra.* Et aliquanto infra, *Item acclamatum ut supra.* Et paulo post, *Et cum hæc diceret, acclamatum est ut supra.* Et inferius, *Et cum sæpius dicerent*, &c. Quæ quidem, multa inter acclamandum identidem repetita, satis ostendunt. Trebellius quoque Pollio, Valeriano factas a Senatu Acclamationes commemorans, ut eadem in iis crebro iterata ostendat, ista subjungit: *Quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt, Omnes.* Flavius demum Vopiscus, emissas publice a populo in Valerianum victorem Acclamationes referens, ludrica hæc etiam a pueris inter saltitandum sic iterata scribit: *Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus. Unus homo, mille, mille, mille decollavimus. Mille, mille: mille vivat, qui mille, mille occidit*, &c. Hæc utique res eadem, quantum ego existimare possum, dilucidius omnino patebit, si meminerimus, ex iis non paucos, qui posteris Veterum Acclamationes scribendo tradiderunt, illum etiam diligenter adnotasse, *Quoties quidque fuisset in iis iteratum*: ex quo sequitur necessario, ut multa inter acclamandum identidem repeterentur. atque hinc emanant illa veterum, tam prophanorum, quam Ecclesiasticorum Scriptorum, dum factas referunt Acclamationes, *Dictum quinquies, Dictum sexies, Dictum septies, Octies, Decies, Vicies, Trigies, Quadragies, Sexagies*, & similia. quorum exempla commemorare, minime quidem in præsentia necessarium ducimus, cum ea in XXVI. hujus libri capite, undique petita, subjiciantur. illinc afsumes, quæ ad hunc locum pertinebunt. Maneat igitur, multa fuisse inter acclamandum iisdem sæpius verbis iterata.

Quærat hic aliquis forsitan, quid sit causæ, cur acclamantes multa identidem repeterent: quibus ego, ut brevi satisfiat, respondere non dubitarim; factum id, ut majorem animi eam in rem testarentur affectum. quam eandem ob causam firmatas puto interdum jurejurando Acclamationes, ut non multo post dicemus. Pergo nunc ad cætera.

CAP. XXI.

Non plenas interdum, ac veluti decurtatas fuisse Acclamationes; ita nimirum pronunciatas, ut ad perfectam earum intelligentiam aliquid omnino subaudiri oporteret. Has etiam acclamandi formulas, Hosanna filio David, *&* Christianos ad Leonem, Christianos ad bestias, *semiplenas fuisse & quasi imperfectas.*

QUemadmodum autem sæpe in statuarum ac sepulchrorum Inscriptionibus notata quædam videas, semiplena duntaxat, ac veluti imperfecta, quæ vix ullum efficiant sensum, nisi quæ desunt subjiciat doctus & intelligens lector; sic inter acclamandum multa reperio fuisse non raro pronunciata, mutila adeo ac decurtata, ut ad perfectam earum intelligentiam, aliquid omnino subaudiri oporteat. Plena est semiplenarum hujusmodi Acclamationum antiquitas: ex quibus has nos illustriores seligemus.

Cassius igitur Dio libro LXIII. in Nerone: *Acclamabant*, inquit, *omnes, & Senatores imprimis, Ova Olympionica, Ova Pythionica. Auguste. Auguste. Neroni Herculi, Neroni Apollini.* Hæc utique haud plena est Acclamatio; compleveris illam, si, *Fausta omnia optamus, ac precamur*, aut aliquid tale, subjicias. Videntur porro eadem omnino verba illi quoque Acclamationi subjungenda, quam in Commodum Antoninum emissam commemorat Vulcatius Gallicanus, sic scribens in *Avidio Cassio* cap. XIII. *Commodo Antonino Tribunitiam potestatem rogamus; præsentiam tuam rogamus; philosophiæ tuæ, patientiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitati tuæ, innocentiæ tuæ.* Et ei, quam Alexandro Severo factam in hæc verba prodit Aelius Lampridius in *eodem Severo* cap. X. *Alexander Auguste, Dii te servent. Verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ.* Et ei, quæ eidem Severo a Senatu facta extat apud eundem Lampridium ibidem cap. LVI. *Alexander Auguste, Dii te servent. Persice Maxime, Dii te servent. Juveni Imperatori, patri patriæ, pontifici maximo.* Item illi, quam in Gordianum emissam tradit Capitolinus in *Gordianis tribus* cap. V. his verbis: *Novo Scipioni, vero Scipioni, Gordiano Proconsuli.* Nec non illi, quam refert Sextus Aurelius Victor in *Pertinace*, & ex eo Paulus Diaconus in X. *Miscellæ Historiæ* libro, hoc pacto conscriptam: *Pertinace imperante securi viximus, neminem timuimus. Patri pio, patri Senatus, patri omnium bonorum. Fausta* nimirum *omnia optamus ac precamur.* Apud eundem Lampridium in *Commodo Antonino* cap. XVIII. non semel ita acclamatum videas, *Gladiatorem in Spoliario.* subaudi, *poni* vel *laniari volumus.* Paulo post: *Fidei Prætorianorum feliciter. Prætoriis cohortibus feliciter. Exercitibus Romanis feliciter. Pietati Senatus feliciter. Victoriæ populi Romani feliciter. Fidei militum feliciter.* hoc est, *evenire optamus*, aut *speramus*. Ibidem mox, *Exaudi Cæsar, delatores ad leonem. Exaudi Cæsar, Speratum ad leonem.* nempe, *deposcimus*. Et statim, *Hostis statuas undique, parricidæ statuas undique, gladiatoris statuas undique.* nimirum, *detrahimus*, vel *abolemus*. Et infra, *Ut securi simus, delatoribus metum, delatoribus fustem, te salvo.* scilicet, *decernimus*, Et sub finem, *Indices de Senatu, servorum subornatores de Senatu.* subintellige, *moveantur*, vel *exeant*, aut *ejici volumus*. Quæ item apud Trebellium Pollionem in *Divo Claudio* cap. ult. habetur acclamatio, ejusmodi est, ut aliquid omnino subaudire necesse sit: *Claudi*, ait inibi acclamans Senatus, *dux fortissime habeas virtutibus tuis, devotioni tuæ. justum* nimirum *ac debitum honorem.*

A Et post pauca, *Felicem te Claudi judicio Principum. Felicem te virtutibus tuis. Consulem te, te Præfectum*, adde *statu mus*, aut *cupimus*. Apud Aelium rursus Lampridium & in *Antonino Diadumeno* cap. I. *Jupiter optime maxime, Macrino & Antonino vitam.* & in *Alexandro Severo* cap. VII. *Antoninorum Alexandro vitam. longam* videlicet seu *quietam & tranquillam optamus*. Illa quoque mutila est, quam refert Aelius Spartianus emissam a Senatoribus in Pescennium Nigrum, *Illum Principem superi, illum Augustum.* perfecta erit, si addas, *dent nobis*. Quæ præterea apud Suetonium legitur a populo facta in Tiberium mortuum acclamatio, imperfecta omni-
B no est: *Morte ejus*, inquit Suetonius in *Tiberio* cap. LXXV. *ita lætatus est populus, ut ad primum nuncium discurrentes, Tiberium in Tiberim clamitarent.* sunt autem ea verba subaudienda, *abjici volumus*. Trebellius iterum Pollio in *Valerianis* cap. I. *Quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt*, Omnes: *atque ita discessum est.* Flavius etiam Vopiscus in *Tacito* cap. VII. *Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus Senatorius ordo concussus, statimque acclamatum est*, Omnes, Omnes. Et in *Probo* cap. XIII. *Post hæc acclamatum est*, Omnes, Omnes. Hic autem subintelligi oportere, *Idem rogamus*,
C aut, *ad idem consentimus*, nemo non videt. siquidem hac una voce, *Omnes*, communis omnium consensus in acclamando significari solebat, quemadmodum loco docebimus.

Esset equidem facile, exemplis non paucis, ex Ecclesiastica item Historia petitis, eandem veritatem confirmare; sed hic unum aut alterum attulisse contenti erimus, cæteris in V. hujus Operis librum apposite reservatis. In Matthæi itaque *Evangelio* cap. XXI. hæc a turbis Christo Domino Hierosolymam ingredienti fauste acclamata legimus. *Hosanna filio David.* quæ verba, cum multiplicem omnino habeant sensum, ut alibi dicimus, commo-
D de tamen possunt, meo judicio, ac congruenter accipi & exponi distincta hoc modo & interpuncta, *Hosanna. Filio David.* hoc est, *Salvum fac obsecro. Filio David.* hic autem subaudi, *hoc precamur*, seu *hanc a Deo salutem optamus*. ut semiplena sit ac imperfecta hæc acclamandi formula, & nonnisi iis aut similibus verbis compleri ac perfici queat. Atque huic sane Acclamationi non plenæ valde consimilis ac pene gemina ea est, quam Alexandro Severo factam paulo ante protulimus ex Aelio Lampridio in *eodem Severo* cap. LVI. ita conscriptam: *Alexander Auguste, Dii te servent. Juveni Imperatori, Patri Patriæ, Pontifici maximo.* ete-
E nim hic etiam, ut sensus perficiatur, ista aut similia, ut dictum est, subintelligenda sunt, *hanc a Diis salutem optamus*, aut *precamur*. Sed de voce *Hosanna*, ab acclamantibus turbis usurpata, plura dicturi sumus in VII. libro. Fuit illa quoque vulgaris ac pervagata Gentium in Christianos Acclamatio, *Christianos ad Leonem, Christianos ad bestias*, de qua meminere Tertullianus in *Apologetici* cap. XL. & cap. ultimo, in libro *de Resurrectione carnis* cap. XXII. in lib. *de Spectacul.* cap. XXXVI. & in lib. *de Exhortat. Castitatis* cap. XII. Cyprianus in Ep. LV. *ad Cornelium Papam*, Pontius Diaconus in *ipsius Cypriani Vita*, Ruffinus in *Historia Ecclesiasti-
F ca* lib. IV. c. XV. & alii. Quis nescit autem, semiplenam eam ac veluti decurtatam fuisse? quam plenam reddideris, si *deposcimus*, aut, *postulamus*, subjungas. De qua formula hæc satis pro tempore. uberius enim in extremo hujus operis libro eadem retractabitur. Accedo jam ad Jusjurandum, quo solebant aliquando firmari Acclamationes.

CAP. XXII.

Jurejurando firmatas nonnunquam & conclusas a Veteribus Acclamationes, ut se, non ficte ac simulate, sed vere & ex animo acclamasse testarentur.

JUnior Plinius in eo, quem Trajano dixit, *Panegyrico*, Principes admonet, ut *discant, veras a falsis discernere Acclamationes*. Nimirum sciebat, eas extorqueri nonnunquam solere Principum vi quadam ac metu. Sic Neroni, ut de cæteris nunc taceam, in Theatro cithara canenti spectatores inviti acclamare cogebantur, quemadmodum in Nerone sub libri LXI. finem testificatur Dio Cassius in hunc modum scribens: *Erant ob eam causam parata quinque millia militum, qui*, Augustales *nominati, incipiebant eum laudibus extollere; post hos cæteri omnes inviti acclamare cogebantur*. Et paulo post: *Reliqui*, ait, *atque inprimis nobiles Viri, studiose simul & ingemiscentes omnia comprobabant, quæ ab Augustalibus dicta essent, atque una simulata lætitia conclamabant*. Quo loci verba illa, *inviti, cogebantur, ingemiscentes, simulata lætitia*, quæ dicimus satis ostendunt. Interdum etiam assentatorie emittebantur. id quod in Charactere *de Adulatione* affirmat apertissime Theophrastus; & tales omnino fuisse crediderim Acclamationes illas, *Divinitus, Divino instinctu*, quas & *insuetatas voces, feroque in Auditoria introductas*, dixit Plutarchus in libello *de Auditione*, & graviter reprehendit in eo libro, qui inscribitur, *de se ipso sine invidia laudando*; quo loci subdit, eos, qui *Divinitus*, sibi dici in declamando patiuntur, *moderatorum hominum, ac humanorum laudem amittere*. Præterea redimebantur sæpe Acclamationes prece, pretio, sportulis, cœnarum impensis, vestium largitionibus, aliisque pollicitationibus, & artificiis: quæ omnia cum sint a nobis accurate in libro III. pluribus patefacienda, de iis nihil dicam hoc tempore. Ex dictis autem facillime quivis unus perspexerit, multas olim fuisse, non modo veras, sponteque factas, sed falsas etiam, atque artificiose extortas Acclamationes. Ut nemini tandem mirum videri debeat, si nonnunquam Acclamatores, ut se, non ficte ac simulate, sed vere & ex animo, acclamare testarentur, jurejurando ipsas firmarint Acclamationes.

Ac Plutarchus quidem in eo, quem dixi, *de Auditione* libro, varias recensens Acclamationum formulas in Declamantes emissas, ritum hunc etsi damnat, exprimit tamen apertissime, scribens hoc pacto: *Vehementer etiam molesti sunt, qui jurejurando adhibito, veluti in foro testimonia dicentibus perhibent*. Lucianus in *Zeuxide*, faustas referens Acclamationes, quibus, ob dicendi potissimum novitatem ac peregrinitatem, fuerat declamans ipse ab Auditoribus exceptus, eas item jurejurando, *per Herculem*, firmatas scribit in hunc modum: *Caput & summa laudationum hæc illis fuit, & omnes uno ore unam eandemque sententiam præseferebant, confirmantes, Orationum mearum compositionem & sententiam peregrinam esse, ac multum in se complecti novitatis. Multo vero satius est, eadem illa verba commemorare, quibus illi tum usi fuere. O novitatem, inquiunt. O, Hercules, dictionem inauditam*. In Arriani Commentariis de Epicteti Disputationibus libro III. cap. XXIII. acclamatio quædam hoc jurejurando, *Ita salvus sim*, concluditur: *Dudum*, inquit, *laudatus circumibas, & omnibus dicebas, Quis tibi visus sum? Mirabilis Domine, Ita salvus sim*. Cassius etiam Dio sub finem libri LXI. multas enumerans factas Neroni in Theatro canenti a Spectatoribus Acclamationes, eas tandem narrat fuisse jureju-

A rando, *Per ipsum Cæsarem*, terminatas: *Tum*, ait, *licebat audire, qui ita dicerent, Quam pulcher Cæsar, Apollo, Augustus, unus veluti Pythius. Nemo te, per ipsum te Cæsarem, vincit Cæsar*. Cognoscimus hoc idem ex Ælio Lampridio in *Commodo Antonino*, ubi, cum alia in Commodum infauste, tum ista fauste in Pertinacem acclamata prodit: *Ut salvi simus, Jupiter optime maxime serva nobis Pertinacem. Te salvo salvi & securi sumus*. Atque ut vere & ex animo a Senatoribus hæc acclamata significaret Lampridius, ista narrat illico ab iis subjecta, *Vere, vere. modo vere. modo digne. modo vere*, &c. Fabius item Quintilianus, ita ut
B duo superiores, ritum hunc, licet paulo obscurius, complecti videtur, cum sub initium capitis v. ex lib. VIII. *Institut. Oratoriarum* inquit hoc pacto: *Sententiam Veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. id cum est apud Oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet; nam & juraturi, Ex animi nostri sententia, & gratulantes, Ex sententia, dicimus*. Gratulantes enim crediderim proinde accipiendos hoc loco, quasi, *Fauste acclamantes*, dixisset Quintilianus. Sed Codicis Theodosiani locus in 7. lib. tit. 20. qui est *de Veteranis*, planissime omnino morem hunc declarat: in eo enim ita est: *Cum introisset*, Constanti-
C nus, *principia, & salutatus esset a Præfectis, & Tribunis, & Viris eminentissimis, acclamatum est, Auguste Constantine, Dii te nobis servent. Vestra salus, nostra salus. Vere dicimus, jurati dicimus*, &c.

CAP. XXIII.

Acclamationes omnes, sive Sacras, sive Prophanas, bona vota habuisse & laudationes, si faustæ essent; si infaustæ, execrationes & convicia eorum, quibus fiebant. Declaratum, quibus potissimum ver-
D *bis concipi solerent & bona vota, & execrationes?*

QUoniam hic de re agitur pene ex toto manifesta, equidem existimarim, recitandis ad illius probationem supervacaneis Veterum testimoniis omnino supersedendum esse. Advocentur huc ex Opere toto Acclamationes, perlegantur, expendantur diligenter; statues profecto, eas omnes, sive Sacras, sive Prophanas, bona vota habere & laudationes, si faustæ sunt; si infaustæ, execrationes & convicia eorum, quibus fiebant.

Perspici tamen cupio, bona faustarum vota in
E hosce fere modos concipi solita: *Dii te servent. Te cum tuis Dii custodiant. Dii immortales N. Vitam. Dii te nobis dederunt, Dii conservent. Dii te ex manibus impiis eripuerunt, Dii te perpetuent. Dii vos Principes fecerunt, Dii vos conservent. Feliciter. Felicissime. Vivas. Vincas. Valeas. Felix imperes. Multis annis imperes. Feliciter imperetis. Multi anni Regi. Multi anni Reginæ. Orthodoxis multi anni. Multos annos Imperatoribus. Multos annos Catholicis. Multos annos Senatui. Multos annos Episcopis. Regnum in sæcula permaneat. Vestrum nobis duret Imperium. Semper nobis imperetis. In perpetuum maneat vestrum Imperium. Imperium in æternum. Æternum*
F *permaneat vestrum Imperium. Imperium vestrum Deus custodiat. Deus custodiat potestatem vestram. Deus pacificet Imperium vestrum. Vestrum Imperium Deus conservet. Cœlestis Rex terrenum custodi. Christus, quem colis, ipse te servet. Pium & Christianum Imperatorem Domine conserva. Custodes fidei Domine protegas. Propugnatores Ecclesiæ Domine conserva. Imperatori Vitam Domine tribue. Exaudi Criste, N. vita. Æterna memoria Imperatori, N. perpetua memoria. Domine vitam ei. Christus te custodiat.*

Infau-

Infaustarum autem Acclamationum execrationes his ferme verbis conceptæ pronunciabantur; *Unco trahatur. In spoliario lanietur. Statuæ detrahantur. Honores detrahantur. Delatores ad leonem. Delatoribus metum. Delatoribus fustem. Memoria aboleatur. Cadaver in spoliario ponatur. Cadaver trahatur. In crucem tollatur. Ubicunque feriatur. Vivi exurantur. Caput in profluentem abjiciatur. Corpus nemo sepeliat. In Tiberim. Mortuo sedes nulla sit, nisi inter impios. Cadaveri uncus & gemoniæ. Ad leonem. Ad bestias. Areæ non sint. Effodiantur ossa. Exhumentur ossa. Malos annos. Anathema sit. Anathema, Anathema. Tolle, tolle. Tolle de terra. Crucifige.* Sed de formulis hujusmodi, sive Votorum bonorum, sive Execrationum, fortasse nimis. non enim recondita eæ observatione cernuntur, sed patent atque in promptu sunt omnibus. Ad Acclamantium laudationes, & convicia me converto.

CAP. XXIV.

Fuisse clarissimorum Virorum nomina ad laudationem, iis, quibus fauste acclamabatur; quibus autem infauste, deterrimorum ad vituperationem quandoque tributa.

UT bona vota, sic laudationes, habuisse faustas Acclamationes; infaustas autem, ut execrationes, sic convicia eorum, quibus acclamabatur, ita quidem certum puto, ut, qui rem hanc in dubium vocet, is aut nullam omnino viderit Acclamationem, aut, quid sit fauste acclamare, quid item infauste, penitus ignoret.

Tantum admonuerim, factum aliquando, ut eis, quibus fauste acclamabatur, nomina clarissimorum olim hominum ad laudationem, quibus autem infauste, deterrimorum ad vituperationem tribuerentur. Sic legimus in Dione Cassio libro LXI. Neronem fuisse ab acclamantibus, *Cæsaris*, & *Augusti*, Virorum amplissimorum atque omni laude dignorum, *Apollinis* etiam nomine vocatum. Et in lib. LXIII. idem Nero appellatur *Augustus*, *Hercules*, & *Apollo*. Rursus Nero apud Cornelium Tacitum in XIV. *Annalium* libro *Deorum* vocabulis ab acclamantibus nominatur. Sic inter acclamandum Alexandro Severo nomen *Antonini* interdum, interdum *Cæsaris*, aliquando *Augusti*, tribuitur, ut est apud Lampridium in *eodem Severo*. Sic Gordianus senior apud Capitolinum in *tribus Gordianis*, ab aliis *Scipio*, *Cato* ab aliis, a multis *Mutius*, ac *Rutilius*, aut *Lælius*, dum acclamabant, dicebatur. Idem Capitolinus in eodem libro non multo post, eundem Gordianum scribit fuisse inter acclamandum *novi* & *veri Scipionis* appellatione nominatum. Polemonem quoque Sophistam, *Demosthenis*, Atticorum Oratorum facile Principis, nomine signatum ab Acclamantibus tradit Philostratus *de Vitis Sophistarum* libro I. in *Polemone*. Idem Philostratus libro II. in *Herode* narrat, eidem Herodi nomen *unius e decem sapientibus* inter acclamandum fuisse donatum. In Hippodromo autem affirmat, *Polemonis* appellatione (hic mox ibidem *Vir Divinus* dicitur) vocatum fuisse ab acclamantibus eundem Hippodromum.

Sic in Concilio Ephesino sub capitis XV. initium Romanus Pontifex Cœlestinus, & Cyrillus Episcopus, *novi Pauli* nomine nuncupantur. Sic Martiano Imperatori in Concilio Chalcedonensi Act. I. & VI. *novi Constantini, novi Pauli, novi David*; Pulcheriæ vero Augustæ, *novæ Helenæ* nomen non semel tribuitur. Etiam Justinus Imperator, *novus Constantinus*; Augusta, *nova Helena*,

A iterum ac sæpius dicuntur in Concilio Constantinopolitano sub Menna Act. V. In Concilio item Constantinopolit. sub Agathone Papa Act. VIII. XVI. & XVII. Constantinus Pogonatus dicitur *novus Constantinus magnus, novus Theodosius, novus Martianus, novus Justinianus*. In Concilio tandem Nicæno II. Act. III. & VII. Constantinus & Irenes *novi magni Constantini, & novæ Helenæ* appellatione nominantur.

Infaustas porro Acclamationes habuisse quandoque deterrimorum hominum nomina ad eorum vituperationem, quibus acclamabatur, quæ proxime dicturus sum, fidem facient. In Concilio B Constantinopolit. sub Menna, paulo superius a nobis adducto, Act. V. Severus Manichæus *novi Judæ* nomine inter acclamandum non semel appellatur. Etiam Photio, Pseudopatriarchæ Constantinopolitano, *novi Judæ*, & *novi Dioscori* nomen ab acclamantibus tribuitur in Oecumenica Synodo VIII. Constantinopolitana IV. quæ fuit pro Ignatio contra eundem Photium celebrata. Sed hac super re nunc satis. Proferam deinceps locos, quibus in publica referri Acta, atque in æs etiam aliquando incidi solitas Acclamationes evincam.

C

CAP. XXV.

In Acta publica referri olim, atque in ære etiam incidi solitas Acclamationes omnes, tam Sacras, quam Prophanas. Afferuntur ejus rei causæ.

AT vero, ut sempiterna esset Acclamationum memoria, consueverunt prisci eas in publica referre Acta, atque etiam in ære aliquando incidere. Id quod Cajus Plinius in *Panegyrico ad Trajanum* clarissime ostendit, dum multa in Trajanum ipsum a cuncto Senatu fauste accla- D mata commemorans, tandem concludit in hunc modum: *Sed quid singula consector, & colligo? quasi vero aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quæ vos P. C. ne qua interciperet oblivio, & in publica Acta mittenda, & incidenda in ære censuistis?* Cujus quidem consuetudinis, quo magis eam nobis ante oculos poneret, originem attulit, hæc illico subjiciens: *Ante Orationes Principum tantum ejusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant. Acclamationes quidem nostræ parietibus Curiæ claudebantur: erant enim, quibus nec Senatus gloriari, nec Principes possent. has vero & in vulgus exire, & posteris prodi, cum ex utilitate, tum ex di-* E *gnitate publica fuit: primum, ut orbis terrarum pietatis nostræ adhiberetur testis & conscius; deinde, ut manifestum esset, audere nos de bonis malisque Principibus non tantum post ipsos judicare; postremo, ut experimento cognosceretur, & ante nos gratos, sed miseros fuisse, quibus esse nos gratos probare antea non licuit. At, qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus expostulatum, ne affectus nostros, ne tua merita supprimeres? denique, ut in posteros exemplo provideres. Discant & Principes Acclamationes veras falsasque discernere, habeantque muneris tui, quod jam decipi non poterunt*, &c. Talis est ergo Plinii F de hac consuetudine locus. Ex quo etiam apertissime intelligas, Quas ob causas in publica referrentur Acta, aut in æs inciderentur Acclamationes. nimirum & propter utilitatem ac dignitatem publicam, & ne ullo unquam tempore (quemadmodum est a nobis in ipso capitis hujus initio indicatum) in oblivionem venirent.

Cæterum extant apud Latinos Augustæ Historiæ Scriptores de hac mittendarum in Acta publica Acclamationum consuetudine loci, quos placet ad rei firmitatem adscribere. Ælius itaque Lam-

pridius in *Alexandro Severo* cap. VI. *Interest*, ait, *retexere Orationem, qua nomen Antonini & Magni delatum sibi a Senatu recusavit*, Alexander, *quam priusquam referam, addam Acclamationes Senatus, quibus id decretum est, ex Actis Urbis ad pridie Nonas Martias*. Idem Lampridius in *eodem Alexandro* cap. LVI. *Post hoc*, inquit, *Romam venit triumphoque pulcherrimo acto apud Senatum primum hæc verba habuit, ex Actis Senatus die septimo Calendas Octobris. Persas P. C. vicimus*, &c. *Acclamatio Senatus, Alexander Auguste Dii te servent*, &c. Et infra de re eadem, *Hæc nos & in Annalibus, & apud multos reperimus*. Idem in *Commodo Antonino* cap. XVIII. *Acclamationes Senatus post mortem Commodi graves fuerunt. Ut autem sciretur, quod judicium Senatus de Commodo fuerit, ipsas Acclamationes de Mario Maximo*, qui Acta Urbis & Senatus confecerat, *indidi*, &c. Capitolinus etiam in *tribus Gordianis* cap. V. *Amatus est*, inquit de seniore Gordiano loquens, *ab Afris, ut nemo antea Proconsulum. ita ut eum alii Scipionem, Catonem alii*, &c. *Extat eorum Acclamatio, quæ a Junio in litteras relata est*. Ex Actis igitur Urbis ac Senatus fuere desumptæ, quas ex Lampridio ac Capitolino adductis proxime locis protulimus, Acclamationes. ut jam satis constet, in publica eas Acta solitas referri.

Sed & vetus Ecclesia consuevit cum in Acta Synodica, tum in alia Gesta Ecclesiastica, factas sive a populo sive a Clero Acclamationes, per Notarios suos pari diligentia referre. In Actis Ordinationis Eradii, quæ jam sæpius admonuimus, inter Augustini Epistolas post Epistolam CX. reperiri, scriptum est hoc pacto: *A Notariis Ecclesiæ, sicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis: & meus sermo, & vestræ Acclamationes in terram non cadunt. Apertius ut dicam, Ecclesiastica nunc Gesta conficimus. sic enim hoc esse, quantum ad homines, confirmatum volo*, &c. In prima Synodo Romana sub Symmacho Papa ita est. *Symmachus Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Urbis Romæ dixit, Acclamationes vestras, Synodique judicium præsentia Gesta suscipiant*, &c. In Sexta etiam Synodo Romana sub eodem Symmacho hæc ad finem videas ab ipso Symmacho pronunciata: *Et facto silentio Symmachus Episcopus Catholicæ Urbis Romæ dixit; Acclamationes vestras, Synodique judicium præsentia Gesta suscipiant*.

CAP. XXVI.

Adnotatum diligenter in Actis, quoties quidque inter Acclamandum fuisset iteratum.

PORRO tam diligentes fuisse observo, tamque accuratos Veteres in colligendis, atque in Acta referendis hujusmodi Acclamationibus, ut & illud in iis studiose notarent, *Quoties quidque inter acclamandum fuisset repetitum*. Flavius quidem Vopiscus, recensens factas Tacito a Senatu Acclamationes, cum delatum Imperium ob eam causam recusaret, quod esset affecta jam ætate, & viribus infirmis, ita scribit in *ipso Tacito* cap. V. *Et Trajanus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et Adrianus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et Antoninus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et tu legisti, incanaque menta Regis Romani: dixerunt decies. Et quis melius, quam senex imperat? dixerunt decies. Imperatorem te, non militem, facimus: dixerunt vicies. Tu jube, milites pugnent: dixerunt tricies. Severus dixit, Caput imperare, non pedes: dixerunt tricies. Animum tuum, non corpus, eligimus: dixerunt vicies*.

A Apud Trebellium etiam Pollionem, factas Claudio Acclamationes, cum Imperator renunciaretur, in *ipso Claudio* commemorantem, scriptum videas in hunc modum cap. IV. *Auguste Claudi Dii te nobis præstent: dictum sexagies. Claudi Auguste, Principem te, aut qualis tu es, semper optavimus: dictum quadragies. Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps. dictum octuagies. Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica: dictum quinquies. Claudi Auguste, tu nos a Palmyrenis vindica: dictum quinquies*, &c. Hæc ex Trebellio Pollione, ac B Flavio Vopisco: quibuscum ea, quæ in B. Augustini Ep. CX. seu potius in adductis Actis Ordinationis Eradii habentur, maxime congruunt. Inibi enim Eradium Presbyterum, populo coram, atque adstante Clero, sibi in Episcopali dignitate successorem faciens jam senex Augustinus; *Presbyterum Eradium*, inquit, *mihi successorem volo. a populo acclamatum est, Deo gratias, Christo laudes: dictum est vicies ter. Exaudi Christe, Augustino vita: dictum est sexies decies. Te Patrem, te Episcopum: dictum est octies*. Et aliquanto post: *A populo acclamatum est trigesies sexies, Deo Gratias. Christo laudes. Exaudi Christe, Augustino Vita: dictum est tredecies. Te Patrem, te* C *Episcopum; dictum est octies. Dignum & justum est: vicies. Bene meritus, bene dignus: dictum est quinquies*. Et inferius: *Judicio tuo gratias agimus: dictum est sedecies. Fiat, fiat: dictum est duodecies. Te Patrem, Eradium Episcopum: dictum sexies. Deo gratias, Christo laudes: dictum est tredecies*. Et post pauca quædam: *Judicio tuo gratias agimus: dictum est vicies sexies*. Et sub finem: *Fiat fiat: dictum est vicies quinquies. Dignum est, justum est; dictum vicies octies. Fiat, fiat: dictum quaterdecies. Olim dignus, olim meritus: dictum vi-* D *cies quinquies. Judicio tuo gratias agimus: dictum tredecies. Exaudi Christe. Eradium conserva: dictum octies decies*. In vetusto instructissimæ nostræ Ambrosianæ Bibliothecæ Pontificalium ac Ritualium Codice M. S. ita scriptum legimus; *In Consecratione, Coronationeque, Pontifici acclamatur his verbis, Exaudi Christe, Domino nostro N. a Deo summo Pontifici decreto & universali Papæ, Vita. idque ter repetitur*. Pandulphus item Pisanus, Vir sane temporis sui doctus & diligens, cujus extant in eadem nostra Bibliotheca quorundam Pontificum Romanorum Vitæ, Paschali Secundo in novum Pontificem electo sic acclamatum notat in ejus E Vita: *A Primiscriniis & scribis Regionariis ter acclamatum est, responsumque, Paschalem Papam Sanctus Petrus elegit*. Nicolaus Alemannus, qui nunc Vaticanam Bibliothecam honorificentissime cum maxima reipubl. litterariæ, Ecclesiæque totius utilitate tractat, Vir sane in omni virtutum ac doctrinæ genere excellens, quarundam Acclamationum, huc etiam pertinentium, copiam mihi ex antiquis duobus Vaticanæ Ceremonialibus humanissime fecit: sunt autem hæ, quas mox subscripsi. Ex uno quidem, hoc modo: *Expleta oratione a Pontifice, antequam Lector in ambonem ascendat, pronunciat secundo Diaconus, &* F *tertio Cantores, respondente illis Schola, hoc modo. Exaudi Christe; respondet Schola, Domino nostro N. a Deo decreto summo Pontifici, & universali Papæ, Vita. Exaudi Christe; respondet similiter, Salvator mundi, tu illum adjuva. Tertia vice, Exaudi Christe; respondet, Domino nostro N. Augusto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, Vita & Victoria: per ter. Sancta Maria, respondet, Tu illum adjuva: per ter. Sancte Petre; respondet, Tu illos adjuva: per ter. Exaudi*

Christe; respondet, Exercitui Romanorum, & Theutonicorum, Vita & Victoria: per ter. Sancte Theodore; respondet, Tu illos adjuva: per ter, &c. Ex altero autem Codice, in hæc verba: *Dominus Papa incipit Missam, & post primam Orationem Diaconi Cardinales, Subdiaconi, & alii Ordines cum Scriniariis faciunt laudes Domino Papæ taliter ordinato, Archidiaconus cum aliis Diaconibus & Subdiaconibus ordinate sunt juxta altare in duobus filis; Scriniariis vero stantibus deorsum in Choro cum pluvialibus. Tunc Archidiaconus cum Diaconibus & aliis sic incipit laudem alta voce, Exaudi Christe; Scriniarii respondent, N. Domino nostro Papæ Vita. Iterum Archidiaconus dicit, Exaudi Christe; Scriniarii quoque respondent similiter. Tertio Archidiaconus dicit, Exaudi Christe; Scriniarii respondent sicut ante. Deinde Archidiaconus dicit, Salvator mundi; tribus vicibus: Scriniariis totidem vicibus ei respondentibus, Tu illum adjuva. Post Archidiaconus dicit, Sancta Maria; duabus vicibus: & Scriniarii respondent duabus vicibus, Tu illum adjuva. Demum Archidiaconus dicit, Sancte Michael; duabus vicibus: Scriniarii totidem vicibus, Tu illum adjuva*. Et hæc quidem hoc modo ex vetustis tum Vaticanæ, tum Ambrosianæ Bibliothecæ Ceremonialium ac Ritualium MM. SS. Codicibus; quorum verba illa, *Ter, Per ter, Tertio, Tertia vice, Tribus vicibus, Secundo, Duabus vicibus, Iterum*, id quod dicimus planum omnino faciunt. Abundant autem hujusmodi exemplis Synodica item Acta, sed reserventur ea ad quintum librum; cum nimirum Synodicæ excutientur Acclamationes. Nunc indicandum, quandonam potissimum cœperint Acclamationes in Acta publica referri, atque in ære incidi?

CAP. XXVII.

Consecrandarum publicis monumentis Acclamationum consuetudo quandonam potissimum invaluerit?

TRAJANI quidem temporibus cœptas primo Acclamationes publicis consecrari monumentis, Caii Plinii ex *Panegyrico ad Trajanum* ver-

A ba superius a nobis aliam in rem prolata, aperte declarant: *Ante Orationes Principum tantum ejusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant* (in publica nimirum Acta referri, atque in ære incidi, ut proxime superius scripserat Plinius) *Acclamationes quidem nostræ parietibus Curiæ claudebantur. erant enim, quibus nec Senatus gloriari, nec Principes possent. Has vero*, in Trajanum emissas, *& in vulgus exire, & posteris prodi, cum ex utilitate, tum ex dignitate publica fuit*. Trajani igitur honori videtur fuisse hoc primo delatum: post ejus autem tempora factæ Principibus, atque adeo cuique, sive faustæ, sive infaustæ, Acclamationes,
B studiose diligenterque in Acta publica ab Historicis relatæ sunt. Quam consuetudinem si quis dixerit fuisse ab Ecclesiasticis mox Scriptoribus exceptam, retentamque deinceps ac conservatam, id ego illi dederim sane non invitus.

CAP. XXVIII.

Indicatum, quibus maxime in locis solerent olim Plausus extitari, fierique Acclamationes?

JAM vero tandem lubet, pro hujus primi Libri
C clausula, summatim loca attingere, in quibus potissimum solerent olim fieri Acclamationes, Plaususque dari. Quæ sane res, licet perstricta leviter, luminis tamen plurimum afferet iis, quæ dicturi sumus; ob eam maxime rationem, quod omnia pene Acclamationum genera, ut videbimus, a locis, in quibus fiebant, nomen invenere.

In Theatris itaque, cæterisque publicis Spectaculorum locis, inter communes populi voluptates, sunt primo natæ & adultæ Acclamationes. Exceperunt mox eas Scholæ & Auditoria. Ab his, cum in Forum, ac Senatum, tum in Christianorum etiam Ecclesias & conventus penetrarunt. Atque
D a Theatris quidem *Theatrales* dictæ sunt, *Scholasticæ* a Scholis, a Foro *Forenses*, *Senatoriæ* a Senatu, & ab Ecclesia *Ecclesiasticæ*. *Bellicæ* porro, ac *Nuptiales* (quod item de quibusdam aliis dicendum est) non a loco, sed a re traxerunt nomen.

FRANCISCI BERNARDINI FERRARII DE VETERUM ACCLAMATIONIBUS ET PLAUSU LIBER SECUNDUS,

Qui THEATRALES complectitur Acclamationes; eas nimirum, quæ in Theatris, cæterisque Spectaculorum locis fieri consueverunt.

CAP. I.

THEATRALIUM Acclamationum nomine quid debeat a nobis intelligi?



Quoniam in libro primo generatim, quid esset Acclamatio, quid & quotuplex Plausus, quæ eorum nomina, in quo differrent aut convenirent; quæ item communia essent omnibus sive Acclamationibus, sive Plausibus, vel certe possent ad ea commode revocari, ut vires nostræ tulerunt, ostendimus: jam hinc singulas exequar Acclamationes, a THEATRALIBUS initium ducens.

THEATRO igitur, Amphitheatro, ac Circo, sua cuique ac propria fuisse ludorum ac spectaculorum genera, ignorat nemo. in Theatro tamen uno omnes pene ludos identidem exhibitos, testificatur Apulejus, dum in IV. *Floridorum* libro, de Carthaginis Theatro verba faciens: *Hic*, ait, *Mimus hallucinatur, Comœdus sermocinatur, Tragœdus vociferatur, Funerepus periclitatur, Præstigiator furatur, Histrio gesticulatur, cæterique omnes Ludiones ostentant populo, quod cujusque artis est*. Qui sane ludi omnes, licet dissimiles essent inter se, maximeque diversi, simillimas tamen omnino, ac ferme easdem habuere populi Acclamationes. Atque hanc maxime ob caussam placuit, omnes omnium ludorum, ac spectaculorum Acclamationes & unum in hunc librum colligere, & unico etiam THEATRALIUM nomine appellare. hoc quoque lubentius, quod THEATRUM & pro *Spectaculis*, & pro *Spectatoribus*, fuit quandoque ab Auctoribus scribendo usurpatum.

CAP. II.

Illustribus quandoque Viris in Theatrum introeuntibus a spectante populo honoris causa assurrectum, acclamatum, & plausum. Communior, ac fere consueta THEATRALIUM *Acclamationum formula*, FELICITER.

IN THEATRO igitur, hoc est, in omni ludorum ac spectaculorum loco, fauste acclama- A tum & plausum observo, non iis modo, qui spectaculorum erant ac ludorum actores, sed ipsis etiam quandoque spectatoribus. Atque, ut hoc neque semper, neque omnibus fiebat, sic erat illud omnium fere spectaculorum consuetum & quasi solemne: Utrumque, exorsus a posteriori prius, pergam pluribus patefacere.

Illustribus itaque, vel dignitate, vel doctrina, vel nomine Viris, in Theatrum introeuntibus, consuevisse spectantem populum honoris causa assurgere, fauste acclamare, atque etiam applaudere, Tranquillo Suetonio teste dicimus, apud quem ita in *Octavio Augusto* scriptum legitur
B cap. LVI. *Eisdem*, de Augusti filiis loquitur Suetonius, *prætextatis adhuc assurrectum ab universis in Theatro, & a stantibus plausum, gravissime questus est*. Quam Augusti querelam, morem nostrum apposite firmantem, his verbis Dio persequitur in lib. LIV. *Tiberium increpavit*, Augustus, *quod ludis votivis, quos pro suo reditu faciebat, Cajo juxta se sedem dedisset; populumque objurgavit, quod plausu, & laudibus prosequutus esset*. Idipsum autem confirmant plane ejusdem Dionis verba ex lib. LXXII. hoc pacto conscripta: *Tum nos magna voce dicebamus multa*, in Commodum, qui in Theatro aderat præsens, *illud au-*
C *tem crebro, Dominus es. Primus es. Omnium felicissimus vincis. Ab ævo vinces. Amazonie vincis. Multi ex reliqua plebe ne introibant quidem in Theatrum*. Cognoscitur hoc idem ex Philosopho Seneca, dum in epistola XXIX. ait in hunc modum: *Cæterum, si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si, intrante te, clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint; si tota te civitate fœminæ, puerique laudaverint; quid ni ego tui miserear, cum sciam, quæ via ad istum favorem ferat?* atque etiam ex Plutarcho, in *Sertorio* ita scribente; *Tribuit ei*, Sertorio, *& populus Romanus pro*
D *his rebus magnifice gestis honorem. introeuntem siquidem in Theatrum populus excepit plausu, & acclamatione; quod genus honoris Viri etiam illustres, & seniores raro consecuti sunt*. Horatius quoque, & Martialis hanc eandem consuetudinem approbant; is quidem in Ode XX. libri primi scribens hoc pacto:

——— datus in Theatro
Cum tibi plausus,
Care Mæcenas, &c.

& in Ode XVII. libri II.

——— cum populus frequens
Lætum Theatris ter crepuit sonum.

Alter vero in lib. VI. epigr. XXXIV. sic canens:

Quæque sonant pleno voceque manuque Theatro,
Cum populus subiti Cæsaris ora videt.

Fit item ab Auctore Dialogi *de Oratoribus* (sive Tacitus ille sit, sive Quintilianus) istius moris non obscura mentio, cum ait cap. XIII. *Malo securum & secretum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit, neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti Epistolæ, testis ipse populus, qui, auditis in Theatro versibus Virgilii, surrexit universus, & forte præsentem, spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum.* quæ extrema verba fidem perspicue faciunt, primariis duntaxat, ut dicebamus, illustribusque Viris, in Theatrum introeuntibus, factas a populo hasce honoris significationes. id quod etiam ex Plutarcho, & Suetonio in iis, quos proxime superius protuli locis, manifesto intelligitur.

Cæterum non paucæ fuerunt, eæque variæ, THEATRALIUM hujusmodi Acclamationum formulæ; sed illa communior, ac fere consueta, quam unica voce, FELICITER, conceptam pronunciabant. *Præsedit*, ait Suetonius in *Tiberio Claudio* cap. VII. *nonnunquam spectaculis in Caii vicem, acclamante populo, FELICITER.* Idem Suetonius in *Flavio Domitiano* cap. XIII. *Acclamari etiam*, inquit, *in Amphitheatro epularidie libenter audiit, Domino, & Dominæ, FELICITER.* Plutarchus in *Galba*: *Cum ederetur aliquando spectaculum, tribunique militum, ac turmarum ductores solemne illud Romanorum, FELICITER, Galbæ precarentur*, &c. Florus tandem in lib. III. cap. IV. de Bello Cymbrico: *Eodem die, quo gesta res est visi pro æde Castoris, & Pollucis juvenes laureati Prætori litteras dare, frequensque in spectaculo rumor Victoriæ Cymbricæ, FELICITER, dixit.* Verum hæc nimium multa, ex quibus tamen, Illustribus Viris Theatrum ad spectacula intrantibus assurrectum a populo, plausum, & acclamatum, FELICITER, manifestum est. Reliquas Theatri Acclamationes non hic profero, quod & in promptu sitæ sint, & toto in Opere opportune producantur. earum tamen formulæ aliquot insigniores, nec omnibus sat is cognitæ, in septimo aperientur libro.

CAP. III.

Acclamatum iis, & plausum, qui spectacula, & ludos agebant. PLAVDITE, *seu* VALETE ET PLAVDITE, *usitatam fuisse Comœdiarum, Tragœdiarumque clausulam.*

QUAMVIS res ista admodum dubia non sit, haud tamen alienum erit, Veterum locis aliquot, quasi testibus, eam confirmare. Marcus igitur Cicero testificatur, iis in Theatro acclamatum, & plausum, qui novam Marci Pacuvii de Pylade & Oreste fabulam recitabant. ejus verba in *Lælio* sunt hæc: *Qui clamores tota cavea nuper hospitis & amici mei Marci Pacuvii in nova fabula? cum, ignorante Rege, uter eorum esset Orestes; Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta; quid arbitramur in vera fuisse facturos?* Neroni item in Theatro cithara canenti factas Acclamatio es, Plaususque datos, commemorant Suetonius, Tacitus, & Dio. *Adolescentulos*, inquit Suetonius in *Nerone* cap. XX. *equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones Plau-*

A *suum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi.* Tacitus autem in XIV. *Annalium* lib. cap. XV. ait in hunc modum: *Postremo ipse*, Nero, *scenam inscendit, multa cura tentans citharam*, &c. *Tuncque primum conscripti sunt Equites Romani cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui. Hi dies ac noctes plausibus personare, formam Principis, vocemque, Deum vocabulis appellantes.* Et in lib. XVI. cap. IV. *Primo carmen in scena recitat*, Nero, *mox flagitante vulgo ingreditur Theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans*, &c. *Et plebs quidem Urbis, Histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis, plausuque composito.* Planius
B omnino Dio in lib. LXI. *Ipse quoque Nero, in Theatrum prodiit*, &c. *Stetitque Cæsar in scena habitu Citharœdi. Assistebant ei Burrus, & Seneca, ut magistri, suggerentes aliquid; cumque dixisset, plaudebant manibus, & vestimentis, & reliquos ad idem faciendum inducebant. Erant ob eam causam parata quinque millia militum, qui, Augustales, nom nati incipiebant eum laudibus extollere; post hos cæteri omnes inviti acclamare cogebantur. Tum licebat audire, qui ita dicerent, Quam pulcher Cæsar, Apollo, Augustus*, &c. Rem eandem Tertulliani quoque verba ex cap. XXV. libri *de Spectaculis* satis superque sic de-
C clarant: *Sed Tragœdo vociferante, exclamationes ille alicujus Prophetæ retractabit: inter effœminationis modos Psalmum secum comminiscitur; &, cum Athletæ agent, ille dicturus est, repercutiendum non esse. poterit & de misericordia amoveri defixus in morsus ursorum, & spongias retiariorum. Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesia Dei in Diaboli Ecclesiam tendere? De cœlo, quod ajunt, in cœnum? Illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? Ex ore, quo, Amen, in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? εἰς αἰῶνας, alii omnino dicere, nisi Deo Christo?* Sed plura hac
D de re Veterum testimonia proferre, nihil nunc necesse est.

Addam tamen, Usitata illa Comœdiarum, Tragœdiarumque clausula, sive unica voce, PLAVDITE, seu duabus, VALETE, ET PLAUDITE, concepta, hoc idem apertissime confirmari. Atque eam quidem (quæ a grege interdum, sæpius ab eo, qui postremus in scenam introducebatur, pronunciari solebat) videre est in omnibus Terentii Comœdiis, & in Plauti non paucis. ad illamque omnino respexere Horatius, M. Cicero, Suetonius, Apulejus, & Quintilianus ex prophanis, ex nostris autem Tertullianus, quorum loca
E alibi producuntur. Nunc THEATRI voces, FAVOR, & FAVERE, consideremus.

CAP. IV.

FAVOR, & FAVERE, *maxime propria fuisse Spectaculorum verba. Exprimi iis non tacitam modo, & occultam animi benevolentiam, sed quæ voce etiam, ac gestu significaretur. atque adeo hac una,* FAUORIS, *voce faustas omnes spectaculorum Acclamationes, & Plausus comprehendi consuevisse.*

F QUONIAM voces iste, *FAVOR*, &, *FAVERE*, sunt & Theatri omniumque spectaculorum maxime propriæ, & usurpatæ crebro ab iis, qui scribendo *Theatralium* meminere Acclamationum, ac Plausuum: Quoniam item vis earum, ac significatio non una est, nec satis cognita videtur recentioribus quibusdam, licet alioqui eruditis, Scriptoribus. idcirco placet, nunc de iis nonnulla, ad id, quod mihi proposui, omnino pertinentia, diligenter inquirere. Atque hoc quidem in capite

illud aperiemus, Vocibus hujuſmodi, non tacitam modò, & occultàm ſignificari olim conſueviſſe ſpectantis populi benevolentiam, ſed quæ voce etiam, ac geſtu exprimeretur; atque adeo unica *FAVORIS* voce fauſtas omnes ſpectaculorum Acclamationes, & Plauſus fuiſſe comprehenſas. Ovidius igitur in III. *Amorum* libro Elegia II. Circenſes equorum ludos, quorum ipſe Spectator erat, deſcribens, hæc ait inter cætera:

Sed jam pompa venit, linguis, animiſque favete.

quo loci vides, non animo duntaxat, ſed & voce fautum. Id quod etiam in V. *Æneidos* libro expreſſit non obſcure Virgilius, dum faventum ſtudiis, ac plauſibus ipſa reſonare nemora canit:

Tum plauſu, fremituque virum, ſtudiiſque faventum
Conſonat omne nemus. —— ——

Seneca item, fauſtas vulgi in Theatro Acclamationes, Plauſus, & pantomimicorum ornamentorum ſtrepitum, uno omnia FAVORIS nomine appellat: *Cæterum*, ait in extrema XXIX. epiſtola, *ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi; ſi, intrante te, clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint; ſi tota te civitate fœminæ, puerique laudaverint; quidni ego tui miſerear, cum ſciam, quæ via ad iſtum FAVOREM ferat?* Ab iſtis non longe diſcedit Plinius; nam in epiſt. VI. libri IX. colorum factiones in certaminibus Circi commemorans, ipſa etiam equorum nomina inter *favendum* quandoque clamitata adfirmat: *Miror*, inquit, *tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere, currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, eſſet ratio nonnulla. Nunc FAVENT panno, pannum amant; &, ſi in ipſo curſu, medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium, FAVORQUE tranſilit, & repente agitatores illos, quos gratia procul noſcitant, quorum clamitant nomina, relinquent.* Lampridius in *Commodo Antonino*, de Commodo ipſo loquens cap. XV. *Sane*, ait, *cum illi ſæpe pugnanti, ut Deo, populus FAVISSET*, id eſt, Deum, illum inter acclamandum appellaſſet. Æque aperte Spartianus in *Peſcennio Nigro* cap. II. *Huic ob deteſtationem Juliani primis Imperii diebus ita Romæ FAUTUM eſt, ut inter lapidationes, execrationeſque omnium illi feliciter optarent, illum Principem inſuper, & illum Auguſtum populus acclamaret.* Nec multo ſecus de hiſce vocibus, FAVOR, &, FAVERE, videntur mihi ſenſiſſe ex noſtris Hieronymus, Auguſtinus, Sidonius Apollinaris, Caſſiodorus, & Africanus Corippus. Nam B. Hieronymus *ad Pammachium* ſcribens in epiſt. XXVI. *Hæc*, inquit, *dico: non quod de ardore mentis tuæ quidquam dubitem, ſed quo currentem impellam, & acriter dimicanti fervorem FAVORE augeam.* alludens ſcilicet ad ſpectaculorum FAVOREM. Et in epiſt. LXXXIII. quæ eſt *ad Oceanum: Heri Cathecumenus, hodie Pontifex; heri in Amphitheatro, hodie in Eccleſia; veſpere in Circo, mane in altario; dudum FAUTOR hiſtrionum, nunc Virginum conſecrator.* Et non multo poſt: *At nunc pleroſque cernimus vel FAVOREM populi in aurigarum morem pretio redimere, vel tanto omnium hominum odio vivere, ut non extorqueant pecunia, quod mimi impetrant geſtibus.* Beatus Auguſtinus in libr. *de Cathechizandis rudibus* cap. XVI. *Studiis autem ſpectaculorum*, ait, *fiunt Dæmonibus ſimiles, clamoribus ſuis incitando homines, ut ſe invicem cædant. Si autem horrendas adverſus invicem inimicitias eos exercere cognoverint, ſive ſunt Athletæ, qui appellantur, ſive Scenici, qui & Thymelici, ſive Aurigæ, ſive Venatores; quos miſeros, non ſolum homines cum hominibus, ſed etiam homines cum beſtiis in certamen pugnamque committunt; quo majore adverſus invicem diſcordia furere ſenſerint, eo magis amant & delectantur, & incitatis FAVENT, & FAVENTES incitant.* Apollinaris Sidonius in *Narbone*:

Raucus corda ferit fragor FAVENTUM.

Caſſiodorus lib. III. *Variarum* epiſt. LI. ad Fauſtum Præpoſitum: *Is*, de Thomato auriga loquitur, *frequenter victor per diverſorum ora volitavit, plus vectus FAVORE, quam curribus. ſuſcepit partem populi protinus inclinatam, & quos ipſe fecerat triſtes, laboravit iterum reddere lætiores.* Africanus demum Corippus in quarto *de Ludis Juſtini Cæſaris* libro:

Omnia roboribus ſternunt loca plana politis,
Conjungunt tabulas, & ferri nexibus arctant,
Quæ pondus, ſtrepituſque Virum, motuſque FAVENTIS
Ferre queat populi —— ——

Et paulo poſt:

Diſpoſuere gradus; queis ſtaret in ordine longo
Diviſum in turmas, atque in ſua corpora vulgus,
Poſſet & exertas ad munera tendere palmas,
Liberius ſpectare oculis, manibuſque FAVERE.

Ex quibus omnibus plane licet intelligi, non tacitam modo iis vocibus, FAVOR, &, FAVERE, exprimi ſolitam ſpectantis populi benevolentiam, ſed quæ voce etiam, ac geſtu ſignificaretur. Atque hic quidem non mihi queo temperare, quin Cæſarii, Nazianzeni Gregorii fratris, locum producam, qui univerſum pene FAVENDI morem exprimit apertiſſime. Totus iſte locus ex Dialogo V. ſic Latine ſonat: *Libet illos imitari, qui ludos Equeſtres perlubenter ſpectant. Solent ii curſuum in certaminibus ad eos, quos FAVORE ſuo complectuntur, tametſi ad ſummam illi celeritatem nihil reliqui faciant, victoris tamen ſtudio de ſellis, gradibuſque ſuperioribus, quaſi toto cum viſcerum motu, acclamatione uti; oculiſque una cum curſu circumactis, aurigam, uti quidem arbitrantur ipſi, majorem ad impetum excitant. Quin & equos acclamando hortantur, proque flagello manum ad eos protendunt, & indice digito proximos ſibi feriunt, neque malas tantum fricant, ſed nonnunquam etiam dentem exacuunt, & vultu minantur, & totos ſe ad ſtadii curſores erigunt, digitiſque geſticulando, quæ facere ſibi ad conſequendum præmium videntur, indicant.* Hæc de FAVORE apertiſſime Cæſarius. Ut jam ſatis conſtet, & ſpectaculorum verba fuiſſe, ut ſæpius dictum eſt, FAVOR, &, FAVERE; & non ſine vocibus, ac geſtibus uſurpata a ſpectante populo; atque adeo hac una voce, FAVOR, conſueviſſe fauſtas omnes ſpectaculorum Acclamationes, & Plauſus comprehendi.

CAP. V.

POLLICIS UTRIUSQUE COMPRESSIONE ſignificatum olim THEATRI FAVOREM.

PORRO alia quoque erant externa ſigna, & geſtus, quibus ſoleret olim exprimi FAVOR iſte, ac ſignificari. *Pollicis* nimirum *utriuſque compreſſio, agitatio Veſtium, atque Orariorum concuſſio.* Quæ tria ſi nunc patefecero, operæ pretium, ut ego ſentio, non mediocre me facturum crediderim.

Atque in *pollicis* quidem *utriuſque preſſu* fuiſſe antiquitus FAVORIS ac ſtudii ſignificationem, planiſſime docet Cajus Plinius *Hiſtoriæ Naturalis* lib. XXVIII. cap. II. ſcribens in hunc mo-

dum: *POLLICES, cum FAVEAMUS, PREMERE etiam proverbio jubemur*. Ex quibus Plinii verbis hoc amplius apparet, jam in proverbium abiisse, *Premere pollices*, de eo, qui quoquo pacto *faveret*. Cognoscitur autem hoc idem ex verbis Horatii manifeste in epistola XVIII. libri primi hæc scribentis:

Consentire suis studiis, qui crediderit te,
FAUTOR UTROQUE tuum laudabit POLLICE ludum.

Quo loci vides, *pollicis utriusque compressionem* pro summo *favore* positam. quicquid de hoc Horatii loco existimarint Porphyrion, & Acron: quorum opiniones inferius in cap. XIII. sedulo, matureque examinamus. Jam ad Vestium agitationem pergo.

CAP. VI.

VESTES quandoque MOTAS ad FAVOREM. JACTARE, seu MOVERE TOGAM, quid sit Ovidio, nunc primum explicatur, confutata eruditorum opinione. VESTIBUS olim CONCUSSIS, ac MOTIS, quemadmodum fit nunc agitata manu, vocatos eos, qui adesse jubebantur, atque accedere.

ERANT utique faventum studia in spectaculis adeo ardentia, ut inter favendum non fauste duntaxat acclamarent, ac plauderent, pollicesque comprimerent, quemadmodum proxime superius exposuimus, sed & *Vestes ipsas* quandoque *agitarent, ac concuterent*. Hanc sane rem Dionis Cassii verba ex lib. LXI. Burri, ac Senecæ totiusque spectantis populi studium ac favorem in Neronem publice cithara canentem commemorantis, planissime declarant: *Ipse Nero*, inquit Dio, *in Theatrum prodiit. Stetitque Cæsar in scena habitu Citharœdi. Assistebant ei Burrus, ac Seneca, ut magistri, suggerentes aliquid; cumque dixisset, plaudebant manibus & VESTIMENTIS, & reliquos ad idem faciendum inducebant*. Aristænetus quoque in libri primi epist. XXVI. de populi favore in pantomimam Panaretam verba faciens, sententiam hanc eandem sic confirmat: *Populus interea rectus, ac mirabundus adstat; & voces alternas melodice respondet, manusque movet, & VESTEM QUATIT*. Idipsum docent illa Philostrati in *Arrichione*, hoc modo conversa: *Clamant exilientes a sedibus, atque hi quidem movent manus, illi VESTEM, isti tolluntur a terra, nonnulli cum vicinis hilariter luctantur*. Sardianus item Eunapius in *Sophista Juliano* testificatur, dicentis Proæresii eloquentiam admiratum Proconsulem, Theatrali more exiluisse, plausisse manibus, ac vestem concussisse: *Ad quod verbum*, ait Eunapius, *repente a sede sua prosiluit Proconsul, purpureamque TOGAM EXCUTIENS, juvenis ad morem, gravis ille, & inexorabilis Judex Proæresium plausu excepit*.

Etiam Ovidius in eorum numerum, qui *vestium* ad favorem *concussarum* meminerint, a doctis hominibus adscribitur. In eis sunt Isaacus Casaubonus in suis *ad Augustæ Historiæ scriptores notis*, & Julius Cæsar Bulengerus, vir antiquitatis bene peritus, in libris *de Circo*. Operæ pretium autem puto, verba ipsa Ovidii apponere, quod utilia cognitu hanc in rem non pauca habeant; atque etiam interpretari, quod eorum sententia paulo obscurior erroris ansam Casaubono, & Bulengero præbuerit. Est igitur apud Ovidium in tertio *Amorum* libro Elegia II. his ipsis verbis scriptum:

Maxima jam vacuo Prætor spectacula Circo
Quadrijuges æquo carcere misit equos.
Cui faveas, video: vincet cuicunque favebis:
Quid cupias, ipsi scire videntur equi.
Me miserum, metam spatioso circuit orbe.
Quid facis? admoto protinus axe subi.
Quid facis infelix? perdis bona vota puellæ.
Tende, precor, valida lora sinistra manu.
Favimus ignavo; sed eum revocate Quirites,
Et date JACTATIS undique signa TOGIS.
En revocant; at ne turbet TOGA MOTA capillos, &c.

Quo in loco de equorum certaminibus in Circo verba fieri perspicue apparet. de qua re quatuor minimum huc spectantia dici cernimus: primum, *Equorum agitatori fautum a spectatoribus*; alterum, *Ignavum eundem fuisse, & minime bonum agitatorem*, tertium, *de cursu ob id deductum a Quiritibus, ac revocatum*; postremum, *JACTATIS TOGIS data ab iisdem Quiritibus signa*. Quorum omnium, quod extremum est, id difficultatem habet. Nam Bulengerus, & Casaubonus, ad favorem omnino *jactatas* eo loci *togas* sunt arbitrati. ego vero firme assevero, ex iis Ovidii verbis aliud nihil elici posse, nisi *motas* a Quiritibus *togas*, ut *eo signo de cursu ignavus revocaretur agitator*. Ovidius ipse, quid senserit, apertissime nobis declarat, cum enim, & ignavo fautum, & ob id revocandum eum dixisset:

Favimus ignavo, sed eum revocate Quirites.

ea subjecit illico, quibus nimirum solerent de cursu revocari agitatores;

Et date JACTATIS undique signa TOGIS

Quod vero sequitur proxime adjectum:

Et revocant; at ne turbet TOGA MOTA capillos, &c.

sententiam habet hujusmodi, ut eo signo *togæ* videlicet *jactatione*, vere fuerit agitator revocatus. Id quod ex eo quoque potest facillime perspici, quod idem ille agitator & iteravit cursum, &, diligens magis ac fortior factus, palmam deinde certaminis accepit: quæ quidem præstari minime potuissent, nisi revera fuisset ille revocatus. hæc itaque subdit Ovidius:

Jamque patent iterum reserato carcere postes,
Et volat admissis discolor agmen equis.
Nunc saltem supera, spatioque insurge patenti;
Sint mea, sint Dominæ fac rata vota meæ.
Sunt Dominæ rata vota meæ; mea vota super sunt.
Ille tenet palmam, palma petenda mea est.

In quibus debent ea præcipue verba animadverti. ITERUM, NUNC SALTEM SUPERA, ILLE TENET PALMAM, apertissime id quod dicimus exprimentia. Ac jocari quidem Ovidium isto loco, & salibus ad hilaritatem more suo uti cernimus; si quæ tamen dicit, omnia ad Circi consueta revocentur, cumque nostra interpretatione conferantur; & apte, congruenterque loquutum Ovidium, & eadem sensisse, quæ nos, parvo negotio quivis unus deprehendet. Quapropter neque Casaubonus, negue Bulengerus audiendi sunt, cum ex hoc Ovidii loco, *togas* fuisse AD FAVOREM *motas, & jactatas*, narrant.

Ac ne quid prætermittam eorum, quæ lucem possint aliquam afferre huic rei, erutamque a nobis ex Ovidio *de togæ jactatione ad revocandos agitatores* sententiam magis ac magis stabilire, placet locos aliquot producere, ex quibus appareat, moris olim fuisse, *ut vestium agitatione & motu* (quemadmodum fit nunc agitata manu, eaque subinde veluti ad nos revocata) *compellarentur, ac revocarentur ii, qui*

adesse jubebantur, atque accedere. Virgilius equidem in VIII. *Aeneidos* libro Nilum inducit, fugientes & victos, *vestium agitatione & motu ad se vocantem;* inquit enim:

Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, & TOTA VESTE VOCANTEM
Cæruleum in gremium, latebrosaque flumina victos.

Apud Philostratum etiam Imperator Hadrianus Heliodorum Sophistam concussa manu, *motaque veste* ad se *vocavit*; ait enim in *ipsius Heliodori Vita*: *Ad hæc exiliens Imperator, Equidem, inquit, talem Virum, qualem nunquam meo tempore noveram, inveni: Mox Heliodorum ita compellatum concussa manu, CHLAMYDISQUE SINU VOCAVIT.* Ausonius item, *Vestium motu* a Fluvio Saravo *compellatum* se, cecinit, in *Mosella* Eidyl. IX.

Naviger undisona dudum me mole Saravus
TORTA VESTE VOCAT ———

Quod si quis huc etiam posse referri opinabitur, quæ tradidit Flavius Vegetius in lib. III. cap. v. de *Veste* a belli duce *moveri solita ad aliquid mute significandum*, id ego illi concesserim non invitus. Vegetii verba ex eo, quem dixi, loco, sunt hæc, *Præterea manu aliquid, vel flagello, more barbarico, vel certe MOTA QUA UTITUR VESTE SIGNIFICAT*, Ut tandem minime mirum videri debeat, *si togæ jactatione compellatos olim*, *ac revocatos* in Circo equorum agitatores ex Ovidio confecerimus. Ac de Ovidii loco, quo Bulengeri, ac Casauboni sententia nitebatur, hæc quidem hactenus. Venio ad *Oraria*, *ad favorem* quandoque solita *agitari*.

CAP. VII.

ORARIA *quoque* AD FAVOREM *interdum* CONCUSSA ET AGITATA. *Imperatorem Aurelianum fuisse hujusce consuetudinis principem, & auctorem. Penetrasse nonnunquam eandem consuetudinem in sacros etiam Christianorum Conventus.*

MOVEBANTUR igitur nonnunquam VESTES, ET AGITABANTUR AD FAVOREM: Verum, cum id fortasse non satis commode fieret, dedit hoc Aurelianus Imperator, ut liceret populo Romano, ad eundem favorem exprimendum, *Vestium* loco *Orariis* uti; quod ista scilicet essent parabilia magis, minusque incommode concuterentur. Atque hoc Flavio Vopisco teste dicimus, apud quem ita in *ipsius Aureliani Vita* scriptum legitur cap. XLVIII. *Sciendum tamen, congiaria illum*, de Aureliano sermo est, *ter dedisse*, &c. *ipsumque primum donasse ORARIA populo Romano, quibus uteretur AD FAVOREM.* Ex quibus Vopisci verbis illud etiam elucet, *Instituti hujus auctorem* fuisse Imperatorem Aurelianum. Introductam porro ab Aureliano consuetudinem, non Theatra modo, cæterique spectaculorum loci, sed & sacri ipsi quandoque Christianorum conventus exceperunt, ac retinuerunt. Siquidem & Concionanti Chrysostomo *favit* non raro audiens populus, *præmollia jactando amicula, & fasciolas* (ORARIA intellige, ut non multo post patebit) & Samosatenus Paulus, item Concionans, ab Auditoribus suis non modo acclamari sibi, ac plaudi, sed *Oraria* etiam ad Theatri morem *moveri* expectabat. Nobis hoc de Chrysostomo Alexandrinus Georgius narrat in *ejus Vita*, cum ait: *Demirabantur omnes sapientiam munifico ac liberali Dei dono illi infusam; quodque tanta facilitate dissolveret Auditoribus, quæ in diversis scripturis occurrebant, perquam difficilia interpretatu, & vix cuiquam perceptibilia, quare ipsius Conciones excipiebant Plausu, ipsum ferientes aerem: illi quidem JACTANDO PRÆMOLLIA AMICULA, alii autem cutzulon pennulas quatiendo, alii item FASCIOLAS*, &c. De Paulo adfirmat Cæsariensis Eusebius, si quid est quod ipsius verbis quæ Ruffinus recitat in *Historia Ecclesiastica* lib. VII. cap. XXVI. possimus credere; *Verbum*, inquit, *faciens ad plebem, jactare supra modum dexteram, ac palmam fœmori illidere, pede quoque subsaltare, ac scabellum ferire cum sonitu. Ab Auditoribus vero non favorem, neque plausum sperare solum, sed Theatrali more ORARIA sibi MOVERI expectabat, & vocem tanquam de caveis dari.* Sed nos quomodo consuetudo ista *jactandi ad favorem Oraria* in sacros etiam ipsos Christianorum conventus irrepserit, uberius & enucleatius loco docebimus, cum Ecclesiasticas nimirum aperiemus Acclamationes. Nunc explicandum est, Quæ sit *Orariorum* in *favendo* Origo, forma, & usus.

CAP. VIII.

ORARIORUM ad favorem AGITATORUM *quæ sit nominis Origo, quæ forma, qui usus, aperitur commodius, quam quomodo eruditi Viri docuerint?*

EXPEDIAM rem totam paucis hoc loco, quod alibi justum ei Syntagma destinarim.

ORARIUM igitur, ex primo ac præcipuo sui usu, *linteum erat abstergendo ori paratum, longiusculum, modiceque latum ad fasciarum formam. Ac linteum* quidem fuisse, satis indicat Ruffinus, dum Eusebii locum, quem nos proxime superiori capite adduximus, de Samosateno Paulo convertens, ubi est in Eusebio ὀθόνη, *Orarium* ibi transtulit Ruffinus: τοῖς μὴ, ait Eusebius, ἐπαινοῦσι μηδὲ ὡς ἐν τοῖς θεάτροις κατασείουσι ταῖς ὀθόναις. Ruffinus autem: *Ab Auditoribus vero non favorem, neque plausum sperare solum, sed Theatrali more ORARIA MOVERI sibi expectabat.* Quis autem vel tinctus Græcis litteris nescit, id Græcis ὀθόνην significare, quod *linteum* Latinis? Idipsum etiam ex eo manifeste ostenditur, quod a probatis auctoribus, Græcis, & Latinis, confunduntur sæpe ista, *Sudarium*, *Semicinctium*, φώσσον, & *Orarium*; alterum promiscue pro altero, tanquam synonyma, usurpantur; & quod unius duntaxat proprium videbatur, omnibus non raro tribuitur. In Etymologico magno ita est: φώσσον, σινδών. λέγεται δὲ οὕτω ὃ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται ὡράριον. Ut sit Latinis *Orarium*, quod φώσσον Græcis. Hesychius, Σιμικίνθια, φακεόλια, ζωνάρια. Suidas, Σιμικίνθιον, φακεόλιον, ὁ σουδάριον. Etiam Beatus Hieronymus in Epistola II. quæ est ad Nepotianum, *Ridiculum*, ait, *& plenum dedecoris est, referto marsupio, quod SUDARIUM, ORARIUMQUE non habeas, gloriari.* Hæc omnia porro, φώσσων, *semicinctium*, & *sudarium*, *lintea* fuisse nemo ignorat. Siquidem de primo sic scriptum videas in eodem Etymologico Magno, φώσσον, λινοῦν τι, *linteum quid.* De *Sudariis* & *Semicinctiis* idonei sunt Auctores Oecumenius, & Theophylactus *in cap.* XIX. *Actuum Apostolicorum*. ille quidem, *SUDARIA*, inquiens, & *SEMICINCTIA*, *utraque existimo LINEI generis fuisse.* Alter vero sic scribens; *SUDARIA, & SEMICINCTIA LINEA sunt utraque.* B. quoque Hieronymus proxime adducto superiori loco sententiam hanc planissime confirmat, cum *Sudarium*, & *Orarium* vestes *lineas* appellet, & *lineum* amictum. *Non absque amictu LINEO*, inquit, *ince-*

incedere, sed pretium vestium LINEARUM non habere, laudabile est. alioquin ridiculum, & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod SUDARIUM, ORARIUMque non habeas, gloriari. Videri utique potest idem Hieronymus huc etiam respexisse, cum *ad caput* III. *Micheæ* scripsit in hæc verba: *Quid prodest circa collum ad abstergendos sudores: LINTEOLUM non habere? quid juvat esse μονοχίτωνος, & præferre habitu paupertatem, cum marsupium nostrum universa pauperum turba suspiret?* Scilicet *linteoli* nomine *ad abstergendos sudores* aliud nihil meo judicio significare voluit Hieronymus, quam *Sudarium*. Quas ob res *lintea* fuisse ista omnia, satis jam patere arbitror: Ex quo, ut & *Orarium* fuerit *linteum*, perspicue sequitur.

Ad id autem primo factum ORARIUM, ut *os*, seu *faciem abstergeret*, multa sunt quæ probent. Diximus paulo ante, hæc duo, *Orarium*, & *Sudarium*, confundi sæpe scribendo ab Auctoribus, & promiscue alterum pro altero poni; cum vero certum sit, *Sudarium*, quemadmodum & ipsa nominis notatio satis ostendit, & tradunt diserte iidem illi, quos modo supra nominavi, Hieronymus, Oecumenius, & Theophylactus, ut de cæteris nunc taceam, *linteum fuisse ad tergendos sudores paratum*, fateri omnino necesse est, ipsum quoque *Orarium* ad *Oris*, seu *faciei sudores abstergendo*, olim adhiberi consuevisse. Hoc idem significari ab Aurelio quoque Prudentio firme assevero, cum in primo περὶ στεφάνων hymno, *Oris pignus* appellat *Orarium*, ita canens:

Hic sui dat PIGNUS ORIS, ut ferunt ORARIUM.

Sed apertissime Beda in *Martyrologio*, octavo Idus Februarii, scribens hoc pacto: *Dorothea ducta ad locum pœnarum, ubi & passa est, cum a Theophylo quodam Scholastico irrideretur, quod, ad Paradisum vadens, a sponso suo Christo rosas, & mala ei mitteret, quæ statim promisit, se esse missuram. Ubi ergo ventum est ad locum, in quo jugulanda erat, paulisper oratione facta, protulit ORARIUM suum & vocato ad se quodam puerulo annorum sex, misit Theophylo dicens, Dic ei, Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de Paradiso sponsi sui Christi. Is accipiens, & gratias agens, quod petitionem ejus implesset, cœpit sibi FACIEM TERGERE, tantaque repente suavitate perfusus est, ut tota mente mutaretur*, &c. Hactenus Beda; cujus loci ea maxime verba, *cœpit sibi faciem tergere*, attento animo considerari oportet; rem enim nostram apertissime confirmant.

Itaque ab ORE qui ORARIUM nomen invenisse opinatus est in suis ad Flavium Vopiscum Notis & Emendationibus, is vere judicavit: & illi ego libentissime assentior. quicquid de Græca vocis hujus derivatione tradiderit eruditissimus alioqui Balsamon in suis ad Canonem XXII. Synodi Laodicenæ Commentariis, & ex eo Matthæus Blastares in Conciliorum Synopsi M. S. quorum opiniones examinamus alibi diligenter, ac rejicimus.

Jam vero, quod ad *formam* attinet *Orariorum*, erant ea omnino *ad fasciarum formam longiuscula, ac modice lata*. Ut autem ita sentiam, facit in XXII. *de Civitate Dei* libro cap. VIII. Beatus Augustinus; quo in loco, de eo agens, cui delapsus sede sua oculus in maxillam deciderat: *Tunc*, ait, *sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem loco suo revocatum ligavit ORARIO*. Quod autem *Orarium* Augustinus, id ipsum in re simillima Euagrius vocat τελαμῶνας hoc est, *Fasciolas*. sic enim scriptum est apud eum in *Histor. Ecclesiastica* lib. IV. cap. VII. ex Christophorsoni interpretatione: *Joannes Chuzubites, postquam uxori Arcesilai alterum oculum radio effossum audivit, propere ad illum contendit, plagam, quam acceperat, conspicaturus, ubi autem vidit pupillam penitus excidisse, & oculum sede dilapsum, cuidam ex Medicis, qui eo commearant, mandat, ut spongiam afferat, oculumque dilapsum in sedem quam commode posset inducat, & spongiam appositam FASCIOLIS ALLIGET*. τελαμῶσιν ἀναδῆσαι, ait Euagrius; ut sint omnino τελαμῶνες, hoc est, *Fasciolæ*, &, *Oraria*, par quid ac simile. Etiam Callisti filium Nicephorum, quas dixit Eusebius ὀθόνας & *Oraria* Ruffinus transtulit, easdem τελαμῶνας appellasse ex eo facile crediderim, quod ejus Interpres Joannes Langus, *Fascias tenues*, convertit. Rem autem pendo conjectura, & ad Interpretem confugio, quod Græca Nicephori scripta jamdiu non compareant. Ait igitur Nicephorus, seu Nicephori Interpres de Paulo Samosateno lib. VI. cap. XXX. *Quod si qui hæc non laudarent, &, quod in Theatris fieri soleret, FASCIARUM TENUIUM JACTATIONE, & CONCUSSIONE non applauderent*, &c. Forte hac voce eadem usus quoque videatur Alexandrinus Georgius, cum, quæ nos *Oraria* sumus interpretati, Concionante Chrysostomo jactari solita, eadem illius Interpres *præmollia* dixit *amicula*, & *fasciolas*. Verum hæc etiam esto conjectura probabilis; cui tamen non ante assentiar, quam Græcum Georgii textum, qui mihi fidem plane faciat, inspexero. Beatus porro Ambrosius eandem ORARII formam non obscure expressit, cum in Oratione de obitu Satyri fratris hæc plane narrat: *In naufragio constitutus*, Satyrus, *non mortem metuens, sed ne vacuus Mysteriis exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab illis divinum illud sacramentum poposcit; non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim LIGARI fecit in ORARIO, & ORARIUM INVOLVIT COLLO, atque ita se dejecit in mare*. quæ enim extremo loco posita sunt verba, *Ligari fecit in Orario*, &, *Orarium involvit collo*, ea videntur *de linteolo longiusculo, modiceque lato ad fasciarum formam*, quod nostrum *Orarium* est, omnino intelligenda. Lucem autem aliquam possunt ista capere a Suetonio in *Nerone* cap. LI. sic scribente: *Circa cultum, habitumque adeo pudendus*, Nero, *ut comam semper in gradus formatam pone verticem summiserit, ac plerunque Synthesinam indutus, LIGATO CIRCUM COLLUM SUDARIO prodierit in publicum. Sudarium* enim fuisse pro *Orario* promiscue scribendo usurpatum, jam antea planum fecimus. Vetus præterea Juvenalis interpres hanc nostram de Orarii forma sententiam nonnihil adjuvat, dum ad Satyram X. *amiculum illud longiusculum, Flammeoli* nomine dictum, quo solebant novæ nuptæ *amiciri*, *Orarium* appellari affirmat. Prætereo sciens hoc loco, quid fuerit apud Ecclesiasticos Scriptores *Orarium*, & in quem usum paratum. quamquam iidem etiam, quod ad ejus formam, quam nunc tractamus, attinet, optime declarant, fuisse illud, sive ad Diaconi, sive ad Sacerdotis, seu ad Episcopi usum, semper tamen *ad longiusculæ cujusdam fasciæ formam* omnino factum. Sed redeo ad nostrum *Orarium*.

LINTEUM igitur istud, *ad fasciarum formam* factum, quod ex primo sui usu *ad munditiem* duntaxat, *tergendo* nimirum *ori*, ac *faciei* adhibebatur, Imperator Aurelianus, ut ex Vopisco apparet, novum, nec antea cognitum illius usum instituens, dono dedit populo Romano, ut eo in spectaculis *ad favorem* uteretur. Quapropter, ut concludam aliquando, FAVERE ORARIO, vel, UTI ORARIO AD FAVOREM, ailud nihil erat, quam *jactato*, seu *concusso Orario*, hoc est, *fascia lintea longiuscula*, ac

A *modice lata* (eam nos hodie, ut opinio mea fert, *sudariolum* appellamus, vulgo, *fazzoletto*) *favoris*, ac *benevolentiæ* signum dare.

Falli itaque oportet eruditissimos Viros, qui prolatum Vopisci locum explicantes (alter quidem in *Electis* lib. II. cap. X. alter vero in Notis ad Tertulliani librum *de Spectaculis* cap. XXV.) FAVOREM quidem; *solemnem Acclamationem*, ORARIUM vero, TEGMEN; seu VELAMENTUM *resonans*, ORI *admotum*, *ad dirigendum magis in acclamando vocem*, *concentumque augendum*; interpretatus est. Nec ullo modo audiendus alter, vir sane doctissimus, dum in *suis ad Flavium Vopiscum* B *Dilucidationibus*, per *Oraria* adfirmat, intelligi debere (ejus verba sunt) VITTAS, *vulgo*, BANDE, *quibus corpora cingere ab humero sursum*, *deorsum vero ad oppositum ilium solent*, *vel collo circundare milites*; *ut*, *cujus Centuriæ*, *seu Legionis*, *sint*, *dignoscantur*, *& sub quo duce militent*. Addit autem, eam ob causam donasse *Oraria* populo Romano Imperatorem Aurelianum, *ut popularium animos in sui amorem alliceret*, *& popularem auram captaret*. Errorem cujus, Vopisci certe verba satis refellunt. Illud item, quod subjicit, NOMEN ex eo inve- C nisse ORARIA, quod *similitudinem haberent cum iis navium*, *seu anchorarum funibus*, *quos* ORAS *appellavit antiquitas*, id totum commentitium est. nam nusquam nos quidem apud probatum Auctorem invenimus, *Oram* pro *fune nautico* positam: & Livii Codices vetusti, non *Oras*, sed *Lora* semper habent; & Quintiliano, *Oram solvere*, aliud nihil est, quam, *solvere*, seu, *discedere a littore*, & *navigare*.

Hæc cum jam scripsissem, incidi in eruditissimas doctissimi Viri notas ad Augustæ Historiæ Scriptores. Hic igitur, adductum Vopisci de Aureliano locum exponens, ORARII nomen, non ab ORE, sed ab ORA, *vestis* nimirum *lacinia* deducit. D Subdit autem, *ORÆ hujusmodi*, *ac* LACINIÆ *loco*, *quam in ludis publicis faventes Romani agitabant*, INSTITAS *illis*, *ac* FASCIAS *quas manu tenerent*, *& ad favorem moverent*, *dedisse Aurelianum*; *atque ab ea re dicta* ORARIA. Quod cum eruditissimi Viri, non hic solum, sed alii etiam, quibus cum rem communicavi, probarint; hoc ipsum nos quoque, si minus ut necessarium, at ut maxime verisimile, libentissime concedamus. Quamquam, meo judicio, summam ille gratiam ab eruditis iniisset, si quod dixit, *Vestium oras*, *ac lacinias* fuisse a Romanis *ad favorem motitatas & concussas*, id aliquo modo comprobasset: neque e- E nim ita se rem habere planum fecit argumento ullo, aut testimonio, quod tamen, ut est excellens ac singularis doctrina illius & eruditio, præstare facillime potuisset. Verum hoc ipsum de hujusmodi ORARIIS nunc quidem fortasse nimium: quare alia videamus.

CAP. IX.

PRETIO *quandoque* REDEMPTOS, *qui plauderent in Theatris*, *& acclamarent*.

ILLUD unum superesse videbatur, de quo quæreremus, antequam ab hoc Theatri propitio & F honorifico favore discederemus; *Emptos* nimirum nonnunquam in Theatris *Acclamatores & Plausores*. Res enim eo processerat, ut quemadmodum lugendis mortuis mercede conducebantur fœminæ, sic homines plaudendis ludorum, ac spectaculorum actoribus se locarent. Atque id locus ex Marci Ciceronis oratione *pro P. Sestio* plane probat, in quo ista scripta sunt: *Theatrales*, *gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere levitate nonnullorum* EMPTOS PLAUSUS, *& exiles & raros excitare*. A Valerio quoque Martiali lib. VII. *Epigramm. in Cinnamum*, consuetudinis hujus mentionem factam video; est enim sic inibi,

VENDERE nec vocem Siculis, *PLAUSUMque Theatris*.

Petronius item Arbiter eodem modo, cujus sunt illa ex primis *Satyrici* sui Carminibus:

——— *neve PLAUSOR in scena*
Sedeat REDEMPTUS, *histrioniæ addictus*.

quem locum ab eruditis frustra video, & sine causa exagitari. Beatus etiam Hieronymus *ad Oceanum* scribens in epist. LXXXIII. rem eandem commemorat; inquit enim: *At nunc plerosque cernimus*, *vel FAVOREM populi in aurigarum morem PRETIO REDIMERE*, *vel tanto omnium hominum odio vivere*, *ut non extorqueant PECUNIA*, *quod mimi impetrant gestibus*. Verum de corrogatis, preceque, ac pretio redemptis Acclamatoribus, & Plausoribus, nunc quidem hactenus: eadem enim in libro III. uberius omnino retractanda sunt. Venio ad turpem, & adversum Theatri favorem.

CAP. X.

INFESTE *etiam*, *ac* TURPITER FAUTUM *olim in Theatro*.

VERBA hæc, FAVOR, &, FAVERE. Theatri fuisse, ac spectaculorum omnium maxime propria; iisque, non tacitam modo, & occultam animi benevolentiam, sed quæ voce etjam, ac gestu significaretur, exprimi consuevisse, jam antea in IV. hujus libri capite docuimus. Eandem itero nunc orationem; sed hoc amplius addo, loquutos inibi nos de *propitio* duntaxat, ac *honorifico favore*: reservata scilicet in hunc locum de *turpi*, & *adverso* tractatione. Nam *indecore* etiam, ac *infeste fautum* olim in Theatro, eumque *favorem* vocibus item, ac gestibus expressum, quæ proxime subjiciam, planum facient.

Quemadmodum igitur vox ista, ACCLAMATIO, quamvis simpliciter pronunciata de *fausta* tantummodo accipi soleat, *adversæ* tamen omnino, ac *secundæ* communis est: sic FAVOR promiscue dicitur, tam de *propitio* & *honorifico*, quam de *turpi* & *infesto*, licet sine addito prolatus consueverit de *honesto* duntaxat, ac *secundo* intelligi. Atque INFESTE quidem, ac TURPITER FAUTUM olim in Theatro, planissime confirmant Julii Capitolini verba in *Vero Imperatore* hoc pacto conscripta cap. VI. *Denique etiam præsens*, *& cum Marco sedens*, Verus, *multas a Venetianis passus est injurias*, *quod TURPISSIME contra eos favisset*. TURPISSIME enim dicens, *indecorum* ac *turpem* expressit *favorem*; dum autem subjecit, CONTRA EOS, *adversum* utique & *infestum* indicavit. Scite Græci de *adverso* hujusmodi *favore*, ἀντισπουδάζειν dixere, quasi *favere contra aliquem*, seu, *alicui infeste favere*. De TURPI vero singillatim, præter Capitolinum, Arrianus etiam locuples testis esse potest, in Commentariis *de Epicteti Dissertationibus* lib. III. cap. IV. dum hæc scribit, in Capitis quidem titulo, πρὸς τὸν ἀκόσμως ἐν θεάτρῳ σπουδάσαντα, hoc est, *Adversus TURPITER in Theatro FAVENTEM*. sic enim prorsus Latine sonant verba illa parum bona fide ab Interprete conve sa. Sub ipsum autem Capitis initium ita legimus: *Cum Prætor Epiri Comœdo cuidam TURPIUS FAVISSET*, ἀκοσμότερον σπουδάσαντος, *eaque de re publice convicio jactatus fuisset*, &c. Ex quibus sane locis illud etiam satis ostenditur, *Infeste* quidem simul & *turpiter* interdum, interdum ta-

tamen *turpiter* duntaxat *fautum* fuisse. Quæ res A mihi causam attulit sane justam, inquirendi hoc loco, *Quo potissimum gestu, ac modo soleret olim* TURPIS FAVOR, *quo item* INFESTUS *significari; & qua in re alter ab altero maxime differret?*

CAP. XI.

Indicatum, quo olim modo TURPIS FAVOR, *quo item* INFESTUS *exprimi soleret?*

QUAMVIS TURPIS FAVOR omnis esset etiam aliquo modo INFESTUS; non tamen quemcunque *infestum*, *turpem* item B semper fuisse existimo. Atque hanc ob causam factum crediderim, ut alio gestu, ac modo turpis, infestus alio significari soleret. INFESTUM certe *Pollicis conversione* exprimebant; TURPEM vero, cum *Sibilis* ac *Pastoritia fistula*, tum *Vociferatione*, seu *incondito clamore*, & *Sannis*, hoc est, *Oris*, *ac Manuum inepta ac indecora conformatione*. Quæ omnia ex antiquorum monumentis, a *Pollicis conversione* exorsi, accurate considerabimus.

CAP. XII.

INFESTUM *olim Spectatorum in Gladiatoriis ludis* FAVOREM, POLLICIS *potissimum* CONVERSIONE *expressum*.

POLLICIS utique CONVERSIONE *infestum* seu *adversum* Theatri *favorem* potissimum significatum, discimus ex Juvenalis Satyra III. canentis in hunc modum:

Munera nunc edunt, CONVERSO POLLICE vulgi
Quemlibet occidunt populariter ——

de Gladiatoriis ludis sermo est, in quibus, si INFESTE quandoque FAVISSET populus, POLLICEM scilicet CONVERTENDO, eorum statim Gladiatorum *interitus* consequebatur, *contra* D *quos fautum esset*. Ita hunc Juvenalis locum explicant eruditissimi Viri, Politianus in *Miscellaneis* cap. XLII. Turnebus *Adversariorum* lib. XI. cap. VI. Torrentius *ad Horatii librum* I. *epist.* XVIII. & Lipsius II. *Saturnal. sermon* libro cap. XXII. quorum ego sententiæ & libentissime nunc assentior, & afferam fortasse etiam lumen non tenue in proxime sequente capite. Aurelius item Prudentius in eundem sensum videtur CONVERSUM POLLICEM usurpasse, cum sub posterioris *contra Symmachum* libri finem, in Vestales Virgines ob id in- E vectus, quod gladiatoria munera libenter, studioseque spectarent, scripsit hoc pacto,

—————— *consurgit ad ictus,*
Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delitias ait esse suas, PECTUSQUE JACENTIS
Virgo modesta jubet CONVERSO POLLICE RUMPI.

Ac, POLLICEM CONVERTERE, jam in proverbium abiisse de eo, qui male vellet, atque *infeste contra aliquem faveret*, scriptum reliquit Adagiorum Collector, verbo, POLLICEM PREMERE, vel CONVERTERE. F

CAP. XIII.

Declaratum, quo potissimum modo PREMERETUR *olim* UTERQUE POLLEX a propitiis fautoribus, quo *item* ab infestis ALTER *duntaxat* VERTERETUR? *Perpenditur hac de re Porphyrionis, Acronis, ac Cruquii opinio*. INFESTI *spectatores apud Suetonium idem, quod* INFESTE, *seu* CONTRA FAVENTES. *Pollex* INFESTUS *a Pentadio Poeta pro* CONVERSO *positus*.

QUONIAM in V. hujus libri capite est a nobis demonstratum, POLLICIS UTRIUSQUE PRESSU *propitium* Theatri *favorem* quandoque expressum; quoniam item proxime superius ostendimus, *infestum*, seu *adversum*, ALTERIUS duntaxat CONVERSIONE significatum; merito nobis occurretur hoc loco, & quidem ab eruditis, quærentibus, *quo* potissimum *modo* POLLICEM olim UTRUMQUE PREMERENT *amice faventes*, *quo* item *ab infeste faventibus* ALTER duntaxat VERTERETUR. Quem sane nodum haud scio, an, præter Porphyrionem, Acronem, & Cruquium, alius quispiam sit conatus expedire. Placet autem eorum & recitare verba, & opinionem examinare, ut deinceps, quid sit in re veri, perspici possit liquidius. Hi igitur ad eum omnes Horatii locum ex epist. XVIII. libri I.

Consentire suis studiis qui crediderit te,
FAUTOR UTROQUE tuum laudabit POLLICE ludum,

scripsere in hæc verba. Porphyrion quidem, UTROQUE POLLICE, ait, *id est, utraque manu, συνεκδοχικῶς, a parte totum. an qui vehementius laudat, manus jungens jungit pollicem cum proximo?* Acron vero UTROQUE POLLICE, inquit, *συνεκδοχικῶς, manu utraque sublata, ac sæpius mota: hic enim gestus valde laudantium est*. Jacobus demum Cruquius, vir sane doctissimus, & multæ lectionis, sic scribit: *POLLICE ad medium digitum presso, inque indicem relapso, signum larum, sonitumque damus, favoremque significamus; quod si fiat UTROQUE POLLICE, maximi id favoris est; & hoc est; PREMERE POLLICEM. CONVERTERE vero POLLICEM, quod est, non annuentis, sed vituperantis est, manu pansa POLLICEM A COMPRESSIONE CONTINERE in signum doloris, & malevolentiæ*, itque hic blandiens sibi, ac veluti favens Cruquius, subjicit, *Judicet Lector, an hæc conjectura nostra sit ALTERO POLLICE digna*. Hæc sunt illorum verba, hæc est expressa ab iis nodi solutio. Verum, ut quod sentio dicam libere, & ea difficultatem habent, & hanc probare nullo modo possum. Nam, quod aiunt Porphyrion, & Acron, positum ab Horatio UTRUMQUE POLLICEM *συνεκδοχικῶς*, PRO MANU UTRAQUE, *a parte totum*, non sunt audiendi. redarguit eos gravis auctor Plinius, qui de hoc in *favendo pressu* pauca summatim perstringens in *Naturali Histor.* lib. XXVIII. cap. II. *Pollicum* meminit, non *Manuum*, quemadmodum etiam Horatius dixit, *utrumque pollicem*, non autem *manum utramque*. POLLICES, inquit Plinius, *cum faveamus*, PREMERE *etiam proverbio jubemur*. qui locus est a nobis in V. hujus libri capite iterum productus. Quod vero addunt, Porphyrion quidem, *Qui vehementius laudat, ab eo pollicem jungi cum proximo*; Acron vero, *Manum utramque sublatam; ac sæpius motam, gestum fuisse valde laudantium*, ne non sit fictum, valde vereor. nec enim, quod sciam, alii consuetudinis hujusmodi meminerunt; & quod probare debebant ut dubium, suo quodam jure sibi sumpserunt pro concesso. Cruquium porro in eo primum falli crediderim, quod *alterum* duntaxat *Pollicem* fuisse olim *in favendo pressum* affirmat. Cujus error, si non alia re, Horatii certe, ac Plinii testimonio plane refellitur; quorum alter *utrumque Pollicem*, *Pollices* alter dixit. Præterea gestus, quem in *premendo pollice* solitum usurpari memorat Cruquius, non *pollicis pressus* est, sed *crepitus digitorum*; is scilicet,

quo fiebat audientia interdum, interdum famuli evocabantur, sæpius indicabatur vilium, ac inanium rerum contemptus, nunquam autem favor exprimebatur. Cujus sane gestus multiplicem significationem, cum in Tractatu *de Concionum Ritibus*, & in primo hujus Operis libro leviter attigimus, tum in SYNTAGMATE *de artificiosa manuum loquela* fuse, & accurate persequemur. In hoc quoque decipi Cruquium existimarim, quod *Premere pollicem*, narrat fuisse, *Pollicem ad medium digitum premi, atque in Indicem relabi*. Hæc enim verba, quantum ego video, modum potius exprimunt, quo *digitus medius pollice tereretur*, quam quo *premeretur pollex*; quod extra quæstionem erat. Quod item ait, *Convertere pollicem* aliud nihil fuisse, quam *manu pansa pollicem a compressione continere*; id totum incertum, atque obscurum est. neque enim ita se rem habere planum facit ratione ulla, aut argumento; & neutiquam possumus nos ex iis verbis modum conjicere, quo *pollex alter verteretur*; id quod tamen inibi quærendum, & explicandum proposuerat Cruquius. Inanis ergo videtur, & commentitia tota Porphyrionis, Acronis, & Cruquii de *Pollicis conversione*, ac *pressu* opinio; quam ob causam adnitendum est, ut, quod huc faciat, nos aliquid curemus.

Duo autem debent hic præcipue animadverti. Unum, *In gladiatoriis ludis potentem adeo fuisse spectatorem populum interdum, ut, cui faveret, is incolumis servaretur; ille vero jugularetur, cui denegaret favorem, seu contra quem turpiter faveret*. Quam rem Philosophus Seneca, licet subobscure, in libro, cui Titulus, *In sapientem non cadere injuriam*, cap. XVI. complecti videtur, cum inquit: *Quæris, quid inter duos intersit? Quod inter Gladiatores fortissimos; quorum alter premit vulnus, & stat in gradu; alter respiciens ad clamantem populum, significat nihil esse, ac intercedi non patitur*. Nimirum fortissimorum hujusmodi Gladiatorum occultabant alii vulnera, stabantque in gradu suo, ut, fallentes hoc modo populum, favorem ab eo, atque adeo vitam sibi extorquerent: alii vero contemnentes eundem populi favorem, deque salute propria nihil curantes, pro se intercedi non patiebantur. *Delati* porro *favoris*, atque adeo *vitæ*, *signum* erat *unus & alter pressus pollex*, *denegati* vero, ac proinde *mortis*, *alter* duntaxat *conversus*. Fit a Suetonio item, & a Pentadio Scholastico, Poeta veteri, istius consuetudinis non obscura mentio. quorum verba hoc libentius recitabo, quod ex iis apte adductus proxime superius Senecæ locus exponetur. *Gladiatores notos*, inquit Suetonius in *Julio Cæsare* cap. XXVI. *sicubi infestis Spectatoribus dimicarent, vi rapiendos, servandosque mandabat*. Pentadius vero in Elegia *de Spe* (de cujus quidem Poematis titulo, sicut & de Poetæ, adhuc anonymi, nomine nuper nos admonuit vir doctissimus Caspar Barthius in eruditissimis suis *Adversariis* lib. XXIII. cap. XVII.) canit in hunc modum:

Sperat & in sæva victus Gladiator arena,
Sit licet infesto pollice turba minax.

Siquidem Suetonio, *Infesti* spectatores, idem omnino valent, quod, *contra faventes*, seu, *favorem denegantes*, *converso* scilicet *pollice*. Cæsar enim probe tenens, certissimo in vitæ discrimine positos Gladiatores illos, qui inter dimicandum spectatores haberent *infestos*, hoc est, *minime faventes*; sive quod esset, natura lenissimus, sive quod in muneribus edendis frequentem omnino cuperet habere Gladiatorum numerum; quos *morti infestus* populus *converso pollice* destinabat, eos vi quandoque rapiendos, sibique ad munera reservandos jubebat. *Infestum* quoque *pollicem* fuisse pro *converso* positum a Pentadio facile crediderim. nimirum ad id respiciebat Poeta, quod in gladiatoriis ludis fiebat nonnunquam. Quamvis enim qui adversario inter dimicandum succubuerat, de more jugulandus esset, ipsumque *necis signum* daret populus *converso pollice*; fiebat tamen aliquando, ut populus ipse pro victo intercederet, & jam, non *alterum convertens pollicem*, sed *utrumque premens*, eum *a morte liberaret*. atque hanc ob causam puto dici a Poeta, Gladiatorem non plane de salute desperare, quamvis pene victus sit, & videatur ei populus *converso pollice mortem minitari*. Ex quibus omnibus valde planum fit, ut dicebamus, potentem adeo fuisse populum nonnunquam in gladiatoriis muneribus, ut, *cui denegaret favorem, is interficeretur; servaretur* autem *incolumis, cui faveret*. Simul & illud elucet, quod paulo ante monuimus, *delati favoris*, ac proinde *salutis*, *signum* fuisse *unum & alterum pollicem pressum*; *denegati* vero, atque adeo *necis*, *alterum* duntaxat *conversum*. Hoc igitur primo animadverti oportuit.

Sequitur aliud, quod est; *Gestus illos, qui, sive in pressu pollicis utriusque, sive in alterius tantummodo conversione, fieri solebant, maxime notos fuisse ac patentes*. Etenim cum *ex iis*, vel *spectantium favor*, aut *odium*, vel *dimicantium vita*, aut *interitus*, omnino penderent, credibile non est, ignotos fuisse ac latentes. Ex eo item existimarim, testatos omnibus, ac manifestos fuisse hujusmodi gestus, eorumque differentiam clare apparuisse, quod, ut iterum ac sæpius dictum est, *utroque pollice fieret* alter, alter *altero duntaxat*. ut minime verendum sit, ne, *sive utraque*, *sive altera tantummodo sublata manu*, non statim agnosceretur vel *favor & vita*, vel *odium & interitus*.

His ita positis ac patefactis, quo tandem abditam rem, sicunde possumus, eruamus, modus ipse aperiendus est, quo vel *premeretur uterque pollex*, vel *alter duntaxat verteretur*. Ausim itaque affirmare, PREMERE POLLICES aliud nihil fuisse, quam, *manu utraque sublata, pugnoque facto, pollices ipsos intra pugnum arcte, vehementerque comprimere*. VERTERE autem POLLICEM erat, *altera manu levata in sublime, inque pugnum pariter contracta, pollicem a pugno attollere, atque vel in eum ipsum, qui manum elevarat, detorquere ac retroflectere, vel circumagere seu in gyrum ducere*.

Atque hunc puto fuisse Veterum, sive *premendi utriusque pollicis*, sive *alterius duntaxat vertendi* modum. Cum quo (nisi quid mea me fallit opinio) & quæ animadvertenda præmonuimus, & quæ adduximus Veterum testimonia, maxime consentanea sunt. In cujus sane consuetudinis explicatione, si vel ad verum ipse accessi, vel lumen saltem aliquod rei perobscuræ videar attulisse, & gaudebo, non temere id a me tentatum, & non leve etiam me jam operæ pretium consequutum arbitrabor: sin contra accidat, magnum est etiam voluisse; & feram item æquo animo, argui errorem meum ac corrigi, atque eo nomine non mediocrem me gratiam erudito emendatori habiturum polliceor. His autem de INFESTO THEATRI FAVORE explicatis, jam est de TURPI dicendum.

CAP. XIV.

SIBILUM *proprie fuisse* inflatæ Fistulæ sonum. Sibilare, & Fistulari *idem Latinis*. *Græcis etiam* σύριγξ, Fistula *erat*, & Sibulus: συρίζειν *item*, *seu* συρίττειν, & fistula canere, & sibilare.

Spectantium & Audientium sonum ore factum, compressis dentibus, labris parum diductis, *fistulæque* sibilo *similem*, SIBILUM *appellatum*. *Sonitum hunc emittere*, sibilare & exsibilare *Latini dixerunt; Græci* συρίττειν, συρίζειν, κλώζειν, χλευάζειν, διαμυλλαίνειν.

PLURIBUS omnino modis expressum olim turpem Theatri favorem, *Sibilis* nimirum ac *pastoritia Fistula*, *Vociferatione* seu *incondito clamore*, & *Sannis*, hoc est, *inepta oris depravatione*, *manibusque indecore motis ac conformatis*, jam supra monuimus in cap. XI. Lubet nunc omnes hosce modos aperire, datis in singulos testibus incorruptis ex antiquorum auctoritate & fide.

Sibilus itaque, seu *sibilum*, ut hinc ordiar, proprie dicebatur *sonus* ille, quem *fistula inflata* emittebat. Ovidius in XIII. *Metamorph.* libro:

Senserunt toti pastoria sibila montes.

pastoria sibila, hoc est, *sonos*, quos *Pastorum fistula* reddebat. Hinc & M. Cicero *Ad Atticum* epist. XIII. lib. I. *pastoritiam fistulam* pro *sibilo* posuit; ut docti Viri eum locum explicantes adnotarunt. & a Martiano Capella in lib. IX. de Nuptiis Philologiæ *fistula* dicitur *sibilatrix*. & habent Isidori Glossæ. *Fistulor*, *Sibilo*. Græcis etiam σύριγξ *fistula* est, & *sibilus*: ipsumque συρίζειν, seu συρίττειν, *fistula canere*, & *sibilare*.

Qui *sonus* igitur, ad aliquem sive in Theatro, sive in Auditoriis, explodendum fiebat, *fistulæque sibilum* maxime imitabatur, eum Latini SIBILUM appellarunt; & SIBILARE, seu, EXSIBILARE, *sonitum* hujusmodi *emittere*, Græci communiter συρίζειν, seu συρίττειν, dixere: Pollux κλώζειν, Hesychius χλευάζειν, διαμυλλαίνειν Aristophanes. quod scilicet *ore* fieret hujusmodi *sonus* seu *sibilus*, *compressis dentibus*, & *labris parum diductis*.

CAP. XV.

SIBILUM *hunc* PLAUSUI *contrarie opponi*. PEDES *olim* SUPPLODEBANT EXSIBILANTES. *expressam eam rem a Græcis voce*, πτερνοκοπεῖν.

ILLUD etiam hoc loco præmonendi sumus (antequam ostendamus, sibilis hujusmodi vel spectaculorum ac ludorum actores, si minus probarentur, fuisse explosos; vel exceptos Illustres Viros ad spectacula intrantes, si odiosi populo & invisi) SONUM hunc, seu SIBILUM, qui *explodentium*, ut dicebamus, *ore fiebat*, PLAUSUI CONTRARIE OPPONI. Id quod M. Tullii locus ex epist. XVIII. libri II. *ad Atticum* plane probat, in quo ista scripta sunt: *Huic*, Curioni, *plausus maximi*, *consultatio forensis perhonorifica*, *signa præterea benevolentiæ permulta a bonis impertiuntur*. *Fusium clamoribus*, *conviciis*, & *sibilis consectantur*. quo loci, quemadmodum *benevolentiæ signis* contrarii sunt *inconditi clamores*, pugnantque inter se *convicia* & *honorifica consalutatio*, *sic PLAUSIBUS SIBILOS contrarie opponi* nemo non videt. Idem M. Cicero in Oratione *pro P. Sestio* eodem pacto: *Quid ego nunc dicam*, *quibus Viris*, *aut cui generi civium maxime applaudatur? neminem vestrum fallit. Sit hoc sane leve, quod non ita est, quoniam optimo cuique impertitur: sed si est leve, homini gravi leve est. ei vero, qui pendet a rebus levissimis, qui rumore & favore populi tenetur & ducitur, PLAUSUM IMMORTALITATEM, SIBILUM MORTEM videri necesse est*. Horatius quoque *sibilare*, & *plaudere* perinde accipit, quasi

A *contrarie opposita*. inquit enim sub avari illius Atheniensis persona in prima Satyra libri I.

——*Populus me SIBILAT: at mihi PLAUDO*
Ipse domi —— —— —— —— ——

& apud Theophrastum in Charactere περὶ βδελυρίας, voces κροτεῖν, & συρίττειν, quæ sunt, *plaudere*, & *sibilare*, contrariæ sunt; Ἐν θεάτρῳ, ait, de homine impuro & inepto loquens, κροτεῖν, ὅταν οἱ ἄλλοι παύωνται, καὶ συρίττειν οὓς ἡδέως θεωροῦσιν οἱ λοιποί. quæ convertas hoc modo, *In Theatro*, *reliquis tacentibus*, *ipse PLAUDIT*, &, *quos alii libenter spectant*, *ipse SIBILIS CONSECTATUR*,

B Aristophanes demum in *Vespis* verba ἀνακροτεῖν, & διαμυλλαίνειν, hoc est, *plaudere*, & *rictu oris sonum edere*, quod est nostrum *sibilare*, tamquam opposita usurpat, sic scribens,

Οἱ δ' ἀνεκρότησαν, πλὴν γε Θεοφράστου μόνου,
Οὗτος δὲ διεμυλλαίνεν.

quæ sonant hoc modo,

Hic quisque PLAUSIT, *sed Theophrastus tamen*
DISTORSIT ORA —— ——

Nec reticere debeo in præsentia, solitos olim hoc modo *exsibilantes*, sive in Theatro, sive in Auditoriis, *pedes supplodere*, *ipsaque sedilia calcaneis*

C *verberare*. quam rem Græci hac una voce, πτερνοκοπεῖν, expressere. Pollucis verba hæc ex *Onomastici* lib. II. cap. IV. id plane omnino declarant. *Posterior pedis pars calcaneum dicitur; unde* πτερνοκοπεῖν *derivatur*, *quod est*, *CALCANEO SEDILIA in Theatris PERCUTERE*, *ut aliquem EXSIBILENT*. Et in lib. IV. cap. XIX. *De Theatro*, inquit, *usitate dicitur*, *SEDILIA TALIS PULSARE*, *quod*, πτερνοκοπεῖν, *appellaverunt. hoc autem aliquem EXPLODENTES faciebant; unde & EXPLODERE*, & *EXSIBILARE dicitur*. Nunc etiam in publicis cœtibus consueverunt *exsibilantes* spectatores *terram ac tabulata plan*

D *tis pedum tundere ac pulsare*.

CAP. XVI.

SPECTACULORUM, *ac* LUDORUM ACTORES, *si minus probarentur*, SIBILIS *olim* EXPLOSOS *ab infesto populo*.

ATQUE hæc quidem de SIBILI *nominibus*, deque *Oris* SIBILANTIUM *conformatione*, quam brevissime potui; non ut omnia dicerem, sed ut maxime necessaria. Nunc, qui solerent in Theatro, cæterisque spectaculorum locis,

E exsibilari, & explodi, strictim subjungam. Ac quemadmodum, ut est a nobis in II. ac III. hujus libri capite demonstratum, fauste olim acclamabatur & plaudebatur, non iis modo, qui spectacula & ludos agebant, sed Illustribus etiam Viris ad spectacula intrantibus; ita *sibilis* quandoque *explosos* observo cum *ludorum aut spectaculorum actores*, si minus probarentur, tum *spectatores* etiam si invisi populo & odiosi.

Ac prius illud, de quo uno agimus in hoc capite, manifeste probat M. Tullii locus ex *Paradoxo*, *Quod æqualia peccata*, hoc pacto conscriptus;

F *HISTRIO*, *si paulum se movit extra numerum*, *aut si versus pronunciatus est syllaba una brevior*, *aut longior*, *EXSIBILATUR*, *EXPLODITUR*. Idem Cicero in lib. III. *de Oratore*: *Quotus*, ait, *quisque est*, *qui teneat artem numerorum*, *ac modorum? At in his si paulum modo offensum est*, *ut*, *aut contractione brevius fuerit*, *aut productione longius*, *Theatra tota RECLAMENT*. Hic autem, RECLAMARE, aliud nihil esse, quam, EXSIBILARE, &, EXPLODERE, certissimum est. In Oratione item *pro Q. Roscio* Comœdo: *Quod nuper*, in-

[A] quit Cicero, *in EROTE COMOEDO usu venit, qui posteaquam e scena non modo SIBILIS, sed etiam convicio EXPLODEBATUR, sicut in aram confugit in hujus domum, disciplinam, patrocinium, nomen*, &c. Demosthenes etiam illustre consuetudinis hujus testimonium dat, in *Æschine* sic scribens: *Lustrabas, & ego circumferebar; docebas, ego ibam ut audirem; tertias IN FABULA PARTES AGEBAS, & ego spectabam; EXCIDEBAS, ego SIBILABAM*. Respexit huc præterea Theophrastus, dum in Charactere περὶ βδελυρίας [B] ait in hunc modum; *IN THEATRO, reliquis tacentibus, ipse plaudit; &, quos alii libenter spectant, ipse SIBILIS CONSECTATUR*. Denique extat Tranquilli Suetonii in *Octavio Augusto* locus, qui ea, quæ dico, apposite confirmet; inquit enim in cap. XLV. *PYLADEM*, is pantomimus erat, *Urbe, atque Italia submovit Augustus, quod spectatorem, a quo EXSIBILABATUR demonstrasset digito*, &c.

CAP. XVII.

Etiam SPECTATORES *interdum, si odiosi populo & invisi, ab infeste faventibus* SIBILIS *in Theatro* EXPLOSOS. *Illustratus obscurior Ciceronis locus*. [C]

HORTENSIUS certe, Orator clarissimus, qui SIBILOS nunquam in *foro* abstulerat, *Theatrum* semel ingressus, ab infesto populo EXSIBILATUS est statim, & EXPLOSUS. Rem persequitur Cœlius ad Ciceronem scribens, in *Epistolarum familiar.* libro VIII. epist. II. *Accessit huc*, inquit, *quod postridie ejus absolutionis in THEATRUM Curionis Hortensius introivit, puto, ut suum gaudium gauderemus. Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum SIBILUS* [D]. *Hoc magis animadversum est, quod INTACTUS A SIBILO pervenerat Hortensius ad senectutem*. Marcus ipse Cicero, dum narrat, quibus diebus committebantur ludi, Gladiatorumque spectacula exhibebantur, iis se *faustas* semper abstulisse *Acclamationes*, & nunquam *pastoritiam fistulam*; indicat utique, fieri solitum aliquando, ut *Viri Illustres*, quemadmodum *faustis* sæpe *excipiebantur Acclamationibus & Plausibus* ab amicis spectatoribus, sic *ab infestis exploderentur* quandoque *sibilis*. Sunt hæc illius verba in epist. XIII. libri I. *ad Atticum*: [E] *Itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas* ἐπισημασίας *sine ulla PASTORITIA FISTULA auferebamus*. PASTORITIAM autem FISTULAM hic pro SIBILO positam, præterquam quod multi magna auctoritate Viri ad hunc locum tradiderunt, ex eo quoque planissimum fieri jam supra docuimus in cap. XIV. quod & SIBILUS esset FISTULÆ SONO simillimus, & σύριγξ, quæ FISTULA proprie dicebatur, pro SIBILO etiam a Græcis interdum usurparetur, ipsumque συρίζειν, seu συρίττειν, eisdem esset, & FISTULA CANERE, & EXSIBILARE. Sed alios item a ludorum ac spectaculorum actoribus fuisse in Theatris nonnunquam *exsibilatos* [F] a populo & *explosos*, significant illa quoque ejusdem Ciceronis verba ex epist. XIX. libri II. *ad Atticum*, hoc pacto conscripta: *Populi sensus maxime THEATRO & SPECTACULIS perspectus est. nam GLADIATORIBUS qua DOMINUS, qua ADVOCATI, SIBILIS CONSCISSI*. Cujus sane loci sensum eum esse existimarim; Gladiatoribus, *diebus* nimirum *illis, quibus gladiatorum munera dabantur*, & dominum interdum, hoc est, *munerarium*; & advocatos etiam, *eos* scilicet, *quos sibi ad decernendum de gladiatorum præmiis ac pœnis advocarat munerarius, & quasi socios ac testes adjunxerat*, fuisse interdum a spectante populo *explosos, sibilisque conscissos*. Huc etiam referri posse puto Velleii Paterculi locum ex libro II. de Titio, qui Pompejum jugularat, loquentis: *Cui in tantum*, ait, *duravit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in Theatro Pompeii faciens, EXECRATIONE populi, spectaculo, quod præbebat, pelleretur*. EXECRATIONEM enim hic interpretor *turpem favorem & sibilos*, quibus Titius ab infesto populo conscissus & explosus est.

CAP. XVIII.

VOCIFERATIONE, *atque* INCONDITO CLAMORE, *expressum nonnunquam* TURPEM THEATRI FAVOREM.

DE SIBILIS hæc hactenus. nunc de VOCIFERATIONE, atque INCONDITO CLAMORE dicam. Ac *voce* quidem *contentius*, atque *incondite emissa*, TURPEM nonnunquam significatum THEATRI FAVOREM, Arriano teste dicimus in adducto Epicteti lib. III. cap. IV. Etenim, TURPITER FAVENTEM, ut vidimus, ἀκόσμως σπουδάσαντα inibi vocasset Arrianus; explicans deinde, quid ipsum esset, ἀκόσμως σπουδάζειν, hoc est, *TURPITER FAVERE: Vide*, inquit, *quemadmodum Cæsaris Procurator spectet. VOCIFERATUR; VOCIFERABOR & ipse. Exilit; exiliam & ipse. Servi ejus hinc atque inde sedentes VOCIFERANTUR; ego, cui servi nulli sunt, pro omnibus, QUANTUM POTERO, CLAMABO*. quo loci vides, *incondito* certe *clamore* ac *vociferatione turpem Theatri favorem* omnino expressum. Ad eundem utique FAVOREM, e Theatris in ipsa Christianorum Templa, & Ecclesias jam invectum, crediderim animum etiam intendisse Chrysostomum, cum *turpe*, ac *indecorum faventis populi* in Concionibus sacris *studium* reprehendens in Homil. I. *de verbis Isaiæ*, appellat illud, modo *incompositum vocis boatum*, sæpe *clamores nihil certi significantes*, interdum *vocem absurditatis & inconditam*. Particulam Homiliæ, quam commemoravi, placet adscribere, quo minori quivis labore, cum de Chrysostomi sensu, tum de opinione nostra, lectis illius verbis possit existimare. *Sunt quidam*, ait Chrysostomus, *qui hic adsunt, qui contemnentes Deum, ac spiritus eloquia pro vulgaribus ac prophanis ducentes, INCOMPOSITUM VOCIS BOATUM emittunt*. Et paulo post: *Verum tu ista non cogitas, quoniam ea, quæ in Theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt; & ideo, quæ illic geruntur, in Ecclesiæ ritus inducis; ideo CLAMORIBUS NIHIL CERTI SIGNIFICANTIBUS animum incompositum evulgas*. Et infra: *Verum neque nos talem jubilationem prohibemus, sed VOCEM prohibemus NIHIL SIGNIFICANTEM. Neque prohibemus vocem laudis, sed VOCEM ABSURDITATIS, ET INCONDITAM*. Quæ quidem omnia turpi, de quo agimus, favori lubens accommodarim. Jam ipsas turpiter faventium SANNAS, *oris* scilicet, ac *manuum ineptas & indecoras depravationes* consideremus.

CAP. XIX.

ORIS DISTORTIO *ad illudendum*. VALGIA, *id est, labellorum obtortiones; a volvendo dicta, quasi* volvia. *Labiorum ductus, rictusque oris*. σαρχάζειν.

DE SANNIS egimus alio loco diligenter. nunc illinc ea duntaxat strictim assumemus, quæ ad illustrandum *turpem Theatri favorem* pertinere arbitrabimur. Erant autem duo præcipua SANNARUM genera; *Manuum* alterum, alterum *Oris*. ORIS quidem, *Distortum os*, sive *Labia diducta*, & *Ejecta lingua*: MANUUM vero, *Pinsens ciconia, Asini auriculæ*, & *Manus in obscœnum modum formata*. Hasce SANNAS omnes, modo hanc, modo illam, a TURPITER FAVENTIBUS usurpatas, dudum admonuit Casaubonus in *suis ad Capitolinum notis*. Sed quoniam id ille admonuisse satis habuit, nullum inibi rei, de qua agimus, interpretatione sua lumen afferens, videbor mihi non lusurus operam, imo gratiam fortasse ab iis initurus, qui eruditionem amant, si, quod huc faciat, aliquid curavero.

SANNÆ igitur nomine quamvis appellarentur *irridendi modi omnes*, *os* tamen *distortum* proprie *sanna* dicebatur. In Glossis veteribus, seu in Cornuti Scholiis ad primam Persii Satyram, ita legimus, SANNA *dicitur* OS DISTORTUM; *quod facimus, cum alios deridemus*. VALGIA autem nominarunt hujus *oris distortionem* veteres Latini; VALGIA, inquit Fulgentius in libello *de prisco sermone*, *sunt labellorum obtortiones in supinatione, vel sublatione peracta* Petronius in *Satyrico: Commovebat valgiter labra*. & iterum, *Obtorto valgiter labello*. Plautus in *Milite glorioso*, *Majorem partem videas valgis suaviis*. Huc enim facere Plauti verba ista, indicat ibidem Fulgentius, dum ad eorum probationem, quæ de Valgiis dixerat, adductum Plauti locum subjicit. Turnebus etiam, & Douza Pater eodem pacto interpretantur Plauti VALGIA: is quidem *Adversariorum* lib. VII. cap. VI. sic scribens: *Valga suavia obtortiones sunt oris ad derisionem. Meretrices autem, dum gloriosum militem ad osculandum labiis ductabant, & invitabant, per illusionem os obtorquebant, valgumque reddebant*. Alter vero in *Præcidaneis ad Petronium* cap. XII. hæc ait: *Valgis suaviis, hoc est, plane distorto ore Militem subsannant Meretrices, habentque miserum & gloriosum illum omnibus modis ludibrio ac despicatui*. VALGIA autem Etymon habere a *volvendo*, quasi *volvia* dicerentur, adfirmat Balbus in *Catholico*, dum inquit: *Valgia a volvendo dicuntur, quasi volvia, id est, retortiones. proprie enim labiorum obtortio est, quam facimus, cum aliquem deridemus; unde valgire, est, retorquere*. Eandem oris distortionem nominat Agellius *labiorum ductum, rictumque oris*: *Tum ille*, inquit in lib. XVIII. cap. IV. *rictu oris, labiorumque ductu, contemni a se ostendens, & rem, de qua quæreretur, & hominem ipsum, qui quæreret*. Græci autem σαρχάζειν dixere, quod est, *diducto rictu*, ut in Græco Lexico habemus, *ostendisque labiis irridere*; quod cum fit, dentes carne nudantur.

CAP. XX.

Illudentes olim LINGUAM *quandoque* EXERUISSE.

ALTERUM *Sanniæ* genus, quod *ore* fieri solitum dicebamus, erat LINGUÆ EXER-
A TATIO, seu EJECTIO. Qui sane modus illudendi, quemadmodum nunc passim ab hominibus projectæ audaciæ, triviisque assuetis, parum decore usurpatur, ita vetustissimus est. Expressit eum Persius in Satyra prima canens in hunc modum:

Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum.

ubi Cornutus ait, *Sannæ genus esse*, *LINGUAM EXERERE ad canis sitientis instar*. Ac nescio, an eruditissimus Hieronymus ad hunc Persii locum respexerit (irridendi certe modum, de quo nunc agimus, significavit apertissime) cum in epist. IV.
B quæ est *ad Rusticum Monachum*, ita scripsit: *Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aures ne libenter accomodes; qui, cum te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint; si subito respexeris, post te videas, ad illudendum, ÆSTUANTEM CANIS PROTENDI LINGUAM*. Id ipsum autem satis ostenditur ex militis illius Galli historia, qui Romanos ad pugnam provocans, ut eos irrideret, *linguam exeruisse* dicitur. Rem persequitur Claudius Quadrigarius apud Agellium in lib. IX. cap. XIII. iis verbis: *Extemplo silentio facto cum voce magna inclamat Gallus, si quis secum depugnare vellet, uti prodiret*.
C *Nemo audebat propter magnitudinem, atque immanitatem*, &c. *Gallus irridere cœpit, atque LINGUAM EXERTARE*. Quod idem Galli factum Titus quoque Livius, multo etiam, quam ille, purius ac jucundius in VII. libro his verbis exposuit: *Tum eximia magnitudine in vacuum pontem Gallus processit; & quantum maxima voce potuit, Quem nunc, inquit, Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior*, &c. *armatum T. Manlium, adornatumque adversus Gallum stolide lætum, & (quoniam id quoque memoria*
D *dignum antiquis visum est) LINGUAM etiam ab irrisu EXERENTEM producunt*, &c. In Cimbrico item Mariano scuto Gallus alter *ejecta lingua* depictus cernebatur, ut scilicet aspicientes illuderet. *Demonstravi*, inquit Marcus Cicero in lib. II. *de Oratore*, *digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico sub nodis distortum, EJECTA LINGUA, buccis fluentibus. Risus est commotus*, &c.

CAP. XXI.

E PINSENTEM ROSTRO CICONIAM *ad deridendum digitis aliquando expressam. Quomodo fieret hæc irrisio, & cur ita vocaretur? Falli Casaubonum, qui ciconiam, non digitorum, sed colli motu repræsentatam, scripsisse B. Hieronymum arbitratur*. ASINI *etiam* AURICULAS *manibus imitatos Veteres illudentes*. Stupidum & asinum *hac irrisione significabant*.

EXPOSUI ORIS *sannas*, nunc vero etiam MANUUM aperiam. Tria autem erant olim usitata, ut supra indicavimus, *sannarum manibus factarum* genera. Primum, cum *pinsens Ciconia*
F exprimebatur. Alterum, cum effingebantur *Asini auriculæ*. Tertium, cum *Manus in obscœnum modum formata* in aliquem illudendi causa porrigebatur. De quibus summatim pauca repetam.

Ac de Ciconia pinsente accipienda sunt ea Persii verba ex Satyra prima,

O Jane, a tergo quem nulla CICONIA pinsit.

Ad quem locum perbelle Cornutus: CICONIAM, inquit, *manu formare solent irrisores, qui unitate colligatos digitos agant ad inferiorem partem inclinata, similitudine ciconini rostri; quod cum præsentant, post*

tergum motitantes, derident quos volunt. Meminit ejusdem irrisionis B. quoque Hieronymus in adducta *ad Rusticum Monachum* epist. IV. scribens hoc pacto: *Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aures ne libenter accommodes*, &c. *si subito respexeris, CICONIARUM deprehendes post te colla curvari*, &c. Et in *Prologo ad Sophoniam* hæc ait: *Qui si scirent Holdam viris tacentibus prophetasse, & Deboram, judicem pariter & prophetam, hostes Israel Barach timente superasse*, &c. *nunquam post tergum meum manum incurvarent in CICONIAM*. Ex quibus omnibus manifeste intelligitur, *quomodo fieret* hæc irrisio, & cur *Ciconiæ nomine* appellaretur. Nimirum *manus, digitis omnibus collectis in unum, & ad ciconini colli similitudinem curvatis, inque eum directis, qui irridebatur, pinsentem rostro ciconiam frequenti & stata motione exprimebant*. Longe autem falli puto Casaubonum, dum in *Commentariis ad Persium* ex iis Hieronymi verbis, CICONIARUM *deprehendes post te colla curvari*, CICONIAM ex ejusdem Hieronymi mente, *colli motu*, non *digitorum*, exprimi solitam ab irridentibus comminiscitur. Non enim eam irridentium *colli motu* expressam dixit Hieronymus, *sed digitis ad instar colli ciconini formatis ac motis* repræsentatam. Hieronymus ipse quid senserit indicat, dum in adducto ex *Prologo ad Sophoniam* loco, non *collum*, sed *manum* dixit in *Ciconiam incurvari*.

Alterum *Sannæ* genus, ASINI videlicet AURICULAS, hoc modo exprimebant Veteres. *Apponebatur temporibus pollex, cæteri autem digiti ad auris asininæ similitudinem formabantur, ac subinde movebantur*. Qua quidem irrisione *stupidum* & *asinum* ostendebant eum, qui irridebatur. In Persii Satyra prima de ea sic est:

Nec manus AURICULAS imitata est mobilis ALBAS.

Auriculas albas, inquit Cornutus, *id est, asininas. nam sic stulti ridentur, apposito temporibus pollice, imitantes aures asini aliis digitis, quasi sannam facientes*. Idem Hieronymus in adducta iterum ac tertio *ad Rusticum Monachum* Epistola eandem sannam commemorat, cum ait: *Si subito respexeris, aut Ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu AURICULAS agitari ASINI*.

CAP. XXII.

MEDIUS DIGITUS *supremi olim contemptus, ac ignominiæ index*. Verpus *ob id*, infamis, & impudicus *appellatus*. *Ad aliquem per summam ignominiam notandum porrigebatur hic, compressis cæteris digitis, atque in eum, cui illudebant, intendebatur. Sanna hæc multis nominibus appellata*. Interponebatur *etiam quandoque* pollex inter medium, & indicem, *contractis in pugnum cæteris digitis, brachioque intento, ad deridendum. Dicitur sanna hæc ab Italis*, Far le fiche.

NUNC de eo sannæ genere dicere aggredior, ex tribus ultimo loco propositis, quod mihi restat tertium: id vero erat, MANUS, seu DIGITORUM *inepta & indecora conformatio*. Quæ quidem sanna ut planius intelligatur; admonendi sumus, *Medium* olim *digitum* supremi contemptus fuisse, ac ignominiæ indicem. Hinc factum, ut VERPUS vocaretur, a *verrenda* scilicet *turpi corporis parte*, seu potius a *Verpæ* & *obscœnitatis* similitudine, quam habet, cum porrigitur ipse compressis ac contractis cæteris digitis. Eandem ob causam dictus est INFAMIS, & IMPUDICUS. *Infamem* appellat Persius in Satyra II. cum ait:

INFAMI digito, & lustralibus ante salivis
Expiat.

Quo loci Cornutus, *INFAMI digito, ait, id est, medio, qui obscœnitatis est*. & subjicit, *Sunt autem nomina digitorum, Pollex, Salutaris, INFAMIS*, &c. IMPUDICUM Martialis lib. VI. ep. LXX.

Ostendit digitum, sed IMPUDICUM.

Impudicus etiam Priapi cantor eodem modo,

Derides quoque fur, & IMPUDICUM
Ostendis digitum mihi minanti.

Et Isidorus Hispalensis *Orig*. lib. XI. cap. I. digitorum nomina commemorans, *Tertius*, inquit, *IMPUDICUS, quod per eum plerunque probra insectatio exprimitur*.

Cum igitur quempiam vellent olim contumeliose irridere, perque summam ignominiam notare, *medium* solebant *digitum* porrigere, atque in eum, qui illudebatur, intendere. Sic Cynicus Diogenes, ut est apud Laertium in lib. VI. *de Vitis Philosophorum*, cum hospites quidam Athenas adventassent, ut Demosthenem, cujus famam domi acceperant, conspicerent, non *indice* eum *digito*, sed *medio* porrecto demonstravit, quo scilicet effœminatam illius mollitiem notaret. Sunt hæc Laertii verba: *Hospitibus aliquando Demosthenem videre cupientibus: MEDIO PORRECTO DIGITO, Hic, ait, vobis est ille Atheniensium Orator*. Quod idem Diogenis factum Arrianus quoque in *Epicteti Disputationibus* persequutus est, Demosthenem Sophistæ nomine appellans: *An ignoras*, inquit Arrianus lib. III. cap. II. *Diogenem sic demonstrasse Sophistam quendam medio digito extento? Hic, inquit, ille est: monstravi eum vobis*. Sic Caligula, ut Cassium Chæream parum virum, & effœminate mollem innueret, osculandam ei manum obtulit in obscœnum modum formatam; porrecto scilicet medio digito, cæteris contractis; *Primas sibi partes*, inquit Suetonius in *Caligula* cap. LVI. *Cassius Chærea Tribunus cohortis prætoriæ depoposcit: quem Cajus seniorem jam, ut mollem & effœminatum denotare omni probro consuerat*. &c. *ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre, FORMATAM COMMOTAMQUE IN OBSCOENUM MODUM*.

Hanc porro indecoram manus conformationem video multis nominibus a Scriptoribus appellatam. Suetonius in *Caligula* cap. LVI. ut proxime supra posui, vocat *Manum in obscœnum modum formatam*. Ælius Lampridius in *Heliogabalo* cap. X. *Digitis impudicitiam ostentare*. Apulejus in secundo *Metamorphos*. lib. *Digito denotare*. & in tertio, *Denotare manu*. Dio Chrysostomus in orat. XXXIII. *Medio digito ostendere*. Arrianus in *Epicteti Disputationibus* libr. III. cap. II. *Medio digito extento demonstrare*. Juvenalis in Sat. X. *Medium ostendere unguem*. Martialis lib. II. epigr. XXVIII. *Digitum porrigere medium*. Tertullianus in lib. *de Pallio*, *Digito destinare*. Græci nominant σκιμαλίζειν interdum, interdum καταδακτυλίζειν, aliquando etiam ἐφυβρίζειν. ita Suidas in σκιμαλίζω, & alibi, Aristophanes in *Acharnensibus*, in *Pace*, & in *Equitibus*: videndus linguæ Græcæ Thesaurus.

Ex his omnibus plane licet intelligi, & *digiti medii*, ut dicebamus, *porrectione, compressis cæteris, factam hanc irrisionem; & summi eam omnino contemptus, ac ignominiæ indicem fuisse*.

Sed hic forsitan dixerit aliquis, factam hujusmodi *sannam*, non *medio digito*, ut posuimus, *porrecto ac protenso, compressis cæteris*, sed *interposito*, seu *inserto pollice inter medium & indicem, ita ut pollex ipse insertus emineret & appareret, reliquis digitis in pugnum contractis, brachioque in eum, cui illudebatur, intento*. Equidem sannæ modus hic alter

ter nunc passim usurpatur ad aliquem per summam ignominiam irridendum. dicitur ab Italis, *Far le fiche:* ejusque meminere non semel, neque uno in loco ex antiquioribus Itali Scriptores non pauci. De eo item videntur posse non incommode accipi hæc Juvenalis ex Sat. x. superius a nobis allata,

—— *mediumque ostenderet unguem.*

& ea Suetonii in *Caligula* cap. cit. *Manum in obscœnum modum formatam.* nec non illa Lampridii in *Heliogabalo* dicto cap. *Digitis impudicitiam ostentaret.* Præterea uterque modus eandem ferme habet obscœnitatem. Quapropter, meo judicio, non longe is abibit a vero, qui in deridendo utrumque modum, & indecoram utramque manus conformationem promiscue olim usurpatam opinabitur.

CAP. XXIII.

THEATRALIS FAVORIS TURPITUDINEM *gradus olim habuisse. Etiam in* SANNIS *erant contemptus, & ignominiæ gradus. Quæ digito medio, cæteris compressis, porrecto, atque in eum, qui irridebatur, intento, fiebat sanna, eam omnino fuisse extremæ contumeliæ indicem. Conclusum tandem, quid sit apud Capitolinum,* TURPISSIME CONTRA ALIQUEM FAVERE?

ET hęc quidem erant, quæ pro tempore de *Sannis*, sive *Oris*, sive *Manuum*, a me scribi utiliter posse videbantur. Nunc breviter dicendum, quomodo iis illustretur TURPIS, de quo agimus, THEATRI FAVOR. In capitis quarti Titulo ex lib. III. Commentariorum Arriani *ad Epictetum* legimus hoc pacto: Πρὸς τὸν ἀκόσμως ἐν θεάτρῳ σπουδάσαντα, hoc est *Adversus TURPITER in Theatro faventem.* & sub ipsum capitis initium ita est: Τοῦ δ' ἐπιτρόπου τῆς Ἠπείρου ἀκοσμότερον σπουδάσαντος κωμῳδῷ τινι, id est, *Cum Prætor Epiri Comœdo cuidam TURPIUS favisset.* Julius autem Capitolinus in *Vero Imperatore* cap. VI. *Denique*, ait, de Vero ipso loquens, *etiam præsens, & cum Marco sedens, multa a Venetianis passus est injurias, quod TURPISSIME contra eos favisset.* Sunt hæc Arriani, & Capitolini loca superius a nobis in hoc eodem libro allata, ut, *turpiter* olim *in Theatro fautum*, evinceremus. Ea nunc iterum produximus, ut intelligatur, & *turpiter*, & *turpius* & *turpissime* etiam aliquando fautum in Theatro; *gradus* nimirum habuisse omnino *Theatralis favoris turpitudinem*. Quas item protulimus, sive ORIS, sive MANUUM SANNAS, eæ *contemptus*, & *ignominiæ gradus* habuere. Atque illa erat, ut diximus, extremæ contumeliæ index, quæ fieri solebat medio digito, compressis cæteris, porrecto, atque in eum, qui irridebatur, intento. Laertius certe quidem in eo, quem superiori capite produximus, loco ex VI. *de Vitis Philosophorum* libro, satis indicat, porrectione digiti medii obscœnum quippiam & maxime ignominiosum significari, cum ait, *insanos eos* haberi, qui hunc irridendi modum usurpant. Et Suetonius in *Augusto* cap. XLV. Pyladem pantomimum affirmat, ob id unum exilio mulctatum ab Augusto, quod exsibilantem spectatorem medio porrecto digito per ignominiam demonstrasset. Solebat nimirum sannæ genus hoc insignem adeo ignominiæ notam inurere irriso, ut ea nonnisi exilii pœna levari, aut mulctari posse videretur.

Quibus ita constitutis, asseverare non dubitarim, *has omnes Sannas*, ut dicebamus, modo *hanc*, modo *illam*, in *turpiter favendo* promiscue usurpatas. Nimirum *turpiter faventes in Theatro* ad ludentium, ac dimicantium contemptum & ignominiam, *sibilabant* interdum, interdum *vociferabantur atque inconditè clamabant; distorquebant os nonnunquam, linguamque exerebant; pinsentem etiam rostro ciconiam manibus quandoque exprimebant; & imitabantur aliquando asini auriculas.* TURPISSIME autem omnino & *per supremam ignominiam* FAVEBANT, ii, qui MANUM IN OBSCOENUM MODUM FORMABANT, *ac in eos, quibus ita favebatur, protendebant.* Atque ut concludam aliquando, hoc esse puto, quod appellat Capitolinus, TURPISSIME CONTRA ALIQUEM FAVERE.

CAP. XXIV.

LAPIDIBUS *nonnunquam in Theatro* APPETITOS *ab infeste Favente populo &* LUDORUM ACTORES, *si displicerent in agendo, &* SPECTATORES, *si minus chari & accepti.*

ADJUNGAM hic quidpiam de LAPIDATIONE THEATRALI sed breviter; quod iis, quę in proxime sequenti libro allaturi sumus, ut Scholasticos infeliciter agentes, male scilicet recitantes, aut dicentes, demonstremus fuisse ab audiente populo lapidibus quandoque appetitos, potest etiam res ista satis illustrari. Atque hanc quidem LAPIDATIONEM qui ad INFESTUM THEATRI FAVOREM pertinere arbitrabitur, is, ut opinio mea fert, a vero haud longe discedet.

LAPIDEUM itaque IMBREM habuere nonnunquam in Theatro & *Ludorum Actores*, si artis suæ specimen infeliciter darent, & ipsi quoque *Spectatores*, si odiosi populo & invisi.

De Citharœdo Polyctore in VI. *Deipnosophistarum* Athenæi libro hæc leguntur: *Cum Polyctor Citharœdus, sorbendo lentem, lapillum dentibus attrivisset; O miser, inquit* Corydus, *etiam lenticula te lapidibus incessit?* Cavillari quidem hoc loco familiariter ac jocari cum Polyctore Corydum cernimus; verum ineptus esset ac fine sale jocus, nisi *Theatralem* nostram exprimeret *lapidationem*. Dabat nimirum sæpe Citharœdus hic artis suæ specimen in Theatro: at cum invenuste omnino ac infeliciter id ageret, minusque eam ob causam a populo probaretur, consuevit *lapides* pro *plausibus* reportare. Semel igitur lentem mandens, lapillum etiam dentibus confecit: quam rem statim jocose cavillans Corydus: *O miser*, ait, *etiam lenticula te lapidibus appetit?* quod proinde est, ac si dixisset, *O infelix, solemne adeo tibi est lapidibus appeti, dum cithara inepte canis in Theatro, ut etiam, dum lentem mandis, lapillos, consuetos scilicet comites, invenias, qui te conficiant.* Germanum autem Athenæi loci sensum, eum esse, quem diximus, manifestius adhuc apparebit ex iis, quæ mox inibi ab eodem Athenæo ex Machone Poeta ita producuntur: *Is autem fortassis Polyctor fuit, cujus Machon sic meminit,*

Κακός τις, ὡς ἔοικε, κιθαρῳδὸς σφόδρα,
Μέλλων οἰκοδομεῖν τὴν οἰκίαν, φίλον
Αὐτοῦ λίθους ᾔτησεν· ἀποίσω δ' ἐγὼ
Αὐτῶν πολὺ πλείους φησὶν ἐκ τῆς δέξεως.

ita scribit hos Machonis versus Dalechampius, & vertit hoc modo:

Malus quidam, ut palam erat, citharœdus admodum,
Ædificaturus domum, ab amico
Lapides petiit; dixitque, eorum ego
Majorem partem morsu prehensam auferam.

Mendosum utique, ac mutilum esse hunc Athenæi locum, duo sunt, quæ probent. Alterum, metri lex; quam certe claudicare ac vacillare nemo non videt, si, prout est in Dalechampii textu, legamus. Alterum, ipse loci sensus; qui imperfectus est omnino, atque adeo nullus, nisi Lector & mendum tollat, &, quæ desunt, intelligenter subau-

diat, quæ duo video fuisse etiam a Casaubono animadversa. Sustuleris autem mendum, si, ubi δήξεως est in Dalechampii textu, ibi cum eodem Casaubono, & ex manuscriptorum fide, una modo litterula immutata, δείξεως, reponas. atque, ut *morsum* significat δῆξις, sic δεῖξις specimen artis & ostentationem; & idem ferme est δεῖξις, atque ἐπίδειξις. sunt autem ambæ istæ Theatri voces; iterum ac sæpius eundem in sensum ab Athenæo usurpatæ.

Quod attinet ad ea, quæ hic necessario deesse monuimus; equidem existimare non dubia ducti conjectura possumus, *subaudiendum omnino Polyctori datum ab amico responsum*. Cum enim inducat inibi Poeta Polyctorem Citharœdum saxa ædificandæ domui ab amico petentem,

> *Malus quidam*, ait Poeta, *ut palam erat, Citharœdus,*
> *Ædificaturus domum, ab amico*
> *Lapides petiit.*

cumque reliqua, quæ deinceps subjiciuntur, sint item Citharœdi ipsius, ut mox apparebit, ob malum amici responsum indignantis; fateri necesse est, ipsum deesse datum ab amico responsum. quod quidem aliud nihil habere potuisse, præter paucorum lapidum promissionem, ex iis necessario convincitur, quæ mox dicemus ab eodem Citharœdo pronunciata. Totius igitur loci sensus erit cum Casaubono sic ferme concipiendus: *Malus Citharœdus, ædificaturus, domum, lapides ab amico, petiit: cumque paucos nimis pollicitus esset amicus; indignans ille, Tu mihi, ait, tam parce LAPIDES promittis, qui MULTO PLURES possum ac soleo, ARTIS MEÆ SPECIMEN DANS, E THEATRO AUFERRE?* Locum autem ipsum, intera dum alii, quæ desunt, ex Manuscriptis feliciter explebunt, nos, emendatum quidem, sed tamen mutilum adhuc scribemus distinctum hoc modo ac interpunctum:

> Κακός τις, ὡς ἔοικε, κιθαρῳδὸς σφόδρα,
> Μέλλων οἰκοδομεῖν τὴν οἰκίαν, φίλου
> Αὐτοῦ λίθους ᾔτησεν . . . .
> . . . . ἀποίσω δ' ἐγὼ
> Αὐτῶν πολὺ πλείους φησὶν ἐκ τῆς δείξεως.

&, verbum pro verbo reddentes, sic Latine vertemus:

> *Malus quidam, ut apparet, Citharœdus valde,*
> *Ædificaturus domum, ab amico*
> *Lapides petiit . . . .*
> *. . . . . auferam ego*
> *Eorum multo plures, ait, ex arte mea.*

Ex arte mea, hoc est, *dum artis meæ publicum in Theatro specimen edo*.

Qui sane locus, sic pro veritate acceptus, manifesto ostendit, *Ludorum Actores*, in agendo si displicuissent, fuisse nonnunquam *ab infeste faventibus in Theatro lapidibus appetitos*. quam rem primo loco probandam in hoc capite suscepimus.

Sequitur alter; fuisse nimirum *Illustres* etiam *Viros*, si odiosi populo & invisi, *lapideo* item *imbre in Theatro* quandoque *exceptos*. Macrobius in II. *Saturnaliorum* libro cap. VI. *salsiorem* in Vatinium Casellii J. C. *jocum* de *pomo* ac *pinea nuce* commemorans, illud etiam affirmat lapidibus appetitum, a populo eundem Vatinium, dum ederet Gladiatorium munus: *Casellius J. C.* inquit Macrobius, *urbanitatis miræ, libertatisque habebatur: præcipue tamen is jocus ejus innotuit. LAPIDATUS A POPULO VATINIUS, CUM GLADIATORIUM MUNUS EDERET, obtinuerat, ut Ædiles edicerent, ne quis in arena nisi pomum misisse vellet. Forte iis diebus Casellius consultus a quodam, an NUX PINEA POMUM esset; respondit, si IN VATINIUM MISSURUS ES, POMUM EST.* Ad hanc eandem Theatri lapidationem referam haud invitus illa Spartiani verba in *Pescennio Nigro* cap. II. *Huic*, de eodem Pescennio loquitur Spartianus, *ob detestationem Juliani primis Imperii diebus ita Romæ fautum est a Senatoribus duntaxat; qui & Severum oderant, ut inter LAPIDATIONES, execrationesque omnium, illi feliciter optarent; illum Principem insuper, & illum Augustum populus acclamaret.*

CAP. XXV.

BONOS LUDORUM ACTORES *nonnunquam ab amice faventibus & varia* accepisse MUNUSCULA, & FLORUM *ac* FRONDIUM CONJECTIONE fuisse honoratos. MUNERUM COLLECTIONEM ἐπαγερμὸν, φυλλοβολίαν FLORUM AC FRONDIUM CONJECTIONEM *Græci dixere. Emendatus ac illustratus obscurior & corruptus Clementis Alexandrini locus. Declaratum quæ potissimum essent* MUNUSCULA *in hanc rem dari & accipi solita?*

DE LAPIDATIONE THEATRALI apposite meo judicio ob id egimus hoc loco, quod ad *infestum* ea *Theatri favorem* pertineret. quapropter, cum MUNUSCULORUM DATIONE, FLORUMque seu FOLIORUM CONJECTIONE & ASPERGINE, in ipsos Ludorum Actores ab amice faventibus quandoque facta, non parum illustretur *honorificus* ejusdem *Theatri favor*, non erit abs re, opinor, de iis etiam huc quædam attexere.

In *Theatro* igitur, *cæterisque Spectaculorum locis*, quemadmodum *auferebant*, ut vidimus, quandoque *saxa mali Ludorum Actores*, sic *boni* MUNUSCULA VARIA nonnunquam *accipiebant*, FLORUMque ac FOLIORUM CONJECTIONE *honorabantur*. Atque, ut MUNERUM COLLECTIONEM ἐπαγερμὸν, *sic* CONJECTIONEM FLORUM ac FOLIORUM φυλλοβολίαν, Græci dixere. Hanc Tertullianus appellat, *Florum asperginem*, *Jaculum* autem *floris* Apulejus. Alexandrinus Clemens in *Pædagogo*, multa eorum enumerans, quę in certaminibus ad victorum honorem fieri solebant, *munusculorum* etiam *dationem*, *conjectionemque florum* commemorat, scribens hoc pacto in lib. II. cap. VIII. Ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον ἡ τῶν ἄθλων δόσις ἐστί. δεύτερον δὲ ὁ ἐπαγερμός. τρίτον ἡ φυλλοβολία. τελευταῖον ὁ στέφανος. Pulcherrimus sane locus, sed quem librariorum, ut puto, incuria ita depravavit, ut in eo transferendo negotii plurimum habuerint doctissimi Viri. Gentianus Hervetus, qui primus Clementem nobis Latine loquentem dedit, eum hoc maxime modo verti posse arbitrabatur: *In certaminibus primo fuit donum Athletarum. Secundo autem excitatio. Tertio foliorum sparsio. Ultima autem fuit corona.* Hieronymo autem Mercuriali, & Petro Fabro; in I. *Artis Gymnasticæ* lib. cap. XIV. alteri, alteri in *Agonistico* lib. II. cap. IX. eundem sic transferre libuit: *Athletis primo quidem fuit* δόσις, *seu donum. Secundo plausus. Tertio foliorum conjectio. Postremo corona.* Nimirum sequuti sunt omnes mendosam vulgatorum librorum lectionem, quę sic habet; Ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον ἡ τῶν ἀθλητῶν δόσις ἐστί. δεύτερον δὲ ὁ ἐπεγερμός. τρίτον ἡ φυλλοβολία. τελευταῖον ὁ στέφανος. Ut minime mirum sit, si ex turbidiori contextus fonte hauserunt Interpretes aquam erroribus inquinatam. Sed, obsecro, quid hic ad Clementis mentem *Athletarum donum*? quid *Excitatio*? quid *Plausus*? Græcarum scilicet vocum similitudo, ut rudem librarium decepit, sic errorem objecit doctissimis Interpretibus. Admonendi sunt igitur, qui ista legent, in vulgatis Clementis libris recitata a nobis verba duplex mendum

continere; in voce ἀθλητῶν alterum, alterum in ἐπεγερμὸς ita tamen, ut parva opera tolli errata possint, & verba componi, sensu ad id, de quo agimus, apto & congruenti. nam pro ἀθλητῶν substituendum est ἄθλων, & ἐπαγερμὸς pro ἐπεγερμὸς reponendum. ut totus locus sic legi & scribi debeat, Ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον ἡ τῶν ἄθλων δόσις ἦν. δεύτερον δὲ ὁ ἐπαγερμός. τρίτον ἡ φυλλοβολία. τελευταῖον στέφανος; quemadmodum nos scribendum curavimus. Latine autem ad verbum hoc modo efferri posse arbitramur; *In certaminibus vero primo fuit præmiorum datio. Secundo* munusculorum *collectio. Tertio florum seu frondium conjectio. Postremo corona.*

Vidisse porro Hervetum, Mercurialem, & Fabrum, hujusce loci, si non errores, at saltem tenebras, ex hoc facillime potest perspici, quod omnes & titubanter in eo vertendo loquuti sunt, & multi fuere in explicando, quid per δόσιν, & ἐπεγερμὸν voluerit Clemens a nobis intelligi. Sensus igitur recitati ex Clemente loci is erit; *Olim in certaminibus primo quidem usurpatam* ἄθλων δόσιν, hoc est, *præmiorum dationem*; quod scilicet ipso certaminis initio solerent præmia proponi, victoribus danda. *Permissum deinde, ut circumirent Victores, & munuscula, præmiorum loco, a singulis spectatoribus colligerent*; quemadmodum nunc inter ludendum fieri quandoque videmus a Funerepis, Saltatoribus, cæterisque Ludionibus. atque hoc unum vere puto voce ἐπαγερμὸς a Clemente nobis significari. *Tum institutam* φυλλοβολίαν, id est, *Florum seu frondium conjectionem*; quod nimirum honoris causa *flores* etiam ac *frondes* in victores conjicerentur. *Novissime autem donari cœptas iisdem coronas.*

Atque hæc voluisse Clementem, adductumque illius locum ita legi & scribi debere, quomodo nos scribendum curavimus, quæ mox ex Suida, atque ex Arsenio, Euripidis Scholiaste, subjiciemus, satis ostendent. Suidas igitur in verbo περιαγειρόμενοι: *Præmia quidem*, ait, *initio certantibus proponi solebant, quemadmodum & Homerus & alii Poetæ tradunt. Deinde factum, ut sine iis etiam decertarent. tunc vero Victores ab amicitiæ & cognationis vinculo junctis coronis ornabantur. Aliorum autem cognati sedentes, & qui propinqui erant, majoris pretii res deponebant. Qui vero remotiores erant, FLORES & FRONDES in prætereuntes conjiciebant. ut etiam nunc in illos, qui egregie pugnarunt, PETASOS, & ZONAS conjiciunt, aut VESTES. Hinc moris fuit, ut in orbem circumeuntes pugiles acciperent ea, quæ darentur.* Euripidis autem Scholiastes ad tertium *Hecubæ* Actum, seu potius Eratosthenes apud Arsenium Scholiastem: *Sine præmiis*, inquit, *olim decertantibus hominibus, spectatores quoddam veluti symbolum conferentes conjiciebant in Victorem pro uniuscujusque facultate. Quamobrem consuetudine receptum erat, ut in orbem circumiens victor colligeret, quæ dabantur, acciperetque. Igitur, qui circumibantur, ii præstantiora, quam cæteri, dona largiebantur. Imponebant coronas, qui propius assidebant; qui vero altius, FLORIBUS ac FRONDIBUS, quod unum reliquum erat, aspergebant. Jam vero nuper in strenuos concertatores conjecerunt CINGULA, BRACTEAS, TUNICULAS, GALEROS, CREPIDAS. Consuescebant idcirco in orbem circumeuntes, quæ data fuerant, in unum colligere. Igitur, donec unicum erat in Olympia certamen, facta fuit ampla donorum largitio. verum, multiplicatis illis, imminuta sunt ea, plures in partes divisa; atque ita demum ab ea FRONDIUM jactatione cessatum est.* Hactenus & Suidas, & ex Eratosthene Arsenius Euripidis Scholiastes. Græce autem omnino ista melius; sed non est necesse paginas Græcis versibus infercire. mihi vero satis in præsentia, si minus eleganter, at certe dilucide, ex Eratosthene ac Suida docuisse, in vulgatis libris & fœde inquinatum esse Clementis locum, nec posse commodius purum ab omni macula fieri, quam quomodo nos ex iisdem fecimus. Usurpant siquidem ii vocem ἄθλα, qua præmia in certaminibus proposita significabantur; & ἐπαγείρειν semper habent, quod est, *colligere*, unde noster ἐπαγερμὸς, id est, *collectio*; nunquam autem ἐπεγείρειν, quod est *excitare*, ex quo mendosus in vulgato Clementis loco ἐπεγερμὸς, hoc est, *excitatio*. Ut recte tandem factum sit a nobis, qui in Clementis loco ἄθλων, & ἐπαγερμὸς, pro ἀθλητῶν, & ἐπεγερμὸς reposuimus.

Quapropter sanæ mentis nemo dubitaverit, quin victores olim in certaminibus CIRCUMEUNTES, præter consueta præmia, & coronas, VARIA etiam MUNUSCULA interdum COLLIGERENT ab amicis spectatoribus, FLORUMque ac FRONDIUM CONJECTIONE honorarentur. atque, ut MUNERUM COLLECTIO ἐπαγερμὸς, sic φυλλοβολία CONJECTIO FLORUM ac FRONDIUM vocabatur. Quod vero dictum est de *florum* in victores *conjectione*, hoc Pausaniæ item testimonio illustrari potest; cujus sunt illa in *Eliac.* libro II. de Diagora, *conjectis floribus*, vocibusque faustis cohonestato: *Diagoram*, inquit, *ipsum tradunt ab Acusilao & Damageto filiis in Olympiam deductum; quem victores jam declarati juvenes per mediam & confertissimam turbam humeris exportarunt, CONJICIENTIBUS in eum FLORES Græcis, filiorum causa, & cum plausu beatum prædicantibus.* Refer huc etiam, si placet, quod de Polyxena habetur in Euripide, FLORUM ac FRONDIUM CONJECTIONE ob id publice honoratam, quod vicisset, jugulum scilicet admiranda constantia præbens.

Ex adductis autem mox superius Eratosthenis, ac Suidæ locis, hoc amplius elucere admonuerim; MUNUSCULA hæc, quæ in Certaminibus dari & accipi solebant, fuisse maxime PETASOS, ZONAS, CINGULA, BRACTEAS, TUNICULAS, GALEROS, CREPIDAS, & his similia.

CAP. XXVI.

Spectantem populum fuisse nonnunquam ab ipsis ludorum Actoribus ADORATUM. ADORATIONEM *hanc ita dictam, quod manus* AD ORA *admoverent adorantes. Factam eam, non* manu prius porrecta, deinde ad os relata, *sed* ori prius admota, mox protensa in eos, quibus honos deferebatur. ADORARE *hoc modo, appellatum,* A facie jactare manus; Jactare basia; Oscula jacere; Manu venerari. *Ab Imperatoribus etiam adoratum quandoque populum in Theatro.* FLAGELLO VENERARI. προσκυνεῖν τῇ μάστιγι. *Cur maxime fieret hæc adoratio a ludorum Actoribus?*

QUIA vero persequimur omnia, quæ ad Theatri favorem, sive propitium & honorificum, sive turpem & infestum, pertinent; etiam hoc intelligendum puto, *ADORATOS quandoque spectatores ab ipsis ludorum Actoribus.* qua de re dicere aggrediar, si prius indicavero, ADORATIONIS nomine quid debeat hic a nobis intelligi, & quomodo ea fieret.

ADORATIONEM sic dictam Latinis, quod *manus ad ORA admoverent adorantes*, pridem adnotarunt Viri docti. in quorum ego sententia acquiesco: quidquid aliter sentiant Grammatici, ab

ADOR, frumenti genere, eam derivantess. In eo tamen haud illis aſſentior, quod, adorationis modum inquirentes, factam eam *manu prius porrecta, deinde ad eos relata*, affirmant. Quorum opinio hoc uno maxime revincitur, quod nos hodie etiam, ineptum hoc adorandi ſeu adulandi genus in honore potentibus habendo uſurpantes, *manum prius ad os admovemus, deinde protendimus in eos, quibus honorem deferimus*. Credibile autem non eſt, nunc primum exortam hanc conſuetudinem, ſed a nobis illam hodie referri, quam a Veteribus introductam mox exceperunt poſteri, conſtanterque retinuerunt. Sed in hunc omnino modum factam olim hujuſmodi adorationem, planiſſime confirmant Juvenalis, Phædrus, & Tacitus. ſiquidem *adorare hoc modo* appellat is in Satyra III. *A facie jactare manus*; alter in *procaci Tibicine*, *Jactare baſia*; Tacitus vero, *Oſcula jacere*, in I. *Hiſtor.* libro. Qui autem *jactat a facie manus*, quin manibus faciem prius tangat, hoc eſt, manus ad os admoveat atque oſculetur, deinde jactet eas ac porrigat, quilibet haud magno negotio viderit. Fatebitur etiam non invitus, eum proprie dici, *Oſculum jacere*, ſeu, *Jactare baſium*, qui manum prius oſculatur, mox protendit, oſculumque ipſum jactat in eos, quos adorat, ſeu quibus honorem defert. Et hoc etiam eſt, *Manu venerari*, quod vocat idem Tacitus in XVI. *Annal.* lib. quem locum poſt ſubjiciam. Quæ omnia ſatis oſtendunt, *factam hujuſmodi adorationem, non manu porrecta prius, deinde ad os relata; ſed ori prius admota, deinde protenſa in eos, qui adorabantur*.

His autem de adorationis nomine, ac modo breviter perſtrictis, doceamus jam, fuiſſe olim *ſpectantem populum ab ipſis ludorum Actoribus hoc modo quandoque adoratum*. In veteri Epigrammate ſic legimus de Saltatore, qui ſcenam ingreſſus populum ſtatim adoravit,

Ingreſſus ſcenam populum Saltator adorat.

Etiam Nero, verum agens Hiſtrionem, cithara cantaturus in Theatro ſpectantem populum adorat; *Nero*, inquit Tacitus in XVI. *Annal.* lib. *flagitante vulgo, ingreditur Theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans*, &c. *poſtremo flexus genu, cœtum illum manu veneratus eſt*. Quod idem Neronis factum commemorari puto a Dione, dum in libro LXI. ſic ſcribit: *Nero in Theatrum prodiit, Gallionis voce nominatim citatus, ſtetitque Cæſar in ſcena habitu Citharœdi. Quin etiam ipſe Imperator dixit, Domini mei, audite me libenter*, Quæ poſtrema verba crediderim a Nerone tum maxime pronunciata, cum populum adorabat. Nec ſane mirum, ſi Spectatores veneratur Nero, dum Hiſtrionem agit, cum Imperatores ipſi aliquando, Theatrum ingreſſi, populum adorarent. Tacitus enim in I. *Hiſtor.* lib. *Nec deerat*, inquit, *Otho protendens manus adorare vulgum, jacere oſcula*, &c. Suetonius in *Claudio* cap. XII. *Eoſdem ſpectacula edentes ſurgens & ipſe cum cætera turba voce ac manu veneratus eſt*. Et Claudianus in VI. *de Honorii Conſulatu* carmine:

O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperii præſens ſpecies? quantamque rependit
Majeſtas alterna vicem? cum regia, Circi
Connexum gradibus, veneratur purpura, vulgus?
Conſenſuque cavæ ſublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor. —— ——

Sed & AURIGÆ *in Circo ſpectantem populum* FLAGELLO, cum aliter non poſſent, ADORABANT. Dio in libro LXXVII. de Antonini Caracallæ aurigationibus agens: *Eos*, inquit, FLAGELLO VENERABATUR; *atque aureos ab iis, quaſi homo abjectiſſimus petebat*. Et in libro LXXIX. de Avito: *Hunc viri ordinis Senatorii*, &c. *ſpectabant currus agitantem, petentemque aureos, ut plebejum hominem, ac præfectos certaminum, militeſque ipſos* ADORANTEM. προσκυνεῖν τῇ μάστιγι, appellat Dio, hoc eſt, FLAGELLO ADORARE; quod ſolerent AURIGÆ *dexteram, flagellum tenentem, ad os admovere, flagellumque ipſum oſculari, moxque manum & flagellum ſimul protendere, ſpectantemque populum venerari*.

Ob id autem puto factam hanc a ludorum Actoribus adorationem, ut, vel effugerent lapidationem, floreſque ac munuſcula adipiſcerentur; vel turpem quemcunque & infeſtum declinarent favorem, conſequerenturque propitium & honorificum. Id quod etiam ex eo apparet, quod adductis locis teſtificantur Dio & Tacitus, poſt factam a Nerone adorationem, populum ſtatim Neroni ipſi fauſte acclamaſſe. Et affirmat Phædrus, poſt jactatum a Tibicine oſculum, ſpectatores ipſos faventes ei gratulatos eſſe.

Hactenus ergo de THEATRALIBUS Acclamationibus. Proximus Liber, velut novum ſumens exordium, ad SCHOLASTICAS tranſibit.

FRANCISCI BERNARDINI

FERRARII
DE VETERUM
ACCLAMATIONIBUS,
ET
PLAUSU
LIBER TERTIUS,

Qui SCHOLASTICAS, hoc est, quæ in Scholis, seu Auditoriis, ac Foro fiebant, Acclamationes comprehendit.

CAPUT I.

Quæ sint SCHOLASTICÆ *Acclamationes, cur ita appellatæ?*



IN Theatris, cæterisque communium spectaculorum locis, natas, & adultas Acclamationes hactenus persecuti sumus. discutientur nunc SCHOLASTICÆ, eæ nimirum, quæ, vel in SCHOLIS & AUDITORIIS, sive publicis, sive privatis, vel in FORO, emitti consueverunt. Ut autem appareat, SCHOLASTICARUM nomine, quid sit a nobis intelligendum, de SCHOLIS huc quædam strictim attexentur, ab his, quæ nunc scribimus, minime aliena.

Erant igitur SCHOLÆ, & publicæ, & privatæ. *Publicas* appello publica auctoritate constitutas; *Privatas*, quas sibi quisque privatim pro voluntate deligebat. *Publicæ*, Romæ quidem, fuere *Athenæum*, *Capitolium*, & *Pergulæ magistrales*; alibi autem, *Gymnasia*. *Privatæ* vero, *domesticæ* plerunque *Ædes*, *Theatra* tamen interdum, interdum *Templa*, nonnunquam *Basilicæ*, *Curia* aliquando, sæpe *commodatæ* seu *conductæ divitum Aulæ*. De *Athenæo* in hanc rem constituto meminere Cassius Dio in extremo libro LXXIII. Philostratus in *Adriano*, Capitolinus in *Pertinace*, & in *Gordianis*, Lampridius in *Alexandro Severo*, & Aurelius Victor in *Hadriano*. *Athenæum* autem ita dictum, quod in eo se exercerent Viri docti, ac Minervæ sacris initiati, adfirmat inibi Cassius Dio Et ex Aurelio Victore discimus, illius conditorem fuisse Hadrianum. Publicum *Capitolii Auditorium*, seu *Capitolinas Scholas* commemorat Theodosii, ac Justiniani Codex, libro XIV. alter, alter XI. uterque autem in Titulo *de Studiis Liberalibus*. *Pergularum Magistralium* mentio fit a Flavio Vopisco in *Saturnino*, & a Suetonio in libello de *Illustribus Grammaticis* in *L. Crassitio*. Erant autem *Pergulæ Magistrales*, publicæ *Cellæ*, in quibus doctrinarum professores adolescentiam publice instituebant; unde in Codice Theodosiano publicæ *Magistrationes*, ac *Cellulæ* dicuntur. De *Gymnasiis* res

A ita manifesta est, ut frustra omnino suscipiatur labor, si coner de iis Veterum testimonia huc adferre. Tantum admonebo, fuisse ea variis olim appellationibus signata. Græci vocarunt σχολεῖα, μουσεῖα, διδασκαλεῖα, φροντιστήρια, παιδευτήρια. Latini, *Ludum*, *Scenas*, *Exhedras*, *Scholas*, & *Auditoria*. Et hæc de locis ad docendum, ac dicendum publica auctoritate constitutis.

Qui autem publice profiteri aut nolebant, aut minime poterant, eos plerunque intra domesticos parietes privatim docuisse certissimum est. Sed & *Theatra* nonnunquam eosdem delegisse ad privatum doctrinæ, & eloquentiæ specimen exhibendum B significant haud obscure Suetonius in *Augusto* cap. LXXXIX. Apulejus *Flor.* lib. I. & IV. Auctor Dialogi *de Orat.* Seneca in epist. CVIII. Themistius in Oratione XV. & Philostratus in *Alexandro*. De *Templis* eandem in rem delectis adfirmat Philostratus in *Hippodromo*, dum de Megistia Smyrnæo agit. De *Basilicis* testificantur Seneca in Procemio libri IX. *Controversiarum*, Quintilianus *Institut. Orator.* lib. X. cap. V. Apulejus in *Apologia*, & Junior Plinius in epist. XIV. lib. II. & in epistol. XXXIII. lib. VI. In *Curia* id ipsum factitatum indicat Aristides, dum, Orationem de Concordia habens C ad Civitates Asiaticas, primo loco dilaudat eas, & gratias agit, quod ei sermoni audiendo *Curiæ* locum præbuissent. De *conductis* tandem, aut *commodatis divitum Aulis* meminerunt Juvenalis in Satyr. I. & VII. Martial. lib. IV. epigr. VI. Theophrastus in Charactere *de Blanditia*, Auctor Dialogi *de Oratoribus*, Plinius lib. VIII. epist. XII. Epictetus apud Arrianum libro III. cap. XXIII. Diogenes Laertius in *Protagora*, & alii; quorum omnium testimonia uberius loco producentur.

In hisce igitur locis, sive publicis, sive privatis, & ad optimarum Artium studia erudiebatur juventus, & ad ingenium sive exercendum, sive osten-D tandum, RECITATIONES fiebant, habebantur DECLAMATIONES, Poeticæque ac Oratoriæ COMMISSIONES, seu CONCERTATIONES exhibebantur.

Eadem porro loca, sive communiter, sive singillatim, unico SCHOLÆ nomine frequenter appellavit Antiquitas. Habitæ item in iis *Declamationes*, *Recitationes*, *Controversiæ* ac *Disputationes* fuere non semel SCHOLÆ nominatæ. Et SCHOLASTICI etiam sæpius dicti sunt *Recitatores*, *Decla-*

matores politique aç splendidi *Oratores*. Quæ omnia ex Marco Cicerone, Seneca, Suetonio, Quintiliano, Plinio, Hieronymo, Augustino, & aliis, notiora sunt, quam ut probationis egeant.

Cum itaque tertius hic Liber eas complectatur Acclamationes, quæ & in hujusmodi *Scholis*, & *Auditoriis* fiebant, & in eos emittebantur, qui, ut monuimus, sive docentes, sive recitantes, sive declamantes, *Scholastici* sæpe sunt appellati; mirum nemini videri debet, si hic a nobis *eæ omnes* uno SCHOLASTICARUM nomine signentur.

Cum item, quemadmodum suo loco apparebit, iisdem pene verborum formulis conciperentur, tam quæ in SCHOLIS & AVDITORIIS, quam quæ in FORO emitti solebant Acclamationes; idcirco placuit, FORENSES non modo SCHOLASTICIS jungere in hoc libro Acclamationes, sed SCHOLASTICARUM etiam appellatione nominare. eoque libentius, quod FORENSES ipsi *Oratores* & *Patroni*, qui veras scilicet tractabant lites, cum SCHOLASTICI sæpe dicti sunt, ut est in Codice, & aliis Juris libris, testanturque diserte Auctor Dialogi *de Oratoribus*, Plinius in lib. II. epist. XIX. Augustinus *in Joannem*, & Zonaras *ad Can.* X. *Synodi Sardicensis*, & *ad Can.* XCVI. *Carthaginensis*; tum, ut habent Lampridius in *Alexandro Severo*, & idem Plinius ibidem, & in libro VII. epist. XVII. ut alios reticeam, si causam aliquam feliciter orassent, vel apud Urbis Præfectos, vel apud Principem, eam, sive animi gratia, sive ad ingenii ostentationem, in ipsis quandoque *Scholis* & *Auditoriis* recitare consueverunt. Si quid erit tamen, quod ad FORENSES Acclamationes pertineat proprie, nec habeat quidquam cum SCHOLASTICIS aliis commune, id separatim tradetur. Atque hæc quidem indicanda videbantur in primo hujus libri capite, ut dicenda deinceps possent liquidius intelligi.

CAP. II.

STUDIOSSISIME QUÆSITAS *a Scholast.* ACCLAMATIONES & PLAVSUS. *Eam ob causam* INVITATOS *ambitiosius ac* CORROGATOS *Auditores, & Acclamatores*. Corrogandi *ac* invitandi *morem quis primus invexerit?*

QUÆ igitur solebant in SCHOLIS & AUDITORIIS, tum publicis, tum privatis, fieri Acclamationes; inque eos emitti, qui, sive recitantes, ut admonuimus, sive declamantes, seu causas agentes, SCHOLASTICI sæpe dicti sunt, eas nos SCHOLASTICAS in hoc Opere appellamus. De quibus ut dicere aggrediar, placet illud primo loco aperire, SCHOLASTICOS hujusmodi fuisse Plausuum, & Acclamationum avidissimos. Et sane, quandoquidem consueverunt ii invitare studiose qui audirent, & acclamarent; eosque prece ac pretio redimere; dolere item graviter, nisi, dicentibus ipsis, aut recitantibus, acclamaretur, & plauderetur; domesticum quoque plaudentium & acclamantium habere chorum; ac demum grandiores divitum aulas conducere, ipsaque extruere Auditoria, quo & splendidiori declamarent aut recitarent apparatu, & frequentiores haberent auditores & acclamatores; fateri omnino necesse est, fuisse illos Acclamationum & Plausuum maxime studiosos. Singula nos pluribus patefaciemus, ab INVITATIONE, quæ ambitiosius fieri solebat, ordientes.

QUÆSITOS igitur diligenter, ac INVITA-

A TOS olim Auditores, non mirabitur, qui legerit, apud Juniorem Plinium, quam lente & cunctanter solerent ii ad audiendum convenire. *Juvat me*, inquit Plinius in lib. I. epist. XIII. *quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum, & ostentant; tametsi ad audiendum pigre coitur: plerique in stationibus sedent, tempusque audiendis fabulis conterunt, ac subinde sibi nunciari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit librum: tum demum, ac tunc quoque* LENTE CUNCTANTER *que veniunt*, &c. Etiam apud Themistium in Orat. XVII. auditor quidam ob id maxime laudatur, quod cum cæteri
B nonnisi studiose quæsiti, magnisque obsequiis exorati ad auditionem coirent, is sponte sua, seduloque, ac diligenter adesset; ejus verba sunt: *Ecce disce, quam præclare in juvene hoc discendi amor resplendeat. Qui cum nec ejusdem sit linguæ, cujusmodi nostra hæc habetur oratio; videre tamen est, ferventius ad ejusmodi audiendas Orationes adesse. Neque multo tibi ambitu opus est, non menstruis supplicationibus, non præmissis obtestationibus, sed indicasse tantum, quo adsit, illi satis est. Et in privatis obeundis molestiam habebis*, &c. Ad eandem invitandi consuetudinem respexere omnino Scriptores ii, qui, de illa sermonem habentes, *convocan-*
C *di, advocandi, congregandi, rogandi, corrogandi*, & *admonendi* voces usurparunt. Idem Themistius in Oratione XV. *Sin*, ait, *vos aliquis in hunc ipsum locum Philosophus* CONVOCET, *orationem habiturus*. Lucianus in libello *de Domo: Cæterum compensatio ea, non laus modo domus, sed & dicere in ea, & optimis quibusque* CONVOCATIS, *orationis specimen exhibere*, &c. Epictetus apud Arrianum lib. III. cap. XXIII. *Ut autem hoc consequi valeant, mille poni subsellia oportebit, & ADVOCARI quamplurimos Auditores*. Quintilianus *Institut. Oratoriarum* lib. II. cap. X. *In Actionibus permittitur adhibere plus cultus, omnemque artem ostentare, etiam*
D *hominibus in hoc* ADVOCATIS. Plinius in l. VII. epist. XVII. *Ego non populum* ADVOCARE, *sed certos electosque soleo*, &c. Beatus Basilius in Epist. CLVIII. *Quod autem certamen illud fuit? aut quis sermo, quo frequentissimam* ADVOCASTI *Panegyrim?* Synesius in epist. CXXXV. *Par illud sapientum Plutarcheorum adjice, qui non Orationum suarum fama juvenes in theatris* CONGREGANT. &c. Idem Quintilianus lib. X. cap. I. *In lectione certius judicium, quod audienti frequenter aut suus cuique favor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire, & velut tacita quadam verecundia inhibe-*
E *mur plus nobis credere, cum interim & vitiosa pluribus placeant, & a* CORROGATIS *laudantur etiam quæ non placent*. Plinius in lib. I. ep. XIII. *Nunc otiosissimus quisque multo ante* ROGATUS, *& identidem* ADMONITUS, *aut non venit* ad recitationem, *aut, si venit, queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse*. Etiam Hippias apud Platonem ad declamationem, & Socratem invitat, & rogat insuper, ut alios secum adducat. *Tu igitur*, inquit Hippias, Socratem alloquens apud Platonem in Hippia majore, *ut* INTERSIS, *&* ALIOS *tecum* ADDUCAS, *quicunque possint de hujusmodi orationis genere ferre judicium*. Est & quæ ad hanc rem
F pertineat apud Philostratum in *Polemone* de Ionico quodam Declamatore faceta Historia. Narrat siquidem Philostratus, ab Ionico hoc adolescente fuisse Audientium frequentiam, cum declamabat, sic adamatam, ut non modo *studiose invitaret qui audirent*, sed *creditas* etiam *pecunias debitoribus condonaret, usuramque remitteret, si adessent, si declamanti faverent*.

Addam illud, *Invitandi ac corrogandi Auditorii morem* fuisse primo inductum a Largio Licinio. id

quod Juniore Plinio teste dicimus; apud quem ita in lib. II. epist. XIV. scriptum legitur: *PRIMUS hunc audiendi morem INDUXIT LARGIUS LICINIUS; hactenus tamen, ut AUDITORES CORROGARET*, &c.

CAP. III.

Audientium, & Acclamantium INVITATIO *varie facta*. INDICEBATUR *recitatio ac declamatio*, *vel* in crastinum, *vel* in perendinum; *forte etiam* in menstrum diem; *declamantis, ac recitantis* voce *interdum, interdum per* codicillos, *ac* libellos; (*indicatum, quid essent hi* libelli *ac* codicilli?) *aliquando* per nuncios; *quandoque etiam, qui recitaturus erat, vel declamaturus*, investigabat, *qui audirent*, ipsas *quoque* singulorum ædes ambiendo. *Declaratum, quibus potissimum verborum formulis fieret hujusmodi Invitatio?*

HÆc porro Audientium *Invitatio*, ac *Corrogatio* non uno semper eodemque modo fiebat. Eam certe nonnisi *arte* quadam factam declarat Themistius, dum in Orat. IV. sic scribit: *Quas igitur ARTES ad eos captandos, ac pelliciendos adhibeo?* INDICEBATUR utique sæpius ac PROMITTEBATUR ipsa recitatio, seu declamatio: idque fiebat, vel *in crastinum*, vel *in perendinum*; forte etiam *in menstruum diem*; declamantis ac recitantis *voce* interdum, interdum *sparsis libellis*, aliquando *nunciis missis*; nonnunquam etiam, qui recitaturus erat, vel declamaturus, audientes & acclamantes *investigabat diligenter, singulas* quandoque *eorum ædes ambiens, foresque pulsans*.

INDICTAM quidem ac PROMISSAM recitantis VOCE DIEM discimus ex Juvenalis Satyra VII. in hunc modo canentis:

Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius urbem,
PROMISIT que DIEM. ———

de Thebaidos Statii recitationis die agit hic Juvenalis. PERENDINI autem hanc in rem DIEI meminit Plato in Hippia majore: *Hanc orationem*, inquiens, *publice recitavi, & eandem etiam illam in Phidostrati ludo litterario POST TERTIAM AB HINC DIEM sum recitaturus*, &c. Et Themistius in Orat. XV. *Verum insuper & Theatra cogit, & TRIDUO ANTE, ut in forum conveniant, denuntiat*. CRASTINUM DIEM commemorat idem Themistius in Oratione prima cum ait: *Novum vobis, insolensque videatur, hominem Philosophiæ nomine insignitum, tum PRIDIE cœtum hominum COGERE esse visum, tum sua vos Oratione ad clamores & plausus excitare velle*. Tyaneus quoque Apollonius in *crastinum diem* invitatur ab adolescente Jovis laudes dicturo: *Adolescens quidam*, ait Philostratus in *Apollonii Vita* lib. IV. cap. IX. *qui sibi ipsi sapiens esse videbatur, Apollonio circa Templum deambulanti occurrens, CRAS, inquit, velim me convenias; volo enim præclari aliquid tibi legere*. MENSTRUUM DIEM videtur designare Themistius, dum in Oratione XVII. adolescentulum quendam dilaudans, quod impigre semper ad audiendum conveniret, ad cæteros Auditores cogendos, & ambitu, & obtestationibus, & MENSTRUIS supplicationibus opus esse ait. Sunt hæc illius verba: *Ecce disce, quam præclare in juvene hoc discendi amor resplendeat. Qui cum nec ejusdem sit linguæ, cujusmodi nostra hæc haberetur Oratio, videre tamen est, ferventius ad ejusmodi audiendas orationes adesse. Neque multo tibi ambitu opus est, non MENSTRUIS supplicatitionibus, non præmissis obtestationibus*, &c. De CODICILLIS, ac *LIBELLIS SPARSIS* apertissime Plinius in l. III. ep. XVIII. *Cepi non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per CODICILLOS, non per LIBELLOS, sed si commodum esset, &, si valde vacaret, admoniti .... convenerunt*. Auctor item Dialogi *de Orat. Rogare*, inquit, *ultro & ambire cogitur, ut sint qui dignentur audire: & ne id quidem gratis; nam & domum mutuatur, & Auditorium extruit, subsellia conducit, & LIBELLOS DISPERGIT*. LIBELLI porro isti & CODICILLI aliud nihil erant, ut ego quidem arbitror, quam Orationis aut Recitationis habendæ vel *argumenta*, vel *exemplaria* Auditoribus domi interdum, interdum in Auditoriis ipsis distributa. Factam etiam per NUNCIOS hujusmodi Auditorum invitationem significat Philostratus in *Adriano* iis verbis; *Simul atque in scena visus erat AUSCULTATIONIS NUNCIUS, universus continuo Senatus assurgebat, assurgebatque Equester ordo, atque in Athenæi auditorium cursu concitato ferebantur*. Id ipsum indicat Plinius in epist. XIII. libri primi, dum, lentos quosdam ac fastidiosos sui temporis Auditores subaccusans, quod non nisi viso NUNCIO ad recitationem convenirent: *Ad audiendum*, inquit, *pigre coitur; plerique in stationibus sedent; tempusque audiendis fabulis conterunt, ac subinde sibi NUNCIARI jubent, an jam recitator intraverit*, &c. Ab ipso tandem recitante ac declamante solitos interdum INVESTIGARI diligenter & AMBIRI qui *audirent*, & *acclamarent*, indicat haud obscure Themistius in Orat. XV. scribens hoc pacto: *Verum insuper & Theatra cogit, ac laudari se patitur, ET ACCLAMATORES OBIT*. Et in Orat. XVII. *In privatis OBEUNDIS molestiam habebis*. Auctor item Dialogi *de Oratoribus*: *Rogare ultro, & AMBIRE cogitur, ut sint qui dignentur audire*. Synesius etiam in *Dione*: *Me vero*, inquit, *liberum sinit, neque instat præfiniti temporis angustia, cum neque coram tam inepto Judice ad dicendum accingar, neque in Theatrum longe Foro iniquius sim ingressurus; PULSATIS etiam passim FORIBUS, atque urbanis adolescentibus jucundissimum quoddam acroama pollicitus*. Quo loci videas, diligenter adeo investigatos Auditores, ut omnes pene singulorum *fores* quandoque *pulsarentur*.

Illud etiam superest, ut, si quæ esset olim hujusmodi *Invitationis formula*, dicatur. Cujus rei haud equidem scio, an præter Juniorem Plinium, & Arrianum quispiam alius mentionem fecerit. In istius igitur Commentariis *de Epicteti Disputationibus* lib. III. cap. XXIII. hujusce *Invitationis formulam* iis verbis conceptam invenias: *Cum igitur dicis, ADESTE, AUDITE ME VOBIS LEGENTEM*. Et paulo post: *AUDI ME HODIE in ædibus Quadrati DISSERENTEM*. Et infra aliquanto: *ROGO TE, UT VENIAS, AT QUE AUDIAS*. Apud Plinium autem videas eandem hoc modo conceptam, SI COMMODUM EST, aut, SI VACAT. *Cepi*, inquit Plinius in lib. III. epistola XVIII. paulo ante adducta, *non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed, SI COMMODUM ESSET, & SI VALDE VACARET, admoniti ..... convenerunt*.

CAP. IV.

MOLESTIUS TULISSE *Scholasticos*, ac STOMACHATOS FASTIDIOSE, *si, dicentibus ipsis aut recitantibus, minime* ACCLAMASSENT & PLAUSISSENT *Auditores*.

FIdem igitur ista perspicue faciunt, *studiose factas* a Scholasticis Audientium & Acclamantium *invitationes*. Quod si vocati vel noluissent adesse, vel præsentes & audientes minus acclamassent, & plausissent, animalia illa gloriæ, & popularis auræ vilia mancipia (sic enim appellantur Scholastici a Tertulliano, & Hieronymo) id omnino *ferebant moleste*, ac *fastidiose stomachabantur*. Epictetus apud Arrianum in libro III. cap. XXIII. exagitans eos, qui ad ingenii duntaxat ostentationem recitabant ac disputabant, narrat, quendam demisso capite humilem & abjectum ex Auditorio discessisse, quod & tardius convenissent Auditores, & nullus esset eo disputante plausus excitatus: *Non ita pridem*, inquit Epictetus, *cum Auditores segnius convenissent*, NEC *tibi* ACCLAMASSENT, ABJECTO ANIMO EGRESSUS ES. In Senecæ Proemio libri IX. *Controversiarum* dicuntur *concidere* ac *deficere* Declamatores, si *Plausus deficiat* Auditorum: *Quid quod*, ait Seneca, *laudationibus crebris sustinentur* declamatores, *& memoria illorum assuevit certis intervallis quiescere? Cum ventum est in Forum, & DESIIT illos ad omnem gestum PLAUSUS EXCIPERE, aut DEFICIUNT, aut LABANT*. qui locus indicat etiam, Plausuum sic appetentes fuisse Scholasticos, ut *ad omnem gestum* sibi plaudi vellent: qua de re infra. De Sophista Aristide scriptum est a Philostrato, solitum eum *stomacho* atque *iracundia* vehementius *exardere* adversus illos, qui *sine faustis clamoribus & plausu* declamantem ipsum audirent. Philostrati verba sunt hæc in *Aristide*: *Neque ad multorum gratiam disserebat* Aristides, *nec poterat IRACUNDIÆ ÆSTUM moderari adversus eos, qui SINE LAUDATIONE ipsum AUSCULTABANT*. Apud Athenæum Cynulcus, disputator non ignobilis, ob id *vehementer indignatur*, quod Theatrum, ipso disputante, *clamoribus, & plausu* nequaquam resonasset. *Hæc loquutus Cynulcus*, inquit, Athenæus in lib. IV. *quia NEMO APPLAUSISSET, STOMACHATUR*. In Luciani autem Rhetorum præceptore Declamator sine faustis auditus acclamationibus, non modo *indignatur*, sed *convicia* quoque *jactat* in Auditores; *Quod si te*, ait, *haud laudent*, IN*DIGNERIS, & eos CONVICIIS INSECTERIS*. Samosatenus etiam Paulus, nefarius ille ac superbissimus religionis contemptor, publice Concionans, *furenter* quandoque *irascebatur*, & gravissimas in Auditores *jacebat contumelias*, si non ei acclamarent, nec Oraria, ut Theatro fieri solebat, moverent. Quam rem Eusebius his verbis persequitur in *Eccles. Histor.* lib. VII. cap. XXIV. *Neque necesse est dicendo persequi, qua ratione sedem & thronum sublimem sibi pararit* Paulus, *cumque non ut Christi discipulum decet, sed ut mundi Principes solent, secretum, & separatum habuerit, nomine suo appellarit, femur in eo sedens manu percusserit, calcibus aliquando ipsum pulsarit: & qui, cum eum audirent Concionantem, non laudibus extollerent, non, ut in Theatris fieri solet, se agitationibus, quo illi applauderent, in orbem versarent, non more gladiatorum, & muliercularum, quos apud se habebat, inconcinne ei inclamarent, & quasi tripudiis gestirent, sed, ut in domo Dei par est, modeste moderateque auscultarent, eos GRAVITER INCREPARIT, & VERBIS CONTUMELIOSIS EXCEPERIT*. Ab Eusebio eadem ista Ruffinus in *Hist. Eccl.* l. VII. c. XXVI. sumit, atque ita describit: *Verbum faciens ad plebem*, de Paulo sermo est, *jactare supra modum dexteram, ac palmam femori illidere; pede quoque subsaltare ac scabellum ferire cum sonitu. Ab Auditoribus vero non favorem, neque plausum sperare solum, sed Theatrali more Oraria moveri sibi expectabat, & vocem tanquam de caveis dari. Hæc non solum a Viris, sed etiam a mulieribus indecenter expectabantur. Si quis vero Auditorum honestius & verecundius agens a clamore nimio temperasset, VELUT INJURIAM FACIENS PATIEBATUR INJURIAM*. Hæc ipsa ab Eusebio & Ruffino accepta narrat nobis Callisti filius Nicephorus in l. VI. c. XXX. *Eccles. suæ Historiæ*. Atque haud scio, an ad hunc eundem Paulum respexerit Chrysostomus, dum in Homil. XXXVIII. ad populum Antiochenum: *Multi*, ait, *multa faciunt, ut in medio constituti longam extendant Orationem; & si PLAUSUS quidem a multitudine CONSEQUANTUR, HOC eis REGNO SIMILE FACTUM EST; si vero CUM SILENTIO sermonem finierint, SILENTII TRISTITIA FIT ILLIS GEHENNA MOLESTIOR*. Hactenus Chrysostomus, qui, si de Paulo Samosateno minime loquutus est, indicat saltem extitisse aliquos suis etiam temporibus Pauli æmulos ac sectatores, qui, Acclamationum & Plausuum avidissimi, *dolerent maxime, ac indigne ferrent*, si Concionantibus ipsis *nequaquam plauderetur* ab audiente populo, & *acclamaretur*.

CAP. V.

REDEMPTAS MERCEDE *a Scholasticis* ACCLAMATIONES, *Factam hujusmodi* redemptionem COENARUM *plerumque* IMPENSIS *vel* SPORTULIS *cœnarum loco* DATIS.

ATQUE ab hoc doloris ac molestiæ periculo ut inter dicendum aut recitandum bene tutos sese redderent Scholastici, certique magis essent de Audientium laudationibus & plausu, consueverunt, non Auditores modo, quod docuimus, invitare ambitiose, preceque corrogare, sed *pretio* etiam, *mercede redimere* ac *conducere*, *qui plauderent & acclamarent*.

Hic Martialis emanant illa in lib. I. epigr. I.

MERCETUR alius grande & insanum Sophos.

& ista Plinii ex lib. II. epist. XIV. *Sequuntur Auditores actoribus similes, CONDUCTI & REDEMPTI mancipes*. Themistius item in Orat. IV. *Eadem*, inquit, *me fax hominum atque colluvies in forum prodeuntem ambiens scilicet prosequitur, ad singula quæ a me dicuntur verba vociferans atque exclamans, invicemque certans, quoniam melius opere illo defungatur, ad quod MERCEDE CONDUCTUS EST*.

Hæc utique *REDEMPTIO* non uno semper eodemque fiebat modo; *Cœnarum* quidem *impensis* plerumque, seu *Sportulis* cœnarum loco datis; nonnunquam *Vestium largitione*; aliquando *pecunia*; interdum etiam *spondendo* pro acclamaturis, aut eos *litibus eripiendo*. Dicam nunc de *Cœnis*, ac *Sportulis*. In Horatii libro I. epist. XIX. ambitiosum hunc morem damnantis ita est.

Scire velis, mea cur ingratus opuscula Lector
Laudet, ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia VENOR
IMPENSIS COENARUM ——

Persius in divitem, sed indoctum recitatorem hæc canit breviter in Satyra prima:

—— *CALIDUM scis PONERE SUMEN*.

Idem Horatius eodem pacto in *Arte Poetica*,

Si vero est, UNCTUM qui recte PONERE possit.

Aper-

Apertissime Petronius in *Satyrico*: *Multo me turpior es tu, qui, ut foris COENARES, Poetam laudasti*. Et paulo post, licet subobscurius: *Hodie*, inquit, *quia tanquam Scholastici AD COENAM promisimus, non perdamus noctem*. Martialis in lib. II. epigr. XXVII.

Laudantem Selium, COENÆ cum RETIA tendit,
Accipe, sive legas, sive Patronus agas.
Effecte, graviter, cito, nequiter, euge, beate.
Hoc volui; facta est jam tibi COENA, tace.

& in libro III. epigram. L.

Hæc tibi, non alia, est AD COENAM causa vocandi,
Versiculos recites ut Ligurine tuos.

& in lib. VI. epigram. XLVIII.

Quod tam grande Sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, COENA diserta tua est.

Lucianus in Rhetorum Præceptore: *Amici vero semper applaudant; ac COENARUM PRETIUM exolvant: si quando tamen te a memoria excidisse intelligant; manus porrigentes, & inter laudes tuas spatium præbentes, ut rursus invenire possis, quod dicendum erat*. Plinius in lib. II. epist IV. fraudem illam patefaciens & exagitans, venuste σοφοκλεῖς appellat & *LAUDICOENOS*, *conductos* ac *redemptos* hujusmodi *plausores*: *Sequuntur*, inquit, *Auditores actoribus similes, CONDUCTI & REDEMPTI mancipes. convenitur in media Basilica, ubi tam palam sportulæ, quam in triclinio dantur: ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur, iisdem Latinum nomen impositum est, LAUDICOENI: & tamen crescit in dies fœditas utraque lingua notata*.

Atque ex hoc Plinii loco illud apertissime intelligas, quod secundo loco probandum posuimus, *Sportulis*, Cœnarum loco datis, *redemptas* quandoque *acclamationes*. Id quod ex Juvenalis Satyra XIII. versus hi planissime confirmant:

Nos hominum, Divumque fidem clamore ciemus,
Quantum Fessidium laudat VOCALIS agentem
SPORTULA ———

sportulam vocalem dixit hoc loco Juvenalis, quemadmodum *disertam Cœnam* Martialis in lib. VI. epigram. XLVIII. Adducta porro mox superius Juvenalis, Plinii, ac Martialis ex lib. II. epig. XXVII. testimonia dilucide nobis ostendunt, ab iis quoque Scholasticis, qui *causas agebant*, & *Patroni* dicebantur, *cœnis* ac *sportulis* factam hanc plausuum & acclamationum *redemptionem*.

CAP. VI.

VESTIUM *item* LARGITIONE *interdum, interdum* PECUNIA, *aliquando etiam* SPONDENDO *pro acclamaturis, aut eos* LITIBUS ERIPIENDO, *factam* PLAUDENTIUM ET ACCLAMANTIUM REDEMPTIONEM.

SED & *VESTIUM LARGITIONE redemptas* nonnunquam a Scholasticis *Acclamationes*, satis indicant Horatius. ac Persius in locis, quos paulo ante adduxi: cum enim de *Cœnis* ea protulisset Horatius:

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis Cœnarum ——

de Vestibus hæc statim adjecit,

—— *& TRITÆ munere VESTIS.*

Persius item, cum dixisset,

—— *calidum scis ponere sumen.*

subdit illico,

Scis comitem horridulum TRITA DONARE LACERNA.

PECUNIA quoque idipsum quandoque factitatum, testificantur Horatius, Martialis, & Plinius. Is ita canit in *Arte Poet.*

Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas,
ASSENTATORES jubet ad LUCRUM ire Poeta,
DIVES agris, DIVES positis in fœnore NUMMIS.

Alter in lib. I epigr. LXVII. scribit hoc pacto:

Non SEX paretur, aut DECEM Sophos NUMMIS.

Plinius vero in lib. II. epist. XIV. *Heri*, inquit, *duo Nomenclatores mei TERNIS DENARIIS ad laudandum trahebantur. tanti CONSTAT, ut sis disertissimus; HOC PRETIO quamlibet numerosa subsellia implentur; HOC ingens corona colligitur; HOC infiniti clamores commoventur*. Huc refer facetam illam indocti, sed divitis, Declamatoris historiam, quam supra in hujus libri capite II. ex Philostrato in *Polemone* indicavimus. Hic enim iis *creditas pecunias debitoribus condonabat, fœnusque remittebat*, qui declamanti adessent ac faverent. Existimarim etiam ad rem eandem pertinere, quæ in S. Hieronymi epist. LXXXIII. *ad Oceanum* sic scripta legimus: *Nunc plerosque cernimus vel favorem populi in aurigarum morem PRETIO REDIMERE, vel tanto omnium hominum odio vivere, ut non EXTORQUEANT PECUNIA, quod mimi impetrant gestibus*.

Redemptos tandem ac *conductos* a Scholasticis *Acclamatores*, *SPONDENDO* pro iis, aut eos *LITIBUS IMPLICITOS ERIPIENDO*, apertissime significat idem Horatius, dum in *Arte*, post factam in rem eandem pecuniæ, ac cœnarum mentionem, mox ista subjungit:

Et SPONDERE levi pro paupere, & ERIPERE atris
LITIBUS implicitum.

CAP. VII.

Consuevisse nonnunquam Scholasticos, ut inter dicendum aut recitandum certi magis essent de Plausibus & Acclamationibus, ALERE DOMI acclamantium, *&* plaudentium CHORUM. *Hic dicturo, aut recitaturo*, semper aderat, prodeuntem comitabatur, & in ipsa etiam deductione acclamabat. *Variis eundem nominibus signatum a priscis*. Fautores, Fautores delegati, ad plaudendum, Comites, Disposita ad clamorem multitudo, Familia.

ERANT porro Scholastici Plausuum ita appetentes, sic avidi Laudum, ut, in Acclamantium ac Plaudentium redemptione nequaquam acquiescentes, *domi* quoque *alerent* nonnunquam adolescentum *CHORUM*, qui ad plaudendum & acclamandum parati semper & instructi, *prodeuntes ipsos comitarentur, certamque iis, sive dicentibus, sive recitantibus, operam navarent*. De hoc Choro ita legimus apud Lucianum in Rhetorum Præceptore: *Hoc tibi præcipue curæ sit, ut CHORUM habeas DOMESTICUM, tibique concinentem*. Quem autem intelligeret hic *CHORUM*, paulo ante expresserat idem Lucianus, sic scribens: *Amici semper applaudant; & si quando te a memoria excidisse intelligant, manus porrigentes, & inter laudes tuas spatium præbentes, ut rursus invenire possis, quod dicendum erat*, &c. ita ut non nisi *plaudentium & acclamantium* fuerit hic *CHORUS*. Themistius quoque de eodem apertissime in Orat. IV. *Eadem*, inquit, *me fæx hominum atque colluvies in Forum prodeuntem ambiens prosequitur, ad singula quæ a me*

dicuntur verba vociferans, atque exclamans; invicemque certans, quinam melius opere illo defungatur, ad quod mercede conductus sit. Ejusmodi ego CHORUM, ac CHORI suppeditatorem, si mihi comparassem, essem omnino Sophista. Quæ verba extrema ostendunt, maxime solitos Sophistas habere domi promptum hunc & exercitatum *CHORUM*. Neronem item habuisse *peculiarem ac domesticum CHORUM*, ad id potissimum instructum, ut illi in Theatro cithara canenti plauderet & acclamaret, prodit Xiphilinus sub libri LXI. finem: *PECULIARE, inquit, ac DOMESTICUM, sibi AGMEN* ἴδιον σύστημα, *comparaverat* Nero *ad quinque millia militum, qui Augustales nominabantur. Hi laudibus eum extollere incipiebant; post quos cæteri omnes inviti acclamare cogebantur.* Quod Neronis institutum expresserat etiam Svetonius in *Nerone* cap. XX. & Tacitus in XIV. *Annalium* libro. Sed Valerium quoque Martialem *aluisse DOMI* quendam *acclamantium CHORUM* ex eo facile crediderim, quod invitatus semel a Candido, causam acturo, ad ea præstanda, quæ solerent usitato more prodeuntibus ac dicentibus Causidicis togati anteambulones tribuere, cum ipse nec posset eum comitari, nec agenti causam adesse, missurum se pollicetur unum ex *libertis* ac *domesticis suis*, qui ei & debitum officium proficiscenti reddat, & *causam peroranti* apte congruenter que *acclamet*. Martialis verba sunt hujusmodi, ex lib. III. epigr. XLVI.

Exigis a nobis operam sine fine togatam;
Non eo, LIBERTUM sed tibi mitto MEUM.
Non est, inquis, idem: multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor, ille feret.
In turbam incideris, cunctos umbone repellet;
Invalidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo;
At tibi TERGEMINUM MUGIET ille Sophos.

De hoc ipso Choro videtur accipiendus Plutarchus, dum in libello *de Auditione* narrat, Epicurum habuisse *familiares* & *domesticos*, qui solerent ad amicorum etiam epistolas *acclamare* & *plaudere*; *Porro*, inquit, *in laudando non est temere quibusvis utendum vocibus. nam Epicurus quoque molestus est, qui a suis FAMILIARIBUS ad Epistolia amicorum tumultus plausuum excitari scribit*. Agnoscit autem ac commemorat eundem Acclamantium *Chorum* Beatus Valerianus in Homil. XIV. quæ est *de Bono Humilitatis*, scribens hoc pacto: *Non laudis studia postulat* Humilitas, *non favorem vocis expectat: odit ACCLAMANTIUM CHOROS*, &c.

Illud autem erat domestici hujusce Chori maxime proprium, ut dicturo, aut recitaturo semper adesset, prodeuntem comitaretur ac deduceret, inque ipsa etiam deductione acclamaret ei ac plauderet. Lucianus in *Zeuxide*: *Habita nuper*, inquit, *in consessu vestro oratione, domum me conferebam. permulti autem me accessere, & porrecta dextra me consalutabant. MULTO autem ITINERE COMITATU SUO me DEDUCENTES, alius aliunde exclamabat, laudabatque*, &c. Manifestius adhuc Themistius in adducta paulo superius Oratione IV. *Eadem me fæx hominum atque colluvies in Forum PRODEUNTEM AMBIENS PROSEQUITUR, ad singula, quæ a me dicuntur verba, vociferans atque exclamans*. Quam eandem ob causam *COMITUM* etiam appellatione nominatur domesticus hic acclamantium & plaudentium Chorus a Juvenali, & Persio: quorum loca mox producemus.

Multis porro nominibus hunc eundem Chorum olim scribendo signatum observo. *FAUTORES* vocat Phædrus Aesopiarum fabularum lib. v. in *Procaci Tibicine*:

In plausus consurrectum est; jactant basia:
Tibicen gratulari FAUTORES putat.

FAUTORES DELEGATOS Plautus in *Amphitruonis Prologo*:

Nunc, inquit, hoc me orare a vobis jussit Juppiter,
Conquisitores singula in subsellia
Eant per totam caveam spectatoribus,
Si cui FAUTORES DELEGATOS videant.

Et paulo post appellat *DELEGATOS AD PLAUDENDUM*,

Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Ut conquisitores fierent Histrionibus,
Qui sibi mandarent. DELEGATI UT PLAUDERENT.

COMITES dicuntur a Juvenali, & Persio. Ejus verba sunt hæc in Satyra VII.

Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis, & magnas COMITUM disponere voces.

Persii ista in Satyra prima:

——— *calidum scis ponere sumen,*
Scis COMITEM horridulum trita donare lacerna.

Quintilianus appellat *DISPOSITAM AD CLAMOREM MULTITUDINEM. Quæ quidem virtus*, ait *Instit. Orator.* lib. IV. cap. II. *negligitur a plurimis, qui AD CLAMOREM DISPOSITÆ, vel etiam forte circumfusæ multitudinis COMPOSITI, non ferunt illud intentionis silentium, nec sibi diserti videntur, nisi omnia tumultu ac vociferatione concusserint*. *FAMILIA* demum nominatur a Tertulliano in lib. *adversus Valentinianos* cap. VIII. *In Scholis*, inquit, *Carthaginensibus fuit quidam rigidissimus Rhetor Latinus, Phosphorus nomine, cum virum fortem peroraret, Venio, inquit, ad vos, Optimi Cives, de prælio cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, fortunatus, gloriosus, maximus, triumphalis; & Scholastici statim FAMILIÆ Phosphori*, φεῦ *acclamant*.

CAP. VIII.

Solitos quandoque Scholasticos, quo & splendidius recitarent ipsi, aut dicerent, & frequentiores, aptiusque dispositos haberent Auditores & Acclamatores, MAGNIFICAS POTENTIORUM ÆDES *ad dicendum aut recitandum* MUTUARI, *vel* CONDUCERE.

SCHOLASTICI porro, quibus ædes erant viles & angustæ, quo splendidiori dicerent, aut recitarent, apparatu, frequentioresque & maxime dispositos haberent in Auditorio acclamatores, consueverunt *grandiores & magis ornatas divitum aulas mutuari ac conducere*. Nec id sane mirum cuiquam videri debet. Siquidem, ut est in Luciani libello *de Domo*: *Si quis domum videat mole maximam, forma pulcherrimam, luce clarissimam, auro fulgentissimam, denique & picturis floridissimis, non expetat in ea Orationem velut testato relinquere, si forte circa hoc studium versetur, & celebrari intus & clarescere, ac voce illam implere, & quam maxime licet, etiam ipse pars quædam pulchritudinis illius esse?* Splendidas igitur, & magnificas potentiorum ædes prece aut pretio redimebant Scholastici, quod eas opinarentur esse Theatrum doctrina & eloquentia sua dignum, in quo & laxis facundiæ habenis volitarent ipsi, & Auditoribus liceret, quantum vellent atque possent, sese in Acclamationes & Plausus effundere. in Juvenalis Satyra VII. de commodatis hujusmodi ædibus scriptum videas hoc pacto:

——— *& si dulcedine famæ*
Succensus RECITES, Maculonus COMMODAT ÆDES.

& in Sat. prima dicuntur splendidæ Julii Frontonis ædes recitantibus, aut dicentibus semper patuisse:

Frontonis Platani, convulsaque marmora clamant
Semper, & assiduo ruptæ Lectore columnæ.
Expectas eadem a summo minimoque Poeta.

Auctor Dialogi *de Oratore*, de recitante Poeta loquens: *Rogare*, inquit, *ultro, & ambire cogitur, ut sint, qui dignentur audire: & ne id quidem gratis, nam & DOMUM MUTUATUR, & auditorium extruit*, &c. Theophrastus etiam, quem exprimit hominem blandum in Charactere *de Blanditia*, eum dicit solitum dicenti, aut recitanti cuique ædium suarum atrium ac sphæristerium commodare: *Habet idem*, de blando homine loquitur Theophrastus, *parvulum atrium pulvere palæstrico respersum, & sphæristerium: atque HAS ÆDIUM SUARUM PARTES solet ille obvio cuique, vel e Philosophorum grege, vel Sophistarum, vel eorum, qui se armis, aut musico cantu exercent, COMMODARE, ut ibi artis suæ periculum faciant.* Sic in Stellæ Viri locupletis ædibus recitabant Poetæ, ut est apud Martialem in lib. IV. epigram. VI.

——— *Compositos metro Tibulli*
In Stellæ RECITAT DOMO libellos.

Sic Titinius Capito ædes suas recitantibus commodabat. DOMUM SUAM, ait Plinius in lib. VIII. epist. XII. *RECITANTIBUS PRÆBET. Auditoria non apud se tantum benignitate mira frequentat*, &c. Sic in ædibus Quadrati publice disserebant Philosophi ac Sophistæ, *Audi me hodie in ÆDIBUS Quadrati DISSERENTEM*, inquit Epictetus apud Arrianum lib. tertio cap. XXIII. Sic demum in Euripidis, aut Megaclidis domo recitabat Protagoras, ut testificatur Diogenes Laertius: *Recitabat*, ait de eodem Protagora agens, *Athenis in Euripidis, seu, ut quidam volunt, in Megaclidis DOMO.*

CAP. IX.

Quo plauderent commodius & acclamarent Auditores, frequentiusque convenirent, consuevisse interdum Scholasticos IPSUM *etiam* EXTRUERE AUDITORIUM, & NUMEROSA CONDUCERE, *inibique* COLLOCARE SUBSELLIA.

QUIN etiam Scholastici, quo possent Auditores & frequentiores adesse, & acclamare commodius, *ipsum* quandoque *Auditorium extruebant*, & *numerosa conducebant, ac collocabant in eo sedilia*. Auctor Dialogi *de Oratoribus*, iterum ac sæpius a nobis adductus: *Rogare*, inquit, *ultro & ambire cogitur, ut sint qui dignentur audire. Et ne id quidem gratis, nam & domum mutuatur, & AUDITORIUM EXTRUIT, & SUBSELLIA CONDUCIT*. De conductis ac collocatis iisdem subselliis accipiendus est omnino Juvenalis, dum in Satyra VII. sic cecinit:

Nemo dabit Regum, quanti SUBSELLIA constent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est Orchestra CATHEDRIS.

reprehendit Juvenalis divites quosdam, qui ædes quidem ad recitandum commodabant libenter, factos autem in conducendis, collocandis, ac reportandis subselliis, sumptus, & impensas minime suppeditabant. Huc etiam videtur respexisse Epictetus apud Arrianum in lib. III. cap. XXIII. dum hæc scribit: *Ut autem hoc consequi valeant MILLE PONI SUBSELLIA oportebit, & convocari quamplurimos Auditores.*

CAP. X.

Recitantibus, aut Dicentibus Scholasticis, large omnino effuseque plausum & acclamatum ab Auditoribus. IN PRIMA *quandoque* POST EXORDIUM TRANSITIONE; AD OMNEM CLAUSULAM *interdum; interdum* AD OMNEM GESTUM; *aliquando etiam* AD SINGULA VERBA, & SYLLABAS.

QUEMADMODUM igitur, ut vidimus, plausuum & acclamationum maxime appetentes erant & avidi Scholastici, sic consuevere Auditores, sive prece ac pretio redempti, sive per se ipsi ac sua sponte convenientes, liberaliter omnino & effuse iis acclamare & plaudere. Hanc utique ob causam factas Declamatoribus ab audiente populo acclamationes, CREBRAS appellat Seneca in Procemio libri IX. *Controversiarum*, quod scilicet identidem fierent, ac frequenter: *Quid quod*, ait, *LAUDATIONIBUS CREBRIS sustinentur* Declamatores, *& memoria illorum consuevit certis intervallis quiescere?* Themistius in oratione IV. adfirmat, dicenti sibi solitos Auditores large copioseque acclamare & plaudere: *Num me etiam, creditis Auditores vestro illo plausu & acclamationibus indigentem, cujusmodi mihi a vobis, cum dico, LARGE EFFUSEQUE conferuntur?* Beatum item Chrysostomum Homilia IV. *in Genesim* datos sibi Concionanti plausus, ob id PERPETUOS appellasse puto, quod dicentem eum laudationibus & plausibus liberaliter assidueque prosequerentur Auditores, *PERPETUI*, inquit, *illi plausus declarant maxime, quanta cum voluptate ea quæ dicuntur capiatis.*

Plaudebant autem, & acclamabant Auditores *in prima* quandoque *post Exordium Transitione; ad omnem clausulam* interdum, interdum *ad omnem gestum*; aliquando *ad singula verba*; nonnunquam etiam *ad singulas syllabas*. Quintilianus *Institutionum* lib. IV. cap. I. sub finem: *Illa vero*, inquit, *frigida & puerilis est in Scholis affectatio, ut ipse TRANSITUS efficiat aliquam utique sententiam, & hujus velut præstigiæ PLAUSUM petat.* Et in lib. II. cap. II. *Nunc*, ait, *proni atque succincti AD OMNEM CLAUSULAM non exurgunt modo, verum etiam excurrunt, & cum indecora exultatione CONCLAMANT*. Forte videatur ad easdem Clausulas respexisse B. Hieronymus, dum in epist. II. scribit hoc pacto: *Ne a me quæras pueriles Declamationes, sententiarum flosculos, verborum lenocinia, & PER FINES CAPITULORUM SINGULORUM acuta quædam, breviterque conclusa, quæ PLAUSUS & CLAMORES excitent Audientium*. Maximus item Victorinus Grammaticus eodem pacto; CLAUSULA *est compositio verborum* PLAUSIBILIS *structuræ exitu* TERMINATA. Seneca in Procemio libro IX. *Controversiarum: Cum ventum est in forum, & desiit illos*, Declamatores, *AD OMNEM GESTUM plausus excipere, aut deficiunt, aut labant*. Themistius etiam in Oratione IV. *Porro eadem me fæx hominum atque colluvies in forum prodeuntem ambiens scilicet prosequitur AD SINGULA quæ a me dicuntur VERBA vociferans, atque exclamans, invicemque certans, quinam melius opere illo defungatur*. Et in Orat. XIV. *Vos interim, quasi in ludis, togati, ac permutatis calceis, in sellis considentes, pene AD SINGULA VERBA clamores attolleretis, prosilientes, atque in voces varias erumpentes*. Plutarchus tandem in libello cui titulus est, *Quomodo possit ab amico adulator internosci; Nihil*, ait, *refellens* adulator, *sed omnibus annuens, at-*

que omnia admittens, & AD SINGULA exclamans, Bene, ac Sufficienter, deprehenditur. Et in libro *de Auditione*: *Proinde, cum ubique silentium adolescenti tutum sit ornamentum, maxime tum prodest, cum audiens dicentem non perturbatur, neque AD SINGULA ELATRAT; sed etiamsi oratio non probetur, sustinet tamen, expectatque, dum dicendi ille finem faciat.* Et ab hoc loco non longe admodum: *Qui*, ait, *in aliis laudandis parci sunt, suarum adhuc inopes laudum, famelicique videntur. peccat in alteram partem, qui nihil interponit judicii, sed CUIVIS VOCI AC SYLLABÆ insistens acclamat.* Nunc ipsas Acclamationum formulas persequamur.

CAP. XI.

Valde laboratum olim, ut ACCLAMATIONES PERSONIS, AC REBUS, *quibus fiebant, maxime* CONVENIRENT.

SCHOLASTICOS certe quidem fuisse Acclamationum ac Plausuum avidissimos, & Auditores in iis tribuendis effusos maxime ac liberales, satis demonstrasse mihi videor; persequar nunc ipsas hujusmodi Acclamationum formulas, si tamen illud ante admonuero, Laboratum valde priscis, ut essent Acclamationes personis, ac rebus, quibus fierent, congruentes maxime ac convenientes. Plutarchus sane in libello *de Auditione*, ad hoc Acclamationum decorum respiciens, eos reprehendit, qui, vel inusitatas ac novas inducunt in Auditoria Acclamationes, vel, earum ordinem & quasi convenientiam pervertentes: *Id Philosopho acclamant, quod Causarum Patrono* maxime *convenit*; aut *seni, quod declamantis adolescentis proprium est ac legitimum*. Et subdit, *inepte* eos facere, qui ita acclamant, non minus, quam si quis liliorum aut rosarum coronam Athletæ capiti imponat, cui lauri sertum vel oleastri debetur. Quibus autem suam sententiam ostendit, sunt hæc Plutarchi verba: *Porro in laudando non est temere quibusvis utendum vocibus. Nam Epicurus quoque molestus est, qui a suis familiaribus ad epistolia amicorum tumultus plausuum excitari scribit. Et qui nunc inusitatas in Auditoria introducunt voces, dum acclamant, DIVINITUS, DIVINO INSTINCTU, INIMITABILITER (quasi vero ea non sufficiant, quibus Plato, Socrates, & Hyperides usi sunt laudum indiciis, PULGHRE, SAPIENTER, VERE) ii supra modum INDECENTER agunt, dicentesque traducunt, quasi hi superbia impulsi nimias laudes affectarent. Vehementer etiam molesti sunt, qui jurejurando adhibito, velut in Foro, testimonia dicentibus adhibent. Neque his minus ii, qui PERSONARUM DECORUM NON OBSERVANT, dum PHILOSOPHO acclamant, ACRITER; SENI, INGENIOSE, aut FLORIDE; VOCES LUDENTIUM, LASCIVIENTIUMque in SCHOLASTICIS declamationibus AD PHILOSOPHOS ii TRANSFERENTES, ORATIONIQUE SERIÆ AMATORIAM LAUDEM ACCOMODANTES. perinde ac si quis Athletæ sertum liliorum, rosarumque, non lauri, aut oleastri coronam imponeret.* Auctor etiam Dialogi *de Oratoribus*, FOEDE omnino, ac PRÆPOSTERE ab iis fieri prodit, qui, TENERE *Oratoribus*, *Histrionibus* DISERTE acclamant. Sunt hæc ipsa illius: *Unde oritur illa FOEDA & PRÆPOSTERA, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut Oratores nostri, TENERE dicere, Histriones, DISERTE saltare dicantur.* Convincit ergo veritas, fuisse olim ad rerum ac personarum statum apte omnino, & quasi decore acclamatum.

CAP. XII.

Communiores, & magis usitatæ Acclamationum formulæ in Latinos, sive Orantes, sive Recitantes, emissæ enumerantur, ac illustrantur. SOPHOS *frequentissima Latinorum Acclamatio; a Græcis tamen etiam aliquando usurpata. Eam perinde valere, atque* SCITE, *seu* DOCTE. *Indicatum cur* SOPHOS *appellotur* GRANDE, INSANUM, MAGNUM, TERGEMINUM. *Sophoclēis, & Laudicœni.*

ISTIS de Acclamationum decoro, & convenientia breviter perstrictis, ad ipsas earundem formulas accedo. Ac communiores, crebriusque usurpatas, attingam leviter; enodatius autem explicabo illustriores, & quæ cognitionem habent magis difficilem.

Dicenti quidem M. Tullio quæ solerent crebro acclamari; quam ipse Acclamationem aspernaretur, quam item summe cuperet, discimus ex libro III. *de Oratore*; quo loci sic scriptum videas, *BENE, & PRÆCLARE, quamvis nobis sæpe dicatur; BELLE, & FESTIVE nimium sæpe nolo; quamquam illa ipsa Exclamatio, NON POTEST MELIUS, sit velim crebra.* Cujus postremæ Acclamationis par ac similis videtur illa, quam Plutarchus commemorat in libello *de Auditione*, ἀπροσίτως, hoc est, INIMITABILITER; & ea, cujus meminit Arrianus in *Epicteti Disputationibus* lib. III. cap. XXIII. ὑπερφυῶς, id est, SUPRA QUAM DICI POSSIT, seu, NIHIL SUPRA. Usitate fieri solitas recitantibus Poetis Acclamationes habent Horatius, & Persius. is sub *Artis Poeticæ* finem in has formulas, PULCHRE, BENE, RECTE.

Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ, clamabit enim, PULCHRE, BENE, RECTE.

alter vero in Satyra prima, EUGE, & BELLE,

Sed recti finemque, extremumque esse recuso
EUGE tuum, & BELLE; nam BELLE hoc excute totum,
Quid non intus habet?

& in Satyra eadem infra aliquanto, DECENTER,

Nil ne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optas audire DECENTER?

Martialis in lib. II. epigr. XXVII. multas in unum conducens Acclamationes, quæ vel in Poetas recitantes, vel in Causarum Actores, seu Patronos, emitti solebant, ait in hunc modum:

Laudantem Selium cœnæ cum retia tendit,
Accipe, sive legas, sive Patronus agas.
EFFECTE, GRAVITER, CITO, NEQUITER, EUGE, BEATE.
Hoc volui, facta est jam tibi cœna, tace.

EFFECTE, non EFFOETE; sic enim scriptum in antiquis codicibus admonuerunt Martialis correctores; & ita habet vetustissimus Ambrosianæ Bibliothecæ Codex. Qua voce usi sunt etiam Plinius in *Epistolis*, *in Floridis* Apulejus, & Ammianus Marcellinus in *Hist.* lib. XVI. Idem autem est *Effecte*, atque *Perfecte*, seu *Eximie*, vel *Excellenter*. NEQUITER, id est, *Amatorie*; Græci ἐρωτικῶς dicunt. Reliqua nota sunt & manifesta. Auctor Dialogi *de Oratore*, dum fœde omnino ac præpostere ab iis fieri scribit, qui *Diserte* Histrionibus, Oratoribus *Tenere* acclamant, significat haud obscure, licet *Tenere* interdum Oratoribus parum decenter acclamaretur, usitatam tamen eorundem ac convenientem Acclamationem fuisse, DISERTE.

Porro SOPHOS frequentissima fuit in Latinos sive dicentes, sive recitantes, emissa Acclamatio. Meminit illius non semel neque uno in loco Martialis. In lib. quidem primo epigr. IV. suum alloquens librum sic canit.

Audieris cum grande SOPHOS, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.

In ejusdem libri epigrammate L. ita est:

Mercetur alius grande & insanum SOPHOS.

& in epigrammate LXVII.

Non sex paratur, aut decem SOPHOS nummis.

& in epigrammate LXXVII.

Præter aquas Helicon, & serta, lyrasque Deorum,
Nil habet, & magnum, sed perinane; SOPHOS.

& in libro III. epigrammate XLVI.

Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo,
At tibi tergeminum mugiet ille SOPHOS.

Denique in libro VI. epigrammate XLVIII.

Quod tam grande SOPHOS clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Sidonius quoque Apollinaris mentionem de ea facit in lib. primo epist. IX. in lib. VIII. epist. VI. in lib. IX. epist. XIII. & in Carmine V. & VIII.

Cur autem SOPHOS dicatur GRANDE, INSANUM, MAGNUM, & TERGEMINUM, causæ illud est, quod non sine magna & contenta voce fierent olim Acclamationes, ut pluribus docuimus in lib. I. cap. XVI.

Perinde vero valebat SOPHOS, atque SCITE, seu DOCTE; ut recte observavit doctissimus Budæus in suis prioribus *ad Pandectas* Adnotationibus.

Cæterum qui hanc Acclamationis formulam usurpabant, seu qui pacta cœna SOPHOS Orantibus, aut Recitantibus acclamabant, eos *Sophocles*, & *Laudicœnos* appellatos prodit Plinius in Epistola XIV. libri II. *Sequuntur*, ait, *Auditores Actoribus similes, conducti & redempti mancipes. convenitur in media Basilica, ubi tam palam sportulæ, quam in triclinio dantur; ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur; iisdem Latinum nomen impositum est, LAUDICOENI.*

Hanc utique Acclamationem a Græcis quoque fuisse nonnunquam usurpatam, indicat vox ipsa, quæ licet jam pro Latina habeatur, primo tamen Græce concepta fuit & expressa. Plutarchi etiam locus ex lib. *de Auditione* idipsum plane probat; inibi enim Plutarchus quasdam recensens Acclamationes, Platoni, Socrati, & Hyperidi fieri solitas, σοφεῖς etia acclamatum scribit: *Qui nunc*, inquit, *inusitata in Auditoria introducunt voces dum acclamant, Divinitus, Divino instinctu, Inimitabiliter (quasi vero non ea sufficiant, quibus Plato, Socrates, & Hyperides usi sunt laudum indiciis, καλῶς, σοφεῖς, ἀληθῶς, ii supra modum indecenter agunt.* Atque hæc fere sunt mihi de Latinis Acclamationibus in Scholasticos frequentius emitti solitis comperta.

CAP. XIII.

Quam varie fuerit olim acclamatum ad Græcorum Recitantium, vel Dicentium laudem. auctores plures illustrati.

VEnio nunc ad ipsas Græcarum Acclamationum formulas; in quibus sine dubio Græci Audientes plus quam Latini sibi indulsere. Atque has quidem, Ορθῶς, & Πρεπόντως, hoc est, RECTE, & DECORE, dum fauste acclamabant: οὐκ ὀρθῶς autem, & οὐ πρεπόντως, id est, MALE, & INDECENTER, dum infauste, maxime communes fuisse, & quasi solemnes, adfirmat Plutarchus in lib. *de audiendis Poetis*, scribens hoc pacto: *Oportet autem eum*, de audiente adolescente sermo est, *non timide, neque ut in Templo superstitiose ad omnia horrere, omniaque adorare; sed adsuetum audacter acclamare suo loco non minus, MALE hoc, & INDECENTER, quam, RECTE hoc, & DECORE.* quo certe loci vox illa, *adsuetum*, id quod dicimus, planissime confirmat. Etiam Theophrastus in Charactere *de Adulatione* adfirmat, ὀρθεῖς, id est, RECTE, dicenti nonnunquam acclamatum. *Jam*, inquit, *si loquatur ille, hic vero adulator silentium omnibus imperare; in os laudare, dicenti voce gestuque applaudere; & ubi finem dicendi fecerint, ὀρθῶς acclamare.*

Θείως etiam, θεοφορήτως, & ἀπροσίτως hoc est, DIVINITUS, DIVINO INSTINCTU, & INIMITABILITER, in Auditoriis quandoque acclamata, testificatur idem Plutarchus in libello *de Auditione* his verbis: *Qui nunc inusitatas in Auditoria introducunt voces, dum acclamant, DIVINITUS, DIVINO INSTINCTU, INIMITABILITER,* &c. *ii supra modum indecenter agunt.* Et aliquanto post hunc locum asserit idem Plutarchus, Platonis, Socratis, & Hyperidis usitatas Acclamationum formulas fuisse, καλῶς, σοφῶς, ἀληθῶς, hoc est, PULCHRE, SCITE, VERE: inquit enim: *Quasi vero ea non sufficiant, quibus Plato, Socrates, Hyperides usi sunt laudum indiciis,* καλῶς, σοφῶς, ἀληθῶς. Nec multo post subdit, dicentibus acclamatum δριμέως interdum, interdum εὐφυῶς, aliquando ἀνθηρῶς; ACRITER nimirum, seu ACUTE, INGENIOSE, FLORIDE. Ejus autem ex loco, quem dixi, hæc sunt verba: *Neque his minus* molesti sunt *ii*, *qui personarum decorum non observant, dum Philosopho acclamant, ACRITER, seni INGENIOSE, aut FLORIDE.* Licet enim inibi reprehendat Plutarchus, ut est a nobis superius in cap. XI. observatum, præposteram quorundam, & minus convenientem Acclamandi rationem, indicat tamen haud obscure, fuisse eas formulas inter acclamandum non raro usurpatas. Idem Plutarchus in libello, cujus Titulus est, *Quomodo possit adulator ab amico internosci*, has formulas commemorat, εὖ, καὶ ἱκανῶς, hoc est, BENE & ABUNDE, seu SUFFICIENTER: *Nihil*, ait, *refellens*, de adulatore loquitur, *sed omnibus annuens, atque omnia admittens, & ad singula exclamans, BENE, ac SUFFICIENTER, deprehenditur.* In libello autem, qui inscribitur, *Qua quis ratione se ipsum laudare possit*, Declamantibus hæc interdum acclamata scribit, θείως, δαιμονίως, καὶ μεγάλως, id est, DIVINITUS, SAPIENTER, & EXCELLENTER. *Rhetores*, inquit, *& Sophistæ, dum Declamantes patiuntur sibi acclamari* θείως, δαιμονίως, & μεγάλως, *moderatorum & humanorum laudem amittunt.* In *Epicteti Disputationibus* lib. III. cap. XXIII. tradit Arrianus dicentibus, θαυμαστῶς, hoc est, ADMIRABILITER, fuisse acclamatum: *Quomodo*, ait, *vis laudem? Dic mihi* οὐά, καὶ θαυμαστῶς. Vox autem οὐά, inter acclamandum quid significet, dicam non multo post. In eodem capite, sed paulo ante, idem Arrianus meminit hujus formulæ, θαυμαστῶς; cui subnectit, ὑπερφυῶς, id est, SUPRA QUAM DICI POSSIT. *Dudum laudatus circumibas, & omnibus dicebas, Quis tibi visus sum?* θαυμαστῶς, *Domine, ita salvus sim. Quomodo vero illud*

dixi? Quodnam? ubi descripsi Panem, & Nymphas? ὑπερφυῶς. Lucianus in *Zeuxide* has recenset Acclamationes: *Caput autem & summa laudationum hæc illis fuit, & omnes uno ore unam eandemque sententiam præseferebant, confirmantes, orationum mearum compositionem & sententiam peregrinam esse, ac multum in se complecti novitatis. Multo vero satius est, eadem illa verba commemorare, quibus illi tum usi fuere. O NOVITATEM, inquiunt, O Hercules, DICTIONEM INAUDITAM; O HOMINEM PROMPTUM ET AGILEM.* Quid sibi publice dicenti fuerit acclamatum refert Aristides in Oratione *de Concordia* ad Rhodios: *Vos*, inquit, *nequaquam decet hic morbus, quos etiam nos, cum vobiscum eramus, in Concionibus non una tantum lingua, sed & voce plerumque, si dicere licet, eadem uti videbamus (nam, RECTE, CORONÆ, ac similia, vel etiam NOMEN CONCIONANTIS elatum vobis sufficiebat) & loco manus extendendæ capitis usurpare nutum.* Quo in loco sunt illa maxime animadvertenda, utpote raro usurpata, & vix in alium emissa, Στέφανοι, hoc est, CORONÆ, & IPSUM ORATORIS NOMEN inter acclamandum PROLATUM.

Sunt illa quoque insignia omnino, quæ dicentibus Proæresio, Polemoni, Herodi Atheniensi, Antipatro, & Aristidi acclamata produnt Eunapius, & Philostratus. Ac Proæresium quidem, DEUM interdum, interdum MERCURII TYPUM, ab acclamantibus appellatum habet Eunapius in *eius Vita*, scribens hoc pacto: *Tum vero neque leges suas Consul servare, neque corona Auditorum summi Magistratus minas revereri potuit, nam cuncti, qui aderant, circumlambendo Sophistæ pectus, velut simulachrum alicujus Dei, alii pedes, alii manus osculabantur supplices; nonnulli DEUM, quidam MERCURII eloquentiæ Præsidis TYPUM, nominabant.* Sophistæ Polemoni acclamatum, ALTER ES DEMOSTENES, tradit Philostratus in *Polemone: Cum*, inquit, *in Olympiis Græcia super ipso* Polemone *exclamasset*, ALTER ES DEMOSTHENES, &c. Atheniensis Herodes ab acclamante populo, UNUS E DECEM GRÆCIÆ SAPIENTIBUS, appellatur: *Acclamante ipsi*, ait Philostratus de Herode, *Græcia, ipsumque UNUM E DECEM nuncupante; a laude, quæ magna videbatur, superatus non est.* Antipatro acclamatur, DEORUM DOCTOR; quod scilicet liberorum Severi Imperatoris Magister fuisset. *Severi filiorum*, ita est in ejusdem Philostrati Antipatro, *præceptor est existimatus; unde in Auditorii laudibus DEORUM DOCTOREM appellabamus.* Aristides demum in ea Oratione, quam habuit contra criminantes, quod non declamaret, ait sibi acclamatum, GRÆCORUM PRINCEPS: *Nunc etiam vestra vicissim perspicite, o illepidi amatores, qui cum ita me ametis, ac GRÆCORUM esse PRINCIPEM tum credatis, tum per gymnasia & fora CONCLAMETIS*, &c. Mirum est, quam multæ, quamque fuerint Acclamationum formulæ in hoc genere a Græcis usurpatæ. Plures hic non colligo; addam tamen unam aut item alteram ex iis, quæ haud ita facilem habent cognitionem, & de quibus adhuc videatur inter doctos convenire.

CAP. XIV.

Acclamationum omnium cumulus, ac veluti summa, Θείως, *hoc est,* DIVINITUS. *Quæsitum, quando hæc Acclamatio primum fuerit in Auditoria & Scholas invecta. Inanis quorundam opinio, Æschini illam Sophistæ dicenti primum impertitam existimantium. Obscurior Philostrati locus in Æschine illustratus. Plutarchi omnino temporibus eam primo introductam. Damnatur hæc acclamandi formula. Recensentur Acclamationes quædam illius similitudinem habentes.*

In hoc eodem libro sub capitis XII. initium pollicitus sum, leviter perstricturum me communiores & magis usitatas Acclamationum formulas in Scholasticos emissas; si quæ tamen essent illustriores, aut quæ non ita facilem haberent cognitionem, eas diligenter & enodate explicaturum. Hactenus summatim & quasi præteriens illas attigi; nunc reliquum, quod est promissi, ut persolvam, insigniorem unam & item alteram seligam ex omni numero diligentius examinandam. Sunt autem hæ potissimum Acclamationes, unica voce conceptæ, Θείως, & εὖ, de quibus scilicet adhuc ambigitur inter eruditos.

Et quamvis vox Θείως, hoc est, DIVINITUS, vere Acclamationum omnium cumulus, ac veluti summa, minime obscuram habeat significationem; quia tamen & a Plutarcho damnatur, nec ita certum est adhuc, quando primum in Auditoria & Scholas fuerit invecta, idcirco non erit abs re subtexere hoc loco, quid potissimum de ea statuendum videatur.

Sunt, qui hanc acclamandi formulam dicenti Sophistæ Æschini fuisse primum tributam existiment. Adfirmant id, quod dicunt, Philostrati testimonio in *Æschine* his verbis conscripto: τὸ γὰρ Θείως λέγειν, οὔπω μὲν ἐπεχωρίασε σοφιστῶν σπουδαῖς, ἀπ' Αἰσχίνου δ' ἤρξατο. quæ ita Latine efferunt: *Nam acclamare, DIVINITUS, nondum receptum erat in studiis Sophisticis; initium autem ejus factum est Æschini.* Verum isti in hoc loco vertendo, si Græce sciunt, bona eorum venia dixerim, nos decipiunt; sin autem nesciunt, ipsi decipiuntur, neque enim in adductis Philostrati verbis Acclamationis Θείως ulla est omnino mentio. Philostratus ipse, quid senserit, & quomodo sit inibi vox Θείως accipienda, ita nobis testatum reliquit, ita manifestum, ut jure magis, quam hi vel, erroris, vel negligentiæ, accusari possit nemo. Hæc ille scribit proxime superius, de Æschine loquens: ὁ δὲ αὐτοσχέδιον λόγον ξὺν εὐροίᾳ, καὶ Θείως διατιθέμενος, τὸν ἔπαινον τοῦτο πρῶτον ἠνέγκατο. quæ nos in Latinum hoc modo vertemus: *Cum autem Orationem ex tempore habuisset*, Æschines, *affluentibus verbis, ac DIVINA QUADAM FACULTATE, primus hanc sibi laudem comparavit.* Subjiciuntur autem illico a Philostrato ea verba, τὸ γὰρ Θείως λέγειν, οὔπω μὲν ἐπεχωρίασε σοφιστῶν σπουδαῖς, ἀπ' Αἰσχίνου δ' ἤρξατο. quæ, ut cum antecedentibus cohæreant, sic omnino debent Latine efferri: *Hæc enim DIVINA DICENDI RATIO nondum recepta fuerat in Scholis Sophistarum; duxit autem initium ab Æschine*, quorum verborum sensum eundem agnovit & expressit politissimus Operum omnium Philostrati Interpres. Ut jam satis appareat, id unum hic nobis indicari a Philostrato, DIVINAM fuisse appellatam *extemporalem dicendi facultatem*, quod scilicet *supra mortalitatem* esse quodammodo videretur, qui posset apposite *dicere ex tempore*; atque eam ab Æschine *duxisse initium*. Cum itaque de Acclamatione Θείως in hoc Philostrati loco prorsus nihil scribatur, sitque inanis

A Omnino & commentitia eorum opinio, qui Philostrati testimonio freti, Æschinis eam temporibus primo cœptam usurpari censuerunt, aliunde quærendum erit hujus formulæ initium.

Plutarchus in libello *de Auditione*, iterum ac sæpius a nobis citato, dum hasce Acclamationes, Θείως, Θεοφορήτως, & Ἀπροσίτως, φωνὰς ξένας, hoc est, NOVAS ET INUSITATAS VOCES, appellat, indicat certe, *suis eas temporibus primum fuisse in Auditoria invectas*. Plutarchi ex libello, quem dixi, hæc sunt verba: *Qui nunc NOVAS, & INUSITATAS in Auditoria introducunt VOCES, Dum acclamant*, Θείως, Θεοφρήτος, Ἀπροσίτως, B &c. *ii supra modum indecenter agunt; dicentesque traducunt, quasi hi superbia impulsi nimias laudes affectarent*. Hæc Plutarchus apertissime; in cujus ego sententia acquiescendum puto. Idem autem Plutarchus in libello, cujus est Inscriptio, *Qua quis ratione se ipsum laudane possit*, meminit iterum Acclamationis, Θείως; verum, ut quasi introductæ, ac receptæ: *Rhetores*, inquit, *& Sophistæ, dum declamantes patiuntur sibi acclamari*, Θείως, &c. *moderatorum, & humanorum laudem amittunt*.

C Atque hæc quidem Plutarchi loca fidem perspicue faciunt, formulam acclamandi, Θείως, licet quandoque usurpatam, fuisse tamen omnino reprehensione dignam. Siquidem, quemadmodum hic dicit, perdere tum declamantes moderationis laudem, ac veluti humanitate spoliari, cum Θείως sibi sustinent acclamari; ac affirmat eo loci, indecenter agere Auditores illos, qui formulis hujusmodi inter acclamandum utuntur.

Cæterum, quamvis Acclamatio, Θείως, utpote reprehensione digna, raro olim usurparetur. videor tamen mihi in Veterum scriptis non semel, neque uno in loco similitudinem quandam illius agnoscere. Nam & M.Tullius in Orat. *pro L. Flacco*, D cum percenseret eas laudes, quas Tralliani acclamantes, in Mithridatem, Regem populo Romano infestissimum, fauste congesserant, tradit DEUM illum, DIONYSIUM, BACCHUM, LIBERUM fuisse appellatum. Et Dio apud Xiphilinum narrat, inter cætera fauste Neroni acclamata, eum APOLLINEM etiam interdum, interdum HERCULEM fuisse dictum. Et Tacitus in XIV. *Annalium* libro, de eodem Nerone agens, prodit, FORMAM ILLIUS, & VOCEM inter acclamandum, DEORUM sæpe *vocabulis nominatam*. Idem Dio adfirmat, Imperatorem Commodum fuisse nonnunquam ab acclamante populo DEI *nomine vocatum*. E Ælius item Lampridius scribit, eidem Commodo pugnanti, a populo sæpe *fautum ut* DEO. quod est, ut ego interpretor, *illum* a favente populo sæpe DEUM *nominatum*. Sardianus etiam Eunapius, multas Proæresio factas ab Audientibus Acclamationes enumerans, DEUM item *acclamatum* commemorat in *ipsius Proæresii vita*. In Josephi quoque *Antiquitat. Judaic.* lib. XIX cap. ultimo, Rex Herodes ab acclamantibus DEUS *appellatur*. Sophistam demum Antipatrum, ut docuimus in proxime superiori capite, tradit Philostratus fuisse ab Audientibus DEORUM *Doctorem acclamatum*. Quæ omnia, ut dicebamus, licet ipsam omnino Acclamationem, Θείως, haud exprimant, F videntur tamen illius speciem quandam ac similitudinem habere. Hæc de Acclamatione, Θείως, quam brevissime potui. nunc eadem brevitate de ὐὰ dicendum.

CAP. XV.

Admirantis interjectionem, Οὐὰ, *tum emittebant acclamantes, cum, vel ob rei, sive novitatem, sive magnitudinem, vel ob dicentium aut recitantium excellentiam, in admirationem traducebantur. Vox erat Græcorum æque ac Latinorum propria & quasi legitima, charactere duntaxat immutato.* ὐὰ, *illi; hi*, VAH, *scribebant. Arriano in* Epicteti Disputationibus *lux allata. Obscurior item Dionis Cassii locus illustratus, forte etiam emendatus.*

Acclamandi formulam, ὐὰ, commemorat semel atque iterum Arrianus in *Epicteti Disputationibus* lib. III. cap. XXIII. εἰπὲ μοὶ, inquit ὐὰ, καὶ θαυμαστῶς, & sub ejusdem Capitis finem, Ἵνα σοὶ, ὐὰ, φᾶσιν ἐπιφωνημάτια λέγοντι. Cassius etiam Dio in eorum numerum, qui de ea meminerint, a doctis hominibus adscribitur. sic enim de Nerone in lib. LXIII. ab eo scriptum adfirmant, Πάντων δὲ τῶν ἀνθρώπων, καὶ αὐτῶν τῶν βουλευτῶν ὅτι μάλιστα συμβοώντον, Ὀλυμπιονίκα ὐὰ, Πυθιονίκα ὐὰ. Docti ac politi alioqui Interpretes locos hosce verterunt illi quidem, verum in iis aliud mutarunt arbitratu suo, aliud reliquerunt intactum; quid opinarentur ipsi, nobis exposuerunt, quid sentirent Auctores, vel prætermiserunt, vel occultarunt. Hieronymus Volfius priorem Arriani locum ita vertebat, *Dic mihi*, *PAPÆ*, *& Præclare*. posteriorem hoc modo, *Ut tua Epiphonemata audiant*. Græca autem Dionis verba sic Latine transtulit Joannes Leunclavius, *Acclamabant omnes, & Senatorum inprimis, OVA Olympionica, OVA Pythionica*. Quam eandem interpretationem Gulielmo etiam Xilandro, ac Friderico Sylburgio, hominibus Græce scientissimis, placere animadverti.

Verum, quod ad primum Arriani locum attinet, expressit quidem verbi notionem Interpres, dum, ὐὰ, reddidit, PAPÆ; est enim vox utraque admirantis, ut paulo post dicemus: verum in eo non videtur audiendus, quod verbum Latinum par Græco, idemque valens, cum suppeteret, non adhibuit. In alterius autem loci versione, de voce, ὐὰ, litteram nullam scribit, quasi de ea ne somniasset quidem inibi Arrianus. Leunclavium porro, Xilandrum, ac Sylburgium, OVA, transferentes, si Græcus ipse contextus sine errore est, longe falli oportet. Quomodo enim Græcis Latina respondent? aut qui possunt inter se cohærere ὐὰ, interjectio, & verbum, OVARE?

His ita præmonitis de non satis apta hujusmodi locorum interpretatione, nos & sensum illorum, verbi fortasse insolentia cæcatum, quantum licet, illuminemus, & additam vocis significationem, sicunde possumus, eruamus.

Existimo igitur, *vocem*, ὐὰ, inter acclamandum fuisse *admirantis interjectionem*. Arrianus ipse facit, ut ita sentiam; qui adducto in loco voci ὐὰ, statim θαυμαστῶς, quod est, ADMIRABILITER, quasi subobscuræ dilucidam, subnectit. Et in altero loco scribit, epiphonemata dicenti acclamandum, ὐὰ, quod nimirum solerent epiphonemata *admirationes* in Auditoribus movere. Toto autem eo in capite, quod est de iis, qui ostentationis ergo legebant, aut disputabant, satis apparet, aliud nihil inibi magis intendisse disputantes ac legentes, quam ut ii, qui audiebant, *in admirationem traducerentur*. Interrogatus enim a disputante Auditor quidam, *Quis tibi visus sum*? illico respondit, θαυμαστῶς κύριε, hoc est, *Mirabilis Domine*. Et paulo post idem disputator, hujusmodi admirationum cupidissimus, de audiente loquens, Ἐμὲ, inquit, θαυμάζει, id est, *me admiratur*.

Dionis etiam τὸ οὐὰ, (si tamen, οὐὰ, legendum est; qua de re mox infra) *admirationis vocem* fuisse adfirmat is, qui nuper eruditissimas Augustæ Historiæ Scriptoribus notas & emendationes adjecit. Hic igitur *ad Trebellium Pollionem* pagina CCCXLIV. cum Græcum Dionis locum protulisset, ac de Interpretibus questus esset, quod glossulam non apposuissent, quæ nos doceret, quid esset, OVA: ista subjecit: Οὐὰ, *ibi est admirantis vocula, quam Latini, VAH, dicunt, & est mere Latina. Græci eam usurparunt in illis Acclamationibus; vel etiam Scriptores Græci, qui ipsissima verba illarum Acclamationum referebant, cum cætera Græce expressissent, eam ex Latino retinuerunt.* Hæc ille; cujus sententia ex eo videtur adhuc posse magis confirmari, quod, licet inibi Neronis triumphus describatur, non tamen ei acclamatur, ut triumphanti, sed ut primo civium omnium Romanorum in Pythiis, ac Olympiis victori. Hac itaque novitate perculsus populus universus, atque *in admirationem* traductus, Neroni, ut primo Romanorum Olympionicæ, ac Pythionicæ, fauste acclamans, vocem οὐὰ, *admirationis testem*, geminat. Atque hunc ipsum esse Dionis sensum, videntur illa satis indicare, quæ in eodem loco proxime superius ita scripta sunt, *Utque Nero Cæsar primus e civibus Romanis, qui unquam extitissent, victor rediret*, &c. *Acclamabant omnes, & Senatores inprimis*, Ὀλυμπιονίκα οὐὰ, Πυθιονίκα. οὐὰ. Ut jam satis constet, fuisse τὸ οὐὰ inter acclamandum, non modo apud Arrianum, sed forte etiam apud Dionem, *admirationis interjectionem*.

Quamquam, quod spectat ad Dionis οὐὰ, cum videam, Interpreres, Græcis litteris doctissimos, OVA, omnes transtulisse, nihil autem omnino conveniat, ut dictum est, inter οὐὰ interjectionem, & verbum OVARE, & nullo modo altera vox alteri respondeat; venit mihi in mentem suspicari, ne Græcus ipse vulgatus Dionis contextus mendum contineat; sitque pro οὐὰ (litterula scilicet una immutata, aut addita) vel ὀβὰ, vel ὀυὰ, substituendum. Quarum lectionum priorem agnovit etiam & adnotavit ex Codice M. S. Fridericus Sylburgius; posteriorem ex certa conjectura restituit, meque de ea admonuit Quirinus Cnoglerus Austriacus, vir humanissimus, idemque longe doctissimus, ac totius antiquitatis bene peritus. Utramlibet lectionem reponas, recte, OVA, hoc est, GAUDE, seu LÆTARE, redditum est. utraque autem dictio mere Latina est. utramque Græci, cum Græcam parem ac respondentem non haberent, a Latinis mutuati, pro Græca usurparunt: alteram quidem, hoc est, ὀβὰ recentiores; veteres alteram, id est, ὀυά. quod enim in scribendo priscis Græcis erat, ου, id recentibus sæpe fuisse, β, quivis unus in Græcis paulo exercitatior parvo negotio deprehendet. Sic illi οὐεσπεσιανὸν scribebant, hi autem βεσπεσιανὸν; ut de cæteris hujusmodi vocibus omittam dicere.

Et hæc quidem hoc modo, quæ attento animo legi valde desidero, ut, quid sit hac in re veri, perspici possit liquidius, Οὐὰ igitur, ut docui, *admirantis interjectio* erat: *eam acclamantes* tum *emittebant*, cum, vel ob rei sive novitatem, sive magnitudinem, vel ob dicentium, aut recitantium excellentiam, præstantiamque, *in admirationem traducebantur*. Vox erat Græcis, ac Latinis communis; seu potius linguæ utriusque propria & quasi legitima; ut enim, VAH, Latini, sic Græci, οὐὰ, charactere duntaxat immutato, scribebant. Et sane, cum Græcorum, οὐαὶ, sine controversia sit, VÆH, Latinorum, cur Græcorum, οὐὰ, non erit, VAH, Latinum? Mirum est autem, quantum hanc opinionem adjuvet B. Marci Evangelium. in eo enim, cap. XV. vers. XXIX. ubi Latine legimus, VAH, *qui destruis Templum*, ibi Græce scriptum est, Οὐὰ ὁ καταλύων τὸν ναόν. Et quamvis inibi vox οὐὰ, non *admirantis*, sed *subsannantis* sit ac *insultantis*, non hanc tamen infirmatur sententia nostra: nobis enim satis est, ut verbum verbo, Latino Græcum, par pari respondeat, alteroque alterum exprimatur. Et sciunt omnes, VAH etiam nostrum, tam apud Plautum, quam apud Terentium, fuisse non *admirantis* modo, sed nonnunquam *insultantis* quoque interjectionem. Addit autem eo loci Euthymius (id quod ad rem nostram vehementer facit) οὐὰ Græcorum VAH omnino Latine vertendum. Ut jam minime vertendum sit, ne voces istæ, Οὐὰ, & VAH, non idem omnino valeant, invicemque sibi respondeant. Nos quidem hoc modo de formulæ hujus inter acclamandum significatione opinamtur: ita tamen, ut vere attestemur, tamdiu nos in hac sententia permansuros, donec aliud, quod magis arriserit, diligentiores invenerint.

Illud unum superesse videtur, ut adducta de voce, οὐὰ, Veterum testimonia, ex significatione nostra transferamus. Primum igitur Arriani locum, verbum pro verbo reddentes, ita exprimemus, *Dic mihi VAH, & Admirabiliter*. Alterum hoc modo, *Ut tibi, VAH, acclament epiphonemata dicenti*. Græca etiam Dionis verba, si οὐὰ habent, sic Latine lubet efferre, *Acclamabant omnes, & Senatores inprimis, VAH, Olympico Victor; VAH Pythice Victor*.

CAP. XVI.

COERCITAS *nonnunquam Magistratuum auctoritate immoderatas Audientium Acclamationes.*

NON erant igitur in Acclamationibus illiberales aut parci Auditores; quin effuse adeo interdum, immoderateque acclamabant, ut vel necesse esset coerceri eam licentiam Magistratuum auctoritate, vel cogerentur dicentes ipsi aut recitantes, quasi saturi, dicere acclamantibus, OHE, OHE, *Jam satis est*.

Sophista Julianus, ut prodit in *ejus Vita* Eunapius, cum semel esset causam publice apud Judices dicturus; sciens Proconsul, vociferaturos effusius Auditores, & clamoribus omnia impleturos, sanxit edicto, ne quis plauderet dicenti: *Igitur*, ait Eunapius, *alto silentio Judicum consessu tenente, & orto inter actores tumultu, Julianus submissa & miseranda voce rogavit, ut se loqui permitteret; quando Proconsul exclamans, Nemo, inquit, e vobis doctoribus, qui meditati venistis, in manus sumet illud negotium, NEQUE DISCIPULORUM QUISQUAM DICENTI PLAUDET*, &c. In *ejusdem Juliani Vita* paulo post cum dicat Eunapius, paratos fuisse Auditores faustas in dicentem Proæresium emittere Acclamationes, nisi Proconsulare interdictum de non acclamando pertimuissent, indicat proculdubio, jam antea Proconsulis *lege sancitum, ne quis acclamaret*. Eunapii verba sunt hæc: *Demisit caput Proconsul, & attonitus dictorum sententiam & pondus atque acumen obstupuit, prætera morum comitatem, & aptam manuum plausionem. Tum paratis omnibus eum collaudare, sed INTERDICTUM PROCONSULARE, non aliter quam Jovis fulmen, verentibus, ac mystico quodam silentio perfusis*, &c. Cognoscitur hoc idem manifeste ex eodem Eunapio in *ipsius Proæresii Vita*: quo loci narrat, ob excellentem dicentis Proæresii eloquentiam ita traductos in

in admirationem & Proconsulem & Auditores, ut A is quidem *legem suam de non acclamando* perfregerit, hi autem *edicti minas* nequaquam reveriti fuerint. *Tum vero*, inquit Eunapius (nimirum proxime post habitam a Proæresio Orationem) *neque LEGES SUAS Proconsul servare, neque corona Auditorum SUMMI MAGISTRATUS MINAS revereri potuit; nam cuncti, qui aderant, circumlambendo Sophistæ pectus, velut simulachrum alicujus Dei, alii pedes, alii manus deosculabantur supplices; nonnulli Deum, quidam Mercurii eloquentiæ Præsidis typum nominabant. Contra adversarii, quos invidia stimularat, remisso animorum ardore jacebant; quidam ex illis, tametsi fracti, non parcebant* B *cumulare eum laudibus*. Cajo etiam Albutio Silo publice Mediolani in cognitione cædis judicium actitante necesse fuisse, ut *Lictoris voce* immoderatæ Audientium acclamationes *coercerentur*, tradit Suetonius *de Claris Rhetoribus*, in eodem *Albutio* cap. VI. sic scribens: *In cognitione cædis Mediolani apud Lucium Pisonem Proconsulem defendens reum* L. Albutius Silus, *cum, COHIBENTE LICTORE nimias laudantium voces, excanduisset*, &c. Fatendum est igitur, fuisse interdum immoderatam Auditorum in acclamando licentiam magistratus auctoritate cohibitam. Sed illud etiam C factum aliquando, ut dicentes ipsi aut recitantes, velut saturi ea resonanti assentatione, vocibusque immoderate profusis, quasi silentium imperantes, dicerent acclamantibus, *OHE, jam satis est*, quæ mox proferam satis ostendent.

CAP. XVII.

Voce, OHE, satietatem *ac* fastidium *designari*. *Usurpatam interdum eam vocem a dicentibus, aut recitantibus, ut* effusiores *&* immodicas *Audientium* Acclamationes coercerent. *Persio, & Horatio lux allata. Eandem vocem forte* manibus D alte elatis *pronunciatam*.

VOCEM, OHE, fuisse interjectionem, quæ *fastidium* ac *satietatem designaret*, prodidit Ælius Donatus in *suis ad Terentium Commentariis*. Id quod ipsius Terentii, Plauti, Horatii, Juvenalis, Martialis, ac aliorum non paucorum testimonio confirmarem, nisi res esset pene ex toto manifesta. Persius certe in prima Satyra hanc vocem usurpans, eorum fastidium notavit, qui inter dicendum aut recitandum effusioribus Audientium Acclamationibus ita onerabantur, ut licet earum avidi, cogerentur tamen tanquam E saturi acclamantibus silentium imperare, atque identidem dicere, OHE, OHE. Persii versus sunt hi:

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, *OHE*.

quod proinde est, ac si dixisset, *Dum recitas, vetule, id te sollicitum habet, quomodo placeas Auditoribus tuis. at quibus Auditoribus? iis nimirum, qui ita effuse, ac sine judicio acclamant, ut cogaris vel invitus silentium eis imponere, & tanquam satur identidem repetere*, *OHE*, *OHE*, *Jam satis est*. Hoc enim Persium voluisse, præterquam quod verba ipsa attento animo lecta haud obscure significant; F adfirmat etiam ad hunc Persii locum vir acerrimi judicii, cum excellens in omni doctrina, tum in Persii lectione ac scriptis valde exercitatus. Nec dubitarim asseverare, eundem Persium, dum hæc scriberet, respexisse ad ea Horatii verba, quæ in Satyra v. libri II. ita leguntur:

Importunus amat laudari, donec OHE jam
Ad cœlum manibus sublatis dixerit? Urge, &
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

quæ qui attente ac diligenter considerarit, is omnino dicet, ita de loci hujus sententia statuendum. Apud eundem autem Horatium vocem, OHE, fuisse *fastidii* ac *satietatis* indicium, scriptum reliquit Juvenalis in Satyra VII. scribens in hunc modum.

——*SATUR est, cum dicit Horatius, OHE*.

ut dubia opinione magis, quam re vera eos duci oporteat, qui aliam horum Horatii verborum interpretationem comminiscuntur; quos jam non solum in isto, verum ne in eo quidem probare possum, quod hic *manuum sublationem lætantis gestum* fuisse memorant, cum vere sit *fastidii* ac *satietatis nota*. id quod ex eo quoque fit planum, quod, dum alicujus rei *satietate* ac *fastidio* afficimur, corpus lente torquentes, *manus* etiam *alte extollimus*. qua de re plura a nobis dicentur in Libris de Artificiosa manuum loquela.

CAP. XVIII.

Ab Audientibus etiam interdum acclamatum, OHE, *tum scilicet, cum Dictio, aut Recitatio, in longum nimis produceretur*. CITO, *eandem ob causam ab iisdem quandoque acclamatum. Forte etiam*, DESINE, DESINE. *Senecæ loco lumen allatum*. RECITA, RECITA, *eosdem nonnunquam acclamasse Recitatori, si vellet, nondum perfecta recitatione, desinere*.

QUEMADMODUM autem Recitantes, seu Dicentes, ut proxime supra posui, OHE, repetebant, si Audientium Acclamationibus effuse nimis & immodice onerabantur; sic crediderim, ipsos item Auditores eandem satietatis vocem tum ingeminasse, cum Dictio, aut Recitatio in longum nimis produceretur. Adducor, ut ita credam, Martialis verbis ex lib. IV. epig. ult. sic habentibus:

Jam Lector queriturque, deficitque,
Jam Librarius hoc & ipse dicit,
OHE, JAM SATIS EST, OHE, libelle.

Suum alloquitur librum Martialis, ac cum eo queritur, quod, cum in magnitudinem jam ita excrevisset, ut & legendo Lector, & Librarius scribendo, satietate affecti, OHE, JAM SATIS EST, inclamarent, cuperet ipse tamen adhuc excrescere. Etenim, quamvis inibi Lectoris duntaxat in legendo, & Librarii in scribendo fastidium memoretur; nihil tamen impedit, quominus voces eædem ad Auditoris etiam in audiendo satietatem designandam trahi possint. Sicut igitur legendo Lector, & scribendo Librarius defatigati, OHE, JAM SATIS EST, pronunciabant; sic puto, defessum & saturum audiendo Auditorem, dicentibus aut recitantibus, velut silentium imperantem, voces, OHE, JAM SATIS EST, fastidii ac defatigationis testes, ingeminasse.

Quam eandem ob causam puto etiam fuisse interdum vocem, CITO, ab Audientibus inclamatam. Pronunciabant autem illam tunc, cum longioris Recitationis fastidium ferre diutius non possent. Meminit ejus Martialis in libr. II. Epigram. XXVII. dum, multas enumerans Acclamationum formulas, in dicentes emitti solitas, ait in hunc modum:

Laudantem Selium cœnæ cum retia tendit,
Accipe, sive legas, sive Patronus agas.
Effecte, graviter, CITO, nequiter, euge, beate.
Hoc volui; facta est jam tibi cœna, tace.

Forte etiam, DESINE, DESINE, in Recitantem, aut Dicentem acclamabant Auditores; jam scilicet fastidiose stomachati ob productam nimis Dictionem, aut Recitationem. Facit autem, ut ita existimem, bonus auctor Seneca Philosophus, qui

longam nescio cujus recitationem commemorans in epist. XCV. hæc ait inter cætera: *Recitator Historiam ingentem attulit minutissime scriptam, arctissime plicatam, & magna parte perlecta, DESINAM, inquit, si vultis. acclamatur, RECITA, RECITA.* Verebatur nimirum Recitator hic, ne longioris Recitationis fastidio affecti Auditores, vocem DESINE, fastidii indicem, ingeminarent; ac proinde, ut huic occurrat satietati, ipsos alloquens Auditores, DESINAM, inquit, *si vultis*. at illi, cum necdum audissent ad fastidium, & de pronuncianda satietatis voce neutiquam cogitarent, a verbo DESINE abstinentes, jubent Recitationem continuari, & RECITA, RECITA, inclamant. Quæ postrema Senecæ verba illud ostendunt, RECITA, RECITA, tunc ab Audientibus acclamatum, cum, necdum perfecta Recitatione, vellet Recitator desinere, cuperentque ipsi, Recitationem continuari. Addiderim autem, ad hanc eandem acclamandi formulam, DESINE, posse etiam illa non incommode referri, quæ in Senecæ Patris Proœmio libri III. de Severo Cassio, magno causarum Patrono, agentis, ita leguntur, *Nemo non illo dicente timebat, ne DESINERET*.

C A P. XIX.

Alia multa fecisse identidem Auditores ad dicentium seu recitantium laudem, præter Acclamationes & Plausus. ASSURREXISSE *interdum* honoris, favorisque causa.

PRÆTER Acclamationes & Plausus alia multa fieri solebant identidem ab Auditoribus ad dicentium seu recitantium laudem. Hæc in veteribus monumentis præcipua observavi. *Assurgere, Exultare, Excurrere, Prosilire, Subsultare, Jactare manus, Vestes excutere, Supplodere pedes, Circumagere corpus*. quæ singula antiquorum testimoniis comprobabo.

Atque ASSURREXISSE quidem *honoris causa* Auditores dicentibus seu recitantibus, fidem facit Auctor Dialogi *de Oratoribus*, qui, recitatis in Theatro Virgilii versibus, populum ait SURREXISSE universum, & forte præsentem spectantemque Virgilium *veneratum esse*. Narrat etiam Apulejus in sua de Magia Apologia, Poetæ Sophocli, Coloneum Tragœdiam publice recitanti, Judices omnes *honoris ergo* SURREXISSE, eumque laudibus extulisse: *Sophocles Poeta*, inquit Apulejus, *cum accusaretur a filio suomet dementiæ, quasi jam per ætatem desiperet, protulisse dicitur Coloneum, suam peregregiam Tragœdiarum, eamque Judicibus legisse: nec quidquam amplius pro defensione sua addidisse, nisi, ut audacter dementiæ condemnarent, si carmina senis displicerent. Ibi ego comperior, omnes Judices tanto Poetæ ASSURREXISSE, miri laudibus eum tulisse*, &c. Martialis autem in lib. x. epigr. x. Paullum reprehendit, quod solus *sederet* in Auditorio, cum cæteri Auditores recitanti identidem *assurgerent*; ait enim,

Sæpius ASSURGAM recitanti carmina? tu STAS, &c. Plinius item succenset iis vehementer, qui nobilissimo cuidam Recitatori nequaquam *assurrexissent*; ejus verba sunt hæc ex epist. XVII. libri VI. *Recitabatur liber absolutissimus; hunc duo aut tres, ut sibi & paucis videntur, diserti, surdis mutisque similes, audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique ASSURREXERUNT, saltem lassitudine sedendi. Quæ tanta gravitas? quæ tanta sapientia? quæ immo pigritia, arrogantia, sinisteritas, ac potius amentia; in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimi-*

A *cum relinquas, ad quem tanquam amicissimus veneris?* Quintilianus *Institut. Orator.* lib. II. cap. II. eandem *assurgendi* consuetudinem, etsi reprehendit, exprimit tamen apertissime; inquit enim: *Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, ASSURGENDI exultandique in laudando licentia*. Et paulo post: *At nunc*, ait, *proni atque succincti ad omnem clausulam non EXURGUNT modo, verum etiam excurrunt*, &c. Fuit hoc ipsum Græcis item Audientibus in usu: quod ex Luciani libello, cui *Rhetorum Præceptor* nomen est, cognoscitur; quo in loco Præceptorem inducens Lucianus Rhetori definientem, quid facere debe-
B ret in Auditorio: *In Auditoria*, inquit, *post cunctos ingredi oportet. id enim insigne est, omnibusque tacentibus peregrinam quandam laudem inchoare*, &c. *Interim manum haud frequenter moveas; neque, præter quam semel, vel ut plurimum bis, ASSURGAS*. Atque etiam ex Eunapio in *Juliani Vita*, ita scribente de honoribus a Consule dicenti Proæresio tributis: *Ad quod verbum repente A SEDE SUA PROSILUIT Consul, & juvenis in morem gravis ille & inexorabilis Judex Proæresium plausu excepit*.

C
C A P. XX.

Ad dicentium, seu recitantium laudem EXULTASSE *etiam interdum Auditores*, EXCURRISSE, PROSILUISSE, *ac* SUBSULTASSE.

AUDITORES porro ad dicentium seu recitantium laudem non modo *assurgebant*, ut docui, sed EXULTABANT etiam, ac præ gaudio EXCURREBANT, PROSILIEBANT, & SUBSULTABANT. Quintilianus in adducto proxime superius loco ex lib. II. *Institut. Oratoriarum* cap. II. *Minime vero*, ait, *permittenda*
D *pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi, EXULTANDIque licentia*. Et infra aliquanto: *At nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exurgunt modo, verum etiam EXCURRUNT, & cum indecora EXULTATIONE conclamant*. Themistius in Orat. IV. dicit, Auditores suos ἀναπηδῶντας βοᾶν, hoc est, *prosiliendo* clamores excitare: *Vos*, inquit, *pro urbanitate atque humanitate vestra Theatra mihi ex Concionibus facitis. quare nihil mirum est, si hodierna die cum vos coegissem, vos mihi pro eo ac consuestis faciatis, ac PROSILIENDO clamores excitetis*. Et in Orat. XIV. eosdem ait
E ἐξάλλεσθαι, quod est, *præ gaudio EXILIRE*: *Vos interim*, inquit, *quasi in ludo togati ac permutatis calceis, in sellis considentes, pene ad singula verba clamores attollitis, PROSILIENTES, atque in voces varias erumpentes*. SUBSULTASSE autem interdum Auditores docuit nos Plutarchus in lib. *de Auditione*, apud quem non obscure ita scriptum legimus: *Canities dicentis, gestus, supercilium, sui jactatio, maxime autem vociferationes, ac tumultus, & SALTATIONES eorum, qui intersunt, faciunt ad percellendam imperitiam Auditorum*. Etiam Hieronymo Concionante audiens Vigilantius præ gaudio SUBSULTABAT; *Recordare*, inquit
F Hieronymus in epist. LXXV. Vigilantium ipsum alloquens, *illius diei, quo, me de resurrectione & veritate corporis prædicante, ex latere SUBSULTABAS, plaudebas manu*, &c.

Cap. XXI.

MANUS *item* JACTABANT *nonnunquam Auditores* honoris favorisque causa, VESTES EXCUTIEBANT, SUPPLODEBANT PEDES, *totumque* CIRCUMAGEBANT CORPUS.

De *Manuum jactatione ac motu* multa ab hoc loco nequaquam aliena accurate notavimus in primo hujus operis libro, dum plaudendi modos aperiebamus; in secundo item libro, de *Orario* agentes, non pauca de *Vestium in favendo excussione* diximus. Tu illinc assume, quæ hic facere videbuntur; nos, si quæ prætermissa sunt, ad hunc locum spectantia, ea summatim attingemus.

In Martialis igitur lib. x. epigram. x. de *manuum motu seu jactatione* hæc leguntur:

Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas TENDIS *in ora* MANUS.

reprehendit Paullum Martialis, non ob eam caussam solum, quod, cum cæteri Auditores honoris causa recitanti assurgerent, sederet ipse; verum etiam, quod sedens auderet *manus* ad ejusdem recitantis favorem *movere*; cum id non nisi a stantibus fieri soleret, quemadmodum in libri primi capite XIII. docuimus. Lucianus in *Rhetorum Præceptore* hujus eandem in rem *manuum motus* meminit in hæc verba: *In Auditoria post cunctos ingredi oportet, id enim insigne est; omnibusque tacentibus peregrinam quandam laudem inchoare. Interim* MANUM *haud frequenter* MOVEAS, &c. Plinius item in lib. VI. epist. XVII. *Recitabatur*, inquit, *liber absolutissimus; hunc duo aut tres, ut sibi & paucis videntur, diserti, surdis mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non* MOVERUNT MANUM, &c. Extant etiam hac de re Hieronymi ac Chrysostomi testimonia, quæ hic sciens prætermitto, quod in v. libro producenda sint, cum scilicet Ecclesiasticas persequemur Acclamationes.

Pergendum nunc ad *Vestium excussionem*; quam quidem factam quandoque honoris causa ab Audientibus, dum habebantur recitationes aut declamationes, testificatur Eunapius in *Juliano*, de Proæresio publice declamante sic scribens: *Ad quod verbum repente a sede sua prosiluit Consul* PURPUREAMQUE TOGAM EXCUTIENS, *juvenis ad morem, gravis ille & inexorabilis Judex Proæresium plausu excepit.* Idipsum quoque & Chrysostomo Concionanti ab Auditoribus sæpe factitatum, & a Paulo Samosateno sæpius expetitum, alibi dicimus.

De *pedum* hanc in rem *supplosione* mentio fit a B. Hieronymo & in epist. LXXV. *ad Vigilantium*, & *ad Caput* V. *epistolæ ad Ephesios*, & a B. Chrysostomo semel atque iterum in Homilia prima *de Verbis Isaiæ*; quorum verba alio loco afferimus.

Corporis demum *totius circumactionem* commemorat Plutarchus in lib. toties citato de *Auditione*, & B. Chrysostomus in proxime superius nominata Homilia prima *de Verbis Isaiæ*.

Cap. XXII.

Ad Scholasticorum favorem, inter recitandum, DATA *interdum ab Auditoribus* OSCULA ipsi Recitationis libello, seu exemplari. EADEM *etiam nonnunquam* in Recitantes *honoris causa ab iisdem* JACTATA.

Nec illud sane omiserim hoc loco, ad Scholasticorum favorem, inter recitandum, *ipsi Recitationis libello, seu exemplari*, DATA

A interdum ab Auditoribus OSCULA; nonnunquam etiam EADEM *honoris causa in recitantes* ab iisdem JACTATA.

Primum illud ut manifestius intelligatur, repetendum hic puto, quod supra docuimus in hujus libri capite III. ex Plinio, & Auctore Dialogi *de Oratoribus*, *Invitatos* nimirum quandoque ad Recitationem Auditores *sparsis seu distributis Libellis ac Codicillis*; hos autem aliud nihil fuisse, quam ipsius Recitationis habendæ vel *argumentum*, vel *exemplar*; eorundem item in Auditores *distributionem* factam *domi* interdum, interdum in *Auditoriis*. His ita præmonitis, id, de quo quæritur,
B non difficile erit videre.

Cum igitur placeret Recitatio, consueverunt Auditores, ad Recitantis favorem, *ipsos*, quos scilicet tenebant in manibus, *Recitationis libellos*, seu *exemplaria*, identidem EXOSCULARI. Martialis videtur exprimere morem hunc apertissime, dum in lib. I. epigram. IV. librum suum alloquens, sic ait:

Audieris cum grande Sophos, dum BASIA CAPTAS,
Ibis ab excusso missus in astra sago.

Admonet Librum suum Martialis, ut, licet, dum
C recitatur, audiat faustas Acclamantium voces, *dataque ad favorem* ab Auditoribus *oscula* accipiat, non tamen ob hoc superbius se gerat; cum vere possint adhuc illum Auditores, impositum sago, per contemptum in altum jactare. Atque hunc puto germanum esse hujus loci sensum; quidquid nonnulli ingeniose magis, quam vere de eo sint commenti. Ex hoc autem loco sic accepto illud firmius comprobatur, quod paulo ante posuimus, fuisse *præ manibus Auditorum hosce* Recitationis *libellos*, seu *exemplaria*. qui enim poterant ii aut oscula data accipere, aut in sublime jactari, nisi in manibus Auditorum fuissent? Porro ad hunc
D ipsum morem si quis illa ejusdem Martialis ex eodem libro primo epigrammate LXXVII. *ad Flaccum*.

——————— *at circum pulpita nostra,*
Et steriles cathedras, BASIA *sola* CREPANT.

pertinere opinabitur, meo quidem animo non is a vero longe abibit. Scilicet conatur toto hoc Epigrammate Martialis Flaccum a Poetices studio deducere, quod aliud nihil haberent Poetæ præter vel emissas in ipsos Acclamationes, vel *oscula* eorum *libellis* inter recitandum *data*.

Quamquam scio, apte posse adducta Martialis verba alio detorqueri. nempe ad id significandum,
E quod secundo loco probandum posuimus, JACTATA *scilicet in Recitantes* honoris causa ab Auditoribus OSCULA. Ita ut *crepantia* Martialis *circum pulpita & cathedras* BASIA sint de iis accipienda, quæ *jactabantur in Recitantes*, non quæ *Recitationum libellis figebantur*. Et sane crepitus ille, sive strepitus, non dati prope ac molliter osculi, sed longius & impetu aliquo jactati maxime proprius videtur & quasi legitimus. Quin crediderim, alterum etiam Martialis locum, a nobis superius ex epigram. IV. prolatum, posse huc non incommode revocari. Cum enim in vulgatis li-
F bris (quorum lectionem nos etiam retinuimus) ita legatur:

Audieris cum grande sophos, dum BASIA CAPTAS,

habeantque codices alii non pauci & scripti & impressi *jactas*, pro eo quod inibi est, *captas*; variantes videns hoc modo lectiones eximia vir doctrina & eruditione Petrus Scriverius, suspicatus est, me dose scriptum utrobique; ita tamen, ut & mendum parva opera tolli, & elegans verbum componi liceret, apto congruentique sensu. atque

hoc una modo exempta litterula feliciter assequitur. sic enim immutat. ubi est, JACTAS; ibi, JACTA, reponit: ut sit,

Audieris cum grande Sophos, cum B A S I A *J A C T A.*

subintellige autem, *audieris*. quasi dicat, Cum & faustas acclamantium voces, & crepitum jactatorum ab Auditoribus basiorum audieris, o Libelle, ne nimis in hoc glorieris; nam sic etiam iidem te Auditores extremo togæ sinu per contemptum in sublime jactare possunt. Cæterum videtur Juvenalis in Satyra III. huc respexisse, cum sic in ea scriptum sit de plaudente adulatore:

——— qui semper, & omni
Nocte, dieque potest alienum sumere vultum,
A F A C I E I A C T A R E M A N U S, *laudare paratus.*

B

proinde enim hic erit, *A facie jactare manus*, ac si dixisset, *Manibus oscula jactare*. Manus enim ad os referebant Auditores (id quod etiam ab *adorantibus* in Theatro factitatum, jam supra docuimus in lib. II. cap. XXVI. & hoc ipsum hodie facimus oscula jactantes) atque inde osculum quasi evulsum in Recitantes jaciebant. Et sane Juvenalis hæc *manum jactatio* licet varie a variis trahatur, ut est a nobis in hoc eodem Opere non semel factitatum, nihil tamen impedit, quominus huc etiam detorqueatur. Phædri certe verbis ex Fabularum Æsopiarum lib. V. quæ dixi de *jactatis honoris causa in Recitantes* ab Auditoribus *osculis*, apertissime confirmari possunt:

C

In Plausus, inquit, *consurrectum est.* J A C T A N T B A S I A.
Tibicen gratulari fautores putat.

sic enim hunc locum emendari ac legi posse existimat vir doctissimus. commemorat autem ea Phædrus, quæ faventes in Theatro spectatores facere solebant; & scimus, hæc omnia e Theatro in Auditoria penetrasse. ut jam commode possimus Audientes in Auditorio, quemadmodum in Theatro Spectatores, jactantes oscula statuere.

D

C A P. XXIII.

IPSOS *quandoque* SCHOLASTICOS, *finita Declamatione, aut Recitatione, fuisse ab Auditoribus* OSCULIS EXCEPTOS; & DOMUM *item ex auditorio* H O N O R I F I C E REDUCTOS.

E

EFFUSIORES ac nimium liberales diximus fuisse olim Auditores cum in plaudendo & acclamando, tum in aliis peragendis, quæ possent dicentium aut recitantium laudem & honorem augere. quæ res licet hactenus abunde probata videatur, placet tamen adhuc illam ex eo magis ac magis confirmare, quod ipsi quoque Scholastici solerent post Dictionem, seu Recitationem, *osculis* quandoque ab Auditoribus *excipi*, atque adeo *domum honorifica pompa deduci*.

Ac prius quidem ex Eunapio & Juniore Plinio satis ostenditur. Etenim apud illum de Sophista Proæresio in hanc rem sic scriptum videas in *ipsius Proæresii vita*: *Tum vero* (finita nimirum oratione) *neque leges suas servare Proconsul, neque corona Auditorum summi Magistratus minas revereri potuit; nam cuncti, qui aderant, circumlambendo Sophistæ pectus, velut simulacrum alicujus Dei, alii* PEDES, *alii* MANUS DEOSCULABANTUR *supplices*, &c. Plinius autem ipse Calphurnium Pisonem, finita de Amoribus in frequenti auditorio Recitatione, *osculo excipit*. Rem ipse narrat

F

A *ad Spurinnam* scribens in epistola XVII. libri V. ex qua pauca hæc ad rem nostram sumpsimus: *Recitatione finita multum ac diu* EXOSCULATUS *adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi, pergeret qua cœpisset*, &c.

Alterum vero; hoc est, Scholasticos post Orationem, seu Recitationem, *honorifica pompa domum* ex Auditorio *reductos*, discimus ex Luciano in *Zeuxide*; apud quem ita legimus: *Habita nuper in confessu vestro Oratione*, DOMUM *me conferebam. Permulti autem ex iis, qui Orationi interfuerant, me accesserunt. itaque accedentes, porrecta dextra me consalutabant.* MULTO *autem* ITINERE COMITATU SUO ME DEDUCENTES, *alius aliunde exclamabat*, &c. Cognoscitur hoc idem ex Eunapio in *ejusdem Proæresii Vita*: *Proconsul vero*, ait, *cum omni satellitio, sive copiis suis* COMITATU M *e Theatro* (de Proæresio loquitur) HONORIFICE DEDUXIT. Idipsum etiam cum Juliano Rhetore factitatum affirmat Agellius lib. XV. cap. I. in hæc verba: *Declamaverat Antonius Julianus Rhetor, præterquam semper alias, tum vero nimium quam delectabiliter & feliciter.* NOS *ergo familiares ejus*, CIRCUMFUSI UNDIQUE, *eum* PROSEQUEBAMUR DOMUM, &c.

C A P. XXIV.

Scholasticos, si inter dicendum, aut recitandum, Auditoribus displicuissent, ADVERSIS *ac* CONTUMELIOSIS *fuisse exceptos Acclamationibus*; EXSIBILATOS *etiam*, & EXPLOSOS; *nec non* LAPIDIBUS *interdum* APPETITOS. *In malos etiam Auditores* JACTA *quandoque* SAXA *a cætera audientium turba. Locus in Senecæ Patris* Controversiis *illustratus*.

AC ne illud quidem alienum videtur ab hoc loco, de iis dicere, quæ ad Scholasticorum vituperationem & ignominiam ab infestis quandoque Auditoribus fieri solebant. Qui igitur Scholastici, sive dicentes, sive recitantes, Auditoribus displicebant, ii infaustis ac contumeliosis onerabantur Acclamationibus, exsibilabantur, explodebantur, nec non etiam lapidibus aliquando appetebantur.

In Panegyrica prima Imperatoris Juliani Oratione, de Græcis Oratoribus agentis, legimus, eos interdum illam ob causam pallidos ac trementes e suggesto descendisse, quod inter dicendum audiens populus identidem TUMULTUARETUR ac RECLAMARET. Libanius in epistola LII. *ad S. Basilium* scribens, DICENTI RECLAMARE, hoc idem appellat: CLAMORIBUS autem EXAGITARI, S. Gregorius Nazianzenus in Orat. IV. Quæ omnia de *infausta*, seu *adversa* Audientium Acclamatione accipienda esse nemo non videt. Miros quidem risus in Auditoribus, sed non sine magno dicentis contemptu ac contumelia, excitavit Acclamatio illa, quam in Cestium emisit Seneca Pater. Cestius hic igitur, Ciceroni responsurus, in Milonem dicens, multa superbius in sui commendationem effundebat; quam rem fastidiose stomachatus Seneca, hæc tandem in Cestium contumeliose acclamavit, ET SI CLOACA ESSES, MAGNA ESSES. *Memini*, inquit Seneca in Proemio libri III. *Controvers. me intrare scholas, cum recitaturus esset in Milonem Cestius. ex consuetudine, sua miratus dicebat; Si Thrax essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Batyllus essem: si equus, Melissio. Non continui bilem, exclamavi,* ET SI CLOACA ESSES,

MAGNA ESSES. Risus omnium ingens. Scholastici intueri me, quis essem, qui tam crassas cervices haberem. Cestius Ciceroni responsurus, mihi quid responderet, non invenit; sed negavit, se executurum, nisi exirem de domo. Ego negavi, me de balneo publico exiturum, nisi lotus essem.

De SIBILIS, & EXPLOSIONE, dictum est a nobis abunde superius, cum Theatrales excussimus Acclamationes. quæ omnia cum huc possunt non incommode revocari, tum illa sunt hujus loci maxime propria, quæ de Hortensio, ac Cicerone, in cap. XIV. attulimus; placet hic ea summatim repetere. Cum enim & narret Cœlius, ad Ciceronem scribens in *Epist. famil.* lib. VIII. epist. II. fuisse Hortensium, Oratorem clarissimum, in Foro semper intactum a SIBILIS; & affirmet Cicero in epist. XIII. lib. I. *ad Atticum*, faustis semper exceptum se dicentem acclamationibus sine ulla PASTORITIA FISTULA, hoc est, sine SIBILIS, fateri oportet, factum aliquando, ut Scholastici, qui inter dicendum, aut recitandum, minime placerent, SIBILIS ab infestis Auditoribus EXCIPERENTUR, ac EXPLODERENTUR.

De LAPIDATIONE autem produco testem Petronium Arbitrum, cujus in hanc rem illa sunt ex *Satyrico: Ex his, qui in porticibus spatiabantur, LAPIDES in Eumolpum RECITANTEM MISERUNT. at ille, qui plausum ingenii sui noverat, operuit caput, extraque templum profugit.* Et non multo post: *Sæpius poetice, quam humane locutus es: itaque non miror, si te populus LAPIDIBUS PROSEQUITUR. Ego quoque sinum meum SAXIS onerabo, ut quotiescumque cœperis a te exire, sanguinem tibi a capite mittam. Movit ille vultum, & O mi, inquit, adolescens, non hodie primum auspicatus sum; imò, quoties Theatrum, ut RECITEM aliquid, intravi, hac me ADVENTITIA EXCIPERE frequentia solet.* ADVENTITIAM autem hic omnino pro LAPIDATIONE accipi oportere, certissimum est. De hac eadem LAPIDATIONE intelligendus Senecæ Patris forte locus videatur, ubi in *Controversiarum* lib. III. Procemio, ita est: *Utrum ergo putas, hoc dicentium vitium esse, an audientium? Non illi pejus dicunt, sed hi corruptius judicant. Pueri fere, aut juvenes, Scholas frequentant. Hi, non tantum disertissimis viris, quos paulo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cestium suum præferrent, nisi LAPIDES timerent.* hoc est, *nisi metuerent discipuli, ne præceptor ab Auditoribus SAXIS ob id APPETERETUR, quod disertis viris, ac Ciceroni præsertim, præferri se toleraret.* Quamquam scio, accipi posse hunc Senecæ locum, non tam de LAPIDIBUS, quos diximus in odiosos ac molestos dicentes, seu recitantes, JACI solitos, quam de iis, quibus mali interdum Auditores, tanquam *ceriti* ac *insanientes*, a cætera Audientium turba appetebantur.

Sed hæc quidem hactenus de SCHOLASTICIS Acclamationibus; hoc est, de iis, quæ vel in SCHOLIS & AUDITORIIS, vel in FORO emitti solebant. Et quamvis in primo hujus libri Capite polliciti simus, si quid esset, quod ad FORENSES Acclamationes proprie spectaret, nec quidquam haberet cum SCHOLASTICIS aliis commune, id nos separatim tradituros: quia tamen res ipsa docuit, esse SCHOLASTICAS omnes ita connexas inter se & indiscretas, ut commode separari nequeant; idcirco nos etiam, prout locus quisque postulavit, & confuse miscuimus FORENSES cum SCHOLASTICIS aliis, & omnes omnium formulas permiste perstrinximus. Persequar nunc illas, quæ, quod in SENATU fierent, SENATORIÆ sunt a nobis appellatæ.

FRANCISCI BERNARDINI

FERRARII
DE VETERUM
ACCLAMATIONIBUS,
ET
PLAUSU
LIBER QUARTUS,
In quo SENATORIÆ illustrantur Acclamationes.

CAPUT I.

Omnia pene publica negotia SENATUS ACCLAMATIONIBUS *actitata ac terminata.*

SCHOLASTICIS Acclamationibus placuit SENATORIAS subtexere, quod e *Scholis*, ac *Foro*, mox in SENATUM penetrarunt Acclamationes, & habent SENATORIÆ non pauca cum *Scholasticis* communia, ut legenti deinceps satis patebit.

Multiplices igitur, ac variæ fuerunt Conscriptorum Patrum Acclamationes, prout scilicet varia, multiplex se se offerebat acclamandi occasio. Et sane videntur fuisse *omnia pene publica negotia* SENATUS ACCLAMATIONIBUS *actitata & terminata*. Siquidem iis & conficiebantur Sena-

tusconsulta; & communis omnium Conscriptorum Patrum consensus exprimebatur; & Imperatorum Electio fiebat ac confirmabatur; & deligebantur Censores; & Consules designabantur; & de Republica bene meriti ad cœlum laudibus efferebantur; & extollebatur singularis, excellensque alicujus virtus. Fausta item Acclamatione Imperatorum litteris publice recitatis honor tribuebatur. Publicum etiam, vel ob partam Victoriam, vel ob Tyranni cædem, gaudium Senatus Acclamationibus ostendebatur. Fauste insuper acclamabant Senatores Imperatoribus & Spectacula exhibentibus, & Triumphantibus, & in Rostris Recitantibus. De Republica tandem male meriti infaustis ac contumeliosis Senatus Acclamationibus onerabantur. Has nos Acclamationes omnes, datis in singulas incorruptis ex antiquorum auctoritate testibus, ordine considerabimus.

CAP. II.

Quadruplici potissimum condita olim modo Senatusconsulta. In iis condendis FACTAS *semper* A SENATU ACCLAMATIONES. *Usitatiorem earum formulam fuisse hac una voce*, OMNES, *conceptam*.

SENATUSCONSULTA, quæ scilicet Acclamationibus condebantur, quatuor potissimum modis fieri consuevisse observo. Etenim ab ipsis quandoque Acclamationibus incipiebatur, tum interrogabantur Senatores, sententiæque dicebantur, atque ita concludebantur Senatusconsulta. Interdum ab Acclamationibus quidem initium fiebat, sententiæque rogabantur, sed novis terminabantur Acclamationibus. Aliquando rogabantur primo sententiæ ac dicebantur, deinde fiebant Acclamationes, sicque conficiebantur Senatusconsulta. Nonnunquam etiam nulla rogata, aut dicta sententia, sed solis ac nudis Acclamationibus condebantur.

Primi utique generis Senatusconsultum illud esse crediderim, quod factum memorat Julius Capitolinus in *Maximinis duobus* cap. ult. Recitatis enim in Senatu per Balbinum Augustum Maximi litteris de Maximini cæde, Senatus statim universus, Diis gratias agens, acclamavit, fauste quidem Maximo, Balbino, & Gordiano, infauste autem in Maximinum ipsum cæsum. Post quas Acclamationes interrogatus Cuspidius Celerinus, sententiam dixit; atque in ea conclusum est Senatusconsultum. Capitolini verba ad probationis firmitatem adscribam libenter; *Senatusconsultum hoc fuit: Recitatis in Senatu per Balbinum Augustum litteris acclamavit Senatus, Hostes populi Romani Dii persequuntur. Jupiter optime tibi gratias. Apollo venerabilis tibi gratias. Maxime Auguste tibi gratias. Balbine Auguste tibi gratias. Tibi gratias Gordiane Auguste. Divis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen olim erasum, nunc animis eradendum. Hostis publici caput in profluentem abjiciatur. Corpus ejus nemo sepeliat. Qui Senatui mortem minatus est, qui Senatui vincula minatus est, ut debebat interemptus. Sanctissimi Imperatores gratias vobis agimus. Maxime, Balbine, Gordiane, Dii vos servent. Victores hostium omnes desideramus. Præsentiam Maximi omnes desideramus. Balbine Auguste, Dii te servent. Præsentem annum Consules vos ornetis. In locum Maximini Gordianus sufficiatur.* Post factas autem hujusmodi a Senatu Acclamationes rogatam mox fuisse ac dictam sententiam, atque ita conclusum Senatusconsultum, declarant ea, quæ statim inibi a Capitolino subjiciuntur. *Post*, inquit Capitolinus, *rogatus sententiam Cuspidius Celerinus, hæc verba habuit: P. C. eraso nomine Maximinorum, appellatisque Divis Gordianis, Victoriæ causa Principibus nostris Maximo, Balbino, & Gordiano, statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus, trophæa decernimus*. Atque hæc illico subnectit, quæ conditum jam Senatusconsultum, ipsumque Senatum dimissum, significent; *Post hæc*, ait, *MISSO SENATU supplicationes per totam Urbem decretæ*.

Alterius generis Senatusconsultum videre licet in Flavio Vopisco ad Taciti Imperatoris electionem. Etenim, cum Velius Cornificius Gordianus Consul ad Senatum retulisset de Imperatore deligendo; cumque paratus esset, qui primæ sententiæ consularis erat, sententiam dicere, Senatus omnis acclamavit. Post Acclamationes interrogati sunt Senatores, dixitque sententiam Senator Consularis Metius Falconius Nicomachus; in cujus deinde sententiam discedentes universi iterum acclamarunt, vocem, OMNES, geminantes; qua in voce conclusum est Senatusconsultum. Totus Vopisci locus ita scriptus est in *Tacito* cap. III. *Die septimo Calend. Octobris cum in Curiam Pompilianam Ordo amplissimus consedisset, Velius Cornificius Gordianus Consul dixit, Referimus ad vos P. C. quod sæpe retulimus. Imperator est deligendus: exercitus sine Principe recte diutius stare non potest,* &c. *Post hæc, cum Tacitus, qui erat primæ sententiæ Consularis, sententiam, incertum quam, vellet dicere, omnis Senatus acclamavit: Tacite Auguste, Dii te servent. Te deligimus, te Principem facimus, tibi curam Reip. orbisque mandamus. Suscipe Imperium ex Senatus auctoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est, quod mereris. Princeps Senatus recte Augustus creatur. Primæ sententiæ Vir recte Imperator creatur. Et quis melius, quam gravis imperat? Et quis melius, quam litteratus imperat? Quod bonum, faustum, salutareque sit. Diu privatus fuisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui alios Principes pertulisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis Principibus judicasti.* Post has autem, aliasque plures Acclamationes, sunt universi quidem interrogati Senatores, sed unus Metius Falconius sententiam dixit. *Deinde*, subdit Vopiscus c. VI. *omnes interrogati. præterea qui post Tacitum sedebat Senator Consularis Metius Falconius Nicomachus in hæc verba disseruit: Semper quidem, P. C. recte atque prudenter Reip. magnificus hic Ordo consuluit, neque a quoquam orbis terræ populo solidior unquam expectata sapientia est: attamen nulla unquam neque gravior, neque prudentior, in hoc Sacrario dicta sententia est. Seniorem Principem fecimus; & virum, qui omnibus quasi Pater consulat. Nihil ab hoc immaturum, nihil perperam, nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta gravia, & quasi ipsa Resp. jubeat, auguranda sunt. Scit enim, qualem sibi Principem semper optaverit; nec potest alius nobis exhibere, quam quod ipse desideravit & voluit*, &c. Hoc modo dicta a Metio Falconio sententia iterum acclamavit Senatus universus, ipsumque confectum est Senatusconsultum. *Hac oratione*, inquit Vopiscus cap. VII. *& Tacitus ipse vehementer est motus, & totus Senatorius Ordo concussus; statimque acclamatum est*, OMNES, OMNES. qua scilicet voce, quemadmodum est jam a nobis adnotatum, & dicetur etiam deinceps planius, significabant, supervacaneam esse aliarum sententiarum dictionem, cum ejus sententia, qui primus dixerat, uno omnium consensu approbaretur. Ejusdem autem omnino generis est etiam illud Senatusconsultum, quod ad Probi Imperatoris electionem conditum scimus. Nam,

cum ad Senatum scripsisset Probus, delatum sibi a Militibus nomen Augustum, cumque essent eæ litteræ in Senatu lectæ, ac de iis Ælius Scorpianus Consul sententias rogasset, tunc Probo fauste ab omnibus acclamatum est. Sententiam mox dixit Manlius Statianus; quam deinde approbantes universi, OMNES, OMNES, acclamarunt; sicque terminatum est Senatusconsultum. Narrat hæc nobis idem Vopiscus in *Probi Vita* cap. XI. scribens hoc pacto: *Et quoniam mentionem Senatus fecimus, sciendum est, quid ipse* Probus *ad Senatum scripserit; quid item ad eum amplissimus Ordo rescripserit. Oratio Probi ad Senatum: Recte atque ordine P.C. proxime superiore anno factum est, ut vestra clementia orbi terrarum Principem daret; & quidem de vobis, qui & estis mundi Principes, & semper fuistis, & in vestris posteris eritis. Atque utinam id Florianus expectare voluisset, nec velut hæreditarium sibi vindicasset Imperium, vel illum, vel alium quempiam Majestas vestra fecisset. Nunc, quoniam ille Imperium arripuit, nobis a Militibus delatum est nomen Augustum,* &c. *Quæso, ut de meis meritis faciatis, quidquid jusserit vestra clementia. . . Ælius Scorpianus Consul dixit: Audistis P.C. litteras Aurelii Valerii Probi, de his quid videtur? Tunc acclamatum est, Probe Auguste, Dii te servent. Olim dignus, & fortis, & justus, bonus ductor, bonus Imperator. Exemplum militiæ, exemplum Imperii, Dii te servent. Assertor reip. felix imperes. Magister militiæ felix imperes. Te cum tuis Dii custodiant. Et Senatus antea te delegit. Ætate Tacito posterior, cæteris prior. Quod Imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere remp. Bene tibi committimus, quos ante servasti. Tu Francicus, tu Gotthicus,* &c. *tu omnia; & prius fuisti semper dignus Imperio, dignus triumphis; felix agas, feliciter imperes. Post hæc Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, ita locutus est: Diis immortalibus gratias, & præ cæteris P.C. Jovi Optimo, qui nobis Principem talem, qualem semper optabamus, dederunt. Si recte cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Trajanus, non Claudius requirendi sunt; omnia in uno Principe constituta sunt: rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ reip. atque omnium prærogativa virtutum,* &c. *Decerno igitur P.C. votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum, addo Proconsulare Imperium, patris patriæ reverentiam, pontificatum maximum, jus tertiæ relationis, tribunitiam potestatem. Post hæc acclamatum est,* OMNES, OMNES.

Tertii Senatusconsulti exemplum invenias in Capitolini *Maximo* & *Balbino*. Cum enim, interemptis in Africa Gordiano Seniore cum filio, ad Senatum referretur de novi Imperatoris electione, rogarenturque sententiam Senatores, dixit in hunc modum Vectius Sabinus, ut est in Capitolini *Maximo & Balbino* cap. II. *Scio P.C. hanc rebus novis inesse oportere constantiam, ut rapienda sint consilia, non quærenda; verbis quin etiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, ubi res perurgent,* &c. *Longa oratione opus non est; faciendus est Imperator, imo faciendi sunt Principes: unus qui res domesticas, alter qui bellicas curet. unus qui in urbe resideat, alter qui obviam cum exercitu latronibus pergat. Ego Principes dico, vos firmate, si placet: sin minus, meliores ostendite. Maximum igitur, atque Balbinum: quorum unus in re militari tantus est, ut nobilitatem generis splendore virtutis allexerit; alter ita clarus nobilitate est, ut & morum lenitate reip. sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam a prima ætate in studiis semper ac litteris tenuit. Habetis sententiam P.C. mihi fortasse periculosiorem, quam vobis; nec satis vobis tutam, si non aut alios, aut hos Principes feceritis.* Post Vectii autem Sabini sententiam hoc pacto ab omnibus uno consensu acclamatum memorat ibidem Capitolinus: *ÆQUUM EST, JUSTUM EST. Sententiæ Sabini omnes consentimus. Maxime & Balbine Augusti, Dii vos servent, Dii vos Principes fecerunt, Dii vos conservent. Vos Senatum a latronibus vindicate, vobis bellum contra latrones mandamus. Hostis publicus Maximinus cum filio pereat, hostem publicum vos persequimini. Felices vos judicio Senatus: felicem remp. vestro imperio. Quod vobis Senatus detulit, fortiter agite: quod vobis Senatus detulit, libenter accipite.* Hæc autem illico suggerit Capitolinus, *His atque aliis acclamationibus Imperatores facti sunt Maximus atque Balbinus.* Cernis igitur, Sententiam primo loco rogatam & dictam, tum emissas Acclamationes, atque conclusum Senatusconsultum, factosque Imperatores Maximum & Balbinum.

Nudis demum ac solis Acclamationibus, nulla dicta sententia (quod postremum diximus fuisse condendi Senatusconsulti genus) facta quandoque Senatusconsulta, cognoscimus ex Trebellio Pollione in *Valerianis* cap. I. Quo loci videas, post Prætoris Edictum de Censore deligendo, cum essent rogandæ ea de re sententiæ, neglecto usitato illo dicendarum sententiarum more, faustas fuisse ab universis emissas in Valerianum Patrem Acclamationes, iisque conditum Senatusconsultum de Censura eidem Valeriano deferenda. Trebellii verba ex eo, quem dixi, loco sunt hæc: *Duobus Deciis Coss.* VI. *Cal. Novembris die, cum ob Imperatorias litteras in æde Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet censura deferri; ubi primum Prætor edixit, Quid vobis videtur P.C. de Censore deligendo? atque eum qui erat Princeps, cum Senatus sententiam rogasset; omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ; Valeriani vita censura est. Ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus a prima pueritia Censor fuit. Valerianus in tota vita sua Censor fuit,* &c. *Quæ cum essent sæpius dictæ, addiderunt,* OMNES. *atque ita discessum est.* Solis item Acclamationibus, nulla sententia dicta, conditum videtur illud Senatusconsultum, quo Antonini, ac Magni nomen Alexandro Severo decretum legimus; quam rem persequitur Ælius Lampridius in *eodem Severo*. tu illum videas.

Ex his autem omnibus plane licet intelligi, & quomodo fierent olim Senatusconsulta, & quibus potissimum Acclamationibus condi solerent ac terminari. Inter quas est illa sane formula observatione digna, quæ, hac una voce, OMNES, concepta & expressa, communem omnium consensum & approbationem significabat; ut mox dicemus.

CAP. III.

COMMUNEM *omnium in Senatu Conscriptorum Patrum* CONSENSUM Acclamatione *olim* expressum. *Hanc acclamandi formulam unica voce*, OMNES, *interdum; interdum geminata*, OMNES, OMNES; *aliquando bis verbis*, ÆQUUM EST, JUSTUM EST, *fuisse conceptam. Declaratum, in hanc rem quid nobis significet vox*, OMNES? *Plinii, ac Vopisci locus illustratus.*

QUOCUNQUE igitur modo ex dictis fierent Senatusconsulta, & quæcunque tandem essent Acclamationes, quæ in iis conficiendis emittebantur, consueverunt Patres

Conscripti, ut communem omnium de re, quæ in consultationem veniebat, consensum & approbationem exprimerent, modo ipsa Senatusconsulta, modo emissas Acclamationes peculiari quadam acclamandi formula claudere ac terminare. quam quidem formulam unica voce, OMNES, interdum; interdum geminata, OMNES, OMNES; aliquando his verbis, ÆQUUM EST, JUSTUM EST, concipi solitam observo.

A

Refert Trebellius Pollio in *Valerianis* Patre & Filio, cum de novo Censore deligendo Senatusconsultum haberetur, jamque Prætor ea de re Principem Senatus sententiam rogaret, Senatores omnes una voce, immutato more dicendæ sententiæ, hæc absenti Valeriano fauste acclamasse: *Valeriani Vita Censura est. Ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de Vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus a prima pueritia Censor fuit. Valerianus in tota Vita sua fuit Censor*, &c. Atque ut ostendat Pollio, non opus esse hanc in rem sententiarum dictione, sed solis iis Acclamationibus terminatum Senatusconsultum, eumque esse communem omnium consensum, ut Valerianus Censor deligatur, subdit, additam fuisse a Senatoribus vocem, OMNES, veluti *consensus & approbationis testem*; inquit enim, *Quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt, OMNES; atque ita discessum est*. quorum verborum, quæ extrema sunt, ea maxime declarant, prolata in Senatu voce, OMNES, non modo non amplius rogari aut dici sententias, sed confici etiam ac terminari Senatusconsulta; atque ita discedere solitos Senatores. Interfecto item Aureliano, cum in Senatu Velius Cornificius Gordianus Consul dixisset, *Referimus ad vos P.C. Imperator est deligendus*, &c. cumque Tacitus, quippe qui primæ sententiæ Consularis erat, sententiam vellet dicere, narrat Flavius Vopiscus, Tacitum eundem ab omni Senatu in hæc verba Imperatorem acclamatum cap. IV. *Tacite Auguste, Dii te servent. Te deligimus, te Principem facimus, tibi curam reipublicæ, orbisque mandamus. Suscipe Imperium ex Senatus auctoritate*, &c. Addit autem Vopiscus, proxime post ejusmodi Acclamationes interrogatos Senatores omnes, Metiumque Falconium Nicomachum Senatorem Consularem sententiam dixisse. quam quidem communi consensu approbantes cæteri Senatores acclamarunt illico, OMNES, OMNES. *Hac Oratione*, inquit Vopiscus ibid. cap. VII. *& Tacitus ipse vehementer est motus, & totus Senatorius Ordo concussus; statimque acclamatum est, OMNES, OMNES. Inde itum ad Campum Martium*. Atqui hic etiam videas, Senatores, pronunciata voce, OMNES, terminasse Senatusconsultum, & abiisse. Etiam Tacito absumpto Orientales omnes exercitus Aurelium Valerium Probum Imperatorem elegerunt; sed Militum electionem vix legitimam ducens ipse, nisi Senatorum etiam judicium ac consensus accederet, litteras ea de re ad Senatum dedit: quibus lectis, cum Ælius Scorpianus Consul dixisset: *Audistis P.C. litteras Aurelii Valerii Probi; de his quid videtur?* Tunc ista Probo acclamata prodit Vopiscus in eodem Probo cap. XI. *Probe Auguste, Dii te servent. Olim dignus, & fortis, & justus, bonus ductor, bonus Imperator. Exemplum militiæ, exemplum Imperii, Dii te servent. Assertor reipubl. felix imperes. Magister militiæ felix imperes. Te cum tuis Dii custodiant. Et Senatus antea te delegit.*

B

C

D

E

F

Quod Imperium suscepisti gratias agimus, &c. His acclamatis, Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, sententiam dicens ita loquutus est cap. XII. *Diis immortalibus gratias, & præ cæteris, Patres Conscripti, Jovi optimo, qui nobis Principem talem, qualem semper optabamus, dederunt*, &c. In cujus sententiam cum reliqui post eum rogati irent, solemnem in communi consensu formulam, OMNES, OMNES, acclamarunt; *Post hæc*, ait Vopiscus, *acclamatum est, OMNES, OMNES*.

Atque hic quidem communis omnium consensus, sicut voce, OMNES, sive unica, sive geminata; item verbis, ÆQUUM EST, JUSTUM EST, exprimebatur. Narrat Capitolinus in *Maximo & Balbino*, cum semel in ædem Concordiæ convenissent Conscripti Patres, ut remedium aliquod contra furorem improbissimi hominis Maximini invenirent; cumque de aliis rebus retulisset Consul, & multa item Vir primæ sententiæ protulisset; Vectium tandem Sabinum sententiam in hæc verba dixisse cap. II. *Cervices suas quisque respiciat, uxorem ac liberos cogitet, avitas patriasque fortunas, quibus omnibus imminet Maximinus*, &c. *Longa oratione opus non est; faciendus est Imperator; imo faciendi sunt Principes*, &c. *Ego Principes dico; vos firmate, si placet; sin minus, meliores ostendite: Maximum, atque Balbinum*, &c. Quam Vectii Sabini sententiam Senatores omnes uno consensu approbantes, ÆQUUM EST, JUSTUM EST, acclamarunt. *Post hæc*, inquit Capitolinus, *acclamatum est uno consensu, ÆQUUM EST, JUSTUM EST; sententiæ Sabini omnes consentimus. Maxime & Balbine Augusti, Dii vos servent. Dii vos Principes fecerunt, Dii vos conservent*, &c.

Quam eandem formulam extra Senatum etiam ad communem consensum exprimendum acclamari solitam, in ejusdem Capitolini *Gordianis tribus* videre licet. Etenim cum Maximini Procuratorem occidissent Afri, essentque ob id ab ipsius Maximini furore parum tuti, nisi novus eligeretur Imperator; Mauritius quidam, apud eosdem Afros Decurio, plebem velut concionabundus alloquutus est: qua in concione cum maximum omnibus ob Procuratoris cædem imminere periculum dixisset, ob eamque caussam novum faciendum Imperatorem; addidit, unum esse Gordianum Proconsulem, qui merito posset in amplissimo illo dignitatis gradu collocari. Quod Mauritii consilium, ut plenum prudentiæ, universi comprobantes, ÆQUUM EST, JUSTUM EST, (voces scilicet consensus & approbationis indices) acclamarunt. *Tunc*, ait Capitolinus cap. VIII. *acclamatum est, ÆQUUM EST, JUSTUM EST. Gordiane Auguste, Dii te servent. Feliciter Imperator es, cum filio imperes*.

Acclamandi porro formulam, OMNES, quam solemnem diximus fuisse, atque usitatam, ad communem omnium de re aliqua consensum exprimendum, non plenam esse, ac veluti decurtatam; ita ut ei complendæ sint hæc, aut similia, subaudienda verba, IDEM ROGAMUS, aut, AD IDEM CONSENTIMUS, jam supra semel atque iterum in hoc eodem Opere admonuimus. Tota igitur erit, OMNES IDEM ROGAMUS, aut, OMNES AD IDEM CONSENTIMUS.

Atque ex eadem Acclamationis formula illud Plinii exponi posse crediderim, quod in *Panegyrico ad Trajanum* legimus in hæc verba: *Unus solusque censebat, quod sequerentur OMNES, & OMNES improbarent; in primis ipse, qui censuerat. adeo nulla magis OMNIBUS displicent, quam quæ sic*

sic fiunt, tanquam OMNIBUS placeant. Eodem etiam intendisse animum potest videri Flavius Vopiscus, cum in *Aureliano* cap. xx. referens Senatusconsultum de librorum Sibyllinorum inspectione, conditum illud dixit: *Manus aliis porrigentibus, aliis pedibus in sententias euntibus, plerisque VERBO CONSENTIENTIBUS*: nam quod ait, VERBO CONSENTIENTIBUS, id proinde puto, ac si dixisset, OMNES, *acclamantibus*.

Cæterum in Synodicis quoque conventibus ad communem omnium consensum significandum, consuevisse Patres, easdem aut similes acclamandi formulas usurpare, loco docebimus. Nunc reliquas videamus solitas emitti a Senatu Acclamationes.

CAP. IV.

Imperatorum ELECTIONEM SENATUS ACCLAMATIONIBUS *factam olim interdum & confirmatam.*

MULTIPLICES omnino, ac varias fuisse Conscriptorum Patrum Acclamationes, prout nimirum varia, multiplexque dabat sese acclamandi occasio, & nos monuimus in primo hujus Libri capite, & res ipsa deinceps satis ostendet. Atque hactenus quidem eas persecuti sumus, quæ, vel in condendis Senatusconsultis, vel ad communem omnium consensum exprimendum, emitti consueverunt. nunc, cæteras ut pergam patefacere, docebo, fauste olim *acclamatum a Senatu*, cum *Imperatorum electio fiebat*, aut *confirmabatur*.

Commemorans Flavius Vopiscus modum, quo Tacitus post Valeriani cædem factus est Imperator, scribit, Velium Cornificium Gordianum retulisse ad Senatum de novo Imperatore deligendo; & cum Tacitus ipse, quod primæ esset sententiæ consularis, sententiam vellet ea de re dicere, tunc Senatum omnem fauste hæc in Tacitum acclamasse: *Tacite Auguste, Dii te servent. Te deligimus, te Principem facimus, tibi curam reipublicæ, orbisque mandamus. Suscipe Imperium ex Senatus auctoritate. Tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est quod mereris. Princeps Senatus recte Augustus creatur. Primæ sententiæ Vir recte Imperator creatur. Et quis melius, quam gravis imperat? Et quis melius, quam litteratus imperat? Quod bonum, faustum, salutareque sit; diu privatus fuisti. Scis, quemadmodum debeas imperare, qui alios Principes pertulisti. Scis, quemadmodum debeas imperare, qui de aliis Principibus judicasti.* Cum item Tacitus delatum Imperium eam ob causam recusaret, quod esset affecta jam ætate, & viribus infirmis, subjungit Vopiscus, sic fuisse ab eodem Senatu acclamatum; *Et Trajanus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et Adrianus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et Antoninus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et tu legisti, incanaque menta Regis Romani: dixerunt decies. Et quis melius, quam senex imperat? dixerunt decies. Imperatorem te, non militem facimus: dixerunt vicies. Tu jube. Milites pugnent: dixerunt tricies. Habes prudentiam, & bonum fratrem: dixerunt decies. Severus dixit, Caput imperare non pedes: dixerunt tricies. Animum tuum, non corpus eligimus: dixerunt vicies. Tacite Auguste, Dii te servent.* Post has Acclamationes, cum interrogarentur Senatores omnes, Metius Falconius Nicomachus sententiam dixit; in qua laudibus extulit & Senatus prudentiam ac judicium in Tacito deligendo, & ipsius Taciti virtutes ac merita. Universi autem eam approbantes, *Omnes, Omnes*, acclamavere; *Hac oratione*, inquit Vopiscus, Metii scilicet Falconii, *& Tacitus ipse vehe-*

A *menter est motus, & totus Senatorius Ordo concussus; statimque acclamatum est, Omnes, Omnes.* Ex quibus satis liquet, fuisse Taciti *Imperatoris electionem Senatus Acclamationibus* omnino factam. Sed & Probi electionem a militibus factam, Senatus deinde Acclamationibus fuisse confirmatam tradit idem Vopiscus in *Probo*. Cum enim absumpto Tacito Milites statim Probum fecissent Imperatorem, existimans Probus, non satis ratam esse eam electionem, nisi Conscriptorum etiam Patrum auctoritas & confirmatio accederet, litteras ad Senatum dat, quibus & significat, delatum sibi a Militibus nomen Augustum, & ipsius Senatus judicium ea de
B re exquirit. Quibus lectis, Senatus illico, factam a Militibus electionem confirmans, hæc absenti Probo fauste acclamat: *Probe Auguste, Dii te servent. Olim dignus, & fortis, & justus, bonus ductor, bonus Imperator. Exemplum Militiæ, exemplum Imperii, Dii te servent. Assertor reipublicæ felix imperes. Magister Militiæ felix imperes. Te cum tuis Dii custodiant. Et Senatus antea te delegit. Ætate Tacito posterior, cæteris prior. Quod Imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere rempublicam. Bene tibi committimus, quos ante servasti. Tu Francicus, tu Gotthicus, tu Sarmati-*
C *cus, tu Parthicus, tu omnia. Et prius fuisti semper dignus Imperio, dignus Triumphis. Felix agas, feliciter imperes.* His autem ita acclamatis, Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, Orationem habuit, in qua pluribus summatim ad Probi honorem perstrictis, hæc ad finem addidit, rem nostram aperte confirmantia; *Decerno igitur P. C. votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum; addo Proconsulare Imperium, Patris patriæ reverentiam, Pontificatum Maximum*, &c. Hæc Manlius: in cujus deinde sententiam euntes cæteri Senatores, *Omnes, Omnes*, acclamarunt. Possum equidem Lampridii, Capitolini, & Tre-
D bellii testimonio rem eandem comprobare: siquidem Senatus Acclamationibus & apud Lampridium Alexandri Severi electio confirmatur, & Maximi & Balbini apud Capitolinum, & Claudii apud Trebellium, sed nolo eorum verba proferre, quod sint unicuique prompta & parata.

CAPUT V.

SENATUS *item* ACCLAMATIONIBUS *&* delectos Censores, *&* Consules designatos.

E IMPERATORUM *electionem* SENATUS ACCLAMATIONIBUS *factam* docuimus, & *confirmatam*; dicemus nunc, eodem pacto & *Censores delectos*, & *designatos Consules*. De Censoribus quidem in Trebellii Pollionis *Valeriano Patre & Filio* ista planissime dicuntur; *Cum in æde Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet Censura deferri; ubi primum Prætor edixit, Quid vobis videtur P.C. de Censore deligendo? atque eum, qui erat Princeps, cum Senatus sententiam rogasset, absente Valeriano omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ, VALERIANI VITA CENSURA*
F *EST. Ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de Vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus a prima pueritia CENSOR fuit. Valerianus in tota vita sua fuit CENSOR Prudens Senator, modestus Senator, gravis Senator. Amicus bonorum, inimicus Tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum. HUNC CENSOREM OMNES ACCIPIMUS. Hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus,*

moribus singularis, exemplum antiquitatis. Quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt, Omnes: atque ita discessum est.

Consulatus autem designationem Conscriptorum item Patrum Acclamationibus fuisse comprobatam, C. Plinii ex *Panegyrico ad Trajanum* locus hic ostendit, in quo est; *Vos*, Conscriptos Patres alloquitur Plinius, *proxime DESTINATIONEM CONSULATUS mei his Acclamationibus approbavistis; ut intelligam, etiam atque etiam enitendum mibi, ut hunc consensum vestrum complectar, & teneam, & in dies augeam. Vos modo favete huic proposito*, &c.

CAP. VI.

De Republica bene meritis FAUSTE *olim* acclamatum A SENATU: male meritos INFAUSTIS *ac* CONTUMELIOSIS oneratos *Acclamationibus*.

LOCI sunt in manibus pene innumerabiles bonorum Auctorum, qui id, quod primo loco dicimus, approbent: sed ex iis nos unum duntaxat, aut item alterum, supponemus. In C. Plinii *Panegyrico*, iterum ac sæpius a nobis producto, multa memorantur Trajano, de Republica optime merito, identidem a Senatu fauste acclamata; sed illa sunt illustria maxime, his verbis concepta: O TE FELICEM. CREDE NOBIS, CREDE TIBI. SIC TE AMENT DII, QUEMADMODUM TU NOS. O NOS FELICES. Quarum formularum quis sit ad rem nostram sensus, malo te ex ejusdem Plinii, quam ex meis verbis cognoscere: *Nihil*, ait, *magis possum proprie dicere, quam quod dictum est a cuncto Senatu, O TE FELICEM; quod cum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. Est enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri. Sed cum multa ille die dicta sunt sapienter & graviter; tum vel inprimis hoc, CREDE NOBIS, CREDE Tibi. Magna hoc fiducia nostri, majore tamen tui diximus. Alius enim fortasse alium, ipsum se nemo deceperit, introspiciat modo vitam, seque quid mereatur interroget. Proinde dabant vocibus nostris fidem apud optimum Principem, quod apud malos detrahebat. quamvis enim faceremus quæ amantes solent, illi tamen non amari se credebant sibi. Super hæc precati sumus, ut SIC TE AMARENT DII, QUEMADMODUM TU NOS. Quis hoc aut de se, aut Principi diceret mediocriter amanti? Pro nobis ipsis quidem hæc fuit summa votorum, ut nos sic amarent Dii, quomodo tu. Estne verum, quod inter ista clamavimus, O NOS FELICES? Quid enim felicius nobis, quibus non jam illud optandum est, ut nos diligat Princeps, sed Dii quemadmodum Princeps?* Hæc Plinius de Trajano; cujus quidem meritis ita semper tributum est a Senatu, ut non aliter consueverit deinceps ab eodem Senatu Principibus acclamari, quam, MELIOR TRAJANO. Significat hoc Eutropii locus ex lib. VIII. ita conscriptus: *Trajani memoriæ tantum delatum est, ut usque ad nostram ætatem non aliter in Senatu Principibus acclamaretur, nisi, Felicior Augusto, MELIOR TRAJANO.* Ab Eutropio eadem ista Paulus Diaconus sumit, & in *Miscellæ suæ Historiæ* librum V. transfert. Etiam Pertinaci, de Republica scilicet optime merito, hæc fauste a Senatu acclamata tradit Sextus Aurelius Victor; *Huic mortuo*, inquit, *Divi nomen decretum est; ob cujus laudem, ingeminatis ad vocis usque defectum plausibus, acclamatum est; Pertinace imperante securi viximus; neminem timuimus. Patri pio, Patri senatus: Patri omnium bonorum.*

Atque ut certum est, *fauste* omnino *a Senatu*

A fuisse *Viris de Republica bene meritis acclamatum*; sic illud minime dubium, *male meritos infaustis ac contumeliosis oneratos Acclamationibus*. Abundant testimoniis Græcorum, ac Romanorum Historiæ, sed unicum ego illud proferre statui, quod in Lampridii *Commodo* cap. XVIII. & XIX. scriptum reperitur. Commodus itaque de Senatu, de Patria, ac de tota Republica male meritus est, ut etiam defunctus pluribus ac gravissimis contumeliis & maledictis, non modo a populo, sed etiam a cuncto Senatu conscinderetur, & exagitaretur: *Ut autem sciretur*, ait Lampridius, *quod judicium Senatus de*

B *Commodo fuerit, ipsas Acclamationes de Mario Maximo indidi, & sententiam Senatusconsulti. Hosti Patriæ honores detrahantur. Parricidæ honores detrahantur. Parricida trahatur. Hostis patriæ, parricida, gladiator in Spoliario lanietur. Hostis Deorum, carnifex Senatus. Hostis Deorum, parricida Senatu. Hostis Deorum, hostis Senatus. Gladiatorem in Spoliario. Qui Senatum occidit, in Spoliario ponatur. Qui Senatum occidit, unco trahatur. Qui innocentes occidit, unco trahatur. Hostis, parricida; vere, severe. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur...... Hostis statuas undique, parricidæ statuas undique, gladiatoris statuas undique. Gla-*

C *diatoris, & parricidæ statuæ detrahantur. Necator civium trahatur, parricida civium trahatur. Gladiatoris statuæ detrahantur. Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur. Parricidæ gladiatoris statuæ detrahantur. Impuri gladiatoris memoria aboleatur. Gladiatorem in Spoliario. Carnifex unco trahatur. Carnifex Senatus more majorum unco trahatur. Sævior Domitiano, impurior Nerone. Sic fecit, sic patiatur. Parricidæ cadaver unco trahatur, gladiatoris cadaver unco trahatur, gladiatoris cadaver in Spoliario ponatur. Omnes censemus, unco trahendum. Qui omnes occidit, unco trahatur. Qui omnem ætatem occidit, unco trahatur. Qui utrumque sexum oc-*

D *cidit, unco trahatur. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. Qui templa spoliavit, unco trahatur. Qui testamenta delevit, unco trahatur. Qui vivos spoliavit, unco trahatur. Qui pretia vitæ exegit, unco trahatur. Qui fidem non servavit, unco trahatur. Qui Senatum vendidit, unco trahatur. Qui filiis abstulit hæreditatem, unco trahatur. Parricidæ cadaver trahatur. Parricida sepultos eruit, parricidæ cadaver trahatur.* Hæc ipsa de eodem Commodo, sed summatim perstricta, videre licet apud Dionem in libr. LXXIII. quo loci peculiares etiam nonnullæ jactatæ in Commodum contumeliæ com-

E memorantur in hæc fere verba: *In cæteris nihil prætermisere, quin JACERENT in illum CONTUMELIAS cujusvis generis. Jamque, COMMODUM, aut, IMPERATOREM, appellabat nemo; sed PERNICIEM, ac TYRANNUM. addebant etiam, illudentes ei, GLADIATOREM, AURIGAM, SCÆVAM, HERNIOSUM; tum omnia, quæ in Theatris dicere in honorem Commodi consueverant concinnis quibusdam clamoribus, ea versa in contumeliam canebant illudendi causa.*

CAPUT VII.

F PECULIAREM *etiam* & EXCELLENTEM *alicujus* VIRTUTEM *faustis* nonnunquam SENATUS Acclamationibus *laudatam*.

NEQUE vero generatim duntaxat alicujus merita, sed & *peculiarem* interdum, *excellentemque virtutem*, consuevit *Senatus faustis prosequi Acclamationibus*. Argumento sunt, quæ Vulcatius Gallicanus in *Avidio Cassio* de Marci Antonini Philosophi in ejusdem Avidii liberos, uxorem, & generum, CLEMENTIA sic scribit capit. XIII. *Hanc ejus CLE-*

A *MENTIAM Senatus his Acclamationibus prosequutus est. Antonine pie, Dii te servent. Antonine CLEMENS, Dii te servent. Antonine CLEMENS, Dii te servent. Tu noluisti, quod licebat; nos fecimus, quod decebat. Commodo Imperium justum rogamus. Progeniem tuam robora. Fac securi sint liberi tui. Bonum Imperium nulla vis lædit. Commodo Antonino Tribunitiam potestatem rogamus. Præsentiam tuam rogamus. PHILOSOPHIÆ TUÆ, PATIENTIÆ TUÆ, DOCTRINÆ TUÆ, NOBILITATI TUÆ, INNOCENTIÆ TUÆ. Vincis inimicos, hostes exuperas, Dii te tuentur,* &c. Et ea, quæ apud Lampridium, ut cæteros omittam,
B de Alexandri Severi virtutibus leguntur; *Acclamatum est*, inquit Lampridius in *eodem Severo* cap. x. *Alexander Auguste, Dii te servent. VERECUNDIÆ TUÆ, PRUDENTIÆ TUÆ, INNOCENTIÆ TUÆ, CASTITATI TUÆ. Hinc intelligimus qualis futurus sis; hinc probamus. Tu facies, ut Senatus bene Principes eligat. Tu facies, optimum esse judicium Senatus. Alexander Auguste, Dii te servent*, &c.

CAP. VIII.

C *Olim* Imperatorum LITTERIS PUBLICE RECITATIS *eum plerunque tributum honorem, ut* ipsis Imperatoribus a cuncto Senatu FAUSTE ACCLAMARETUR.

DOCUIMUS alibi, maximum semper tributum honorem iis Principum Virorum litteris, quæ palam redditæ, palam legerentur. Orationem eandem nunc repeto; illud adjiciens, cum ad eam rem firmius comprobandam, tum ad illustrandas, quæ sunt in manibus, emitti solitas in Senatu Acclamationes; *Honoris causa fauste olim a Conscriptis Patribus acclamatum iis Imperatoribus, quorum litteræ, publice acceptæ, publice recitarentur*.
D Quod quidem verum esse, ex iis, quæ mox dicam, licebit intelligi. Etenim cum essent a Julio Syllano Consule recitatæ in Senatu Gordiani Imperatoris litteræ, quibus vocatum se a Militibus ad Imperium significabat, illico fauste in Gordianum ab universo Senatu acclamatum prodidit Capitolinus in *Maximinis duobus* capit. XVI. *Cum ventum esset in ædem Castorum, acceptas litteras Junius Syllanus Consul ex Africa Gordiani Imperatoris, patris patriæ Proconsulis, recitavit. Invitum me, P. C. juvenes*, &c. *LECTIS LITTERIS, statim SENATUS ACCLAMAVIT: Gordiane*
E *Auguste Dii te servent. Felix imperes, tu nos liberasti. Salvus imperes, tu nos liberasti. Per te salva respublica, omnes tibi gratias agimus*. Idem Capitolinus sub ejusdem Operis finem, lectis in Senatu Maximi litteris de Maximini cæde, ita in ipsum Maximum, in Balbinum, & Gordianos, fauste acclamatum refert: *Hostes populi Romani Dii persequuntur. Jupiter optime tibi gratias. Apollo venerabilis tibi gratias, Maxime Auguste tibi gratias. Balbine Auguste tibi gratias. Tibi gratias Gordiane Auguste. Divis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen erasum, nunc animis eradendum. Hostis publici caput in profluentem abjiciatur. Corpus ejus nemo sepeliat. Qui Senatui mortem minatus est, qui*
F *Senatui vincula minatus est, ut debebat interemptus. Sanctissimi Imperatores gratias vobis agimus, Maxime, Balbine, Gordiane, Dii vos servent. Victores hostium omnes desideramus. Præsentiam Maximi omnes desideramus. Balbine Auguste, Dii te servent. Præsentem annum Consules vos ornetis. In locum Maximini Gordianus sufficiatur*. Trebellius item Pollio, post lectas Claudii Imperatoris litteras, fauste ei a Senatu acclamatum tradit, sic scribens in *eodem Claudio* capit. IV. *LECTIS LITTERIS Claudii Principis, HÆC IN CLAUDIUM DICTA SUNT; Auguste Claudi, Dii te nobis præstent: dictum sexagies. Claudi Auguste, Principem te, aut qualis tu es, semper optavimus: dictum quadragies. Claudi Auguste te respubl. requirebat: dictum quadragies. Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps: dictum octuagies. Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica: dictum quinquies. Claudi Auguste, tu nos a Palmyrenis vindica: dictum quinquies. Claudi Auguste, tu nos a Zenobia & a Victoria libera: dictum septies*, &c. Flavius denique Vopiscus in *Probi Vita* rem eandem confirmat; inquit enim, *Ælius Scorpianus Consul dixit, AUDISTIS, Patres Conscripti, LITTERAS Aurelii Valerii Probi, de his quid videtur? TUNC ACCLAMATUM EST. Probe Auguste, Dii te servent. Olim dignus, & fortis, & justus, bonus ductor, bonus Imperator. Exemplum militiæ, exemplum Imperii, Dii te servent. Assertor reip. felix imperes. Magister militiæ, felix imperes. Te cum tuis Dii custodiant. Et Senatus antea te delegit. Ætate Tacito posterior, cæteris prior. Quod Imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere rempublicam. bene tibi committimus, quos ante servasti. Tu Francicus, tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia, & prius fuisti semper dignus imperio, dignus triumphis. Felix agas, feliciter imperes.*

CAPUT IX.

Aliæ quædam Senatoriarum Acclamationum formulæ. ACCEPTO DE VICTORIA NUNCIO *fauste olim Imperatoribus* A SENATU ACCLAMATUM. *Faustas item a C. P. Acclamationes emissas in Imperatores sive* TRIUMPHANTES, *sive* RECITANTES IN ROSTRIS, *seu* SPECTACULA ET LUDOS AGENTES.

ACERVATIM jam reliquas persequar Senatus Acclamationes. Atque *accepto* quidem *Victoriæ nuncio acclamari* solitum fauste a C. P discimus ex Trebellio Pollione in *Divo Claudio*. Cum enim esset nunciatum, Claudium in Illyrico contra gentes fortiter dimicasse, hæc eidem Claudio a Senatu fauste acclamata refert cap. ult. *Claudi, dux fortissime, habeas virtutibus tuis, devotioni tuæ. Claudio statuam omnes dicamus. Claudium Consulem omnes cupimus. Qui amat Rempublicam, sic agit. Qui amat Principes, sic agit. Antiqui Milites sic egerunt. Felicem te Claudi judicio Principum. Felicem te virtutibus tuis. Consulem te, te Præfectum. Vivas Valerie, ameris a Principe.* Quin etiam habita ab Alexandro Severo Oratione, qua decerni supplicationem ob res prospere & feliciter adversus Persas gestas postulabat; ad hanc Victoriæ commemorationem illico acclamavit Senatus; *Alexander Auguste*, ita est in Lampridii *Severo*, cap. LVI. *Dii te servent. PERSICE maxime, Dii te servent. Vere PARTHICUS, vere PERSICUS. TROPHÆA tua & nos videmus. VICTORIAS & nos videmus. Juveni Imperatori, patri patriæ, Pontifici maximo. Per te VICTORIAM undique præsumimus. Ille vincit, qui Milites regit. Dives Senatus, dives miles, dives Populus Romanus.*

In TRIUMPHANTEM autem Neronem faustas fuisse a Conscriptis Patribus emissas Acclamationes, prodidit Cassius Dio in *Neronis Vita*; quo loci scriptum est in hæc verba, ex Leunclavii Interpretatione: *Ipse Nero CURRU TRIUMPHALI, in quo Augustus olim tot triumphos egerat, vehebatur, amictus veste purpurea auro intexta*, &

oleastro coronatus laurum Pythicam præseferebat. cum eo una Diodorus Citharœdus vehebatur: eoque pacto per Circum & Forum cum Militibus, & Equitibus, ac SENATORIBUS transiit. Tum ascendit in Capitolium, atque inde in Palatium venit, tota Urbe coronata, lychnisque ac suffimentis plena. ACCLAMABANT omnes, & SENATORES INPRIMIS, Ova Olympionica, Ova Pythionica. Auguste, Auguste. Neroni Herculi. Neroni Apollini. Quam solus περιοδονίκης, solus ex æterno tempore? Auguste, Auguste. Sacra vox. Beati, qui te audiunt.

Severo item in ROSTRIS *recitanti Senatum acclamasse* commemorat idem Dio in *Severo*: *Quæ postquam*, ait, *transierunt, Severus ascendit IN ROSTRA, & laudationem Pertinacis recitavit; cumque oraret, crebro ACCLAMATUM EST,* A *A NOBIS, partim laudantibus Pertinacem, partim lugentibus*, &c.

Etiam in THEATRO auditas aliquando Conscriptorum Patrum Acclamationes testatur idem Dio in *Commodo*, scribens hoc pacto: *Quatuordecim dierum fuere spectacula hujus generis. eoque nos SENATORES conveniebamus cum Equitibus separatim. Claudius tamen Pompejanus, homo senex, nunquam interfuit, licet filios suos ad spectandum mitteret*, &c. *Tum NOS MAGNA VOCE DICEBAMUS multa, ut jussi eramus. Illud autem crebro, Dominus es, primus es, vincis omnium felicissime, ex æterno tempore Amazonie vincis.*

Atque in his quidem Dionis verbis placet SENATORIAS terminare ACCLAMATIONES. Jam est de ECCLESIASTICIS dicendum.

FRANCISCI BERNARDINI

FERRARII
DE VETERUM
ACCLAMATIONIBUS,
ET
PLAUSU
LIBER QUINTUS,

In quo ECCLESIASTICÆ continentur ACCLAMATIONES.

CAPUT I.

Quæ hic a nobis ECCLESIASTICÆ *intelligantur Acclamationes?*



INCREBUIT itaque passim hæc in Theatris nata & adulta Acclamandi ac Plaudendi consuetudo; atque ita invaluit, ut non modo Scholas penetrarit, Fora, & Senatum, quemadmodum antea docuimus, sed in ipsos quoque Sacros Christianorum cœtus irrepserit. Et quamvis ægre initio fuerit ea consuetudo in Ecclesiasticos recepta conventus, ubi tamen semel admissa est, nullus est modus servatus; sed quidquid in Theatris, cæterisque Spectaculorum locis, plaudendo & acclamando fieri consuevit, idem pene in Christianorum cœtibus factitatum est. Beatus certe Chrysostomus graviter deplorat ac conqueritur de præposteris, & inconditis vocibus; de manibus in aerem temere sublatis; de pedibus supplodentibus; deque aliis indecoris Theatrorum moribus in Ecclesiam inter Concionandum invectis. Quam certe gravem & justam Sanctissimi Viri querelam, cum alibi, tum in Homilia prima *de Verbis Isaiæ* expressam videas; eam nos infra loco producemus. Quin rei indignitatem adeo B execratus est idem Chrysostomus, ut de tollendis omnino e Concione sacra Plausibus toto animo non semel cogitarit. *Sæpe*, inquit in Homilia XXXI. *in Acta Apostolorum, cum animo meo cogitavi, legem ponere Plausus prohibentem, & suadentem, ut cum silentio & decore, prout par est, audiatis*, &c. Quam eandem contra Plausus legem suadendam & sanciendam dixerat idem Chrysostomus in XXX. *ad eadem Acta* Homil. & repetit in Homil. XXXVIII. *ad Populum Antiochenum*. Atque insanas quidem vociferationes, indecoras manuum jactationes, & ineptos corporis totius circumactus, haud difficile fuit e sacris cœtibus tollere; cætera tamen hæsere diu, & nonnisi ipso temporis tractu sublata sunt. ECCLESIASTICAS igitur Acclamationes, eas scilicet, quæ vel a Populo in CONCIONIBUS SACRIS, vel a Patribus in SYNODIS fieri solebant, hoc in Libro C excutimus; reservata in Librum septimum reliquarum tractatione. Ducam autem initium ab iis, quas audiens populus in Concionantem emittere consuevit. De quibus licet nonnulla dixerim in Opere *de Ritu Sacrarum Ecclesiæ Catholicæ Concionum*: quia tamen ea valde breviter, strictimque inibi percursa sunt, & alia post inter legendum, neque pauca, neque forte vulgaria, sunt a me observata, placet eadem hoc tempore fusius & enucleatius denuo retractare.

CAP. II.

Ad CONCIONANTUM *eloquentiam comprobandam fauste olim ab audiente populo* ACCLAMATUM & PLAUSUM *composite.*

AD CONCIONANTUM itaque eloquentiam comprobandam consuevit olim audiens populus & fauste acclamare, & applaudere composite. Id quod Græcæ simul & Latinæ Ecclesiæ commune fuisse reperio. Possem equidem sexcentis Chrysostomi, & Augustini testimoniis hanc consuetudinem confirmare; sed quoniam agitur de re pene ex toto manifesta, placet illustriora dumtaxat ex eis supponere. In Homilia igitur XXX. *ad Apostolorum Acta: Multi*, inquit Chrysostomus, *ut in medium procedant, multa faciunt, & ut longum sermonem facere possint: & si PLAUDENTEM multitudinem habent, quasi regnum adepti sint, gaudent; si autem cum silentio claudatur Sermo, tristitia major est illis e silentio, quam ex gehenna. Hoc subvertit Ecclesias, quod & vos non quæritis audire Sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, & tinnulo strepitu & verborum compositione, quasi citharœdos & cantores, audientes, & nos frigide ac misere facimus, nostris affectibus obtemperantes, quos repudiare oportebat.* Et aliquanto post: *Hoc etiam nobis accidit, flosculos verborum & compositionem & harmoniam curiosius sectamur; ut canamus, non ut prosimus; ut simus in admiratione, non ut doceamus; ut oblectemus, non ut compungamus; ut cum PLAUSU & LAUDIBUS discedamus, non ut mores componamus. Credite mihi, non dicerem alioquin, quoniam quando inter dicendum PLAUSUM EXCITO, per illud quidem tempus humanum quiddam mihi accidit; cur enim verum quis non dicat? & distrahor, & diffundor; ubi autem domum redeo, & intelligo, PLAUDENTES sine fructu abiisse, etsi fructum accipere poterant, a PLAUSU & LAUDIBUS periisse ploro, gemo, & lachrymor, & quasi frustra omnia dixerim, sic afficior, mihique ipse dico*, Quæ sudorum meorum utilitas, si Auditores e verbis meis nihil fructus perceperunt? *& sæpius quidem cogitavi legem ponere, quæ hujusmodi PLAUSUS prohiberet, & suaderet ut cum silentio audiretis. Sed sustinete, oro, & credite mihi; & si placet, hanc nunc legem firmabimus, Ne quis auditor PLAUDAT, quamdiu nos loquimur; ac si voluerit admirari, admiretur silens, nemo est qui prohibet. Omne autem studium & alacritas in id collocetur, ut quæ dicuntur accipiantur. Quare APPLAUSISTIS? de hoc legem pono, vos autem nec audire potestis*, &c. Repetit hæc eadem iisdem pene verbis Chrysostomus in Homil. XXXVIII. *ad populum Antiochenum.* In Homilia autem prima *in Genesim: Neque enim*, ait, *temere & frustra huc convenimus, ut unus quidem loquatur, alius vero quæ dicuntur PLAUSIBUS excipiat.* In Homil. LIV. ejusdem Operis: *Numquid temere & in vanum dicere volumus, ut a vobis LAUDUM fructus recipiamus? & ut PLAUDENTES manibus recedatis? Non hoc spectamus, absit. Sed vestra utilitas, mea maxima LAUS est, & summus PLAUSUS, si quis a vitiis ad virtutem convertatur*, &c. In Concione II. *de Lazaro: Tacete qui hæc auditis, multo majorem vobis habeo gratiam pro silentio, quam pro PLAUSIBUS; propterea quod PLAUSUS quidem ac LAUDES me faciunt gloriosiorem, silentium vero vos reddit compositiores.* In Homil. II. *ad populum Antiochenum: Non est Theatrum Ecclesia, ut ad delectationem audiamus; adjutos hinc recedere oportet, lucratos quidquam amplius & magnum, sic recedere expedit*, &c. *Quæ mihi horum PLAUSUUM utili-* A *tas? quæ LAUDUM & TUMULTUUM? Laus mea est, per opera vos omnia, quæ dicuntur, exhibere*, &c. Et in Homil. XLIII. *Dixisti recte, PLAUSUS que consecutus es? & quid emolumenti? Si enim adjuti quidem sunt PLAUDENTES, & mutati, & meliores effecti, prioribus abstinuere malis, vere gaudendum est, non jam collatis LAUDIBUS, sed bona, mirabilique mutatione; si vero LAUDANTES quidem & TUMULTUANTES perseverant, & PLAUDENTES, nullum autem ex PLAUSIBUS fructum reportant, dolendum magis est, quoniam hæc eis in judicium cedunt & damnationem.* In Homil. III. *de Incomprehensibili Dei natura: Probastis* B *quæ dixi, magno cum TUMULTU & PLAUSU admonitionem recepistis; sed velim curam quoque adhibeatis, ut facto vestra approbatio ostendatur. Jam non multum post tempus periculum faciam obtemperandi; Oratio excipere solet admonitionem. Equidem genus id probandi & commendandi cupio atque postulo; PLAUSUM illum desidero, quem non dicta, sed facta conficiunt.* Hactenus ex Chrysostomo, qui, licet (ut erat austeriore ingenio, constanterque laudis studium omne aspernabatur) id unum ageret, ut *acclamationes* & *plausus* e sacris Concionibus tolleret, *plausibus* nihilominus *compositis*, C *faustisque clamoribus* sæpissime inter Concionandum ab audiente populo fuit & exceptus & interruptus. Proferam nunc locos ex Beato Augustino; qui quamvis esset admirandæ vir sanctitatis, videtur tamen *faustas* Auditorum *acclamationes*, & *plausus* tulisse patientius. In Sermon. XIX. *de Verbis Apostoli: Ecce*, inquit, *Christianus es Ecclesiam frequentas, Verbum Dei audis, de lectione Verbi Dei lætissime commoveris. Tu LAUDAS tractantem, ego quæro facientem.* In Sermone XXVIII. ejusdem libri: *Quasi vero parvus sit fructus sudoris hujus mei, si omnes, qui mihi ACCLAMAVERUNT, clament & contra te, ne falsum jurent adversum te.* D In Sermone V. *de Verbis Domini* in Evang. Matthæi: *Audistis, LAUDASTIS, Deo gratias. Semen accepistis, verba reddidistis. LAUDES istæ vestræ gravant nos potius & in periculum mittunt; toleramus illas, & tremimus inter illas; tamen fratres mei istæ LAUDES vestræ folia sunt arborum, fructus quæritur.* In Homilia XXV. libri quinquaginta Homiliarum: *Quid ergo mihi hodie maxime faciendum, nisi ut commendem vobis periculum meum, & sitis gaudium meum? Periculum autem meum est, si attendam quomodo LAUDETIS, & dissimulem quomodo vivatis. Ille enim novit, sub cujus oculis loquor, imo sub cujus oculis co-* E *gito, non me tantum delectari LAUDIBUS popularibus, quam stimulari & angi, quomodo vivant qui me LAUDANT. LAUDARI autem a male viventibus, nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, non voluptati. LAUDARI autem a bene viventibus, si dicam, nolo, mentiar; si dicam, volo, timeo ne sim inanitatis appetentior, quam soliditatis. Ergo quid dicam? nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne in LAUDE humana periclitor; non plene nolo, ne ingrati sint, quibus prædico.* In Sermone XLV. *de Tempore: Unde vos ACCLAMASTIS, nisi quia omnes agnovistis?* In Expositione *Psalm.* F CXLVII. *Quid de vobis CLAMAVIT? dilectio pacis. Quid ostendit oculis vestris? unde CLAMATIS, si non amatis? Unde amatis, si non videtis? Invisibilis est pax. Quis est oculus, quo visa est, ut amaretur? neque enim ACCLAMARETUR, nisi amaretur.* Hæc Augustinus; ex cujus sane locis illud apparet, quas *laudes*, quas *acclamationes*, & *plausus* a suis deposceret Auditoribus, & quam ob causam toleraret eas inter Concionandum; qua de re non ita multo post dicam uberius. De hac eadem acclamandi, & plaudendi in

A Concionibus sacris consuetudine diserte loquuntus Isidorus Pelusiota, & Hierosolymitanus Hesychius. Sic enim fere legimus in illius epistola CCCLXXXII. libri tertii ad *Dorotheum Clarissimum*, qui ipsius Isidori Orationem recitans, plausibus, & acclamationibus fuerat ab audiente populo exceptus: *Et si, ut abs te scriptum est, Oratio PLAUSUM peperit, ac etiam Orationi PLAUSUS robur comparavit, quippe qui parenti adminiculi loco fuerit. at quoniam sæpe numero usuvenit, ut PLAUSUS orationi quidem robur comparet, verum Oratoris mores inficiat & labefactet, ad supinitatem eum & socordiam tanquam porrecta manu ducens, prudentiam* B *tuam moneo, maxime quidem ut Deo, qui hujusmodi gratiam largitus est, gratiam habeas; quod si etiam LAUDARE vis (negas enim fieri posse, ut Orationi PLAUSUS tandem non rependatur) Orationem quidem arbitratu tuo laudans, ne nimias adversum me laudes contexas, ut ne me supinum atque ignavum reddas*. In Hesychii vero Sermone primo *de laudibus Virginis Mariæ* scriptum est hoc pacto: *Ego charissimi animadvertens vestram animi promptitudinem ad audienda eloquia divina, & intimum amorem erga illorum interpretes, vestro audiendi studio victus excitor ad docendi desiderium congratulatione* C *charitatis vestræ delectatus. Vos enim continenter cum PLAUSU excipitis eos, qui Sermonem habent, perinde ac discipuli multarum rerum enarratores. Vos velut vectores gubernatorem ipsi componitis, vos gubernacula linguæ precibus continetis*, &c. Apollinaris etiam Sidonius fatetur, Fausti se Rejensis Episcopi Prædicationes ad vocis usque defectum *clamore & plausu* fuisse prosequutum, sic inquiens in epistol. III. libri IX. *Licet Prædicationes tuas, nunc repentinas, nunc, cum ratio poposcisset, elucubratas, RAUCUS PLOSOR audierim; tunc præcipue, cum in Lugdunensis Ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus Collegarum sacrosanctorum rogatu exorareris, ut pero*D*rares*. Ac ne quem prætermittam de veteribus Ecclesiæ Patribus, qui *acclamatum*, & *plausum in Concionibus sacris* testetur, producam testes Nazianzenum Gregorium, & Hieronymum. Ac de se ipso ita scribit ille in *Insomnio de Anastasiæ Templo*: *Alii quidem Sermonem nostrum miris LAUDIBUS efferebant, alii silentio atque admiratione defixi tenebantur, alii partim verbis, partim animo solo stridebant, alii denique velut fluctus quidam vento excitati pugnabant*. Et in Carmine de Vita sua: *Populus*, inquit, *mea dicta PLAUSU maximo excepit*. De eodem Gregorio autem hæc narrat Hieronymus in Epist. II. *ad Nepotianum*: *Præceptor* E *quondam meus Gregorius Nazianzenus rogatus a me, ut exponeret, quid sibi vellet in Luca*, cap. VI. *Sabbatum δευτερόπρωτον, eleganter lusit, Docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo ACCLAMANTE cogeris invitus scire, quod nescis; aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis*. Idem Hieronymus faustas sibi Concionanti factas a Vigilantio Acclamationes, plaususque datos, scribens *adversus eundem Vigilantium* in epist. LXXV. memorat, cum dicit: *Recordare quæso illius diei*, ipsum alloquitur Vigilantium Hieronymus, *quando me de resurrectione & veritate corporis prædicante, ex latere subsulta*F*bas, & PLAUDEBAS manu, & applodebas pede, & orthodoxum CONCLAMABAS*, &c. Et in Proœmio libri III. *in epistol. ad Galatas*: *Jam*, inquit, *in Ecclesiis ista quæruntur, omissaque Apostolicorum simplicitate & puritate verborum, quasi ad Athenæum, & ad Auditoria convenitur, ut PLAUSUS circumstantium suscitentur*, &c.

CAP. III.

CLAMORES *interdum excitatos*, VOCESque *emissas ab audiente populo, ut* ASSECUTUM *se, quæ a* CONCIONANTE *dicebantur significaret*.

ERGO acclamatum fauste, compositeque plausum ab Auditoribus ad vim Concionantum & copiam comprobandam gravissimis tum Græcorum, tum Latinorum testimoniis evicimus. Nunc illud aperiamus, *Voces* etiam nonnunquam emissas, excitatosque *clamores* ab audiente populo, ut intelligentia assecutum se testaretur, quæ a Concionante vel dicebantur, vel dicenda erant; atque ita dicentem ipsum præveniebat interdum, interdum comitabatur. In Sermone XIII. *de Verbis Domini* in Evang. Matth. cum proferre cœpisset Augustinus eum Psalmi versiculum, *Pluviam voluntariam segregans Deus*, populus optime tenens verba proxime post pronuncianda, in eorum recitatione dicentem ipsum prævenit: *Attendite*, sic inibi scriptum est, *audite, intelligite, agite. Neque enim agendum est cum firmis alibi, ut sint infirmi, sed agendum est cum infirmis ut sint firmi. Multos autem impedit a firmitate præsumptio firmitatis; nemo enim erit a Deo firmus, nisi qui se a se ipso sentit infirmum. Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditati suæ; Quid PRÆCEDITIS, qui quod DICTURUS SUM NOSTIS? Temperetur velocitas, ut sequatur tarditas. Hoc dixi, & hoc dico, Audite, capite, facite; nemo a Deo sit firmus, nisi qui se a se ipso sentit infirmum. Pluviam ergo voluntariam, sicut Psalmus dicit*, &c. Hoc idem ab Auditoribus factitatum, cum secundum idem Augustinus *de Verbis Apostoli* Sermonem haberet, planissime confirmant ipsius Sermonis verba in hunc modum scripta: *Quid ergo Dominus dicit? Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Sic & Apostolus; Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, Deus enim est, qui operatur in vobis; ergo exultate cum tremore, ne quando irascatur Dominus. Video, quia CLAMANDO PRÆVENITIS; quid enim DICTURUS SUM SCITIS, & CLAMANDO PRÆVENITIS. Et hoc unde habetis, nisi quia docuit, ad quem credendo venistis? Hoc ergo dicit, audite quod nostis; non doceo, sed commemoro prædicando; imo nec doceo, quia nostis; nec commemoro, quia meministis; sed simul dicamus, quod nobiscum tenemus. Hoc Dominus dicit, Apprehendite disciplinam, & exultate*, &c. In Sermone vero LXIII. *de Verbis Domini* in Evangelium Joannis, cum de tribus animæ potentiis, Memoria, Intellectu, & Voluntate altius disputasset Augustinus, metueretque ob disputationis subtilitatem, ne minus intelligerentur, quæ dicebat; audiens populus, ut ea, quamvis tractata subtilius, assecutum se nihilominus testaretur, *MEMORIA*, clamitare cœpit: Sunt hæc ipsa ex eo Sermone Augustini verba: *Hæc sunt tria, quæ me dicturum esse promiseram auribus & mentibus vestris. Tria hæc sunt in te, quæ potes numerare, & non potes separare. Hæc ergo tria, MEMORIAM, INTELLECTUM, & VOLUNTATEM; hæc, inquam, tria animadverte, separatim pronunciari, inseparabiliter operari. Aderit Dominus, & video quod adsit: ex intellectu vestro intelligo, eum adesse. Ex his enim vocibus vestris, quemadmodum intellexeritis adverto: præsumo eum adjuturum, ut omnia intelligatis. Tria promisi separabiliter demonstrari, inseparabiliter operari. Ecce nesciebam, quid esset in animo tuo, demonstrasti mihi dicendo,*

MEMORIA; hoc verbum, sonus iste, vox ista processit ad aures meas ab animo tuo. Hoc enim quod est, MEMORIA, tacite cogitabas, & non dicebas; erat in te, & nondum venerat ad me. Ut autem, quod erat in te, proferretur ad me, dixisti ipsum nomen, id est, MEMORIA. Et non multo post: *Sed ut hoc diceres MEMORIA, & quatuor istas syllabas operareris, unde operatus es? Hoc nomen, quod pertinet ad solam MEMORIAM operata est in te MEMORIA, ut teneres quod dicebas; & INTELLECTUS, ut scires quod tenebas; & VOLUNTAS, ut proferres quod sciebas. Gratias Domino Deo nostro. Adjuvit nos & in vobis & in nobis. Vere dico Charitati vestræ. Hoc discutiendum & insinuandum trepidissime aggressus eram; metuebam enim ne forte lætificarem capacium ingenium, & facerem grave tardioribus tædium. Nunc autem video vos, & attentione audiendi, & celeritate intelligendi, non solum PERCEPISSE DICTUM, sed PRÆVOLASSE DICTURUM. Gratias Domino,* &c. Cognoscitur hoc idem apertissime ex ejusdem Augustini Sermone XLII. *de Sanctis*, in quo ita scriptum videas: *Sed est aliud, quod hic magis recogitem non dissimile intelligere, quod plus pertinet ad me, & ad omnes dispensatores, sed & ad vos Auditores. Qui salutem dicit, nam & antiqui in Epistolis suis sic scribebant,* Ille illi salutem. *salutatio a salute nomen accepit. Quid ergo est,* Neminem in via salutaveritis? *Qui salutant in via, per occasionem salutant. Video, vos cito INTELLEXISSE, nec tamen debeo jam finire, non enim omnes cito intellexistis; vidi in voce intelligentes, plures video silentio requirentes. Sed quia de via loquimur, tanquam in via ambulemus. Veloces tardos expectate, & pariter ambulate.* Denique in Serm. XLV. *de Diversis*, cum dixisset August. duplicia fecisse pallia Ecclesiam viro suo, Audientes assecuti quæ essent ea pallia, voces intelligentiæ testes ediderunt; *Videte ergo*, ait Augustinus, *quemadmodum induti esse debeatis. Pro vestibus nostris etiam opus faciamus, omnes enim apud eam vestiti sunt. Quid viro suo? Quæ servos vestit, viro suo nihil operatur? Duplicia pallia fecit viro suo. Jam ACCLAMATIS. credo quod AGNOSCITIS, quæ sunt duplicia pallia, quæ facit Ecclesia viro suo. Pallia, quæ illi facit, laudes sunt, laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis,* &c. Adjungamus præterea Græci Auctoris testimonium, ut eum morem fuisse communem Græcæ simul & Latinæ Ecclesiæ ostendamus. In Pauli igitur Emeseni Episcopi Homilia *de Christi Incarnatione*, quæ olim coram Alexandrino Cyrillo habita est, & reperitur nunc inter ejusdem Cyrilli Homilias numero septima, cum essent ea verba pronunciata, *Peperit itaque Deipara Maria Emmanuelem*, audiens populus illico, ut se & *assecutum esse*, & credere firmiter, quæ dicebantur, manifestaret, Concionantis cursum interrupit, sic acclamans, *Ecce fides eadem est, Donum Dei Cyrille Orthodoxe; hoc audire cupiebamus; qui non ita loquitur, anathema sit.*

CAP. IV.

Etiam ad ea, quæ MINIME INTELLIGERENT, ACCLAMASSE *aliquando in* CONCIONE *Auditores.*

ATQUE ut minime dubium est, quemadmodum ex Augustino & Paulo Emeseno proxime docuimus, *emissas* interdum *voces* ab audiente populo, ut quæ a *Concionante* dicebantur *assecutum* se declararet; sic & illud certissimum, ad ea etiam, quæ *minime intelligeret*, eundem quandoque *acclamasse*. Exponente certe qui

A dem Augustino Psalmum CXLVII. ad ea acclamavit audiens populus, quæ nec dum potuerat intelligentia assequi. In ea Expositione ita est; *Quomodo exultatis omnes? Nihil dixeram, nihil exposueram; versum pronunciavi, & exclamastis?* Eidem Augustino in Sermone XLVII. *de Diversis* quæstionem duntaxat proponenti, nec dum solventi, Auditores tamen acclamarunt: *Malus est mundus*, ita scriptum est eo loci, *sed bonus a quo factus est mundus. Quomodo potero absolvere & explicare quod dixi? Deus. Quid enim dixi? Quid LAUDASTIS? Ecce Quæstio est, & tamen jam LAUDASTIS.* Beatum quoque Chrysostomum hujusce con-
B suetudinis testem invenimus. *Quomodo namque*, ait in Homilia XXXVIII. *ad Populum Antiochenum, non deridendus auditor, & assentator magis & simulator putabitur? quod bene quidem dixit Doctor, pronuncians; quid vero dixerit demonstrare non sum idoneus hoc assentationis est. Nam Citharœdos quidem audiens, & Tragœdos hoc jure pateretur, utpote qui dictionem similiter proferre nesciant; ubi vero non cantus est ostentatio, neque vocis, sed sententiarum & philosophiæ facultas, cuique dicere & enunciare facillimum est. Quomodo non igitur accusatione dignum est, si quis LAUDANS, CAUSAM
C NEQUEAT DICERE, CUR DICENTEM LAUDARIT?*

CAP. V.

EXCITATOS *quandoque ab audiente populo* CLAMORES, *cum inter* CONCIONANDUM *in earum rerum mentionem incideretur, quas per se* ODIOSAS & DETESTABILES *refugerent, & aversarentur Auditorum mens & aures.*

NEC illud reticendum in presentia, factum aliquando, ut ab Auditorum corona, virtutis & honestatis amantium, cum de re
D per se *odio* digna, & *execratione*, inter *Concionandum* mentio fieret, *clamores*, odii nimirum & execrationis testes, *excitarentur*. In Beati Chrysostomi Homilia V. *in Epistolam ad Titum*, cum Ethnicorum corruptæ quædam depravatæque consuetudines commemorarentur; diceretur que inter cætera, moris illorum fuisse, ut in Virorum conspectu nudæ Virgines luctarentur. hic merito *indignitatem rei aversata* audiens multitudo *magnos edidit clamores*. Atque honestum hoc populi judicium laudibus ornans Vir Sanctissimus ita loquutus est: *Magnas vobis gratias habeo, bonaque precor omnia, quod nec nomen quidem ipsum patienter audire potui-
E stis*, &c. Etiam Tullio Cicerone singularem aliquando exaggerante Marci Antonii insolentiam, quod se POPULI ROMANI PATRONUM ausus esset in statua inscribere; concio, hæc audiens, exarsit ad rei indignitatem, & clamorem sustulit. Tullii verba id exprimentia sunt hæc ex *Philippica* VI. *Quinque & triginta tribus PATRONO POPULI ROMANI. Igitur est PATRONUS L. Antonius? Malam quidem illi pestem. CLAMORI enim vestro assentior. Non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis unquam tantis
F opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se POPULI ROMANI, victoris, dominique omnium gentium, TUTOREM dicere auderet?* &c. L. item Apulejo in *Apologia*, qua se ipse in publico de Magia Judicio defendit, *MAGOS quosdam nominatim* inter dicendum *recensente*, ad eorum NOMINUM *commemorationem*, quasi horrore perculsi Audientes clamare cœperunt ac tumultuari. Rem ipse narrat Apulejus, scribens hoc pacto: *Si quamlibet modicum emolumentum probaveritis, ego ille sim CARINONDAS, vel DAMIGERON, vel MOSES, vel JAN-*

NES vel APOLLONIUS, vel ipse DARDANUS, vel quicunque alius post ZOROASTREM, & HOSTANEM inter Magos celebratus est. Vide quæso Maxime, QUEM TUMULTUM SUSCITARINT, quoniam ego PAUCOS MAGORUM NOMINATIM PERCENSUI? Quid faciam tam rudibus, tam barbaris? Doceam rursum, &c. A

CAP. VI.

EDITOS *nonnumquam in* CONCIONIBUS *Sacris* CLAMORES CONFUSOS *&* NIHIL CERTI DECLARANTES *ab audiente populo, in admirationem ob dicentis eloquentiam traducto. Indicatum, quibus maxime vocibus exprimeretur confusus iste Clamor?* B

HI quidem clamores, quos inter Concionandum solitos emitti diximus ab audiente populo, ut erant distincti interdum, certique aliquid declarantes, quemadmodum & dictum est a nobis, & distinctius adhuc dicetur non multo post, sic confusi etiam fuere nonnunquam, ac nihil plane significantes. Traducti siquidem in admirationem Auditores ob divinos Concionum sonos, *vocem* aliquando, *admirationis* duntaxat *indicem*, & *clamores certi nihil significantes*, edebant. Id quod etiam factitatum aliquando in ipsis Ethnicorum Recitationibus, ac Declamationibus, memini me supra indicasse. Beatus Gregorius Nazianzenus in *Insomnio de Anastasiæ Templo*, plures in Concionibus sacris acclamandi modos referens, hujus etiam haud obscure meminit, sic inquiens: *Atque alii quidem Sermonem nostrum miris laudibus efferebant, alii silentio atque ADMIRATIONE DEFIXI tenebantur, alii partim VERBIS, partim animo solo STRIDEBANT, alii denique velut fluctus quidam vento excitati pugnabant*. Beatus quoque Chrysostomus confusum hunc Auditorum clamorem, vocemque nihil certi declarantem non semel commemorat, & reprehendit in prima *de Verbis Isaiæ* Homilia, ita scribens: *Verum tu ista non cogitas, quoniam ea, quæ in Theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt; & ideo, quæ illic geruntur, in Ecclesiæ Ritus inducis; ideo CLAMORIBUS NIHIL CERTI SIGNIFICANTIBUS animum incompositum evulgas*. Et paulo post: *Cur se extendunt manus ad supplicandum, quæ semper ad sublime jactantur, & indecore circumaguntur, quæque vehementi clamore, violentoque impulsu STREPITUM habent NIHIL CERTI DECLARANTEM? An non ista quidem partim sunt mulierum in triviis meretriciam artem exercentium? partim vero eorum, qui in Theatris vociferantur, sunt exempla?* Et aliquanto infra: *Verum neque nos talem jubilationem prohibemus, sed vocem prohibemus NIHIL SIGNIFICANTEM. Neque prohibemus vocem laudis, sed vocem ABSURDITATIS, & INCONDITAM*, &c.

Quærat hic aliquis forsitan, qualis esset confusus iste clamor, & quo maxime vocis sono editus. Equidem crediderim, fuisse illum hisce potissimum vocibus, a, a, admirationis scilicet indicibus, expressum. Ut autem ita credam, facit vetus Euripidis Scholiastes, hæc *ad Orestem* habens, *Cum quis MIRABILE quidpiam audierit, vel adspexerit, nihil aliud exclamat quam, a, a.*

CAP. VII.

CONTINUIS *ac* CONTENTIS *Audientium* CLAMORIBUS *fuisse ipsum quandoque* CONCIONIS CURSUM INTERRUPTUM.

HOSCE porro, sive confusos, sive distinctos Clamores reperio fuisse quandoque *indesinenter* adeo, atque ita *contente* emissos, ut *Concionis cursum* cogerentur *interrumpere* Concionantes, ipsamque *Concionem dimidiatam relinquere*. Proclo certe quidem, Constantinopolitano Episcopo, in anniversaria Transitus S. Joannis Chrysostomi die, Panegyricam ex more ad populum Orationem habente, *fausti Audientium* CLAMORES TAM MAGNI, TAMQUE CONTINUI fuere, ut INCHOATA CONCIO PERFICI *nullo modo potuerit*. Rem totam, & habitam insuper ipsiusmet Concionis partem, Illustrissimus Cardinalis Baronius, veterum scriptorum indagator sagacissimus, & felicissimus repertor, ex antiquo Vaticanæ Lectionario desumptam in suos transtulit Annales ad annos Christi CCCCXXXVIII. C Idem Baronius ad annos DXLIV. ex veteri ejusdem Vaticanæ Codice testificatur, Aratorem, S. R. Ecclesiæ Subdiaconum, nobile Carmen de Apostolorum Actis, Vigilio Papæ solemniter oblatum, in Ecclesia S. Petri ad Vincula publice recitantem, TANTIS, TAMQUE REPETITIS fuisse ab audiente populo ACCLAMATIONIBUS EXCEPTUM, ut Recitatio ipsa vix potuerit ad primi libri medietatem CONTINUARI. Etiam Cestii *Declamatio* in Milonem, ut est apud Senecam Patrem in Procemio libri III. *Controversiarum*, ipsius Senecæ *Clamoribus interrupta fuit*. Passieni item Paulli *inchoatam Recitationem* jocosa Jaboleni Prisci *Acclamatione haud absolvi* potuisse, scriptum D reliquit C. Plinius in libri VI. Epistola XV. Cujus, sicut & Senecæ, testimonium alibi producimus, cum scilicet jocosas in lib. VII. excutiemus Acclamationes.

CAP. VIII.

Quæ solerent olim ad CONCIONANTUM *laudem fieri ab Auditoribus Acclamationes?* SACERDOTIO DIGNUM, *ac* TERTIUM DECIMUM APOSTOLUM *quandoque appellatum ab acclamante populo* CONCIONANTEM, *aliquando etiam* ORTHODOXUM. E

IN Sacris utique Concionibus, quemadmodum ἄσημος ille, confusus, certique nihil significans Clamor, a paucis, ut puto, & raro edebatur, sic distinctas, certisque verbis conceptas Acclamationes, sæpe, & a pluribus, atque adeo ab omni audiente multitudine fieri solitas crediderim. Omissis autem nunc iis Acclamationibus, quas Scholis, Foro, & Ecclesiæ diximus fuisse communes, veluti, SOPHOS, DIVINITUS, NON POTEST MELIUS, PRÆCLARE, MIRABILITER, ACRITER, INGENIOSE, F FLORIDE, & similibus, placet illarum duntaxat formulas aliquot commemorare, quæ Christianorum maxime propriæ erant. Ac Chrysostomum quidem publice Concionantem audiens populus inter acclamandum SACERDOTIO DIGNUM, ac TERTIUM DECIMUM APOSTOLUM, non semel appellavit. Nobis hoc Georgius Alexandrinus narrat de Chrysostomo in *ejus Vita*, cum ait ex Godefridi Tilmanni interpretatione: *Demirabantur omnes sapientiam mirifico ac liberali Dei*

dono

dono illi, Chrysostomo, *infusam; quodque tanta facilitate dissolveret Auditoribus, quæ in Divinis Scripturis occurrebant perquam difficilia interpretatu, & vix cuiquam perceptibilia. Quare ipsius conciones excipiebant plausu*, &c. *inclamantes*, *REVERA DIGNUS TU TANTO HOC SACERDOTIO, & qui in CENSU APOSTOLORUM TERTIUS SIS AC DECIMUS*. ORTHODOXUM etiam quandoque appellatum ab Auditoribus CONCIONATOREM, testis est certissimus Beatus Hieronymus in epist. LXXV. in ea enim Vigilantium alloquens: *Recordare quæso*, inquit, *illius diei, quando, me de Resurrectione, & veritate corporis prædicante, ex latere subsultabas*, &c. & *ORTHODOXUM CONCLAMABAS*. Alexandrinus item Cyrillus, cum præsens adesset aliquando in Emeseni Pauli Concione, atque illud idem tunc de Genitrice Dei Maria proferretur a Paulo, quod mox antea Concionans Cyrillus pronunciaverat, audiens populus, fausto clamore dicentem Paulum interrumpens, Cyrillum ipsum ORTHODOXI nomine appellavit. *Ecce fides eadem*, ita est in Pauli Homilia, quæ inter Cyrilli Homilias numero septima est, *donum Dei*, *Cyrille ORTHODOXE; hoc audire cupiebamus; qui non ita loquitur, anathema sit*.

CAP. IX.

Præter Aclamationes faustas alia multa identidem factitasse audientem olim populum ad Concionantum honorem. SUBSULTASSE, MOVISSE MANUS, PEDES AGITASSE, CIRCUMEGISSE CORPUS, CONCUSSISSE PLUMAS, ARMA TETIGISSE, JACTASSE *etiam* ORARIA, *seu* FASCIOLAS.

Idem porro illi, quos mox ante nominavi, Hieronymus, & Alexandrinus Georgius, apertissime nobis expressere ea omnia, quæ præter faustas Acclamationes consuevit olim audiens populus ad Concionantum favorem identidem factitare. Siquidem adfirmant, in Concionibus Sacris & *Subsultatum* interdum ab Auditoribus, & *motas manus*, & *pedes agitatos*, & *circumactum corpus*, & *concussas plumas*, & *arma tacta*, & *jactata* item *oraria*, seu *fasciolas*. Hieronymi verba sunt hæc ex epistola, quam protuli, LXXV. *ad Vigilantium: Recordare illius diei, quo, me de resurrectione & veritate corporis prædicante, ex latere SUBSULTABAS, PLAUDEBAS MANU, & APPLODEBAS PEDE*. Alexandrini autem Georgii ista in *Chrysostomi Vita*: *Demirabantur omnes sapientiam munifico ac liberali Dei dono illi infusam*, &c. *Quare ipsius Conciones excipiebant plausu, ipsum ferientes aerem. illi quidem JACTANDO PRÆMOLLIA AMICULA, alii autem CUTZULON PENNULAS QUATIENDO* (avium plumas intelligit) *alii vero TANGENDO GLADIOLOS aut SICAS, alii item FASCIOLAS*, &c. Idem Hieronymus *ad Caput* v. *Epist. ad Ephesios*, dum scribit, Conciones sacras *tripudio* exceptas interdum interdum *in Theatrale miraculum*, placuisse, significat utique, & *terram pedibus pulsatam* ab audiente populo (tale enim est *tripudii* Etymon) & *ea pene omnia in Concionibus sacris factitata, quæ in Theatris ad ludentium honorem* fieri consueverunt. *Scio*, inquit Hieronymus, *me audisse quendam in Ecclesia disputantem, qui in THEATRALE MIRACULUM nunquam ante visam formam exhibuit, ut placeret*, &c. Et mox: *Certe tunc in populo dicta placuerunt, & quodam plausu ac TRIPUDIO sunt excepta*. Beatus item Chrysostomus in Homilia

A prima *de Verbis Isaiæ* gravissime conqueritur, universos pene Theatri mores in sacram Concionem invectos; emissas nimirum voces incompositas, *manus in aerem* temere *sublatas*, *pulsatam pedibus terram*, totumque *corpus* indecore *circumactum*. In eo Chrysostomi loco ita est: *Sunt quidam inter hos, qui hic adsunt, quos ne vestræ quidem Charitati arbitror esse ignotos, qui contemnentes Deum, ac Spiritus eloquia pro vulgaribus ac prophanis ducentes, incompositas voces emittunt, nihiloque melius se gerunt, his, quos habet insania, toto CORPORE TUMULTUANTES, ac CIRCUMACTI; moresque præseferentes a spirituali statione alienos.* B *Miser & infelix, oportebat te cum timore ac reverentia angelicam Glorificationem resonare, cumque terrore confessionem reddere conditori, ac per hanc delictorum veniam postulare. Tu vero mimorum & saltatorum mores huc inducis, dum indecenter MANUS JACTAS, PEDIBUS SUBSULTAS, totoque CIRCUMAGERIS CORPORE. Et qui fit, ut non metuas, neque horrescas hæc audiens adversus talia eloquia?* Et paulo post: *Verum tu ista non cogitas, quoniam ea, quæ in Theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt; & ideo quæ illic geruntur in Ecclesiæ ritus inducis: ideo clamoribus nihil certi significantibus animum incomposi-* C *tum evulgas. Quomodo ergo veniam postulabis tuorum delictorum? quomodo in domum tuam recipies Dominum? Cur se extendunt manus ad supplicandum, quæ semper ad sublime JACTANTUR, & indecore CIRCUMAGUNTUR: quæque vehementi clamore, violentoque impulsu strepitum habent nihil certi declarantem? an non ista quidem partim sunt mulierum in triviis meretriciam artem exercentium? partim vero eorum, qui in Theatris vociferantur, exempla?* Et aliquanto infra: *Verum neque nos talem jubilationem prohibemus, sed vocem prohibemus nihil significantem. Neque prohibemus vocem laudis,* D *sed vocem absurditatis & inconditam, ac mutuas inter vos contentiones; MANUS incassum temereque SUBLATAS in aerem, PEDES SUPPLODENTES, indecoros effœminatosque cantus, qui sunt eorum, qui in Theatris & Hippodromiis ociantur, lusus. Illinc nobis perniciosa invehuntur exempla, illinc irreligiosæ vulgaresque voces, illinc MANUUM ABSURDITATES, contentiones, concertationes, moresque incompositi. Nulla res enim æque eloquia Dei adducit in contemptum, atque spectaculorum, quæ illic propununtur, admiratio*, &c. CONCUSSA porro fuisse in sacra Concione ORARIA, FASCIASque JACTA- E TAS a favente populo, (id quod in Theatris passim factitatum loco docuimus) præterquam quod satis indicat allatus proxime superius Alexandrini Georgii in *Vita Chrysostomi* locus, fidem faciunt, quæ de Samosateno Paulo tradidit Cæsariensis Eusebius, & ex eo Callisti filius Nicephorus. Paulus enim, ut erat homo vanissimus, & superbissimus religionis contemptor, publice Concionans irascebatur, atque injuriam sibi fieri putabat, nisi fauste acclamasset ac plausisset audiens populus, *orariaque* ad favorem Theatrali more *concussisset*. Eusebii verba ex Ruffini inter- F pretatione in *Historia Ecclesiastica* lib. VII. cap. XXVI. ea fuisse: *Verbum faciens ad plebem Plausus jactare supra modum dextram, ac palmam femori illidere; pede quoque subsultare, ac scabellum ferire cum sonitu. Ab auditoribus vero non favorem, neque plausum sperare solum, sed theatrali more ORARIA MOVERI sibi expectabat, & vocem tanquam de caveis dari. Hæc non solum a viris, sed etiam a mulieribus indecenter expectabantur. Si quis vero Auditorum honestius ac verecundius agens a clamore*

A *nimio temperasset, velut injuriam faciens patiebatur injuriam*. Hæc eadem ab Eusebio accepta tradidit nobis Nicephorus in *Hist. Ecclesiastica* lib. VI. cap. XXX. hoc pacto: *Subinde femur manu pulsans, & suggestum pedibus quatiens; quod si qui hæc non laudarent, &, quod in theatris fieri solet, FASCIARUM TENUIUM JACTATIONE & CONCUSSIONE non applauderent, quive non acclamarent; atque itidem, ut qui circa ipsum stabant factionis ejus non exilirent, ab eis sibi injuriam fieri putabat; sic enim Viri & Mulieres Concionantem indecore admodum audiebant*. B Ac certe mirum, nisi ad hanc eandem Pauli superbiam referenda sint, quæ in Homilia XXXVIII. *ad Populum Antiochenum* sic scripta reliquit Chrysostomus: *Multi multa faciunt, ut in medio constituti longam extendant Orationem; & si plausus quidem a multitudine consequantur, hoc eis regno simile factum est; si vero cum silentio Sermonem finierint, silentii tristitia fit illis gehenna molestior*. Hucusque Chrysostomus, qui, si de Paulo Samosateno nequaquam intellexit, significavit saltem, fuisse aliquos suis etiam temporibus Pauli æmulos & sectatores, qui præter Acclamationes hæc item *Favoris signa* e Theatris petita ab Auditoribus inter Concionandum C expeterent sibi, atque suo quodam jure deposcerent. Adducta autem Eusebii, & Nicephori verba illud etiam apertissime declarant, quod in libri primi cap. XIII. docuimus, Virorum scilicet fuisse proprium, forte non item Fœminarum, plausus & clamores Concionanti dare; siquidem vitio vertitur Samosateno Paulo, quod ab ipsis etiam mulieribus acclamationes & plausus expectaret.

CAPUT X.

Sanctorum Patrum judicio REPUDIATOS *in Concionibus Sacris* PLAUSUS, FAVORISque SIGNA DAMNATA.

D UBI vero tandem eo provecta est Acclamantium, & Plaudentium in Concionibus Sacris licentia, ut perruptis, quemadmodum videmus, pietatis, modestiæque repagulis, jam essent insani pene omnes Spectantium in Theatro mores ac gestus in Ecclesiam invecti, tum vero cœperunt Antistites pii graviter in Audientes invehi, eorumque arguere insolentiam; atque adeo de *tollendis* omnino *e Concione Sacra Plausibus, Favorisque signis* serio cogitarunt. In Beati Chrysostomi E (qui quidem solus, ut supra monui, sexcentis locis id unum agere ac moliri visus est, ut Plausus, & Acclamationes de Sacris Concionibus tolleret) Homil. XXX. *ad Apostolorum Acta*, in hanc rem ita scriptum videas: *Sæpius quidem cogitavi LEGEM PONERE, quæ hujusmodi PLAUSUS PROHIBERET, & suaderet, ut cum silentio audiretis. Sed sustinete, oro, & credite mihi; & si placet, hanc nunc LEGEM FIRMABIMUS, NE quis AUDITOR PLAUDAT, quamdiu nos loquimur; ac si voluerit admirari, admiretur silens, nemo est qui prohibeat. omne autem studium & alacritas in id collocetur, ut, quæ dicuntur, accipiantur*. F *Quare applausistis? de hoc LEGEM PONO, vos autem nec audire potestis*, &c. Iterat hæc eadem iisdem pene verbis Chrysostomus in Homilia XXXVIII. *ad Populum Antiochenum*. In Homilia etiam XXXI. *ad eadem Apostolorum Acta*: *Sæpe*, inquit, *cum animo meo cogitavi LEGEM PONERE PLAUSUS PROHIBENTEM, & suadentem, ut cum silentio, & decore, prout par est, audiatis*, &c. Et illas certe (quod & in primo hujus Libri capite dixi) inconditas voces, manuum ineptas gesticulationes, contentiones, concertationes, ac mores incompositos, quæ erant imitamenta Circensium, non operosum fuit e sacrario pietatis ejicere, deque sacris tollere Concionibus; cætera tamen (ut post dicemus) hæsere diu, & nonnisi ipso temporis tractu sublata sunt. Quæramus nunc, cur prohibitos & damnatos hujusmodi Plausus, & Acclamationes, tolerarint nihilominus Sancti Patres in Concionibus sacris.

CAP. XI.

Cur in CONCIONE SACRA TOLERARINT *SS. Patres* ACCLAMATIONES, *&* PLAUSUS? *Affertur una ejus rei causa. In Ethnicorum Templis ad Deorum, ac Principum honorem, acclamatum olim, & plausum.*

DAmnatæ sunt igitur Sanctorum Patrum judicio, ac repudiatæ in Concionibus Sacris Acclamationes. Sed cur hæserunt tamen illæ diu in Ecclesia? & unde factum, ut eas nihilominus tolerarint iidem Patres?

Extant sane plures ejus rei causæ: nunc illam placet explicare. Etenim Sancti Patres (quippe qui studium omne in eo maxime collocabant, non modo ut Ethnicos ab Idolorum superstitione revocarent, sed ut prophanos etiam eorundem ritus ac mores ad Christianæ Religionis cultum consecrarent) videntes in ipsis Gentilium Templis ad inanes Deos, aut Principes cohonestandos, faustas nonnunquam emitti a populo Acclamationes, arbitrati sunt, haud dedecere, si quæ usurparentur in Gentilium delubris acclamationes, eas, aut earum similes, tolerarent ipsi ac permitterent in Sacris Ecclesiæ Concionibus. Quam quidem rationem firmissimo niti fundamento affirmare ausim cum Viro longe eruditissimo, Ludovico Cresollio in suo *Veterum Sophistarum Theatro*. Quod autem dictum est, in ipsis Gentilium Templis factas interdum Acclamationes, Plaususque datos, id e Luciano didicimus; apud quem, in eo Dialogo, qui, *Bis accusatus*, inscribitur, Pan loquitur hoc pacto: *Bis aut ter quotannis ascendentes SACRIFICANT mihi, deinde epulantur carnes illas, me lætitiæ ejus velut testem adhibentes, ac tenui quodam HONORANTES APPLAUSU*. Heliodorus quoque in *Æthiopicis*, sacrificium Isidi a Calasiride factum describens, plausus etiam in templo dati mentionem facit: *Cum facibus accensis*, inquit in lib. VII. *deducebatur in TEMPLUM Isidis senex, PLAUSU, & gratulationibus stipatus, multis simul fistulis, & tibiis sacris resonantibus, & ad tripudia ferventem & vegetam ætatem exsuscitantibus*. Imperator item Julianus de se ipso in hanc rem sic ait: *Acciperis cum PLAUSU, & CLAMORE magnifice in TEMPLIS, ut in Theatris*. Curopalates tandem de hoc eodem more in Libro *de Officialibus Palatii Constantinopol. & Officiis magnæ Ecclesiæ*: *Repente*, ait, *sublatis velaribus, ACCLAMATIONIBUS faustis excipiuntur Reges ab iis omnibus, qui sunt in CATECHUMENIS*. Plura ibidem Cresollius. Omnia hæc igitur, fuisse in Gentilium Templis fauste interdum acclamatum, & plausum, satis fidem faciunt. atque ut morem hunc sacrarent Patres, non alienas omnino ab Ecclesia putarunt Acclamationes, easque in Concionibus Sacris haud inviti quandoque tolerabant.

CAP. XII.

Causæ aliæ adducuntur, propter quas a Patribus tolerarentur olim Acclamationes in Concionibus Sacris. Usque ad Bernardi tempora perdurasse acclamandi morem inter Concionandum.

ERANT & aliæ hujus rei causæ; sed unam tamen omnes respiciebant Audientium utilitatem. Permittebantur siquidem nonnunquam Plausus in Concionibus Sacris, Acclamationesque tolerabantur; Vel quod eo modo attenti magis redderentur Auditores. (qui enim poterant apte acclamare, plaudereque composite, nisi attente, quæ dicerentur, audirent?) Vel quod liberius possent reprehendi & exagitari, qui non ea præstarent, quæ clamore & plausu comprobassent. Vel demum, quod essent Plausus, & Acclamationes, grati animi indices: Auditores enim, quæ audiebant, laudantes & approbantes, gratos se omnino erga Concionantem ostendebant. Hasce causas omnes scribendo Sancti Patres vel subobscure significarunt, vel expresserunt aperte. Beatus Augustinus Sermone v. *de Verbis Domini* in Evangel. Matthæi: *Audistis*, inquit, *laudastis*, *Deo gratias*. *Semen accepistis*, *verba reddidistis*. *Laudes istæ vestræ gravant nos potius*, *& in periculum mittunt*; *TOLERAMUS illas*, *& tremimus inter illas*, *tamen fratres mei istæ laudes vestræ folia sunt arborum*, *FRUCTUS quæritur*. Beatus item Chrysostom. Homilia IV. *in Genesim*: *Videbam*, ait, *vos omnes avidos doctrinæ ab ore meo pendentes*, *& omnia facientes*, *ne quid vos dictorum præteriret*. *præterea CONTINUI PLAUSUS maxime testabantur*, *quod DICTA MAGNA VOLUPTATE SUSCEPERITIS*. Et in Homilia II. *ad cap.* I. *Joannis*: *Hic concursus frequens*, *ac diligens attentio*, *impulsioque*, *& preparatio*, *ut ea vobis loca occupentur*, *unde clarius exaudiamur*. *nec non vestra in tanta angustia perseverantia*, *quousque spirituale hoc dimittatur Spectaculum*, *ad hæc PLAUSUS*, *TUMULTUS*, *& alia hujusmodi*, *maximum ANIMI*, *& FERVORIS vestri*, *sunt ARGUMENTUM*. Grati utique animi indices fuisse Plausus, & Acclamationes, discimus ex Gregorio Nazianzeno, apud quem in Orat. IV. quæ est II. *adversus Julianum*, ita scriptum videas: *Hymnos pro tympanis assumamus*, *psalmodiam pro fœdis modulationibus & cantibus*, *PLAUSUM GRATI ANIMI INDICEM*, *& canoram manuum actionem pro theatricis plausibus*, *mœstitiam pro risu*, *prudentem rationem pro ebrietate*, &c. Quam eandem rationem haud obscure significavit Beatus etiam Augustinus in Homil. XXV. libri L. *Homiliarum*, sic scribens: *Quid ergo mihi hodie maxime faciendum*, *nisi ut commendem vobis periculum meum*, *& sitis gaudium meum*? *Periculum autem meum est*, *si attendam*, *quomodo laudetis*, *& dissimulem*, *quomodo vivatis*. *Ille novit enim*, *sub cujus oculis loquor*, *imo sub cujus oculis cogito*, *non me tantum delectari laudibus popularibus*, *quam stimulari & angi*, *quomodo vivant*, *qui me laudant*. *Laudari autem a male viventibus nolo*, *abhorreo*, *detestor*, *dolori mihi est*, *non voluptati*. *Laudari autem a bene viventibus*, *si dicam nolo*, *mentiar*; *si dicam volo*, *timeo*, *ne sim inanitatis appetentior*, *quam soliditatis*. *Ergo quid dicam? nec plene volo*, *nec plene nolo*. *Non plene volo*, *ne in laude humana pericliter*: *non plene nolo*, *ne INGRATI SINT*, *quibus prædico*. Hactenus Augustini verba, quæ quidem postrema apertissime declarant, ob eam quoque causam TOLERATOS olim a Sanctis Patribus PLAUSUS in Concionibus Sacris, quod essent ii GRATI omnino ANIMI INDICES. Atque ita videmus, Patres omnes ad Audientium utilitatem, quemadmodum paulo ante monuimus, Acclamationes, & Plausus semper retulisse.

Id unum libet hic extremæ clausulæ loco adscribere, ACCLAMANDI CONSUETUDINEM in Concionibus Sacris, quamvis hodie sublatam penitus ab Ecclesia, USQUE tamen AD IPSA BERNARDI TEMPORA PERDURASSE. id quod ex nonnullis ejus Homiliis facile quivis unus animadverterit. Jam SYNODICAS persequamur Acclamationes.

CAP. XIII.

Quandonam potissimum fuerit olim in SYNODICIS CONVENTIBUS *acclamatum*?

ECclesiasticas diximus eas hic esse nobis intelligendas Acclamationes, quæ fieri olim solerent vel inter Concionandum, vel dum Synodici haberentur conventus. Atque hactenus quidem cum exposuerimus emissas in Concionibus Sacris Acclamationes, ad SYNODICAS jam tandem ut abeamus, res ipsa admonet. De quibus sane illud primo loco indicaverim, Fuisse nunc potissimum in Synodis acclamatum, cum vel res, quæ in consultationem veniebat, approbanda erat, aut damnanda, vel Synodus ipsa terminanda, ac dimittenda. Quemadmodum enim in Senatu, ut docuimus, Acclamationibus & communis Conscriptorum Patrum consensus exprimebatur, & ipsa non raro concludebantur Senatusconsulta, sic in Cœtibus Synodicis consuevere Patres Acclamationibus & communem omnium consensum significare, & Synodis ipsis prope absolutis quasi fastigium imponere. Quæ duo ita certa sunt, ita manifesta, ut de iis jure nemo, nisi in Conciliorum lectione plane sit hospes, dubitare queat. Illud obscurius est, nec satis adhuc animadversum, Quibusnam verborum formulis conciperentur emitti solitæ vel in communi Patrum consensu, vel in Conciliorum conclusione ac dimissione Acclamationes. Hoc igitur excutiamus prius; deinceps reliqua persequemur.

CAP. XIV.

In Cœtibus Synodicis COMMUNEM PATRUM OMNIUM CONSENSUM *fuisse* ACCLAMATIONIBUS *sæpe* EXPRESSUM. *Earum* FORMULAS *his aut similibus verbis concipi solitas*; OMNES; PLACENT OMNIA; DIGNUM EST, JUSTUM EST; FIAT, FIAT.

IN Synodicis itaque Conventibus, cum erant de re, quæ in consultationem venisset, suffragia conquirenda, consuevere Patres ea ferre, communemque omnium exprimere consensum, *pedibus euntes in sententiam* interdum, interdum *manus porrigentes*; sæpius tamen ACCLAMANTES. Primi moris exemplum peti potest ex Concilii Chalcedonensis Actione I. in qua ita est: *Exurgens Reverendiss. Episcopus Juvenalis simul cum ipsis* (Palæstinis Episcopis) *TRANSIIT IN ALTERAM PARTEM*. Et de Petro Corinthiorum Episcopo dicitur ibidem: *Exurgens & ipse TRANSIIT IN ALTERAM PARTEM*. Et inferius de Episcopis Helladis, *Hæc eadem & nos super his*, *quæ lecta sunt*, *docemus*. *Et omnes IN ALTERAM PARTEM TRANSIERUNT*. De MANU PORRECTA eandem in rem sic legimus in recitata

prima Chalcedonensis Concilii Actione: *Dioscorus Episcopus Alexandriæ dixit, Quoniam VOCES vestras necessarias habeo, & MANUS, si quis non potest CLAMARE, MANUM EXTENDAT.* Qui postremus locus illud etiam apertissime declarat, (de quo tamen, ut dictum est, sanæ mentis nemo dubitare potest) Acclamantium item vocibus communem Patrum omnium consensum exprimi quandoque solitum. Atque harum quidem Acclamationum formulas istis, aut similibus verbis fuisse conceptas observo; OMNES; PLACENT OMNIA; DIGNUM EST, JUSTUM EST, FIAT, FIAT. Quæ singula Conciliorum locis, quasi testibus, ordine confirmabo.

In Concilio igitur Ephesino, Oecumenico III. Parte II. Actione I. ex editione ultima Græco-Latina, Patres omnes Capræoli Episcopi, & cæterorum Africanorum sententiam una voce & mente approbantes, ita acclamarunt: *Hæ OMNIUM voces. Hæc OMNES asserimus. Hoc OMNIUM est votum.* In Chalcedonensis etiam Concilii Actione I. ad eundem consensum exprimendum sic a Patribus acclamatum legimus. *OMNES sic credimus. OMNES sic sapimus.* Et mox: *Et Imperator, & Senatus, & OMNES sic sapiunt.* Et inferius aliquanto: *Imperator sic sapit, Augusta sic sapit, OMNES sic sapimus.* Et illico: *UNIVERSI sic credimus. UNIVERSI sic sapimus.* Et in ejusdem Chalcedonensis Concilii Actione II. lecta Concilii Nicæni Fidei expositione, ut ei se omnes consentire, ac credere testarentur, ita acclamarunt Patres *Hæc Catholicorum fides. Huic OMNES credimus OMNES ita credimus.* Et lecto Symbolo Constantinopolitanæ Synodi, ad eundem consensum exprimendum, *Hæc OMNIUM fides. Hæc Orthodoxorum fides. OMNES sic credimus.* Et lecta Cyrilli Epistola: *OMNES sic credimus. OMNES sic credimus. Sicut Cyrillus, ita credimus. Sicut Epistola Cyrilli habent, ita sapimus. Sic credimus, sic credimus.* Et lecta Epistola Leonis I. Papæ. *Hæc Patrum fides. Hæc Apostolorum fides. OMNES ita credimus. Orthodoxi ita credimus.* Et lecta Concilii Diffinitione: *Huic OMNES consentimus. OMNES ita sapimus.* Et sub finem Actionis V. ad Martiani Imperatoris interrogationem, An lecta Diffinitio Concilii Chalcedonensis esset juxta Sanctorum Episcoporum consensionem & prolationem: *OMNES sic credimus. Una fides, una voluntas. OMNES id ipsum sapimus. OMNES consentientes subscripsimus: OMNES orthodoxi sumus.* In Concilio V. Oecumenico, Constantinopol. II. sub Collationis VI. finem, Patres omnes uno consensu Nestorium anathemate ferientes, communem hunc consensum ea acclamandi formula expressere: *OMNES anathematizamus epistolam & dogmata Nestorii. Hereticum Nestorium OMNES anathematizamus. Communicantes Nestorio OMNES anathematizamus. Impiam fidem Nestorii OMNES anathematizamus. Impium dogma Nestorii OMNES anathematizamus. Impium Nestorium OMNES anathematizamus*, &c. In Concilio Constantinopolit. III. Oecumenico VI. Actione XVIII. cum Imperator Constantinus interrogasset Sanctum & universale Concilium, an cum omnium Episcoporum consensu promulgata esset Definitio, quæ tunc relecta fuerat, Patres, ut se ad eam omnes consentire ostenderent, in hæc verba acclamarunt: *OMNES ita credimus. Una fides. OMNES id ipsum sentimus. OMNES consentientes, & amplectentes subscribimus. Orthodoxe OMNES credimus. Hæc est fides Apostolorum. Hæc est fides Patrum. Hæc est fides Orthodoxorum.* In Concilio demum Nicæno II. Oecumenico VII. Actione VII. a Patribus in unum consentientibus sunt hæc in Iconoclastas acclamata: *OMNES sic credimus. OMNES idem sapimus. OMNES approbantes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum. Hæc est fides Patrum. Hæc est fides Orthodoxorum. Qui secus agunt, anathemate percelluntur.*

Sed &, PLACENT OMNIA, ad comunem Patrum omnium consensum declarandum, acclamata, certissimum est. Etenim cum VI. Romana Synodus sub Symmacho Papa terminanda, ac dimittenda esset, interrogarenturque Patres, an ad omnia in ea actitata ac firmata consentirent, universi, PLACENT OMNIA, voces nimirum communis consensus indices, emiserunt: *Universa Synodus*, sic legitur inibi sub finem, *surgens acclamavit, PLACENT OMNIA. Ut perpetua stabilitate firmentur, rogamus: dictum est octies. Ut hæc intemerata serventur, rogamus: dictum est decies. Ut ista intemerato jure serventur, precamur: dictum est duodecies. Qui hæc sponte violaverit, perpetuo anathemate feriatur, rogamus: dictum est quindecies*, &c.

In Actis autem Ordinationis Eradii, sæpius a nobis adductis, cum pronunciasset Augustinus, velle sibi successorem esse Eradium in Episcopatu, cuperetque scire, quæ esset ea de re circumstantis populi sententia; eundem populum legimus, ut ad idem se consentire, quod pronunciaverat Augustinus, significaret, in hunc modum acclamasse: *FIAT, FIAT: dictum est vicies quinquies. DIGNUM EST, JUSTUM EST: dictum vicies octies. FIAT, FIAT: dictum quaterdecies.* Quam quidem formulam, FIAT, FIAT, eundem in sensum usurpatam videas & in Nicæno II. Concilio, Oecumenico VII. sub Actionis VII. finem, & in extrema Tridentina Synodo.

CAP. VX.

CONCILIA *pene omnia fuisse* ACCLAMANTIUM VOCIBUS TERMINATA, *ac* DIMISSA. *Declaratum, quibus potissimum verbis concipi solerent hujusmodi Acclamantium formulæ?*

Omnia pene Concilia fuisse Acclamantium Patrum vocibus conclusa, ac dimissa, norunt omnes, qui Conciliorum lectionem vel primoribus degustarunt labris. Hoc itaque si coner in præsentia aliquo modo confirmare, frustra sane suscipiatur labor. Utilis erit ea cura, quam conferam ad explicandum, Quæ potissimum essent Acclamationum formulæ in Conciliorum dimissione emitti solitæ? quam rem nemo, quod sciam, hucusque declaravit. Attamen earum nullam prætermittere, commemorare omnes, minime quidem necessarium duco. satis erit ad id, quod spectamus, unam, & item alteram, de quibus verba fiant, ex omni Conciliorum numero seligere. Quas autem produco formulas, petitæ sunt ex Oecumenico Concilio Tridentino altera; altera ex Provinciali VI. Mediolanensi. Tridentinum igitur Concilium his ipsis terminatum fuit, ac dimissum Acclamationibus.

Cardinalis a Lotharingia.

Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro, Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

Responsio Patrum.

Domine Deus. Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos.

Cardinalis.

Beatissimorum summorum Pontificum animabus Pauli III. *& Julii* III. *quorum auctoritate hoc sacrum Generale Concilium inchoatum est, pax a Domino, & æterna gloria, atque felicitas in luce Sanctorum.*

Responsio.

Memoria in benedictione sit.

Cardinalis.

Caroli V. Imperatoris, & Serenissimorum Regum, & qui hoc universale Concilium promoverunt, & protexerunt, memoria in benedictione sit.

Responsio.

Amen, Amen.

Cardinalis.

Sereniss. Imperatori Ferdinando, semper Augusto, Orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, & Principibus nostris, multi anni.

Responsio.

Pium, & Christianum Imperatorem, Domine, conserva. Imperator cælestis terrenos Reges, rectæ fidei conservatores, custodi.

Cardinalis.

Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo præsidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.

Responsio.

Magnæ gratiæ, Dominus retribuat.

Cardinalis.

Reverendissimis Cardinalis, & Illustribus Oratoribus.

Responsio.

Magnas gratias, multos annos.

Cardinalis.

Sanctissimis Episcopis Vita, & felix ad Ecclesias suas reditus.

Responsio.

Præconibus veritatis perpetua memoria, Orthodoxo Senatui multos annos.

Cardinalis.

Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodus. ejus fidem confiteamur, ejus decreta semper servemus.

Responsio.

Semper confiteamur, semper servemus.

Cardinalis.

Omnes ita credimus. Omnes id ipsum sentimus. Omnes consentientes. & amplectentes subscribimus. Hæc est fides B. Petri, & Apostolorum. Hæc est fides Patrum. Hæc est fides Orthodoxorum.

Responsio.

Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus.

Cardinalis.

His decretis inhærentes, digni reddamur misericordiis, & gratia primi, & magni supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul inviolata Domina nostra Sancta Deipara, & omnibus Sanctis.

Responsio.

Fiat, Fiat. Amen, Amen.

Cardinalis.

Anathema cunctis Hæreticis.

Responsio.

Anathema, Anathema.

Atque in istis quidem Acclamationibus conclusum est, ac terminatum Tridentinum Concilium. Emissæ autem in Mediolanen. VI. Provincialis Synodi dimissione his prorsus conceptæ sunt verborum formulis.

Archidiaconus.

Deo Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis, gratia.

Responsio.

Immensa est misericordia tua super nos, Domine, qui secundum multitudinem miserationum tuarum nos Conciliorum Provincialium frequentia consolari jugiter dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum, & in æternum.

Archidiaconus.

*Beatissimo Gregorio Papæ & Domino nostro, Sanctæ Universalis Ecclesiæ Pontifici, cunctarum gen-*A *tium obedientia, & Christiani nominis in omnem terram propagatio.*

Responsio.

Domine Deus, Sanctissimum. Patrem gratia tua custodi; ut eo gubernante, gentes sancto veræ fidei lumine perfusæ, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archidiaconus.

Patriarchis, & Archiepiscopis, & Episcopis omnibus salutaris vigilantia.

Responsio.

Deus pater luminum illustra faciem tuam super servos tuos, accende corda eorum in ædificationem corporis tui.

B

Archidiaconus.

Regi Catholico, & aliis Regibus, Principibusque Christianis perpetua felicitas.

Responsio.

Aeterne Deus, Christianæ Religionis defensoribus optabilem de hostibus Crucis filii tui victoriam dextera potentiæ tuæ semper concede.

Archidiaconus.

Fidelibus Provinciæ nostræ, & populo Christiano universo Pax Christi æterna.

Responsio.

C *Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, & confirma omni virtute gressus ejus, perpetuumque tuæ benedictionis rorem illi infunde.*

Archidiaconus.

Reverendiss. hujus Provinciæ Episcopis ad Ecclesias suas reditus cum spirituali fructu uberrimo.

Responsio.

Deduc nos Domine in viam rectam, & dirige gressus nostros in viam pacis, & ad dandam scientiam salutis plebi tuæ.

Archidiaconus.

Nos, Domine, operarii in messem tuam missi, in omni opere bono ministerium nostrum implentes, Decreta sancta exequentes, digni reddamur misericordia, D *& gratia magni, & supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul beata ejus genitrice Maria, Beato Ambrosio Confessore, atque aliis hujus Provinciæ Patronis, & omnibus Sanctis.*

Responsio.

Amen, Amen.

Tales ergo sunt factæ in Tridentinæ Oecumenicæ Synodi, ac Provincialis VI. Mediolanensis dimissione Acclamationes. Quas quidem formulas omnes de Veteribus Conciliis hinc & illinc expressas fuisse, viderit haud magno negotio quicunque E universas inter se comparabit. Ex iis autem, quæ sunt a nobis productæ, tria nimirum licet in rem nostram colligi, cum omnium pene Acclamationum, ut diximus, communia, tum maxime propria Synodicarum. Primum est, ALTERNIS etiam *factitatas* quandoque *Acclamationes*, si quidem inter acclamandum ut præcinunt semper, in Tridentino quidem Concilio Cardinalis a Lotharingia, Archidiaconus vero in Mediolanensi, sic utrobique succinunt cæteri Patres. Alterum: ACCLAMATIONES, *si faustæ essent, habuisse bona vota* pro iis, quibus fiebant: *execrationes* autem, *si infaustæ.* nam acclamantes Patres quemadmodum F Pontifici Romano, Episcopis, & Catholicis omnibus Principibus, Vitam longam, felixque Imperium a Deo precantur, sic feriunt anathemate Hæreticos. Tertium est, COMMUNEM *acclamantium Patrum consensum fuisse, & voce,* OMNES; *& verbis* item, FIAT, FIAT, *expressum.* Atque hoc quidem postremum paulo ante uberi oratione approbavi. De altero satis dictum est in I. libro cap. XIII. primum vero conabor planius facere non multo post.

CAP. XVI.

CANORAS *omnino fuiſſe, & ad* MUSICOS *pronunciatas* MODOS, SYNODICAS *olim Acclamationes.* ALTERNIS *eas factitatas, quibus* TERMINABANTUR *Synodi, ac* DIMITTEBANTUR.

IN primo hujus Operis libro multa dixi Sacras habere cum Prophanis Acclamationibus communia. atque eorum quidem, in quibus convenirent, attigi nonnulla ibidem, reſervata in hunc locum cæterorum tractatione. Jam igitur, quæ ſuperſunt perſequar. Ac illud primum erit, FACTAS etiam IN SYNODIS ACCLAMATIONES, non inconditos illas fuiſſe clamores, ſed CANORAS, & ad MUSICOS omnino MODOS ACCOMMODATAS VOCES. Illuſtriſſ. Cardinalis Baronius ad ann. Chriſti DXVIII. ut id verum eſſe demonſtraret, produxit Caſſiodori locum, a nobis etiam in lib. I. cap. XVII. allatum, ex epiſt. XXXI. libri I. *Variarum*, in quo de canoris Theatri Clamoribus ita eſt: *Soletis aera ipſa mellifluis implere clamoribus, & uno ſono dicere, quod ipſas quoque belluas delectet audire: profertis voces organo dulciores; & ita ſub quadam harmonia citharæ concavum Theatrum per vos reſonat, ut tonos poſſit quilibet credere potius, quam clamores:* Quo loco producto, appoſite, ni fallor, ſic infert Baronius; *Si ergo Acclamationes in Theatro tales eſſe ſolebant, qualeſnam, quamque modeſtiores, & magis* HARMONICÆ, *eſſe in Eccleſia debuerunt?* Quam quidem Baronii illationem ex eo crediderim poſſe reddi probabiliorem, quod quæ nunc fiunt in Synodis Acclamationes, eæ ad rythmum omnes, muſicumque modum pronunciari conſueverunt. Stultum eſt autem credere, conſuetudinem iſtam hodie primum exortam. nimirum eam primi introduxerunt veteris Eccleſiæ Patres, introductam exceperunt poſteri, & nos exceptam conſtanter adhuc retinemus.

Atque hi quidem canori in Synodis Clamores, licet ſolerent a Patribus omnibus ſimul acclamantibus plerunque emitti, ut poteſt quivis unus in Conciliorum lectione exercitatior parvo labore cognoſcere; qui tamen *edebantur in* ipſa *Synodorum concluſione*, ac *dimiſſione*, ii ALTERNIS omnino FIEBANT. Idque, cum ex Tridentino Concilio ſatis apparet (in quo, ut vidimus, & Cardinalis a Lotharingia præcinens, & ſuccinentes cæteri Patres, ALTERNIS ſemper acclamant) tum ex eo facillime poteſt perſpici, quod Acclamationes, quæ hodie etiam EDUNTUR in CONCILIORUM DIMISSIONE, ALTERNIS omnes FIERI ſolent. credendum ut ſit, hunc quoque morem, quemadmodum de muſico in acclamando concentu paulo ante dicebamus, non heri natum fuiſſe, ſed a Priſcis omnino invectum ad nos, veluti per manus traditum perveniſſe.

CAP. XVII.

SEMIPLENAS *& quaſi* DECURTATAS *fuiſſe interdum* SYNODICAS ACCLAMATIONES; *ita ſcilicet prolatas, ut ad earum ſenſum perficiendum aliquid ſubintelligi oporteret.*

RELIQUA vero, quæ habent Synodicæ cum Prophanis Acclamationibus communia, & quorum pleniorem tractationem in hunc locum diſtulimus, ſunt hæc quatuor potiſſimum, quæ ordine deinceps pluribus aperiemus. Primum eſt, *Non plenas interdum, ac veluti decurtatas fuiſſe Synodicas Acclamationes.* Hoc eſt, ita pronunciatas, ut ad perfectam earum intelligentiam ſubaudiri aliquid oporteret. Alterum, *In Acta Synodica eas relatas.* Tertium, *Adnotatum diligenter in iiſdem Actis, quoties quidque inter acclamandum fuiſſet a Patribus iteratum.* Poſtremum, *Abſentibus etiam quandoque factas in Synodis Acclamationes.*

In Oecumenico igitur Concilio Epheſino ſub XV. capitis initium Romano Pontifici Cœleſtino, ac Cyrillo Epiſcopo, ab omnibus ita acclamatur: *Novo Paulo Cœleſtino. Novo Paulo Cyrillo.* in Concilio item Chalcedonenſi Actione VI. Martiano Imperatori omnes in hunc modum acclamant: *Martiano novo Conſtantino, novo Paulo, novo David. Novo Conſtantino Martiano.* Semiplenæ utique ſunt hujuſmodi Acclamationes, ad quas complendas ea videntur, aut ſimilia verba ſubaudienda, *feliciter*, vel, *fauſta precamur*, aut, *optamus*. In eodem Concilio Chalcedonenſi Actione I. hoc pacto acclamatum videas: *Multos annos Senatui. Multos annos Catholicis.* Et Actione VI. *Martiano novo Conſtantino multos annos. Imperatori multos annos. Auguſtæ Orthodoxæ multos annos.* Et paulo poſt: *Annos David Imperatori. Auguſtæ multos annos.* Et infra aliquanto: *Multos annos Imperatori. Multos annos Auguſtæ, Auguſtæ Orthodoxæ multos annos. Multos annos Imperatori, pio, Chriſtiano, Imperatori multos annos. Multos annos Auguſtæ, piæ, amatrici Chriſti.* Et Actione VIII. *Archiepiſcopo Leoni multos annos.* Quibus omnibus acclamationibus ſubintellige, *Cupimus*, aut, *Precamur*. Rurſus Actione VI. *Pio Domine vitam ei. Pio Domine vitam ei.* Nimirum, *longam*, ſeu, *quietam tribue.* In Concilio Romano II. ſub Gelaſio, & in I. ac V. ſub Symmacho, hæc inter alia acclamantur: *Cujus ſedem, & annos.* hoc eſt, *Tranquille traduci cupimus.* In Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Actione V. ſic acclamatur: *Quatuor Synodos Dyptichis. Leonem Epiſcopum Romanum Dyptichis.* ſcilicet, *Inſcribi volumus.* In Concilio V. Oecumenico Conſtantinopolitano ſub Collationis V. finem: *Multis annis Imperatorem. Orthodoxum Imperatorem multis annis.* Subaudi, *vivere*, aut, *Imperare cupimus.* In Actis Ordinationis Eradii hæc invenimus a populo acclamata: *Te Patrem, te Epiſcopum. Te Patrem, Eradium Epiſcopum.* nimirum, *Optamus.* Ergo hoc primum. ſequitur alterum.

CAP. XVIII.

In Synodis FACTAS ACCLAMATIONES *fuiſſe olim a Notariis* IN ACTA, *ſeu* GESTA SYNODICA, RELATAS.

VETEREM utique Eccleſiam conſueviſſe *factas* in Synodis *Acclamationes in* ACTA, ſeu GESTA SYNODICA per Notarios *referre*, inde apparet, quod in Concilio Romano primo ſub Symmacho Papa ſcriptum eſt in hæc verba; *Symmachus Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ Urbis Romæ dixit;* ACCLAMATIONES VESTRAS, *Synodique judicium*, PRÆSENTIA GESTA SUSCIPIANT. Et ſub ſextæ itidem Romanæ Synodi finem hæc invenias ab eodem Symmacho iterum pronunciata; *Et facto ſilentio Symmachus Epiſcopus Catholicæ Urbis Romæ dixit;* ACCLAMATIONES VESTRAS *Synodique judicium*, PRÆSENTIA GESTA SUSCIPIANT. De re eadem apertiſſime in iis Ordinationis Eradii Actis, quæ alibi diximus inter Auguſtini Epiſtolas poſt Epiſt. CIX. reperiri. *A NOTARIIS ECCLESIÆ, ſicut cernitis, EXCIPIUNTUR QUÆ DICIMUS,*

EXCIPIUNTUR QUÆ DICITIS: & meus sermo, & VESTRÆ ACCLAMATIONES IN TERRAM NON CADUNT. Apertius ut dicam, ECCLESIASTICA NUNC GESTA CONFICIMUS. sic enim hoc esse, quantum ad homines, confirmatum volo, &c.

CAP. XIX.

In ACTIS SYNODICIS ADNOTATUM, QUOTIES *quidque inter acclamandum* REPETITUM *esset a Patribus*.

Ecclesiasticorum porro Notariorum (quod ipsum de prophanis alibi docuimus) diligentiam in colligendis, & in Acta mittendis Acclamationibus Synodicis, tam accuratam fuisse observo, ut id quoque in iis studiose adnotarent, *Quoties quidque inter acclamandum fuisset iteratum*. Siquidem in Concilio Romano sub Hilaro Papa celebrato hæc ab universis Patribus eidem Hilaro acclamata, & repetita adnotantur: *Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est* SEXIES. *Hæc confirmamus, & hæc docemus: dictum est* OCTIES. *Hæc tenenda sunt, hæc servanda sunt: dictum est* QUINQUIES. *Doctrinæ vestræ gratias agimus: dictum est* DECIES. *Ista ut in perpetuum serventur, rogamus: dictum est* QUINDECIES. *Ista per S. Petrum ut in perpetuum serventur, optamus: dictum est* OCTIES. *Hæc præsumptio nunquam fiat: dictum est* DECIES. *Qui hæc violaverit, in se inveniet: dictum est* SEPTIES. Ibidem post lectam primam Episcoporum Tarraconensium Epistolam ab universis Episcopis, & Presbyteris, acclamatum est; *Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est* DECIES. *Hæc præsumptio nunquam fiat: dictum est* SEXIES. *Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt: dictum est* SEXIES. *Per Dominum Petrum rogamus, ut in perpetuum serventur: dictum est* SEXIES. Et post lectionem secundæ eorundem Epistolæ, iterum Episcopi omnes, & Presbyteri sic acclamant: *Ut hæc emendentur, rogamus: dictum est* SEXIES. *Ut hæc resecentur, rogamus: dictum est* SEPTIES. *Ut disciplina servetur, rogamus: dictum est* OCTIES. *Ut antiquitas servetur, rogamus: dictum est* QUINQUIES. *Ut Canones custodiantur, rogamus: dictum est* SEPTIES. *Ut in præsumptionibus vindicetur, rogamus: dictum est* SEPTIES. *Ordinatio Apostolica illibata servetur: dictum est* OCTIES. *Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est* QUINQUIES. *Dignus Papa, dignus Doct r: dictum est* OCTIES. Et paulo post: *Ab universis Episcopis acclamatum est, Sententias fratrum omnes sequimur, omnes confirmamus, & observandas esse decernimus. Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est* SEXIES. *Quæ male admissa sunt, per te corrigantur: dictum est* OCTIES. *Quod non licet, non fiat: dictum est* OCTIES. Et ad finem Romani Concilii II. sub Gelasio Papa: *Omnes Episcopi, & Presbyteri surgentes in Synodo acclamaverunt: Exaudi Christe, Gelasio vita: dictum* QUINDECIES. *Domine Petre, tu illum serva: dictum* DUODECIES. *Cujus sedem, & annos: dictum* SEPTIES. *Vicarium Christi te videmus: dictum* SEXIES. *Cujus sedem, & annos: dictum* SEPTIES TRIGESIES. In Synodo Romana prima sub Symmacho: *Universa Synodus surgens acclamavit; Exaudi Christe, Symmacho vita: dictum est* DECIES. *Hic pax cum Symmacho: dictum est* QUINQUIES. *Cujus sedem, & annos: dictum est* OCTIES. Et infra aliquanto: *Universa Synodus surgens acclamavit; Placent omnia. Exaudi Christe, Symmacho vita: dictum est* TREDECIES. *Ut ista serventur, rogamus: dictum est* DECIES. *Ut nullus aliter ad Episcopatum Romanum deinceps veniat, precamur: dictum est* DECIES. *Ut decreta nostra confirmes, rogamus: dictum est* DE-

A CIES. Et in V. Romana Synodo Symmacho: *Omnes Episcopi, & Presbyteri voce magna clamantes dixerunt; Exaudi Christe, Symmacho Papæ vita: dictum est* OCTIES. *Cujus sedem, & annos: dictum est* DECIES. *Ut fiat, rogamus: dictum est* DUODECIES. Et inferius: *Universa Synodus dixit; Ut fiat, rogamus: dictum est* DECIES. *Ut scandala amputentur, & insidiæ atque detractiones erga Episcopos vitentur, rogamus: dictum est* DUODECIES. Et statim: *Universi in sancta Synodo congregati clamantes dixerunt; Exaudi Christe, Symmacho vita: dictum est* OCTIES. *Hic est pax cum Symmacho: dictum est* OCTIES. *Cujus sedem, & annos: dictum*
B *est* DECIES. *Ut de præsenti fiat: dictum est* DUODECIES. Et in VI. Romana Synodo, item sub Symmacho: *Ab universis Episcopis, & Presbyteris acclamatum est; Exaudi Christe, Symmacho vita: dictum est* SEXIES. *Hæc confirmamus, & hæc docemus: dictum est* OCTIES. *Doctrinæ vestræ gratias agimus ingentes: dictum est* DECIES. *Ista teneantur, & ista observentur, rogamus: dictum est* DUODECIES. Sub finem vero Synodi ejusdem: *Ab universis Episcopis, & Presbyteris acclamatum est; Ut hæc penitus abscindantur, rogamus: dictum est*
C QUINQUIES. *Ut hæc amputentur, precamur: dictum est* SEXIES *Ut res Ecclesiæ, quibus traditæ sunt, intemerato jure serventur, rogamus: dictum est* SEPTIES. *Ut secundum hoc, quod prosequuti estis Synodali conventu, per omnia fiat, unanimiter deprecantes rogamus: dictum est* OCTIES. *Ut in præsumptoribus vindicetur, rogamus: dictum est* DECIES. *Ut disciplina servetur, rogamus: dictum est* UNDECIES. *Quæ male admissa sunt, per vos corrigantur: dictum est* DUODECIES. *Ut illicite facta amputentur, ita ut deinceps non fiant, rogamus: dictum est* TREDECIES. *Ut Apostolica ordinatio illibata servetur: dictum est* QUATUORDECIES. *Dignus Papa; quod non licet, non fiat: dictum est* QUINDECIES. *E-*
D *xaudi Christe, Symmacho vita: dictum est* SEXDECIES. *Ut Canones custodiantur, rogamus: dictum est* QUINDECIES. *Ut ordinatio Apostolica servetur, dignus Papa, dignus Doctor: dictum est* NOVIES DECIES. *Hæc omnes unanimiter confirmamus, & ut unanimiter serventur, rogamus: dictum est* VIGESIES. *Hæc tenenda, hæc servanda sunt: dictum est* VIGESIES. *Per Dominum Petrum, ut perpetuo serventur, rogamus: dictum est* VIGESIES. *Qui hæc violarit, in se juxta prætaxatum modum inveniat: dictum est* VIGESIES. Et non multo post: *Universa Synodus surgens acclamavit; Placent omnia. Ut perpetua stabilitate firmentur, rogamus: dictum est* OC-
E TIES. *Exaudi Christe, Symmacho vita: dictum est* OCTIES. *Ut hæc intemerata serventur: dictum est* DECIES. *Ut ista intemerato jure custodiantur, precamur: dictum est* DUODECIES. *Qui hæc sponte violaverit, perpetuo anathemate feriatur, rogamus: dictum est* QUINDECIES. *Ut decreta nostra confirmes, rogamus: dictum est* DECIES ET OCTIES.

CAP. XX.

In SYNODICIS *Conventibus factas* ABSENTIBUS *etiam quandoque* ACCLAMATIONES.

Accedo nunc ad id, de tribus ante propositis quod restat mihi tertium. *Factas videlicet*
F *absentibus etiam quandoque in Synodis* ACCLAMATIONES. Atque hoc verum esse ex eo satis apparet, quod in omnibus Conciliis, sive Generalibus, & Oecumenicis, sive Nationalibus & Provincialibus, seu Dioecesanis, fauste semper acclamatur & Romano Pontifici, & Catholicis Principibus. neminem autem esse puto, qui nesciat, non eos omnes semper adfuisse præsentes in Synodis. Præterea certum est, iis non raro a Patrum consessu acclamatum, quorum absentium litteræ in Synodis

legebantur. Singillatim vero absenti Cœlestino A Pontifici Romano Ephesina Synodus fauste in hunc modum acclamat: *Novo Paulo Cœlestino, Cœlestino cum Synodo concordi, Cœlestino fidei custodi, universa Synodus gratias agit. Unus Cœlestinus, una fides Synodi, una fides terrarum orbis.* In Synodo Chalcedonensi hæc acclamantur Pontifici Romano Leoni absenti; *Leoni multos annos. Post Deum Leo judicavit*, &c. Pulcheriæ item Augustæ absenti in eodem Concilio sic identidem acclamatur: *Augustæ Orthodoxæ multos annos. Pulcheria nova Helena. Fidem tu ostendisti. Zelum Helenæ tu demonstrasti. Cœlestis Rex Augustam custodi. Per te fides firmata est. Unus Deus, qui hoc fecit: Rex cœlestis* B *Augustam custodi. Augustæ Orthodoxæ multos annos, piæ, & amatrici Christi. Multos annos Augustæ. Orthodoxæ multos annos.* In Concilio Oecumenico VI. Constantinopolitano III. in Agathonem Romanum Pontificem, & in Irenem Augustam, absentes, faustæ non semel emittuntur Acclamationes. In VIII. item Oecumenico Concilio & Nicolao Papæ Romano. & Eudociæ Augustæ absentibus acclamatur. In Tridentina tandem Generali Synodo, ut de cæteris taceam, Pio Papæ V. absenti hæc præcinens acclamat Cardinalis a Lotharingia: *Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro, Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.* C Cæteri Patres succinentes, ista: *Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva; multos annos.* Ferdinando autem Imperatori, ac cæteris Principibus Catholicis absentibus hoc pacto inibi acclamatur: *Serenissimo Imperatori Ferdinando, semper Augusto, Orthodoxo, & Pacifico, & omnibus Regibus, & Principibus nostris, multi anni. Pium & Christianum Imperatorem Domine conserva. Imperator cœlestis terrenos Reges, rectæ fidei conservatores, custodi.*

Sed & iis quandoque a Patribus acclamatum, quorum absentium litteræ in Synodis legebantur, D certissimum est. Nam & Martinianum, Mediolanensem Archiepiscopum, ut est in Breviarii Ambrosiani Lectione, Concilii Oecumenici Ephesini Patres, post lectam ipsius Epistolam, Sanctissimum, Deoque clarissimum Episcopum Acclamatione Synodali vocitarunt. Lecta item in Chalcedonensi Concilio Leonis Papæ I. Epistola, statim ei a Patribus fauste acclamatur. Id ipsum etiam factitatum in pluribus aliis Synodis post recitatas absentium litteras, legens quivis unus parvo negotio deprehendet.

CAP. XXI. E

SENATUI *etiam fauste* IN SYNODIS ACCLAMATUM *tunc scilicet, cum vota fierent pro Imperii incolumitate.*

ADdo hoc, quod etiam observatum video ab eruditissimo Viro Philippo Berterio in capite VI. primæ Pithanon Diatribæ; *In Synodicis Conventibus, cum vota pro Imperii incolumitate fierent, Senatui etiam fauste acclamari solitum.* Quod cum ex aliis multis Conciliorum locis colligitur, tum maxime ex Oecumenica Synodo Chalcedonensi, & ex Constantinopolitana III. satis ostenditur. F In eo igitur Concilio, Actione I. inter cætera Patres sic acclamant; *Multos annos SENATUI. Multos annos Imperatoribus. Multos annos Catholicis.* In Concilio autem Oecumenico VI. Constantinopolitano III. Actione VIII. hæc item acclamantur; *Agathoni Orthodoxo Papæ Romano multos annos. Georgio Orthodoxo Patriarchæ multos annos. ORTHODOXO SENATUI multos annos.* Et sub Action. XVI. finem: *Agathoni Papæ Romano multos annos. Georgio Patriarchæ Constantinopoleos multos annos. Theophanio Patriarchæ Antiochæ multos annos. Orthodoxo Concilio multos annos. ORTHODOXO SENATUI multos annos.* Quem morem, a Veteri Ecclesia introductum, ad Tridentini usque Concilii tempora permanasse, declarant ea, quæ inibi ita acclamata legimus; *Præconibus veritatis perpetua memoria. ORTHODOXO SENATUI multos annos.*

CAP. XXII.

EJECTOS *interdum* E SYNODIS *Hæreticos infaustis* ACCLAMANTIUM *Patrum vocibus.*

NEque vero alienum puto, quoniam FAUSTAS fieri solitas in Synodis Acclamationes prosequuti sumus, de INFAUSTIS etiam pauca subjungere. Sic igitur sentio, infaustas ferme omnes Synodorum Acclamationes fuisse in Hæreticos emissas; qui, viventes quidem, Acclamantium vocibus e Synodis expellebantur interdum, interdum feriebantur Anathemate, aut etiam optabantur eis infelices anni: in eosdem autem mortuos hæc erant fere Acclamantium vota, ut sepultorum ossa effoderentur.

E Synodis utique ejectos infaustis Acclamantium Patrum vocibus Hæreticos, probant illa ex Concilii Chalcedonensis Actione V. in Nestorianos a Patribus universis hoc pacto acclamata: *NESTORIANOS MITTE FORAS. Inimicos Dei MITTE FORAS. Sancta Maria Theotocos est. Qui non sic sapit, Hæreticus est. Spiritus Sanctus Diffinitionem dictavit. Diffinitio orthodoxa est. Diffinitio modo subscribatur. Qui non subscribit, Hæreticus est. HÆRETICOS FORAS MITTE. Virgo Maria Theotocos est. HÆRETICUM MITTE FORAS. Maria Theotocos Diffinitioni addita est. NESTORIANOS MITTE FORAS.* Et ea in Severum Manichæum emissa ex Synodo Constantinopolitana sub Menna, Actione V. *Multi sint anni Imperatoris. Multi anni Augustæ. SEVERUM MANICHÆUM EJICE. Qui non loquitur, Manichæus est. SEVERUM MANICHÆUM EJICE FORAS. Symbolum Chalcedonense modo prædica. Qui non anathematizat Severum, Manichæus est, EJICE FORAS SEVERUM. NOVUM JUDAM EJICE FORAS. INSIDIATOREM TRINITATIS EJICE FORAS. Justine Auguste tu vincis. Si fidem amas, Severum anathematiza. Heus, heus, obtestor; multi anni Imperatoris. HEUS TRAHO TE. HEUS PORTAS CLAUDE. Qui non loquitur, Manichæus est. Orthodoxus regnat, quem times? Orthodoxi Imperatoris multi sint anni. SEVERUM INSIDIATOREM TRINITATIS EJICE FORAS, JUDAM NOVUM EJICE. Qui non loquitur, Manichæus est. Heus Congregationi, Synodo heus. Heus obtestor, multi anni Imperatoris. Novi Constantini multi anni. SEVERUM EJICE FORAS. NOVUM JUDAM EJICE. INSIDIATOREM TRINITATIS EJICE FORAS.* Et aliquanto infra: *MANICHÆOS EJICE FORAS. Justine Auguste tu vincis. SEVERUM JUDAM EJICE FORAS. MANICHÆOS DE ECCLESIA EJICE*, &c. In Concilio item Oecumenico VI. Constantinopolitano III. Actione VIII. hanc in rem sic legimus: *NOVUM DIOSCURUM FORAS MITTE.* Et sub finem: *Multos annos Imperatori. Orthodoxo Imperatori multos annos. HÆRETICUM FORAS MITTE.*

CAP.

CAP. XXIII.

ANATHEMATE PERCULSOS *a Patribus inter* ACCLAMANDUM *Hæreticos*.

Anathemate autem feriri solitos in Synodis ab acclamantibus Hæreticos, ostendunt exempla multorum, quibus referta sunt Conciliorum Acta. In Concilio Oecumenico Ephesino sic Patres acclamant in Nestorium, ac Nestorianos: *Quicunque Nestorium non* ANATHEMATIZAT, *anathema sit. Hunc recta fides* ANATHEMATIZAT. *Quicunque cum Nestorio communicat*, ANATHEMA SIT. *Omnes Nestorii Epistolam, & dogmata* ANATHEMATIZAMUS. *Omnes Hæreticum Nestorium* ANATHEMATIZAMUS. *Omnes, qui cum Nestorio commercium habent*, ANATHEMATIZAMUS. *Totus terrarum orbis impiam Nestorii religionem* ANATHEMATIZAT. *Quicunque hunc non anathematizat*, SIT ANATHEMA. *Hunc recta fides* ANATHEMATIZAT. *Hunc sacra Synodus* ANATHEMATIZAT. *Qui Nestorio communicat*, ANATHEMA SIT. In Concilio Chalcedonensi, Actione VI. *Multos annos Imperatori. Multos annos Augustæ. Imperium vestrum Deus custodiat. Vos Hæreticos expulistis. Nestorio, Eutychi, & Dioscoro* ANATHEMA. In Synodo Constantinopolitana sub Menna Actione V. *Quis est Nestorianus, ego nescio*. ANATHEMA *sit ipsi a Trinitate. Quis est Nestorianus, ego nescio*. ANATHEMA *ipsi cum Eutyche*. Sancta Synodus Oecumenica V. Constantinopolitana sub Collationis IV. finem, in Theodorum Mopsuestenum, inque impium ejus Symbolum ista acclamavit: *Hoc Symbolum Satanas composuit*. ANATHEMA *ei, qui hoc Symbolum composuit. Hoc Symbolum Ephesina prima Synodus una cum auctore ejus* ANATHEMATIZAVIT. *Unum tantummodo fidei Symbolum scimus, quod Nicæni Sancti Patres exposuerunt, & tradiderunt. Hoc & Sanctæ tres Synodi tradiderunt. In hoc omnes baptizati sumus, & nos in hoc baptizamus*. ANATHEMA *Theodoro Mopsuesteno. Iste Evangelia reprobavit. Iste dispensationem injuriavit*. ANATHEMA *illis, qui non anathematizant eum. Defensores ejus Judæi sunt. Sequaces ejus Pagani sunt. Multis annis Imperatorem. Theodorum Mopsuestenum omnes* ANATHEMATIZAMUS. Et in Collatione VI. hæc in Nestorium: *Qui non anathematizat Nestorium*, ANATHEMA SIT. *Istum recta fides* ANATHEMATIZAT. *Istum Sancta Synodus* ANATHEMATIZAT. *Qui communicat Nestorio*, ANAATHEMA SIT. *Omnes* ANATHEMATIZAMUS *epistolam, & dogmata Nestorii. Hæreticum Nestorium omnes* ANATHEMATIZAMUS. *Impiam fidem Nestorii omnes* ANATHEMATIZAMUS. *Impium dogma Nestorii omnes* ANATHEMATIZAMUS. *Impium Nestorium omnes* ANATHEMATIZAMUS. *Omnis mundus* ANATHEMATIZAT *impiam sectam Nestorii. Qui hunc non anathematizat*, ANATHEMA SIT. Et infra in Epistolam Ibæ, in eundem Nestorium, & in Theodorum: *Omnes Episcopi exclamaverunt, Epistola Hæretica est. Epistolam, quæ dicitur Ibæ, condemnamus. Istam omnes* ANATHEMATIZAMUS. *Qui hanc non* ANATHEMATIZAT, *Hæreticus est. Qui istam suscipit, Hereticus est*. ANATHEMA *Theodoro, & Nestorio, & Epistolæ, quæ dicitur Ibæ*, &c. In Concilio Constantinopolitano III. Universali VI. Actione XVI. *Theodoro Hæretico Pharenitano* ANATHEMA. *Sergio Hæretico* ANATHEMA. *Honorio Hæretico* ANATHEMA. *Pyrrho Hæretico* ANATHEMA. *Macario Hæretico* ANATHEMA. *Stephano Hæretico* ANATHEMA. *Polychronio Hæretico* ANATHEMA. *Aspergio Pergensi* ANATHEMA. *Omnibus Hæreticis* ANATHEMA. *Omnibus, qui suffragantur Hæreticis*, ANATHEMA. Et Actione XVII. *Nestorio Hæretico, Eutychi, atque Severo* ANATHEMA. *Similia eis sapientibus* ANATHEMA. *Theodoro Pharenitano* ANATHEMA. *Sergio, & Honorio* ANATHEMA. *Pyrrho, & Paulo* ANATHEMA. *Macario, & Stephano* ANATHEMA. *Polychronio novo Simoni, & omnibus Hæreticis* ANATHEMA. Et Actione XVIII. *Nestorio, & Eutychi, & Severo* ANATHEMA. *Consentaneis eorum* ANATHEMA. *Theodoro Pharenitæ* ANATHEMA. *Pyrrho, & Paulo* ANATHEMA. *Cyro, & Petro* ANATHEMA. *Macario, & Stephano* ANATHEMA. *Omnibus Hæreticis* ANATHEMA. *Qui prædicaverunt, & prædicant, & docent, ac docturi sunt unam voluntatem, & unam operationem in dispensatione Domini nostri Jesu Christi*, ANATHEMA. Et inferius aliquanto: *Nestorianis* ANATHEMA. *Eutychianis* ANAAHEMA. *Apollinaristis* ANATHEMA. *Omnibus Christo rebellibus Hæresibus* ANATHEMA. In Concilio Niceno II. Oecumenico VII. Actione IV. in hunc modum infauste in Iconoclastas acclamatur: *Venerandas imagines veneramur. qui sic non credunt*, ANATHEMA. *Qui aliter sentiunt, longe ab Ecclesia abjiciantur. Nos, qui addunt, aut auferunt aliquid de Ecclesia*, ANATHEMATIZAMUS. *Nos nuperam Christianorum accusatorum inventionem* ANATHEMATIZAMUS. *Nos venerandas imagines salutamus. Nos, qui sic nolunt*, ANATHEMATI SUBJICIMUS. *Christianorum accusatoribus, videlicet Iconoclastis*, ANATHEMA. *Qui ex Scriptura sententias contra Idola dictas, in Sanctas Imagines torquent*, ANATHEMA. *Qui sacras Imagines Idola vocant*, ANATHEMA. *Qui dicunt, Christianos tanquam Deos Imagines amplecti*, ANATHEMA. *Qui communionem habent cum iis, qui Sanctas Imagines rejiciunt, aut contemnunt* ANATHEMA. *Qui dicunt, præter Christum aliquem nos a cultu Idolorum liberasse*, ANATHEMA. *Qui dicere audent, Sanctam Catholicam Ecclesiam Idola unquam accepisse*, ANATHEMA. Et Actione V. *Credentes in unum Deum, in Trinitate glorificatum, venerandas Imagines salutamus. Qui aliter sentiunt*, ANATHEMA. *Qui nobiscum non sentiunt, procul ab Ecclesia abigantur. Nos eos, qui addunt, aut auferunt ab Ecclesiæ Traditionibus*, ANATHEMATIZAMUS. *Nos nuperam, & importunam Christianorum accusatorum introductionem, & inventionem* ANATHEMATIZAMUS. *Nos venerandas Imagines suscipimus. Nos ita non affectos*, ANATHEMATE *devovemus. Christianorum accusatoribus, & Iconoclastis* ANATHEMA. *Qui torquent sententias Scripturæ de Idolis in Venerandas Imagines*, ANATHEMA. *Qui Venerandas Imagines non complectuntur*, ANATHEMA. *Qui Venerandas Imagines Idola vocant*, ANATHEMA. *Qui clamant, Christianos Imagines, ut Deos, adorare*, ANATHEMA. *Qui scienter communicant cum iis, qui ignominia afficiunt Sanctas Imagines*, ANATHEMA. *Qui dixerit, alium præter Christum nos ab Idolis liberasse*, ANATHEMA. *Qui dicere audent, Catholicam Ecclesiam aliquando Idola admisisse*. ANATHEMA. Hæc eadem ab Acclamantibus Patribus, iisdem pene verbis, iterantur in Actione VII. sub cujus finem sic tandem acclamatur; *Cunctis Hæreticis* ANATHEMA. *Rugienti Conciliabulo contra Venerandas Imagines*, ANATHEMA. *Impia Hæreseon verbula æstimantibus* ANATHEMA. *Theodosio falsi nominis Episcopo Ephesi*, ANATHEMA. *Sisinio, cognomento Pastillæ*; ANATHEMA. *Basilio maledico Tricacabo*, ANATHEMA. *Trinitas ho-*

rum trium dogma sustulit. Anastasio, Constantino, & Victori, qui successive Thronum Constantinopolitanæ Ecclesiæ ascenderunt, non aliter ac novo Arrio, Nestorio, Dioscoro, ANATHEMA. *Joanni Nicomediæ, Constantino Natoliæ, Hæresiarchis*, ANATHEMA. *In nihilum redegerunt Imaginem Domini, & Sanctorum ejus, Dominus eos ad nihilum deduxit. Si quis ex Iconoclastarum Hæresi aliquem existentem defenderit*, ANATHEMA. *Si quis Deum secundum humanitatem non circumscriptibilem confessus fuerit*, ANATHEMA. *Si quis Evangelicas narrationes per picturam repræsentatas non aptaverit*, ANATHEMA. *Si quis has non salutaverit in nomine Domini, & Sanctorum ejus*, ANATHEMA. *Si quis traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem, non curaverit*, ANATHEMA. Demum in Concilio Tridentino hæc in Hæreticos omnes Cardinalis acclamat: ANATHEMA *cunctis Hæreticis*; cæteri autem Patres ista, ANATHEMA, ANATHEMA.

CAP. XXIV.

INFELICES ANNOS *Hæreticis ab Acclamantibus Patribus* OPTATOS. *Eas quoque fuisse in Hæreticos Patrum voces, ut* SEPULTORUM OSSA EFFODERENTUR.

A VErum & malos annos Hæreticis optasse nonnunquam Patres inter acclamandum, planum fit ex iis Patrum Acclamationibus, quæ sub finem Actionis VIII. Concilii Constantinop. III. Oecum. VI. ita leguntur: *Hæreticum se ipsum manifeste demonstravit. Novo Dioscoro anathema. Novo Apollinario MALOS ANNOS.*

Eas tandem fuisse Acclamantium in Synodis Patrum voces, ut Hæreticorum jam sepultorum ossa effoderentur, cognoscimus ex Act. v. Synodi Constantinop. sub Menna; quo loci Patres universi in B Manichæos his verbis acclamant; *Multi sint anni Imperatoris. Multi anni Augustæ. Severum Manichæum ejice. EFFODIANTUR OSSA MANICHÆORUM*, &c. Et inferius in eadem Act. hoc pacto in Nestorianos, & Eutychianistas: *Justine Auguste tu vincis. Euphemia Augusta tu vincis. Eos, qui sunt in exilio propter fidem, Ecclesiæ restitue. EXHUMENTUR OSSA Nestorianorum. EXHUMENTUR OSSA Eutychianistarum. Quis est Nestorianus, ego nescio. Anathema ipsi cum Eutyche. EXHUMENTUR OSSA Nestorianorum. EX-* C *HUMENTUR OSSA Eutychianistarum*, &c.

Atque hæc erant fere de ECCLESIASTICIS Acclamationibus, sive in Concionibus Sacris, sive in Synodicis Conventibus, emitti solitis, quæ dicerem. Jam pergo ad cætera.

FRANCISCI BERNARDINI

FERRARII
DE VETERUM
ACCLAMATIONIBUS,
ET
PLAUSU
LIBER SEXTUS,

Qui est de MILITARIBUS, ac NUPTIALIBUS Acclamationibus.

CAP. I.

MILITARIUM, *ac* NUPTIALIUM *Acclamationum Partitio*.



SUSCEPTI muneris quod superest, ut ordine exequamur, erit nobis in hoc sexto libro de MILITARIBUS primum, mox de NUPTIALIBUS agendum Acclamationibus.

Ac de MILITARIBUS quidem ita scribemus, ut & *Quando potissimum fuerit a Militibus acclamatum; & Quæ essent communiores, magisque usitatæ Bellicarum hujusmodi, sive Sacrarum, sive Prophanarum, Acclamationum formulæ?* D tum exquiramus; tum etiam, quantum ex veteribus intelligi monimentis possit, aperiamus.

De NUPTIALIBUS autem ista maxime considerabimus: *Quid* soleret olim *in SPONSALIBUS, Quid* item *in NUPTIIS acclamari?*

CAP. II.

Tunc fauste a MILITIBUS, *sive Ethnicis, sive Christianis, acclamatum, cum quis* IN BELLI DUCEM ELIGERETUR. *Militarem istam acclamandi formulam fuisse his maxime verbis*, DII TE SERVENT, *vel*, DEUS TE SERVET, *conceptam*. E

MILITES igitur tunc potissimum fauste acclamabant, cum vel quis *in Belli Ducem elige-*

batur; vel *acie commota prælium erat ineundum*; vel *bellica res ipsa bene gesta jam erat & confecta*; vel demum *hoste devicto exercitus Imperator triumphabat*. Dicamus singillatim de omnibus; Sacras, & Prophanas, cum res poscet, sejungentes interdum, interdum permiste, ac confuse perstringentes.

Ac *Milites* quidem, olim, ut a primo prius exordiar, consuevisse *faustas* in eum *emittere Acclamationes*, *qui Belli Dux eligebatur*, cum aliorum multorum testimonio planum facere possum, tum maxime Flavii Vopisci, ac Ælii Lampridii. quorum ille in *Probi Vita*, modum narrans, quo Probus ipse, defuncto Tacito, factus est a Militibus Imperator, ita scribit ca. x. *Cum ad exercitus nuncius venisset*, de Taciti morte, *tum primum animus Militibus fuit prævenire Italicos exercitus, ne iterum Senatus Principem daret. Sed cum inter Milites sermo esset, quis fieri deberet, & manipulatim in Campo Tribuni eos aloquerentur, dicentes, requirendum esse Principem aliquem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum; idque per multos circulos, ut fieri assolet, diceretur: quasi divino nutu undique ab omnibus acclamatum est; Probe Auguste DII TE SERVENT, deinde concursus, & cespititium Tribunal, APPELLATUSQUE IMPERATOR*, &c. Ælius autem Lampridius, Antoninum Diadumenum puerum, qui fuerat, Bassiano occiso, a Macrino Patre in militum conspectu positus, refert in *eodem Diadumeno* cap. I. fuisse ab ipsis Militibus, fauste in hæc verba acclamantibus, Imperatorem renunciatum: *Macrine Imperator, Dii te servent. Antonine Diadumene, DIITE SERVENT. Antoninum Divum omnes rogamus. Jupiter Optime Maxime Macrino, & Antonino Vitam. Antoninum habemus, omnia habemus. Antoninum nobis Dii dederunt. Antoninus dignus Imperio*. Plura Veterum testimonia hic sciens prætereo, quod sit res eadem in sequenti Libro uberius retractanda; cum scilicet, *Quid soleret olim in Imperatorum electione acclamari*, patefiet.

Ex adductis autem Lampridii, ac Vopisci locis illud præterea intelligi potest; *Militarem acclamandi formulam, cum quis Dux belli renunciaretur*, his maxime verbis, DII TE SERVENT, fuisse conceptam. quæ sane formula, sicuti MILITUM, ut vidimus, propria fuit, ita communis erat POPULO, ac SENATUI, quemadmodum est a nobis alibi observatum. Atque in hanc eandem formulam Christianos quoque Milites fauste iis acclamasse nonnunquam, qui in Belli Duces renunciabantur, declarat haud obscure Theodosiani Codicis locus ex VII. lib. Tit. XX. qui est *de Veteranis*, ita conscriptus; *Cum introisset Constantinus Principia, & salutatus esset a Præfectis, & Tribunis, & Viris eminentissimis, acclamatum est; Auguste Constantine, DEUS TE NOBIS SERVET*, &c.

CAP. III.

IN BELLI CONGRESSU *varias omnino fuisse olim* MILITARIUM *Acclamationum formulas. Ab Ethnicis*, VICTORIAM, *inclamatum. a Christianis*, CRUCIS VICTORIA, *interdum; interdum*, CRUX VICIT; *nonnunquam*, SIGNUM CRUCIS.

Atque hæc sane, Quid olim acclamaretur, cum quis in Belli Ducem eligebatur, fidem faciunt. Quæ autem solerent in ipso Belli congressu emitti a Militibus Acclamationum formulæ, nunc videndum.

Ethnicos quidem, VICTORIAM, inclamasse, dum prælium erat ineundum, adfirmat Cæsar in lib. V. *de Bello Gallico*, sic scribens: *Tum vero suo more, VICTORIAM, conclamant, atque ululatum tollunt; impetuque in nostros facto ordines perturbant. Ibi L. Cotta pugnans interficitur*, &c.

Christiani vero, cum hostibus congredientes, varias omnino acclamandi formulas usurpare consueverunt. Nunc eas duntaxat proferemus, quæ his verbis concipiebantur; CRUCIS VICTORIA, CRUX VICIT, SIGNUM CRUCIS; dilata cæterarum tractatione in Capita proxime sequentia. De prima formula testem produco Leonem Imperatorem, in cujus Libro *de Re Militari* cap. XII. nu. LXIX. hæc habentur: *Cum vero jam ad conflictationem movet exercitus, consueta Christianis vox usurpanda est, CRUCIS VICTORIA*. Quo loci verba illa, CONSUETA CHRISTIANIS VOX, maxime animadvertenda sunt; significant enim haud obscure, communiorem & magis usitatam Christianorum in Belli congressu acclamandi formulam fuisse, CRUCIS VICTORIA. Quam eandem formulam exprimit iterum Leo in eodem capite, sed nu. CVII. *Conflictationis tempore*, ait, *post vocem, VICTORIA CRUCIS, magnos atque altos clamores edere oportet, atque eos in primis, qui a tergo sunt, ut qui in fronte sunt magis animentur*. Acclamatum vero interdum, CRUX VICIT, a Christianis inimicos aggredientibus, discimus ex Georgio Cedreno, cujus sunt illa in Basilio; *His ita compositis occulte per noctem, antequam Sol summa montium illustraret, ad castra hostium perveniunt, magnaque voce pæana cantantes, & CRUX VICIT, conclamantes, aggrediuntur hostem*. Sed &, SIGNUM CRCIS, eosdem inclamasse nonnunquam, testificatur Henricus Huntindoniensis, dum in VII. *Historiarum* libro, de Christianis Antiochiam obsidentibus agens, scribit hoc pacto: *Pagani non segniter aciebus dispositis nostros invadunt; at Christiani, SIGNUM CRUCIS, acclamantes, tam acriter in prima invasione hostes percusserunt, & propulerunt, ut statim fugæ darentur*, &c.

CAP. IV.

Christianos cum hostibus congredientes, ALLELUJA, *aliquando; aliquando inclamasse etiam*, PARATI, JUVA, DEUS.

Varie igitur omnino, ut dicebamus, a Militibus Christianis acclamatum olim in Belli congressu, satis declarant ea, quæ hactenus adduximus; verum ex iis, quæ deinceps afferentur in proxime sequentibus Capitibus, id ipsum planius adhuc patefiet. Siquidem & vocem, ALLELUJA, & verba, PARATI, JUVA, DEUS; & alias item formulas fuisse usurpatas, observo. Beda in primo *Ecclesiasticæ suæ Historiæ* lib. cap. XX. narrat, a Germano Altisiodorensi Episcopo (qui se Belli Ducem fecerat, pro Britonibus adversus Saxones, & Pictos) atque adeo ab universo exercitu, dum prælium erat incipiendum, ALLELUJA, fuisse inclamatum, eaque voce, ter repetita contentius, fugatos inimicos. Bedæ verba sunt hæc: *Jam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare intuebantur in insidiis constituti. Tunc subito Germanus signifer universos admonet, & prædicat, ut voci suæ uno clamore respondeant, securisque hostibus, qui se inspiratos adesse confiderent, ALLELUJA, tertio repetitum, Sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium, & elatum clamorem repercusso aere montium conclusa multiplicant, hostile*

agmen terrore prosternitur, &c. Eadem ista Constantius Presbyter in *ipsius Germani Vita* a Beda sumpsit, ac descripsit. Qua de re, quin ita sit, eo minus dubitandum, quod & Ado. Viennensis ab eodem Beda, ut puto, sumpta quædam in *suum Chronicon* transtulit, scribens hoc pacto Ætate VI. ad an. Christi CCCCLII. *Sed & Bellum Saxonum, Pictorumque adversus Britones junctis viribus susceptum, Sancti Antistitis virtute divina retundunt. cum Germanus ipse, Dux Belli factus, non clangore tubæ, sed clamore, ALLELUJA, totius exercitus voce ad sydera levato, hostem immanem in fugam vertit*. quæ repetit idem Ado iisdem verbis in *Martyrologio* Calendis Octobris.

B PARATI insuper, JUVA, DEUS, acclamatum nonnunquam, notat idem Leo in ante adducto Libro *de Re militari* cap. VII. nu. LXXIV. *Quando autem*, inquit, *densata acies ad unius sagittæ ictum ab hostibus abfuerit, & conflictatio futura est, dicito, PARATI; alius statim excipiat, & clamat, JUVA; & confestim una, claraque voce omnes personent, DEUS*.

CAP. V.

C *Fuisse*, DEUS VULT, *ingeminatum quandoque inter acclamandum a Militibus Cruce signatis, prælium inituris. Aperitur hujus acclamandi formulæ Origo. Hæc item interdum ab iisdem acclamata*, ADJUVET NOS CHRISTUS DEI FILIUS, ET SANCTUM SEPULCHRUM EJUS.

Militum porro Cruce signatorum fuit illa solemnis in Belli congressu Acclamatio, DEUS VULT, DEUS VULT. De qua formula haud scio, an præter Robertum Monachum alius quispiam mentionem fecerit. Sunt hæc ipsa illius in primo *Hierosolymitanæ Historiæ* libro: D *Hæc, & id genus plurima ubi Papa Urbanus urbano sermone peroravit, ita omnium, qui aderant, affectus in unum conciliavit, ut omnes acclamarent, DEUS VULT, DEUS VULT. Quod ut venerandus Pontifex Romanus audivit, erectis luminibus in cœlum Deo gratias egit, & manu silentium indicens ait; Fratres charissimi, hodie in nobis est ostensum, quod Dominus dicit in Evangelio, Ubi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Nisi enim Dominus Deus in mentibus vestris fuisset, una omnium vestrum vox non fuisset. Licet enim vox vestra numerosa prodierit, tamen origo vocis una fuit. Propterea dico vobis, quod Deus hanc a* E *vobis elicuit, qui vestris eam pectoribus inseruit. Sit ergo vobis vox ista in rebus bellicis militare signum: quia verbum hoc a Deo est prolatum. Cum in hostem fiet BELLICOSI IMPETUS CONGRESSIO, erit universis hæc ex parte Dei una vociferatio, DEUS VULT, DEUS VULT*. Hactenus Robertus; ex cujus verbis cum satis appareat, emissam tunc primo hanc acclamandi formulam, cum Urbanus Pontifex Romanus, hujus nominis secundus, in Clarometensi Concilio publicam habuit de Hierosolymitana Expeditione Orationem; ob idque fuisse ab Auditoribus pronunciatam, ut paratos se ad eam Expeditionem, optimeque animatos ostenderent: F tum vero illud elucet, fuisse ab Urbano ipso institutum, ut eadem formula usurparetur pro bellici clamoris signo, tuncque maxime emitteretur, cum prælium esset ineundum. Idem autem Robertus meminit iterum ejusdem formulæ in libro II. dum ita scribit: *Cum vero per campos discurrendo bellico usui se exercerent* (de Militibus Cruce signatis sermo est) *& jocando invicem alter in alterum hastas vibrarent, omnes una voce clamabant, DEUS VULT, DEUS VULT*. Et subdit illico; *Et hoc SIGNUM erat BELLICI CLAMORIS ipsorum*.

Hanc præterea formulam, *Adjuvet nos Christus Dei filius, & Sanctum Sepulchrum ejus*, fuisse interdum acclamantium in Bello Cruce signatorum symbolum, & militarem quasi tesseram, testificatur Rogerius de Houeden posteriore *Annalium* parte in Richardo primo sub Capitis illius finem, cui Titulus est, *Rescriptum Cœlestini Papæ ad Philippum Beluacensem Episcopum*; quo loci inter cætera scripta sunt hæc in rem nostram: *Christiani, qui erant in castello, cucurrerunt ut poterant, & clauserunt portas castelli, & janitorem interfecerunt, & ascendentes in altum clamaverunt alta voce SIGNUM CHRISTIANORUM, videlicet, ADJUVET NOS CHRISTUS DEI FILIUS, ET SANCTUM SEPLCRUM EJUS. Ad hanc vocem Pagani exterriti fugerunt ad montana relicto castello, & civitate, & victu, & armis suis, & Christiani recepti sunt in Civitate, & Castello cum gaudio*.

CAP. VI.

Prælium inituros inclamasse nonnunquam DEI, *ac* JESU NOMEN. SANCTOS *item* TUTELARES *in belli congressu contenta voce invocatos. Etiam Ethnicos mox ante prælium* IMPERATORUM NOMINA *pro* NUMINIBUS *acclamasse*.

Gedeon certe, manus cum Madianitis conferturus, præcepit tricentis, quos secum duxerat, Militibus, ut in ipso pugnæ initio *Domini nomen conclamarent*. Discimus hoc ex *Judicum* libro cap. VII. ubi Gedeon legitur Milites in hæc verba allocutus; *Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate, DOMINO, & Gedeoni*. Et paulo post: *Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaveruntque, GLADIUS DOMINI, & Gedeonis*. Id ipsum licet meo judicio haud obscure colligere ex *Machabæorum* lib. II. cap. XII. quo loci ita scriptum est: *Machabæus autem INVOCATO MAGNO MUNDI PRINCIPE, qui sine arietibus, & machinis, temporibus Jesu præcipitavit Jericho, irruit ferociter muris, & capta civitate per Domini voluntatem innumerabiles cædes fecit*, &c. Et non longe post: *Sed cum OMNIPOTENTEM INVOCASSENT, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem, & ex iis, qui intus erant, vigintiquinque millia prostraverunt*. Et infra aliquanto: *At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus & fatigatis, INVOCAVIT Judas DOMINUM ADJUTOREM, & ducem belli fieri, incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit*.

De salutari JESU NOMINE in belli congressu INCLAMATO, testem invenimus Auctorem libelli Polonici *Livonicæ victoriæ*, quæ anno MDCV. contra Hæreticum Sudermanum parta est. In eo igitur apertissime legimus: *Hungaros, omniumque maxime Polonos, adbuc hodie solitos mox ante prælium contentissimis vocibus SALUTARE JESU NOMEN inclamare*. Cujus consuetudinis testimonium dat gravis item Auctor Nicolaus Serrarius in suis *ad Caput* VII. *Judicum* Commentariis Quæst. XXII. quem videas, si lubet.

TUTELARES item SANCTOS fuisse nonnunquam a Christianis Militibus ante pugnam INVOCATOS, certissimum est. Sic Hispanos, ut de cæteris taceam, nonnisi ACCLAMATO BEATO JACOBO, tutelari Hispaniarum Patrono, prælia committere solitos, produnt vetera rerum ab iis gestarum monimenta. Quam laudabilem consuetudinem, a priscis introductam, exceperunt qui insecuti sunt Hispani, & nunc etiam, ut audio, religiose retinent.

Illud haud dissimile videtur, quod de Macedonibus prodidit Justinus in lib. XXIV. consuevisse videlicet eos, in præliis NOMINA IMPERATORUM pro Numinibus INVOCARE. sunt hæc illius verba: *Nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant, nunc excidia Urbium metuebant, nunc ALEXANDRI PHILIPPIQUE Regum suorum NOMINA, sicuti NUMINA, in auxilium VOCABANT*, Crediderim autem, huc etiam posse referri, quod scriptum reliquit Cornelius Tacitus in lib. *de Moribus Germanorum*; HERCULEM nimirum ab iis ACCLAMATUM, ac INVOCATUM, ut nomine illius, ac numine, magis ac magis in prælio, & ipsi animarentur, & terrerentur hostes: *Fuisse apud eos*, de Germanis ait Tacitus, *& HERCULEM memorant, primumque omnium Virorum fortium ITURI IN PRÆLIA CANUNT*. quidquid Vir magnus Justus Lipsius aliter hunc locum distinguat, & explicet.

CAP. VII.

Etiam ULTREIA, ULTREIA, *inclamatum nonnunquam a Cruce signatis Militibus. Quæsitum, quæ sit hujusce formulæ origo, ac significatio* ULTREIA *pro* Ultra eia, *brevitatis causa, scriptum & pronunciatum. Etiam* HOSANNA *pro* Hosia, *&* Anna *olim acclamatum.* MULTIMODIS *item pro* Multis modis, OMNIMODIS *pro* Omnibus modis, PASSICRINIBUS *pro* Passis crinibus, *& pro* Tectis fractis TECTIFRACTIS *Veteres quandoque protulisse.*

QUoniam autem Christianorum Acclamationum formulas, in Belli congressu emitti solitas, persequentes nonnullarum etiam in superiori Capite v. mentionem fecimus, quas in Expeditionibus Hierosolymitanis consueverunt Cruce signati Milites usurpare; non videatur ab hoc loco alienum, alteram a Cruce item signatis aliquando emissam aperire. ea vero sic concipiebatur; ULTREIA, ULTREIA. In Urbis igitur nostræ Mediolanensis Historia, a Landulpho de Sancto Paulo conscripta capite II. de hac Cruce signatorum Militum acclamandi formula ita est: *Rege in Regno deficiente supradictus Anselmus de Buis, Mediolanensis Archiepiscopus, quasi monitus Apostolica auctoritate, studuit congregare de diversis gentibus exercitum, cum quo caperet Babylonicum Regnum. Et in hoc studio præmonuit prælectam juventutem Mediolanensem Cruces suscipere, & CANTILENAM de ULTREIA CANTARE. Atque ad vocem hujus prudentis Viri plures Viri cujuslibet conditionis per Civitates Longobardorum, Villas, & Castella, Cruces susceperunt, & eandem CANTILENAM, de ULTREIA, ULTREIA, CANTAVERUNT*. Hactenus Landulphi nondum editi verba; quorum mihi copiam non ita pridem fecere Matthæus, & Jacobus, fratres Valerii, Viri humanissimi, iidemque longe doctissimi; Cartusiani Ordinis lumen alter, alter Juris Consultorum decus; uterque Civitatis Mediolanensis ornamentum. Duo autem mini-

A mum nobis elucescunt ex prolato Landulphi loco, ad rem nostram pertinentia. Unum (quod omnium ferme Acclamationum commune fuisse jam supra docuimus in primo hujus Operis libro) *ad rythmum, musicosque modos pronunciatam* hanc acclamandi formulam: siquidem eam & CANTILENAM appellat Landulphus, & CANTARI solitam a Cruce signatis affirmat. Alterum, de ea loqui Landulphum, tanquam *de re pervulgata, & tunc solita passim usurpari, cum Bellum aliquod Sacrum susciperetur*; id quod verba ipsa plane omnino declarant. Atque ut hæc minime
B dubia sunt, sic illud nondum certum, Quæ sit hujusce formulæ ORIGO, ac SIGNIFICATIO.

Res autem tota solius conjecturæ fundamento nititur. licet enim in adducto loco posita semel atque iterum vox hæc legatur; non tamen, aut in Landulpho ipso, aut in reliqua scribentium copia, quidquam invenias, ut mea memoria est, quod ad originem illius, ac significationem illustrandam facere possit. quam ob causam adnitendum nobis est diligentius, sit rei tenebris involutæ, quoad licet, lumen aliquod afferatur. Porro, si conjectura capienda sit ex voce ipsa, ut vere
C capiendam puto, equidem suspicarer, vocem ULTREIA fuisse mendose scriptam a Landulpho; pro ut illam videlicet communis hominum ejus temporis usus pronunciare consueverat. ita tamen, ut & mendum possit parvo negotio tolli, & literulæ unius interjectione, ex unica voce nihil significante verba duo componi liceat, sensu ad id, qua de re agimus, apto & congruenti. nam pro ULTREIA substituimus ULTRA EIA. Sic igitur se res habebat. Cum Bellum aliquod sacrum, sive sacra Expeditio ULTRA MARE suscipienda esset, consueverunt ii, qui-
D bus erat ea cura demandata, coactos Milites his, aut similibus hortandi, & excitandi verbis animare, *Milites ULTRA EIA, ULTRA EIA Milites*. quæ deinde verba Milites ipsi, ut se ad id paratos ostenderent, invicemque magis ac magis animarent, & crebro insusurrabant canentes, & tanquam militare signum ac tesseram in bellicis suis Acclamationibus usurpabant. Verum, cum essent ii imperiti, seu potius brevitatis amatores, duo illa, sive consulto, sive inscitia loquendi, nectentes ac contrahentes verba, pro, ULTRA EIA, unicam vocem ULTREIA inter acclaman-
E dum efferebant. Atque ita nos quidem de hac acclamandi formula existimamus; ab opinione nostra non ante discessuri, quam eruditi certius aliquid invenerint.

Conjectura porro nostra ex eo validissime confirmatur, quod olim etiam scimus, brevitatis causa fuisse quædam interdum scribendo, ac pronunciando contracta. Sic formulam acclamandi HOSANNA unico verbo efferre ac scribere consueverunt; quam tamen ex duabus vocibus HOSIA, & ANNA componi certissimum est, ut prodidit B. Hieronymus in epist. CXLV. *ad Damasum*, & nos pluribus dicemus in extremo libro. Sic etiam MUL-
F TIMODIS pro *Multis modis*, OMNIMODIS pro *Omnibus modis*, PASSICRINIBUS, pro *Passis crinibus*, & pro *Tectis fractis* TETIFRACTIS scribebant interdum Veteres, ac pronunciabant. Ac voce quidem MULDIMODIS usus est M. Cicero in *de Oratore* ex veteri Poeta: Lucretius autem non semel neque uno in loco, & MULTIMODIS, & OMNIMODIS dixit. reliquas fuisse ab aliis sæpe usurpatas, adnotat eruditissimus Muretus in suis *ad Terentii Andriam* Scholis. Quare nihil dubitandum, quin fuerit ULTREIA pro ULTRA EIA scriptum olim, ac pronunciatum.

Ad illas nunc transeo Acclamationes, quibus belli Duces, re bene gesta & confecta, excipi fauste a Militibus consueverunt.

CAP. VIII.

IMPERATORIS *apellationem tribus olim modis acceptam: pro quocunque* EXERCITUS DUCE *interdum; interdum pro* VICTORE; *aliquando pro* PRINCIPE SUMMO, *ac* REGE. *Belli Duces, re prospere, ac feliciter gesta, fuisse a* MILITIBUS, *fauste* ACCLAMANTIBUS, IMPERATORIS NOMINE *consalutatos. idque* TOTIES *a Militibus factitatum*, QUOTIES VICISSENT *Duces. Quæ* VICTORIBUS *belli Ducibus consuevit* IMPERATORIS APPELLATIO *a Militibus inter accclamandum tribui, eam fuisse cæteris* ANTIQUIOREM *&* MAGIS USITATAM.

IMPERATORIS nomen tribus olim modis in Romana Historia acceptum observo. Uno, pro eo, qui præerat exercitu, jusque & imperium gerendi belli habebat. Altero, pro eo, qui fusis hostibus, ac profligatis Victor extiterat. Tertio, pro eo, qui liberam habebat, plę namque rei constituendæ potestatem; αὐτοκράτωρ a Græcis dicebatur: quales erant summi Principes, ac Reges. Cassius Dio libro XLIII. in *C. Julio Cæsare* tres hosce modos expressit haud obscure, scribens hoc pacto: *IMPERATORIS NOMEN, non antiqua tantum pro consuetudine, qua id cum alii, tum ipse quoque sæpius EX BELLO REPORTAVERAT: neque ea ratione, quod ei BELLI IUS, absolutamque POTESTATEM DEFERRENT, Cæsari tribuerunt; sed eo modo, quo nunc iis, qui SUMMUM IMPERIUM OBTINENT, primo Cæsari primum imposuerunt, tanquam ipsi proprium*. Et statim: *Id vero nomen Imperatoris a Julio, quemadmodum etiam Cæsaris nomen, tanquam peculiare summi Imperii cognomentum, ad omnes deinceps Imperatores dimanavit: non tamen sublata antiqua hujus nominis notione, sed utraque integra. Itaque denuo Imperatoris nomen adsciscit, qui victoriam eo dignam obtinuit. Imperatoris igitur nomen omnibus ex æquo Imperatoribus primum tribuitur, qui vero in bello rem eo cognomento dignam gessit, is antiqua consuetudine Imperator salutatur; unde fit, ut quis secundo, tertio, ac quoties omnino id mereatur, Imperator nnncupetur*. Primam utique nominis significationem designavit Dio iis verbis: *Neque ea ratione, quod ei belli jus ac potestatem deferrent*. Alteram his: *Imperatoris nomen non antiqua tantum consuetudine, qua id cum alii, tum ipse quoque sæpius ex bello reportaverat*. Et iis: *Imperatoris nomen adsciscit, qui Victoriam eo dignam obtinuit*. Et istis etiam apertius. *Qui in bello rem eo cognomento dignam gessit, is antiqua consuetudine Imperator salutatur*. Tertiam declarant ea verba: *Sed eo modo, quo nunc iis, qui summum Imperium obtinent, Cæsari primum imposuerunt*. Et illa: *Nomen Imperatoris a Julio, quemadmodum etiam Cæsaris nomen, tanquam peculiari summi Imperii cognomentum, ad omnes deinceps Imperatores damnavit*. Nec non ea: *Imperatoris igitur nomen omnibus ex æquo Imperatoribus tribuitur*. Secundam rursus, ac tertiam significationem notavit apertissime idem Dio libro LII. in *Octavio* iis verbis: *Eodem anno Imperatoris nomen accepit*, (de Octavio loquitur) *non quale propter VICTORIAM tribui more vetusto solebat; sed quo SUMMA IMPERII demonstraretur. quod Patri quoque ejus Julio, & ejus filiis fuerat decretum*. Verum pro tempore de prima, ac tertia notione fortasse nimis. Ad secundam, cujus illustrandæ gratia de cæteris egimus, sicuti res postulat, me nunc converto. Illud igitur de ea, quod huc maxime facit, demonstremus. Nimirum bellica re, prospere ac feliciter gesta, fuisse Victores Duces faustis Militum Acclamationibus Imperatoris nomine consalutatos. Significat hoc Taciti locus ex III. *Annalium* libro sub finem ita conscriptus; *Sed Tiberius pro confecto bello interpretatus, id quoque Blæso tribuit, ut IMPERATOR a Legionibus SALUTARETUR; prisco erga DUCES honore, qui BENE GESTA RE gaudio & impetu victoris exercitus CONCLAMABANTUR*. Probant hoc idem Suetonii verba in *Tito* capite V. ubi scribens de Hierosolymorum oppugnatione ab eodem Tito feliciter confecta: *Ad perdomandam*, inquit, *Judæam relictus, novissima Hierosolymorum expugnatione, duodecim propugnatores sagittarum confecit ictibus; cepitque eam Natali filiæ suæ, tanto MILITUM GAUDIO, ac FAVORE, ut in gratulatione IMPERATOREM eum CONSALUTAVERINT*. Id ipsum cognoscitur etiam ex Cæsaris verbis manifeste, in libro II. *de Bello Civili* hæc scribentis: *His rebus bene gestis Curio se in Castra ab Bagradam recepit, atque universi EXERCITUS CONCLAMATIONE IMPERATOR APPELLATUR*. Nec multo secus mihi videtur Marcus Cicero in epistola XX. lib. V. *ad Atticum* sensisse, cum ait: *Magnum numerum hostium cecidimus; Castella munitissima, nocturno Pontini adventu, nostro matutino cepimus, incendimu; IMPERATORES APPELLATI SUMUS*. Nec longe discedit Cassius Dio; nam libro LXVIII. in *Trajano: Cum autem*, inquit, *hoc facto MILITES CLAMOREM SUSTULISSENT, ac Trajanum, tanquam in VICTORIA QUADAM IMPERATOREM APPELLASSENT*, &c. Hac de re plura veterum Auctorum testimonia si quis requirat, Barnabæ Brissonii, magni sane viri, ac veluti Philologiæ solis, Quartum *de formulis, ac solemnibus Populi Romani verbis*, librum perlegat.

Neque vero illud hoc loco prætereundum est: Imperatoris appellationem trifariam quidem, ut paulo ante ostendimus, olim acceptam, eam tamen, qua diximus, Belli Victores a Militibus fauste acclamantibus consalutari solitos, fuisse cæterarum antiquissimam. Idoneus est auctor idem ille, quem modo supra nominavi, Cassius Dio; cujus sunt illa ex libro XLIIII. in *C. Julio Cæsare: Imperatoris nomen, non ANTIQUA tantum pro CONSUETUDINE, qua id cum alii, tum ipse quoque sæpius ex bello reportaverat*, &c. Et mox; *IMPERATORIS igitur NOMEN omnibus ex æquo Imperatoribus tribuitur; qui vero in BELLO REM eo cognomento DIGNAM GESSIT, is ANTIQUA CONSUETUDINE IMPERATOR SALUTATUR*. Et libro LII. in *Octavio* ait in hunc modum: *Eodem anno IMPERATORIS NOMEN accepit, non quale PROPTER VICTORIAM tribui MORE VETUSTO solebat*, &c.

Addo hoc etiam IMPERATORIS NOMEN fuisse a Militibus inter acclamandum belli Duci TOTIES tributum, QUOTIES ipse ab hostibus Victoriam reportasset. Id quod eodem Dione teste dicimus; apud quem in adducto libri XLIII. loco ita scripum legitur: *IMPERATORIS NOMEN, non antiqua tantum pro consuetudine, qua id cum alii, tum ipse quoque SÆPIUS in bello reportaverat*, &c. Et manifestius paulo post: *Qui vero in bello rem eo cognomento dignam gessit, is antiqua consuetudine Imperator DENUO salutatur, unde fit, ut quis SECUNDO, TERTIO, & TOTIES omnino, QUOTIES id mereatur, IMPERATOR NUN-*

CUPETUR. Et in libro LII. *Eodem anno IMPERATORIS NOMEN accepit*(Octavius) *non quale propter Victoriam tribui more vetusto solebat: id enim SÆPIUS & antea, & postmodum ex ipsis actionibus reportavit, VICIES quidem Imperator dictus*, &c.

Nunc factas a Militibus triumphanti Imperatori Acclamationes persequamur.

CAP. IX.

Triumphanti Imperatori, IO TRIUMPHE, *a gratulabundis Militibus olim acclamatum; tunc maxime, cum triumphans in Capitolium curru veheretur*. LÆTA VOX, *quid sit Ovidio; quid Martiali*, TRIUMPHUM CLAMARE?

AD hunc omnino locum pertinent (si modo fidem datam præstare volumus) emissæ a Militibus in triumphantem Imperatorem Acclamationes: quæ, *quid essent*, seu, *quemadmodum fierent*, haud obscure nobis significavit Livius in libro v. de M. Camilli triumpho agens. sunt hæc illius verba: *Dictator, recuperata ex hostibus patria, TRIUMPHANS in Urbem redit, interque JOCOS MILITARES, quos INCONDITOS jaciunt, ROMULUS, ac PARENS PATRIÆ, CONDITORque ALTER URBIS haud vanis LAUDIBUS appellatur*. Hactenus Livius; ex cujus verbis facillime potest perspici, factas a Militibus triumphanti Imperatori Acclamationes fuisse plenas laudibus interdum, interdum etiam dicteriorum, jocularium que carminum refertas. Atque posterius in proxime sequenti Capite prolatis testimoniis confirmabimus. Ad primum autem refero faustam illam formulam, in omnes pene triumphantes Imperatores a Militibus acclamantibus emitti solitam, hisce vocibus, IO TRIUMPHE, conceptam. quam quidem placet nunc locis aliquot veterum Auctorum insignioribus aperire, ac comprobare. M. certe Varro de ea in libro v. *de Lingua Latina* sic scribit: *Triumphare appellatum, quod cum Imperatore MILITES redeuntes clamitant per Urbem IN CAPITOLIUM euntí, IO TRIUMPHE, IO*. Qui Varronis locus indicat etiam, tunc maxime usurpatam a Militibus eam acclamandi formulam, cum triumphans Imperator in Capitolium veheretur. Meminere autem ejusdem formulæ Horatius, Ovidius, ac Tibullus; quorum verba, huc apte cadentia, subscribam. In Ode igitur II. libri IV. *Carminum*, de Augusti triumpho, deque triumphanti acclamantibus, canit in hunc modum Horatius:

Tuque dum procedis, IO TRIUMPHE,
Non semel dicemus, IO TRIUMPHE, &c.

Et in *Epodon* libro Ode IX. ad Mæcenatem, de eodem Augusti triumpho scribens:

IO TRIUMPHE, tu moraris aureos
Currus, & intactas boves.
IO TRIUMPHE, nec Jugurthino parem
Bello reportasti Ducem,
Neque Africano, &c.

Ovidius triumphantem Germanicum describens in IV. de *Tristibus* libro Elegia II. hæc ait:

Tempora Phœbeo lauro cingentur, IOque
MILES, IO, magna voce, TRIUMPHE canet.

Tibulli autem ex libro II. Elegia VI. eandem in rem sunt hi versus:

Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti
MILES, IO, magna voce, TRIUMPHE canet.

Extat etiam Alcimi Aviti in libri VI. capite VI. locus, quem, quia valde ad rem facit, recitabo:

Cautius, inquit, *ac melius mihi tum laudabere, cum jam*
A *Hostibus evictis, & IO clamante TRIUMPHO.*

Ad hanc eandem formulam sunt, qui putent, respexisse Ovidium, cum in primo *Metamorphoseos* libro, de Apollinis lauro loquens, ita scribit.

Tu ducibus lætis aderis, cum LÆTA triumphum
VOX canet, &c.

ita ut Ovidio, VOX LÆTA, sit pro eo, ac si dixisset, IO TRIUMPHE. in eis est eruditissimus Brissonius: quod ipsum nos quoque, ut maxime verisimile, non gravate concedimus. Huc etiam existimarim posse referri, quod in Martialis libro VII. epigrammate VI. de fama reditus Domitiani agente, sic legimus:

B *Rursus, IO, magnos CLAMAT tibi Roma TRIUMPHOS.*

non enim verendum est, ne Martiali, TRIUMPHUM CLAMARE, non idem valeat, quod, IO TRIUMPHE, inter acclamandum, dicere.

CAP. X.

Fuisse a MILITIBUS, *dum* TRIUMPHUS *agebatur*, DICTERIA, INCONDITOS*que* VERSUS, *inter* ACCLAMANDUM *jculariter* JACTATOS.

C MIlitares claudentur Acclamationes inconditis iis carminibus, ac dicteriis, quæ Milites, Triumphantium currum prosequentes, inter acclamandum, consueverunt joculariter jacere. Quem sane morem norunt ii, qui M. Ciceronem, T. Livium, Dionysium Halicarnasseum, C. Plinium, Martialem, Suetonium, Cassium Dionem, Appianum Alexandrinum, ac Vellejum Paterculum attento animo legere. M. igitur Cicero, universum Triumphi apparatum, ac pompam describens in Oratione *contra L. Pisonem*, MILITUM etiam CLAMOREM commemorat: D *Disseres*, inquit, *de Triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum Duces? quid simulacra Oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis, & Tribuni? quid CLAMOR MILITUM? quid tota illa pompa?* Atque hic, MILITUM CLAMOR, si interpretari velis, non quicquam aliud est, quam INCONDITI VERSUS ii, quos acclamantes in Triumphis Milites jactare joculariter solebant. Livius in lib. IV. de C. Valerio Consule ovante loquens: *Itaque*, ait, *cum ex S. C. Urbem OVANS introiret, alternis INCONDITI VERSUS MILITARI LICENTIA JACTATI; quibus Consul increpitus, Menenii nomen celebre laudibus fuit*. E Et in lib. v. de M. Furii Camilli triumpho, *Dictator*, inquit, *recuperata ex hostibus patria, TRIUMPHANS in Urbem redit; interque JOCOS MILITARES, quos INCONDITOS JACIUNT, Romulus, ac parens Patriæ, conditorque alter Urbis haud vanis laudibus appellatur*. Et in lib. XXXIX. *Multi omnium ordinum donati militaribus CURRUM sequuti sunt, CARMINAque a MILITIBUS ea in Imperatorem dicta, ut facile appareret, in Ducem indulgentem, ambitiosumque ea dici*. Dionisii verba sunt hæc in VII. *Antiquitatum Romanarum* libro: *Ex TRIUMPHIS autem, qui aguntur, satis liquet, LUSUS CAVILLATORIOS, & SATYRICOS* F *apud Romanos jam inde a priscis sæculis receptos fuisse. Permittitur enim iis, qui TRIUMPHUM PROSEQUUNTUR, JAMBOS, & DICTERIA JACERE in clarissimos quosque Viros, atque adeo in ipsos quoque Imperatores; quemadmodum Athenis olim iis, qui plaustris vecti pompam prosequebantur, obvios quosque scommatibus impetere licebat; nunc vero carmina ex tempore canunt*. Plinii ista ex lib. XIX. cap. VIII. *Olus quoque*

ſylveſtre eſt trium foliorum, D. Julii carminibus, præcipue JOCIS MILITARIBUS *celebratum.* ALTERNIS *quippe* VERSIBUS EXPROBRAVERE, *lapſana ſe vixiſſe apud Dyrrachium, præmiorum parſimoniam* CAVILLANTES. Martialis lib. I. epigram. v. Cæſarem alloquens ita canit:

Conſuevere JOCOS *veſtri quoque ferre* TRIUMPHI,
Materiam DICTIS *nec pudet eſſe Ducem.*

& in lib. VII. epigramm. VIII. *de Domitiani reditu* agens:

FESTA *coronatus ludet* CONVICIA MILES,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire JOCOS, *leviora que* CARMINA, *Cæſar,*
Sit tibi; ſi LUSUS *ipſe* TRIUMPHUS *amat.*

Suetonius in *C. Julio Cæſare* cap. XLIX. Gallicum ejuſdem Cæſaris Triumphum deſcribens, ait in hunc modum: *Gallico* TRIUMPHO MILITES *ejus inter cætera* CARMINA, *qualia* CURRUM PROSEQUENTES JOCULARITER CANUNT, *etiam vulgatiſſimum illud pronunciaverunt,*

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem:
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias.
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Et in capite L'. de eodem Cæſaris Triumpho: *Ne provincialibus quidem matrimoniis abſtinuiſſe, vel hoc diſticho apparet,* JACTATO *æque a* MILITIBUS *per Gallicum* TRIUMPHUM,

Urbani ſervate uxores, mœchum calvum adducimus;
Aurum in Gallia effutuiſti, hic ſumpſiſti mutuum.

Inconditas autem hujuſmodi Acclamationes, a Militibus in triumphantem de Gallis Cæſarem joculariter jactatas, Caſſius quoque Dio ſic commemorat in lib. XLIII. *Admirationem augebat maxima Cæſaris in* MILITUM DICACITATE *ferenda lenitas, qui & allectos ab eo in Senatum* DICTIS *mordebant, & ipſi Cæſari inter alia* CONVICIA *Cleopatræ amorem, conſuetudinemque, quam is adoleſcentulus cum Bithyniæ Rege Nicomede habuerat,* EXPROBRABANT; *adeo ut dicerent, Gallos a Cæſare, Cæſarem vero a Nicomede ſubactum. His ita* JACTATIS *tantum ab indignatione abfuit Cæſar, ut gaviſus etiam ſit, ea ſuos dicendi libertate uti, quod ipſum nunquam ſuccenſurum certo crederent. Conſuetudinem autem cum Nicomede vitio ſibi verti ægrius tulit, palamque ſe moleſtia hinc affici oſtendit; ſed excuſare auſus, atque juramento adhibito ſe purgare, riſu exceptus eſt.* Appianus Alexandrinus, pompam omnem triumphi Scipionis referens libro *de Bellis Punicis*, hæc habet inter cætera: *Juxta currum incedunt militiæ ſocii, &c. ſequuntur* MILITES, &c. *Hi alios* LAUDANT, *in alios* CAVILLANTUR, *quoſdam* VITUPERANT. *eſt enim res ſimplex* TRIUMPHUS, *& in eo magna* JOCORUM LICENTIA. Vellejus demum Paterculus in lib. II. *Inter* JOCOS, ait, MILITARES, *qui* CURRUM *Lepidi, Plancique* SEQUUTI *erant, inter execrationem Civium uſurpabant hunc verſum,*

De Germanis, non de Gallis, duo TRIUMPHANT *Conſules.*

Etiam M. Varro in eorum numerum, qui conſuetudinis jaciendorum a Militibus, Triumphum proſequentibus, inter acclamandum, jocularium hujuſmodi carminum meminerint, ab eruditis adſcribitur, dum in lib. v. *de Lingua Latina* ſic ſcribit: *Hinc appellatum dictum in Mimo, ac dictioſus; hinc in Manipuleis caſtrenſibus* DICTA DUCIBUS. quibus ego non repugnanter aſſentior. Nunc ea proferamus, quæ digna obſervatione, & ad rem noſtram pertinentia, videntur apte poſſe ex teſtimoniis mox ante adductis elici.

CAP. XI.

INCONDITA, *ac* JOCULARIA *Militum acclamantium* CARMINA, *in Triumphantes jaci ſolita, fuiſſe ad* MUSICOS *omnino* MODOS; *& item* ALTERNIS *pronunciata.* EADEM *in Triumphantes certe quidem ſemper, aliquando tamen etiam* IN ALIOS JACTATA. *Triumphantium* LAUDES IISDEM *quandoque* CELEBRATAS, *at ſæpius* EXPROBRATA VITIA. *Impudentem hanc Militum in jocando licentiam* TULISSE *Triumphantes* QUAM LENISSIME.

ATque ex his quidem ſuperioribus Veterum locis, fuiſſe olim inconditos verſus a Militibus, dum Triumphus ageretur, jlocaliter inter acclamandum jactatos, ita dilucide oſtenditur, nihil ut fieri queat illuſtrius. ſimul autem & illa elucent, huc maxime facientia; *Ad muſicos modos*, & item, *alternis*, jactata fuiſſe incondita hujuſmodi carmina; in *Triumphantes* certe quidem ſemper, interdum tamen etiam *in alios*. Deinde, jocularibus iiſdem carminibus Triumphantium *virtutes* quandoque *laudatas*, ſæpius tamen *perſtricta vitia*. Tum ad extremum, *diſſolutam* hanc Militum *conſuetudinem, licentiamque impudentem, quam leniſſime tuliſſe* Triumphantes. quæ ſingula conabor mox planiora facere.

Atque ad MUSICOS quidem MODOS pronunciata Militum hæc acclamantium carmina, & dicteria, diſcimus ex Suetonio in *Julio Cæſare* cap. XLIX. quo loci, jlocaliter ea CANI a Militibus ſolita, narrat. ALTERNIS vero eadem jactata, docet Livius, his verbis ſcribens in lib. IV. *Cum ex S. C. Urbem ovans introiret* (Valerius Conſul) ALTERNIS *inconditi verſus Militari licentia jactati*, &c. Plinius lib. XIX. cap. VIII. *Olus*, inquiens, *ſylveſtre eſt trium foliorum, D. Julii carminibus, præcipue jocis Militaribus celebratum.* ALTERNIS *quippe verſibus exprobravere, lapſana ſe vixiſſe*, &c. In Triumphantes certe quidem ipſos jaci ſolita hujuſmodi carmina, notius eſt, quam ut productis iterum teſtimoniis patefieri neceſſe ſit; omnia pene adducta in ſuperiori Capite Scriptorum loca hanc rem ipſam oſtendunt. illud magis obſcurum, fuiſſe IN ALIOS etiam, nequaquam Triumphantes, eadem illa quandoque emiſſa: quod tamen ſatis illuſtrant Dionyſius Halicarnaſſ. & Caſſius Dio. is etenim in VII. *Romanorum Antiquitatum* libro teſtificatur: *Permiſſum Militibus, Triumphum proſequentibus,* JAMBOS, *&* DICTERIA *jacere non in ipſos duntaxat Triumphantes Imperatores, ſed in* CLARISSIMOS *etiam* QUOSQUE VIROS. Dio autem in lib. XLIII. narrat: *Triumphante Cæſare, Militum dicacitatem eo perveniſſe, ut* ALLECTOS *etiam ab eodem Cæſare* IN SENATUM DICTERIIS INCESSERENT; ex quo conſequi videas, nedum in Triumphantes, ſed IN ALIOS etiam jactata quandoque hujuſmodi carmina.

LAUDATAS autem nonnunquam Triumphantium VIRTUTES, ex eo ſatis oſtenditur, quod *Menenii* NOMEN CELEBRE *fuiſſe inconditis Militum carminibus & jocis* ſcriptum reliquit Livius in lib. IV. Et in v. affirmat: *Camillum Triumphantem, inter jocos Militares, fuiſſe &* NOVUM ROMULUM, *&* PARENTEM PATRIÆ, *&* ALTERUM *Urbis* CONDITOREM, NON VANIS LAUDIBUS *appellatum.* Sæpius tamen fuere NOTATA Triumphantium VITIA. Siquidem in ejuſdem Livii lib. IV. ſcriptum videas: *Inconditis Militum verſibus C. Valerium Conſulem Triumphantem fuiſſe palam* INCREPITUM. Et in lib. XXXIX.

legi-

legimus: *Ex carminibus a Militibus jactatis facile apparuisse, in Ducem ea INDULGENTEM, & AMBITIOSUM fuisse pronunciata.* Plinius item in lib. XIX. cap. VIII. *CAVILLATOS*, ait *Milites alternis versibus Triumphantis Cæsaris IN DANDIS PRÆMIIS PARSIMONIAM.* Cognoscitur hoc idem ex Suetonio, ac Dione manifestius. nam adductis locis uterque scribit; *In Gallico Triumpho exprobrasse Cæsari Milites, jočulariter canentes, & IMPUROS Cleopatræ AMORES, & FÆDISSIMAM cum Nicomede CONSUETUDINEM.*

IMPUDENTEM porro Militum LICENTIAM in CARPENDIS palam Triumphantium VITIIS TULISSE Triumphantes ipsos QUAM LENISSIME, ex Martialis lib. I. epig. V. perspicitur; quo in loco Imperatorem Domitianum alloquitur Martialis, rogatque, ut LÆTA FRONTE carmina sua legat, quemadmodum consuevere Triumphantes LENITER, HILAREque FERRE Militum dicacitatem, & convicia;

Contigeris nostros, Cæsar, si forte libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.
Consuevere JOCOS vestri quoque FERRE Triumphi,
Materiam dictis nec PUDET esse Ducem.

quorum verborum illa duo, FERRE, PUDET, meo judicio, satis indicant, ita FERRE solitos Triumphantes Militum dicteria, & probra, ut, ea PALAM etiam OBJICI, ipsos neutiquam PUDERET. Longe vero manifestius de eadem re Dio, cujus sunt illa ex lib. XLIII. *Admirationem augebat maxima Cæsaris in Militum DICACITATE FERENDA LENITAS; qui & allectos ab eo in Senatum dictis mordebant, & ipsi Cæsari inter alia convicia Cleopatræ amorem, consuetudinemque, quam is adolescentulus cum Bithyniæ Rege Nicomede habuerat, exprobrabant; adeo ut dicerent, Gallos a Cæsare, Cæsarem vero a Nicomede subactum. His ita jactatis tantum ab INDIGNATIONE ABFUIT Cæsar, ut GAVISUS etiam sit, EA suos dicendi LIBERTATE UTI.* quare satis constat, Cæsarem objecta crimina, & probra, non modo PATIENTER TULISSE, sed etiam maxime LÆTATUM, quod in eum Milites IMPUDENTI ea in jocando LICENTIA UTERENTUR. Subjicit tamen Dio, ægrius paulo tulisse eundem Cæsarem, exprobratam sibi cum Nicomede consuetudinem, cumque vellet eam, jurejurando etiam adhibito, excusare, jocis iterum ac risu fuisse a Militibus exceptum.

Atque hæc quidem de BELLICIS Acclamationibus satis. Nunc est de NUPTIALIBUS agendum.

CAP. XII.

BONI OMINIS *causa in* SPONSALIBUS *olim, & in* NUPTIIS *fauste acclamatum. Senecæ Poetæ* LÆTA OMINA. *Nuptias antiquitus, non nisi sumptis prius auguriis, auspicibusque datis, factas. Illustratus Appiani Alexandrini locus.*

QUandoquidem videntur posse Nuptialibus Acclamationibus, locisque Veterum ad eas illustrandas producendis, non tenue lumen adferre cæteri Nuptiarum Ritus; crediderim, facturum me operæ pretium, si, Nuptiales explicaturus Acclamationes, ipsos etiam reliquos Nuptiarum ritus, huc apte cadentes, paucis tamen omnino, ac summatim, attigero.

Tria autem potissimum invenio fuisse olim Nuptialium Acclamationum genera; in Sponsalibus unum, reliqua duo in Nuptiis facta. suis certe qui-

A dem ac propriis unumquodque vocibus conceptum, omnia tamen emissa boni ominis causa: quo scilicet Nuptiæ felicius, prospereque magis evenirent. Atque hæc puto fuisse LÆTA OMINA, quibus Cives Neronis ac Poppeæ Nuptias prosecutos canit Seneca in *Octavia* Actu IV. Sc. I.

Et ipse lateri junctus, atque hærens tuo,
Sublimis inter Civium LÆTA OMINA
Incessit ——————

Nuptias item, boni ominis causa, consuevisse Veteres, non nisi captatis prius auguriis, auspicibusque datis, facere, tradunt disertis verbis Valer. Maxim. lib. II. cap. I. & Servius ad I. & IV. *Aeneidos* Virgilii librum; colligiturque haud obscure ex Plauto in *Casinæ* Prologo, M. Cicerone in Oratione *pro Cluentio*, Lucano lib. II. *de Bello Pharsalico*, Tacito *Annalium* lib. XI. & XV. Suetonio in *Claudio*, Juvenali Sat. X. Seneca in *Troade*, Claudiano in Epist. *ad Serenam*, & lib. I. *in Ruffinum*.

Acclamationes porro ipsæ ita concipiebantur, ut in Sponsalibus, FELICITER, interdum, interdum, QUÆ RES RECTE VORTAT, aut, DII BENE VORTANT; in Nuptiis autem HYMENÆUM, & THALASSIUM, inclamarent, VERSUSque etiam jactarent FESCENNINOS.

C Appianus certe Alexandr. videtur voluisse nobis hasce omnes exprimere Acclamationes, cum in libro V. *de Bello Civili*, de Antonii, & Octaviæ Nuptiis loquens, ita scribit: *Quoniam Marcellus nuper obierat, Maritus Octaviæ sororis Cæsaris, postulaverunt pacis Auctores, ut frater eam collocaret cum Antonino; MOX QUE DESPONSA, dictum, FELICITER: CONSEQUENTIBUS deinde FAUSTIS ACCLAMATIONIBUS totius exercitus.* Verba enim illa, MOX DESPONSA, *dictum*, FELICITER, apertissime ostendunt, FACTIS SPONSALIBUS STATIM *acclamatum*, FELICITER. proxime vero quæ adjunguntur, CONSEQUENTIBUS FAUSTIS ACCLAMATIONIBUS, eo pertinent, quantum video ipse, ut factas deinde fuisse Nuptiales reliquas Acclamationes, hoc est, HYMENÆUM, & THALASSIUM inclamata, ac forte etiam FESCENNINOS VERSUS jactatos, sciri possit. Verum de Nuptiali Hymenæo, Thalassio, carminibusque Fescenninis, non ita multo post dicam uberius; nunc acclamandi formulas in SPONSALIBUS usurpari solitas, pergam patefacere.

CAP. XIII.

E *Antiquitus*, MOX FACTIS SPONSALIBUS, *acclamatum*, FELICITER: *Interdum etiam*, FELIX: *aliquando*, QUÆ RES RECTE VORTAT, *aut*, DII BENE VORTANT. *Nuptiarum ritus aliquot summatim perstricti.*

FELICITER olim, FACTIS STATIM SPONSALIBUS, acclamatum fuisse, ex Appiano Alexandrino planum feci antea: sed quominus idem faciam ex Juvenali, & aliis, ne nunc quidem res ulla impedit. Nam & is in Satyra II. plures enumerans Nuptiarum ritus; velut, *Sponsalitias omnes conventiones in Tabulas referri solitas; Tabulas* autem *ipsas signatoris eorum, qui interfuerant annulis obsignatas; Magnifice* item, *ac splendide cœnatum; Novamque Nuptam in Mariti sinu inter cœnandum jacuisse;* illos etiam quam apertissime commemorat, quos ipsi probandos suscepimus; nimirum FELICITER, *acclamatum*; STATIMque *emissam eam vocem*, SIMUL AC *essent* OBSIGNATÆ SPONSALES TABULÆ. Sunt hæc Juvenalis verba:

SIGNATÆ TABULÆ; dictum FELICITER; ingens
Cœna sedet; jacuit gremio nova nupta Mariti.

Extat etiam Tranquilli in *Domitiani Vita* locus, quem, quia huc facere arbitror, recitabo: ita conscriptus est in cap. XIII. *Neque IN REDUCENDA POST DIVORTIUM UXORE edicere dubitavit* Domitianus,*vocatam eam in pulvinar suum; ACCLAMARI etiam EPULARI DIE libenter audiit, DOMINO, ac DOMINÆ, FELICITER*. Fecerat videlicet Domitianus cum Domitia uxore divortium, quod esset ea Paridis Histrionis amore deperdita; sed intra breve tempus impatiens dissidii, quasi efflagitante populo, dimissam reduxit. Reductionem hanc populus faustis prosequutus est Acclamationibus, atque inter cæteras eam quoque formulam emisit, quam diximus, mox factis sponsalibus usurpari solitam. FELICITER igitur acclamavit; quasi hac in reconciliatione fuisset iterum Domitiano desponsa Domitia, & novæ tabulæ sponsales obsignatæ. A Tibullo quoque libro III. sub Elegiæ IV. finem, formulæ hujus, quamquam paulo obscurius mentionem factam video; sic enim canit.

Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse
FELIX. Hoc alium desine velle Virum.

hic etenim, *FELIX*, pro eo esse, ac si dixisset, *FELICITER*, mox adjecta verba satis ostendunt,

——— *Hoc alium desine velle Virum.*

quæ sententiam habent hujusmodi: Non est, o Neæra, quod, alterius amore capta, novas tecum mediteris nuptias: jam enim desponsa es; jam sunt obsignatæ sponsales tabulæ; jamque acclamatum est, FELICITER. Eandem formulam his quoque verbis interdum conceptam observo, QUÆ RES RECTE VORTAT, aut iis, DII BENE VORTANT; qui modi Plauto valde familiares sunt. nos tamen unum, aut item alterum ex eo locum afferre contenti erimus. Sic igitur in *Aulularia* Actu II. Scena III.

FILIAM DESPONDI ego hodie, huic NUPTUM Megadoro dabo.
DII BENE VORTANT ——

& in Scena II. ejusdem Actus dixerat,

QUÆ RES RECTE VORTAT, mihique, tibique tuæque filiæ,
FILIAM TUAM mihi UXOREM POSCO.
PROMITTO hoc fore.

qui loci satis indicant, inclamata ea verba, STATIM FACTA UT essent SPONSALIA.

CAP. XIV.

HYMENÆUM *in* NUPTIIS *solitum olim* ACCLAMARI. *Quæsitum* QUID ESSET HOC VERBI, HYMENÆUS, *&* CUR ACCLAMARETUR. *Probatur præ cæteris Procli hac de re sententia.*

ACCLAMATIONUM *formulæ in* SPONSALIBUS, QUÆ *essent olim*, dictum est; aperiendum nunc, QUID *soleret ipsis in* NUPTIIS *acclamari*. HYMENÆUS autem, THALASSIUS, ac FESCENNINI VERSUS fuere antiquitus consuetæ in NUPTIIS Acclamationes. de quibus omnibus multa scio ex utriusque linguæ Scriptorum monimentis, cum a veteribus, tum a recentioribus, notata esse. Horum ego nonnulla silentio de industria præteribo, cætera paucis complexus breviter attingam; iis vero præcipue immorabor, quæ aut omissa, aut minime animadversa ab aliis esse videbuntur. Ordior ab Hymenæo; de cæteris dicturus deinceps.

HYMENÆUM igitur fuisse antiquitus in NUPTIIS ACCLAMATUM, discimus ex Plauto, Terentio, Lucretio, Catullo, Servio, Donato, Plutarcho, Aristophane, Theocrito, Proclo, Eustathio, Tzetze, ut de cæteris non paucis omittam dicere; quorum ego loca, quia in promptu sunt, non referam. Illud tamen ex eis admonebo, *Consuetudinem acclamandi in* NUPTIIS HIMENÆI *primos introduxisse Græcos; a Græcis introductam Latinos accepisse; posteros vero semel acceptam constanter adeo retinuisse, ut hodie etiam pueri passim novam nuptam, e domo primum procedentem, comitentur plaudentes manibus, &* HYMENÆUM, *identidem* CONTENTIUS INGEMINANTES.

Sic autem indicata strictim acclamandi in Nuptiis Hymenæi consuetudine, jam QUID *esset* olim *hoc verbi*, HYMENÆUS, & CUR ACCLAMARETUR, *quæri debet*. quam rem perobscuram reddidere dissimiles de ea Auctorum opiniones. Etenim sunt, qui putent, Hymenæum, ex Libero, & Venere genitum, certarum Nuptiarum auctorem fuisse ac inventorem; atque ob hoc meritum increbuisse consuetudinem acclamandi in Nuptiis Hymenæi. ita quidem Donatus in suis ad Terentii *Adelphos* Commentariis. Quidam apud Proclum in *Chrestomathia*, & apud Tzetzem in *Historico* Chiliade XIII. historia CCCCXCVI. prodidere, Terpsichoræ filium Hymenæum, mox ducta uxore, e thalamo evanuisse: ideoque propter illius investigationem ac desiderium fuisse a priscis institutum, ut Hymenæus in Nuptiis acclamaretur. Narrant alii, juvenem quendam, Hymenæum appellatum, ipso Nuptiarum die, ruina domus oppressum, interiisse: expiationis autem causa cœptum ex eo tempore in Nuptiis Hymenæi nomen frequentari, & acclamari. At Placidius Lactantius ad III. *Thebaidos* Statii librum, vocis hujus ac consuetudinis originem, causamque repetit ab Atheniense Hymenæo: *qui, cum annos puerilis ætatis excederet* (Lactantii verba sunt) *neque adhuc virum posset implere, ea pulchritudine præditus fuisse dicitur, ut fœminam mentiretur. is cum unam ex civibus suis Virginem nobilem adamasset, ipse mediocribus ortus parentibus, quia nuptias desperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, satis animo solo faciebat aspectu. Cumque nobiles fœminæ cum Virginibus sacra Cereris Eleusinæ celebrarent, subito adventu piratarum raptæ sunt, inter quas etiam Hymenæus: qui illo amatam fuerat subsequutus, quod puella crederetur. Cum igitur per longinqua maria prædam piratæ vexissent, ad quandam regionem tandem devoluti perveniunt, ibique somno oppressi ab insequentibus sunt interempti. Hymenæus relictis ibi Virginibus reversus Athenas, pactus est a civibus dilectæ Nuptias, si eis filias suas restituisset, quas ubi pro voto restituit, exoptatam accepit uxorem. Quod conjugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus nomen Hymenæi Nuptiis miscere*. Hactenus Lactantius. Quam eandem moris, nominisque causam & originem placuisse item animadverti Servio ad I. *Aeneidos* librum, Donato ad Terentii *Adelphos*. & aliis apud eosdem Proclum, & Tzetzem. quamquam hi omnes in Historiæ narratione & a Lactantio, & inter se paullulum differunt. Proclus vero in adducto *Chrestomathiæ* loco, cum aliorum sententias protulisset, ut tandem aperiret, quid de hac voce & consuetudine sentiret ipse, subjecit ista: *Ego vero FELICIS VITÆ ACCLAMATIONEM esse puto, præsentibusque FIDAM MATRIMONII SOCIETATEM cum mutuo amore COMPRECARI; Aeolica dialecto votum innectendo, quasi ὑμεναίειν, & ὁμονοεῖν, id est, UNA HABITARE, & EADEM SENTIRE, eos concorditer viventes optarent*. Ita ut Proclo Nuptialis vox

Hymenæus Aeolica dialecto etymon habeat *ἀπὸ τοῦ ὁμονοεῖν*; quod ſcilicet debeat Vir & Uxor *habitare una, eademque ſentire*. quam quidem etymi rationem notatam etiam video ab Etymologici magni auctore, & Tzetze. cur autem acclamarent in Nuptiis Hymenæum, cauſæ illud adfert Proclus; ut ſcilicet ſponſo, & ſponſæ, *Vitam felicem, fidam Matrimonii ſocietatem, mutuumque amorem comprecarentur*.

Nos vero in tanta ſcribentium varietate de Nuptialis hujuſce vocis & acclamationis origine & cauſa, quemnam maxime ſequemur auctorem? per me quidem liceat unicuique quem maluerit probare; hunc enim, aut illum potius ſequatur, ad rem minimum intereſt. Sed liceat & mihi in unius Procli ſententia acquieſcere. quem ſane præ cæteris prudens ſequor; quod, quæ de Hymenæo prodit, mire congruunt omnia cum iis, quæ nunc ſcribimus. nam HYMENÆUM edicit, & fuiſſe FELICIS VITÆ ACCLAMATIONEM, & habuiſſe BONA VOTA PRO SPONSI ET SPONSÆ SALUTE. In eo igitur ſtandum, quod Proclus docet, *Vocis* HYMENÆI ORIGINEM *ex verbo ὁμονοεῖν*, quod eſt, *habitare ſimul & eadem ſentire*, REPETENDAM *eſſe*. CAUSAM vero, CUR *in Nuptiis* ACCLAMARENT HYMENÆUM, *eam fuiſſe, ut novis nuptis* FELICEM VITAM, FIDAM SOCIETATEM, & MUTUUM AMOREM OPTARENT *ac* PRECARENTUR.

CAP. XV.

QUANDONAN *potiſſimum in Nuptiis, & a* QUIBUS *ſoleret* HYMENÆUS ACCLAMARI?

UNum ſupereſt, ut & *QUANDO & A QUIBUS acclamaretur Hymenæus*, dicatur. Equidem non dubito, quin *tum* ſoleret *acclamari, cum in domum Viri nova nupta deduceretur*. Facit, ut ita credam, illud in primis, quod ait Olympio apud Plautum in *Caſina*:

Age tibicen, dum illam EDUCUNT HUC *novam nuptam* FORAS,
Suavi cantu CONCELEBRA *omnem banc plateam* HYMENÆO.
IO HYMEN HYMENÆE, IO HYMEN.

Ad hæc Terentii gravis auctoritas; in cujus *Adelphis* Actu v. Scena VII. Demea Æſchinem ſic alloquitur;

——— *Sed cur non* DOMUM
UXOREM ACCERSIS?

Æſchines autem Demeæ ſic reſpondet,

——— *Cupio: verum* HOC MIHI MORA EST
TIBICINA, *&* HYMENÆUM QUI CANTENT. ——

ita ut neutiquam ſoleret olim prodire nova nupta, in Viri domum deducenda, niſi adeſſent, qui Hymenæum acclamarent. Etiam Catullus firmum dat hujuſce conſuetudinis teſtimonium, dum in Carmine de Nuptiis Juliæ & Manlii ita canit:

——— *Sed abit dies*,
PRODEAS NOVA NUPTA.
Tollite o pueri faces;
Flammeum videor videre:
Ite, CONCINITE IN MODUM,
IO HYMEN, HYMENÆE IO,
IO HYMEN HIMENÆE.

A Expreſſit hoc ipſum idem Catullus, licet ſubobſcurius, in altero Nuptiali Carmine, ſcribens hoc pacto:

Iam VENIET *Virgo, jam* DICETUR HYMENÆUS.
Hymen o Hymenæe, Hymen, ades o Hymenæe.

Utrum autem ad hunc etiam ritum reſpexerit Lucretius, pro certo affirmare non poſſum: idem tamen videtur huic, quod illis, in mentem veniſſe, cum cecinit libro I.

Nam ſublata virum manibus, tremebundaque ad aras
B DEDUCTA EST, *non ut ſolenni more ſacrorum*
Perfecto poſſet claro COMITARI HYMENÆO;
Sed caſta inceſte nubendi tempore in ipſo
Hoſtia concideret. ———

Præterea, cum pueros nunc etiam paſſim videamus, ut paulo ante dictum eſt, novam nuptam, e domo primum procedentem, frequentes comitari, & Hymenæum identidem contenta voce inclamare; haud dubie credi par eſt, hoc, quod nunc uſurpatur, omnino veteris eſſe conſuetudinis veſtigium.

Jam vero, A QUIBUS *ſoleret* olim *Hymenæus acclamari*, ex iiſdem illis, quorum loca modo ſupra adduxi, Plauto, Terentio, & Catullo, facile
C quivis didicerit. Licet enim videatur a Plauto Catullus diſſentire, Terentii tamen auctoritate parvo negotio in concordiam reducentur. Plautus igitur in prolato *Caſinæ* loco, Hymenæi acclamandi munus & onus TIBICINIS fuiſſe, haud obſcure ſignificat dum ait;

Age TIBICEN, *dum illam educant huc novam nuptam foras*,
Suavi CANTU *concelebra omnem hanc plateam* HYMENÆO;
IO HYMEN HYMENÆE, IO HYMEN.

D Catullus vero non minus aperte edicit, PUEROS eam curam ſuſtinuiſſe; hæc enim canit in Carmine de Nuptiis Manlii & Juliæ:

Tollite o PUERI *faces;*
Flammeum videor videre:
Ite, CONCINITE IN MODUM,
IO HYMEN, HYMENÆE IO, &c.

Hanc porro Plauti & Catulli locorum repugnantiam (quæ tamen in ſpeciem verius, quam re ipſa repugnantia eſt) facile ſuſtuleris, ſi dicas: TIBICINIS quidem Plautum, Catullum vero PUERORUM duntaxat meminiſſe; veruntamen neque
E Catullum negaſſe, qui in TIBICEN, neque Plautum, quin PUERI adhiberentur in acclamando Hymenæo. nimirum PUERI AD TIBICINEM modulate olim CANEBANT HYMEMÆUM. Id quod ex Terentii *Adelphis* Actu v. Scena VII. verba illa planiſſime confirmant;

——— *Sed cur non domum*
Uxorem accerſis? ———

ſunt hæc Demeæ, Æſchinem alloquentis:

——— *Cupio; verum hoc mihi mora eſt*
TIBICINA, *&* HYMENÆUM QUI CANTENT. ———

F iſta vero Æſchinis Demeæ reſpondentis. Quo loci vides, apertiſſime factam a Terentio mentionem & TIBICINÆ, & ALIORUM (PUERORUM ſcilicet, ut ego interpretor) QUI ad TIBICINAM concinne CANERENT HYMENÆUM. Nec officit huic noſtræ interpretationi, quod TIBICINAM dicat Terentius, Plautus vero TIBICINEM; nam, ſicut hodie, item olim, promiſcue tam fœminæ, quam mares, & tibiis, & fidibus, & cæteris muſicis inſtrumentis canebant. Significari autem puto illud idem Ariſtenæti etiam loco ex lib. I.

Epist. x. ita conscripto: *At VIRGINIS ÆQUALES perfectum tum demum HYMENÆUM CECINERE: e queis si qua discrepare visa, respicit eam Chori magistra, & ad modulum commode reducit, manibus simul increpans.* & subdit illico: *ALIUS CANTICIS APPLAUDERE, dexteræque contractis digitis subjectæ lævæ palmam ferire, ut manus complosæ cymbalorum in modum dulcem sonum ederent.* Hæc Aristenætus, de Cydippæ & Acontii Nuptii agens. Ex quibus plane licet intelligi, & FŒMINAS (forte TIBICINAS) musicis omnino modis ac numeris HYMENÆUM CECINISSE, & ALIOS item, hoc est, PUEROS ACCINENTIBUS illis SUCCINUISSE plaudentes. B quo sane loco nemo non videt, nostram, seu potius Terentii, sententiam magnopere adjuvari. Sed de HYMENÆO satis; ad THALASSIUM accedo.

CAP. XVI.

THALASSII *nomen olim fuisse* SCRIBENDO *varie usurpatum. Eandem* VOCEM in NUPTIIS *frequentissime* ACCLAMATAM.

NUptialis vox, THALASSIUS, fuit non uno modo a Veteribus scribendo usurpata. C siquidem eam, ut paulo post apparebit, TALASIONEM, & TALASIUM, & THALASSUM, & THALASSIUM dixere. Quia tamen communior olim illius scribendæ modus fuit THALASSIUS, idcirco nos etiam THALASSIUM potius, quam vel THALASSUM, vel TALASIUM, aut TALASIONEM, & scripsimus adhuc, & item deinceps scripturi sumus. Hanc autem nominis varietatem crearunt variantes Auctorum de D hujusce Acclamationis causa & origine opiniones. quæ loco proferentur. Interim admonebo, fuisse antiquitus THALASSIUM in Nuptiis acclamatum, & NUPTIALEM omnino factam eam vocem, id quod apertissime tradunt Livius in lib. I. Plutarchus in *Romulo*, in *Pompejo*, & in *Quæstionibus Romanis*, Virgilius in *Catalectis*, Martialis in lib. I. epigr. XXVI. in lib. III. epig. XCIII. & in lib. XII. epigr. XLII. Plinius libro *de Viris Illustribus* in Romulo, Festus verbo *Talasionem*, Eusebius in *Chronico*, & Servius ad I. *Æneid.* Virgilii librum. quorum testimonia non profero nunc, quod sint producenda in proxime sequentibus Capitibus. Placet tamen unum e Plutarcho, & item alterum E e Sidonio Apollinari locum hic adducere, eam ob causam; quod, cum cætera Auctorum loca generatim duntaxat probent, solitum in Nuptiis acclamari THALASSIUM, ex his Plutarchi, & Sidonii, manifeste intelligitur, fuisse & in Pompeii, & in Ricimeris Nuptiis peculiariter ac separatim eandem acclamandi formulam usurpatam. *Antistius Prætor*, ait Plutarchus in *Pompejo*, *Pompeii benevolentia captus, ejus filiam uxorem spopondit*, &c. *Quod cum suscepisset Pompejus, & occulta quædam fœdera inter ipsos inita essent*, &c. *Turba veluti præmonita NUPTIALE ILLUD, VERBUM THALASSIUM, EX VETUSTO RITU ACCLAMAVIT.* F Qui sane locus aperte admodum significat, fuisse in Pompeii Nuptiis THALASSIUM acclamatum, atque id nonnisi ex prisco ritu factitatum. Sidonius vero in epistola v. libri I. *Interveni*, inquit, *Nuptiis patricii Ricimeris, cui filia perennis Augusti in spem publicæ securitatis copulabatur. Igitur nunc in ista, non modo personarum, sed etiam ordinum, partiumque lætitia*, &c. *per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia, THALASSIO Fescenninus explicabatur.* Nunc antiqui nomini, ac moris originem, & causas exquiramus.

CAP. XVII.

Veterum nonnullos THALASSII *nominis originem a* LANIFICIO *deduxisse*. CAUSAM *item*, CUR *in Nuptiis* THALASSIUS ACCLAMARETUR, *hanc eosdem attulisse, ut novæ nuptæ ad* LANIFICIUM *provocarentur*. Ταλασίαν *olim pro* LANIFICIO *a Romanis, æque ut a Græcis, usurpatam*. TALASIUM *omnino, aut* TALASIONEM, *non autem* THALASSIUM, *scribendum iis, qui vocis hujus etymon a* Ταλασία *repetunt*.

HAbet VOCIS Thalassii NOTATIO duas omnino sententias. si enim Varronem audimus apud Festum, Plutarchum in *Quæstionibus Romanis*, Jubamque, & alios apud Plutarchum in *Romulo*, ea est a LANIFICIO deducenda, quod Græcis Ταλασία dicitur. sin Livium, Atilium apud Festum, Plutarchum in *Quæstionibus* item *Romanis*, in *Romulo*, & in *Pompejo*, Plinium in libro *de Viris Illustribus*, Eusebium in *Chronico*, & Servium ad I. *Æneidos* Virgilii librum, sequimur, a THALASSIO Romuli Duce, notissimo tunc inter omnes, ac lepidissimo viro, repetenda est. CAUSAM item, CUR *Thalassius* in Nuptiis acclamaretur, eam adferunt prioris sententiæ auctores, ut scilicet ad LANIFICIUM PROVOCARENTUR NOVÆ NUPTÆ. posterioris vero vindices adfirmant, solitam eo emitti hujusmodi Acclamationem, ut BENE ac FELICITER EVENIRENT Nuptiæ, quemadmodum FAUSTÆ, PROSPERÆque CECIDERANT olim THALASSIO. Utraque sententia, cum de nominis origine, tum de causa moris, suos habet recentes etiam assertores. Nos, ex hisce duabus quam potius sequamur, loco dicemus. nunc Veterum testimonia, priorem confirmantia, a Varrone sumentes initium, producemus.

Igitur apud Festum in voce *Talasionem*, sic est: *TALASIONEM in Nuptiis Varro ait, signum esse LANIFICII.* Ταλάριον *enim, id est, QUASILLUM solitum appellari TALASIONEM.* Plutarchus vero in *Quæstionibus Romanis*, quæstione XXXI. *Cur*, inquit, *IN NUPTIIS acclamatur iste omnium sermone notus TALASIUS? an a LANIFICIO, quæ Græcis est* Ταλασία; *talasum pro talaro dicentibus? nam sponsæ introductæ vellus substernunt, ipsaque secum colum & fusum importat, ac mariti januam lauro coronat.* Et in *Romulo* ex aliorum sententia ait in hunc modum; *Plurimi tamen, inter quos & Juba, hanc exhortationem & provocationem ad opus & lanificium, quod Græci* Ταλασίαν *dicunt, esse opinantur, cum nondum Latina vocabula Græcis essent confusa. Quod si ita sit (quamquam UTEBANTUR ROMANI per id temporis TALASIÆ NOMINE COMMUNI CUM GRÆCIS) probabilior hujus rei causa & ratio posset afferri. nam cum Sabini hostes posito bello pacem cum Romanis inierunt, percusso fœdere convenerunt de mulieribus, ut nulla alia in re Viris, quam in his, quæ ad lanificium pertinerent, operam suam navarent. Mansit igitur deinceps ea consuetudo, ut, qui darent, aut acciperent, aut interessent omnino Nuptiis, per ludum ac jocum TALASIUM vocitarent, attestantes, ad nullum aliud opus Uxorem, quam ad LANIFICIUM, duci.*

Talia sunt ergo Varronis, Plutarchi, Jubæ, & cæterorum loca, de THALASSII voce a LANIFI-

CIO deducenda, deque illius acclamandæ CAUSA; talis est etiam expressa eorundem sententia. In qua duo præcipue debent animadverti, a Plutarcho item notata. unum, THALASSII nomen a TALASIA omnino derivari. alterum, TALASIÆ vocem olim fuisse a Romanis pariter & Græcis pro LANIFICIO usurpatam. Quæ duo satis evincunt, & minime necessarium esse eorum laborem, qui conantur Varronis locum apud Festum, & Plutarchi in *Quæstionibus Romanis* emendare; *κάλαθον*, vel *κυάσυλλον*, aut etiam *τάλαντον*, pro eo, quod *τάλαρον* inibi legitur, substituentes: & eos item imperite facere, qui, hanc sequentes sententiam, THALASSIUM, aut THALASSIONEM, vel THALASSUM, non autem TALASIUM, aut TALASIONEM scribunt. Quapropter, ut concludam, opinionis hujus adsertores & THALASSII nomen a TALASIA deducunt; & CUR in Nuptiis ACCLAMARETUR, CAUSÆ illud adferunt; ut novæ nuptæ ad TALASIAM, hoc est, ad LANIFICIUM PROVOCARENTUR. Nimirum SABINI, ut ex Plutarcho in *Romulo* modo supra dicebamus, *pacem cum Romanis ineuntes, de mulieribus convenerunt, ut nulla alia in re Viris, quam in his, quæ ad LANIFICIUM pertinerent, operam suam navarent. mansit autem deinceps ea consuetudo, ut qui darent, aut acciperent, aut omnino Nuptiis interessent, per ludum ac jocum TALASIUM acclamarent; attestantes, ad nullum aliud opus uxorem, quam ad LANIFICIUM duci.* Quamquam, ut verum fatear, cum fœminæ fuerint semper maxime laboriosæ, haud scio, an hoc uno duntaxat opere voluerint esse contentæ.

CAP. XVIII.

Antiquitus fuisse non paucos, qui THALASSII *nominis etymon, ejusque in Nuptiis acclamandi originem, & causam a* ROMULI DUCE THALASSIO *derivarent. Rem tamen istam ab iisdem* VARIE *omnino enarrari.*

POsteriori autem sententiæ vindices, quos secundo loco in proxime superiori Capite nominavi, de Nuptiali Thalassio ita sentiunt; THALASSII *nomen, ejusque in Nuptiis acclamandi originem*, & causam, *omnino* A ROMULI DUCE THALASSIO *repeti oportere*. atque, ut in hoc consentiunt omnes, ita in ipsa re gesta enarranda, inque assignanda Acclamationis causa, alteros ab alteris dissidere, quæ statim subjungam, ostendent.

Livius enim in libro I. *Jam Sabinarum*, inquit, *omnis multitudo cum liberis ac conjugibus venit, invitati hospitaliter per domos, cum situm, mœniave, & frequentem tectis Urbem vidissent, mirantur, tam brevi rem Romanam crevisse. Ubi spectaculi tempus venit, deditæque eo mentes cum oculis erant; tum ex composito orta vis, signoque dato juventus Romana ad rapiendas Virgines discurrit; magna pars forte, ut in quem quæque inciderat, rapta: quasdam forma excellentes, primoribus Patrum destinatas, ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant. unam, longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo* THALASSII *cujusdam* RAPTAM *ferunt; multisque sciscitantibus*, CUI*nam eam* FERRENT, *identidem, ne quis violaret*, THALASSIO FERRI *clamitatum*. INDE NUPTIALEM HANC VOCEM FACTAM. Cum Livio faciunt Plinius, & Plutarchus; quorum ille libro *de Viris Illustribus* in Romulo: *Romulus*, inquit, *cum videret conjugia deesse, per Legatos a finitimis Civitatibus petiit; quibus negatis, ludos Consualia simulavit. Ad quos cum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo, Virgines raptæ sunt. Ex quibus cum una pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur*, THALASSIO QUÆ NUPTIÆ QUIA FELICITER CESSERUNT, *institutum est, ut* OMNIBUS NUPTIIS THALASSII NOMEN INVOCARETUR. Plutarchus vero in *Quæstionibus Romanis*, Quæstione XXXI. *An verum est*, ait, *quod Historici tradiderunt? est autem tale. Quo tempore Romani Sabinarum filias Romam ad spectaculum profectas rapuerunt*, THALASSIO *(erat autem hic* THALASSIUS *juvenis re bellica præclarus, & cætera probus) Virginem insigni forma plebeii quidam afferebant, utque id eo possent tutius, neque interciperentur, aut Virgo ipsis eriperetur*, VOCIFERABANTUR, *eam* THALASSIO ADDUCERE. *ita, reliqui, honorem* THALASSIO *habentes*, FAUSTIS ACCLAMATIONIBUS, *&* COMPRECATIONIBUS *eos sunt prosecuti ac comitati. cumque* FELICITER *istud* CONJUGIUM CECIDISSET, *morem introduxerunt*, ALIIS *quoque* THALASSIUM ACCINENDI, *ut Hymenæum solent Græci*. Et in *Romulo*: *Unam*, ex Sabinarum Virginibus, *longe ante alias insignem specie ac pulchritudine ab obscuris quibusdam hominibus raptam ferunt, in quos cum diripiendæ Virginis gratia ex optimatibus quidam invasissent, ab illis, ne quis violaret*, THALASSIO *eam* FERRI CLAMITATUM, *juveni probo ac splendido; tum eos, audito* THALASSII *nomine, clamore & plausu collaudasse; quosdam etiam consecutos esse gratia & benevolentia Viri*, THALASSIUM CONCLAMANTES: EX QUO NUPTIALEM, *quemadmodum Græcis Hymenæum*, EAM VOCEM FUISSE; *nam & illum in* MULIERE SERVANDA OPTIMA USUM ESSE FORTUNA. Et in *Pompejo*: *Mos hic inde initium cœpisse memoratur. cum Sabinæ, quæ ad spectacula Romana venerant, a primoribus Urbis raptæ fuissent, ignobiles quidam Viri puellam eximiæ pulchritudinis adducentes captam, ne a quoquam e primis obviam facto præda spoliarentur, cursitando* THALASSIUM ACCLAMAVERE. *Erat* THALASSIUS *Vir inter omnes notissimus atque lepidissimus, unde, ejus nomine audito, cum plausu lætitiaque exultabant omnes, alacri* CLAMORE THALASSIUM REPETENTES. EX HOC *dicunt, cum* THALASSIO ID CONJUGIUM MAXIME FELIX FUISSET, VOCE HAC FAUSTUM, SIMILEQUE CONNUBIUM *cum risu jocoque* NOVIS NUPTIS OPTARI. Atque hoc quidem modo Livius, Plinius, & Plutarchus, rem istam prodidere. Festus vero ex Atilio sic eam commemorat: *Atilius Historiarum scriptor* THALASSIUM *nomine Virum, rapta Virgine unicæ pulchritudinis*, QUOD *ei id* CONJUGIUM FUERIT FELIX, OMINIS GRATIA ID REDINTEGRARI. Sextus apud Plutarchum in *Romulo*, his verbis: *Sextus vero Syllas Carthaginensis, vir neque a Musis, neque a Charitibus abhorrens, dixit nobis;* THALASSII *nomen Romulum* SIGNUM DIREPTIONIS *dedisse, igitur omnes simili voce Regem prosecutos esse;* IDCIRCO EUM IN NUPTIIS MOREM ESSE SERVATUM. Eusebius in *Chronico*: *Consualibus*, inquit, *ludis adornatis Sabinæ raptæ anno ab Urbe condita tertio: & una Virginum pulcherrima cunctorum acclamatione rapientium* THALASSIO *Duci Romuli decernitur. unde in Nuptiarum solemnitatibus* THALASSIO, *vulgo clamitant;* QUOD *scilicet* TALIS NUPTA SIT, QUÆ THALASSIUM

HABERE MEREATUR. Servius tandem ad primum *Æneidos* Virgilii librum: *Hinc*, ait, *apud Romanos* THALASSIO INVOCATUR. *cum enim raptu Sabinarum plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferretur ab aliis*, THALASSIONIS EAM *Ducis nobilis* ESSE *simulavit*, CUJUS NOMINE FUIT PUELLÆ TUTA VIRGINITAS. Jam igitur perspicue apparet, illud certe quidem, ut paulo ante posuimus, convenire inter omnes, NUPTIALIS THALASSII *nomen*, & *acclamandi originem*, a Romuli Duce THALASSIO *derivari*; REM tamen GESTAM omnino VARIE *ab iisdem enarrari*, CAUSAMque ACCLAMATIONIS *non uno modo reddi*.

Livius itaque, Plinius, & Plutarchus, REM & CAUSAM sic perstringunt. *In Sabinarum Virginum raptu*, a Romana juventute facto, *unam*, longe ante alias specie & pulchritudine insignem, *raptam fuisse*, *multis* autem *sciscitantibus*, *cuinam eam ferrent*, *identidem*, *ne quis eam violaret*, THALASSIO *Romuli Duci ferri*, *clamitatum*: *quæ* NUPTIÆ QUIA FELICITER CECIDISSENT, *inde factam* NUPTIALEM *eam vocem*; *& item institutum*, *ut omnibus in Nuptiis* THALASSIUS *acclamaretur*. Atilius scribit, eam Virginem fuisse, *non delatam* THALASSIO, *sed ab ipso* THALASSIO *raptam*; *quod conjugium cum* FUERIT FELIX, *ex eo cœptum*, *boni ominis causa*, THALASSII *nomen frequentari in Nuptiis & acclamari*. Sextius Charthaginensis narrat, *neque delatam eam* THALASSIO, *neque ab ipso* THALASSIO *raptam*, *sed pro direptionis signo datum a Romulo* THALASSII *nomen*: *quæ res quod* BONUM *habuerit* EVENTUM, *inde morem introductum acclamandi in Nuptiis* THALASSII. Eusebius ait; *raptam illam*, THALASSIO *Romuli Duci fuisse decretam*: *ob* EAM*que* CAUSAM *acclamari* THALASSIUM *in Nuptiis*, *ut appareret*, *talem nuptam esse*, *quæ* THALASSIUM, *strenuum ac nobilem Virum*, *habere mereretur*. Servius demum affirmat; OB ID THALASSIUM *in Nuptiis acclamari solitum*, *quod olim*, *repetito inter Nuptiales Acclamationes* THALASSII *nomine*, TUTA *fuerit raptæ puellæ* VIRGINITAS.

Nunc statuendum videtur, ex præpositis duabus sententiis, quænam maxime probanda sit.

CAP. XIX.

Eorum SENTENTIAM VERISIMILIOREM *videri*, *qui Nuptialis* THALASSII VOCEM, *&* ACCLAMANDI ORIGINEM *ac* CAUSAM, *a Romuli Duce* THALASSIO *deducunt*. CUR *hæc* SENTENTIA *magis probetur*, *plures afferuntur causæ*.

DE THALASSIO igitur, in Latinorum Nuptiis olim acclamari solito, hactenus duplicem proposuimus Veterum sententiam; eorum scilicet alteram, qui rem totam a Ταλασία, hoc est, a LANIFICIO, deduxerunt; alteram eorum, qui a THALASSIO, ROMULI DUCE, repetendam credidere. Nostræ partes jam erunt deinceps, ex propositis duabus sententiis quam potissimum sequi oporteat, considerare. Considerandi autem initium sit hujusmodi.

MOS ACCLAMANDI in Nuptiis THALASSII initium habuit a LATINIS: LATINI item SOLI enim ita retinuere, ut non in alias unquam immigrarit gentes. atque hoc Plutar-

A cho teste dicimus; apud quem in *Quæstionibus Romanis*, Quæstione XXXI. sic scriptum legitur; *Cumque feliciter istud conjugium* (de Thalassio Romuli Duce loquitur) *cecidisset*, MOREM INTRODUXERE LATINI, *aliis quoque* THALASSIUM ACCINENDI, *ut Hymenæum Græci solent*. quod idem repetit in *Romuli Vita*. Et Joanne Tzetze etiam, homine pereruditο, a quo pauca hæc nostro arbitratu ex Historico, Chiliade XIII. Historia CCCCXCVI. sumpsimus:

B *Sicut ergo hunc*, Hymenæum, *Græci vocant in Nuptiis*,
Ita vocat & THALASSIUM GENS LATINORUM.

Non sic de Hymenæo; cujus in Nuptiis acclamandi consuetudo, ut ante ostendimus, a Græcis introducta, statim excepta est a Latinis, atque ita deinceps retenta, ut hodie etiam versetur in vulgi usu communi. Ex his sane ratiocinari hoc pacto licet; si modo licet idem, docendi gratia, sine aurium offensa iterare. THALASSII acclamatio in Nuptiis a LATINIS introducta est; inter SOLOS item LATINOS mansit semper illius
C usus: igitur & THALASSII nominis origo, & acclamandi causa a LATINIS repetenda est. qua quidem ratiocinatione illud etiam conficitur; MALE eos facere, qui Nuptialem THALASSIUM deducunt a GRÆCORUM Ταλασία, hoc est, a LANIFICIO; at BENE, qui a LATINORUM THALASSIO derivant. Præterea, ob id etiam probabilior omnino putanda est sententia hæc, quod PLURES, quam illa HABET, eosque nobiles & perantiquos, ADSERTORES ac VINDICES; quemadmodum cuique recognoscenti u-
D trinque producta testimonia haud magno negotio apparebit. Ad hæc, PLUTARCHUS gravissimus Auctor, vir Græcus, & Græcorum omnium rituum ac consuetudinum doctus & intelligens existimator, rejecta tandem opinione existimantium, Thalassii nomen & acclamationem derivari a Græcorum Ταλασία, EAM APROBAT, ac prudens SEQUITUR, SENTENTIAM, quæ rem totam a LATINORUM THALASSIO deducit. cur non igitur erit hæc eadem nobis etiam verisimilior putanda? mihi quidem videtur, credo item aliis. A Plutarcho autem fuisse, improbata priore, posteriorem approbatam sententiam, quæ
E mox subjungam, satis ostendunt. Tribus in locis, quod ego sciam, de Nuptiali Thalassio meminit Plutarchus: in *Quæstionibus Romanis*, in *Romulo*, & in *Pompejo*. atque in prioribus locis duobus quæstionem quidem affert, *Cur in nuptiis acclamaretur Thalassius*; at non eam, quantum video ipse, persolvit, aliorum etiam tantummodo sententias, sive voce, sive scripto traditas, commemorat; rem ipse veluti addubitatam relinquens, nec ullum suum de ea interponens judicium; ut relegens quisque loca parvo negotio perspiciet. At in *Pompejo*, quid tandem senserit, ita nobis testatum reliquit, ita manifestum, nihil ut fieri queat
F illustrius Narrat inibi Plutarchus, fuisse in Pompeii Nuptiis, THALASSIUM a turba acclamatum. Mox, quærens consuetudinis ejus initium, deducit illud a THALASSIO ROMULI DUCE, cum quo scilicet conjuncta fuit pulcherrima illa Virgo, a Romanis inter Sabinas rapta. Subdit autem; *Et hoc dicunt*, *cum* THALASSIO *id conjugium maxime felix fuisset*, *voce hac faustum*, *simileque connubium*, *cum risu*, *jocoque novis nuptis optari*. Tandem ut aperiat, ea de re quid vere sentiret ipse, in hæc omnino verba concludit; *In*

his, quæ feruntur DE CLAMORE THALASSII, HOC MAGIS CREDENDUM EST. Ut jam minime dubium sit, quin ista fuerit vera ac germana Plutarchi de Nuptiali Thalassio sententia. Atque hæc omnia si vera sunt, ut certe sunt, sicut Varronis, Jubæ, & aliorum opinionem manifesto coargunt, existimantium, vocis THALASSII notationem, & acclamandi originem & causam, esse a LANIFICIO deducendam; ita evincunt, veram & certam esse illorum sententiam, Livii scilicet, Atilii, Plutarchi, Plinii, Eusebii, & Servii, qui totam hanc rem a ROMULI DUCE THALASSIO derivant.

B

CAP. XX.

THALASSIUM TUNC *maxime in Nuptiis olim* ACCLAMATUM, CUM *nova nupta in* VIRI DOMUM DEDUCEBATUR. *Habuisse* TURBAM ID OPERIS *ac* MUNERIS.

IN xv. hujus libri capite quæsitum est a nobis ac declaratum; QUANDONAM, & a QUIBUS potissimum soleret in Nuptiis HYMENÆUS ACCLAMARI. Idipsum videtur & nunc de THALASSIO, & de FESCENINIS CARMINIBUS postea statuendum.

C

THALASSIUS igitur, quemadmodum de HYMENÆO diximus, fuit TUNC maxime ACCLAMATUS, CUM nova nupta IN VIRI DOMUM DEDUCEBATUR. Indicio sunt Martialis verba ex libr. XII. epigr. XLII. hoc pacto conscripta;

PRÆLUXERE FACES, VELARUNT FLAMMEA vultus,
Nec TUA defuerant VERBA THALASSE tibi.

D

Turpes Callistrati & Afri nuptias describens & irridens in hoc Epigrammate Martialis, nonnullos etiam ritus meminit, eorum, qui justis in Nuptiis servari solebant: veluti PRÆLATAS novæ nuptæ FACES, FLAMMEO VELATUM ejusdem CAPUT, & THALASSIUM identidem ACCLAMATUM. Et quoniam tres hosce ritus junctim commemorat hoc loco Martialis; forte non is a vero longe abibit, qui junctim ob id eos scribendo positos opinabitur, quod junctim etiam omnes, eodemque tempore adhiberi consuevissent, quæ conjectura si probabilis est, ut certe est, jam illud, si minus ut necessarium, at ut maxime verisimile, licebit inferre: NOVA NUPTA flammeo obnubebatur, eique præferebantur faces TUM, CUM AD VIRUM DUCEBATUR; igitur & THALASSIUS in novæ nuptæ AD MARITI DOMUM DEDUCTIONE ACCLAMABATUR. Ad cujus rei confirmationem illa quoque, meo animo, non parum valent, quæ apud eundem Martialem in lib. III. epigr. XCIII. ita leguntur:

E

Quod si cadaver exigis tum scalpi,
Sternatur a Coricle clinico lectus,
THALASSIONEM qui tuum decet solus,
Ustorque TÆDAS PREFERAT NOVÆ NUPTÆ.

F

quo loci vides jungi cum FACIBUS THALASSIUM; quod eodem tempore & THALASSIUS ACCLAMARETUR, & PRÆFERRENTUR FACES: TUM scilicet, CUM AD MARITUM nova nupta DUCEBATUR. Comparat autem Martialis Nuptiarum, & Funeris ritus; Vetustinam per jocum irridens, quod, licet decrepita, virum tamen anxie quæreret. Cognosci potest hoc etiam ex eo, quod THALASSIUS, ut dictum est ex Plutarcho, & Tzetze, A LATINIS ACCLAMABATUR item, uti solebat A GRÆCIS HYMENÆUS. Cum autem certum sit ex iis, quæ supra posuimus, HYMENÆUM A GRÆCIS TUM maxime solitum acclamari, CUM AD MARITI DOMUM nova nupta DUCEBATUR, sequitur perspicue, ut IDIPSUM etiam SIT DE THALASSIO DICENDUM.

Atque hæc quidem, QUANDONAM potissimum fuerit THALASSIUS in Nuptiis ACCLAMATUS, docent planissime. A QUIBUS porro idem ACCLAMARETUR, nunc breviter aperiendum est. TURBAM certe, ac MULTITUDINEM, qui frequentes solebant ad Nuptiarum celebritatem convenire, THALASSIUM ACCLAMASSE, testificatur Plutarchus in *Pompejo*, dum Nuptias ejusdem Pompeii, ac filiæ Prætoris Antistii describens: *TURBA*, ait, *veluti præmonita, Nuptiale illud verbum THALASSIUM ex vetusto ritu ACCLAMAVIT*. Sidonius Apollinaris in lib. I. epist. v. affirmat, in Ricimeris & Augusti filiæ Nuptiis fuisse THALASSIUM per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, ac gymnasia, acclamatum; quæ quidem in loca cum TURBA maxime soleat congregari, non erit fortasse absurdum dicere, iis in Nuptiis fuisse THALASSIUM A TURBA ACCLAMATUM. Præterea certum est ex Plutarcho, Sidonio, & aliis, ut paulo post apparebit, AB IISDEM omnino fuisse olim & THALASSIUM ACCLAMATUM, & JACTATOS FESCENINOS VERSUS. HI porro cum JACI solerent A PUERORUM TURBA; (qua de re inferius dicemus); A PUERORUM item TURBA THALASSIUM ACCLAMARI consuevisse omnino fatendum erit. Sed jam ipsos excutiamus FESCENINOS.

CAP. XXI.

FESCENINA CARMINA *fuisse olim in Nuptiis* ACCLAMATA.

DE FESCENINIS CARMINIBUS ista maxime indicabo. Primum, FUISSE illa in NUPTIIS olim ACCLAMATA, inquiram deinde IPSAM eorundem ORIGINEM, ac NOMINIS etiam ETYMON. tum, QUID essent, aperiam. post dicam, eadem fuisse ALTERNIS jactata. adjiciam postremo, CUR, QUANDO, & A QUIBUS solerent acclamari? His autem breviter patefactis, finem huic libro imponam, & ad MISCELLANEAS tandem accedam Acclamationes.

Igitur fuisse antiquitus FESCENINA CARMINA in Nuptiis acclamata, prodidere Catullus, Horatius, Livius, Seneca, Plinius, Festus, Macrobius, Ausonius, Servius, Martianus Capella, S. Hieronymus. & Sidonius Apollinaris. quorum loca huc omnia lubentius adscribam, quod ita Lector faciliori negotio poterit mecum, quæcunque sunt de FESCENINIS observatione digna, considerare. Catullus in Carmine de Nuptiis Manlii & Juliæ, cum pueros excitasset ad canendum Hymenæum, de FESCENINIS ista subdit:

Nec diu taceat procax
FESCENINA LOCUTIO.

Horatius *Epistol.* libro II. epist. I. *ad Augustum* scribens, ita canit:

FESCENINA per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit, &c.

Livius sub libri septimi initium, *Non*, inquit, *sicut ante FESCENINO VERSUS similem, incompositum temere ac rudem, alternis jaciebant*. Seneca libro VII. controversia VI. *Inter NUPTIA-*

LES FESCENINOS in crucem generi nostri jocabantur. & in *Medea* Choro primo:

Festa dicax fundat convicia FESCENINUS. Plinius *Natural. Historiæ* lib. XV. cap. XXII. *Nuces*, ait, *juglandes quamquam & ipsæ NUPTIALIUM FESCENINORUM comites*, &c. Festus: *FESCENINI versus, qui canebantur in Nuptiis, ex urbe Fescenia dicuntur allati: sive ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere*. Ausonius in Nuptialis Centonis parecbasi; *Hactenus castis auribus audiendum mysterium Nuptiale ambitu loquendi & circumitione velavi. Verum quoniam FESCENINOS amat celebritas Nuptialis; verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit, cætera quoque cubiculi & lectuli operta prodentur*. Servius ad septimum *Æneidos* Virgilii librum; *FESCENINUM oppidum est, ubi NUPTIALIA inventa sunt CARMINA*. Martianus Capella libr. IX. de Nuptiis Philologiæ: *Hymenæo diutius velut FESCENINA quadam licentia personante, geminanteque crebrius*, &c. S. Hieronymus in Epist. *ad Demetriadem* de Virginit. servanda: *Quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? Stridor Punicæ linguæ procacia tibi FESCENINA cantabit*. Sidonius tandem in lib. I. epist. V. *Cum per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia, Thalassio FESCENINUS explicaretur*.

CAP. XXII.

FESCENINORUM CARMINUM *quæ fuerit* ORIGO, *nunc primum explicatur*. FESTA *Agricolarum* CONVICIA *collectis frugibus*. *Vindemiatorum, ac Viatorum*, MUTUI JOCI. SERVIS *etiam permissum olim* VINDEMIÆ TEMPORE INJURIAS *in Dominos impune* JACERE. *Nunc etiam alicubi magnam esse* VINDEMIÆ LIBERTATEM.

FESCENINORUM carminum ORIGINEM nemo nobis alius, quam auctor gravis Horatius, commodius exponit. quare adscribam ex eo, quæ possint rem hanc conficere. In secundo *Epistolarum* libro, *ad Augustum* scribens Horatius, cecinit in hæc verba epist. I.

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
CONDITA post FRUMENTA, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum, spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.

Veteres ait Agricolas, collectis frugibus, summa quidem religione Diis sacra facere consuevisse, at præteritorum laborum immemores genio item indulsisse; convivia scilicet læta concelebrantes, festisque jocis ac conviciis se se mutuo provocantes. id quod Aristoteles etiam prodidit in octavo *de moribus ad Nicomachum* libro. Quam sane mutuam jocandi ac conviciandi fuisse licentiam a Vindemiatoribus quoque usurpatam, testificatur idem Horatius in lib. I. Satyra VII. hoc pacto.

Tum Prænestinus salso, multumque fluenti
Expressa arbusto regerit CONVICIA, durus
VINDEMIATOR & invictus, cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce CUCULLUM.

referuntur hæc ad dicacia Vindemiatorum convicia, quibus vel lacessebant prætereuntes, vel a prætereuntibus provocati ipsi ulciscebantur, ac remordebant. *Solent*, inquit Acron ad hunc Horatii locum, *Vindemiatores cum Viatoribus SALSA FATIGATIONE contendere*. de qua petulantia meminit & Plinius in libr. XVIII. cap. XXVI. & Ausonius in *Mosella*. Sed & servis olim permissum Vindemiæ tempore convicia in Dominos impune jacere, tradit Aelius Lampridius in *Antonini Heliogabali Vita* cap. XI. *Vere LIBERAM*, inquit, *VINDEMIAM esse, quam sic celebrarent. Ferunt multi, ab IPSO* (Heliogabalo) *PRIMUM REPERTUM, ut in VINDEMIARUM FESTIVO multa in Dominos JOCULARIA & audientibus Dominis DICERENTUR, quæ ipse composuerat, & Græca maxime. Horum pleraque Marius Maximus dicit in Vita ipsius Heliogabali*. Hactenus Lampridii locus; ex quo sane perspicue apparet non modo *licuisse*, ut dicebamus, *servis* VINDEMIÆ *tempore* INJURIAS *in* DOMINOS *immittere*, sed Heliogabalum etiam fuisse primum hujusce consuetudinis auctorem, atque adeo multa ipsum hujusmodi conviciorum genera & invenisse, & scriptis tradidisse. HODIE etiam audio, & Neapoli, & in Hispania, & alibi, eam esse VINDEMIÆ LIBERTATEM, ut IMPUNE possint & *Vinitores* & *Viatores* JOCIS ac CONVICIIS *sese mutuo* LACESSERE *ac* PROVOCARE.

EX HAC utique MUTUA veterum Agricolarum ac Vindemiatorum CONVICIANDI JOCANDIque LICENTIA *primum* habuisse *initium* VERSUS illos, quos FESCENINOS appellavit antiquitas, omni mollitie ac lascivia diffluentes, tradit apertissime Horatius in eo, quem dixi, loco ex epistola *ad Augustum*, ista subjiciens:

FESCENINA per HUNC INVECTA LICENTIA MOREM,
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter ——

quam sane horum Versuum originem miror, a nemine adhuc, quod sciam, fuisse animadversam. Crediderim autem, initio FESCENINA hujusmodi carmina non in nubentes duntaxat, sed in quoslibet etiam alios fuisse identidem jactata. nam, præterquam quod videtur id posse haud absurde colligi ex prolato modo supra Horatii loco, testificatur item Macrobius in *Saturnal.* lib. II. cap. IV. FESCENINOS *versus scripsisse Augustum in Pollionem*; quos quidem nemo dixerit fuisse Nuptiales. Quin Lævinus Torrentius, vir acerrimi judicii, & doctrinæ singularis, ad dictum Horatii locum vere, meo judicio, prodidit; FESCENINA carmina fuisse primum in Theatro usurpata, mox ad Nuptiarum thalamos penetrasse. Ut ut sic de hoc, illud maneat; FESCENINORUM *carminum* INITIUM primum & ORIGINEM a VINDEMIÆ LIBERTATE, hoc est, a veterum AGRICOLARUM, ac VINDEMIATORUM JOCANDI CONVICIANDIque CONSUETUDINE omnino REPETENDAM.

CAP.

CAP. XXIII.

FESCENINORUM *Versuum* NOMINIS NOTATIO *aperitur*. FESNUM, FASNUM, FASCINUM. *Festi locus illustratus.*

FESCENINORUM carminum *originem* atque *initium primum* protulimus; nunc aperiendum, CUR *ita* a priscis *appellarentur*. Sunt qui putent, EORUM NOMINIS NOTATIONEM deduci oportere ab Urbe FESCENIA, seu FESCENINA; quod fuerint IN EA primo INVENTA & ACCLAMATA. Tradunt alii, NOMEN a FASCINO eadem habuisse; quod scilicet JACTATA & ACCLAMATA FASCINUM ARCERE putarentur. Sententiam utramque Festus expressit in verbo *Fescenini*; ait enim, *FESCENINI versus, qui canebantur in Nuptiis, ex urbe FESCENINA* (*FESCENIA* habet altera lectio) *dicuntur allati. sive ideo dicti, quia FASCINUM putabantur ARCERE*. Prior autem sententia satis confirmatur testimonio Servii, Acronis, ac Porphyrionis, Illius verba sunt hæc ad septimum *Æneidos* Virgilii librum: *FESCENINUM oppidum est, ubi NUPTIALIA inventa sunt carmina*. Acron vero ad Horatii locum ex Epistola ad Augustum: *Dicta sunt*, ait, *FESCENINA ab OPPIDO, unde prius processerunt*. quod iisdem ferme verbis repetit Porphyrion ad eundem Horatii locum. Ad posterioris sententiæ illustrationem faciunt, quæ subjicit illico Festus; *FESNOÆ*, inquiens, *vocabantur, qui DEPELLERE FASCINUM credebantur*. *FESNOÆ* autem recte scriptum puto cum eruditissimo Viro Joanne Meursio in *suis Criticis Exercitationibus*; quidquid alii aliter sentiant. Veteres enim FESNUM dicebant, quod postea FASNUM, ut *Edor* pro *Ador*, *Reperare* pro *Reparare*, &c. Deinde FASCINUM protulere; quemadmodum *Jecur Jecinur*, *Circus Circinus*, *Runca Runcina*, *Intega Incitega*, &c. Ita ut hi forte versus dicti fuerint primo FESNINI, mox FASNINI, tum FESCENINI, quasi FASCININI. Plura certe possent huc apte addi de FASCINO, nisi producenda essent in eo capite, in quo reddetur ratio, CUR solerent FESCENINI versus in NUPTIIS JACTARI & ACCLAMARI. Jam QUID ESSENT, seu potius, QUID HABERENT ista CARMINA, videamus.

CAP. XXIV.

FESCENINOS, *in Nuptiis olim acclamari solitos, fuisse &* JOCOSIS plenos CONVICIIS, *&* LASCIVIA *maxime* DIFFLUENTES. *Hinc appellati sunt*, Joci, Ludi, Risus, Sales, Festa convicia, Probra; *& item*, Procaces, Dicaces, Obscœni, Petulantes. FESCENINA LOCUTIO *apud Catullum*.

NUPTIALES porro FESCENINI fuere versus JOCORUM omnium, CONVICIORUM, ac LASCIVIARUM plenissimi. Id quod non difficile est videre ex iis, quæ de eorum origine superius dicta sunt a nobis in capite XXII. Etenim, cum docuerimus inibi, initium eos primum habuisse a LIBERA VINDEMIA, HANC autem fuisse cum omni CONVICIORUM ac JOCORUM impunita LIBERTATE CELEBRATAM, fateri omnino necesse est, etiam FESCENINOS JOCOSA habuisse CONVICIA, fuisseque VERSUS LASCIVIA ac MOLLITIE DIFFLUENTES. Id ipsum autem ex eo manifestius adhuc confirmatur, quod antiquitas consue-

A vit illos dicere *Jocos*, *Ludos*, *Risus*, *Sales*, *Festa convicia*, *Probra*; & item appellare *Procaces*, *Dicaces*, *Obscœnos*, *Petulantes*. eam ob causam scilicet, quod VERSIBUS iis, summa verborum LICENTIA & LASCIVIA factis, CONVICIA in nubentes per JOCUM, LUDUM, ac RISUM, SPARGI solerent: Ac JOCOS quidem dixere Ovidius, Seneca, & Claudianus. Illius verba sunt ex tertio *Fastorum*, de FESCENINIS agentis.

Inde JOCI veteres, obscœnaque dicta canentes.

Alter in libr. V. Controvers. VI. *Inter Nuptiales*, inquit, *FESCENINOS in crucem generi nostri JO-*
B *CABANTUR*. Et in *Medea* Choro primo:

Solvat turba JOCOS.

Claudianus in *Epithalamio Honorii & Mariæ*:

Permissisque JOCIS turba licentior
Exultet, tetricis libera legibus.

JOCOS, & LUDOS appellavit Plutarchus in *Romulo*; & in *Pompejo* RISUS, & JOCOS, ut dictum est. Lucanus vero SALES, & CONVICIA FESTA in lib. II.

Non soliti lusere SALES, nec more Sabino
Excepit tristis CONVICIA FESTA Maritus.

Etiam Seneca in prolato *Medeæ* Choro primo, FE-
C STA CONVICIA dixit:

FESTA dicax fundat CONVICIA Fescenninus.

PROBRA, Ovidius in adducto *Fastorum* libro:

——— *nam coeunt certaque PROBRA canunt.*

At PROCACES vocat Catullus in Carmine *de Nuptiis Manlii & Juliæ*:

Nec diu taceat PROCAX
D *FESCENINA LOCUTIO.*

Et Beatus Hieronymus in epistola *ad Demetriadem* de servanda Virginitate: *Quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? Stridor Punicæ linguæ PROCACIA tibi FESCENINA cantabit.*

DICACES, Seneca in adducto *Medeæ* loco;

Festa DICAX fundat convicia FESCENINUS.

OBSCOENOS, Ovidius in eodem tertio *Fastorum* libro:

Nunc mihi, cur cantent, superest, OBSCOENA puellæ,
Dicere ———————————
E

Varro Agathone apud Nonium in voce *Obscœnum*: *Pueri OBSCOENIS VERBIS novæ nuptæ aures returant*. quæ eadem repetuntur in voce *Returare*, quod est aperire. Et Festus in verbo, *Prætextatum sermonem quidam putant dici, quod prætextatis nefas sit obscœno verbo uti, alii, quod nubentibus, depositis prætextis, a multitudine puerorum OBSCOENA clamentur*. PETULANTES demum, Ausonius in Centonis Nuptialis Parecbasi: *Hactenus castis auribus audiendum mysterium Nuptiale, ambitu loquendi & circumitione velavi. Verum, quoniam FESCENINOS amat celebritas Nu-*
F *ptialis; VERBORUMque PETULANTIAM notus vetere instituto ludus admittit, cætera quoque cubiculi & lectuli operta prodentur.*

Jam vero, *cujusmodi* fuerint FESCENINI *versus*, sive, *qualis* soleret esse FESCENINA LOCUTIO in *Nuptialibus Acclamationibus*, discimus ex eodem Catullo. Cum enim in Carmine, iterum ac sæpius citato, *de Nuptiis Manlii & Juliæ*, pueros admonuisset, (doctissimi Mureti verba sunt ad eum Catulli locum) ut de more FESCENINOS acclamarent; statim Poeta, (ut scilicet consuetam nobis FESCENINAM LOCUTIONEM

A exprimat) & puero Manlii concubino petulantius insultat, & Manlium ipsum, ut nimis in pueros proclivem, notat; & novam item nuptam admonet, ne se Viro difficilem præbeat, alioqui fore, ut ipse delicias aliunde petitum eat. Quæ quidem omnia planissime docent, & QUALIS esset FESCENINA LOCUTIO, & item, FESCENINOS *versus*, *solitos in Nuptiis acclamari*, *fuisse*, ut dicebamus, *omnium* VENEREARUM LASCIVIARUM PLENISSIMOS. Nunc quærendum, QUID SIT CAUSÆ, QUAMOBREM FESCENINI olim in Nuptiis ACCLAMARENTUR?

CAP. XXV.

Quæsitum, CUR *in Nuptiis* ACCLAMARENTUR FESCENINI? *Ad* arcendum fascinum *Veteres consuevisse* laudationibus præfari, *vel* addere vocem, PRÆFISCINE, seu PRÆFISCINI. *Nuptiarum die* NOVAM NUPTAM LAUDIBUS ORNARI *solitam*. LAUDIBUS *iis additos statim* FESCENINOS, *ut* FASCINI VIS ARCERETUR, *quam habere credebantur eæ* LAUDES. *Catullus illustratus*.

IN Nuptiis CUR ACCLAMARENTUR FESCENINI, eam puto CAUSAM posse a nobis commode afferri, quam pro eorundem NOMINIS NOTATIONE docuimus in cap. XXIII. redditam fuisse posteriori loco a Festo in voce *Fescenini*. Prodidit inibi Festus, a FASCINO *nomen habuisse* FESCENINOS; quod scilicet *jactatis iis* & *acclamatis* FASCINUM ARCERETUR. Itaque, si de me quæratur, QUID sit, CUR FESCENINI *in Nuptiis acclamarentur?* respondebo, *Ne nova nupta* FASCINARETUR. D quod quidem cujusmodi sit, paululum consideremus.

Existimarunt Veteres, periculum a FASCINO iis esse, qui impensius vel ipsi laudarent se, vel ab aliis præsentes laudarentur. cujus rei causas persequi, non est hujus loci; præsertim cum eæ fuerint ab aliis jam curiose & investigatæ & traditæ. Huic autem periculo ut occurrerent, consueverunt aliquo se amuleto præmunire, ac veluti præcingere. hinc, ut cætera FASCINUM DEPELLENTIA reticeam, LAUDATIONIBUS vel *præfabantur*, vel *addebant vocem* PRÆFISCINE, seu PRÆFISCINI, qua FASCINUM ARCERI putabant. perinde namque est, PRÆFISCINE, E quasi, SINE FASCINO, diceretur. cujus vocis hunc in sensum exempla videre licet apud Plautum in *Asinaria*, & in *Rudente*, apud Apulejum in tertio *Floridorum* libro, apud Sosipatr. Charisium lib. II. in voce *Fescenini*, & apud Afranium in *Consobrinis*. Nos etiam hodie in re simili vel vocem eandem usurpamus, vel certe vim ejus vocibus hisce exprimimus, *Dicto absit Invidia*, seu *Fascinum*.

Venio nunc ad illud, cujus illustrandi gratia pauca hæc de voce PRÆFISCINE attulimus. Veterum mos erat LAUDIBUS *ornare novam nuptam*; F at quia *vim fascini*, ut supra posuimus, *credebant habere laudes*, idcirco FESCENINOS jubebant, AD FASCINUM scilicet AVERTENDUM, *statim adjici ab acclamantibus pueris*. Hoc etsi non difficulter potest perspici ex Festi loco, semel atque iterum a nobis adducto, placet tamen id ipsum ex Catullo etiam dilucidius ac firmius comprobare; eoque lubentius, quod adhuc a nemine, ut puto, id fuerit observatum. Julia igitur, Manlio nupta, in Catulli Carmine Nuptiali in hæc verba laudatur:

Prodeas nova nupta.
Flere desine. NON TIBI
Aurunculeja PERICULUM EST,
NE QUA FOEMINA PULCHRIOR
CLARUM AB OCEANO DIEM
VIDERIT VENIENTEM.
TALIS IN VARIO SOLET
DIVITIS DOMINI HORTULO
STARE FLOS HYACINTHINUS, &c.

Juliæ pulchritudinem dupliciter hoc loco laudibus exornat Catullus; uno modo, *Fœminam dicens nullam in toto orbe futuram Nuptiarum die Julia* PULCHRIOREM; altero, conferens eam cum HYACINTHO, ait, *EMICATURAM JULIAM inter Virgines reliquas, quemadmodum solet HYACINTHUS cæteros inter flores FULGERE.* Superius autem similem eandem fecerat tenellæ Myrto, quam paulatim assurgentem Nymphæ summo studio nutrirent:

Floridis velut enitens
MYRTUS Asia ramulis,
Quos HAMADRIADES Deæ
Ludicrum sibi ROSCIDO
NUTRIUNT HUMORE.

At metuens Poeta, ne LAUDIBUS iis nova nupta FASCINARETUR, admonet pueros, ut FESCENINA carmina STATIM ACCLAMENT, FASCINI scilicet PERICULUM omnino DEPULSURA. ac proinde subjicit;

Nec DIU TACEAT procax
FESCENINA LOCUTIO.

CAP. XXVI.

FESCENINOS VERSUS *fuisse olim in Nuptiis a* PUERORUM *multitudine* ALTERNIS ACCLAMATOS; TUM *potissimum*, CUM *ad* MARITUM DUCEBATUR SPONSA.

FEsceninorum eadem erit clausula, quæ fuit *Thalassii*, & *Hymenæi*. cum autem DE HIS illud extremo loco quæsitum sit ac declaratum, *quandonam*, & *a quibus* solerent in Nuptiis acclamari; erit HOC IDEM nunc de FESCENINIS etiam statuendum. Qua in re ecquid sit veri, non difficile est videre. nam certe FESCENINOS fuisse *Thalassii* COMITES, attestatur Apollinaris Sidonius in lib. I. epistola V. *Interveni*, inquit, *Nuptiis Patricii Recimeris, cui filia Perennis Augusti in spem publicæ securitatis copulabatur. Igitur nunc in ista non modo personarum, sed etiam ordinum, partiumque lætitia*, &c. *per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia*, THALASSIO FESCENINUS *explicabatur*. quo loci vides, *Thalassioni* FESCENINUM jungi, tanquam ADJECTIVUM *substantivo*. Nec multo secus mihi videtur hac de re ante Sidonium Plutarchus sensisse, cum in *Romulo* ita scriptum reliquit: *Mansit deinceps ea consuetudo, ut qui darent, aut acciperent, aut interessent omnino Nuptiis, per* LUDUM *ac* JOCUM THALASSIUM *acclamarent*. Et in *Pompejo*: *Ex hoc dicunt, cum Thalassio id conjugium maxime felix fuisset, voce hac faustum similque connubium cum* RISU JOCOQUE *novis nuptiis optari*. PER LUDUM, inquit Plutarchus, AC JOCUM, & CUM RISU JOCOQUE *Thalassium acclamarent*. quid hæc sibi volunt verba? an non apertissime ostendunt, *Thalassii* COMITES fuisse FESCENINOS? siquidem FESCENINI, ut supra demonstratum est, & JOCOSA habebant CONVICIA, & JOCI item,

RISUS, ac LUDI fuere non semel appellati. A
Quod si *Thalassii* COMITES erant FESCENINI, nec solebat *Thalassius* acclamari, quin jactarentur etiam FESCENINI; *Thalassium* autem *tunc* acclamatum fuisse, *cum nova nupta ad Martii domum deducebatur*, ex supra dictis pro certo habemus; profecto, ut FESCENINOS etiam statuamus *fuisse* TUNC *maxime* JACTATOS, CUM *ad* VIRUM DUCEBATUR UXOR, rationi omnino consentaneum est. Beatus autem Hieronymus, in epistola *ad Demetriadem* de servanda Virginitate, sententiam hanc eandem planissime confirmat. nam inibi Nuptiales aliquot ritus ordine percurrens Hieronymus; *cum novæ nuptæ ad* MARITUM DEDUCTIONEM nominasset, FESCENINOS illico commemorat; eam scilicet ob causam, ut ego quidem arbitror, quod *uno eodemque tempore* & acclamarentur FESCENINI, & SPONSA AD VIRUM DUCERETUR. Hieronymi verba sunt hæc: *Quam habitura pronubam? QUO DEDUCENDA COMITATU? stridor Punicæ linguæ PROCACIA tibi FESCENINA CANTABIT.*

Per IDEM igitur TEMPUS (*tum* scilicet, *cum ad Mariti domum deducebatur nova nupta*) fuere in Nuptiis & *Thalassius* & FESCENINI acclamati. Sed & TURBAM eandem PUERORUMque MULTITUDINEM, quæ *Thalassium*, ut docuimus, *acclamare* consuevit, FESCENINOS etiam JACTASSE observo. Etenim Seneca in *Medea* Choro primo ita canit:

Festa dicax fundat convicia FESCENINUS,
Solvat TURBA JOCOS.

Claudianus in *Epithalamio Honorii & Mariæ;*

Ducant pervigiles carmina tibiæ,
Permissisque JOCIS TURBA licentior
Exultet, tetricis libera legibus.

Catullus in Carmine, a nobis toties citato, cum PUEROS hortatus esset ad Hymenæum modulate canendum, haud ita multo post admonet EOSDEM, ut & FESCENINOS jactent;

Tollite, inquit, *o PUERI faces,*
Flammeum video venire.
Ite, concinite in modum
Jo Hymen, Hymenææ Jo, &c.
NEC DIU TACEAT PROCAX
FESCENINA LOCUTIO.

Varro Agathone apud Nonium in voce *Obscœnum*; *PUERI*, ait, *OBSCOENIS VERBIS novæ nuptæ aures returant.* quod idem iterat in voce, *Returare*. Festus in verbo, *Prætextatum*: *Prætextatum sermonem quidam putant dici, quod prætextatis nefas sit obscœno verbo uti. alii, quod NUBENTIBUS, depositis prætextis, a MULTITUDINE PUERORUM OBSCOENA clamentur.* OBSCOENORUM autem nomine & hic & apud Nonium FESCENINOS intelligi oportere, ex dictis notissimum est. Ovidius vero in tertio *Fastorum* libro prodidit, a PUELLARUM etiam interdum MULTITUDINE fuisse FESCENINOS acclamatos; ait enim, B

Nunc mihi cur cantent, superest, OBSCOENA PUELLÆ
Dicere; nam coeunt, CERTAque PROBRA CANUNT.

Sexto huic libro finem imponam, si prius admonuero, FESCENINOS versus fuisse ALTERNIS temere jactatos. locus est in Livio sub septimi libri initium, qui, quod dixi, sic approbet; *Non sicut ante FESCENINO versui similem incompositum TEMERE ac rudem ALTERNIS JACIEBANT.* Et in Epistola prima libri secundi, *ad Augustum* scribens, hæc habet Horatius. C

FESCENINA per hunc invecta licentia morem
VERSIBUS ALTERNIS opprobria rustica fudit.

Verum de NUPTIALIBUS Acclamationibus satis. de quibus sane plura potuissent dici, sed ea consulto prætermisi, ne quid delibarem, aut præcerperem, ex ea gratia, quam apud omnes eruditos propediem magis ac magis conciliabit sibi Hieronymus Bossius, J. C. Regius ac Primarius in Palatina Mediolanensi Academia eloquentiæ Interpres; Vir elegantissimi ingenii, & omni liberali doctrina politissimus. Hic enim Commentarium nunc scribit (HYMENÆTHALASSIUM appellat) in quo Nuptiarum ritus omnes jucunda simul & erudita varietate explicans, fontem aperit, e quo rerum talium cupidi abunde sitim expleant. Ad MISCELLANEAS Acclamationes jam tandem ut accedam, res ipsa postulat. D

FRANCISCI BERNARDINI

FERRARII
DE VETERUM
ACCLAMATIONIBUS,
ET
PLAUSU
LIBER SEPTIMUS,
Qui MISCELLANEAS complectitur ACCLAMATIONES.

CAP. I.

MISCELLANEARUM *Acclamationum nomine quid debeat hic a nobis intelligi?*



PERVENIMUS aliquando tandem ad Septimam, eamque postremam Operis suscepti partem: in quo quidem ultimo veluti Actu omnes illas exequemur Acclamationes, quæ, sive Sacræ & Prophanæ, sive Publicæ & Privatæ, sive Faustæ & Infaustæ, nequeunt propter varietatem ad certum caput commode revocari; ob idque placuit MISCELLANEAS appellare. Quæ quidem varietas illud etiam effecit, ut de iis diceremus, non ordine, sed prout in mentem, stilumque venirent. Inferentur autem identidem, atque adjicientur, SELECTÆ quædam acclamandi FORMULÆ, quæ cum haud ita facilem habeant cognitionem, de iis proinde eruditi videntur adhuc ambigere. Scribendi initium ab eis Acclamationibus desumam, quæ in Pontificis Romani Coronatione ac Consecratione emitti solebant.

CAP. II.

QUÆ *fierent olim in* novi Pontificis Romani Coronatione ac Consecratione ACCLAMATIONES? *Vota & Preces ad Deum factas inter acclamandum pro novo Pontifice. Multa sæpius ab Acclamantibus iterata. Adnotatum in Actis, quoties quidque repeteretur. Novi Pontificis laudes fuisse in iis Acclamationibus. Easdem contentius emissas, alternis interdum, interdum ab omnibus simul Acclamantibus.*

DE ACCLAMATIONIBUS *in novi Pontificis Romani* CORONATIONE, ac CONSECRATIONE FIERI *solitis*, cum nihil omnino, quod sciam, ex libris impressis suppetat, ad Manuscriptos Codices confugiendum erit, ut eorum ope, quantum licebit, res ista conficiatur. In antiquo igitur AMBROSIANÆ nostræ BI-
A BLIOTHECÆ Pontificalium ac Ritualium Codice scriptum videas hoc pacto; *IN CONSECRATIONE, CORONATIONEque, PONTIFICI acclamatur his verbis, EXAUDI CHRISTE, DOMINO N. A DEO SUMMO PONTIFICI DECRETO, & UNIVERSALI, PAPÆ VITA. Idque ter repetitur*. Extant in eadem nostra Bibliotheca quorundam Pontificum Romanorum Vitæ a Pandulpho Pisano conscriptæ, inter quas hæc Paschali Secundo in novum Pontificem electo, notantur acclamata: PASCHALEM PAPAM S. PETRUS ELEGIT. & inferius aliquanto: *A Pri-
B miscriniis, & Scribis Regionariis ter acclamatum est, responsumque, PASCHALEM PAPAM S. PETRUS ELEGIT*. In Vaticana item Bibliotheca asservantur vetusti duo Ceremoniarum Codices, in quibus commemorantur Acclamationes quædam in novos Pontifices Romanos emissæ. Ex uno quidem in hæc verba: *Expleta Oratione a Pontifice, antequam Lector in ambonem ascendat, pronunciat secundo Diaconus, & tertio Cantores, respondente illis Schola, hoc modo. EXAUDI CHRISTE. Respondet Schola, DOMINO NOSTRO N. A DEO DECRETO SUMMO PONTIFICI, ET UNIVERSALI PAPÆ, VITA. EXAUDI CHRISTE.
C respondet similiter, SALVATOR MUNDI, TU ILLUM ADJUVA. Tertia vice, Exaudi Christe. respondet, Domino nostro N. Augusto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, Vita, & Victoria; per ter. S. Maria. respondet, Tu illos adjuva; per ter. Exaudi Christe. respondet, Exercitui Romanorum & Theutonicorum Vita, & Victoria; per ter. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. respondet similiter Schola, Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Rex Regum, Christus vincit spes nostra, Christus vincit gloria nostra, Christus vincit misericordia nostra, Christus vincit auxilium nostrum, Christus vincit fortitudo nostra, Christus vincit libera-
D tio nostra, Christus vincit arma nostra invictissima, Christus vincit murus noster inexpugnabilis, Christus vincit defensio & exultatio nostra, Christus vincit lux, via, & vita nostra. Ipsi soli imperium, gloria, & potestas per immortalia secula seculorum. Amen. Similiter honor & jubilatio per infinita secula seculorum, Amen*. Ex altero autem Codice hoc pacto: *Dominus Papa incipit missam, & post primam Orationem Diaconi Cardinales, Subdiaconi, & alii Ordines cum Scriniariis FACIUNT LAUDES DO-*

NINO PAPÆ taliter ORDINATO. *Archidiaconus cum aliis Diaconibus & Subdiaconibus ordinate sunt juxta altare in duobus filis. Scriniariis vero stantibus deorsum in Choro cum pluvialibus. Tunc Archidiaconus cum Diaconibus & aliis sic incipit laudem alta voce*, EXAUDI CHRISTE. *Scriniarii respondent* N. DOMINO NOSTRO PAPÆ VITA. *Iterum Archidiaconus dicit*, EXAUDI CHRISTE. *Scriniarii quoque respondent similiter. Tertio Achidiaconus dicit*, EXAUDI CHRISTE. *Scriniarii respondent sicut ante. Deinde Arcbidiaconus dicit*, SALVATOR MUNDI, *tribus vicibus, Scriniariis totidem vocibus ei respondentibus*, TU ILLUM ADJUVA. *Post Archidiaconus dicit, S. Maria, duabus vicibus; & Scriniarii respondent duabus vicibus, Tu illum adjuva. Demum Archidiaconus dicit, S. Michael, duabus vicibus; Scriniarii totidem vicibus, Tu illum adjuva. Eodem modo dicitur, S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes Baptista, S. Petre*, &c. *Respondetur, Tu illum adjuva*, &c. *His finitis, Archidiaconus dicit, Kyrie eleyson. Scriniarii respondent, Kyrie eleyson. Archidiaconus dicit, Christe eleyson. & Scriniarii similiter respondent. Christe eleyson. Tertio vero Archidiaconus cum Diaconibus & Scriniariis una voce dicit, Kyrie eleyson*. Quarum Acclamationum copiam, ut alibi in hoc eodem Opere indicavi, mihi fecit olim Vir humanissimus, ac doctissimus, Nicolaus Alemannus, qui summo bonorum omnium dolore proxime decessit. Ex quibus sane, si attento animo legantur, perspiciemus, & rem omnem inibi ordine explicari, & plures item eorum exprimi Ritus, quos omnium ferme faustarum Acclamationum communes fuisse jam antea docuimus. Etenim verba illa, *Exaudi Christe, Domino nostro N. a Deo decreto summo Pontifici & universali Papæ*, VITA; & ea, *Exaudi Christe Salvator mundi*, TU ILLUM ADJUVA. satis ostendunt, *habuisse* Acclamationes BONA VOTA & PRECES AD DEUM PRO eorum SALUTE, quibus fiebant. Dum autem dicuntur, eadem verba TER, aut TERTIO, ab Acclamantibus ITERATA, planum fit, & *Multa* sæpius inter acclamandum *iis verbis* REPETITA, & ADNOTATUM etiam IN ACTIS, *quoties* quidque *iteretur*. Dum item legimus, Acclamantes Archidiaconos, Diaconos, & Cantores, *incœpisse* novi Pontificis LAUDES ALTA VOCE, cognoscimus, *Acclamationes* & habuisse LAUDATIONES eorum, in quos emittebantur, & fuisse CONTENTIS omnino VOCIBUS factas. Dum autem subjiciuntur ea verba, RESPONDENTIBUS *Scriniariis, ac Schola*, apparet, ALTERNIS factas interdum Acclamationes. Demum dum additur, *Archidiaconis vero cum Diaconibus & Scriniariis* UNA VOCE *dicit, Kyrie eleyson*, intelligimus, *factas* etiam interdum Acclamationes, non alternis, sed ab OMNIBUS SIMUL ACCLAMANTIBUS. Quæ omnia in primi Libri Capitibus XV. XVI. XVIII. XXI. XXIII. XXIV. accurate persecuti sumus.

CAP. III.

Antiquitus QUÆ *fuerint* ACCLAMATIONUM FORMULÆ, *in* EPISCOPI ELECTIONE, *aut* ORDINATIONE *emitti solitæ*?

Datis velut in Theatrum Acclamationum formulis, quæ in Romani Pontificis Coronatione ac Consecratione fiebant, producam nunc eas, quæ in *Episcopi Electione*, aut *Ordinatione* emitti solebant. Ad quam rem illustrandam uno item & altero contenti erimus e veteris Ecclesiæ memoria testimonio.

In tertia igitur Ambrosiani Breviarii Lectione de B. Ambrosii Ordinatione ex Paulino Episcopo in *ipsius Ambrosii Vita*, ita est: *Populus, Auxentio Arriano Episcopo mortuo, inter se de successore deligendo gravibus dissidiis contendebat. qua cognita re Ambrosius pro sui officii munere, ut concitatam seditionem sedaret, Ecclesiam ingressus, cum multa de pace præclare dixisset, vox derepente exaudita est infantis* AMBROSIUM EPISCOPUM ACCLAMANTIS. *qua voce populus excitatus*, ACCLAMATIONE *summa* EPISCOPUM *eum* DEPOSCIT. Qui locus, licet nequaquam indicet, quæ essent Acclamationum formulæ in Episcopi Electione aut Ordinatione, exprimit tamen apertissime, *Ambrosio in* EPISCOPUM ELECTO *fauste acclamatum, eamque populi electionem* NUDIS SOLISque ACCLAMATIONIBUS *factam ac terminatam*. Rem autem totam illustrant magis, ac pene oculis subjiciunt, Acta Ordinationis Eradii, quæ proxime post B. Augustini epistolam CIX. habentur. In eis enim, cum vellet Eradium Presbyterum in Episcopatu sibi successorem facere Augustinus, scriptum est hoc pacto: *Presbyterum Eradium mihi successorem volo: a populo acclamatum est*, DEO GRATIAS, CHRISTO LAUDES: *dictum vicies ter. Exaudi Christe, Augustino Vita: dictum est sexiex decies. Te Patrem, te Episcopum: dictum est octies*. Et cum quædam suggereret Augustinus tum ad Eradii laudem, tum ad suæ mentis sensa exprimenda, omnium autem confirmationem a populo requireret: *A populo acclamatum est trigesies sexies*, DEO GRATIAS, CHRISTO LAUDES. *Exaudi Christe, Augustino Vita: dictum est tredecies. Te Patrem, te Episcopum: dictum est octies*. DIGNUM ET JUSTUM EST: *dictum est vicies*. BENE MERITUS, BENE DIGNUS: *dictum est quinquies*. Et post alia ab Augustino eandem in rem dicta, sic a populo acclamatum est: JUDICIO TUO GRATIAS AGIMUS: *dictum est sedecies*, FIAT, FIAT; *dictum est duodecies. Te Patrem*, ERADIUM EPISCOPUM; *dictum sexies*. Demum cum ista pronunciasset Augustinus: *Video, me de hac re, propter quam vos invitavi, omnia vobiscum egisse, quæ debui; Hoc ad ultimum rogo, ut gestis istis dignemini subscribere, qui potestis. Hic mihi responsione vestra opus est: teneam responsionem vestram: de hac assensione aliquid acclamate*. in hæc verba populus acclamavit: FIAT, FIAT; *dictum vicies quinquies*. DIGNUM EST, JUSTUM EST: *dictum vicies octies*. FIAT, FIAT: *dictum quaterdecies*. OLIM DIGNUS, OLIM MERITUS: *dictum vicies quinquies*. JUDICIO TUO GRATIAS AGIMUS: *dictum tredecies*. EXAUDI CHRISTE, ERADIUM CONSERVA: *dictum octies decies*. Hæc Augustinus, seu potius Acta Ordinationis Eradii. Non erit, opinor, alienum ab hoc loco, ea subjicere, quæ olim Constantinopolitano Patriarchæ primum renunciato acclamari solebant. Rem narrat nobis Georgius Codinus in lib. *de Officiis Aulæ, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ* cap. XX. scribens hoc pacto: *Reperto intra septum Patriarchali sceptro, Imperator, ministerio nobilis adolescentis ex iis, qui sine pileo in aula obambulant, accipit illud, stansque magna voce ita fatur; Sancta Trinitas per Imperium ab ipsa nobis concessum constituit te Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ & Oecumenicum Patriarcham. moxque universi*, MULTOS ANNOS, *acclamant*. Uberius autem Georgius Phranza in *Chronico* libro tertio cap. XIX. in hunc modum: *Erat munus & consuetudo Christianorum Imperatorum, ut electo Patriarchæ pedum seu virgam Pastoralem auream, lapillis & margaritis distinctam donarent*, &c. *Finito autem tropario Impe-*

rator surgens habet in manu dextra pedum. accedit candidatus, cujus unum latus Cæsar, alterum Heracleæ Metropolita tegit, &c. *Deinde ad Imperatorem accedit; & consueta adoratione illum prosequitur. Imperator paululum attollens pedum ait, Sancta Trinitas, quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ deligit,* &c. *Deinde Chori psallebant, & acclamabant; AD MULTOS ANNOS DOMINE, idque TERTIO: & illud:* ἀπόλυσις, *hoc est, ILICET.* Ex quibus omnibus cum manifeste intelligis, quæ solerent olim hanc in rem emitti Acclamationes, tum eorum non pauca apposite confirmantur, in quorum probatione (ut in proxime superiori capite monuimus) multum operæ ac laboris pluribus primi libri capitibus consumpsimus. Velut hæc: *Facta ad Deum vota, precesque emissas, pro iis, quibus acclamabatur: Multa sæpius inter acclamandum repetita: Non plenas interdum, ac veluti decurtatas pronunciari solitas Acclamationes: Easdem per Notarios in Acta publica relatas: Adnotatum etiam, quoties quidque inter acclamandum iteraretur.*

CAP. IV.

QUÆ *solerent olim in* NOVI *Romanorum* IMPERATORIS ELECTIONE *emitti* ACCLAMATIONES? *Factum sæpe, ut quis statim* RENUNCIARETUR IMPERATOR, *simul ac esset* AUGUSTI NOMINE *inter acclamandum appellatus.* FACTAS *ad Deos ab acclamantibus* PRECES *pro novi Imperatoris salute. Fuisse iis maxime verbis,* N. AUGUSTE, DII TE SERVENT, *conceptas hujusmodi Acclamationes.*

Quoniam vero quæ de Ambrosii ac Eradii Electione, & Ordinatione, mox supra attulimus, simillima sunt & maxime gemina iis, quæ ad Probi & Claudii Imperatorum Electionem factitata legimus; idcirco placet nunc illas producere Acclamationes, quæ in ELECTIONE *Imperatorum Regumque* CREATIONE emitti consueverunt. Ob quam etiam similitudinem fiet, ut ea primo loco a nobis proferantur, quæ in eosdem Probum, & Claudium, cum primum Imperatores renunciati sunt, acclamata memorant Flavius Vopiscus, & Trebellius Pollio. Et hæc sane cum illis si comparentur, splendidius utraque meo judicio elucescent. Probi itaque Electionem his verbis persequitur Flavius Vopiscus in *eodem Probo* cap. x. *Cum ad exercitus nuntius venisset,* de Taciti morte, *tum primum animus militibus fuit prævenire Italicos exercitus, ne iterum Senatus Principem daret. sed cum inter Milites sermo esset, quis fieri deberet, & manipulatim in campo Tribuni eos alloquerentur dicentes, requirendum esse Principem aliquem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum; idque per multos circulos, ut fieri assolet, diceretur: quasi divino nutu undique ab omnibus acclamatum est, PROBE AUGUSTE, DII TE SERVENT. deinde concursus & cespititium Tribunal, appellatusque IMPERATOR.* Hæc de Probo Vopiscus; quæ si cum iis conferantur diligenter, quæ ex Breviarii lectione de Ambrosio protulimus, utraque valde consimilia, ac pene gemina esse, parvo negotio quivis unus deprehendet. Profert autem mox inibi Vopiscus cæteras emissarum ad Probi Electionem Acclamationum formulas, quas nos etiam non multo post subjiciemus. Trebellii porro Pollionis locus, consimilis ei, quem de Eradii Episcopi Ordinatione protulimus, est in *eodem Claudio* ad verbum hujusmodi cap. IV. *AUGUSTE CLAUDI, DII TE NOBIS PRÆSTENT: dictum sexagies. CLAUDI AUGUSTE PRINCIPEM TE, aut QUALIS TU ES, SEMPER OPTAVIMUS: dictum quadragies. CLAUDI AUGUSTE, TE RESPUBL. REQUIREBAT: dictum quadragies. CLAUDI AUGUSTE, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, TU VERE PRINCEPS: dictum octuagies.* Reliquas nunc persequamur Acclamationes, quibus eligebantur olim ac renunciabantur Imperatores. Maximum quidem ac Balbinum his omnino Acclamationibus Imperatores factos adfirmat Julius Capitolinus in *iisdem Maximo* & *Balbino* ita scribens cap. II. *Longa oratione opus non est,* (Vectii Sabini Senatoris sententiam de eligendis novis Imperatoribus dicentis, verba sunt) *FACIENDUS EST IMPERATOR; imo FACIENDI SUNT PRINCIPES: unus, qui res domesticas, alter qui bellicas curet: unus, qui in Urbe resideat, alter qui obviam cum exercitu latronibus pergat. Ego PRINCIPES dico, vos FIRMATE, si placet, sin minus, meliores ostendite, MAXIMUM atque BALBINUM.* Post hæc acclamatum est uno consensu: *Aequum est, justum est; Sententiæ Sabini omnes consentimus. MAXIME ET BALBINE AUGUSTI, DII VOS SERVENT. Dii vos Principes fecerunt, Dii vos conservent. Felices vos judicio Senatus. Felicem Rempublic. vestro Imperio. Quod vobis Senatus detulit, fortiter agite. Quod vobis Senatus detulit, libenter accipite.* & subjicit illico Capitolinus, Acclamationibus hujusmodi factos eos Imperatores: *His atque aliis ACCLAMATIONIBUS IMPERATORES FACTI SUNT MAXIMUS ATQUE BALBINUS.* Gordiano seniori, jam ab Afris Imperatori electo, Senatus factam electionem confirmans, ita acclamat, ut prodidit idem Capitolinus in *Maximinis duobus* cap. XVI. *GORDIANE AUGUSTE, DII TE SERVENT. Felix imperes, tu nos liberasti. Salvus imperes, tu nos liberasti. Per te salva respublica, omnes tibi gratias agimus.* Antoninum Diadumenum puerum occiso Bassiano, a Macrino Patre in militum conspectu positum, Milites ipsi in hæc verba acclamantes Imperatorem renunciarunt: *Macrine Imperator,* inquit Aelius Lampridius in *eodem Antonino* cap. I. *Dii te servent. ANTONINE DIADUMENE, DII TE SERVENT. Antoninum Divum omnes rogamus, Jupiter Opt. Max. Macrino, & Antonino Vitam. Antoninum habemus, omnia habemus. Antoninum nobis Dii dederunt. ANTONINUS DIGNUS IMPERIO.* Alexander Severus a Senatu Acclamationibus hujusmodi Imperator eligitur, ut est apud eundem Lampridium in *eodem* cap. VI. *AUGUSTE INNOCENS, DII TE SERVENT, ALEXANDER IMPERATOR, DII TE SERVENT. Dii te nobis dederunt, Dii conservent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt, Dii te perpetuent..... Felices nos Imperio tuo, Felicem Rempublicam. Dii immortales Alexandro Vitam.* Et paulo post: *ANTONINE ALEXANDER, DII TE SERVENT. ANTONINE AURELI, DII TE SERVENT. ANTONINE PIE, DII TE SERVENT. In te salus, in te vita, ut vivere delectet. Antoninorum Alexandro Vitam. Antonini nomen, Antoninorum nomen Dii conservent. In te omnia, per te omnia Antonine habemus.* Et infra aliquanto, *ALEXANDER AUGUSTE, DII TE SERVENT. Verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ. Hinc intelligimus, qualis futurus sis; hinc probamus. Tu facies, ut Senatus bene Principes eligat. Tu facies, optimum esse judicium Senatus. ALEXANDER AUGUSTE, DII TE SERVENT. CÆSAR NOSTER, AUGUSTUS NOSTER IMPERATOR NOSTER, DII TE*

SERVENT, VINCAS, VALEAS, MULTIS ANNIS IMPERES. Idem Senatus, dum Tacitum facit Imperatorem, acclamat hoc pacto: *TACITE AUGUSTE, DII TE SERVENT*, ita est in eodem Vopisci *Tacito* cap. III. *TE DILIGIMUS TE PRINCIPEM FACIMUS, TIBI CURAM REIP. ORBISQUE MANDAMUS. Suscipe IMPERIUM ex Senatus auctoritate. Tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est, quod mereris. Princeps Senatus recte AUGUSTUS CREATUR. Primæ sententiæ vir recte IMPERATOR CREATUR. Et quis melius, quam gravis IMPERAT? ...... Quod bonum, faustum, salutareque sit, diu privatus fuisti ...... Scis, quemadmodum debeas imperare, qui de aliis Principibus judicasti*. Et cap. V. *Et Trajanus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et Adrianus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et Antoninus ad Imperium senex venit: dixerunt decies. Et tu legisti, incanaque menta Regis Romani: dixerunt decies. Et quis melius, quam senex imperat? dixerunt decies. Imperatorem te, non militem facimus: dixerunt vicies. Tu jube, milites pugnent: dixerunt tricies. Habes prudentiam, & bonum fratrem: dixerunt decies. Severus dixit, caput imperare, non pedes: dixerunt tricies. Animum tuum, non corpus eligimus: dixerunt vicies. TACITE AUGUSTE, DII TE SERVENT*. Quas autem paulo superius emissas diximus ab eodem Senatu acclamationes ad Probi Electionem, sunt hæ apud Vopiscum in *eodem Probo* cap. XI. *PROBE AUGUSTE, DII TE SERVENT. Olim dignus, & fortis, & justus. Bonus ductor, bonus Imperator. Exemplum militiæ, exemplum Imperii, Dii te servent. Assertor reip. FELIX IMPERES. Magister militiæ FELIX IMPERES. Te cum tuis Dii custodiant. Et Senatus antea te delegit. Aetate Tacito posterior, cæteris prior. Quod IMPERIUM suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere remp. Bene tibi committimus, quos ante servasti. Tu Francicus, tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia. Et prius fuisti semper DIGNUS IMPERIO, DIGNUS TRIUMPHIS. FELIX AGAS, FELICITER IMPERES*.

Atque hæc quidem, quæ fuerint olim, sive a Senatu, sive a Militibus, emissæ in Romanorum Imperatorum Electione ac Renunciatione Acclamationes, docent planissime. Duo autem potissimum in novi Imperatoris Electione, numquam ferme prætermissa, ex his licet colligi in rem nostram. Primum, *Novo Imperatori*, ipso Acclamationum initio, AUGUSTI *nomen tributum, idque* NOMEN *fuisse veluti certissimum* NOVÆ ELECTIONIS *ac* RENUNCIATIONIS SIGNUM. Alterum. *Facta ad Deos ab Acclamantibus* BONA VOTA *ac* PRECES PRO NOVI IMPERATORIS SALUTE. Prius illud, quæ mox suggero, apertissime confirmant. Apud Capitolinum Maximus & Balbinus, IMPERATORES tum renunciantur, cum AUGUSTI NOMINE ab acclamante Senatu in hanc formulam appellantur; MAXIME ET BALBINE AUGUSTI, *Dii vos servent*. Seniori quoque Gordiano inter acclamandum idem AUGUSTI NOMEN tribuitur, atque ita statim in IMPERATOREM ELECTUS declaratur, ut videre est apud eundem Capitolinum in *Maximinis duobus*; *Gordiane* AUGUSTE, *Dii te servent*. Eodem modo apud Lampridium Alexander Severus, apud Trebellium Pollionem Claudius, apud Vopiscum & Tacitus, & Saturninus, hac una acclamandi formula IMPERATORES RENUNCIANTUR; *Alexander* AUGUSTE, *Dii te servent*. AUGUSTE *Claudi*, *Dii te nobis præstent*. *Tacite* AUGUSTE, *Dii te nobis præstent*. *Saturnine* AUGUSTE, *Dii te servent*. Quin ex iisdem Capitolino, Vopisco, plane licet intelligi, *unum* AUGUSTI *nomen inter acclamandum tributum* effecisse nonnunquam, ut *quis* juste ac legitime *esset* ac *diceretur* ELECTUS IMPERATOR & FACTUS. Etenim prodidit Capitolinus, Antoninum Pium ex eo IMPERII OMEN habuisse, quod cum Italiam regeret (multo scilicet ante, quam Imperator renunciaretur) fuisset ab acclamantibus AUGUSTI NOMINE appellatus: *Huic*, ait in *Antonino Pio*, *cum Italiam regeret, IMPERII OMEN factum est. nam, cum Tribunal ascendisset, INTER alias ACCLAMATIONES dictum est, AUGUSTE, Dii te servent*. De Proculo autem Imperatore renunciato hæc tradit Vopiscus: *Hic in IMPERIUM vocitatus est ludo pene & joco. nam, cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies IMPERATOR exisset, quidam non ignobilis scurra AVE, inquit, AUGUSTE. allataque lana purpurea, humeris ejus junxit, eumque ADORAVIT*. quo loci sane Proculus, simul atque AUGUSTUS (licet per ludum pene ac jocum) *inter acclamandum* SALUTATUR, RENUNCIATUR etiam illico IMPERATOR. Huc item facit, quod de Probo narrat idem Vopiscus. cum enim agitaretur inter milites, quis novus Imperator in demortui Taciti locum suffici deberet, essetque una omnium vox, requirendum Principem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum; ait Vopiscus, fuisse derepente ab omnibus simul acclamantibus AUGUSTI NOMEN eidem Probo tributum; atque ita Probum IMPERATOREM illico RENUNCIATUM. Placet ipsa Vopisci verba ad utilitatem legentium, reique majorem probationem hic iterum subjicere: *Cum ad exercitus*, inquit, *nuntius venisset*, de Taciti morte, *tum primum animus militibus fuit prævenire Italicos exercitus, ne iterum Senatus Principem daret. sed cum inter milites sermo esset, quis fieri deberet, & manipulatim in campo Tribuni eos alloquerentur dicentes, requirendum esse Principem aliquem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum; idque per multos circulos, ut fieri assolet, diceretur; quasi divino nutu undique ab omnibus ACCLAMATUM est, Probe AUGUSTE, Dii te servent. Deinde concursus, & cespititium tribunal, APPELLATUSque est IMPERATOR*. Factam porro a Militibus Probi Electionem ut confirmet Senatus, hac una & ipse utitur acclamandi formula, *Probe* AUGUSTE, *Dii te servent*; ut scriptum reliquit idem Vopiscus.

Ex hac autem eadem acclamandi formula elicimus alterum, quod ex dictis colligi licere paulo ante monuimus; nimirum, *Pro novi Imperatoris salute factas ad Deos ab* ACCLAMANTIBUS PRECES *ac* BONA VOTA. Ubi enim legimus adductis omnibus in locis Augusti nomen inter acclamandum novo Imperatori tributum, ibi videre est hæc aut similia, illico subjecta verba, DII TE SERVENT, rem nostram apertissime exprimentia. quam certe formulam, quia ex prolatis testimoniis patet omnibus, in promptuque est, nolumus hic denuo iterare.

CAP. V.

Consuetam HEBRÆORUM *acclamandi formulam in* REGUM *suorum* CREATIONE *ac* UNCTIONE *hanc fuisse*, VIVAT REX.

HIs ita narratis de communioribus acclamandi formulis in Romanorum Imperatorum Electione usurpari solitis, crediderim operæ me pretium facturum, si nunc breviter indicaverim, QUID ante Romanos consueverint HEBRÆI in REGUM suorum UNCTIONE ac CREATIONE fauste acclamare. Hanc utique unam acclamandi formulam, duobus duntaxat verbis conceptam, observo fuisse ab Hebræis in Regum suorum unctione ac creatione usurpatam, VIVAT REX. Etenim Saulo UNCTO REGI ac CREATO populus non nisi in hanc formulam acclamat: *Et acclamavit*, ita scriptum est in primo *Regum* cap. x. *omnis populus, & ait, VIVAT REX.* Etiam Salomoni NOVO REGI in eandem omnino formulam acclamatum legimus in III. Regum libro cap. I. *Tollite vob scum servos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gihon, & ungat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israel, & canetis buccina, atque dicetis, VIVAT REX Salomon.* Quem locum, factamque Salomoni novo Regi acclamationem, sic expressit Flavius Josephus in *Antiquitatum Judaicarum* libro VII. cap. XI. *Sadocum accersit Pontificem, & Banajam præfectum satellitum, quibus mox venientibus jubet, ut assumpto Nathane Propheta, & cohorte Regia, impositoque filio ipsius Salomone in mulam regiam, extra Urbem illum deducerent ad fontem, qui vocatur Gihon, unctumque sacro oleo Regem declararent. Hoc autem munus Sadoco Pontifici, & Nathani Prophetæ injunxit; mandavitque ut invecto per mediam Urbem præcinente tubicine prosequentium multitudo ACCLAMARET, IN ÆTERNUM SALOMON REX IN SOLIO REGIO SEDEAT.* In IV. item *Regum* libro cap. XI. Joæ in Regem UNCTO & CREATO, non nisi, VIVAT REX, acclamatur: *Produxitque filium Regis, & posuit super eum diadema & testimonium, feceruntque eum Regem: & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt, VIVAT REX.* Quæ verba videre licet sic iterata II. *Paralipomen.* lib. cap. XXIII. *Et eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium; dederuntque in manu ejus tenendam legem, & constituerunt eum Regem; unxitque illum Jojada Pontifex, & filii ejus, precatique sunt ei, atque dixerunt, VIVAT REX.*

CAP. VI.

CHRISTIANOS IMPERATORES renunciatos AUGUSTI *nomine solitos inter* ACCLAMANDUM *appellari, eisque* VITAM, *&* VICTORIAM, *contentis vocibus optari. Christianissimo* GALLORUM REGI, *primum* CORONATO, VIVAT REX, *acclamatum*.

PRolatis communioribus Acclamationum formulis in Hebræorum, Ethnicorumque, sive Regum, sive Imperatorum, electione ac coronatione emitti solitis, juvat aliquid etiam indicare eorum, quæ Christianis Imperatoribus, & Regibus, primo electis ac coronatis, acclamari consueverunt. Carolum Magnum, dum Romæ a Leone, tertio hujus nominis Pontifice, coronatur, populus universus, fauste acclamans, IMPERATOREM & AUGUSTUM appellat, eique contentis vocibus VITAM, & VICTORIAM, a Deo precatur. *In die Natalis Domini*, inquit incertus, sed vetustus, Annalium Francorum Auctor ad annum Christi DCCCI. ex Petri Pithœi collectione, *ante Confessionem Beati Petri Apostoli, cum Rex ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, & a cuncto Romanorum populo acclamatum est; CAROLO AUGUSTO, a Deo CORONATO, magno & pacifico Imperatori Romanorum, VITA, & VICTORIA. Et post LAUDES more antiquorum Principum adoratus est, atque ablato Patricii nomine IMPERATOR, & AUGUSTUS est appellatus.* Eadem iisdem pene verbis habemus in ejusdem *Caroli Vita*, olim a Monacho Cœnobii Egolismensis Sancti Eparchii conscripta, quem & Rhegino Abbas Prumensis ad annum DCCCXIV. sequutum se ait, nonnullis interpolatis, quibusdam etiam additis. Anastasius vero Bibliothecarius hanc ipsam Caroli Magni Coronationem, factasque a Romano populo eam in rem Acclamationes iis verbis persequitur in Leone III. *Adveniente die Natali Domini nostri Jesu Christi in jam dicta Basilica Beati Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt; & tunc venerabilis almificus Pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam, & ejus Vicarium habuit, unanimiter altisona voce, Dei nutu, atque Beati Petri clavigeri regni cælorum acclamaverunt; CAROLO, piissimo AUGUSTO, a Deo CORONATO, magno & pacifico Imperatori, VITA, & VICTORIA. Ante sacram Confessionem Beati Petri Apostoli plures Sanctos invocantes, TER dictum est, & ab omnibus constitutus est IMPERATOR Romanorum.* Hactenus Anastasius; ex cujus verbis illa etiam aperte colligas CONTENTIS scilicet VOCIBUS *emissas hujusmodi Acclamationes*, & TERTIO item *repetitas*. Quam porro diximus usurpatam in Caroli Magni Coronatione acclamandi formulam, ea videtur fuisse Imperatoriarum omnium Coronationum consueta & quasi legitima. Siquidem in vetustissimo Bibliothecæ Vaticanæ Ceremoniali Codice, dum multa recensentur in Imperatorum Coronatione fieri solita, hæc item commemoratur tanquam legitima eandem in rem acclamandi formula: *Domino nostro* N. AUGUSTO, *a Deo* CORONATO, *magno & pacifico Imperatori*, VITA, & VICTORIA; *per* TER. Ubi vides, novum Imperatorem, ut dicebamus, AUGUSTI nomine appellari; VITAM ei, & VICTORIAM, inter acclamandum optari; nec non eadem TERTIO iterari.

In Christianissimi autem GALLORUM REGIS Coronatione, eadem acclamata invenio, quæ in Hebræorum Reges, primo electos & coronatos, emitti olim solita docuimus in proxime superiori capite. Etenim in eo tertiæ Thesauri Politici Partis Opusculo, quod *Coronatio Christianissimi Galliæ Regis* inscribitur ita legimus: *Statim CORONATO REGE, atque in Trono sedente, Rhemensis Archiepiscopus ad illius amplexum & osculum accedit: moxque ad populum conversus ACCLAMAT, VIVAT REX. Archiepiscopo autem sic acclamanti Cantorum Schola illico succinit, VIVAT REX IN ÆTERNUM. Et post Cantores populus universus contentis vocibus formulam eandem, VIVAT REX, ITERUM ac SÆPIUS repetit.*

CAP.

CAP. VII.

EDITOS *a populo in Ecclesia gratulationis & admirationis* CLAMORES, *dum ad alicujus Sancti Memoriam patraretur* MIRACULUM. *His verbis*, DEO GRATIAS, CHRISTO LAUDES, *concipi solitam hujusmodi* ACCLAMATIONIS *formulam*.

IN primo hujus Libri Capite præmonui, nihil me ordine scripturum in hac extrema Operis parte, sed omnia, prout in mentem ac stilum venirent. Quem modum semel admissum ut constanter retineam, eas nunc persequar Acclamationes, quas in *Miraculorum patratione* emissas vetera monumenta commemorant.

PATRATO igitur in Ecclesia ad alicujus Sancti Memoriam MIRACULO, consuevit circumstans populus CLAMORES, gratulationis & admirationis testes, EDERE. Discimus id ex B. Augustini libro XXII. *de Civitate Dei* cap. VIII. cujus sunt hæc: *Ecce me disputante VOCES de Memoria Martyris novæ gratulationis AUDIUNTUR. Conversi sunt eo qui me audiebant, cœperuntque concurrere. ILLA enim*, ægrota mulier, cujus frater jam fuerat ejusdem Martyris precibus ad sanitatem reductus, *ubi de gradibus descendit, in quibus steterat, ad Sanctum Martyrem orare perrexerat; quæ mox, ut cancellos attigit, collapsa similiter, velut in somnum, SANA SURREXIT. Dum ergo requireremus, quid factum fuerit, unde ISTE STREPITUS LÆTUS extiterit, ingressi sunt cum illa in Basilicam, ubi eramus, adducentes EAM SANAM DE MARTYRIS LOCO. Tum vero tantus ab utroque sexu admirationis CLAMOR EXORTUS EST, ut vox continuata cum lachrymis non videretur posse finiri*. Factos igitur ob patratum Miraculum clamores didicimus ex hoc Augustini loco. illud nunc restat, de quo videamus; QUA scilicet VERBORUM FORMULA *concipi solerent* HUJUSMODI CLAMORES.

Indicat autem idem Augustinus, consuetam in hanc rem acclamandi formulam fuisse, DEO GRATIAS, CHRISTO LAUDES. Ejus verba id exprimentia sunt hæc ex Serm. XXXII. *de Diversis*: *Cum hæc diceret Augustinus, populus de Memoria Sancti Stephani CLAMARE cœpit, DEO GRATIAS, CHRISTO LAUDES. IN quo continuo clamore puella, quæ CURATA est, ad apsidam perducta est. qua visa populus cum gaudio & fletu, nullis interpositis sermonibus, sed solo strepitu interposito, aliquandiu CLAMOREM protraxit*. Hactenus Augustini locus; ex quo illud etiam apparet, *Iterum ac sæpius repetitam hanc acclamandi formulam*. Sed hæc eadem veritas ex his, quæ mox dicemus, manifestius adhuc cognoscetur.

CAP. VIII.

Ob resuscitati Lazari MIRACULUM *Christo Domino Hierosolymam ingredienti* acclamatum *a turbis Judæorum*, HOSANNA FILIO DAVID, *&c.*

HOSANNA FILIO DAVID, acclamasse turbas Christo Domino, Hierosolymam ingredienti, norunt omnes: QUID autem *esset causæ*, CUR *ita acclamaretur*, QUI item *sit hujus acclamandi formulæ* SENSUS, haud ita manifestum est. Age igitur, excutiamus hæc duo; a priore prius exorsi.

A Quidquid hac de re sentiant alii, existimo ipse omnino OB MIRACULUM resuscitati Lazari factam a turbis Christo Domino faustam hanc ACCLAMATIONEM. Significari hoc a B. Matthæo arbitror, cum in *Evangelio* cap. XXI. inquit: *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via; alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via; turbæ autem, quæ præcedebant, & sequebantur, clamabant dicentes, HOSANNA FILIO DAVID; Benedictus qui venit in nomine Domini, HOSANNA in altissimis*. Paulo post autem reddens causam Matthæus, cur ita acclamasset turba, hæc subjecit, rem nostram haud obscure exprimentia; *Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ, MIRABILIA quæ fecit, & pueros CLAMANTES, & dicentes, HOSANNA FILIO DAVID, indignati sunt*. Ut jam satis constet ex hoc Matthæi loco, MIRABILIA a Christo facta *causam fuisse turbis acclamandi*. Cujus rei rationem eandem videtur B. etiam Lucas afferre, dum in *Evangelio* cap. XIX. gaudentes turbas scribit super Christi VIRTUTIBUS, quas viderant, *fauste* eidem Christo ACCLAMASSE. *Eunte autem illo*, inquit Lucas de Christo loquens, *substernebant vestimenta sua in via; & cum appropinquaret ad descensum montis Oliveti cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, VIRTUTIBUS, dicentes, BENEDICTUS, qui venit in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis*. Nec verendum est, ne vocabulum, VIRTUTES, hoc loco non idem, quod MIRABILIA, valeat. Dubitationem autem omnem omnino tollit, remque totam conficit Beatus Joannes in *Evangelii* cap. XII. Cum enim turbas fauste Christo Domino *acclamantes* induxisset, mox, *cur* ita *acclamassent*, suggerens rationem, *resuscitati Lazari* MIRACULUM commemorat: *Turba*, inquit, *multa, quæ venerat ad diem Festum, cum audissent, quia venit Jesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & CLAMABANT HOSANNA; Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel*. Et paulo post: *Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis. PROPTEREA & obviam venit ei turba, QUIA audierant, eum fecisse HOC SIGNUM*. Satis igitur docui, causam, cur turbæ Christo Domino, HOSANNA FILIO DAVID, acclamarint, fuisse resuscitati Lazari MIRACULUM. Nunc explicandum, qui sit germanus hujusce Acclamationis sensus.

CAP. IX.

Acclamandi formulæ, HOSANNA FILIO DAVID, *in Matthæi* Evangelio, *qui sit verus ac germanus sensus? Nonnullorum de ea opiniones confutatæ. Verbum* HOSANNA *ex vocibus* HOSIA & ANNA *compositum; sed compendio sermonis* HOSANNA *pronunciatum. Voces*, FILIO DAVID, *commode posse cum* dicentes, & *non cum* Hosanna *copulari. Non plenas fuisse interdum Acclamationes. Acclamationem hanc posse congruenter accipi & exponi distinctam hoc modo & interpunctam*; HOSANNA. FILIO DAVID. *ita ut illi, tanquam non plenæ, ea subaudiantur verba*, Hoc precamur, *seu*, Hanc a Deo salutem optamus. *Posse eandem hoc modo non incommode explicari*, HOSANNA, FILIO DAVID, *hoc est*, Solemne illud Hosanna Da-

vidicum, sit, *vel* contingat, *aut* accinatur, *seu*, acclametur *Filio David*. *In sacris Bibliis verbum* הושיע Hosiah, *a quo derivatum est* Hosanna, *casui tertio junctum sæpe reperiri. Hinc factum, ut Interpretes, & Græcus, & Latinus, verbum* Hosanna *retinentes in vertendo, phrasim etiam retinuerint Hebraicam; ac proinde* υἱῷ & Filio, *non* υἱὸν & Filium, *reddiderint. Quocunque ex dictis modo accepta hæc acclamandi formula, puram semper ac sine vitio efficiet locutionem.*

SCio, de voce HOSANNA, in Matthæi *Evangelio* a turbis Christo Domino fauste acclamantibus usurpata, permultos fuisse qui scripserint. ex quibus alii *Excellentem magnitudinem*, alii *Redemptionem domus David*, *Gloriam* nonnulli vel *Laudem*, quidam *Gratiam*, non pauci *Ramos* interpretati sunt. Verbum ipse ultra addere non auderem, nisi homines hosce, cæteroqui doctissimos, in illius explicatione & ipsos falli, & simul fallere alios certo scirem. Hebraicæ nimirum linguæ, ac phraseos ignoratio, errorem hunc tantis Viris objecit. Hæc res mihi, quamquam & ingenio & doctrina longe impari, causam attulit sane justam, experiundi, posset ne de eadem re dici aliquid, quod oratione mea patefactum, Lectori tum ad veritatis patrocinium tuendum, tum ad illustrandum hoc Acclamationum Opus, & dictum commode, & novum fortassis etiam esse videretur.

Est igitur apud B. Hieronymum in epist. CXLV. *ad Damasum* his ipsis verbis scriptum: *Multi super hoc sermone*, loquitur autem de Evangelico HOSANNA, *diversa finxerunt: e quibus noster Hilarius in Commentariis Matthæi ita posuit, OSANNA Hebraico sermone significat, REDEMPTIO DOMUS DAVID. primum, REDEMPTIO lingua Hebræa* pheduth *interpretatur; deinde, DOMUS* beth; *DAVID vero in hoc loco non esse nomen insertum, omnibus patet. Alii opinati sunt, OSANNA GLORIAM dici; porro GLORIA* cabod *appellatur. Nonnulli GRATIAM, cum GRATIA* thoda, *si ve* hanna *nuncupetur*. Aliorum hac de re opiniones hactenus & enumeravit Hieronymus, & quid veri, aut commentitii haberent, ostendit. proxime vero quæ adjunguntur, eo pertinent, ut unde desumpta sit hæc acclamandi formula, sciri possit: *Ad explanandi*, inquit, *compendium venio, ut dicam, de centesimo decimo septimo Psalmo, qui manifeste de Christo prophetat, & in Synagogis Judæorum creberrime legebatur, unde & populis notior erat, hos versus esse assumptos; quod ille, qui repromittebatur de genere David, venerit salvaturus Israel, dicente David,* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factus est hic, & est mirabilis in oculis nostris. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. O DOMINE SALVUM ME FAC, O Domine bene prosperare; Benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. *Unde & Evangelistarum scriptura commemorat, Pharisæos & Scribas super hoc indignatione commotos, quod viderent populum Psalmi Prophetiam super Christo intelligere complectam, & clamantes pueros, OSANNA FILIO DAVID, dixisse ei:* Audis, quid isti loquuntur? *& Jesum respondisse*, Nunquid legistis, quia ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem? *centesimum decimum septimum psalmum octavi psalmi assertione firmantem. Et de eo quidem, quod facile exprimi poterat*, Benedictus qui venit in nomine Domini, *omnium Evangelistarum scriptura consentit. de verbo autem OSIANNA, quia in Græcum non poterant transferre sermonem, sicut in Alleluja, & in Amen, & in plerisque factum videmus, ipsum Hebræum posuerunt dicentes, OSIANNA.* Tandem, ut aperiat, quid sentiret ipse de hac voce, ea subdit: *Sicuti nos in lingua Latina habemus interjectiones quasdam, ut insultando dicamus*, Vah, *& in admirando*, Papæ, *& in dolendo*, Heu; *& quando silentium volumus imperare, strictis dentibus spiritum coarctamus & cogimus, insonando scilicet sibilum; ita & Hebræi inter reliquas proprietates linguæ suæ habent interjectionem, ut quando volunt Dominum deprecari, ponant verbum petentis affectu, & dicant, ANNA Domine. HOSIAH ergo, SALVIFICA, interpretatur. ANNA interjectio deprecantis est. Si ex duobus his velis compositum verbum facere, dices, HOSIANNA, sive, ut nos loquimur, OSANNA, media vocali littera elisa. Quapropter, ut ad Quæstionis originem revertamur; ubi nos legimus in Latino, O DOMINE SALVUM ME FAC, O Domine bene complace, Benedictus qui venit in nomine Domini, juxta Hebræum sensum legere possumus, OBSECRO DOMINE SALVUM FAC, Obsecro Domine prosperare, Benedictus qui venit in nomine Domini*, &c. Talis ergo est Hieronymi locus, talis est expressa illius de hac voce sententia, in qua debent quatuor præcipue animadverti. Primum, adductas hac de re opiniones, ex Hebraicæ linguæ notione, inanes & commentitias esse totas, non modo apertissime, verum etiam firmissime a Hieronymo coargui. Alterum, Turbas, hoc modo fauste Christo Domino acclamantes, animum intendisse ad eum Psalmi centesimi decimi septimi versiculum, *O Domine salvum me fac, O Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini*. qui quidem Psalmus a Judæis & legebatur creberrime, & in Synagogis frequenter canebatur, & omnibus notus erat atque manifestus. Tertium verbum HOSANNA ex vocibus *Hosia* & *Anna* componi, verum a nobis, sermonis compendio, perque litteræ elisionem, non *Hosianna*, sed *Hosanna*, duabus vocibus in unam contractis, scribi & pronunciari solitum. Postremum, הושיע *Hosiah*, idem quod, *Salvifica*, seu, *Salvum fac*, valere: אנה *Anna* autem esse deprecantis interjectionem, ac proinde, *Obsecro*, sonare. Ut tandem Hieronymo *Evangelicum Hosanna* ex Psalmo CXVII. desumptum sit, ac pro eo accipiatur, quod Latine dicimus, *Salvifica*, seu *Salvum fac obsecro*. Etiam Thisbites Elias in *Lexico Hebraico* eandem vocem perinde accipit, ac si diceretur, *Salvum fac obsecro*. Quod cum Hebræorum linguæ eruditissimi, non hi duo solum, sed & complures alii nostra simul & patrum memoria probarint, nefas pene esset, meo judicio, eis non habere fidem in re tali.

Existunt tamen, qui dicant, nequaquam posse in adducto Matthæi loco vocem *Hosanna* ea notione accipi; quod sic esset vitiosa locutio, nec sensum congruentem haberet. Qui enim apte possunt, *Hosanna*, quod est, *Salvum fac obsecro*, & *Filio David*, inter se cohærere? An non, *Filium David*, dicendum esset? Sed hoc, qualecunque est, si Hieronymi & Eliæ sententiæ, quam sequimur, opponitur, id parvo negotio redargui licet. Nam in Matthæi loco dum legimus, *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes, HOSANNA FILIO DAVID; Benedictus qui venit*, &c. quid impedit, quominus verba, *Filio David*, cum *dicentes*, non cum *Hosanna*, copulemus? perinde ac si diceretur, *Clamabant dicentes Filio David, Hosanna; Benedictus qui venit*, &c.

quam quidem opinionem, ut probabilem, animadverti, viro Hebraice scientissimo Gulielmo Genebardo in *suis ad Psalmum* CXVII. *Commentariis* non displicuisse, quin ejusdem sententiæ assertores citat inibi Hieronymum, Eusebium, & Theophylactum. Præterea, cum certum sit, ut est a nobis in primo hujus Operis libro cap. XXI. demonstratum, *Acclamationes* fuisse nonnunquam *semiplenas* duntaxat, ac veluti *decurtatas*; ita nimirum pronunciatas, ut ad perfectam earum intelligentiam aliquid omnino subaudiri oporteret: equidem, etiamsi non alia adesset ratio interpretandi ac connectendi ea verba; *Hosanna Filio David*, commode tamen possent, meo judicio, ac congruenter accipi & exponi distincta hoc modo & interpuncta; *Hosanna*. *Filio David*. hoc est, *Salvum fac obsecro*, o Deus. *Filio David hoc precamur*, seu, *hanc a Deo salutem optamus*. hæc enim, aut similia, subaudienda sunt, ut non plena compleatur acclamatio. ac tale quidem fuisse Judaici populi votum, Christo Hierosolymam ingredienti, fausta omnia a Deo precantis, satis indicat res ipsa, & viri item doctissimi prodiderunt. Nec reticebo, non plenæ huic Acclamationi valde consimilem eam fuisse, quam Alexandro Severo factam ita refert Ælius Lampridius in *eodem Severo*: *Alexander Auguste Dii te servent*. *Juveni Imperatori*, *Patri patriæ*, *Pontifici maximo*. ad sensum enim perficiendum ista subjicere oportet, *Hanc a Diis salutem optamus ac precamur*. Ad hæc vox *Hosanna* (id quod antea ex B. Hieronymo commemoravi) & desumpta est ex Psalmo CXVII. & aliud nihil inibi significat, quam, *Salva obsecro*; Psalmus item ipse tunc temporis & frequenter legebatur a Judæis, & in Synagogis canebatur, & de Messiæ etiam adventu solebat exponi. haud dubie credendum ut sit, & vocis ipsius significationem, & Psalmum, res notas fuisse, atque apud omnes pervulgatas. Quin addunt alii, vocem hanc fuisse Judæis solemnem ac pervagatam Acclamationis formulam (ob idque Hebraicam ab Evangelistis & acceptam, & retentam) tunc maxime solitam frequentari, cum Festi Tabernaculorum dies agitabantur; in quibus ad singula Dei nomina, epitheta, beneficia, ac monimenta recitata, identidem repetebatur, ad eum fere modum, quo nunc in Litaniis, *Libera nos Domine*, aut, *Te rogamus, audi nos*, iteramus.

Hæc cum vera sint ac certe, adducta Matthæi verba, *Turbæ autem*, *quæ præcedebant*, *& quæ sequebantur*, *clamabant dicentes*, HOSANNA FILIO DAVID, sententiam habebunt hujusmodi; *Solemne illud ac pervagatum Hosanna Davidicum*, *sit*, vel *contingat*, aut *accinatur*, seu *acclametur Filio David*; Christo nimirum, quem promissum & hactenus expectatum Davidis filium agnoscimus. quemadmodum etiam dicere possumus, *Alleluja*, seu *acclametur Christo resurgenti*. Atque in hunc fere modum inter cæteros explicat ex Hebræorum doctrina locum istum Franciscus Lucas Brugensis, vir sane doctus, & Judaicarum rerum peritissimus. Hæc quidem omnia licet satis aperiant, locutionem istam, *Hosanna Filio David* (voce *Hosanna* in eum sensum accepta, ut, *Salvifica*, seu, *Salvum fac obsecro*, significet) sine vitio esse, sensumque habere congruentem; placet tamen, ut minime dubiæ rei fides adhuc major fiat, illud etiam apponere; In sacris Bibliis Hebraicum verbum הושיע *Hosiah*, a quo derivatum est *Hosanna*, non semel, neque uno in loco, tertio casui junctum reperiri. quam ob causam factum crediderim, ut Latinus Interpres, cum hic Hebraicum verbum *Hosanna* in vertendo retinuisset, voluerit etiam phrasim retinere Hebraicam, atque adeo, *Filio David*, non, *Filium*, reddere. Id quod est a Græco quoque Interprete factitatum, cujus sunt ista, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Possem autem id quod dixi de tertio casu pluribus omnino veteris Scripturæ sacræ testimoniis confirmare, petitis nimirum ex *Deuteronom.* cap. XII. vers. XXVII. *Josue* cap. X. vers. VI. *Judic.* cap. VII. vers. II. *Reg.* lib. I. cap. XXV. vers. XXVI. lib. II. cap. X. vers. XI. *Psalm.* XLIII. vers. IV. & XCVII. vers. I. *Ezechiel.* cap. XXXIV. vers. XXII. Sed unicum ego illud proferre statui, quod in vers. XVI. Psalmi LXXXVI. hoc pacto legitur: הושיעה לבן אמתך *Hosia leben amatheca*, hoc est, *Salvum fac filium ancillæ tuæ*. quo loci vides, voci *ben lamed appositum*, quod, junctum nominibus, tertium casum designat. Nec verendum est, ne hic quoque Interpretes tam Græcus, quam Latinus, si Hebraicum verbum *Hosanna* retinuissent, non etiam phrasim conservassent Hebraicam; ac proinde υἱῷ, non υἱὸν, & *Filio*, non *Filium* transtulissent.

Sive igitur verba hæc, *Filio David*, cum *dicentes*, non cum *Hosanna*, jungantur; sive *pars* sint *non plenæ acclamationis*, ad quam complendam alia subaudiri oporteat: sive vox *Hosanna*, ex Psalmo desumpta, ut solemnis ac pervulgata apud omnes acclamationis formula, dicatur *Filio David accinenda* aut *acclamanda*: seu potius (id quod ego verius puto, & textui magis consonum est) voces, *Filio David*, ad ipsum *Hosanna* referantur, quod ex phrasi Hebraica, ut vidimus, tertio casui jungi consuevit. pura semper ac sine vitio erit ista locutio, & congruentem omnino sensum habebit. Quapropter, ut concludam aliquando, is erit verus ac germanus hujusce acclamationis sensus; SALVA OBSECRO, *o Deus*, seu, SALVUM FAC OBSECRO FILIUM DAVID; *Benedictus qui venit in nomine Domini*; SALVUM FAC, *inquam*, *ex altissimis*, seu, *o tu qui es in altissimis*. Repetunt autem Turbæ *Hosanna*, ex acclamantium more, qui, ut vehementem iis testarentur affectum, quibus acclamabant, consueverunt, ut planum fecimus in primo Libro, eadem inter acclamandum iterata identidem inculcare.

Quibus ita vere ac dilucide patefactis, jam ii non erunt audiendi, qui formulam accclamandi, HOSANNA FILIO DAVID, *Excellentem magnitudinem* interpretantur. Nec vere judicant, qui vel *Laudem*, vel *Gratiam* ea significari affirmant; quorum inanes opiniones sub ipsum Capitis hujus initium abunde confutatæ sunt a Beato Hieronymo. Et longe item falli eos oportet, quibus, *Rami filio David*, seu *in honorem filii David*, eandem illam in Latinum vertere libuit. Nunc reliqua persequamur.

Cap. X.

Indicantur Formulæ variæ, *quibus solebant Veteres inter acclamandum* LONGIOREM *alicui* VITAM, ANNOSque FELICES *a Deo precari & optare*.

NOn semel, neque in uno hujus Operis loco, facta est a nobis mentio *earum Formularum*, quibus consueverunt olim acclamantes, LONGIOREM VITAM alicui, ANNOSque FELICES optare a Deo, ac precari. Juvat nunc illas omnes, sparsim commemoratas, & alias item, si quæ sunt eandem in significationem, proximis hisce duobus, aut tribus Capitibus col-

ligare. ita tamen, ut, quæ jam satis sive a nobis, A sive ab aliis explicata sunt, aut prætermittantur omnino, aut vix attingantur; quæ autem vel cæteri tacite præterierunt, vel nos adhuc addubitata reliquimus, de iis accuratius disputemus. Formulas autem ipsas in hæc ferme verba conceptas observo; *De nostris annis tibi Juppiter augeat annos.* εἰς αἰῶνας, vel ἐπ' αἰῶνας, hoc est, *In sæculum. Vivas. Vivat, Vita. Diuturnum. Multi anni. Multos annos. Ad multos annos. Regnum in sæcula permaneat. In perpetuum maneat Imperium. Imperium in æternum.* Quarum omnium trex duntaxat, priori loco positas, illustrabimus; reliquas abunde jam B vel a nobis, vel ab aliis expositas, indicasse contenti. Prima igitur sit illa, concepta his verbis, ac pronunciata,

De nostris annis tibi Juppiter augeat annos.

CAP. XI.

Acclamandi Formulæ, DE NOSTRIS ANNIS TIBI Jupiter AUGEAT ANNOS, quæ *maxime vis esset olim ac* significatio; *&* cur acclamaretur? *Ad mirificam quandam* vim amoris *in aliquem* verbis exprimendam *solitos Veteres edicere;* Cupere se, ANNORUM, ad vivendum sibi C constitutorum, PARTEM aliquam AD ILLIUS VITAM ADDI.

HAnc acclamandi formulam, *De nostris annis tibi Jupiter augeat annos*, alibi protulimus, in primo scilicet hujus Operis libro cap. XIX. sed eam duntaxat in rem, ut, *Carmine conceptas aliquando ac pronunciatas Acclamationes*, evinceremus. At nunc de ea inquirimus. *Quam maxime vim haberet ac significationem*, &, *Cur soleret olim acclamari.* Atque ut ista facilius intelligantur, animadvertendum est; Veterum morem fuisse, ut, qui D magnam vellent in aliquem amoris significationem verbis exprimere, palam edicerent, *Cupere se*, ANNORUM, *ad vivendum sibi constitutorum*, PARTEM *aliquam* AD ILLIUS VITAM ADDI. Quem sane morem apertissime expressum videmus in Senecæ libro *de Brevitate Vitæ* cap. VIII. in hæc verba; *Dicere solent IIS, quos validissime DILIGUNT, PARTEM ANNORUM SUORUM DARE.* Hinc in Plauti *Asinaria*, cum Philenium amica Argyrippo dixisset,

Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dedere optas?

respondet amator Argyrippus, E

Ego te? QUAM si intelligam DEFICERE VITA, jam ipse
VITAM MEAM TIBI LARGIAR, ET DE MEA AD TUAM ADDAM.

Tibullus etiam, ad hunc morem respiciens, anui cuidam ita blanditur in libro I. Eleg. VI.

Vive diu, mi dulcis anus; PROPRIOS EGO TECUM,
Sit modo fas, ANNOS CONTRIBUISSE VELIM.

Neque huic voto valde dissimile illud est, quo Priscilla moriens amantem Maritum consolatur apud Statium in V. *Sylvarum* libro; sic enim inibi F loquens inducitur.

Pars animæ victura meæ, CUI LINQUERE possim,
O Utinam, QUOS dura MIHI RAPIT Atropos ANNOS.

Alcestis autem, Thessaliæ Regis Admeti Uxor, hujusce voti compos facta est; sola enim potuit ac voluit, fata permutando, Mariti vitam morte sua producere. rem narrant Plato in *Symposio*, Juvenalis in Sat. VI. Ovidius in libris de *Ponto*, Euripides in *Alcestide*, Seneca in *Medea*, Valerius Maximus in lib. IV. cap. VI: & Hyginus in *Fabulis*. Atque Euripides facit, eam morientem superstiti Marito his verbis valedicere:

O Vir, SALUTEM PRÆTULI MEÆ TUAM;
PRÆ ME TIBI ut LUCEM liceret CERNERE.
EMORIOR PROTE, cum liceret mihi non mori.

Hoc porro animadverso, jam quivis unus haud magno negotio viderit, *Quæ esset nostræ hujusce acclamandi formulæ significatio*, &, *Quam ob causam soleret acclamari.* Nimirum populus olim Congiario donatus ab Imperatoribus ac locupletatus, ut memorem se muneris gratumque ostenderet, fausta multa consuevit identidem in largitores inter acclamandum emittere, atque illud inprimis,

De nostris annis tibi Jupiter augeat annos.

quo testabatur unusquisque (ut scilicet mirificam quandam, quemadmodum dicebamus, vim amoris in eos exprimeret) cupere se, ex annis, ad vivendum sibi constitutis, partem aliquam ad illorum vitam addi. Memini autem, admonuisse me in adducto primi Libri capite XIX. ad veterem hanc eandem acclamandi formulam & Ovidium in primo *Fastorum* libro, & Beatum Ambrosium in Oratione *de Obitu Valentiniani*, omnino respexisse. Ovidium quidem, dum longum Imperium, annosque multos Augusto precaturus, cecinit in hunc modum:

Augeat Imperium nostri Ducis, AUGEAT ANNOS.

Ambrosium vero, ita apertissime scribentem: *Quod si me ad illum revocatis dolorem, quod cito excessit e vita; nec ego abnuo, immatura obiisse ætate, QUEM NOSTRÆ VITÆ TEMPORIBUS FULCIRE CUPEREMUS, ut DE NOSTRIS ANNIS VIVERET, qui fungi non potuit suis.* Quam orationem etiam nunc repeto; hoc fidentius, quod, sic explicata nostra acclamandi formula, omnibusque inter se collatis, jam satis patebit, me nihil a vero alienum hac in re comminisci.

CAP. XII.

Ἐπ' αἰῶνας, *sive* Εἰς αἰῶνας, *hoc est*, IN SECULA, *cur olim Principibus acclamaretur? Emendantur ac illustrantur obscuriores ac depravati duo Cassii Dionis loci.*

FOrmularum altera ex tribus, quas selectas e pluribus suscepimus hoc loco explicandas, erat illa; Ἐπ' αἰῶνας, seu Εἰς αἰῶνας, hoc est, IN SECULA. Meminit de ea Cassius Dio lib. LXIII. in *Nerone*; cujus locum eo libentius recitabo, quod in vulgatis codicibus Græcis mendose conscriptus errorem magnum docto alioqui Interpreti objecit. Universam inibi triumphantis Neronis pompam describit Dio, atque hæc inter cætera eidem ab omnibus acclamata affirmat: *Auguste, Auguste. Neroni Herculi, Neroni Apollini. Quam solus victor es periodicus, solus ex æterno tempore? Auguste, Auguste. Sacra vox. Beati qui te audiunt.* Hoc enim maxime modo Dionis locum verti posse arbitrabatur Joannes Leunclavius vulgatam scilicet sequutus lectionem: nec mirum, si e turbidiori fonte aquam hausit inquinatam. Mendum autem, quod tollere modo tentamus, in iis verbis continetur, *Quam solus victor es periodicus, solus ex æterno tempore?* quæ fuere ex corruptis hisce Græcis expressa; ὡς εἷς περιοδονίκης, εἷς ἀπ' αἰῶνος. Viderunt & indicarunt eruditi aliquot, hanc scri-

pturam non carere mendo, sed, qua posset mendum ratione tolli, non docuerunt. eruditissimus autem Claudius Salmasius, dum se torquent alii, locum feliciter emendavit, *Ζώσῃς, περιοδονικήσῃς ἐπ' αἰῶνας*, substituens; quæ Latine ad verbum licet isto modo transferamus, *Vivas, Omnia in orbem certamina vinces IN SECULA*. Quæ autem me causa moverit, quamquam & libri & Interpretes dissentiant, ut in unius Salmasii lectione acquiescerem, audi. Vota in futurum semper, numquam in præteritum concipiuntur. acclamandi porro formula, quam nunc agitamus, aliud nihil habet præter acclamantium vota pro Principum sive Vita, sive Victoria. & hic certe apud Dionem optant ea acclamantes triumphanti Neroni longiorem Vitam, & Victoriæ continuationem. cur non igitur tollemus e Dionis loco *ἀπ' αἰῶνος*, quod præteritum tempus, & *ἐπ' αἰῶνας*, quod futurum respicit, reponemus? ita est. Eximia itaque Viro doctrina Claudio Salmasio est habenda gratia, qui, sive ex ingenio, sive fretus antiquorum librorum ope, mendum utiliter sustulit, & primus inquinatum fœde locum ab omni macula purum fecit. Extat alter apud eundem Dionem in lib. LXXII. locus, in quo fit istius formulæ mentio; sed hic etiam est eodem modo & depravatus, & corrigendus. recitemus eum igitur, non ut in vulgatis libris habetur, at ut vere legi, & scribi debet. *Πάντων*, ait Dio, *εὐτυχέστατος νικᾷς. νικήσῃς ἐπ' αἰῶνας* (*ἀπ' αἰῶνος*, vulgo legebatur) *Ἀμαζόνιε νικᾷς*. quæ sic Latine sonant; *Omnium felicissimus vincis. VINCES IN SECULA. Amazonie vincis*. Sunt autem ista acclamantium vota, quibus Imperatori Commodo, gladiatorio munere fungenti, continuatam precantur in futurum victoriam. Atque ista sane emendatio satis confirmatur testimonio Tertulliani; apud quem in libro *de Spectaculis* cap. XXV. sine mendo *Εἰς αἰῶνας* legitur, prout scilicet vere scribi debet: *Quale est*, inquit, *de Ecclesia Dei in Diaboli Ecclesiam tendere? de cœlo, quod ajunt, in cœnum? illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem, fatigare? eo ore, quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? εἰς αἰῶνας alii omnino dicere, nisi Deo Christo?* Ex quibus omnibus animo, tanquam oculis cernas, *Quomodo conciperetur hæc formula*, & *Quam ob causam soleret olim acclamari*. Ad tertiam, eamque postremam, accedo formulam, qua Vitam alicui longiorem, felicesque annos precabantur acclamantes.

CAP. XIII.

VIVAS, *seu*, *Ζήσειας*, *acclamatum olim* IN CONVIVIIS; *&* TUM *maxime*, CUM *quis* UNICO HAUSTU GRANDE POCULUM EXHAUSISSET. *Illustratus Apuleii locus. Inanis quorundam apud Suidam opinio de vocis Ζήσειας significatione. Vocem*, PROSIT, *qua nunc utimur* in Propinationibus, *&* in fine Convivii, *a formula*, VIVAS, *derivatam*.

UNica voce, *Ζήσειας*, hoc est, VIVAS, concipiebatur hæc acclamandi formula. quam quidem *in Conviviis* olim usurpatam invenio; & *tum* maxime, *cum* quis *ἀμυςὶ*, *uno* scilicet *haustu*, *vini plurimum ebibisset*. Docet nos utrumque Cassius Dio, apud quem non obscure libro LXXII. in *Commodo* ita scriptum legimus: *Bibebat defessus*, Commodus, *in medio certamine clavato e calice vino dulci refrigerato, mulieris e manu sumpto*, *UNO HAUSTU. INDE populus, & nos omnes, statim, QUOD IN CONVIVIIS DICI SOLET, acclamavimus, VIVAS*. Sed dilucidius Suidas in voce Ἀμυςὶ ex Pherecrate: *Commodus*, inquit, *Romanorum Imperator, in certamine defatigatus, cum dulce vinum in poculo, clavæ speciem habente, & AMPLO, refrigeratum ab Uxore accepisset, id UNICO HAUSTU, & SINE ULLA RESPIRATIONE hausit. QUAMOBREM confestim omnes acclamarunt id, QUOD IN CONVIVIIS DICI SOLET, VIVAS*. Quorum locorum verba illa, *Quod in Conviviis dici solet*, &, *In poculo amplo*, nec non, *Unico haustu & sine ulla respiratione*, quæ dicimus, satis confirmant. Ac de causa, quamobrem soleret inter pocula, VIVAS, acclamari, non debet ambigi; cum eam apertissime nobis exprimant voces illæ, INDE, & QUAMOBREM; nimirum, *Grande poculum, unico haustu, ac sine respiratione exhaustum, acclamandi causa erat*. Ad hunc autem eundem morem crediderim omnino respexisse Apulejum, dum in decimo *Metamorphos.* libro scribit hæc: GRANDISSIMUM *illum* CALICEM UNO HAUSTU *perhausi*: CLAMOR *exurgit consona voce cunctorum*, SALUTE *me prosequentium*. non enim vereor, ne vox, SALUTE, non idem, quod, VIVAS, valeat. Quapropter putare, acclamandi formula, VIVAS, idem significari, quod, VITAM FINIAS, seu, EX VITA NUNC EXCEDAS, quasi VIXERIS, diceretur, quemadmodum fecere apud Suidam Grammatici nonnulli, plane a vero discedere est.

Illud autem non erit fortasse a re alienum hic admonere; Vocem, PROSIT, quam nunc & inter propinandum, & finita cœna, aut prandio, usurpamus, pro eo nobis esse fere, quod olim, *Ζήσειας*, dicebant Græci, Latini autem, VIVAS.

CAP. XIV.

PRINCIPIBUS AD SANITATEM REDUCTIS *gratulabundum populum universum* FAUSTE *olim* ACCLAMASSE. *Lux allata Phædri loco. Indicatur quibus verbis soleret concipi hæc acclamandi formula*.

ET quoniam in proxime superioribus Capitibus eas executi sumus Acclamationes, quibus olim *longior vita Principibus*, *annique felices* solebant a Deo optari, non erit fortasse injucundum nec inutile Lectoribus, nunc illam aperire formulam; quam *eosdem in Principes*, AD SANITATEM REDUCTOS, consuevit gaudens populus *emittere*. Germanico certe quidem, SANITATI RESTITUTO, gratulantes universos fauste acclamasse, narrat Suetonius in *Caligula* cap. VI. *Romæ quidem*, ait, *cum ad primam famam valetudinis*, Germanici, *attonita & mœsta civitas sequentes nuncios opperiretur, & repente jam vesperi incertis auctoribus CONVALUISSE tandem percrebuisset: passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum est, ac pene revulsæ Templi fores, ne quid gestientes reddere vota moraretur. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium, SALVA ROMA, SALVA PATRIA, SALVUS EST GERMANICUS*. Hactenus Suetonius; ex cujus sane loco uno plura licet alia colligi ad hoc nostrum Acclamationum Opus illustrandum mire facientia; sed ea inprimis: *Contentis omnino vocibus factas Acclamationes*; si quidem dicitur iis EXCITATUS EX SOMNO Tiberius: *Ad musicos easdem modos emissas*, nam

CONCINENTES vocantur Acclamantes: denique, *Carmine conceptas interdum ac pronunciatas*; cum sint verba illa, *Salva Roma, Salva Patria, Salvus est Germanicus*, VERSUS INTEGER TROCHAICUS. quæ tria omnium pene Acclamationum communia fuisse accurate loco docuimus. Tiberium ipsum, quem modo supra nominavi, cum SALVUS in Germaniam pervenisset, gaudentes Milites cum plausu exceperunt, eique fauste omnino acclamarunt. *At vero Militum*, ait Vellejus Paterculus *Histor.* lib. II. *conspectu ejus*, Tiberii, *elicitæ gaudio lachrymæ, alacritasque, & salutationis nova quædam exsultatio, & contingendi manum cupiditas, non continentium protinus, quin adjicerent; VIDEMUS TE IMPERATOR, SALVUM RECEPIMUS*. In Alexandrum quoque Severum, Romam post Persicam Victoriam SALVUM ET INCOLUMEM redeuntem, faustas fuisse ab omnibus emissas Acclamationes, prodidit Lampridius in *ejus vita*: *Levabatur*, inquit, *manibus omnium Alexander, vixque illi per horas quatuor ambulare permissum est, undique omnibus clamantibus, SALVA ROMA, QUIA SALVUS EST ALEXANDER*. Cui formulæ valde consimile est Scenicum illud acclamatorium canticum, quod apud Phædrum in *Procaci Tibicine* ita legitur.

LÆTARE INCOLUMIS ROMA SALVO PRINCIPE.

quæ verba ex ambiguo jocum habent elegantem, qui rem nostram apertissime confirmet. Hic Phædri Tibicen proprio nomine PRINCEPS vocabatur; cum autem semel Bathyllo, ut solebat, operam in Scena daret, concidit, & crus sinistrum fregit. absfuit a Scena per aliquot menses: sanitati tandem restitutus, prodiit iterum in Theatri conspectum; populus illico, in ambiguo PRINCIPIS nomine ludens, *acclamat ei eadem illa, quæ solebat in veros Principes* AD SALUTEM REDUCTOS, *fauste emittere*; ac proinde,

Lætare, inquit, *incolumis Roma SALVO PRINCIPE.*

Nolim autem hic omittere, Acclamandi formulam, in Principes, incolumitati restitutos, emitti solitam, fuisse in hunc omnino sensum conceptam semper ac pronunciatam, ut palam edicerent acclamantes, *Publicam omnium salutem & vitam ex unius Principis incolumitate pendere*.

CAP. XV.

Vespere olim, cum LUMEN PRIMO *adferretur*, VINCAMUS *ab Hispanis acclamatum*; φῶς ἀγαθὸν, *a Græcis. Illustrantur hæ acclamandi formulæ*. SOLE NUBIBUS OBDUCTO *solitos acclamare contenta voce pueros*, EXORERE O AMICE SOL. *In* CALENDARUM FESTO, *ad extorquendam pecuniam, acclamatum fauste & plausum. Etiam* NOVÆ LUNÆ FESTUM *plausibus & Acclamationibus personasse*.

Aperimus hactenus certis ac distinctis Capitibus peculiares quasdam acclamandi formulas; lubet nunc acervatim nonnullas, inter se nequaquam cohærentes, aut continuatas, uno & item altero Capite complecti atque explicare.

Vespere igitur *cum lumen primo inferretur*, consueverunt Hispani, VINCAMUS, acclamare.

A Id quod Ammiano Marcellino teste dicimus; apud quem ita in lib. XVI. scriptum legitur. *Malignitate simili quidem agens in rebus in Hispania, ad cœnam itidem invitatus, cum INFERENTES VESPERTINA LUMINA pueros exclamasse audisset ex usu, VINCAMUS; interpretatus atrociter, delevit nobilem domum*. cujus loci verba illa, EX USU, satis ostendunt, fuisse id in Hispanorum usu communi, & quotidiana consuetudine. Assentior autem non invitus eruditissimo Viro, Joanni Meursio, affirmanti in *Criticis suis Exercitationibus*, eam ob causam, VINCAMUS, ab Hispanis acclamatum, ut innuerent, velle se claritate luminis noctis tenebras vincere.

B Græcos vero solitos, illato primum lumine vespertino, φῶς ἀγαθὸν, acclamare, tradit Varro lib. V. *de Lingua Latina*, scribens hoc pacto: *Diei principium mane, quod tum manat dies ab Oriente, nisi potius, quod bonum antiqui dicebant manum; ad cujusmodi religionem Græci quoque, cum LUMEN ADFERTUR, solent dicere*, φῶς ἀγαθὸν. quæ verba, BONUM LUMEN, in Latinum lubet vertere: quod scilicet optarent acclamantes, ut eo lumine nocturnarum discussio tenebrarum bene ac feliciter eveniret. ad cujus formulæ similitudinem nos etiam vesperi lumen afferentes, NOCTEM BONAM, præsentibus omnibus a Deo
C precamur. Quamquam scio, licere verba hæc ipsa, φῶς ἀγαθὸν, & fortasse commodius, alio detorquere. quorsum igitur? an eo flectenda sunt, ubi nobis indicent, voluisse Græcos etiam TENEBRARUM VICTORIAM iis significari? ita quidem est. nam in Linguæ Græcæ Thesauro, verbo φόως, sic scriptum legimus; *φῶς pro ipsa quidem certe VICTORIA ponitur aperte tum alibi, tum* Iliade Z. *circa principium; ubi Eustathius adnotat, vocari VICTORIAM* φῶς, *quoniam qui vincuntur, veluti jacere videntur in tenebris*. Ita ut Græcorum
D φῶς ἀγαθὸν aliud nihil nobis sonet, quam *bonam ac felicem tenebrarum* VICTORIAM. quæ formula sic accepta similis erit ac pene gemina illi, quam, voce VINCAMUS conceptam, fuisse in communi Hispanorum usu, mox supra docuimus.

Injecta porro hæc a nobis tenebrarum ac luminis mentio facit, ut dicam aliquid hoc loco de veteri illa puerorum acclamandi formula, quam plaudentes usurpabant tum, cum Sol tenebris ac nubibus obducebatur. his autem ipsis verbis concipiebatur; EXORERE O AMICE SOL. Pollux & Suidas de ea meminere: *Lusus*, inquit ille
E in lib. IX. cap. VII. *EXORERE O DILECTE SOL, plausum habet puerorum cum ACCLAMATIONE, quando NUBES præverterit SOLEM. Unde & Strattis in Phœnissis ait, Deinde & Sol obtemperat pueris, si acclament, EXORERE O DILECTE SOL*. Suidas vero in voce Ἐξέχειν, scribit hoc pacto: *SOLEM EXORIRI, quasi dicat, EMINERE. quod fit, cum horizontem jam ascendit & superavit, EXORIARIS O AMICE SOL. versiculus quidem est imperfectus & proverbialis, qui a pueris ACCLAMATUR, cum in frigore COELUM NUBIBUS est OBDUCTUM. Aristophanes in* Insulis, *Di-*
F *ces igitur, ut pueruli, EXORIARIS O AMICE SOL. Et in* Vespis, *Hæc quidem profecto probabiliter, si EXORIATUR SOLARIS SPLENDOR matutino tempore, tunc in Heliæa Dicasterio judicabis ad Solem sedens*. Commemorat eandem formulam apertissime etiam Eustathius *ad Iliadem* Λ. cujus verba non adscribo, quod sint eadem ferme cum allatis. Aristophanis etiam locum adducit Eustathius a Suida prolatum, sed fabulæ nomen omittit: ut adnotavit Vir do-

ctissimus Joannes Meursius in pulcherrimo suo *de Ludis Græcorum* libello.

Jam in FESTO CALENDARUM fauste olim acclamatum & plausum, perspicue S. Asterius demonstrat in Homilia *de Calendarum Festo*; in qua acerbius invectus in Christianos illos, quos non puderet uti hac Gentilium consuetudine: *Festum hoc*, ait, *non festum. & mendaci prorsus nomine plenum acerbitatis ac molestiæ: grave prodeuntibus in publicum, grave domi remanentibus. Viles enim de plebe homines, agyrtæ & scenici præstigiatores in turmas discreti, nulli non domui CLAMORIBUS ac PLAUSIBUS, velut FAUSTA precantes, molestiam exhibent. Et circa januas quidem eorum, qui tributa cogunt & exigunt, pertinacius hærent, donec tandem qui intus obsidetur, tædio molestiaque expugnatus, PECUNIAM PROJICIAT, quam habet, & quam non habet*. Hæc Asterius: ex quibus extremo loco positis aperte colligas, fuisse nonnisi AD EXTORQUENDAM PECUNIAM institutas & usurpatas hujusmodi Acclamationes.

Etiam NOVÆ LUNÆ FESTUM plausibus & acclamationibus, non modo Gentilium, sed etiam Christianorum personasse, scribit & conqueritur B. Gregorius Nazianzenus in orat. quarta, quæ est secunda *in Julianum*. In ea enim docens Gregorius, quo maxime modo celebranda essent Festa Christianis: *Primum quidem*, ait, *Fratres, Festum celebremus, non corporis nitore, non vestitus mutatione ac magnificentia, non comessationibus ac ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitias esse didicistis: nec floribus vicos cingamus. nec unguentorum turpitudine mensam, & vestibula ornemus: nec visibili lumine splendescat domus, nec tibicinum cantu, PLAUSIBUSque personent; hoc enim more GENTILES NOVÆ LUNÆ FESTUM CELEBRANT. Hymnos pro tympanis assumamus, psalmodiam pro fœdis modulationibus, & cantibus, PLAUSUM grati animi indicem, & CANORAM MANUUM ACTIONEM pro Theatricis PLAUSIBUS, mœstitiam pro risu, prudentem rationem pro ebrietate, gravitatem pro lascivia*, &c.

CAP. XVI.

TANTO MELIOR, *acclamatum antiquitus, cum quis plus dedisset, aut fecisset, quam quantum ab eo vere expectaretur, aut postularetur. In Saturnalibus,* JO SATURNALIA *clamitatum. Aliquibus pugnis decertantibus spectantes identidem acclamasse,* εὖ, *hoc est,* EUGE.

PLane cum quis faceret, aut daret majus quiddam, quam ut ab eo expectandum esset, aut postulandum, consueverunt Veteres fauste ei in hunc modum acclamare, TANTO MELIOR. In Plauti *Truculento* sub finem Phronesium Meretrix a Milite Stratophane aliquid de more petens.

Age prior Tyro, da aliquid.

cui Stratophanes talentum argenteum dedit:

Hem tibi, dicens, *talentum argenti, Philippicum est, tene tibi.*

Tunc Phronesium, quod scilicet plus accepisset, quam quantum poposcisset, statim acclamat:

TANTO MELIOR. noster esto, &c.

Narrat T. Livius apud Quintilianum, fuisse præceptorem, qui discipulos doceret, quæ dicerent, inobscurare; qui autem id eximie ac supra exspectationem fecisset, ei, quasi palmam obscuritatis deferens, acclamabat, TANTO MELIOR. Sunt hæc Quintiliani verba *Institution. Oratoriar.* lib. VIII. cap. II. *In hoc malum etiam*, obscuritatis, *a quibusdam laboratur; neque id novum vitium est, cum jam apud Titum Livium inveniam, fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obscurare, quæ dicerent, juberet, Græco verbo utens*, σκότισον. *Unde illa, scilicet egregia, laudatio, TANTO MELIOR: ne ego quidem intellexi*. Etiam Seneca hominibus laudabiliter operosis, & fortius quotidie agentibus aliquid, ac proinde expectationem omnium ea in re superantibus, TANTO MELIOR, acclamandum affirmat: *Itaque in vanum*, ait in Epist. XXXI. *operosos culpaverim; rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor & clamabo, TANTO MELIOR: surge, & respira*. Et in Epistol. LXXI. eodem modo: *Beatus vero, & virtutis exactæ, tunc se maxime amat, cum fortissime expertus est; & metuenda cæteris, si alicujus honesti officii pretia sunt, non tantum fert, sed amplexatur, multoque audire mavult. TANTO MELIOR, quam TANTO FELICIOR*. Cui formulæ non absimilis est illa, quam idem Seneca ita commemorat in libr. *de Tranquillitate Vitæ* cap. XV. *Laudemus toties dignum laudibus, & dicamus; TANTO FORTIOR, TANTO FELICIOR*. Et ea, cujus meminit Junior Plinius in *Panegyrico ad Trajanum*, scribens hoc pacto: *Jam quo assensu Senatus, quo gaudio exceptum est, cum Candidatis, ut quemque nominaverat, osculo occurreres. Quod factum tuum a cuncto Senatu quam vera acclamatione celebratum est? TANTO MAJOR, TANTO AUGUSTIOR*. Nimirum Trajanus erga Candidatos gesserat se comiter ac benigne supra quam cuique credibile esset.

In Saturnalibus autem morem fuisse, ut JO SATURNALIA, acclamarent, discimus ex Livio libr. XXII. sic scribente: *Ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum; & cum lectum Senatores straverunt, & convivium publicum; ac per Urbem, SATURNALIA, die ac nocte clamatum*, &c. Martialis lib. XI. epigram. II.

Clamant, ait, *ecce mei, JO SATURNALIA, versus.*

Arrianus in *Epicteti Disputationibus* lib. I. cap. XXIX. *Num pueris, cum ad nos accedunt, & gestientes clamant, hodie BONA esse SATURNALIA, ea negamus esse bona? nequaquam, sed & ipsi una gestimus*. Statius *Sylvarum* lib. I. in Calend. Decembres Saturnales:

Tollunt innumeras ad astra voces,
SATURNALIA Principis sonantes.

Et Macrobius *Saturnal.* lib. I. cap. X. *Uno die Saturnalia fuisse, & nonnisi decimo quarto Calendas Januarias celebrata; quo solo die apud ædem Saturni, convivio soluto, SATURNALIA, clamitabantur*. qui locus etiam indicat, tum maxime, SATURNALIA, clamata, cum solveretur convivium.

Pugnis utique decertantibus solebant spectatores, quasi animum pugnantibus addituri, εὖ, hoc est, EUGE, acclamare. Observo id ex Diogene Laertio in *Socratis Vita*. *Tum vero ille Hercle*, inquit, *nobis pugnis decertantibus unusquisque vestrum acclamat, EUGE Socrates, EUGE Xantippa*. Quam eandem formulam simili in re hodie etiam videmus passim usurpari.

Cap. XVII.

Infaustarum Acclamationum formulæ quædam enumerantur. Tiberius in Tiberim. Sedes ei inter impios. Uncus & Gemoniæ. Galba Cupido fruaris ætate tua. *Illustratus, forte etiam emendatus, Suetonii locus.* Vivus ardeat N. Ignis, & Saxa.

Quandoquidem nemo potest in hoc libro (qui scilicet ordinem in se habet nullum, ut ante denunciavimus) vitio mihi vertere, quod perturbata, seu perversa, aut præpostera dicantur, nonnullas, superioribus nequaquam cohærentes, Infaustarum Acclamationum formulas, a populo sive in Principes, sive in alios, tam Ethnicos, quam Christianos, jactatas, hoc loco subjiciam. B

Romæ equidem ad primam mortis Tiberii famam sic lætatus est populus universus, ut discurrentes alii; *Tiberium in Tiberim*; alii, *sedem ei inter impios*; nonnulli, *Gemonias & Uncum illius cadaveri*, clamitarent. Rem narrat Suetonius in *Tiberio* cap. LXXV. his verbis: *Morte ejus sic lætatus est populus, ut ad primum nuncium discurrentes, pars, TIBERIUM IN TIBERIM clamitarent; pars,* C *Terram Matrem, Deosque manes orarent, ne mortuo SEDEM ullam NISI INTER IMPIOS darent; alii, UNCUM ET GEMONIAS cadaveri minarentur.* Idem Suetonius in *Sulpicio Galba* cap. XX. tradit, Demortui Galbæ caput, hastæ suffixum, fuisse circum castra portatum, Militibus identidem per ludibrium acclamantibus, *Galba Cupido fruaris ætate tua.* Sic enim emendavit hunc locum vir doctissimus Hadrianus Turnebus *Adversar.* lib. XXIV. cap. XLI. vetusti Codicis auctoritatem sequutus, pro eo, quod in vulgatis omnibus libris, CUPIDE, scriptum erat. Cujus D item emendationis eam illico suggerens rationem sic ait Turnebus; Senex erat Galba, calvitioque deformis, at pulcher tamen etiamnum haberi ac videri volebat: inde factum, ut per irrisionem ab acclamantibus Militibus CUPIDINIS nomine, quasi *bellulus* ac *venustulus*, appellaretur. *Jugulatus est*, inquit Suetonius de Galba, *ad lacum Curtii, ac relictus ita uti erat, donec gregarius Miles a frumentatione rediens abjecto onere caput ei amputavit, & quoniam capillo præ calvitio arripere non poterat, in gremium abdidit. mox inserto per os pollice ad Othonem detulit: Ille lixis calonibusque donavit; qui hastæ suffixum NON SINE LUDIBRIO circum castra portarunt, acclamantes identidem, Galba CUPIDO fruaris ætate tua.* Illud autem videtur omnino & petulantius a populo usurpatum, E & toleratum ab Imperatore patientius, quod Antiochiæ in Valentem, vivum audientem, emitti solitum inter acclamandum affirmat Ammianus Marcellinus sub libri XXXI. initium, VIVUS ARDEAT VALENS: *Antiochiæ*, ait, *per rixas tumultusque vulgares id in consuetudinem venerat, ut quisque, cum vim se pati existimaret, VIVUS ARDEAT VALENS, licentius clamitaret.* Eandem in formulam invenio fuisse multo ante acclamatum in sanctissimum Smyrnæ Episcopum Polycarpum. F etenim, cum populus eum a Philippo Asiæ Præside AD LEONEM flagitasset, nec id sibi licere Philippus respondisset, quod essent jam confecta ferarum certamina; populus effrænato furore in Martyrem inflammatus, contenta voce acclamavit, VIVUS ARDEAT POLYCARPUS: *Post hæc verba*, ait Eusebius *Histor. Ecclesiastic.* lib. IV. cap. XV. ex Ruffini Interpretatione, *acclamabant Philippo munerario, ut LEONEM Polycarpo dimitteret; qui respondit, non sibi licere, qui jam editionis suæ munus explesset. tunc illi omnes pariter conclamarunt, ut POLYCARPUS VIVUS ARDERET.* Porro Saxa Igni addentes interdum, IGNEM, & SAXA, acclamabant. In Apuleii Secundo *Metamorphos.* libro sic scriptum legimus; *Sævire vulgus interdum, & facti verisimilitudine ad criminis crudelitatem impelli. Conclamant IGNEM, requirunt SAXA; parvulos ad exitium mulieris hortantur.* Nunc formulam paulo ante commemoratam, qua quis AD LEONEM flagitabatur, excutiamus.

Cap. XVIII.

Formulam acclamandi, qua quis AD LEONEM *deposcebatur, fuisse interdum* A SENATU *quidem* IN DELATORES *usurpatam; sæpius tamen* A POPULO *jactatam, tum* IN CHRISTIANOS QUOSQUE, *tum* IN EPISCOPOS. *Christianas quoque* FOEMINAS *&* AD LENONEM, *&* AD LEONEM *quandoque vulgi vocibus postulatas.* Depostulatores. Flagitatores. AREÆ NON SINT; *acclamantium Ethnicorum formula, qua optabant ac precabantur, ut insepulta jacerent Christianorum corpora.*

In primo hujus Operis libro cap. XXI. cum probaremus, Non plenas interdum ac veluti decurtatas fuisse Acclamationes, hoc est, ita pronunciatas, ut ad perfectam earum intelligentiam aliquid omnino subaudiri oporteret, hujus quoque formulæ, CHRISTIANOS AD LEONEM, seu, AD BESTIAS, meminimus, utpote semiplenæ ac quasi imperfectæ; cui complendæ ac perficiendæ hæc essent, aut similia, subaudienda verba, POSTULAMUS, seu, FLAGITAMUS. Subjecimus autem inibi, uberius nos septimo in Libro formulam eandem retractaturos. Memores igitur polliciti nostri, hæc nunc de ea in quiremus, A QUIBUS, *& in* QUOS *maxime soleret* ista acclamandi formula emitti.

Atque A SENATU quidem fuisse interdum DELATORES AD LEONEM postulatos, docet Lampridius in *Commodo Antonino*, cum ait: *DELATORES AD LEONEM: exaudi Cæsar. DELATORES AD LEONEM. Speratum AD LEONEM.* Et inferius aliquanto; *Delatoribus fustem, te salvo. DELATORES AD LEONEM, te imperante.*

Sed VULGUS maxime consuevit olim CHRISTIANOS AD LEONEM, & AD BESTIAS acclamando flagitare. *Si Tiberis*, inquit Tertullianus *Apologetici* cap. XL. *ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues; statim, CHRISTIANOS AD LEONEM, acclamatur.* Idem Tertullianus in lib. *de Resurrectione Carnis* cap. XXII. *Omni POPULARIUM cœtu clamante, CHRISTIANOS AD LEONEM.* Et in lib. *de Exhortatione Castitatis* cap. XII. *Ne modo non sint, qui exclament, CHRISTIANI AD BESTIAS.*

Quin QUOTIDIE pene solitos AD LEONEM deposci Christianos, testificatur idem Tertullianus in libr. *de Spectaculis* cap. XXVI. *Odisse*, inquiens, *debemus istos conventus & cœtus Ethnicorum, vel quod illic nomen Dei blasphematur, illic QUOTIDIANI in nos LEONES expostulantur*, &c.

Sed & FOEMINAS ipsas Christianis fuisse AD LENONEM quidem sæpe, interdum tamen etiam AD LEONEM petitas, observo ex eodem Tertulliano,

liano; cujus sunt ista ex *Apologetici* capite L. *Proxime AD LEONEM clamando CHRISTIANAM potius, quam ad LEONEM, confessi estis, labem pudicitiæ atrociorem omni pœna. & omni morte reputari.*

Neque vero existimandum est, in vulgares duntaxat Christianos emitti consuevisse hanc acclamandi formulam; nam & ipsos quoque EPISCOPOS AD LEONEM non raro flagitatos invenio. De Polycarpo Smyrnæ Episcopo ita scribit Eusebius *Histor. Eccl.* lib. IV. cap. XV. *Post hæc verba acclamabant Philippo munerario, ut LEONEM POLYCARPO dimitteret.* Et de se ipso hæc ait Cyprianus in Epist. LV. ad Cornelium Papam: *Toties AD LEONEM petitus in Circo, in Amphitheatro, Dominicæ dignationis testimonio honoratus: his ipsis etiam diebus, quibus ad te litteras feci, ob sacrificia, quæ edicto proposito celebrare populus jubebatur, clamore POPULARIUM AD LEONEM denuo postulatus in Circo*, &c. Etiam Pontius Diaconus id ipsum de eodem Cypriano prodidit, in *ejus Vita* scribens hoc pacto: *Potuisset quidem tunc pro velocitate, qua semper omnia consecutus est, etiam Martyrii circa eum debita corona properare; maxime cum & suffragiis sæpe repetitis AD LEONEM postularetur*, &c.

Porro, qui formulam hujusmodi in Christianos acclamando emittebant, DEPOSTULATORES, seu FLAGITATORES appellari consueverunt. Tertullianus *Apologetici* cap. XXXV. *Tamen Romani, nec ulli magis DEPOSTULATORES Christianorum, quam vulgus.* ad quem locum hæc ait Rhenanus: *DEPOSTULABAT vulgus Christianos ad supplicium, acclamando, CHRISTIANOS AD LEONEM.* Cyprianus in Epist. VI. ad Clerum de Cura pauperum ac confessorum: *Nec me*, ait, *in conspectum publicum, & maxime ejus loci, ubi toties FLAGITATUS, & quæsitus fuissem, temere committerem.* Et in Epist. XV. ad Presbyteros & Diaconos Romæ consistentes; *Cum me clamore violento frequenter populus FLAGITASSET, non tam meam salutem, quam quietem fratrum publicam cogitans, secessi*, &c.

Frequens erat illa quoque adversus Christianos vulgi Acclamatio, AREÆ NON SINT; qua scilicet optabant ac precabantur acclamantes, ut *Areis sepulturarum carerent* Christiani, eorumque corpora turpiter jacerent inhumata. *Sub Hilariano Præside*, inquit Tertullianus in libro *ad Scapulam*, *cum de AREIS SEPULTURARUM nostrarum acclamassent, AREÆ NON SINT; areæ ipsorum non fuerunt: messes enim suas non egerunt.* Erat libellus hic veluti deprecatorius, quo Scapulam Carthaginis Præsidem admonebat Tertullianus, ut desisteret tandem ultima Christianis minari, ne iram Dei mereretur; quandoquidem Christianorum persecutoribus ultio Divina sæpe præsto fuit. atque adducto quidem loco, ludens Tertullianus in ambigua AREÆ voce (que scilicet *sepulturæ* communis erat, & *messi*) indicat, eo maxime anno MESSIUM AREIS caruisse Gentiles, hoc est, MESSES NULLAS fecisse, quo cœperunt licentius insepultam Christianis sepulturam precari, acclamando, AREÆ NON SINT.

CAP. XIX.

Adversus Christum Dominum, TOLLE, & CRUCIFIGE, *ingeminatum ab acclamantibus Judæis. Formulæ*, TOLLE, TOLLE, *inter acclamandum, quæ maxime vis esset ac significatio?*

EA superest adhuc Infaustarum Acclamationum formula, a nobis hoc loco explicanda, quam ab efferatis Judæis in Christum Dominum emissam Sacræ Litteræ testantur. Concipiebatur autem unica voce, TOLLE, interdum; interdum geminata, TOLLE, TOLLE. Atque in Lucæ *Evangelio* cap. XXIII. vers. XIX. ita legimus; *Exclamavit simul universa turba dicens, TOLLE hunc*. Et in Joannis cap. XIX. vers. XV. in hæc verba: *Illi autem clamabant, TOLLE, TOLLE*, &c. Non dubium est igitur, quin fuerit usurpata a Judæis in Christum Dominum infausta hæc acclamandi formula. Illud haud ita certum adhuc, *Quid maxime vellent ea significare acclamantes*. Licet enim in hoc consentiant omnes, TOLLI, adductis locis idem valere, ac VITA VIOLENTER PRIVARI, dissident tamen inter se de ipso violentæ mortis genere. Etenim sunt, qui censeant, TOLLE, perinde esse, atque IN SIGNA IMMITTE; hoc est, vel, *In eam exercitus partem conjice, ubi signa sunt & vexilla*; vel, *In prima acie colloca*, sicut de Uria factitatum est: quibus scilicet in locis Militum salus consuevit extremo semper in discrimine versari. Putatur a quibusdam, TOLLI aliquem pro eo esse, ac si permitteretur Militibus, ut *in illum*, ceu *in signum, tela dirigerent*; quemadmodum confossi sunt sagittis Martyres nonnulli. Scribunt alii, Inter Militares pœnas fuisse etiam verberationem & fustis castigationem, quæ sine carnificis opera fiebat, Tribuno primum leviter tangente ac delibante reum, mox, eo veluti signo dato, omnibus, qui in castris erant, & fustibus & lapidibus tandiu ferientibus, quoad occumberet infelix ille. atque ita existimant, TOLLI, esse, extremo hoc *Militari supplicio affici*. Exequerer sententias hac de re cæterorum, nisi, & hæ sufficerent, & essent illæ abunde ab aliis explicatæ.

Ego vero, si de me quæratur, quid esset prolatis locis, TOLLE, respondebo; aliud nihil fuisse, nisi, TOLLE IN CRUCEM, seu IN CRUCEM AGE. Quæ autem me causæ moverint, sic ut arbitrarer, sunt hæ. Inter Evangelistas summus est in iis, quæ scripsere, consensus, quis inter Catholicos id potest inficiari? nam, etsi verbis videntur interdum discrepare, re tamen omnes mirifice congruunt. Marcus porro & Matthæus, mortis genus exprimentes, ad quod Christus Dominus inter acclamandum deposcebatur, turbas inducunt, CRUCIFIGE, acclamantes, *Pilatus*, inquit Marcus cap. XV. vers. XII. *respondens ait illis, Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? at illi clamaverunt, CRUCIFIGE eum*. atque illico; *Pilatus vero dicebat illis, Quid enim mali fecit? at illi magis clamabant, CRUCIFIGE eum*. Eodem modo Matthæus cap. XXVII. vers. XXII. *Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes, CRUCIFIGATUR. Ait illis Præses, Quid enim mali fecit? at illi magis clamabant dicentes, CRUCIFIGATUR*. Quin Lucas, qui cap. XXIII. v. XIX. ut diximus, TOLLE *hunc*, a turbis acclamatum prodidit, statim versu XXI. subjicit, etiam CRUCIFIGE, ab iisdem ingeminatum; *Pilatus*, inquit, *locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. at illi succlamabant dicentes, CRUCIFIGE, CRUCIFIGE eum*. & mox: *At illi instabant vocibus magnis, postulantes, ut CRUCIFIGERETUR*. Qui item apud Joannem versu XV. capitis XIX. TOLLE, TOLLE, acclamant, iidem illico, CRUCIFIGE, quasi subobscuræ voci dilucidam copulantes, subdunt: *Illi autem clamabant, TOLLE, TOLLE, CRUCIFIGE eum*. & versu VI. jam fuerat ab iisdem, CRUCIFIGE, acclamatum; *Cum ergo vidissent eum Pontifices & Ministri*, Chri-

ſtum flagellatum, *clamabant dicentes*, *CRUCIFIGE, CRUCIFIGE eum*. Si igitur eadem dicunt Evangeliſtæ, ut certe dicunt, nec ulla in re diſcrepant inter ſe, jam animo, tanquam oculis, cernas, TOLLI apud eos aliud nihil eſſe, quam CRUCIFIGI: ita ut, quem turbæ acclamantes tollendum dicunt, eum IN CRUCEM TOLLENDUM omnino ſignificent.

Præterea, *Crucis ſupplicium* ut *atrox* maxime *fuit*, ſic ſummam ſemper *habuit ignominiam*. atque HÆC ſatis ex eo apparet, quod nonniſi *viliſſimo*, ac *ſceleratiſſimo hominum generi* conſuevit irrogari. quam etiam ob cauſam dicta eſt Crux, *Arbor infelix*, *Infame lignum*, *Teterrimum ſupplicium*, *Cruciatus ſervilis*. ATROCITATEM inde colligas licet. quod Crucem appellarunt Veteres *duram*, *ſævam*, *horrendam*, *Supplicium ſummum*, *ſupremum*, *crudeliſſimum*, *Pœnam extremam*, *Extremum pœnæ*. Ad hæc manus & pedes iis in locis perfodiuntur, in quibus ſenſus eſt acerrimus. Augetur etiam atrocitas diuturnitate doloris; cum enim manus & pedes membra ſint a corde remotiſſima, fit, ut in Crucem actus vitam in multas horas, atque etiam dies aliquando extrahat. Quamvis autem ſoleret olim ſupplicium Crucis ſceleſtiſſimis quibuſque, ac viliſſimis hominibus adhiberi, tum vero maxime iis irrogatum obſervo, qui eſſent vel *ſeditioſi in populo*, vel, *criminis Majeſtatis læſæ rei*. His autem ita vere poſitis, jam licet hoc pacto & ratiocinari, & inferre. Crucis ſupplicium atrox ſumme fuit, & ignominioſum; iiſque maxime irrogari conſuevit, qui vel de ſeditione, vel læſæ Majeſtatis nomine rei eſſent. Porro Chriſtus Dominus ab efferatis Judæis & damnatur, ut *ſeditioſus*, *Majeſtatiſque læſæ reus*; & ad eam mortem depoſcitur, quæ ſummam haberet & *ignominiam*, & *atrocitatem*. Igitur Chriſtus Dominus *Crucis ſupplicio* addicitur. Igitur turbæ, dum Chriſtum TOLLENDUM acclamant, CRUCI SUFFIGENDUM intelligunt.

CAP. XX.

In Theatro FACETE *olim ac* JOCOSE *a ſpectatoribus acclamatum homini* PERPUSILLO, HECTOREM *in Scena ſaltanti*; *& alteri præter modum* PROCERO, CAPANEUM *agenti*. PRÆPINGUI *item ac* VENTRIOSO; GRACILI*que contra, ac nimium* EXILI.

AB Infauſtis Acclamationibus ad JOCOSAS eo libentius pergo, ut & ipſa rerum varietate defeſſus legentium animus paululum recreetur, & ſevera Infauſtarum acerbitas ſuavi Jocoſarum condimento mitigetur. Jocoſe autem acclamabant interdum & in Theatris Spectatores, & Audientes in Auditoriis. Dicam nunc de iis, quæ in Theatro fiebant; cæteras mox exequar.

Cuidam igitur, corpore valde puſillo, Hectorem in Scena ſaltanti, ſic acclamant Spectatores; ASTYANACTEM VIDEMUS, UBI HECTOR? Erat autem Aſtyanax Hectoris filius, quem, infantem adhuc, Ulyſſes e turri præcipitavit. Salſe igitur ob id irridetur ille, quod grandem Hectorem vellet agere, cum perpuſillus & Aſtyanacti infanti ſimilis eſſet. Iterum, cum quis proceræ præter modum ſtaturæ, Capaneum in Theatro agens, Thebarum muris ſcalas admovere vellet, TRANSCENDE MUROS, inquiunt acclamando ſpectantes, NON TIBI SCALIS OPUS EST. Jocantur ſcilicet in eum, quod tam procerus eſſet, ut muros facile poſſet ſine ſcalis conſcendere. Ventrioſo item, atque impenſe obeſo ſaltatori, ingentem ſemel in Scena ſaltum facere molienti, THEATRUM, acclamant, NOBIS SUFFULCIENDUM FUERAT. Nimirum timere ſe jocoſe ſimulabant, ne nimio præpinguis ac craſſiſſimi ſaltatoris pondere Theatrum ipſum inter ſaltandum corrueret. Gracili contra & exili, tanquam male ſano, BONAM VALETUDINEM fauſte iidem inter acclamandum precantur. Sunt iſta omnia ex lepidiſſimi ac ſalſiſſimi Auctoris Luciani libello *de ſaltatione*: *Memorabo tibi*, inquit Lucianus, *populi cujuſdam, ad hujuſmodi notanda non inertis, Acclamationes. Antiochia cives habet ingenioſiſſimos, quibus ſtudio eſt, ſaltationem omnibus aliis anteponere exercitiis; adeoque dictorum & factorum obſervantes ſunt, ut nihil omnino earum rerum illorum ſubterfugere poſſit judicium. Ergo, cum* CORPUSCULO *admodum* MODICULO *ſaltator in Scenam ingreſſus ſaltaret* HECTOREM, *uno ore omnes acclamaverunt*, *ASTYANACTEM VIDEMUS, UBI AUTEM HECTOREM MANSISSE DICEMUS? Rurſus alio tempore quopiam* PRÆTER MODUM LONGO, *CAPANEA ſaltare conante, idemque Thebanorum muris cum* SCALAS *adjecturus eſſet*, *TRANSCENDE*, *inquiunt*, *MUROS, NIHIL TIBI SCALIS OPUS EST. Quin etiam impendio* CORPULENTUM *&* OBESUM *ſaltatorem ſalſe ſubſannarunt, qui cum* INGENTEM SALTUM *facere adniteretur*, *THEATRUM NOBIS*, *inquiunt*, *SUFFULCIENDUM FUERAT. Contra nimium* ARIDO *&* TENUI, *tanquam* MALE HABENTI, BENEVALERE *certatim precati ſunt. Horum profecto, non* CONCITANDI RISUS *gratia, mentionem adduxi, ſed ut cognoſceres, multas quoque gentes magno ſtudio coluiſſe ſaltandi artificium, adeo ut & vitia & virtutes in illo potuerint ſagaciter deprehendere*. Hactenus ex Luciano de JOCOSIS Acclamationibus in Theatro a ſpectatoribus emitti ſolitis.

CAP. XXI.

Etiam inter DECLAMANDUM, *ac* RECITANDUM *fuiſſe* JOCA FACETIARUM PLENA *ab Auditoribus quandoque* ACCLAMATA. *Illuſtrantur Senecæ Patris ac Filii loca. Lux item adfertur Juniori Plinio*.

PORRO Auditoria ſuas & ipſa habuere Acclamationes, Jocorum ac Facetiarum plenas. Etenim Ceſtio in Milonem declamanti, cum de ſe multa inter orandum jactaret magnifice, inſolenterque oſtentaret, unus de Auditoribus, juſtus ſcilicet glorioſi venditatoris irriſor, iratior factus, ita ſalſe acclamat: ET SI CLOACA ESSES, MAGNA ESSES. quibus emiſſis, ingens omnium riſus ſtatim eſt conſecutus. *Memini*, inquit Seneca Pater in Prooemio libri III. *Controverſiarum, me intrare Scholas, cum recitaturus eſſet in Milonem Ceſtius. ex conſuetudine, ſua miratus dicebat; Si Trax eſſem, Fuſius eſſem; Si Pantomimus eſſem, Batyllus eſſem; ſi Equus, Meliſſio. Non continui bilem, exclamavi; ETSI CLOACA ESSES, MAGNA ESSES. Riſus omnium ingens*, &c: Senecæ item Philoſophi temporibus fuere non pauci, qui diei ac noctis officia pervertentes, agebant interdiu, quæ noctis erant propria, & contra noctu, quæ diei. quam vitam hodie etiam multos agere videmus. In eis erat Atilius ille Buta, cui, patrimonio ingenti conſumpto, paupertatem

confitenti, *Sero*, dixit Tiberius, *experrectus es*. Iisdem autem temporibus florebat maxime inter recitantes Poetas Montanus Jullus, qui nimium sæpe Carminibus suis Ortum Solis & Occasum inserebat. In hunc igitur, Solis Ortum inter recitandum de more ita commemorantem:

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere se rubicunda dies. ————

Varus eques Romanus, animum ad Butam illum intendens, quem noctis ac diei munera solitum pervertere diximus, facete statim acclamat; INCIPIT BUTA DORMIRE. Subinde vero eodem Jullo Solis Occasum his verbis describente:

Jam dare sopitis nox nigra silentia terris
Incipit. ————

exclamat idem Varrus; IBO, ET BUTAM SALUTABO. quod Buta nimirum Salutationes, quæ mane a cæteris fiebant & accipiebantur, obiret ipse ac expectaret vesperi. Hæc quidem sunt ipsius Senecæ, a quo in Epist. cxxii. scriptum est; *Recitabat Montanus Jullus carmen, tollerabilis Poeta, & amicitia Tiberii notus & frigore. Ortus & Occasus libentissime inserebat. Itaque, cum indignaretur quidam, illum tota die recitasse, & negaret accedendum ad Recitationes ejus, Natta Pinarius ait; Nunquid liberalius possum agere? Paratus sum illum audire ab Ortu ad Occasum. Cum hos versus recitasset:*

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere se rubicunda dies, jam tristis hirundo
Argutis reditura cibos immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore ministrat;

Varus eques Romanus, L. Vincii comes, cœnarum bonarum assectator, quas improbitate linguæ merebatur, exclamavit; INCIPIT BUTA DORMIRE. deinde cum subinde recitasset;

Jam sua pastores stabulis armenta locarunt,
Jam dare sopitis nox nigra silentia terris
Incipit ————

Idem Varus inquit; Quid dicit? Jam nox est. IBO, ET BUTAM SALUTABO. Nihil erat notius hac ejus vita in contrarium circumacta. Atque hunc Senecæ locum indicavit mihi jampridem Joseph Meronius, Vir acerrimi judicii, & omni doctrina ac virtute ornatissimus. Libuit autem huc eum appingere, ut & sententiam illustrarem meam, & jucundissimam magni amici memoriam grata recordatione renovarem. Fuit illud etiam ridiculum omnino, & suavis plenum joci, quod Junior Plinius retulit in epist. xv. libri vi. Recitaturus Elegos Passienus Paulus sic orditur; PRISCE JUBES. Aderat autem forte præsens in Auditorio Priscus, non is, quem Paulus alloquitur, sed Javolenus; hic igitur, ut audivit Prisci nomen, intempestive quidem, sed facete, acclamat illic o Recitanti; EGO VERO NON JUBEO, quæ verba mirum excitarunt in Auditorio risum. Hoc totum ita est in Plinii loco: *Mirificæ rei non interfuisti: ne ego quidem, sed me recens fabula excepit. Passienus Paulus, splendidus Eques Romanus, & in primis eruditus, scribit Elegos. gentilitium hoc illi: est enim municeps Propertii, atque etiam inter majores suos Propertium numerat. Is, cum recitaret, ita cœpit dicere, PRISCE JUBES? Ad hoc Javolenus Priscus (aderat enim ut Paulo amicissimus) EGO VERO NON JUBEO. Cogita, qui risus hominum, qui joci.*

Atque in hisce jucundissimis Plinii vocibus totum istud ACCLAMATIONUM ac PLAUSUUM OPUS clauderem non invitus, nisi rediret in memoriam consueta illa (a nobis supra in lib. ii. cap. iii. commemorata) omnium pene Comœdiarum ac Tragœdiarum CLAUSULA, his maxime concepta verbis, VALETE, ET PLAUDITE. quam quidem lubet OPERIS item nostri CLAUSULAM esse: ita tamen, Amici Lectores, ut sumatis ipsi vobis partem ejus alteram, alteram mihi relinquatis. VALETE vos igitur, ut par est; & mihi, si quid merui, PLAUDITE.



PETRI BERTHALDI
CONGREGATIONIS ORATORII
DOMINI JESU PRESBYTERI,
LIBER SINGULARIS
DE ARA
AD
EMINENTISSIMUM
CARDINALEM DUCEM
DE RICHELIEV.

EMINENTISSIMO

CARDINALI

DUCI RICHELEIO,

PETRUS BERTHAULT CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU PRESBYTER, FAUSTA OMNIA AC FELICIA ADPRECATUR.



NON potui ſine ſacrilegio, *CARDINALIS EMINENTISSIME*, hoc in opuſculo meo, quod ſacrum eſt, a concepto pridem pro tui nominis immortalitate voto recedere. Quanquam enim ea qua nunc tibi adſtringor ſtudiorum religio, me ad eminentiſſimæ dignitatis tuæ Aram ſiſtere hoc munuſculum meum non obligaret; uni tamen tibi, qui unus is es qualis ante te, & qualis poſt te futurus eſt nemo, ſingularis hic de ARA liber deberetur. Cujus enim præſentius ac favorabile magis numen, hæc quam RICHELEIO nomini conſecro, ARA præ ſe ferret? cujus notæ teſtatæque virtutes immortalem apud poſteros gloriam ac famam adeptæ, non niſi divino ac cœleſti monumento, hoc eſt, ea quam exſtruo ARA commendari potuerunt. Cujus quidem ut Author, ſic & flamen per te ſi ſum; etiam tuæ (quæ mea fiducia eſt) immortalitatis videbor eſſe particeps. Atque omni quidem vitæ ſpatio, quo ſummo rerum faſtigio admotus, Juſtiſſimi Principis mentem judicio conſequutus, fide exequutus es, inauditæ nobis virtutis, & invictæ malis conſtantiæ exempla præbueras: hoc vero ſuperiori triennio, quod ut magno cum labore tuo, ſic magna cum laude æternaque gloria tua tranſactum eſt, immortalibus factis domi foriſque ita enituiſti, ut divina conſilia tua probaret optatiſſimo eventu Deus, Rex Chriſtianiſſimus regia commendatione celebraret, ipſi hoſtes non ſine ingenti ſtupore prædicarent, nos digna & publica Ominatiſſimi nominis tui veneratione proſequeremur. Adhærebat, quid enim adeo perfectum eſt, cui non ſubſit aliquid quod omnium calculus non probet? felicitati publicæ quantumvis obſecundanti vento evectæ velut remota occulta; neque ſatis firmo conſtanti ac felici curſu inter medias ire victorias Francorum Fortuna videbatur; & præſentium bonorum ſerenitatem, timor futuri velut minax quidam ab Auſtria turbo non parum adficiebat: hunc tu ſcrupulum, hoc puerorum terriculamentum ultimo facto tuo ita animis noſtris exemiſti, ut jam ſolida ſit & inconcuſſa gentis noſtræ felicitas, & quam eſſe poteſt maxima ſecuritas, in Francorum cœlo nitido jam puro ac deterſo, altero ſcilicet Fratrum aſtro, quod nebulæ Auſtriæ fœdiſſimis tenebris deformatum obduxerant, iterum coruſcante; hoc inquam poſtremo facinore, quod victoriæ genus eſt ſingulare & ma-

ximum, invidiam vicisti maximam: eamque in posterum sua ita possessione, & iniquissimo jure spoliasti, ut virtutum tuarum comitem se fore de cætero desperet. Hæc eo pertinent, ut scias, *CARDINALIS EMINENTISSIME*, & quantum boni egeris, & quantum tibi laudis comparaveris: ad quod petendum voto primum deinde bono quodam tui nominis quod felix est ac dives omine adducebamur: quod tandem futurum anteactæ virtutes tuæ, & in rempub. præclara tua voluntas pollicebantur ultro. Id enim adhuc continua felicitatis tuæ series præstitit, ex quo ab optimo Principe in Regni Christianissimi curam solicitudinemque ascitus es, ut privatis rebus neglectis, publicam tranquillitatem sublatis domi forisque turbinibus stabilires: ut si quando ex illa nobili vitæ tuæ honorisque statione esset discedendum, eo saltem in statu quem tu ingenti labore, cura vigiliisque tuis peperisses, quieto nimirum & pacato discederes. Hoc dignum Ara, dignum æternitate consilium, ad quod omnis ætas, gens omnis, omnis posteritas venerabunda accedat: quod votis, quod supplicationibus frequentet, quod cives, quod hostes, quod orbis stupeat, suspiciatque. Quod demum ego officio privatim meo obsequioque æternitati consignare aptius & sacratius quam hac mea ARA, immortali scilicet & æterna litterarum cælatura perennare nec debui nec potui. Deus te, *Cardinalium Eminentissime*, Religioni, Regi, Patriæ ac civibus utilissimum, quam diutissime servet. Vale.

PRÆFATIO

Ad librum singularem

DE ARA.



X quo fonte multitudinis vanissimorum numinum errorem longe maximum, quique tot, malum! sæculis orbi terrarum incubuit, fluxisse ferunt; ex eodem haud dubie indiscretæ ac passim erectæ iisdem numinibus Aræ profectæ sunt: quæque insania hominum aut cæcitas, hanc ipsam Deorum multitudinem induxit, eadem plures ac diversas suis quamque Numinibus Aras erexit. Id nimirum agente Dæmone primo continuoque divinæ Majestatis quæ una est & simplex oppugnatore, ut tantum honoris ac reverentiæ detraheretur Deo ab hominibus vanis superstitionibus deceptis & fascinatis; quantum idolis impurissimis hoc est sibi venerationis iniquissimæ impenderetur. Nam cum hujus sint (*ut scribit gravissimus author Tertullianus*) præcipuæ partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmuletur; *non difficile fuit, eversa semel, aut certe quassata vehementer divinæ unitatis inter homines arce, eorum mentes cæca illa vanissimorum Numinum superstitione imbutas, ad erigendas totidem Aras, quot sibi Deos Dæmonum astu effinxissent, traducere. Non fuit, inquam, callido illi veteratori validissimis opus machinis, ut hominum animos eo quo illi sponte ferebantur satis, inclinaret, inflecteretque; impiamque illam, ut verbo utar Græco,* ΠΟΛΥΘΕΟΤΗΤΑ *sceleratissimis suis Fanis ac sanctuariis adjiceret, eamque demum inveheret impietatem, quæ non nisi a Christo ipso, at-*

que adeo Christianæ pietatis Præconibus primis tolleretur. Atque hic in Deorum multitudine error, tam longe lateque tantaque licentia diffuderat sese, ut cautum sit sæpe Senatusconsultis ac decretis populorum ac Principum, ne quis ultra Deos Novos urbibus induceret, qui faceret, capitale admitteret: Quo nomine Socrates quasi nubium & ventorum cultor, aliique complures damnati perhibentur. Quam vero proclive in ejusmodi sordes, & fingendorum numinum insaniam fuerit semper hominum genus, vel ex hoc uno Athenienfium, qui omnium cultissimi semper habiti sunt & visi, exemplo, non obscure liquet. Ii Divum Paulum Deum unum & Anastasin, *hoc est, corporum resurrectionem prædicantem conviciis insectati sunt, eumque Novorum Numinum authorem, & violatæ religionis reum arbitrati in Areopagum, ubi causam diceret, citaverunt. Perperam enim sacra ipsius verba interpretantes, tam JESUM quam ANASTASIN Deum & Deam esse indicare voluisse, sunt arbitrati, ubi vir cœlestis ac divinæ plane eloquentiæ, quis ille esset Deus, quem illi IGNOTUM appellabant, & posita Ara colebant, verbis disertissimis aperuit, Atticamque superstitionem non leviter discussit turbavitque. Neque vero citra diluvium hunc impietatis errorem primo homines invasisse putes, cum uno fere aut altero post rerum primordia sæculo, eum imbibissent, ut colligere est ex* Geneseos *cap.* IV. *ubi de Enos dicitur,* iste cœpit invocare nomen Domini. *Quod sacrosanctum licet, & totius universi Creatorem ac Dominum designans, rebus tamen creatis impie tributum fuisse facile est judicatu. Hic vero qui uni debetur Deo honos, SOLI primum ac LUNÆ, tum ei quæ reliqua est COELESTI MACHINÆ, rebus nimirum corporeis & creatis habitus est. Qui error a Chaldæis ut arbitror profectus, in alias passim gentes late grassatus orbem pene totum fœdissimis flammis incendit. Hi primis post diluvium sæculis veri Dei exuto cultu, omnium Maximum Numen, imo solum Cœli Deum æstimarunt. Quam Theologiam qui Chaldæos consecuti sunt Ægyptii amplexi sunt auxeruntque,* XII. *Zodiaci signa Deos Solis consiliarios, Planetas vero* Ραβδοφόρυς, *hoc est, Lictores quosdam qui Solis consistorio perpetuo astarent, ejusque nutum observarent, existimantes. Cujus opinionis meminit vetus ad Apollonii Rhodii* Argonauticon IV. *Scholiastes. De horum certe inter homines cultu Scriptor antiquissimus Job cap.* XXXI. *cum uni se Deo & ejus cultui addictum se ubique extitisse profitetur, eorumque insaniam notat, qui debitum uni Deo rerum omnium conditori sapientissimo cultum, rebus ipsis creatis tribuerent;* Si vidi, *inquit*, Solem cum fulgeret & Lunam incedentem clare: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. *Quibus verbis vetustissimus adorationis ritus aperitur satis: nam inde adorationem dictam, quod qui adorarent capite inclinato manum ori admoverent ex ipsius vocis etymo satis constat.* Qui adorant, *inquit S. Hieronymus, lib.* contra Ruffinum I. solent deosculari manum & capita submittere. *Ab hac Solis & cœlestium corporum adoratione Deus populum dehortabatur his verbis* Deuteron. *cap.* IV. ne forte elevatis oculis ad cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia Astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Deus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt. *Qui error etiam eorum aliquos, qui Davidem consecuti sunt Reges invasit; ac in primis Manassen, qui a Davide sextus-decimus legitur. Nulla hic non idola, nulla non superstitionis impiæ monumenta posuit. Omni exercitui seu militiæ cœli Aram in atrio Templi erexit. Quam tamen deinde ut cætera alia impietatis vestigia malis edoctus acerbissimis abrasit: atque hinc ille error, quod cum supre-*

mum totius univerſi Dominum φῶς οἰκοῦντα ἀπρόσιτον, lucem habitantem inacceſſibilem *non omnino caperent, divinitatem hanc ſenſu metientes ſuo, eoque impulſi ac ſeducti, non alium Deum præter ſummum illum lucis diſpenſatorem agnoſcebant: Hebetis nimirum obtuſique plane cordis ingeniique, elementa quæ & facta ſunt, & carent ſenſu, tanquam* Deos *adorabant. Sed quid mirum ſi barbari & imperiti homines errarent, cum in eos errores ipſi etiam qui ſe ſapientiæ cujuſdam excelſioris Antiſtites appellabant, impegerint? audi Lucilium Stoicum apud Ciceronem ſic loquentem:* Hanc in ſtellis conſtantiam, hac tantam in tam variis curſibus in omni æternitate convenientiam temporum, non poſſum intelligere ſine mente, ratione, conſilio: quæ cum in ſideribus eſſe videamus, non poſſum ea ipſa non in Deorum numero ponere. *Et paulo ſuperius:* Reſtat, *inquit*, ut motus Aſtrorum ſit voluntarius, quæ qui videat, non indocte ſolum, verum etiam impie faciat ſi Deos eſſe neget. Nos vero, *inquit ad hæc Cicero, non quidem Romanus ille, ſed Chriſtianus, id eſt, Lactantius*, & quidem conſtanter negamus, ac vos, o Philoſophi, non ſolum indoctos & impios, verum etiam cœcos, & ineptos, deliroſque probamus, qui ignorantiam imperitorum vanitate viciſtis; illi enim Solem & Lunam, vos etiam ſidera Deos putatis. Tradite igitur nobis ſtellarum myſteria, ut Aras & templa ſingulis erigamus, ut ſciamus quo quamque ritu, quo die colamus, quibus nominibus, quibus precibus advocemus, *&c. lib.* II. *cap.* V. *Nec vero prima tantum ætas, ſed & poſterior illa quæ magnos vidit Philoſophos, hunc de Sole, Luna & reliquis ſideribus Diis errorem amplexata eſt, eiſque ut divinitatem, ſic & Aras & templa erexit. Solem, Lunam, reliquaque ſidera divinis affecerunt honoribus, Anaximander, Alcmæo Xenocrates, Theophraſtes, Zeno, Cleanthes, imo & ipſe Socrates apud Xenophontem. Eodem ſpectat Vettii Valentis Antiocheni Aſtrologi celeberrimi, qui cœleſti machinæ omnem quam agnoſcere videbatur, tribuit divinitatem, jusjurandum, quo Lectores ſuos ac diſcipulos ne artis myſteria vulgo proderent aſtringit. Hoc illuſtre quidem a nondum vulgato ſcriptore rarum exemplum, proferturque a peritiſſimo earum rerum Joanne Seldeno in* prolegomenis ſyntagmat. de Diis Syris *hoc modo:* ἐντυγχάνοντας ὁρκίζω ΗΛΙΟΝ μὲν ἱερὸν κύκλον καὶ ΣΕΛΗΝΗΣ ἀνωμάλους δρόμους, τῶν δὲ λοιπῶν ΑΣΤΕΡΩΝ δυνάμεις καὶ κύκλον ΔΥΟΚΑΙΔΕΚΑ ΖΩΔΙΩΝ ἐν ὑποκρύφοις ταῦτα ἔχειν, καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμῶντε καὶ μνήμην τῷ εἰσηγησαμένῳ ἀπονέμειν· εὐορκοῦσι μὲν δ᾽ εἴη καὶ καταθύμιοι οἱ προκείμενοι ΘΕΟΙ, ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία; *id eſt*, Omnes qui inciderint adjuro per ſacrum Solis circulum, inæquales Lunæ curſus, & reliquorum ſiderum vires, & ſigniferum circulum, ut in reconditis habeant, nec indoctis aut prophanis communicent, ſed præceptoris memores ſint, eique honorem tribuant: Dii jam dicti ſancte jurantibus dent quæ velint, pejerantibus contraria. *Hactenus de cœleſtium corporum apotheoſi. hunc errorem facile, ut jam prædiximus, admiſerunt, qui ſuperiorem cauſam attingere omnino nequivere.* Vani enim ſunt homines, *ut habetur* Sapientiæ *cap.* XIII. in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui EST, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex, ſed aut IGNEM, aut SPIRITUM, id eſt, VENTOS, aut citatum AEREM, aut GYRUM STELLARUM, aut nimiam AQUAM, aut SOLEM, & LUNAM Rectores orbis terrarum DEOS putaverunt: quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverint, ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt, *&c. Ab eadem origine Deos ſibi in terris finxiſſe quis neſcit?*

Fruges, *Vinum*, *Vitem*, *Flores*, *Poma*, *Mare ac Terram*, *quam non tam Deam*, *quam Deorum Matrem cœca gentilitas nuncupavit. quod eleganter irridet Lucretius lib.* II.

Hic ſi quis Mare Neptunum, Cereremque vocare
Conſtituet Fruges, & Bacchi nomine abuti
Mavult quam laticis proprium proferre vocamen
Concedamus, ut hic Terrarum dictitet Orbem
Eſſe Deum Matrem, dum re non ſit tamen ipſa.

Eo prorupit Veterum inſania, totque ſibi ac tanta numina finxerunt, ut nihil omnino extaret, quod humanæ vitæ commodi aliquid quamvis minimi adferret, quod divinitate non donarent. Hinc non Sol, Luna, &c. aut elementa modo, ſed allium, ſed cæpe, ſed res ejuſmodi infimæ, ſordidæ, viles, ac deformes numina facta; illis Aræ poſitæ ac templa, & quicquid erat hominum invaſit illa quæ apud Ciceronem eſt lib. I. de nat. Deorum *Theologia:* Deos eſſe habendos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa, ipſasque res utiles & ſalutares Deorum eſſe vocabulis nuncupandas, ut ne hoc quidem dicerent illa inventa eſſe Deorum, ſed ipſa numina; Ipſi qui irrident Ægyptii nullam belluam niſi ob aliquam utilitatem quam ex ea caperent conſecraverunt. *Ideo Ægyptum dementem Satyricus appellavit Satyr.* XV. *ab initio:*

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibim.
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci
Illic cœruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum, & cæpe nefas violare, & frangere morſu,
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! *&c.*

Præpoſtera Religio, cœca ſuperſtitio, & ridicula ſacra.

Vilia ubi magnos æquant animalia Divos.

ut eſt apud Statium. Hi, ut eſt apud D. Paulum ad Rom. *cap.* I. mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, *&* Sap. *cap.* XII. in erroris via diutius erraverunt: Deos æſtimantes hæc quæ in animalibus ſunt ſupervacua, infantium inſenſatorum more viventes. *Quæ ridicula Ægyptiorum numina enumerat Moſes in monitis ad Iſraelitas* Deuteron. *cap.* IV. *Illud etiam omne, in quo vis inerat major aliqua Deus cenſebatur, ut Fides, Pax, Mens, Virtus, Honor, Salus, Concordia, Libertas, Victoria, bona Fortuna, mala Fortuna, cui Ara in Exquiliis fuit. Affectus animi etiam in Deos venerunt, Amor, Voluptas, Timor, Terror; imo & corporis Pallor, Febris, Riſus. Ut enim Vitulinæ & Lubentiæ, Lætitiæ præſidibus Romani divinos honores decreverunt, ſic Riſum in Deos retulerunt Græci, diemque feſtum inſtituerunt, & annuos ludos cum ſolennibus ſacris ei Deo fecerunt: præcipue Theſſali, & ex iis Hypatenſes, qui veneratione cultuque* ΓΕΛΩΤΟΣ ΘΕΟΥ *valde celebres & inſignes extiterunt. Lycurgus quoque ſeveriſſimæ ac rigidiſſimæ author diſciplinæ, Riſus marmoreum ſimulacrum Spartæ in delubro poſuit, ſanxitque ut cives ſui militiæ laboribus perfuncti, ei Deo religioſe ſupplicarent. Sic & Contumeliæ fanum & Impudentiæ, quod expiato ſcelere Cylonio, Epimenide Crete ſuadente fecerunt*

Athenis. Quod si etiam nubes retuleris in Deos, inquit Cic. III de nat. Deor. *referendæ certe erunt tempestates, quæ Pop. Rom. ritibus consecratæ sunt. Quod nimirum contigisse ferunt anno ab V. C.* CDXCIV. *a L. Cornelio Scipione* Cos. *ut constat ex inscriptione antiquissima nuper Romæ ad portam Capenam reperta. Mitto minimis quibusque & levissimis rebus Dæmonia sive Præsides Deos & tribuisse & veneratos fuisse. Taceo Nodinam geniculis Caulium, limini Limentinam, infantium cunis Cuninam, ædium munditiei Deverram, victui potuique Victuam & Potuam, ut est apud Varronem, Arnobium, Lactantium, & alios. Quæ portenta Deus bone! quæ monstra! sed hæc & alia fusius & explicatius per universum libri singularis contextum habes, cum singulis aras singulas, templa, ædes sacras, cæremonias, honores divinos ac cultus, ex Veterum scriptis proferimus. Nunc quantum ad me, unum hoc te breviter (Lector candide) monitum velim: novum hoc atque insolitum mihi, dicam & ingratum scribendi genus semper visum est, quo reconditissima rerum antiquarum mysteria, ex penitissimis historiæ veteris adytis eruta, velut secretioris cujusdam sapientiæ oracula panduntur. Tunc enim ad ea quæ proferuntur ex aliis, cogitur, quæ liberrima esse debet, ingenii vis; & pro authorum varietate, varia ac diversa scribendi ratio nascitur: quo fit, ut quam grata esse solet unius tenoris ac spiritus scriptio, tam sit ingrata plerumque & putida, tamque inamœna diversi generis ac genii oratio: utque ex illa voluptas summa, sic ex hac posteriore fastidium & nausea legentibus pariatur: atque ea vel sola causa fuit, cur a tali scribendi ratione hactenus abstinuerim. Nec ego hercle quasi damnato, ut ajunt, voto, quos mihi ipse terminos imposueram, transiluissem unquam, maxime cum utraque scribendi ratione, quæ omnibus adhuc placuit, edita evulgataque opuscula nostra, legentium favorem & gratiam citra invidiam omnem (quod maximum est publici consensus argumentum) palam obtinuerint, nisi cum eorum imperio quos veneror & colo, tum importunis aliquot amicorum precibus, litandum etiam mihi fuisset hac mea Ara Antiquitati: quæ ut sine prudenti ratione nihil fecit unquam, ita in maxima semper admiratione fuit: quæque quo abstrusior & occultior, eo sanctior semper visa est & sacratior. Hinc mihi* de Ara *materies, tam antiqua & vetus, quam ipsi homines antiqui ac veteres: qui statim nati, Religionis sensum habuerunt & cultum; id est, Aras Deo, & qui Ethnicorum gravissimus error fuit, Diis erexerunt. Quæ si res votis meis, pari quam hactenus opuscula alia mea felicitate atque eventu respondeat, ad alia ejus generis aculeum dabit & stimulum, ut laudata virtus crescit: sin minus, saltem conanti, & placere ac prodesse publico cupienti parcetur. Cæterum hoc in opusculo, innumerabiles melioris notæ locos, aut illustratos, aut a mendis expurgatos reperire est. Nonnullos ab Interpretum sensu erroneo vindicatos, & veræ ac germanæ lectioni restitutos. idque vel aliorum testimonio authorum, qui in simili materia fuere occupati, vel certa & nihil fallente conjectura, præstitimus: Id vero quam bene, tuum esto, Amice Lector, judicium. meum interim de* Ara *commentarium si videas, bonis animis, æquisque oculis videas, nec invideas, velim. Vale, & si vales, fruere.*

IN

ARAM EXCULTISSIMAM

FLORIDISS. CELEBERRIMIQUE

P. BERTHALDI *Congregationis Oratorii Domini* JESU

Presbyteri

EPIGRAMMA.

AUDIIT ut Phœbus condi cœlestibus Aram
Mira arte, Auctorem quærit & ardet opus;
Tum gravis occurrit BERTHALDUS, & Ara Deorum
Digna, stupet Phœbus, laudat utrumque, & ait:
Ararum hæc Ara est, & tu dignissimus Aris,
Qui hanc Aram in terris construis arte nova.
Dum mihi erunt Aræ Musisque hæc Ara manebit,
Numinis Ara mei, Nominis Ara tui.

G. HULLIN P. & D. de la Gaubertiere.

AV MESME

SONNET.

ARchitectes cessez, ne pensez pas qu'au monde
Vos mains puissent tailler un Autel si bien fait,
De qui l'art est si rare, & l'ouvrier si parfait,
Et que l'œuvre en son art, & l'art en l'œuvre abonde.

Les Cieux en sont ravis, & la trouppe feconde
Des doctes Sœurs se taist, & luy semble en effaict
Qu'il n'y a plus d'Autel, qui ne soit imparfait,
S'il ne trouve en BERTHAULT *où sont dessein se fonde.*

Car l'Autel de BERTHAULT *est l'Autel des Autels,*
Autel digne qu'on sacre a tous les Immortels,
Et qu'on esleve au Chœur du Temple de Memoire;

Si je ne dis bien plus: c'est l'Autel seul qu'il faut,
Pour marquer le merite & l'honneur de Berthault,
Berthault seul sçachant faire un Autel a sa gloire.

Le mesme.

AD R. P.

PETRI BERTHALDI

LIBRUM SINGULAREM

De ARA.

ARAS sacrandis ingeniis memor
Extruxit ætas pristina, seu gravi,
Torrentis in morem fluentis,
Eloquio, fidibusve doctis.
Quantum excitatis militibus furit
Feralis ardor Martis, & ardua
Per orbis anfractus potentum
Spargere facta virum valerent.

At frustra multis nominibus tibi
Addicta quondam Francia debitas
Parabit Aras, quippe scripto
Ædificas modo doctiori.
Quam non trisulco fulmine Juppiter,
Non orbe concusso Æolius furor
Evertet, horrores, minasque
Pondere ipsa suo resolvet.
Excessit olim Pyramidum labor;
Fracti Colossi; vix Capitolii
Restant favillæ; flexuoso
Mopsopii artificis recessu
Direptus error; sic metit omnia
Voratque tempus; lactea seu cadit
Æstate flagranti, reducta
Falce, seges populata campis.
Nec certat annis fama fugacibus
Ingens virorum; inferiæ cadunt,
Saturno inertes, sequaci
Omnia diripiente dextra.
Commissa tantum scripta vetant mori,
Virosque servant, quos melior Deus
Indixit æternos nepotum
Per memores remanere fastos.
Exempla longe ne repetam; & situ
Sepulta inerti Franciadum tuo
Transmissa Floro bella, longo
Sæcula per duodena cursu;
Quid Lodoici fulmen? & Insubrum
Messæ phalanges, Hesperios super
Allobrogum stravisse turres?
Et Casali trepidantis arces
Servasse bello magnanimo? nisi
Par Mantuanis versibus, exitu
Fœlicior, quo functa Rege
Bella, animo caneres eodem,
Regum superbæ desiliunt minæ;
Nec multa virtus lustra manet, simul
Heu purpurati læva fiunt,
Victima nil miserantis ævi.
Cessere fatis Æacides, pius
Vector parentis, non Agamemnonis
Durant triumphi; Mantuanæ
Mœoniæque vigent Camœnæ.
Insertus illis vatibus, & super
Honore adauctus Historici, tibi
Vivace libro ARAM perennem
Materie extruis erudita.

FRANCISCUS BONICHON, Congreg. Oratorii Domini JESU Presbyter.

AD AUTHOREM LIBRI

DE ARA

ELEGIDION.

QUis tibi luxurie certet, BERTHALDE virorum
Maxime, quos Pindi culmina sacra fovent?
Quisve tui dignis tollat monumenta cothurnis
Ingenii nullo comminuenda die?
Heroo seu vena tumet fœlicior æstu,
Carminaque Ausonio docta fragore ruunt;
Seu breviore juvat numeros cohibere fluentes
Circuitu, & patrios sollicitare focos.
Jam latere ante rudes Pario de marmore TRECAS

Vidimus ad numeros te præeunte ſequi.
Hoſtibus ereptum repetito Marte CASALLUM
Eridani Nymphas obſtupuiſſe ferunt.
Quis te confectis exhauſtum viribus inde
Non putet argutam depoſuiſſe chelym?
Prodiit at dextro confeſtim numine FLORUS
Cujus ab Auguſta Gallia luce micas;
Namque ſuperfuſis librorum mole tenebris
Quid niſi ſubluſtres emicuere faces?
Ibant diverſo Gallorum ſtemmata ductu,
Nec patrius pleno fonte fluebat honos;
Dum tulit audaces titulos, te vindice, FLORUS
Deterſumque novo pumice fulſit opus
Quantum opus, o Superi! cui vel Patavina ſecundam
Se ferat auratis gloria vecta rotis.
Excierit quamvis peregrino e littore plauſus
Advena quos ſubito raptus amore dedit.
Eloquii miratur ovans nova philtra pedeſtris,
Palladia quiſquis fronde ſuperbus agit,
Gratia tam facili exundat nativa tenore
Verbaque Caſtalio purius amne fluunt.
Hinc tua perpetuis conſcribere nomina faſtis
Ardet & in longos continuare dies,
Ne liber æterno Gallos aucturus honore
Temporis in ſenium dente petitus eat.
Quæritur at ſimilem qui poſſit reddere vultum
Ingenioque pari parta trophæa canat.
Dum tibi conſultum ſatis eſt: nam prodit odore
Ara novo, geſtis ARA ſacrata tuis,
Ut quoniam nullus tibi par erat orbe futurus
Jam propriis manibus ſurgeret Ara tibi.

LUDOVICUS BONNET, Congregationis Oratorii Domini JESU Presbyter.

ODE IN ARAM PATRIS BERTHALDI.

QUÆ mens labores Diva fovet tuos,
BERTHALDE? ſacras quis Genius tenet
Aras ſuperbo Principatu?
Aut Deus, aut ſimilis Deorum.
Quid inſidenti RICHELIO decus
Inſpirat? Aris unde novæ faces
Splendoris ardent? mutuo ſe
Ara Deuſque juvant honore.
I macte, ſperes nunc faciles Deos
Devota tanto Gallia Numini;
Hæc Ara certam pollicetur
Auſpice RICHELIO ſalutem.
Qui fulminanti LODOICI manu
Pulſus Caſallo eſt, hunc reducem vetes
Berthalde Mavortem, tuaſque
Fractus Iber veneretur Aras.
Iber nivoſis qui ſtetit Alpibus,
Minciique preſſit ſervitio vada,
Horrebit aris expiantem
Numina, quem timuit canentem.
Quin ipſa tellus, qua geminum rotat
Bigas in axem Phœbus, adorea
Appendet aris, incolaſque
Carmine fatidico docebit
Debere Gallos ſupplicibus coli
Votis ab omni limite Thetyos,
Aras dediſti queis colantur,
Nil tenet arbitrium Tonantis.
Divi expiandam Lodoici necem
Hic expiabit Lodoicus nepos,
Chriſtique calcatos honores
His Solyme reparabit Aris.

I macte, ſperes tu quoque proſpera
Berthalde, fractus livor inhorreat:
Quæ te per Aras tot litantem
Audeat impietas latrare?

PETRUS DE MOISSEY, Congregat. Orat. Domini JESU.

DOCTISSIMO VIRO

D. PETRO BERTHALDO

in dedicationem libri de ARA,

Ad Eminentiſſimum
Cardinalem Ducem RICHELIUM.

ARMANDO armato Francorum ALTARIA jure
Gaudent: has ARAS proteget ille lubens.

A MONS. BERTHAULT,

ſur le ſuject de ſon livre DE ARA.

IE ſuis ravi de ton volume,
Et poſtpoſe tous les eſcrits
De tant de relevez eſprits,
A ce que trace icy ta plume.
Tous ces beaux Autels que j'admire
Ce que les anciens y ont fait,
Ne rendent l'ouvrage parfait,
Il reſte encor un à deſirer.
C'eſt la memoire des Neveux,
L'Idole c'eſt ta renommee,
Où l'on n'offrira pour fumee
Que des louanges & des vœux.

F. ALB. LE GRAND, Ordin. Præd. Convent. Rhedonenſ.

IN ARAM BERTHALDI HISTORICI ET POETÆ INCLYTI CAROLUS FABER *Tholoſanus ſacri Orat. Vidi & Petri Fabrorum conſanguineus Nepos.*

QUID poſſis agnoſco, tui miracula vultus
Experior, quæ tanta novi contagio vatis
In ſubitos adigit tua me vicinia cantus?
An ne fatigato ſaturatus Apolline laurum
Abjicis, abjectæque mihi ſit copia laurus?
Reliquiis diteſco tuis, dum celſior omni
Parnaſſo, Pindumque tua virtute minorem
Deſpicis, indignoque negas in colle morari.
Nempe Deum ſapias, cujus tantummodo virtus
Æquari patitur Cœleſtibus, ille futuri
Numinis omen habet quem commendaverit Ara:
Huc tua, ſed quantum mereatur conſcia, fertur
Ambitio, tibi votorum ſit terminus Ara,
Quique Ludovico divos largitur honores,
RICHELIUMque ſacro ſublimat in æthera cantu,
Quem dederit reliquis non ſe donaret Olympo?
Qui Phœbo prægnans loricatuſque fluentis
Caſtalidum, tanquam ſtygiis armatus Achilles
Fluminibus, ſic nulla patens in funera, mortis
Victor, & æternum cogis tibi nere ſorores,
Hæc decrat ſolum cumulandæ gloria famæ
Se quoque cantatis permixtum agnoſcere Divis.
Hinc BERTHALDE tuis quæ gaudeat Ara trophæis,
Quæque tuis tantum manibus ſe debeat, arte
Palladia fabricata nitet, licet æmula cælo

Amplectatur opes, quas contulit omnibus Aris
Prodiga majorum pietas, divisaque multis
Præmia numinibus, nunc uni congerat Aræ
BERTHALDI generosa manus: non charior extat
Materiæ pretio, tanti magis illa placebit
Auctoris genio; versat gravis ambitus aulam
Divorum, certantque nova statione potiri:
Quæque profanatis terrarum destitit Aris,
Insistens Astræa polo, putat aurea nasci
Sæcula, BERTHALDO cum nunc altaria surgunt
Vindice, molitur reditus, ambitque reponi:
Sed revolet contenta polo, non altera portat
Numina, quæ nusquam se dividit Ara duobus,
Auctorem fert illa suum, BERTHALDUS habebit
Hic titulos, famamque; suo duntaxat honori
Sudavit, seu Tiresiam, seu fata videntem
Thiodamanta voces, doctis oracula pandet
Cœtibus, hinc nobis æterni syderis instar
Influet, unde mihi Musarum instillat amorem,
Nec mea quæsito frustratur Apolline vota.
Hanc igitur veneror meritis pro talibus Aram,
Debita profusæ quam laudis thura vaporant.

AD P. BERTHALDI ARAM.

DUM furit Ausonio late Bellona tumultu,
Sanguineumque rotat mucronem & funera miscet:
Spiritus intumuit, quantusque Heroas agebat
In Medias acies consertaque robora Mavors,
In vatem tantus cecidit, numenque canenti
Indulsit, lituosque tuo fervescere cantu,
Casaleasque arces defensas carmine vidit.
Hinc Francæ quidquid turmæ, Latiæque cohortes
In Gallos valuere, quibus fortuna serenum
Riserit, aggrederis sed liberiore Camœna,
Nobiliorque tuo FLORUS sub nomine prodit.
Nec minor in versus assurgis, & orsa solutis
Structa modis: summæ nituntur in ardua laudis,
Authoremque suum sublimi in vertice sistunt.
Mitior at postquam tua pectora perculit æstus,
Et placidum spirare juvat: mox intulit ARIS
Te pietas: Veterumque decus, monimentaque Divum
Restituis, monimenta tibi, & venerabile nomen.
ARA nihil mortale sonat: Jovis Ara manebit,
At BERTHALDE tibi castos adolere liquores
Nunc juvat, atque novem struxisse altaria musis,

Egregius quibus Antistes, custosque verendus
Sacra feras, dabit hæc noti tibi culminis hortus,
Quæque frequens tibi Divarum prodegerit usus.

J. POUSSIN *Cong. Orat.* D. JESU.

AD P. BERTHALDI ARAM.

APOTHEOSIS.

BERTHALDE nostri gloria sæculi,
Jam fata doctis invida frontibus
Timere cessa, te perenni
Fama hominum celebrabit ævo.
Nam te dicatum nuper Apollini
Musæ abluerunt flumine vivido,
Dignumque te sacro Deorum
In numero posuere numen.
Quam te ferentem vidit amabilis
Divum coronam cœtus! ubi sacer
Serpentibus vertex refulsit
Rite hederis meritaque lauro.
Horum inter amplexus Clarius tuum
Unxit Deorum corpus odoribus,
Dulcique misto nectare, ora
Contigit, ambrosiæque succo.
Cujus (sorores) vatis amoribus,
Æque calentem vidimus hactenus
Deum? cui tantos honores
(Dicite Pierides) habentem?
BERTHALDE virtus hoc pretium tua
Fecit sibi, non ambitio, aut favor,
Citoque cœlo te beavit,
Digna Deo ut strueretur ARA.
Digna ARA Phœbo Deliaco, & Jove,
Digna expetitis sortibus, & manu
Qua surgit, & sacris sororum
ARA frequens adeunda alumnis.

FRANCISCUS MARCHETTUS
Oratorii Domini JESU.

EPIGRAMMA.

NULLA Deum sacris Ara hac fœcundior Ara,
Nos facit illa pios, te facit illa Deum.

IDEM.

INDEX CAPITUM

Et Rerum memorabilium, quæ in hoc libro continentur.

Caput I.



PETRI BERTHALDI

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU PRESBYTERI,

DE ARA

LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

I. *Scopus operis*. II. *Aræ definitio*. III. *Ara unde dicta*? IV. *Modus precandi antiquus*. V. *Ara olim Aſa dicta*.



UIA omnis quæſtio, ut præclare ait Romanæ parens eloquentiæ, ab ejus rei de qua agitur definitione inſtitui fere ſolet; ideo nos hunc de ARA libellum ſive potius tractatum, ab ipſius ARÆ definitione feliciter cum Deo auſpicabimur. I. *Scopus operis.* Ante tamen inſtituti operis ratio reddenda eſt; & quæ me potiſſimum cauſa eo induxerit, ut de ARA aliquid ſcriberem, hoc primum fuit breviſſime exponendum. Cum enim frequens apud Veteres ejus rei, de qua quæſtio nunc inſtituitur, uſus fuerit: vixque ullum optimæ notæ ſcriptorem reperias, qui non Aræ meminerit: ejus vero naturam, uſum, cauſam, qui penitus inſpexerit, prope neminem; facturum me operæ pretium duxi, nec literatis hominibus ingratum fore ſum arbitratus, ſi ARAM hanc ex veterum Græcorum ac Romanorum ſcriptis monumentiſque illuſtrioribus compactam, Reipubl. literariæ excitarem. Et profecto miratus ſæpe ſum eos qui in evolvendis ac perſcrutandis veterum ſcriptorum libris occupati hactenus ſerio viſi ſunt, ac ingentes ſcriptorum memoriarumque acervos, & plenas ut ita dicam animadverſionum ſuarum officinas nobis reliquerunt, vel de Ara omnino tacuiſſe, vel (ut ajunt) quaſi a fani limine Deos Aris Præſides ſalutantes, leviter tantum ea attigiſſe ac prælibaſſe, quæ ad Aram pertinebant, quanquam ſunt ea præclara certe, & commendatione digniſſima. Ea me impulit ratio, in hoc potiſſimum meo quodcumque tandem a ſcholis Rhetoricis relictum eſt otio, ut quæcumque ad Aram ſpectant, quæ ſunt Aris addicto homine digniſſima, ea ſi poſſem omnia in unum velut faſciculum componerem. Eo accedit ejus hominis par imperio adhortatio, cujus ſi vel nutum momentis, ut de Alexandri magni quondam militibus fertur, non attenderem expleremque obſequendo; graviter ego cum in tanti viri amplitudinem ac dignitatem, tum in ſuſceptam a me pridem vitæ rationem, quæ mihi perpetuum obſequium imponere debet, delinquerem. Monebat vir * eruditione ac pietate ſingularis, idemque monens mandata dabat; ut ſi quid ea de re, vel legendo forte, vel cum eruditis viris agendo tractandoque animadverterem, illud ſeponerem ac ſervarem, primo congreſſu exhibiturus. Cui bono (ut illud Caſſianum uſurpem) id imperaret rogavi, & cogitavi ſæpius, necdum ſcio ſatis: niſi forte acerbiſſima Illuſtriſſimi Cardinalis Berulli, Parentis, Fundatoris ac Generalis noſtri morte, quæ ad Aras inter ſacroſancta Miſſarum ſolemnia (ut erat vir ſanctiſſimus) contigit, affectus præ cæteris optimæ Congregationis Sacerdotibus, qui præ cæteris eminebat longe, hanc a me qualiſcumque demum ea futura ſit, tractationem poſtularet. utut ſit, morem geſſi: neque enim fas erat contra tendere. Quæcumque de Ara videram, legeram, audiveram, ea in chartulis, ſicut erant deformia & diſtantibus e locis collecta, dedi in manibus. Quid moror: noluit eſſe privati Juris ac uſus: emergere e latebris, & in luce verſari hominum, hoc eſt, publice ſtrui Aram, pro ea qua valet authoritate imperavit. Obſequor igitur, Lector candide, & meæ quod adhuc conſuetudinis fuit, quam potui facillimo nitidiſſimoque ſtylo (neque enim Læliis ego, ſed Conſentinis, ut Lucilii verbis utar, non, inquam, ingeniorum verticibus illis, ſed literarum & perſpicuæ orationis amatoribus, Aram hanc meam paro) ex penitiſſimis Romanæ ac Græcæ antiquitatis adytis, ea fere omnia quæ de Ara didici legendo, eruta ac deprompta in vulgus dedi.

Fas mihi ſacrarum penetralia pandere rerum.

Scio ego deſiderari multa quæ me fugerunt, multis ea cognita, mihi incognita, & his fortaſſe longe meliora: quæ qui proferet, rem faciet literatis omnibus opinor gratiſſimam. Id certe meum erit, doctiorum oculos aperuiſſe, & nutantes animos ſcribendo incitaſſe. Igitur licet ea quæ de præfixa propoſitaque materia dici ac proferri poſſunt, aſſequi me ullo modo poſſe, jam tunc ab ipſo limine deſperem; malui tamen ſcribendo parendoque ignorantiam ac temeritatem patere meam, quam tacendo obſequium; & ſi non fecerim, parendi voluntatem deſiderari. Aggrediar, inquam, non tam perficiendi ſpe, quam experiendi, imo obtemperandi voluntate.

II. *Aræ definitio.* Atque ut ad rem ſine mora veniamus, Aram ſic definio; ut ſit *Locus purus & ſacer e terra elevatus, cædendis ac immolandis victimis deſtinatus, habendiſque precationibus præparatus*. His opinor verbis, Aræ ipſius natura & uſus deſcribitur: quippe Aræ ſacris Deorum Religionibus ac cultibus erectæ ac conſecratæ, victimarum cruore tantum

* *Is eſt R.P. de Condrem Oratorii D. JESU Præpoſitus generalis.*

tum tingebantur: quæ quidem victimæ sacro & solenni ritu mactatæ, postea igne absumebantur.

Hanc præclare confirmat conjecturam ac definitionem eruditissimus ille priscæ Latinitatis author Varro libro IV. *de Lingua Latina*, cum ait: *Loca in urbe pura areæ dicuntur; a quo potest & Ara Deum esse, quod pura: nisi potius ab ardore ad quem ut sit, fit Ara.*

III. *Ara unde dicta? Ara ab ardore.*

Postremam Varronis sententiam, quanquam ab ardore Aras duci ac derivari rudiuscule manifestum esse possit; videtur tamen stabilire Isidorus *Origin.* lib. XV. cap. IV. his verbis: *Aram quidam vocatam dixerunt, quod ibi victimæ incensæ ardeant.* Huic etiam opinioni suffragari potest Græcæ vocis Etymon, quod a nonnullis ita fingitur, ut Βωμὸς, id est, Ara, παρὰ τὸ βῶ, quod est *ardeo* sive potius *caleo*, deducatur.

Nec omnino ab ea sententia est alienus Julius Pollux lib. I. cap. I. ubi sic de Ara: Ἐφ' ὧν δὲ θύομεν, ἢ πῦρ ἀναγκαίομεν, βωμὸς, θυμιατήριον, ἑστία; ἔνιοι γὰρ οὕτως ὠνομάκασιν ἐπεὶ δὲ ἂν κυριώτατα καλοίης τὴν ἐν πρυτανείῳ ἐφ' ἧς τὸ ἄσβεστον ἀνάπτεται. Hoc est, *Supra quæ sacrificamus aut ignem accendimus, Ara, acerra, focus vel Vesta: Sic enim a nonnullis nominatur; proprie tamen Prytanei locum, ubi æternus ignis accenditur, sic appellaveris.* Hic ab ardore, qui accenso in Ara igne excitatur, dictam Aram non obscure Julius Pollux nobis insinuat. Atque eo loco cum nobis Aram Acerramque nominet Pollux, haud erit abs re, quid Acerra hic & alibi passim significet, investigare: quamvis enim clarum sit omnibus Acerram vulgo pixidem, sive arculam thurariam significare, e qua nimirum thus antiqui Diis inter sacrificandum proferebant, juxta illud Ovidii *de Ponto*:

Acerra quid?

Nec quæ de parva pauper Diis libat acerra,
Thura minus grandi quam data lance valent.

Hinc Statius *sylv.* I.

Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem?

Nonnunquam tamen pro Ara, atque ea Ara quæ ante mortuorum cadavera erigi consueverat, usurpari eleganter certissimum est. Hinc ea de funeribus lege, quæ XII. Tabularum octava est, cavetur, *uti ne sumptuosi respersio fieret, neve murrhata potio inderetur, neve longæ coronæ, neve acerræ adhiberentur.* Quem locum Hottomannus præclarus ille legum ac totius juris explanator, de Aris potius sepulchralibus, quam de Arculis thurariis accipiendum esse putat: ita ut vetet ea lex Aras quæ prope sepulchra fierent cum thure incensisque odoribus obiri. Festus etiam Acerram vocat Aram quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur, ut refert Rosinus lib. III. cap. XXXII. *Antiquit. Roman.*

Acerra pro Ara.

Isidorus eo in loco, quem mox citavimus, longe diversam a superioribus, & Aræ ipsius naturæ magis congruentem adfert definitionem, cum ideo dictas Aras ex aliorum opinione refert, quod in iis ad Deos haberentur precationes, quas Græci ἄρας vocant, unde contra imprecatio κατάρα dicitur. Verba Isidori sunt hæc: *Alii inquit, Aras dicunt a precationibus, quas Græci ἄρας dicunt*, &c.

Ara ἀπὸ τῆς ἀρᾶς a precatione.

Quam longe a superioribus Aræ definitionibus discrepat ea, quæ a Servio Honorato Grammaticorum longe omnium primo proponitur! is Aras ab ariditate nominatas vult: *Aræ, inquit, ab ariditate dictæ, quia in iis adoletur ignis.*

Ara ab ariditate.

Postrema omnium, & si clarissimis viris fides adhibeatur, optima Aræ etymologia ea est, quam Varro lib. V. *de divinis nominibus* non modo probat, sed etiam orantium ad Aras consuetudine præclare illustrat. Ait enim *ab Ansa Aram derivari, quod qui precaretur, Aræ angulos quasi Ansas apprehenderet.* Et certe ubicumque Aras tenentes aut tangentes qui alicui Deo supplicant reperies. passim Virgilius meminit hujus consuetudinis ac ritus, ut IV. & VI. *Æneid.*

Ara ab Ansa.

IV. *Modus precandi antiquus.*

Talibus orabat dictis Arasque tenebat.

Alludit nimirum, ut notat ad marginem Erythræus, *ad ritum vetustatis: tenebat enim cornu Aræ qui precabatur.* Quæ sane consuetudo eleganter a Macrobio lib. III. cap. II. *Saturnalium* his verbis exprimitur: *Litare non potest sola oratio, nisi & is qui Deos precatur, etiam Aram manibus apprehendat.* Sed de hoc Veterum ritu copiose mox dicturi sumus, ubi eximium Servii locum produxerimus. Is ad lib. *Æneid.* IV. *Necesse*, inquit, *erat Ansas a sacrificantibus teneri, quod nisi facerent, grata Diis sacrificatio non esset.* Rursus idem author ad lib. VI. *Æneid. Rogabant*, inquit, *Deos Ararum Ansas tenentes.* Non recedam ab eo supplicandi ritu, donec qui occurrunt memoriæ locos expressero. Plautus in *Rudente* actu IV. scena III. *Venus Alma*, inquit, *ambæ te obsecramus, Aram amplexantes hanc tuam.* Simili prorsus modo apud Apulejum *de asino aureo* lib. VI. Psyche Junonem deprecans Aram amplectitur. Hæc sunt Apuleii verba: *Tunc genu nixa & manibus Aram tepentem amplexa, detersis ante lacrymis sic adprecatur; Magni Jovis germana & conjuga, sive tu Sami*, &c. ad quem ritum respexit Horatius lib. III. od. XXIII. cum ita Deos interpellabat:

Immunis Aram si tetigit manus.

Cæterum illud ex Varrone lib. V. *rerum divin.* notandum est, ut præclare advertit Janus Passeratius in verbo *Ara*, Aras apud antiquos Asas dictas fuisse primum: deinde mutata literula, Aras, ut & Valesios ac Fusios dictos prius, qui nunc Valerii & Furii appellantur.

V. *Ara olim Asa.*

Habes, Lector benevole, diversas multumque a se discrepantes Aræ definitiones, easque e diversis authoribus mutuatas: quam probaveris, lauda ac tuere: non enim tibi Judex accedo; sed index sum ac monstrator.

CAP. II.

I. *De Aræ & Altaris differentia*. II. *Altare alta Ara ab altitudine*. III. *Altare reliquiis Sanctorum destinatum*. IV. *Aræ & Altaris usus promiscuus*. V. *Eorumdem diversus*.

I. *Ara & Altaris differentia.* QUAMQUAM promiscue passim Aræ pro Altaribus, & vicissim hæc pro illis usurpentur apud authores classicos; nemo tamen si rem attente examinaverit, inficias ibit a se invicem plurimum discrepare: verum in quo potissimum differant, illud demum non nisi difficulter statui ac definiri potest. Servius in quodam ad Virgilium loco, Inferorum Deorum Aras, Superorum altaria esse putat: quanquam etiam Aras quidem ad Superos pertinere posse, Altaria vero ad inferos Deos nunquam existimet: *Aræ*, inquit, *superis & inferis Diis consecratæ sunt; Altaria vero sunt Superorum tantum Deorum, quæ ab altitudine constat esse nominata.*

II. *Altare ab altitudine.* Idem prope iisdem verbis testatur Isidorus *Orig.* libro XV. c. IV. *Altare*, inquit, *ab altitudine constat esse nominatum quasi alta ara*; propterea quod in altis fere & eminentibus, ut conjicio, locis altaria exædificarentur. Hinc forte a nonnullis Βωμὸς ἀπὸ τοῦ βαίνειν quod est *ascendere* deducitur. Nam & Hesychius βωμίδας ait appellari ἀναβάσεις, id est, *ascensus*. Quod autem in verticibus montium, ut prædiximus, Aræ vulgo extruerentur, præter Pausaniam multi authores prodiderunt. Is in *Bœoticis* & alibi passim sæpe morem illum inculcat, ἐστὶ δὲ καὶ ἐπὶ κορυφῇ τοῦ ὄρους βωμός, id est, *Parata est ibi in vertice montis Ara*. Quod eleganter expressit Prudentius lib. II. *contra Symmachum* his versibus:

Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo, tempore longo
Non multos coluisse Deos, variisque sacellis
Contentum, paucas posuisse in collibus Aras.

Quo loco Weitzius Interpres Prudentii, *cum sacra*, inquit, *faciebant Superis ac Jovi præcipue, Aræ in sublimibus extruebantur locis*. Hoc ipsum probat manifeste Melanthes in lib. *de sacrific.* hoc modo: πᾶν δὲ ὄρος τοῦ Διὸς ὄρος ὀνομάζεται, ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ὑψίστῳ ὄντι τῷ θεῷ ἐν ὕψει τὰς θυσίας ποιεῖσθαι. Id est, *Mons omnis Jovis mons appellatur, ubi mos erat antiquis supremo Deo alicui in alto sacrificii facere*. Mitto notam & vulgarem Abrahami historiam: quem ita allocutus Deus pro filioli sacrificio perhibetur, *Tolle unigenitum tuum quem diligis Isaac, & offer illum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi*. Prudentius qui ea imprimis callebat quæ Ethnicorum erant, Aram ab Altari alio, ni fallor, sensu distinguendam esse innuit multis in locis: siquidem in *Hymno S. Romani* Altare aræ impositum fuisse declarat, Aramque ipsius altaris penitus disjectam ac dirutam, velut eversum aliquod fundamentum ait dum sic ille:

Altaris Aram funditus pessundare.

Ut & supra cum de jejunio ageretur:

Altaris Aris quod facit placabilem:

III. *Altare reliquiarum SS. locus.* Ibi enim præter priorem illam quam ex Servio primum attulimus differentiam, quis adeo cœcus est, ut non videat aliam manifeste designari? quis non advertat per altare ipsum, intelligi ac denotari ædificium aliquod e terra exaltatum, & locis ad Martyrum tumulos recipiendis destinatum? idem Prudentius ante præmiserat:

Ossibus & Altar impositum.

Quibus insignis author verbis clare nobis insinuat, prisco Ecclesiæ ritu Sanctorum reliquias altaribus fuisse suppositas. Hodiernis etiam temporibus, Sacerdos cum ad sacra facienda sese proxime accingit, impresso pie altari osculo, quod sine sacris ac veneratione dignis Sanctorum Reliquiis parari non licet, hæc ita secum, *Oramus te Domine per merita Sanctorum quorum Reliquiæ hic sunt*, &c.

Hinc forte in *Apocalypsi* D. Joannis ubi de sanctis Martyribus, quorum ossa in sacris altaribus composita quiescebant agitur: *Sub Altare*, inquit cap. VI. vers. IX. & X. *omnes Sanctis clamant, vindica sanguinem nostrum Deus noster.*

Idem Prudentius in *S. Hyppoliti hymno*, cum cryptæ sive Altaris (ut author est Giselinus Interpres) formam ac figuram superioribus verbis expressisset, ipsissimum Aræ usum, & primam velut instituendæ sanctissimis viris ex hac vita in cœlum raptis aræ dicturus rationem, subnectit:

Talibus Hyppoliti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara sacrata Deo.

Ubi tamen non imponi aram tumulo, sed apponi disertis verbis testatur: ut ara ab altari discrepare intelligatur. Certe ea res multorum ingenia exercuit, & ita torsit, ut in diversos sensus abriperentur. Nam per aram nonnulli summam altaris partem intelligunt: alii infimam & quasi basim ac fundamentum totius ædificii. Nec desunt qui per aram locum oblationibus dicatum, sive in summo ædificii loco ἐν ὕψει τῆς θυσίας, sive alibi fuerit, intelligendum esse putent. Quantum vero ad altare pertinet, usu prisco receptum fuit, ut beatorum corporum recipiendis ossibus inserviret passim, ut constat ex sequentibus Prudentii versiculis in *S. Vincentii hymno*, quibus morem in condendis & claudendis altari Martyrum reliquiis manifeste demonstrat:

Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus,
Subjecta nam sacrario
Imamque ad aram condita,
Cœlestis auram muneris
Perfusa subtus hauriunt.

IV. *Aræ & Altaris usus promiscuus.* Differunt igitur & a se diversa sunt altaria & aræ: quanquam optime Latinitatis authores ea videantur ἀδιαφόρως usurpasse. Ecce tibi imprimis magnus ille Principum ac Regum Doctor Tacitus lib. XVI. *Ann.* Aram & altaria conjunxit, & promiscue, ni fallor, usurpavit, ubi de

Servilia nobilissima Matrona, quæ *accita in Senatum, primum strata humi longoque fletu & silentio; post altaria & Aram complexa est*. Plinius etiam libro XV. cap. XXX. *Ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria aræque debeant*. Plinius junior in *Panegyrico ad Trajanum* Imperatorem, quem Nerva inter sacrificia nihil tale cogitantem adoptaverat: *Non occulta*, inquit, *potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus electusque es: quippe inter aras & altaria eodemque loci quem Deus ille tam manifestus ac præsens, quam cœlum ac sidera insedit*. Ecce tibi aræ altariaque conjuncta & promiscuo ut credibile est usu.

V. Diversus Aræ & Altaris usus.

Cæterum illud sciendum, antiquos illos Ethnicos, in ædificiis a terra elevatis sacra fecisse cum Superis Diis supplicarent: in terra cum de Diis ageretur terrestribus: in effossa vero terra si Diis inferis sacrificarent, ut notat vir eruditissimus Passeratius una cum Lutatio Grammatico, qui ad hæc IV. *Thebaidos* Papinii verba:

Trunca dehinc nemora advolvit, mœstusque Sacerdos
Tres Hecatæ, totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus, jubet esse focos: tibi Rector averni.
Quanquam infossus humo, superat tamen agger in auras
Pineus, hunc juxta cumulo minor Ara profundæ
Erigitur Cereri, &c.

Modus sacrificandi.

Tria fuisse, ait, *in sacrificiis loca, per quæ expiationem facerent scrobiculo facto inferis Diis, Aris terrestribus, cœlestibus vero extructis focis, unde denominata sunt altaria, ad quæ cum sacrificabant manus in altum porrigebant*. Vide Cœl. Rhod. lib. XII. c. I. Paulo aliter Porphyrius Philosophus sentit: *Aras*, inquit, *& templa statuebant cœlestibus Diis: terrestribus, hoc est*, χθονίοις *Escharas, id est, focos; sic & Heroibus*: ὑποχθονίοις *autem, id est, subterraneis Diis fossas scrobesve, & quæ a Græcis dicuntur* μέγαρα; *mundo & nymphis cæterisque hujusmodi antra dicarunt*. Ergo superis Deis, ut Festus etiam tradit lib. I. a terra exaltatis aris, terrestribus in terra, inferis sub effossa terra sacra facere Veteres consueverant. Quod ipsum apud Indos diu servatum legimus, ut terrestribus Diis in cavernis & specubus, Soli, in sublimi sacrum facerent. Hæc fere ex Gyraldo libro XVII. *Syntagm*. Et Alexand. ab Alexand. lib. IV. c. XVII. ubi & Arabes arulam super aram habuisse testatur, in illaque Soli immolare & thus adolere consuetos refert ex Strabone lib. XVI. imo sine ara in nudo solo & pavimento sacra peregisse Græcos testatur ex Cœlio Rhod. lib. XXII. c. I.

Denique Aras, altaria, & focos continenti spiritu ac sensu Fabius Pictor lib. I. *Ann.* in recepta sacrificandi formula contexuit. Quem locum, prout a Vezanio refertur, placet hic velut ad hujus capitis Corollarium non utique ingratum & insuave attexere. *Exta* (inquit) *porriciunto, danto in altaria Aramve focumve: eoque quo exta dari debebunt*. Sacra verba; & quæ haud dubie a sacrorum præfica de more præeunte suggererentur: quibus quidem verbis Aræ altarisque differentia satis apparet ea, quæ fuse satis hic est agitata: nunc Aræ formam figuramque conemur exprimere.

CAP. III.

I. *Aræ figura diversa*. II. *Aræ quadrangulæ & quadratæ*. III. *Aræ oblongæ & rotundæ*. IV. *Struppi*. V. *Verbenæ*. VI. *Aræ torques*. VII. *Aræ coronatæ*. VIII. *Aræ partes*.

I. Aræ figura diversa.

FIGURAM Aræ non ubique unam fuisse gravissimorum authorum testimonio comperimus: quippe aliæ quadrangulæ & quadratæ, aliæ oblongæ, aliæ denique rotundæ nonnunquam struebantur, ut patet ex antiquis numismatis, in quibus ea diversitas manifeste dignoscitur.

II. Ara quadrangula.

Quantum spectat ad aræ formam quadrangulam videndus imprimis Pausanias in *Eliacis* cum de Ara Dianæ sic loquitur: ἔστι δὲ Ἀθηνᾶς καὶ ἄλλος βωμὸς πλησίον τοῦ ναοῦ καὶ Ἀρτέμιδος παρ' αὐτὸν τετράγωνος; ἀνήκων ἠρέμα εἰς ὕψος. id est, *Est & lia Minervæ Ara prope templum Dianæ etiam quadrangula forma, in sublime sensim fastigium ascendens*. Idem in *Bœoticis*, ubi agit de ea ara quæ in summo Citheronis montis vertice extructa est, sic habet: εὐτρέπισται δὲ σφίσιν, ἐπὶ κορυφῇ τοῦ ὄρους βωμός; ποιοῦσι δὲ τρόπῳ τοιῷδε τὸν βωμόν. ξύλα τετράγωνα ἁρμάζοντες πρὸς ἄλληλα συντιθέασι κατὰ ταὐτὰ, καὶ εἰ λίθων ἐποιοῦντο οἰκοδομίαν. Id est, *Ara ibi in ipso jugo parata est: eam aram hoc exædificant modo, quadrata ligna tam apte inter se componunt: ut lapidum structuram fecisse videri possint*.

Neque vero illam Aram quæ in celebri Poliphili somnio eleganter libro I. describitur, prætermittere ullo modo possum: Hanc ex ingeniosissimo Poliphili somnio Latinitate donavimus, indicante D. Alphonso Vaz doctissimo Medico, & multis mihi nominibus charissimo. Erat illa figuræ quadratæ, & in singulis aræ quadris ac planis effigies marmorea singulari industria elaborata eminebat, ac primum quidem Deam rosis aliisque floribus coronatam sparsis capillis linea veste, sed subtili, adeo ut membrorum lineamenta facile esset cuivis distinguere, indutam sculptor insignis effinxerat. Spargebat illa dextra rosas, easque in subjectum tripodem, sed accensum, cujusmodi in sacris videre est, fundebat, altera myrtheum ramum præferebat. Aderat juxta alatus puer pulchellulus, ridenti similis, arcu & sagittis armatus, qualis fere Cupido pingi solet; in summa plani parte suaves columbæ volitabant: atque ut omnes, quænam illa esset imago intelligerent, in ima tabulæ parte legere erat:

Veris effigies.

FLORIDO VERI S.

Æstatis effigies.

In secunda quadri parte venusta & formosa nympha mediæ cujusdam majestatis; spiceam coronam & fluentes per humeros crines habens, dextra copiæ cornu maturis segetibus redundans, sinistra radicem triplici spica fœcundam, ad pedes fasciculos segetum, & utraque manu spicas ferentem puerum, sed sedentem vidisses, cum hoc infra titulo:

FLAVÆ MESSI S.

Autumni effigies. Tertia Aræ hujus facies adolescentem nudum, ridenti similem, foliis e vite coronatum, sinistra manu palmitem affixis stipatim uvis onustum, altera vero cornu uvis ac foliis plenum gestantem exhibebat, ad cujus pedes Hircum videre erat, cum hoc infra titulo:

MUSTULENTO AUTUMNO S.

Hyemis effigies. Denique in ultima Aræ superficie vidisses Regem severo vultu, robustis membris altera manu sceptrum gerentem, altera nubes pertingentem, adeo ut pluvias, nivibus & grandine passim horridas, redderet; vestes hispidæ pilis introrsum versis, prisco more calceatus erat, cum hac epigraphe:

HIEMI ÆOLIÆ S.

Ara Priapi hortorum Dei In summo Aræ hujus plano Hortorum Deus rudis ac rusticus, & omnino qualis depingi solet. Supra aram cancellatum lacunas e viridi folio, quatuor columnis pariter foliis succinctis ac floribus suffultum. Pendentibus inter columnarum spatia accensis lampadibus, circumquaque aderat rusticorum turba in Priapi effigiem vitreas phialas, asinino sanguine, vino & lacte immixtis, ramos ad hæc & secta florea vibrantium. Hæc Pholiphilus ingeniosus ille somniator eleganter lib. I. effinxit, quæ præterire silentio non potui. habet idem author alias, easque diversis ac differentibus figuris compositas aras, quas hic apponere minime gravarer, nisi eas somniator alioqui ingeniosissimus proferret. Usque adeo non est fidendum somnianti, ut eum non aliquando ἀλαζόνα μάρτυρα, hoc est, *testem mendacem* cum Galeno dixeris.

Cæterum elegans illa IV. anni tempestatum in singulis hujusce Aræ quadris, quasi tabellis depicta effigies, egregium Æliani locum revocavit in mentem. Scribit enim apud Gades insulam, quæ a Græcis Gadera appellatur, plurima esse Græcorum monumenta, ac imprimis Atheniensium qui ea loca adierunt: atque inter reliqua duas *Ara Anno & Mensi.* esse ARAS, alteram ANNO, alteram MENSI, ut longiori & breviori tempori dicatas. Præterea Templum senectuti, quod maxime ætatem illam, utpote Magistram rerum, venerentur. Imo apud eosdem Athenienses horis Ædes sacras & Aras, multis locis dicatas fuisse tradit Pausanias. Quod ipsum testatur Athenæus lib. XIV. his verbis: Ἀθηναῖοι ταῖς ὥραις θύοντες, ἐκ ὀπτῶσιν ἀλλ' ἕψουσι τὰ κρέα παραιτέμενοι τὰς θεὰς, &c. Id est, *Athenienses cum horis rem divinam faciunt, carnem elixam non assant. Deas precantes, ut calamitosos æstus arceant: quæ vero prodeunt e terra, moderato calore & tempestivis imbribus ad commodam maturitatem perducant*, &c. nunc eo unde paulo longius digressi sumus, revertamur.

III. *Ara oblonga.* Aram etiam oblonga figura Parcis dicatam refert idem Pausanias in *Eliacis* his verbis: πλησίον δὲ καὶ Μοιρῶν βωμός· ἐστὶν ἐπιμήκης: id est, *juxta vero etiam Parcarum Ara est oblonga figura.*

Extant in antiquissimis eorum Imperatorum, quos Pagani olim consecrabant, A numismatis Aræ modo quadratæ, modo oblongæ, nonnullæ etiam rotundæ, prout ab antiquitatis Romanæ studiosis viris Guilielmo Chovio & Aolpho Occone referuntur ac depinguntur, cum diversis titulis sive inscriptionibus: utpote in oblonga ara, cui adjecta est hinc inde ad basim duplex Aquila, hic titulus legitur, MEMORIA FELIX. In quadrata item Ara præter hinc inde majusculas literas, S. C. quibus, opinor, significabantur ex Senatusconsulto decretam illam Aram Principi fuisse: in imo B insuper loco scriptum erat, PROVIDENTIA. Denique in rotunda Ara præter ignem in summa parte accensum legebatur is titulus, CONSECRATIO. plura si lubet pete apud eosdem authores Chovium scilicet & Occonem, qui eam materiam præ cæteris studiose prosecuti sunt. Ea autem quæ quatuor angulis constabat, & ob id quadrangula sive quadrata dicebatur, hoc fere modo depingi solebat, quo eam vir eruditissimus Blasius Viginerius in suis ad Livium notis expressit, ut pendentibus rite herbarum fasciculis, *atque hinc inde fasciis (struppos vocant) assurgeret.* — *Rotunda.* — *Ara cum titulis.*

C *Struppi autem*, inquit Festus Pomp. *vocabantur in pulvinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponebantur*: quæ res ad Christianos etiam manavit, & multis in locis hodiernis temporibus observatur, ut sanctarum imaginum capita, sertis e diversis floribus & suave olentibus herbis compactis, diebus præsertim solennibus & Sanctorum cultui consecratis, redimantur ac coronentur. Hujusmodi fortasse festæ frondes olim extitere; quibus non Aræ tantum Deorum antiquitus, sed D etiam templorum vestibula, uti & nunc fieri passim apud Christianos solet, ornabantur: cujus rei illustre exemplum extat apud Principem Poetam lib. II. *Æneidos* in publico nimirum Trojanorum ob recessum Græcorum post decennalem obsidionem gaudio, quod solennibus Deorum festis fieri consueverat. Ibi enim festivos illos ramos non omisit Virgilius: — IV. *Struppi quid?* — *Festa frondes.*

Nos delubra Deum miseris, quibus ultimus esset
E *Ille dies, festa velamus fronde per urbem.*

Hunc autem fasciculum a Græcis στρόφιον appellari nonnulli putaverunt. Ac Jovis quidem Ara esculo aut quercu, Apollinis lauro, Minervæ olea, Veneris myrto, Herculis populo, Bacchi hedera, pampino & ficu: Panos pinu, Plutonis & Sylvani cupresso, singulorum denique sacris sibi ac dicatis arboribus Aræ coronabantur. Id clare ac diserte Alex. ab Alexandro lib. IV. cap. XVII. *Istæ*, inquit, F *faustæ in omnibus sacris habitæ, quas ex sacro loco decerpere convenit: ipsasque Aras suorum numinum fronde ornare, ut Jovi esculo, Apollini lauro, Minervæ olea, Veneri myrto, Herculi populo, Baccho hedera, Pani vero pinu.* — *Iis ornatæ Deorum aræ.*

Eas vero frondes, quibus Aræ, sicut est dictum, ornabantur, Verbenas ab aliis appellari passim, lippis, & tonsoribus notum est. Idque sexcentis authorum locis facile est confirmare. Hæc apud Plinium *scopæ* sive — V. *Verbena quid?*

etiam *scopi*, qui Græcorum sunt θαλλοί. Festus *sagmina* vocat: ut notat A. Tiraquellus ad Alexand. ab Alex. Terentius actu IV. scena III. *Andriæ* earum frondium seu verbenarum meminit his verbis: *Ex Ara hinc sume verbenas tibi, atque eas substerne*. Quem Comici locum sic Donatus interpretatur: *Verbenæ*, inquit, *sunt redimicula Ararum, sive omnes herbæ frondesque festæ ad aras coronandas, vel omnes herbæ frondesque ex aliquo loco puro decerptæ*. Extat etiam egregius apud Horatium locus in odis, quo ea res clarior fit lib. I. *Carm.* od. XIX.

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite.

Ubi Acron, *Verbena est*, inquit, *aut terra virens, aut cespes, aut sacrificium*. Et ode XI. lib. IV.

—— *Ara castis*
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.

Est autem verbena, inquit Plin. lib. XXII. cap. II. *gramen ex arce cum sua terra evulsum*, &c. a Dioscoride ἱερὰ βοτάνη, id est, *sacra verbena*, quod scilicet, ut omnes tradunt, ad expiationes commendetur. Curtius lib. IV. scribit verbenas in Auguris manu cum litaret præferri his verbis; *Alexander non alias magis territus, ad vota & preces Aristandarum vocari jubet. Ille in candida veste verbenas manu præferens capite velato præibat preces Regis Jovem, Minervam, Victoriamque propitiantis*. Cæterum Verbenas dictas quasi *Herbenas* Grammaticorum opinio est, facili scilicet unius literulæ immutatione, qua ratione & Venetos nobilissimos Italiæ populos olim Henetos fuisse appellatos, multorum opinio est.

VI. *Aræ torques.* Virgilius libro *Georgicorum* quarto hæc Ararum redimicula eleganter appellat *torques*; quippe verbenis, tanquam pendentibus apte torquibus, Aræ ornari solitæ. Florem describit Poeta, eoque ornari solitas Deorum Aras testatur his versibus:

Est etiam flos in pratis, cui nomen Amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.
Namque uno ingentem tollit de cespite sylvam,
Aureus ipse: sed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ;
Sæpe Deum nexis ornatæ torquibus Aræ.

VII. *Aræ olim coronatæ.* In tam uberi ac facili materia non erit alienum ab instituto de Aris coronatis differere: facile enim mihi est innumeris authorum locis ostendere Aras, apud quas res sacra fiebat, recepto passim more fuisse coronatas, hoc est, ornatas foliis, frondibus, herbis, floribus. Clare Propertius libro tertio:

Inde coronatas ubi thure piaveris aras
Luxerit & tota flamma secunda domo.

Ibi agitur de Aris quas amica Natali die extruxerat. De iis fuse Papinius lib. VIII. *Thebaidos*:

—— *geminas ergo ilicet Aras*
Arboribus vivis & multo cespite texi
Imperat: innumerosque Deæ sua munera flores,
Et cumulos frugum, & quicquid novat integer annus
Addit.

Statius iterum de coronatis Aris clare l. III. *Sylvarum*:

—— *date serta per Aras*
Festaque pellentes hilarent altaria lucos.

Et in alio idem loco:

Semper odoratis spirabunt floribus Aræ.

Quibus ex locis, fere coronatas floribus fuisse Aras satis intelligimus.

Hoc ipsum etiam testatur non ignobilis Historiarum Scriptor Herodianus lib. IV. apud quem Antoninus, is cui ab usu vestis Caracallæ nomen inditum est: *Ingressus ditionem Persicam simulabat se lætari quod undique sibi adducerentur sacrificia, & ubique Aræ coronarentur*. Memorat etiam Athenæus in Ptolomæi Regis pompa transvecta fuisse altaria quinquaginta cum aureis coronis. Hoc sensu crediderim dixisse Euripidem Aram habere rubras e sanguine comas, id est, serta & coronas hoc versu:

Ἐξ αἱμάτων νῦν ξανθ' ἔχει τριχώματα.

Hæc quæ Græcis τριχώματα capillamenta sunt serta & flores.

Theophrastus Author insignis, qui a divinitate loquendi, ut ait Tullius, nomen accepit, Ægyptiis solenne quondam fuisse memorat, Aras suas ea planta, quam illi ζῖτον sive ἄιγγον vocant, coronare. Sed omnino admirabilis est illa Ara, quam refert Lucianus in media palude sitam & collocatam, semper coronatam, semper incensis fumantem odoribus: aitque multos eo voti gratia natantes coronas portare. Sic ille: ἔστεπται ἀεὶ, καὶ θυώματα ἔχει; πολλοὶ δὲ κατ' εὐχὴν ἐς αὐτὸν βωμὸν νηχόμενοι στεφανηφορέουσι.

Eadem etiam ratione sacella coronata & floribus exornata erant teste Propertio libro IV. *Sacella floribus ornata.*

Flore sacella tego, verbenis compita velo
Et crepat ad veteres herba sabina focos.

Ipsæ insuper diversorum Numinum ædiculæ undecumque coronabantur teste Euripide in *Jocasta* actu IV.

Τίς ἡδονή σοι θεῷ πανεῖν ἐν στέμμασι;
Quæ voluptas tibi mori in coronis Dei?

Denique moris fuit victimas, cum Aris imponi deberent, coronare. Virgilius cum de Sinono agit *Æneidos* II. *Victimæ coronatæ.*

Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et falsæ fruges & circum tempora vittæ, &c.
Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen, ait; vos Aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque Deum, quas hostia gessi.

Sed hæc ut aliena, aut certe minus ad propositum argumentum idonea libenter omittimus. VIII. *Aræ partes.*

Non ingratum, opinor, erit hujus capitis corollarium ab Aræ partibus sumptum, & a Josepho Scaligero viro eruditissimo mutuatum. Is *ad Manilii Astronomicon* librum primum ita Aram in suas partes distribuit: *Aræ*, inquit, *superficies, in qua prunæ collocabantur, dicitur* καυτήρ, *quod scilicet ibi victimæ urerentur. Basis altaris*

τὸ ἐπίπυρον. *ſupra καυτήρα eſt βώμισκος La-* A
tinis altar, quibus verbis vir eximiæ eru-
ditionis eam quam ſuperiori capite attigi-
mus de Aræ altariſque differentia difficul-
tatem expedivit. His aræ partibus a Scali-
gero aſſignatis licebit cum Heſychio *βωμί-
νας*, hoc eſt, *aſcenſus* adjungere. Illud de-
nique animadverte ex Vitruvio architecto-
rum omnium parente, altaria olim ad orien-
tem ſpectaſſe, & ſemper inferiora fuiſſe col-
locata quam ea quæ erant in æde ſimula-
cra, uti nimirum ſuſpicientes divinitatem
qui ſupplicant & ſacrificant, diſparibus
altitudinibus ad ſui cujuſque Dei deco- B
rem componerentur. Altitudines autem
eorum ſic ſunt explicandæ, ut Jovi omni-
buſque cœleſtibus quam excelſiſſima con-
ſtituantur. Veſtæ, Terræ, Marique hu-
miles collocentur: ita idoneæ his inſtitu-
tionibus explicabuntur in mediis ædibus a-
rarum deformationes. Vitruvius lib. IV.
cap. VIII.

CAP. IV. C

I. *Materia Aræ & figura*. II. *Ara cineri-
cia*. III. *Ara lignea, lapidea*. IV. *Ara
latericia* V. *Ara ſolubilis & portatilis*.

I. *Materia Aræ & figuræ.* PRIUSQUAM ſtylum noſtrum e figura A-
ræ ad materiam transferamus: operæ
pretium erit, Jovis Olympici Aram,
cujuſmodi a Pauſania deſcribitur, hic ap-
ponere: neque enim ſola figuræ, ſed et-
iam materiæ ratio habebitur. Ita igitur ille
in *Eliacis*: τῦ βωμῦ δὲ τῦ ἐν ὀλυμπίᾳ κρηπῖ-
δος μὲν τῆς πρώτης προθύσεως καλυμένης: πό-
δες πέντε καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατόν ἐςι περίοδος. τῦ δὲ D
ἐπὶ τῇ προθύσει περίμετρος ἑκάςυ πόδες δυὸ καὶ
τριάκοντα; τὸ δὲ ὕψος τῦ βωμῦ τὸ σύμπαν ἐς
δυὸ καὶ εἴκοσιν ἀνήκει πόδας αὐτὰ μὲν δὴ τὰ ἱερ-
εῖα ἐν μέρει τῷ κάτω τῇ προθύσει κατέςηκεν αὐ-
τοῖς, θύειν τὲς μηρούς δὲ ἀναφέροντες τῦ βωμῦ
τὸ ὑψελότατον καθαγίζυσιν ἐνταῦτα ἀναβαθμὸς
δὲ ἐς μὲν τὴν προθυσίαν ἄγυσιν ἐξ ἑκατέρας τῆς
πλευρᾶς λίθυ πεποιημένος τὸ δὲ ἀπὸ τῆς προθύ-
σεως ἐς τὸ ἄνω τῦ βωμῦ, τέφρας παρέχεται
Ara Olympica. ἀναβαθμούς, &c. hoc eſt, *Aræ Olympicæ ima
crepido, quam primam quaſi ſacrorum ſtatio-
nem vocant, ambitum peragit pedum centum
& amplius, quinque & viginti graduum ſingu-* E
*lorum ſupra iſtam crepidinem ambitus, pedes
explebit binos ac tricenos. Univerſæ Aræ alti-
tudo pedes conficit duos prope & viginti. Du-
cuntur hoſtiæ ad imæ crepidinis ſtationem: ibi
eas mactant, femora in ſumma ara adolent:
& ad ſtationem quidem ab utroque latere per
lapideos, ad aræ altiſſimam ſedem per cineri-
cios gradus ſcanditur.* Hic præter aræ Olym-
picæ figuram ac dimenſionem, materia ipſa
videtur ſatis denotari; quam nimirum ante
jam præmiſerat his verbis: πεποίηται δὲ ἱε-
ρείων τῶν θυομένων τῷ Διὶ ἀπὸ τῆς τέφρας τῶν
μηρῶν, id eſt, *congeſta eſt ara ex cinere colle-* F
cto ex aduſtis victimarum femoribus. Fuit igi-
tur Aræ materia multiplex, quæ ut diverſa
fuit, ita diſtinctis capitibus a nobis diſtri-
buetur. Et quia primum de Cinericia verba
fecimus, placet ab ea habere exordium.

II. *Ara cinericia.* Cinericiam fuiſſe Jovis Olympici aram li-
quet ſatis ex ſuperiori Pauſaniæ textu: &
clarius fiet in ſequentibus. Dicit enim Pau-
ſanias in Eliacis ſtato die quotannis Fe-
bruarii menſis nono ſupra decimum die,
Aruſpices cinerem ex prytaneo deportare,
eoque aqua ex Alpheo amne diluto, A-
ram Jovis illinere: θύεται δὲ τῷ Διὶ καὶ ἄνευ τ
πανηγύρεως ὑπό τε ἰδιωτῶν καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέ-
ραν ὑπὸ Ηλείων κατ᾽ ἔθος δὴ ἑκαςὸν φυλάξαντες
οἱ μάντεις τὴν ἐνάτην ἐπὶ δέκα τῦ ἐλαφίυ μη-
νὸς κλιμος κομίζυσιν ἐκ τῦ πρυτανείυ τὴν τέφ-
ραν, φυράσαντες δὲ τῷ ὕδατι τῦ Αλφειῦ κοι-
νῶσιν ὕτω τὸν βωμόν.

Quin etiam religione ſancitum eſt, ut
idem ſubjungit Pauſanias cinerem illum ex
Prytaneo deportatum ſola Alphei amnis a-
qua dilui: atque ex eo tantum luto aræ
tectorium ſuperinduci. Eam ob rem Al-
pheus fluviorum omnium Jovi maxime a-
micus creditus eſt. Eo etiam referenda illa
Ara quæ Didymis (ea Mileſiorum civitas
erat) viſebatur: quam ab Hercule The-
bano luto ſubacto victimarum ſanguine ex-
tructam tradunt.

Fuit præterea celebris Apollinis Ara e
victimarum pariter cineribus congeſta, eo-
dem teſte ſcriptore Pauſania lib. IX. in *Bœo-
ticis* his verbis: ὑπὲρ δὲ τὸν Σωφρονιςῆρα λί-
θον βωμός ἐςιν Απόλλωνος ἐπίκλησιν Σποδίυ
πεποίηται δ᾽ ἀπὸ τῆς τέφρας τῶν ἱερείων: *ſupra* *Ara Apollinis Spodii.*
lapidem Sophroniſtera eſt Apollinis Ara cogno-
*mento Spodii e victimarum cineribus conge-
ſta*. De hac Apollinis Spodii Ara ita habet
Alex. ab Alex. *genial. dier.* lib. VI. c. II.
ſicut Thebis Aram Apollinis Spodii ex ſa-
crificiorum cineribus conſtructam ferunt,
unde cognomen tulit, quam nonnulli in-
ter orbis miracula adnumerant, &c. cujus
etiam meminit Caſſiodorus lib. VII. *Var.*
His locis Aræ cinericiæ tam Jovi quam A-
pollini conſecratæ memorantur, ideo di-
ctæ non quod totæ ex cineribus conſtarent;
ſed quia iis ſaltem aqua dilutis, & velut
in calcem aut cæmentum redactis Aræ uni-
verſa ſuperficies illineretur.

Prætereo, libet enim præterire commu- III.
nia, ligneas extitiſſe Aras, ut & lapideas *Aræ ligneæ & lapideæ.*
vulgo: cujuſmodi Hippodamiæ ara fuit,
unde Olympici ludi ſpectari poterant, de
qua ſic habet idem Pauſauias: ἔςι δὲ ἀπαν-
τικρὺ τῶν ἑλλανοδικῶν βωμὸς λίθυ λευκῦ, id
eſt, *e regione illius ſeſſionis ara eminet e can-
dido lapide*. Aræ etiam de lapidibus dola-
tis & non dolatis memorantur in Sacris,
ut *Exodi* cap. XX. Sed memorabile illud
Baſilicæ Lateranenſis quod adhuc viſitur
altare ligneum, in quo Apoſtolorum Prin-
ceps, & qui eum conſecuti ſunt ad S.
Sylveſtrum Pontifices ſummi ſacra fece-
runt, ſævientibus in veræ Religionis cul-
tores perfidis ac barbaris hominibus. Fuit
illud ad arcæ ſimilitudinem concavum; eo-
que facile a piis viris deferebatur, quo eos
iniquiſſimi carnifices ſacra in cryptis &
cavernis ſecretioribus facturos compellerent.
Reddita tandem per Conſtantinum Ma-
gnum Eccleſiæ pace cautum eſt a S. Syl-
veſtro; ne deinceps altaria niſi ex lapide
ædificarentur, nulluſque in poſterum eo
quo ſummi ad hæc tempora fuerant Pon-
tifices, aliique promiſcue Sacerdotes,
præter ipſum ſummum Pontificem, ute-
retur.

Quin etiam latericiæ Aræ extiterunt, ut IV.
patet ex hoc Pauſaniæ textu lib. VI. βωμὸς *Aræ latericiæ.*
δὲ ὠμῆς πλίνθυ τὰ ἐκτὸς κεκονιμένος ἐπὶ ἑκάςης
ὀλυμπιάδος, ποιεῖται καὶ τὴν πρώραν μάλιςα

πυμέσlω. Id est, *Ara cocto latere extra oblita singulis ludorum conventibus ad modiam maxime proræ partem*.

Fuerunt denique Aræ portatiles, quas
V. *Aræ solubiles.* & solubiles appellabant; quæ nimirum facile, si opus esset, removerentur, dissolverenturque. Tales profecto describuntur ab eodem Pausania libro VI. in *Eliacis* hoc modo: *ποιῦνται δὲ πρὸς αὐτὺς ϗ βωμὺς τῷ Διὶ, ϗ εἰσὶν ἐν τῷ ὑπαίθρῳ τῆς ἀγορᾶς οἱ βωμοὶ πλῆθοι οἱ πολλοί; καταλύονται γὸ ὐχ ἀπλῶς, ἅτε αὐτοχεδίως οἰκοδομύμενοι*. Id est, *Multas circa illas porticus Aras Jovi erigunt, & in aprica fori parte multæ Aræ sunt; removentur autem non magno utique negotio: sunt enim tumultuario opere constructæ*. Ex quo patet etiam antiquitus Aras solubiles sive portatiles fuisse, quæ nimirum expedite ac prompte prout casus aut locus exigeret extruerentur.

CAP. V.

I. *Altaria Judæorum*. II. *Altare incensi*. III. *Altare Holocaustorum*. IV. *Ejus mensura*. V. *Fossa altaris*. VI. *Crepidines*. VII. *Craticula*. VIII. *Arula*.

I. *Altaria Judæorum.* ALTARIA Judæorum, in quibus vero Deo ex Legis præscripto sacrificia offerebantur, nefas esset hic omittere: horum formam ac figuram, materiam, usum, & ornamenta, sacræ nobis paginæ describunt. Fuerunt autem duo, alterum Incensi aureum, quod nimirum sanctius & nobilius fuit, ad cujus dexteram Zachariæ Thymiama adolenti Angelum apparuisse D. Lucas cap. I. testatur. Hujus descriptio extat *Exod.* cap. XXX. hoc modo, ubi Deus ad Moysen: *Facies quoque altare ad*
II. *Altare incensi.* *adolendum Thymiama de lignis Sethim, habens cubitum longitudinis & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent, vestiesque illud, auro purissimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum & cornua, faciesque ei coronam aureolam per gyrum. Et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & altare portetur. Ipsos quoque vectes facies de lignis Sethim & inaurabis. Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii, coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi*, &c. Cum hic aureum legis altare sic intellige, ut laminæ aureæ totum altare convestirent ornarentque: nam tota ejus fabrica lignea erat, de lignis nimirum Sethim. Quanquam & illud ipsum, aut ut alii malunt altare novum eisdem cerimoniis inserviens, vestitum Cedro a Salomone lib. *Reg.* III. cap. VI. deprehendatur. Utrumque enim lignum colore tantum ac nomine diversum est, re autem ipsissimum. Quod autem aureis laminis circumvestitum fuerit ex hoc *Exodi* loco cap. nimirum XXXVII. v. XXVI. satis intelligitur: *Vestivitque illud auro purissimo cum craticula ac parietibus & cornibus*, &c. Per craticulam locum intellige superiorem, ubi adolebatur incensum, quasi focum dicas, cui imponebatur Thymiama, ut mox dicturi sumus. Illud etiam notandum, ad hoc altare Summo Sacerdoti diebus singulis patuisse accessum, ad inferendum incensum juxta il-

A lud *Exod.* XXX. *Et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans mane*, &c. Semel autem duntaxat in anno cum sanguine, ad purificandum altare, ut etiam legere est apud D. Paulum in *Ep. ab Hebræos.* Hinc *Exod.* XXX. præcipitur, non offeretis super eo Thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina, &c. quæ nimirum omnia puriorem altaris usum notionemque respiciunt, hoc est, nisi forte ad hoc altare sacrificia pertinere arbitremur, quæ in æneo altari Holocaustorum solum inchoabantur,
B & perficienda ad altare incensi deferebantur.

Nunc ad secundum altare, quod holocaustorum dicebatur, accedamus: hoc ab *Ezechiele* cap. XLIV. describitur hisce verbis; *Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum: in sinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio ejus usque ad labium ejus, & in circuitu palmus unus, hæc quoque erat fossa altaris. Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti & latitudo cu-* III. *Altare holocaustorum.*
C *biti unius: & a crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum: & ab Ariel usque ad sursum cornua quatuor. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus. Et crepido quatuor decim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus. Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & sinus ejus unius cubiti per circuitum, gradus autem ejus versus occidentem*. Ex his universi altaris mensuras colligere IV. *Ejus mensura.*
D facile est unicuique, cujus hic singulas partes Propheta dimensus est. Ac primum quidem quod ad altaris altitudinem spectat, fuisse illam decem cubitorum certissimum est. Nam cum infimæ crepidini duos tribuerit cubitos, superiori vero quaternos, ipsi autem Arieli quaternos, quis non videat, omnes in unam summam collectos, decem cubitos efficere? Quod spectat ad longitudinem, sic eam colligendam esse arbitror, Ariel longum est cubitos duodenos ex Propheta; Crepido quæ illi substat, longa est cubitos XIV. huic mensuræ ad-
E ditur dimidius utrinque cubitus, quo projicitur corona: atque adeo a termino projecturæ, usque ad alterius projecturæ terminum, sunt cubiti XV. Jam vero ex ejus crepidinis mensuris licet inferioris mensuras colligere, cujus altitudo dimensa est ab Angelo, & a Propheta relata; cubitus quoque unus latitudinis, seu retractionis relatus est ab eisdem. Cubitum hunc unum sic interpretor, ut quoniam utriusque crepidinis est observare perpendiculum, a perpendiculo majoris ad minoris perpendi-
F culum utrinque projiciatur unus cubitus, ita ut crepidinis minoris Ara longa sit cubitos XVI. & a projectura inferiori majoris crepidinis ad projecturam minoris, cubitum etiam unum utrinque computes, & fiet omnis inferioris crepidinis cum projecturis coronarum, cubitorum XVII. quibus si addas singulos utrinque cubitos, quos lata est fossa altaris, fient novemdecim, addito dimidio utrinque cubito, quem initio definitioni, fossæ vel peribolo tribuit,

A fient omnes longitudinis altaris in universum cubiti viginti, cumque Altare sit quadratum, totidem latitudinis cubitos altare illud Holocaustorum habere computabitur. Hanc ipsam mensuram sacræ paginæ disertis verbis tradunt, II. nimirum *Paralip.* V. I. his verbis; *Fecit quoque* (Salomon) *altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis*. Hic autem Propheta Salomonicum Altare describit, non Mosaicum, quod quinque tantum cubitos altitudinis, decem vero longitudinis ac latitudinis ex doctissimorum virorum sententia habuit, adeo ut inter utrumque altare, duplex proportio servanda sit.

B En tibi duo illa Judæorum altaria, quorum alterum incensi, holocaustorum alterum vocabatur, utrumque certe ligneum quod ad fabricam altaris, sed prius aureis laminis quasi asseribus circumvestitum fuisse, alterum vero æreum, id est, laminis æreis intentum, notissimum est. Nunc singulas partes, easque difficiliores explicemus: ab infima parte initium erit, in qua primum nobis occurrit Fossa Altaris. E-

V. *Fossa Altaris quid?*

C rat illa semi-cylindri excavati forma, neque enim angulos habebat in parte inferiori, sed semi-circulo definiebatur, ne sanguis opinor victimarum hæreret in angulis. Hujus Fossæ usum & modum quo fusus in ea sanguis expurgabatur, disertis verbis exposuit Aristæas: *Sunt*, inquit, *& apud Aræ basim frequentes aperturæ, omnibus quidem nisi his qui ministrant incognitæ, quarum influxu & impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgatur*. Sic ille *hist. r.* LXX. *Interpr.*

VI. *Crepidines.*

D Fossam altaris excipiunt Crepidines duæ, quarum una inferior & novissima, superior altera. Est autem crepido fulcrum & podium cui innititur ædificium, & quod sustinet ejus pondus: a discrepando, ut volunt, dicta, significatque ædificii partem extantem ubi discrepat regula, gradum scilicet extrorsum procurrentem, latioremque quam sit ædificii latitudo, cujusmodi erat altaris fulcrum. Per Ariel ipsum altaris corpus basi duplici superpositum, intellige.

Ariel.

VII. *Craticulæ.*

E Huic autem holocaustorum Altari necessaria fuit Craticula, in plano summo altaris & in orbem ducta, ut per ejus foramina caderent cineres & scintillæ. Nam cum altaris hujusmodi proprium ac primum veluti munus fuerit; ignem de cœlo elapsum, perpetuum sustinere, tum quia igni impedimento sint cineres exusti, tum vero quod maxime accenditur ignis ab aere subtus efflato incitatus. Ideo craticula opus fuit, a qua impositus ignis & ligna sustinerentur, cineres excernerentur, & quæ aerem ignem excitantem foraminibus perterebrata semper admitteret. Est autem Craticula, ut jam dictum est, locus superior, ubi adoletur incensum. ubi focus est cui superimponebatur Thymiama. Hanc sic describit Josephus lib. III *Antiq. Judaic.* cap. VII. his verbis: *Sed & pro foribus tabernaculi erat alia ara, hæc quoque lignea, laminis æreis intecta, in quadrum quinque cubita patens, altitudine trium cubitorum, inaurata*. hoc est, auri fulgorem referentia, ut idem alibi expressit VIII. nimirum lib. cap. II. *Cratem*

F *pro foculo superpositum habens*. Est autem foculus vas quoddam in quo ignis continetur. Fuit hæc Craticula in conchæ aut retis modum ex ære fusa, crebris foraminibus aperta, & circularis, usque ad altaris medium depressa. Sic *Exod.* XXVII. v. IV. legimus præceptum a Deo his verbis ad Moysen; *Craticulam in modum retis æneam facies: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli aurei, quos pones subter arulam altaris, eritque Craticula usque ad altaris medium*: a cujus loci sensu videtur paulo aberrare, si Villopando credimus, Beda venerabilis lib. II. *de tabernac.* cap. XII. *Altare*, inquit, *totum cavum fieri præceptum est, sed in medio sui habens craticulam per totum in modum retis distinctam, in qua victimarum carnes comburendæ imponerentur, & subter eam, arulam, in qua compositis lignis arderet ignis, semper ad devoranda superposita holocausta paratus. Erat enim contra arulam, ostium in pariete altaris Orientali, unde vel ligna ad alendum ignem immitti, vel carbones & cineres possent egeri*, &c. Hæc, inquam, Bedæ opinio a contextu Scripturæ non adeo discedit, & cum Josephi testimonio minime pugnat. Non enim adeo liquet ex Scriptura id quod arulæ nomine significatur, supra craticulam extitisse, sed id duntaxat præcipi, uti annuli tantum subter arulam ponerentur, quod non ita difficulter fieri poterat, fusis nimirum & demissis in altaris concavum per retiaculi summitates illis annulis, qui deinde supponi arulæ facile poterant, ut habetur *Exod.* c. XXXVIII. *Subter eam in medio altaris arulam, fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates*. Imo vero Josephi locus cum hac Bedæ interpretatione optime convenit. Ita ille loco prius laudato: *inter hoc & mensam sita erat arula suffumigatoria, & ipsa e ligno imputribili, sed solida lamina circumquaque contecta, cubitali in quadrum latitudine, altitudine vero dupla, super qua stabat foculus corona aurea circumquaque cinctus, cui annuli inerant cum suis vectibus, quo per viam a Sacerdotibus portari posset*. Ex his patet, quam fœde illi erraverint, qui craticulam & arulam pro uno eodemque videntur usurpare; quasi vero arula dicatur superior craticulæ pars. nec desunt qui circulum illum existiment, hac voce significari, qui circulus os est craticulæ sive conchæ illius perforatæ: & quod mirum est, hic idem circulus a Beato Hieronymo, ut ab altaris nomine distingueretur, arula dictus est, quasi pars aræ. Putant etiam nonnulli Chaldæis, omne quod circuit quidpiam in gyrum, vocari arulam. Crediderim ego nec illibenter, Arulam (quæ vox tot ingenia torsit) fuisse arculam suffumigatoriam, prout videtur Josephus designare, quæ plena prunis ardentibus, ad superposita devoranda idoneis, in altaris concavum medium craticulæ subjiceretur & denique aureis annulis connecteretur: Similes nimirum huic illæ sunt, quarum passim usus est in sacris & privatis ædibus, ad expellendum frigus hyemali tempore. Atque ea conjectura mea, uno & altero Scripturæ loco confirmari facile potest. Nam *Jerem.* cap. XXXVI. vers. XXII. sic habetur: *Rex autem sedebat in domo hyemali in mense nono, & posita erat arula coram eo, plena prunis* & vers. XXIII. *Cumque legisset Judi*

VIII. *Arulæ notio.*

tres

tres pagellas vel quatuor ſcidit illud (volumen) *ſcalpello ſcribæ, & projecit in ignem qui erat ſuper arulam, donec conſumeretur omne volumen igni, qui erat in arula.* Joſephus θυμιατήριον vocat, Eraſmus *thuribulum* vertit. Quid ſi apud Joſephum in vulgari interpretatione, lapſu unius literulæ, *Arcu-Anlam ſuffumigatoriam* legendum eſſe dixerimus? Fuit enim ejuſmodi arula, inſtar cujuſdam arculæ compoſita lignea, ſed æneis laminis tota undique veſtita. Sed de his ſatis. Placet cum Urbano IV. ſummo Pontif. hanc ſectionem concludere: *Hæc eſt Ara*, inquit, *templi ſancti tui quod ſum ego, juxta quam ſtat Angelus ad cuſtodiam deputatus, habens thuribulum aureum in manu ſua: ut cum incenſo multo, orationes coram te Domine, fuſas cum lacrymis repræſentet, hoc eſt altare concavum & inane a cunctis ſcilicet terrenis affectibus evacuatum, quod fieri mandaviſti ad reponendum cineres memoriæ mortis noſtræ.*

CAP. VI.

I. *Ara cornea.* II. *Ubinam fuerit ea Ara?* III. *Quis author?* IV. *Ara ceſpititia, ſive graminea.*

I. *Ara cornea.* OMNIUM certe clariſſima fuit ea Ara quam Græci κεράτινον βωμὸν, Latini *corneam Aram* appellant, ſingulari ut ferunt artificio compoſitam: de qua nunc nobis eſt agendum. Ac ea quidem Ara, ut inſignem fuiſſe intelligas & mirabilem, omnium decantata vocibus, omnium ſcriptis celebrata ſeptem inter orbis miracula ſemper fuit annumerata, ut teſtatur Martialis in amphitheatro Domitiani Epigrammate primo:

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis, &c.
Diſſimuletque Deum cornibus Ara frequens.

Hanc Cydippe ad Acontium, ut refert Ovidius in *Heroicis*, miratur hoc verſu:

Miror & innumeris ſtructam de cornibus Aram,
Et de qua pariens arbore nixa Dea eſt.

II. *Ubi ara cornea?* Verum ubinam gentium fuerit illa Ara cornea, inter eruditos controverſia eſt. Nam Euſtathius ad *Iliados* θ. eam Epheſi poſuit his verbis: ᾄδεται νῦν καὶ παριανὸς βωμὸς ἐπὶ μεγέθει, καὶ Ἐφέσιος δὲ κεράτινος. *An Epheſi?*

An in Libya? Contra Domitius ad citatum nuper Epigrammatiſtæ locum, in Libya apud Hammonis templum fuiſſe corneam Aram contendit, ſed quam abſurde erraverit Domitius facile eſt deprehendere. Nam cum citato Martialis epigrammate magnificentiſſima orbis terrarum memorentur ædificia, quæque ob eximiam elegantemque ſtructuram inter miracula recenſeantur, ut ex omnium comparatione Domitiani Imperatoris amphitheatrum creſcat majus & excellentius; ridiculum ſane eſſet & tam erudito Poeta indignum de templo Hammonis Jovis loqui, quod pauperrimum fuiſſe conſtet, vel uno teſte Lucano his verſibus ex libro IX. deſumptis, ubi de Catonis exercitu:

Ventum erat ad Templum Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent. Stat corniger illic
Juppiter, ut memorant, ſed non aut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.
Non illic Libycæ poſuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois ſplendent donaria gemmis.
Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus ſit Juppiter Ammon.
Pauper adhuc Deus eſt, nullus violata per ævum
Divitiis delubra tenens, morumque priorum
Numen, Romano templum defendit ab auro.

Deceptus, opinor, Domitius Jovis Epitheto cum a Poeta *Corniger* & *tortis cornibus Ammon* appellatur. Hanc vero Aram tam celebrem non omiſiſſet Lucanus, ſed eam eleganti deſcriptione nobis expreſſiſſet, qui de ea ne verbum quidem. Ideo autem Jupiter *corniger* appellatur, quia in arietina forma, vel umbilico ſaltem tenus, Arieti ſimilis viſebatur. hæc vero cauſa, quia in Libya, eodemque loco ubi templum eſt, Libero patri exercitum ducenti, fatigato & Jovis patris imploranti auxilium, ſtatim viſo ariete fons exiluit arenis. De Jove ſic efficto audiendus Qu. Curtius lib. IV. *Id quod pro Deo colitur*, inquit, *non eandem effigiem habet quam vulgo Diis artifices accommodaverunt, umbilico tenus arieti ſimilis eſt, habitus ſmaragdo & gemmis coagmentatus*, &c. Ex his patet quam turpiter erraverit Domitius. *Domitii error.* *Jupiter corniger.*

Cæteri fere authores omnes, Aram corneam in Delo extitiſſe fatentur: ac inprimis Plutarchus lib. I. de Animalium ſolertia ſe & vidiſſe, & ob admirabilem ac ſingularem tantæ rei ſtructuram miratum fuiſſe ait his verbis: τὸν κεράτινον βωμὸν εἶδον ἐν τοῖς ἕπτα καλυμένοις θαύμασιν ὑμνούμενον: ὅτι μήτε κόλλης δεόμενος, μήτε τινὸς ἄλλου δεσμοῦ διὰ μόνων τῶν δεξιῶν συμπέπηγε καὶ συνήρμοσθαι κεράτων. Id eſt, *Aram ceratinam, ſive cornutam vidi inter ſeptem mundi miracula celebratam; quod neque glutine ullo, neque aliis vinculis cohærens e ſolis dextris cornibus compacta eſt & coagmentata.* Idem habet Alexander ab Alexandro lib. VI. cap. II. *Cujus Aræ*, inquit, *mirum & monſtrificum, ut ex dextris cornibus animalium mira arte compactis erecta fuerit.* Idem Plutarchus in *Theſeo* eam ipſam Aram ſcribit, non quidem e dextris quemadmodum ſuperiori loco teſtatus fuerat, ſed ex ſiniſtris tantum cornibus compactam. *Ara cornea in Delo.*

Supereſt ut authorem tam celebris aræ inveſtigemus. Callimachus in *hymno Apollinis* Aram corneam eleganti fabella illuſtrat, cum a quo & qua occaſione excitata fuerit, præclaris verſibus exequitur. Fingit enim ille Apollinem adhuc puellulum ex cornibus Cynthiarum caprearum, quas Diana ſoror inter venandum occiderat, III. *Apollo corneam aram extruxit.*

eam Aram composuisse: hujus ea sunt verba:

Τετραέτηρ τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε, &c.
——— ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δ' πέριξ ὑπερβάλλετο τοίχους.

hoc est,

Quadrimus prima fundamenta Phœbus jecit.
Ipse vero connexuit Apollo.
Extruxit quidem cornibus fundamenta. compegit autem Aram
Ex cornibus, corneos vero circumduxit parietes.

Cæterum ejusdem Aræ meminit Diogenes Laertius in *Pythagora*. De ea etiam vide Ang. Politianum in *Miscellaneis* capite LII. nunc ad Cespititiam Aram nobis est accedendum.

IV. *Ara cespititia.* Celebris apud Veteres & frequens ea Aræ species, quam illi utpote rustici ac pauperes e Cespitibus Diis suis componebant: unde & hanc modo Cespititiam modo gramineam ex ea qua constabat materia appellabant. Hujus Religionis apud Romanos initium Ovidius lib. *Fast.* I. prosequitur his versibus:

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat & puri lucida mica salis.
Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono, &c.

Frugi religio, inquit vir gravissimus Tertullianus in *Apolog.* cum Ethnicorum sacra sugillat, *& pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipse nusquam*: *Ara temeraria.* hæc altaria quæ hic *temeraria* vocat Tertullianus βωμοὺς αὐτοσχεδίους præter Pausaniam dixit Jamblichus: alii legunt apud Tertullianum, *temporaria altaria*, quæ nimirum fierent ex tempore. His autem Aris quæ struebantur e cespite, passim herbæ imponebantur, ut author est Georgius Fabritius ad Prudentium in *hymno S. Romani*:

Ostende quæso quas ad aras præcipis
Vervece cæso fumet ut cespes meus.

Quo etiam pertinet alter ejusdem Poetæ locus in *hymno S. Laurentii*:

Aut Ara thure & cespite
Precanda jam nunc est tibi,
Aut mors luenda est sanguine.

Julius Capitolinus ejusmodi etiam Aræ meminit, quam Cespititiam appellamus: *Hecatombe autem*, inquit in *Maximo & Balbino* cap. XI. *tale sacrificium est: centum Aræ uno in loco cespititiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur.* Cespititiam puto Aram intelligi cum in sacris paginis *Exodi* nimirum cap. XX. ita præcipit Deus, *Altare de terra facietis mihi*. Cespitibus autem inserebantur ligna aut arborum rami, ut his quasi quibusdam vinculis aptius aræ cohærerent. Id docet Statius lib. VIII. *Thebaidos* his versibus:

——— *geminas ergo ilicet Aras*
Arboribus vivis & multo cespite texi
Imperat, innumerosque Deæ sua munera flores,
Et cumulos frugum, & quicquid novat integer annus,
Addit, &c.

Imitatus scilicet principem Poetam qui lib. *Æneid.* VI. in funere Miseni aram lignorum & cespitum strue erectam fuisse docet his verbis:

——— *Aramque sepulchri*
Congerere arboribus cœloque educere certant.

Præclare Lucanus lib. IX. Cæsarem introducit Hectoreis Manibus Aram in Phrygia cespititiam erigentem. Nam quæ tanto quondam Heroi fuerant excitata monumenta, jacebant diruta ac disturbata. Ita ille:

——— *Phryx incola manes*
Hectoreos calcare vetat, disjecta jacebant
Saxa, nec ullius faciem servantia sacri,
Herceas monstrator ait non respicis aras?

Et paulo post:

Ut Ducis implevit visus veneranda vetustas
Erexit subitas congestu cespitis aras,
Votaque thuricremos non irrita fudit in ignes.

Subitas appellavit, quod hæ aræ temere fiebant, prout res scilicet & casus postularent, & plerumque, ut jam monuimus, ex tempore nata occasione: hinc eas Tertullianus *temerarias* ac *temporarias* appellavit. *Ara subitæ ac temporaria.*

De Ara Cespititia intelligendus etiam Horatii locus lib. I. *Carminum* Ode XIX.

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite.

Et lib. III. Od. VIII.

—— *Positusque carbo in*
Cespite vivo.

Quo etiam pertinet illud Ovidii lib. IV. *Metamorph.* de Perseo:

Diis tribus ille focos, totidem de cespite ponit.

Meminit & Aræ cespititiæ Ausonius in *Ephemer.* his versibus:

Nec thus cremandum postulo
Nec liba crusti mellei
Foculumque vivi cespitis
Vanis relinquo altaribus.

Virgilius Aras illas lib. XII. *Æneidos gramineas* appellavit, ut jam præmonuimus, his versibus: *Ara graminea.*

Ergo instaurantur Divis communibus Aræ
Gramineæ.
In medioque focos & Diis communibus Aras
Gramineas.

Quem locum interpretatus vir doctissimus, & Galliæ lumen Adrianus Turnebus existimat, *Deos communes dici, quorum simulacra in gramineis aris erant posituri qui fœdus inibant, ut eorum scilicet interventu & religione sanciretur fœdus.* Ita ille in *Adversariis*. *Dii communes qui?* non prætermittam silentio eximium Lactantii locum; quo ille, ut solet omnia quæ Paganorum sunt, carpit acute & argute sacrificia & aras in quibus peragebantur. Hujus ea verba sunt lib. VI. *de vero cultu* cap. XXIV. *Deus*, inquit, *non desiderat victimam muti animalis, neque mortis ac sanguinis; sed hominis & vitæ: ad quod sacrificium, neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespiti-*

bus, quæ ſunt utique vaniſſima, ſed iis quæ de intimo corde proferuntur. Itaque in Aram Dei quæ vere maxima eſt; & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non poteſt ſanguine; juſtitia imponitur, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia. Cum tam eloquenti viro Paganorum Aras corneas, ceſpititias, gramineas, & quæ in iis nefaria ac impia fiebant ſacrificia ride.

CAP. VII.

I. *Quis primus Aras erexit?* II. *Aræ centum.* III. *Diverſæ Jovis Aræ.* IV. *Diverſæ Deorum ac Dearum Aræ.* V. *Religio Christiana Deorum Aras evertit.*

Ethnicorum dementia.

NUNC de diverſis Deorum ac Dearum Aris nobis eſt agendum: quas omnes ſi referre inſtituerimus, rem omnino difficilem ſuſceperimus & gravem: in tanta præſertim Deorum ac Dearum multitudine, quibus ſuas ſeorſim Aras non extruere, tam nefarium cenſebatur apud Veteres illos, ut etiam ignotis ſibi Diis extruerent, ne errarent. Nulla ergo hominum gens perſuaſum ſibi habuit eſſe aliquos Deos, nulla ſibi ſuo arbitratu finxit, quos non coluerit, quibus non ſacrificia, aras, ac templa religioſe conſecrarit: quæ certiſſima Religionis ſigna ſi minime reperirentur, argumento erat apud eas gentes, omnem prorſus de Diis opinionem, ex incolarum pectoribus eſſe deletam. Hinc præclare Origenes lib. VII. *contra Celſum* Perſas ait ideo ab aris extruendis abſtinuiſſe; non quod Deos nullos eſſe ea gens exiſtimaret (quæ enim gens adeo barbara & inculta id credat?) ſed quia humana ſpecie exhibendos ac depingendos eſſe Deos negaret. Ubi ſingularis eruditionis vir Herodoti teſtimonio utitur his verbis: *De Perſis narrat Herodotus: ſtatuas, aras, templa, nec ipſi dedicant, & alios pro fatuis habent, qui hoc faciunt: ut equidem reor, quia Deos non credunt eſſe humana ſpecie, quæ Græcorum eſt opinio.*

Perſæ aras non habuerunt.

I. *Quis primus aras erexit?*

Quis autem primus aras ſtruxerit, & unde ille manavit ritus, haud ita facile diſpectu eſt. Certe a Græcis (quos omni hominum ævo religioſos fuiſſe conſtat) ad Latinos manaſſe illum morem, ut & alia etiam præclara humanæ vitæ inſtituta ornamentaque, plurimorum opinio eſt. Nemo enim dubitaverit eam gentem ut ſcientiis ac diſciplinis, ita Religione ac Deorum cultu, longe cæteris nationibus præluxiſſe: ac in primis Cælius Rodiginus lib. XVI. *variarum lectionum* rem illam diligenter ſuo more inveſtigat, aitque Ægyptios primos Religionis antiſtites extitiſſe, atque ab illis Græcos fuiſſe edoctos, ſic ille: *traditum porro,* XII. *Deorum rationem ab Ægyptiorum ſcientia Græcos derivaſſe ad ſe. Primos item excitaſſe aras, conflaſſe ſimulacra, ac templa conſtruxiſſe.* Idem habet Herodotus in *Euterpe*.

Ægyptii aras primi poſuerunt.

Herculis apud Græcos.

Jovis vero aram, quam ſupra ex Pauſania lib. V. in *Eliacis* deſcripſimus, quis erexerit primum, dubium eſt. Quidam enim poſitam tradunt ab Idæo Hercule, alii contra ab indigenis Heroibus, duabus fere ætatibus poſt Herculis tempora. Eſt & Didymis apud Mileſios ara, quam Thebanus Hercules extruxiſſe memoratur, ut ait Pauſanias. Primus autem Latinorum Janus, ut teſtatur Fabius Pictor ex Pimpontii ad Virgilium ſententia, Aram poſuit, quem deinde Hercules eſt inſequutus, ut mox dicturi ſumus cum de Ara maxima quæſtio erit.

Janus apud Latinos.

Tanta vero fuit Veterum erga Deos religio, ut non eos tantum una ſeorſim ara colerent, ſed quia ſine modo erat, aras etiam præter omnem modum ſtatuerunt. Ecce tibi apud Virgilium lib. *Æneid.* IV. centum Jovi Hammoni Aræ in Libya:

Hic Hammone ſatus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum latis immania regnis
Centum Aras poſuit.

II. *Aræ centum.*

Ubi ſuſpicari quis jure poſſit, inquit Pimpontius, *per centum Aras βωμοὺς ἑκατονταϰρήπιδας deſignari:* quarum meminit Julianus Apoſtata *ad Serapionem* epiſtola elegantiſſima: ϰαὶ σιωπῶ θεῶν ἑϰατόμβας, ϰαὶ ναοὺς ἑϰατονπέδους, ϰαὶ βωμοὺς ἑϰατονταϰρήπιδας, &c. Quanquam vulgo centenarius numerus apud antiquos myſticus viſus ſemper, pro indefinito fere ſoleat accipi: quo ſenſu Seneca Phaſim amnem centum pontibus junctum, Cretam nobilem centum urbibus eſſe dixit. Virgilius lib. I. *Æneid.* Veneris templum centum aris celebratum eſſe ait his verſibus:

Ipſa Paphum ſublimis abit ſedeſque reviſit
Læta ſuas, ubi templum illi centumque Sabæo
Thure calent Aræ, ſertiſque recentibus halant.

Idem prope habet Ovidius lib. VI. *Faſtorum* in perſona Junonis:

Dicta fides ſequitur, centum celebramur in Aris.

Quos imitatus Papinius in *Genethliaco Lucani* ſic habet:

Centum Theſpiacis odora lucis
Stent altaria, &c.

Jovis autem Aræ, ut is diverſis nominibus ſignabatur, ita diverſis titulis & appellationibus erigebantur, ut Olympii, Arei ſive Martii, Hercei: cujuſmodi illa fuit, de qua Lucanus lib. IX.

III. *Aræ Jovis Olympii, Martii, Hercei.*

Herceas monſtrator ait non reſpicis Aras?

Quamque eleganter Virgilius lib. *Æneid.* II. his verſibus deſcripſit:

Ædibus in mediis nudoque ſub ætheris axe
Ingens Ara fuit, juxtaque veterrima laurus
Incumbens Aræ, atque umbra complexa penates.

Ubi notandus eſt Græcorum mos, in mediis ſcilicet ædibus in impluvio ſub dio ut ſcribit Athenæus: Ομηρος δ' ἀεὶ τάττει τὴν αὐλὴν ἐπὶ τῶν ὑπαίθρων τόπων, ἔνθα ἦν ὁ τοῦ Ερϰείου Ζηνὸς Βωμός. Id eſt, *Homerus vero ſemper conſtituit aulam in locis ſubdialibus, ubi erat Hercei Jovis Ara.*

Fuit etiam Ara Jovis Servatoris, cujus meminit Tacitus *Hiſt.* lib. III. *Potiente*, inquit, *rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum ſacellum Jovi conſervatori aramque poſuit, caſuſque ſuos in marmore expreſſit, ſeque in ſinu Dei.*

Servatoris.

Ceraunii. Fuit & Ceraunii Jovis Ara, quam positam refert Pausanias cum Oenomai domus de cœlo tacta conflagravit.

Piacularis. Fori. Terrestris. Forensis. Feretrii. Statoris. Altissimi. Catharsii, id est, piacularis Jovis Ara, Catebatæ quem Elicium vocant. Terrestris, Forensis, Feretrii, Statoris, Altissimi: aliisque sexcentis nominibus Aræ Jovi consecratæ fuere. ac ne quid mentiar, tercentum Joves habuisse Veteres uno teste Virgilio *Æneid.* IV. constat hoc hemistichio,

Tercentum tonat ore Deos.

Pistoris. Id est, Joves. Quæ ista religionum derisio est? quis non rideat Jovem Pistorem creditum & cultum? Jovi enim, Gallis de invadenda urbe cogitantibus, Ara est apposita tanquam Pistori, quod Romanos in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod haberent, panem facerent: eoque facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos. hæc Lactantius lib. I. cap. XXI.

IV. *Diversæ Deorum ac Dearum Aræ. Ara Vestæ, Jovis Olympii, Mercurii, Minervæ, Dianæ, Herculis Astitis, Apollinis & Mercurii, Concordiæ, Minervæ, & Matris Deum, Mercurii Athletici, opportuni, Curetum, Alcmenæ, Telluris, Themidis, Liberi patris, Gratiarum, Musarum, Veneris, Horarum, Forensis Dianæ, Apollinis, Parcarum, Neptuni Equestris, Minervæ, bonæ Fortunæ, Panos, Veneris, ventorum, mensium.*

Nunc ad diversas Deorum & Dearum aras. Pausanias diu circa Aram maximam immoratus, alias item Aras strictim prosequitur, simulque docet, quibus Diis, & quo ordine more majorum illic sacra facerent. *Vestæ primum*, inquit, *divinam rem peragunt: Secundo loco ipsi Olympio Jovi (intimæ sunt fani Aræ) tum ad eandem Aram tertium in sacris locum habet Mercurius: Quartum ad Aram suam Minerva. Dianæ Quintum, Sextum Ergane. Deinde Alpheo & Dianæ, tum Vulcano, Herculi Parastatæ quasi Astiti dicas. Est & Apollinis & Mercurii communis Ara, ob eam præcipue causam quod lyræ inventum Mercurio, Cytharæ Apollini Græci attribuant. Inde Concordiæ, Minervæ & Matris Deum Aræ, nec longe Mercurii Enagonii, id est, Athletici & opportuni, Græci* Καιρὸν *vocant, Aræ duæ. Curetum sive Alcmenæ Herculis matris Ara. Item Telluris, Gæan vocant, Ara, ut & Themidis. Liberi etiam patris & Gratiarum communis Ara: Musis etiam & Nymphis Aræ positæ sunt. Est & Veneris & Horarum, Forensis Dianæ, Pythii Apollinis: nec non Parcarum Duci, id est, Jovi cum hac inscriptione MOERAGETÆ, imo & Parcis ipsis oblonga Ara. Equestris Neptuni, Equestris Minervæ, bonæ Fortunæ, Panos & Veneris.* Hæc ex Pausania lib. VI. in *Eliacis* decerpsimus. Quid si etiam ventis Aras in Thyia structas ex Herodoto dixerimus? *Statuta*, inquit, *ventis Ara, ubi Fanum Thyiæ Cephisi filiæ, a qua & locus hic habet nomen, hostias illi immolavere: propter quod oraculum etiamque nunc Delphi ventos propitiant.* Imo etiam XII. mensibus totidem Aræ authore Varrone sunt erectæ, Varro lib. V. *rerum hum.* Macrob. lib. I. *Saturn.* cap. V. Alexander ab Alexand. lib. I. cap. XIV.

V. *Religio Christiana aras Ethnicorum evertit.*

In quibus sane est quod miremur vanam illam ineptamque Deorum multitudinem, ac Veterum superstitionem tandiu orbi terrarum incubuisse: & tam male cohærentibus ineptissimorum numinum quasi annulorum catenulis hominum mentes illigasse. Quæ nimirum tenebræ non nisi orta Christianæ pietatis luce clarissima potuerunt evanescere, ruentibus passim Deorum templis, arisque impurissimis collabentibus, & vana illa ac profana religione, quam verius superstitionem appellaveris, fatiscente. Nam primo quoque tanti splendoris exortu, eo ipso, ut credibile est, quo Christus in lucem prodiit die, Pythius Apollo relicta impietatis sede obmutuit, tacuerunt oracula, desolatæ aræ squaluerunt, & in suas se tenebras æmulatores ac simiæ divinitatis Dæmones conjecerunt, quemadmodum alibi dicturi sumus.

CAP. VIII.

I. *Ara Plutonis & Proserpinæ.* II. *Ara Tarentina.* III. *Aræ Nocturnæ.* IV. *Ara Parcarum & mortis.* V. *Ara Eumenidum.* VI. *Ethnicorum cæcitas.*

QUEMADMODUM superis Diis imo etiam Heroibus Aras (quod ex superiori capite manifestum est) ita etiam inferis suas Aras Veteres extruxerunt, in effossa nimirum terra, ut jam prædiximus.

I. *Ara Plutonis, & Proserpinæ.* Nota vero est in primis Plutonis & Proserpinæ Ara, quam a P. Valerio Poplicola olim in campo Martio ferunt inter fodiendum fuisse inventam: cujus rei author est in primis Zosimus libro, ni fallor, II. his verbis: *βουλομένου δὲ τοῦ* Οὐαλερίου *βωμὸν αὐτόθι καθιδρῦσαι, καὶ τῶν λιθοξόων ὀρυττόντων ἐπὶ τοῦτο τὸν τόπον, βωμὸς εὑρέθη πεποιημένος, ἐν ᾧ γράμματα ἦν*, ΑΔΟΥ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗΣ. *τότε τοίνυν σαφέστερον διδαχθεὶς τὸ πρακτέον, τούτῳ τῷ βωμῷ τὰ μέλανα προσῆγεν ἱερεῖα, καὶ τὰς παννυχίδας ἐν αὐτῷ διετέλει ποιῶν. οὗτος δὲ ὁ βωμὸς, καὶ ἡ τῆς ἱερουργίας κατάστασις ἀρχὴν ἔλαβεν ἐξ αἰτίας τοιᾶς.* Hoc est, *Cum autem Valerius Aram ibi* (in campo Martio) *construere vellet, eaque de causa locum lapicidæ foderent, reperta est ara jam facta, in qua erant hæ literæ*, DITIS PATRIS & PROSERPINÆ. *Itaque tum clarius quid agendum esset edoctus, ad eam Aram nigras hostias obtulit, & nocturnos ibidem ludos fecit. Hæc autem ara & immolationis ritus, tali quadam ex causa principium habuit*, &c. Huic autem Aræ Romani orto in Albanos bello sub terra ut imperatum fuerat sacrificarunt. Nec vero illud omittendum est, hac sic reperta & sacro nocturnisque ludis rite peractis, Valerium appellatum fuisse Manium (nam Deos Inferos Manes vocant) & Tarentinum etiam, ob rem illam sacram ad Tarentum primum factam. Ara insuper etiam illa dicta est Tarentina. Hujus meminit Statius lib. I. *sylva* IV. his versibus: II. *Tarentina Ara unde sic dicta.*

Nec tantum induerint fatis nova sæcula crimen,
Aut instaurati peccaverit Ara Tarenti.

Cave putes Tarentinam a Tarento nobilissimo Italiæ oppido dictam: *Tarentum enim locus est denominatus*, inquit Alexander ab Alex. lib. V. cap. XXVI. *quod ibi Tiberis ripas tereret, qui Rumon quasi ripas ruminans & exedens dictus, & Serra ad quam rarus erat accessus hominum.* Hinc apud Festum Scaligeri, Terentum in campo Martio locum ait per *d* dicendum fuisse Verrius, quod terendus sit secularibus Ditis Patris ludis, & teratur ab equis quadrijugis. Hæc quam ridicule a Verrio proferantur, viderint Etymologistæ. Sequentibus inde tem-

poribus, gravi pestilentia in urbe orta, primo post exactos Reges (ut ferunt) anno, Valerius Publicola, cæso apud hanc Aram Diti patri ac Proserpinæ bove nigro, nigraque bucula, peste liberavit urbem: inscriptis Aræ verbis hisce, P. VALERIUS POPLICOLA IGNEM CAMPI MARTII DITI PATRI AC PROSERPINÆ DEDICAVI LUDOSQUE DITI PATRI ET PROSERPINÆ PRO LIBERTATE POP. ROM. FECI. Quod identidem Romani malis urgentibus pressi factitarunt, aliis aliisque temporibus, ut pluribus author est idem Zosimus lib. II. Nec vero is solum, sed etiam Valer. Maximus hujus meminit consuetudinis; nam lib. II. cap. I. ubi de Plutonis & Proserpinæ sacris: *Hostias*, inquit, *nigras, quæ antiquis furvæ dicebantur, Tarentii immolavit* (loquitur de eodem Valerio Publicola) *ludosque & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii, periculo liberati erant, fecit*. Atque eas quidem Aras in quibus sacra noctu peragebantur, *nocturnas* vocat Maro, easque Plutoni erigi solitas testatur hoc versu lib. VI. *Æneidos*:

III. *Ara nocturna.*

Tum Stygio Regi nocturnas inchoat Aras.

Quem locum audiamus doctissimum virum Turnebum sic in *Adversariis* interpretantem: *Nocturnas*, inquit, *aras intelligo, in quibus res divina noctu fieret, non interdiu: quod recepti moris ac ritus erat in sacris Plutonis*.

Fuit præterea Plutonis templum & Ara apud Macistos teste Strabone lib. VIII. ut & notat Homeri Interpres ad quemdam Homeri locum, ubi Plutonem implacabilem & indomitum vocat Poeta in *Iliade*:

——Ἀΐδης τοι ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος·
Τοὔνεκα καί τε βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων.

Hoc est, *Pluto quidem implacabilis & indomitus, propterea etiam hominibus Deorum odiosissimus omnium*. Quo etiam puto sensu Horatium eundem Plutonem auro vel precibus inexorabilem appellare & illacrymabilem ode XIV. lib. II.

Non si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice places illacrymabilem
Plutona tauris, &c.

Hinc eleganter Virgilius *Georgic.* lib. IV. de Inferorum Diis.

Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

Implacabiles nimirum inferorum Dii a Veteribus crediti, quantum ad communem omnibus mortis necessitatem. Cæterum aris ac templis honorati & culti: ut & nunc apud Indos aræ passim Dæmonibus erectæ sunt, ne noceant.

IV. *Ara Parcarum.*

Neque vero Parcarum aut etiam Eumenidum, Furias vocant, Aræ sunt adeo silentii velo tegendæ, ut earum sacra aperire ac vulgare sit nefas.

Nuper cum de diversis Deorum aris tractaremus, diximus erectam fuisse Parcis Aram, eamque oblongam, nec de illa quidem nisi strictim ac velut transeundo locuti fuissemus, nisi nos Æschyli locus coegisset. Is igitur ubi de morte, verbis disertissimis ait, eam nullas omnino aras, nulla sacra habuisse his verbis:

Ara mortis.

Μόνος θεῶν θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ
Οὔτ' ἀντιθόων, οὔτ' ἐπισπένδων ναοῖς.
Μόνου δὲ πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ,
Οὐ βωμός ἐστιν οὐδὲ παιονίζεται.

Id est,

Sola Deum mors non amat munera,
Nec ullus ei sacrificat aut libat in templis;
Sed ab ea Dæmonum sola aliena est suadela.
Nullam habet aram, non celebratur hymnis.

Quo etiam videtur respexisse Martialis lib. IV. ep. LIII. his versibus:

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, observant, quem statuere diem.

Hoc etiam sensu Euripides mortem nullas admittere preces excusationemque ait, eamque propterea θάνατον ἀπροφάσιστον appellat. Quod tamen, pace tantorum virorum, ut præclare monet Homeri Interpres Spondanus, eget animadversione: nam in Gadiris memoratur Ara mortis. Huic etiam Lacedæmonii aram struxerunt, ut est apud Alexandrum ab Alexand. lib. I. cap. XIII. *genial. dier.* & Plutarch. in *Cleomene*. Estque Hymnus Mortis apud Orpheum, qui ei thure sacrum facit. Sed & alii Mortem Deam putaverunt, & inter cæteros Virgilius lib. XI. *Æneid.* his versibus:

Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris,
In flammam jugulant pecudes, &c.

Mortem præterea unam e Parcis nominatam tradit Cesellius Vindex, in suis antiquis lectionibus referente A. Gellio lib. III. cap. XVI. Insuper etiam Parcæ quæ finguntur Lanificæ Deæ singulorum vitam texentes: *Jovis exscriptrices sunt, ac velut scribæ, cujus nimirum illæ decreta inexorabilia exscribunt, & quasi in publicas, ut vocant, tabulas redigunt*: ut præclare animadvertit Laurentius Pignorius in libello *de Servis*. Atqui hæ oblongam habuere aram apud Pausaniam: hisque factum olim capris & ovibus constat; quanquam inexorabiles & falso Parcas quod nulli mortalium parcerent, prisci authores eas vocent. Audite Statium reclamantem *syl.* IV. lib. I.

Parcæ Jovis scribæ.

Estis Io superi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus.

Loquitur Poeta de Rutilio Gallico Præfecto prætorii, quem ad Orci fauces redactum vota, & publicæ preces exoratis Parcis, pristinæ valetudini reddiderant. Parcarum Aræ & sacrificiorum meminit ex oraculo Sibyllino Zosimus lib. II.

——— ἔνθα δὲ ῥάζειν
ἱερὰ ποντογόνοις Μοίραις ἄγνας τε καὶ αἶγας.

Id est,

——— *Tum victima Parcis*
Caprarum atque ovium pariter cadat Oceaninis.

Celebrabantur etiam eodem teste Zosimo nocturni ludi in honorem Parcarum, ut & Plutonis ac Proserpinæ. Sunt enim affinia numina: καὶ ταῖς Μοίραις ἄγουσι παννυχίδας μετὰ σεμνότητος ἐν νυξὶν; id est, *Parcis etiam nocturnos ludos caste pudiceque faciunt*.

Ludi nocturni.

V. *Ara Eumenidum.* Cæterum ne quid quod ad hanc materiam pertinere videatur, abeat indictum aut intactum: non Parcarum modo, sed etiam Eumenidum fuisse Aras, author est in *Achaicis* lib. VII. Pausanias his versibus:

Φράζεο δ' Ἀρειοῦ τε πάγον βωμούς τε θυώδεις
Εὐμενίδων, &c.

Id est,

Ara tibi Eumenidum fumans & curia Martis
Sunt cordi, &c.

Quæ & quanta illorum cæcitas qui Dæmonibus, quos tales agnoscunt, aras erigunt. Chinenses peculiare quoddam idolum venerantur sub specie Cacodæmonis, huic offerunt omnis generis fructus, quos ejus altari deponunt; juxta quod in faciem proni ac devoluti, humo tamdiu incubant, dum oblatis satiatum idolum, & eadem ab ipso satis consecrata putant. Tum se ergo humo iterum attollentes, fructus sacros domum asportant, & illos cum gaudio quodam esitant, ratum habentes, Idolum ipsis nihil incommodi, verum salutaria præstiturum, ex *descript. Regni Africani*, Icone XXIX.

VI. *Ethnicorum cæcitas.* Deus bone! quo non est progressa impietatis dicam an insaniæ Veterum illorum superstitio! aut quo non insaniæ hominum mentes adegit dæmonum furor; ut vel tot monstra pro veris haberent colerentque numinibus, vel his, etsi minime Deos esse crederent, Aras tamen, & templa, & statuas exædificarent. Quodque omnis dementiæ cumulus est, illis nefaria sacrificia quasi Diis peragerent. Neque vero mirum videri debet aut novum, impios Ethnicorum ritus e sacris furto sublatos, ab invidentissimo Divinæ gloriæ Dæmone: cum id illi antiquum fuerit, & dementatis hominibus in usu. Hoc mysterium iniquitatis est, de quo D. Paulus II. *Thess.* cap. II. id cogitavit, id egit: eo artes & machinas advertit omnes filius perditionis qui adversatur & extollitur (ut ait D. Paulus) supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Hoc initio, ut a pravis ad præcipitia solet perveniri, extincta nimirum semel luce veritatis clarissima, hominum animus tenebris erroris plusquam Cimmeriis obsitus, ad longe fœdiora dejectus prolapsusque est: derelictaque veri Dei religione, impietatem amplexatus, impuris & horrendis sacris inquinavit sese; & cui de cœlesti origine fas erat gloriari:

Igneus est olli vigor, & cœlestis origo,

pollutus execrandis religionibus homo, Dæmonibus, pro dedecus! Aras solo dignas Deo erexit. Tales nimirum extiterunt ii, quos eleganter idem D. Paulus *ad Rom.* cap. I. redarguit a veri Dei cognitione & cultu, ad impios perversosque sensus excidisse sua nimirum superbia & fastu his verbis: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*. Age, Lector, num hoc extremæ dementiæ fuit? Nec vero ea in re, quod pene ferendum fuerat, soli peccarunt Barbari: sed qui cæteris sapientia videbantur præstantiores, quosque hic D. Paulus imprimis notat damnatque, illi, inquam, primi, plenis, ut ajunt, velis ac remis, ad immania sacra seu potius sacrilegia navigarunt. Dæmones, homines, brutas animantes, serpentes, pisces coluerunt; imo ipsis, quod est indignum, nec satis unquam rideat Democritus, porris ac caulibus numen inesse aliquod adeo sibi persuasum habuerunt, ut tam lepidos Deos adorarent, proque iis mortem oppetere minime dubitarent. Hos merito Satyricus redarguit satyra XV. his versibus:

Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc; illa pavet saturam serpentibus Ibin,
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & Cæpe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quarum nascuntur in hortis
Numina, &c.

Hoc argumento passim Lactantius Ethnicos insectatur: ut propositis ante oculos tam fœdis ac dentis erroribus, ad veritatis ac fidei lucem velint aliquando accedere.

CAP. IX.

I. *An Ara Deum signet?* II. *Evocationis ritus.* III. *Multitudo Deorum Romæ.* IV. *Dii præsentes Aris.*

I. *Ara Deum signat.* TERTULLIANUS gravissimus author huic quæstioni occasionem dedit, cum in *Apologetico* suo sacra Veterum, & impuras Aras apte & eleganter suggillans, nidorem quidem ex illis exire, at Deum nusquam esse dixit: *frugi religio, pauperes ritus, temeraria de cespite altaria, nidor ex illis & Deus ipse nusquam*. Ex hoc tanti viri loco nata illa quæstio quam aggredimur, an scilicet Ara Deum signet? id est, an ubicumque Aram repereris, ibi etiam Deum inesse necesse sit.

Lucianus eo in Dialogo qui *Jupiter Tragœdus* inscribitur, Timoclem & Damidem ea de re coram Jove ipso, disputantes ac festive altercantes introducit, an scilicet ubi Aram videris, continuo etiam Deus aliquis velut Aræ præses debeat occurrere? Nec vero quæstio est de illis aris quæ puræ appellatæ, nulla omnino religione consecratæ sunt; sed sepulchrales dictæ, monumentorum loco & cœnotaphii instar, solis duntaxat Manibus ac memoriæ defuncti alicujus viri honorati erigebantur. Sic igitur apud impium Dialogistam Timocles: εἰ γάρ εἰσι βωμοί; εἰσὶ καὶ θεοί. ἀλλὰ μὴν εἰσὶ βωμοί; ἄρα καὶ θεοί. Nihil luctatus Damis contra vim talis argumenti, datis manibus, tantum non herba porrecta, fatetur propterea Deos esse, quia Aræ sunt. Hanc Luciani sententiam de Diis Aris suis præsentibus & quasi affixis, confirmat eleganter

Virgilius lib. II. *Æneidos*, ubi Deos Trojanorum aris suis excessisse, & ad hostium partes transiisse ait, his versibus:

Excessere omnes adytis; Arisque relictis
Dii quibus imperium hoc steterat, &c.

III. *Evocationis ritus.* Quo in loco Princeps Poeta, ut facile est conjicere, alludit ad illum evocationis ritum, quo Veteres ante urbium expugnationem uti consueverant; scilicet ut deserta ac desolata templa, profugientibus Divis & suas Aras sic deferentibus, non sacra amplius, sed prophana crederentur. Quippe aliter capi posse urbem Veteres illi non putabant; aut etiam si posset, nefas existimabant Deos captæ urbis habere captivos. Itaque in procinctu expugnandæ civitatis alicujus præconis voce evocabantur, certa quadam verborum formula. Id ex Ulpiano notat Petrus Faber, Maximus ille Themidis apud Palladiam Tholosam antistes: cum sacrarium ait esse locum in quo sacra reponuntur: & solent qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare. Verrius quoque Flaccus apud Plinium lib. XXVIII. cap. II. in oppugnationibus ante omnia solitum a Sacerdotibus Rom. evocari Deum ait, cujus in tutela id oppidum esset, promittique illi ampliorem locum cultumve; durareque in Pontificum disciplina id sacrum tradit. Hic non silebo decantatum ipsius evocationis carmen, cujus meminit Macrobius lib. III. cap. IX. *Saturnalium*, quod in vetustissimo Furii libro repertum profertur hoc modo: *Si Deus, si Dea est,*
Carmen evocationis. *cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela, teque maxime ille qui urbis hujus populique tutelam recepisti; precor veneror que, veniamque a vobis peto; ut vos, populum civitatemque Carthaginiensium deseratis: loca, templa, aras, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis; eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis: nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorque sit. Mihi quoque populoque Romano, militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.* Hinc ergo est, quod propter ejusmodi evocationem numinum discessionemque ait Virgilius, loco supra citato:

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii, &c.

Et ut Tutelares assignaret, adjecit,

Quibus imperium hoc steterat.

Utque præter evocationem, etiam vim devotionis ostenderet, in qua præcipue Jupiter invocatur, ait,

——— *ferus omnia Jupiter Argos*
Transtulit, &c.

Hæc Macrobius. M. Antonius Muretus vir sui temporis eloquentissimus lib. V. cap. XIX. in hanc fere sententiam ait: *ea ipsa nocte, qua capta est Troja, visos esse Deos Æneæ exeuntes e templis & simulacra sua portantes.*

Ovidius lib. XV. *Metamorphoseωn* fingit eleganter Æsculapium a Romanis peste laborantibus exoratum, suas aras & simulachra deferentem, & specie serpentis abeuntem hoc modo:

Vix bene desierant: cum cristis aureus altis
In serpente Deus prænuncia sibila movit,
Adventuque suo signumque, arasque, foresque,
Marmoreumque solum, fastigiaque aurea movit.
Pectoribusque tenus media sublimis in æde
Constitit, atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pavet: cognovit numina castus
Evinctus vitta crines albente sacerdos.
En Deus est, Deus est, animis linguisque favete
Quisquis adest, dixit: sis o pulcherrime visus
Utiliter, populosque juves tua sacra colentes.
Quisquis adest visum veneratur numen, & omnes
Verba Sacerdotis referunt geminata, piumque,
Æneadæ præstant & voce & mente favorem.
Annuit his, motisque Deus rata pignora cristis
Et repetita dedit vibrata sibila lingua.
Tum gradibus nitidis elabitur, oraque retro
Flectit, & antiquas abiturus respicit Aras:
Assuetasque domos, habitataque templa salutat, &c.
Æquore placato patrias Epidaurius Aras
Linquit, & hospitio juncti sibi numinis usus.

Nempe Romanorum legato in somniis Æsculapius promiserat se ultro Romam migraturum desertis aris simulacrisque suis:

Pone metum, vadam, simulacraque nostra relinquam.

Hoc etiam sensu Pythius, ut refert Suidas, ad Augustum Cæsarem respondit desertas aras, & vacuam numine antiquo sedem frustra votis, precibus, sacrificiisque frequentari:

Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

Quasi vero Dii Veterum ineptissimi ita suis aris velut alligati essent & affixi, ut eas nisi vel hostium evocatione coacti vel cultorum suorum impietate aut occulta aliqua causa impulsi desererent. His adde si vis, ne amissis, aut absentibus aris, amissa ac sublata tam inepta divinitas crederetur. Quæ olim opinor ratio, ut est apud Q. Curtium lib. IV. Tyrios impulit, cum ab Alexandro Magno obsidione premerentur, ut Aræ Herculis vinculum insererent, ne illi suo destituti Deo, in hostium manus pervenirent. operæ pretium est Curtii verba hic apponere: *Cumque unus*, inquit, *e civibus concione indicasset, oblatam esse per somnium sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent urbem deserentis; molemque a Macedonibus in salo jactam in sylvestrem saltum esse mutatam, quamquam author levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catena devinxere simulachrum, Araque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo Deum Apollinem retenturi.* quo quid ineptius excogitari potest? Deum Aræ suæ aut statuæ quasi ca-

III. *Deorum multitudo Romæ.* tivum affigere? Eidem, fines quos transili-A re non liceat, statuere?

Evocatis autem hunc in modum, quem nuper attulimus, undique numinibus, factum putat Prudentius lib. II. *contra Symmachum*, ut tanta Deorum multitudo Romæ creverit. Illuc devictis ac debellatis nationibus, captiva numina cum captivis cultoribus trahebantur, nec dignus satis Romana superbia triumphus censebatur, nisi etiam pompam victoriæ, victorum Deorum statuæ atque aræ, in ferculis exornarent. Magnificum erat & Romana pietate dicam B an liberalitate dignum, Deos hostium donare civitate. Illustrior est Prudentii locus, quo dementiam illam persequitur, quam ut taceatur, sic ille:

Innumeros post deinde Deos virtute subactis
Urbibus, ex claris peperit sibi Roma triumphis.
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum venerans ceu numina vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi. C
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis.
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies, quasdam domitis Hammonis arenis,
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.
Roma triumphantis quoties Ducis inclyta currum
Plausibus excepit, toties altaria Divum
Addidit, & spoliis sibimet nova numina fecit, D
Numina, quæ patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis, &c.

In hunc fere sensum præclare D. Leo Romanus Pontifex, ubi de Roma verba facit: *Hæc civitas*, inquit, *ignorans suæ provectionis authorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem*, &c.

Nec vero admittebat solum, sed invitabat ultro Deos exterorum ac hostium, ut Romam migrare placeret. Ita apud Livium lib. V. Camillus Junonem e Veiis evocat, templa, Aras, cæteraque quæ religionis sunt, vovens hoc modo: *Te simul Juno Regina quæ Vejos colis precor ut nos victores, in nostram tuamque mox futuram urbem sequare, ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat*, &c.

Qui profecto populus quam fuit in admittendis faciendisque Diis ambitiosus, in iis F retinendis ac defendendis tam vehemens fuit ac pertinax: adeo ut totos quingentos & amplius annos a primo Christianæ Pietatis exortu, contra impiam Deorum religionem a Christianis hominibus plurimi sanguinis impendio certatum sit. Hinc fluxisse puto vulgatam illam eorum hominum parœmiam *pro Aris & focis decertare*: quasi dicerent pro ip s Diis, ac rerum omnium charissima religione: quando nimirum de rerum summa agebatur.

Deos autem Aris suis præsentes fuisse docet imprimis egregius Plinii Junioris locus, in *Panegyrico ad Trajanum Imperat.* ubi de ejusdem adoptione, quæ ad aras & inter sacrificia a Nerva facta, Jovis ipsius præsentia ac voluntate firmata censebatur: *Quippe*, inquit, *inter aras & altaria eodemque loci quem Deus tam manifestus ac præsens, quam cœlum ac sidera insidet electus repertusque es*, &c. IV. *Dii Aris fuit præsentes.*

Tibullus lib. IV. cum Messallæ suo blanditur, Jovem non modo supplicationibus aurem præbuisse, sed ipsis etiam aris præsentem fuisse ait his versibus:

Juppiter ipse levi vectus per inania curru
Affuit, & cœlo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus se præbuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit, abditus Aris
Lætior eluxit, structos super ignis acervos.

Insuper Juvenalis Satyra XIII. ut perfidum ac Deorum impium contemptorem esse probet eum qui depositum negat; hunc ait aliquod inesse aris ac templis numen minime existimare ac credere, his ver bus:

—— dic sen or bulla dignissime nescis,
Quas habeat veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum
Exigis a quoquam ne pejeret, & putet ullis
Esse aliquod numen templis, aræque rubenti?

Idem author Satyra I. ut ostendat Aram argumentum esse alicujus divinitatis, & ubicumque Ara deprehenditur, ibi etiam aliquod numen inesse, pecuniam nondum esse Deum contendit, eo quod non templo recepta, non aris culta celebratur.

———— funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum extruximus Aras:
Ut colitur pax, atque fides, victoria, virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido.

Non possum omnino non apponere eximium D. Augustini locum sermone VI. *in Matth.* quo clarissimus Ecclesiæ scriptor illos insectatur, qui cum se pietatis ac veritatis Christianæ cultores profiterentur, aras tamen & statuas Gentilium Deorum, liberius quam par erat, frequentabant: *Ecce*, inquit, *in quem Deum verum peccas, dum discumbis apud Deos falsos. Non est, inquis, Deus, quia genium est Carthaginis. Quasi Mars aut Mercurius esset, Deus esset. Sed quomodo ab ipsis habeatur, attende; non quid sit: Nam & ego tecum, scio quia lapis est. Si genium ornamentum est aliquod, cives Carthaginis bene vivant, & ipsi erunt genium Carthaginis. Si autem genium dæmonium est, audisti & ibi quæ immolant gentes Dæmonibus immolant, & non Deo. Nolo vos socios fieri Dæmoniorum. Novimus, quia non est Deus; utinam & ipsi norint: sed propter eos qui hoc non norunt infirmos, non debet percuti conscientia ipsorum. Hoc monet Apostolus. Nam & illi quod numen habent, & pro numine accipiant illam statuam, Ara testatur. Quid illic facit Ara, si illud non habetur pro Numine? Nemo mihi dicat, non est Numen, non est*

est Deus. Jam dixi, utinam sic ipsi norint hoc, quomodo novimus omnes nos: sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, Ara illa testatur. Convincit omnium mentes, non convincat recumbentes. Hactenus nunquam sine elogio honoris nominandus D. Augustinus, eleganter probat Ethnicorum eam fuisse amentiam, ut statuas, fœdaque Dæmoniorum simulacra veros esse Deos crederent: & præsentes suis adesse Aris, quas sibi extrui vehementer cuperent.

Lucilius etiam, quanquam & is author Ethnicus, eorum stultitiam qui simulacra Deos putant esse, deridet his verbis, ut est apud Lactantium lib. I. *de falsa religione*, cap. XXXII.

Terricolas Lamias, Fauni quas Pompiliique
Instituere Numæ, tremit has, hic omnia ponit
Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere & esse homines, & sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula pictorum. Veri nihil, omnia ficta.

Poeta quidem (inquit Lactantius) *stultos homines infantibus comparavit: at ego multo imprudentiores esse dico. Illi enim simulacra homines putant esse, hi Deos. Illos ætas facit putare quod non est: hos stultitia.* Eodem prope spiritu Lucretius vanas illas & inanes aras despuebat, his versibus:

Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad Aras,
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante Deum delubra, nec Aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.

Sed hæc vulgatiora sunt & clariora, quam ut fusiori oratione confirmentur, ad aram ignoto Deo erectam stylum nostrum convertamus.

CAP. X.

I. *Dii certi & incerti.* II. *Deo nullum nomen est.* III. *Ara ignoto Deo.* IV. *Quando & qua occasione erecta?* V. *De ea* Act. Apost. *locus ab Erasmo notatus.* VI. *Per ignotum jurabant Athenis.* VII. *Dii urbium tutelares ignoti.*

PARUM igitur erat, Deus bone! nec dum projectæ satis insaniæ videbatur, sexcentis numinibus, & ut verius dicam Dæmonibus, totidem aras erexisse: nisi etiam ignotis & incognitis Diis Veteres exstruxissent: nimirum, quia Deorum numerus infinitus videbatur, iis quos nondum fœda gentium noverat superstitio, non defuerunt aræ quibus colerentur. Atque ut pressius Veterum errorem in tam multiplici Deorum cultu urgeamus, certum est Deos olim alios certos, incertos alios extitisse: ut patet ex antiquissimo scriptore Varrone, iis in libris quos ille *de rebus divinis ac humanis* scripsit. Ac eos quidem certos vocat, de quibus dubitari nullo modo potest, cujusmodi sunt, inquit, Luna, Cœlum, Terra, &c. Deus bone quæ cæcitas mentis, quis stupor in tanto præsertim doctore! Incerti vero, opinor dicebantur, vel quorum certa ratio reddi nequit, ut ait idem Varro, vel quorum sacra & templa Romanorum opinio nondum admiserat, vel quorum nomina, quia scilicet ea vulgare nefas erat, non audiverant, vel denique quia de eorum divinitate non satis constabat, ut est apud D. August. lib. III. *de civitate Dei* cap. XII.

I. Dii certi. Var. lib. II. rer. divin. & hum.

Dii incertii.

Quos quoniam nondum cœli dignamur honore
Quas dedimus certe terras habitare sinamus,

inquit Jupiter apud Ovidium primo *Metam*. Ignoti autem non erant iidem cum Incertis: nam de Incertorum divinitate ambigebatur quidem, sed tamen eorum nomina non ignorabantur, sicut Ignotorum.

Tales quoque Lucianus appellans *μετοίκους θεοὺς καὶ ἀμφιβόλους* ait Hyppolytum esse & Corybantes, & Atym, & Sabbatium. De Deis autem populi Rom. inquit Varro publicis, quibus ædes dedicaverunt, eosque pluribus signis ornatos notaverunt, in hoc libro scribam: sed ut Xenophanes Colophonius scribit, quid putem non quid contendam, ponam. Hominis est enim opinari, Dei scire. Quo pacto etiam Lucanus lib. II. Judæos incertum Deum colere dixit, quem tamen certum & verum ea gens, cæteris tantum illud boni plane ignorantibus, agnovit & adoravit. sic Lucanus:

Dii dubii.

——————— *Et dedita sacris*
Incerti Judæa Dei &c.

Fortasse quia nomen habere dicebant *ἄρρητον, καὶ ἀνεκφώνητον, indicibile, ineffabile.*

Deo certe nomen proprie nullum est, si illud quo Deus est & dicitur, conceperis. unde interroganti quondam Moysi de nomine Dei, cujus imperata facturus erat, a Deo ipso responsum est: *Ego sum qui sum.* Hinc præclare Minutius Felix in disputatione cum *Octavio*: *Ne nomen Deo quæras*, inquit, *Deus nomen est illi, vocabulis opus est cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo qui solus est, totum vocabulum proprium est.* Pari ratione apud Eusebium lib. IV. *hist. Eccl.* cap. III. Athælus quidam insignis Martyr, a perfidis interrogatus carnificibus, quodnam esset ejus Dei quem colebat nomen, qui plures sint, inquit, nominibus discernuntur: at Deus qui unus est, non indiget nomine. Eo pertinet illud Mercurii ter Maximi apud Lactantium lib. I. cap. VI. quo Deum appellat innominatum. *Homo*, inquit Lactantius, *antiquissimus & instructissimus omni genere doctrinæ, adeo ut ei multarum rerum & artium scientia Trismegisto cognomen imponerent. Hic scripsit libros & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majestatem summi ac singularis Dei asserit; iisdemque nominibus appellat, quibus nos Deum & patrem.* Ac ne quis nomen ejus requirat, *ἀνώνυμον*, id est, *sine nomine* esse dixit, eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipsam scilicet unitatem, ip-

II. Dei nomen nullum.

sius hæc verba sunt; *ὁ δὲ Θεὸς εἷς ὁ δὲ εἷς ὀνόματος ἐ προσδέεται, ἔϛι γάρ ἀνώνυμος. Deo igitur nomen non est: nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, ut unamquamque personam sua nota & appellatione designet. Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est Deus. Nec alio nomine appellari potest ea vis in qua inest providentia excogitandi, & solertia potestasque faciendi*. Hæc Cicero vere Christianus, cum admotis veluti veritatis machinis, innumerabilium Deorum vanitatem quassat, & expugnat.

Incertis Diis similes fuerunt & illi quos *ἀγνώϛες* Græci, Latini *ignotos* appellabant. Horum meminit Pausanias in *Atticis*: eorumque Aras celebrat, *θεῶν ἀγνώϛων βωμὲς*. Idem etiam in *Eliacis* meminit ejusmodi Deorum, cum de Aris magnis & parvis in Olympia, deque ipso Olympio Jove verba, facit. *πρὸς αὐτῷ δ' ἐϛὶν ἀγνώϛων θεῶν βωμὸς*, id est, *apud hunc Deorum ignotorum ara est*. Tales ego Deos fuisse puto, quos antiqui *Ambiguos* appellabant: atque iis aram positam olim in ingenioso illo Poliphili somnio lib. I. reperio hoc modo:

Dii ignoti. — *Dii ambigui.*

D.
AMBIG.
D. D.

III. *Ara ignoto Deo.* Sed unde & qua occasione illæ Aræ ignotis numinibus erectæ sunt, quoque tempore, haud ita perinde est notum. Opinio est multorum, Epimenidis cujusdam vatis Cretensis suasione erectas fuisse hac occasione. Cum terra Attica pestilentia laboraret, consultum est ab Atheniensibus oraculum, petitumque quidnam maxime fieri vellet Deus quo malum pelleretur urbe. Quibus Pythia, urbem & agros expiari oportere respondit: non expresso tamen Deo, cui potissimum sacra res esset facienda: Hæsit diu populus Atheniensis, dubius nimirum quem Deorum urbi iratum sacris suis placaret. Verum Epimenides, qui adeundi oraculi author fuerat, quasi divinæ Interpres voluntatis, ab Atheniensibus consulitur. Is per Niciam Nicerati filium accersitus, jussit per agros passim oves nigras dimitti; Sacerdotes eas subsequi; & quo quæque loco constitissent ibidem Deo Ignoto propere immolari oportere. Itaque ex eo tempore (ut ait Diogenes Laertius, a quo hanc fabellam mutuati sumus) frequentes per agros Atticos Aræ sine nomine Dei videbantur. Idem Diogenes Olympiade XXVII. id contigisse ait, Suidas vero XLII. quibus conciliandis duæ necessario expiationes recipiendæ sunt.

IV. *Actor. locus explanatur.* Eo pertinet celebris S. Scripturæ locus *Actorum* cap. XVII. ubi hujus Aræ mentio fit. Unde D. Paulus gentium Doctor nactus occasionem, veri Dei, sed tunc vel maxime ignoti, cognitionem elegantissimo sermone judices Areopagitas edocuit. Sic ille: *Viri Athenienses per omnia vos superstitiosiores video. Pertransiens enim & videns simulacra vestra, inveni & Aram, in qua scriptum erat* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*, &c. Hunc locum Erasmus notat, aitque D. Paulum hujus Aræ titulum paulo immutasse. *Cum Paulus*, inquit in Moriæ Encomio, *forte Athenis conspectum Aræ titulum torqueret in argumento fidei Christianæ; cæteris omissis, quæ causæ fuerant offectura, duo tantum extrema verba decerpsit, nempe hæc ignoto Deo, atque hæc quoque nonnihil immutata: siquidem integer titulus sic habebat*, DIIS ASIÆ EUROPÆ ET AFRICÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS. *Verum quia D. Paulus non pluribus indigebat Diis ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in Aræ titulo prænotassent, & recte eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant*. Ita etiam sentit D. Hieronymus *Ep. ad Tit.* cap. I. a quo hæc Erasmus mutuatus est.

V. *Athenienses per ignotum Deum jurant.* Tanta vero Atheniensium fuit erga ignotum illum Deum reverentia, ut si quid rite affirmare vellent, per Deum ignotum id agerent. Sic Critias apud Lucianum in eo dialogo qui *Philopatris* inscribitur, cum de vindicanda asserendaque puellæ cujusdam virginitate ageretur, cum eam falso meretricari Triphon præmisisset: *Non*, inquit, *per ignotum Athenis: sed virgo permansit usque ad decollationem*. Neque solum author Lucianus usurpatum hoc per ignotum Athenis juramentum, sed & alios alium invitasse, ut ignotum inventum adorarent manusque ad cœlum tollentes gratias agerent, ut qui digni facti essent hujusmodi potestati atque veritati subjecti esse. Omiseram ad sectionem IV. hujus capitis, quænam esset de illa Ara clarissimorum scriptorum opinio. Primum igitur ferunt nonnulli Athenienses quondam a Persarum Rege bello pressos gravissimo, ad Lacedæmonios misisse, qui finitimæ civitati & tum amicæ suppetias in communem Græciæ hostem implorarent; eo profectis legatis dum adhuc in itinere essent prope Partenium, spectrum obtulit sese, & ab eo graviter correpti sunt, quod cum cæteros Deos divinis adficerent honoribus, se, quem Pana vulgo appellabant, negligerent; laturum alioqui opem si sacra sibi perinde ac Diis aliis facerent. Victores de Persis Athenienses Templum ei Deo qui legatis occurrerat, extruxerunt: ac veriti ne aliquis insuper Deorum forte sine aris ac templo Athenis foret, proptereaque Numinis neglecti indignatione, gravis aliqua clades civitati iterum oriretur, in Panos templo Aram cum hac inscriptione IGNOTO DEO erexerunt. Hæc Divi Chrysostomi in *Epist. ad Titum* hom. III. & Oecumenici in XVII. *Act. Apost.* sententia est, cujus hæc sunt verba: *Δύο αἰτίας εἶναι ἐλέγοντο τὲ ἐπιγράφεσθαι Ἀθήνησι τῷ βωμῷ* ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ. *οἱ μὲν γαρ φασιν ὡς φιλιππίδην ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι πρὸς Λακεδαιμονίες περὶ συμμαχίας ἡνίκα Πέρσαι ἐπεστράτευσαν τῇ Ἑλλάδι. ᾧ κατὰ το Παρθένιον ὄρος Πανὸς φάσμα ἐντυχὸν, ᾐτιάτο μὲν Ἀθηναίες ὡς ἀμελῆντας μὲν αὐτὲς, ἄλλες δὲ θεὲς θεραπεύοντας, καὶ βοηθεῖν ἐπηγγελλετο. νικήσαντες ἐν ἐκείνῳ τε ἀνέστησαν ναὸν, καὶ βωμὸν ᾠκοδόμησαν. καὶ ὡς φυλαττόμενοι μὴ τὸ αὐτὸ δὴ ἢ ἄλλοτε πάθοιεν, παρέντες τινὰ θεὸν ἀγνωστον αὐτοῖς, ἀνέστησαν τὸν βωμὸν ἐκεῖνον ἐπιγράψαντες* ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ. *τοῦτο λέγοντες, ὅτι καὶ εἴτις ἕτερος ἀγνοοῖτο παρ' ἡμῶν εἰς τιμὴν ἐκείνε. ἕτος δὴ παρ' ἡμῶν ἐγηγέρθω ὡς ἂν ἵλεως ἡμῖν εἴη, εἴ περ ἀγνοέμενος μὴ θεραπεύοιτο.*

Cur erecta illa Ara?

ἄλλοι δέ φασιν, ὅτι λοιμὸς κατέσκηψέ ποτε Ἀθήνησι, καὶ εἰς τοῦτο αὐτοὺς ἐξέκαυσεν, ὡς μηδὲ τῶν λεπτοτάτων σινδόνων ἀνέχεσθαι. τοὺς νομιζομένους οὖν αὐτῶν θεοὺς θεραπεύοντες οὐδὲν ἀπόναντο. ἐννοήσαντες οὖν ὅτι ἴσως ἐστὶ θεὸς, ὃν αὐτοὶ κατέλιπον ἀγέραστον, ὁ τὸν λοιμὸν καταπέμψας, νέον δειμάμενοι βωμὸν, καὶ ἐπιγράψαντες ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ, καὶ θύσαντες αὐθέως ἐθεραπεύθησαν. τοῦτον οὖν Χριστὸν Ἰησοῦν εἶναι φησὶ τὸν ἁπάντων θεὸν ὁ Παῦλος, ὃν καὶ καταγγέλλειν αὐτοῖς ἔφασκεν, ἐστί δὲ ἡ πᾶσα τοῦ βωμοῦ ἐπιγραφὴ τοιαύτη. ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΞΕΝΩ, &c. Beda venerabilis & Dionysius Carthusianus in eundem *Actuum* locum, putant erectam Ignoto Deo ab Atheniensibus Aram hoc modo. Audiverant Athenienses vel fama vulgante Deum tantæ venerationis, ut nec nominare quidem fas esset, Judæos colere; ejus autem nomen incognitum ac ne qua religio urbi deesset imprimis superstitiosæ ac numen, Aram Judæorum Deo erexerunt, cujus cum nescirent nomen, hanc Aræ inscriptionem imposuerunt IGNOTO DEO. Sanctum certe & venerabile apud Judæos veri tum numinis cultores unicos nomen fuit. Hoc proferre soli licuit ac in anno semel Sacerdoti summo; nefas omnino cæteris: hinc ego factum putem, ut scriptores Ethnici tanto impetu ac furore in eam gentem stylum acuerint, quasi nubes, cœlum ac sidera adoraret, aliorum Deos ut vanos, nullos, ac ridiculos sperneret: neglecto etiam ad hæc, imo damnato gentium aliarum ubique commercio, quo se pollui ac fœdari dictitabant. Id expressit graphice Juvenalis satyra XIV. his versibus:

Quidam sortiti metuentem sabbata Patrem,
Nil præter nubes & cœli numen adorant.
Nec distare putant humana carne suillam;
Qua pater abstinuit, mox & præputia ponunt,
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti:
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Meminit etiam ignotorum Deorum Tertull. *ad Marcionem*, his verbis: *Invenio plane ignotis Deis Aras prostitutas, sed Attica idololatria est*. Subjungit etiam de Romanis venerantibus Deos Incertos: *Item Incertis Deis, sed superstitio Romana est*. lib. I. cap. IX. Herodotus etiam lib. II. scribit Deos a Pelasgis nullis cognominibus cultos fuisse, ut est apud Gyraldum lib. I. *syntag.* & Strabo lib. III. *Geogr.* narrat de Celtiberis eorumque vicinis in Borea habitantibus cuipiam Deo, cujus non extat nomen, rotunda luna, tempore nocturno ante fores, per omnes domos pernoctando, saltus agitasse. Apollonius etiam Tyaneus, qui tunc fere temporis vivebat, quo D. Paulus, ad Timazium Episcopum: *Modestius*, inquit, *omnibus bene loqui, præsertim Athenis; ubi etiam Ignotorum Deorum Aræ dedicatæ sunt:* Author Suidas. Prodit etiam Gregorius Gyraldus *syntag.* XVII. Arabas quoque Aram habuisse Ignoti Dei, in qua pingues & saginatos camelos sacrificarent. Aram denique Ignoto Deo apud Gallos fuisse erectam, testis est D. Martialis in Epistola *ad Burdegalenses*, & qui ejusdem scripsit vitam Aurelianus, imo & Baronius Cardinalis undequaque eminentissimus, his verbis; *Dum Altaria dæmonum in pulverem redigerentur, Aram Ignoti Dei ad consecrationem reservari jussimus, quia dedicata in nomine Dei Israel & ipsius testis Stephani, qui pro eo a Judæis passus est, non hominis cultum, sed Dei in ea frequentantes*, &c.

Neque etiam illud intactum relinquam, quod a Macrobio lib. III. cap. IX. *Saturnalium* profertur: fuisse nimirum Deos urbium tutelares ignotos, ne si noscerentur ab hostibus evocarentur. *Romani*, inquit, *Deum in cujus tutela urbs Roma est, & ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt*. VI. *Dii urbium tutelares ignoti.*

CAP. XI.

I. *Ara Maxima*. II. *Herculi dicata*. III. *Jovi inventori*. IV. *Ara Magna*. V. *Ara Princeps*. VI. *De Ara Maxima appendix*. VII. *Hujus sacra servis tradita*. VIII. *Ab his Fœminæ arcebantur*. IX. *Canes & muscæ*.

DUAS fuisse Aras Maximas, unam Græcorum scilicet, alteram Latinorum accepimus. Maximam Græcorum Aram in Olympo monte Jovi Olympio erectam, nuper ex Pausania lib. V. descripsimus, quod satis patet his verbis: φέρε δὴ ἐποιησάμεθα τῷ βωμῷ τῷ μεγίστῳ μνήμην. Id est, *age vero cum fecerimus mentionem Aræ Maximæ*. I. *Ara maxima duplex.* *Una in Græcia.*

Altera Ara, quam Maximam appellamus, de qua nunc quæstio instituitur, apud Latinos fuit, haud certe ignobilis, nec parum a priscis authoribus celebrata: forsan Græcanicæ Religionis imitatione consecrata, ut sacrorum maxima pars a Græcis ad Latinos manavit. De hac Ara, multa habet Virgilius lib. VIII. *Æneidos*, ubi Evander ad Æneam Aræ hujus maximæ originem & consecrationem facunde exequitur: *Romæ altera.*

——— non hæc solemnia nobis
Has ex more dapes, hanc tanti numinis Aram
Vana superstitio, veterumve ignara Deorum
Imposuit, &c.

Tum interfecti ab Hercule Caci nequissimi pastoris Historiam, & tanto liberatam monstro regionem pari versuum elegantia divinus Poeta exponit. In cujus beneficii memoriam, hanc erectam fuisse Aram Maximam, hoc tandem modo concludit:

Servati facimus, meritosque novamus honores, &c.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere Diem, primusque Potitius author
Et Domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc Aram luco statuit, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima semper.

II. *Ara maxima Herculi dicata.* Vides Maximam Aram Herculi sacram dici; quam idem Hercules nimirum sibi victor prostrato Caco constituit, evocatis Evandro tum Latinorum Rege cæterisque incolis, ut est Author Ovidius lib. *Fastorum* I. his versibus:

Immolat ex illis Taurum tibi Jupiter unum
Victor, & Evandrum ruricolasque vocat.
Constituitque sibi, quæ maxima dicitur aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.
Nec tacet Evandri mater, prope tempus adesse,
Hercule quo tellus sit satis usa suo.

Meminit etiam hujus Aræ Silius Italicus lib. VII. eamque Herculi dicatam fuisse & consecratam videtur innuere his versibus,

——— *scelerata minaci*
Stridenti sonitu tremuerunt limina portæ,
Maximaque Herculei mugivit Numinis Ara.

Ex his Ovidii ac Silii locis patet Aram illam quam Romani *Maximam* appellabant in foro Boario, non longe ab ea porta, quæ ob cæsos olim Fabios *scelerata* fuit vocata, fuisse ædificatam. Fuit autem hæc Ara, inquit Alex. ab Alex. l. II. cap. XIV. in Capitolii faucibus, juxta Carmentalem portam & forum Boarium, in qua proprium erat, ut juvencus indomitus sua Herculi victima mactaretur. vide Liv. dec. I. lib. I.

III. *Ara maxima Jovi Inventori dicata.* Aurelius Victor, seu quisquis ille tandem fuerit, qui Romanæ gentis originem, brevi quidem, sed eleganti stylo contexuit, rem illam paulo aliter refert. Ait enim Aram Maximam non Herculi ab Evandro, sed ab Hercule ipso Jovi Patri Inventori fuisse erectam: *Evandro*, inquit, *regnante, Recaranus quidam Græcæ originis & magnarum virium pastor. Ingentis operis, qui erat forma & virtute cæteris antecellens, Hercules appellatus, eodem venit, cumque armenta ejus circa flumen Albulam pascerentur, Cacus Evandri servus nequitia versutus, & præter cæteros furacissimus, Recarani boves hospitis surripuit, ac ne quod esset indicium, aversas in speluncam attraxit: Cumque Recaranus vicinis regionibus peragratis, scrutatisque omnibus ejuscemodi lateribus, desperasset inventurum, utcumque æquo animo dispendium ferens, excedere his finibus constituerat. At vero Evander excellentissimæ justitiæ vir, postquam rem uti erat comperit, servum noxæ dedit, bovesque restitui fecit. Tum Recaranus sub Aventino Inventori Patri Aram dedicavit, appellavitque MAXIMAM: & apud eam decimam sui pecoris prophanavit*, &c. *Herculis & Caci fabula.* Consecrata igitur Ara MAXIMA, prophanataque apud eam Decima. Hinc forte etiam apud Barbaros, quæ sacris exolvuntur initium est ductum. Templum Herculi, inquit Alexander ab Alexand. lib. II. cap. XIV. juxta Tiberim mirabili structura olim fuisse legimus, in quo ex Decimis sacrum fit: ubi duæ Aræ, exque earum altera mulieres degustare, ex altera viros tantum vesci fas erat. *Cum ergo*, ut prosequitur Aurelius, *Recaranus sive Hercules Patri Inventori Aram consecrasset: duos ex Italia, quos eadem sacra certo ritu administranda edoceret, ascivit Potitium & Pinarium*, &c. Hæc Aurelius. Historiæ Romanæ parens Livius hujus itidem Aræ mentionem facit lib. I. decad. I. ubi Evandrum Latinorum Regem his verbis victorem de Caco Herculem salutasse ait: *Jove nate Hercules salve: Te mihi Mater veridica Interpres Deum aucturum cœlestium numerum cecinit, tibique Aram dicatum iri, quam opulentissima olim gens in terris MAXIMAM vocet, tuoque ritu colat.* Dextra Hercules data, accipere se omen, impleturumque fata respondit, Ara condita atque dicata est.

IV. *Ara magna ...* Hujus præterea Aræ meminit Tacitus libro XV. *Ann.* eamque MAGNAM vocat his verbis: *Sed vetustissima Religione quod Servius Tullius Lunæ, & MAGNA ARA, Fanumque. quæ præsertim Herculi Arcas Evander sacraverat: ædesque Statoris Jovis vota Romulo, Numæque Regia, & delubrum Vestæ cum penatibus pop. Roman. exusta.* In quam sententiam it pedibus Plutarchus ἐν Ρωμαικ. διά τι τῷ Ηρακλει γινομένης θυσίας, &c. ὡς δέ φασιν ἔνιοι καὶ μετὰ τ' ανθρώπων ὄντος ἔτι βωμὸν ἱδρύσαθαι τὸν Εὔανδρον αὐτῷ καὶ θυσίαν προσαγαγεῖν. Id est, *aut quia adhuc inter homines degenti, Evander Aram posuit & victimam obtulit.* Hæc de Ara Maxima variant authores, cum modo Evandrum Herculi, modo ipsum Herculem sibi, modo denique Jovi Patri amissarum boum Inventori ædificasse tradunt. Cave tamen Aram illam Maximam eam esse putes, quæ apud Ciceronem in oratione *de Aruspicum respons.*

V. *Ara Pr...* Ara Princeps appellatur, de qua alibi dicturi sumus. Nec vero omittam veterem illam Aræ inscriptionem quæ in Hispania alicubi (fortassis ad Gades Herculeas, nam ibidem summa veneratione olim colebatur) extat hujusmodi; ut refert Brissonius *Formularum* libro primo:

QVINTVS SERVILIVS
VVLNERE SERVATVS
HERCVLI DEO INVICTO
SIGNVM ÆREVM
EX VOTO POSVIT
PROPE MARTEM ARGENTEVM
IN MAGNA ARA.

VI. *De Ara Max. ... Evandri.* Aræ Maximæ ejusque sacri meminit Alexander ab Alexandro in *Genial. Dierum* lib. II. cap. XIV. his verbis, quæ gratissimi opinor Corollarii ad ea quæ jam diximus instar esse poterunt: quippe quæ scitu dignissimas Aræ Maximæ circumstantias continebant: *Post urbem conditam Romulum urbis authorem sacra Græco Herculi) Ara illi erecta, quæ Maxima dicta est) ut ab Evandro constituta erant fecisse, eaque posteris mansisse, literis proditum est. Quæ Ara ante Romulum religiosissima fuisse traditur, eamque ipsum Herculem Jovi Inventori, si amissas boves reperisset dedicasse fama vulgavit. Hoc enim sacrum primus Evander instituit post Marathonios, qui primi divinos honores Herculi dedere. Potitiis & Pinariis qui ex clarissimis familiis ea loca incolebant, ad sacrum adhibitis*, &c. Idem Alexander testis est sublata

VII. *... sacra servis ... mandata.* Potitia gente hæc sacra servis publicis fuisse tradita, idque T. Livii authoritate dec. I. lib. IX. & Valer. Max. lib. I. cap. II. confirmat hoc modo: *Appius enim Claudius Censor sublato Potitiorum genere, cui ad Aram Maximam familiare id sacerdotium fuit, servis quos docebat, sacra delegavit. in quo id traditur*

mirum, ut triginta puberes, qui reliqui Potitiæ familiæ manserant, cum omni stirpe intra annum extincti fuerint: idem Appius hujus author facinoris, ob hoc admissum, in extremum vitæ exitium pene lapsus sit, & sive casu, sive consilio Deorum immortalium, luminibus orbatus calamitosam vitam egerit, &c.

VIII. *Ab Herculis sacris fœmina arcebantur.*

Hoc etiam animadvertendum ex eodem Alexandro, nefas fuisse fœminis Herculis sacris, quæ ad eam Aram peragebantur, adesse: *cumque mulieribus adesse sacris*, inquit, *& rem divinam omnibus facere fere liceat, Herculis tamen sacrificio adesse vel exta tangere, aut vesci, aræve admovere manus aut solemnia videre, religio non sinebat. Neque vero bis ad Aram Herculis Maximam sacris interesse fœminas piaculum fuit; sed & ab aliis sacris eidem Herculi paratis arcebantur.* Silius Italicus lib. III. *Punicorum* in descriptione sacrorum Herculis ejusdem templi apud Gades, ubi magna veneratione colebatur, idem habet:

Tum queis fas & honos adyti penetralia nosse,
Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant
Setigeros arcere sues, &c.

Eadem fere habet Propertius lib. IV. Eleg. *ad Herculem*:

Maxima quæ gregibus devota est Ara repertis,
Ara per has inquit maxima facta manus.
Hæc nullis unquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.

IX. *Etiam servi, liberti, canes & musca.*

Non solæ fœminæ, sed & Servi & Liberti, Canes & Muscæ arcebantur. *Fuit*, inquit Alexander, *observatum, ut ab ejusmodi sacris nedum servi & liberti, sed & canis arceatur, nefasque visum sacra Herculis qui libertatem impartivit, quique ex servitute gentes exemit, nisi liberos attrectare.* de Musca Plutarch. *Problem.* CXC. Plinius lib. X. c. XXIX. his verbis: *Non æditui alteriusve diligentiæ, sed Religioni tribuit, quod Canis & Musca Herculis templum non intrarent.* Videsis plura apud eundem Alexandrum loco laudato, ubi præter hanc Aram fuisse & aliam Victoris Herculis in foro etiam Boario, qui triumphalis dictus est, cujus statua ab Evandro sacrata triumphi die habitu triumphali ornabatur. Imo & aliam profert ad Circum Maximum Cereris & Herculis, qui Custos cognominabatur, a Sylla ex prædicto Sibyllinorum carminum, ut multi autumant, erectam & constructam, quo spectant versus Ovidiani VI. *Fastorum*:

Ara Herculis in circo.

Altera pars circi custode sub Hercule tuta est:
Quod Deus Euboico carmine munus habet.
Muneris est tempus qui nonas Lucifer ante est
Si titulos quæris, Sylla probavit opus.

CAP. XII.

I. *Ara Cœlestis.* II. *Ad hanc Deorum conjuratio.* III. *Jupiter sacrificat.* IV. *Pharus dicta, & quid Pharus?* V. *Signum tempestatibus amicum.* VI. *A sacris initium ducendum.* VII. *Ara Cœli.*

LONGUM certe & arduum iter momento conficimus, si ab Ara illa Maxima, de qua capite superiori egimus, nobis est continuo in cœlum evolandum, ut propius quid illa sit cœlestis Ara, & unde eo delata, quaque potissimum occasione inventa, inspiciamus. Quid enim & cui bono illa in cœlo Ara? quæ ibi Hostiæ? quæ victimæ? quæ sacra? qui sacrificuli? a quo erecta? I. *Ara cœlestis.*

——— *Cœlone peractum*
Fluxit opus, Siculis an conformata caminis
Palladiane manu?

Hyginus lib. I. *Astronom.* ubi de ea Ara ex professo loquitur, illam ipsam fuisse asserit, in qua primum Dii bellum in Gigantes suscepturi sacra & conjurationem fecisse existimantur, ac ne ullus de Authore & fabricatore ejusdem Aræ dubitandi locus nobis relinqueretur; eam esse Cyclopum opus contendit. Fabula autem hæc haud sane illepida a Theone exponitur his verbis eleganter, & Eratosthenis authoritate confirmatur; Ἐρατοσθένης δέ φησι, τοῦτο τὸ θυτήριον εἶναι, ἐφ' ᾧ τὸ πρῶτον οἱ θεοὶ συνωμοσίαν ἐποιήσαντο, ὅτε ἐπὶ τοὺς τιτᾶνας ἐστράτευσεν ὁ Ζεύς, Κυκλώπων κατασκευασάντων, ἔχον ἐπὶ τοῦ πυρὸς κάλυμμα, ὅπως μὴ ἴδωσι τοῦ κεραυνοῦ δύναμιν. ἐπιτυχόντες δὲ τῇ πράξει, ἔθηκαν καὶ εἰς οὐρανὸν τὸ αὐτὸ κατασκεύασμα, ὃ καὶ εἰς τὰ συμπόσια φέρουσιν οἱ κοινωνεῖν βουλόμενοι, ἢ θύοντες αἱρούμενοι ἐν τοῖς ἀγῶσιν, καὶ τοῖς ὀμνύειν βουλομένοις δίδοται, ὡς δικαιοτάτην πίστιν τηρῶσι, καὶ τῇ χειρὶ ἐφάπτονται, δεικνύντες εὐγνωμοσύνης μαρτύριον τὸ πῦρ· ὁμοίως δὲ καὶ οἱ μαντεῖς οὕτω ποιοῦσι. Hoc est, *Eratosthenes vero ait hanc ipsam aram esse illam, in qua primum Dii conjurarunt, cum scilicet adversus Titanas Jupiter depugnavit, a Cyclopibus fabricatam & extructam, habentem juxta ignem operculum ne Gigantes vim fulminis deprehenderent. Peracta autem hac actione posuerunt hoc ipsum in cœlo ædificium, illudque in convivium ferunt, qui coire & communicare vellent, vel ipsum sequi ad pugnas, & juvare volentibus datur ut integerrimam fidem servarent; & manu tangerent, ostendentes integritatis & bonæ voluntatis suæ testem ignem. Pariter etiam Augures sic agunt.* En tibi Deorum ad Aram conjuratio. Hanc ex ejus facti memoria in cœlo quasi in templo positam, & micantibus stellis exornatam a Jove, refert Manilius libro I. *Astronom.* his versibus:

Ara cœlestis a Cyclopibus facta.

II. Ad hanc Dii conjurant in Gigantes.

Ipsius hinc mundi templum est; victrixque solutis
ARA nitens sacris, vastos cum terra Gigantes
In cœlum furibunda tulit, tum Dii quoque Magnos
Quæsivere Deos, &c.

Et statim:

——— *tunc Jupiter ARÆ*
Sidera constituit, quæ nunc quoque maxima fulgent:

III. *Jupiter Sacerdos.* Idem Manilius lib. v. ejusdem Operis apud eam Aram sacrificasse Jovem ipsum, imo sacrificuli partes explevisse ante pugnam; ut sic peractis rite sacris ac conceptis quodammodo votis in Gigantes sævissimos hostes, Dii fidentius prosilirent: clarissimo nempe mortalibus exemplo, nihil rite suscipi quod sacrificia non præcederent; cum id agere Diis ipsis immortalibus visum fuisset operæ pretium. Hi sunt Manilii versus:

Ara ferens Thuris stellis imitantibus ignem,
In qua devoti quondam cecidere Gigantes.
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Jupiter, ante Deos quam constitit ipse sacerdos.

IV. *Ara Pharus.* Hunc locum Josephus Scaliger emendatione indigere contendit: & sic legendum esse docet: *Ara ferens turris*, &c. Hujus verba ea sunt: *Quod enim*, inquit, *Ara cœlestis Pharus dicta sit, in sphæra mundi monuimus his verbis; Ara cujus ignes imitantur Phari*, φρυκτώρια *& ignium indicia sunt. Hodie freta in Italico idiomate dicuntur Phari, ut Pharus Messanæ, fretum Siculum, quod nimirum olim ibi turris vigilum ad Scylaceum posita esset.* Atque ea tam eruditi viri sententia, Isidori authoritate stabiliri ac confirmari potest: is lib. *Originum* XV. cap. II. ita habet: *Turris*, inquit, *est maxima, quam Græci & Latini in commune ab ipsius rei usu Pharum appellarunt, eo quod flammarum indicio longe videatur a navigantibus. Qualem Ptolemæus juxta Alexandriam construxisse, octingentis talentis traditur.* Usus autem ejus est nocturno navium cursui ignes ostendere ad prænuncianda vada portusque introitus, ne decepti tenebris navigantes, in scopulos incidant. Hinc igitur in portu machinas ad prælucendi ministerium fabricatas pharos dicunt: nam φῶς lux est, & ὁρᾶν videre.

V. *Ara sidus tempestuosum.* Ac quidem propter hunc prælucendi nautis usum, factum putem, ut Ara illa cœlestis, crederetur olim esse signum seu sidus amicum tempestatibus, quippe eo viso Nautæ de cessatura mox undarum ira, nec falso augurantur. Hoc sensu Aratus ita de hac ara loquitur his versibus:

Ἀλλ᾽ ἄρα καὶ περὶ κεῖνο θυτήριον ἀρχαίη νὺξ
Ἀνθρώπων κλαίουσα πόνον χειμῶνος ἔθηκεν.
Εἰνάλιον μέγα σῆμα; κεδαιόμεναι γὰρ ἐκείνῃ
Νῆες ἀπὸ φρενός εἰσι, τὰ δὲ ἄλλοθεν ἄλλα πιφάσκει
Σήματ᾽ ἐποικτείρουσα πολυῤῥοθίους ἀνθρώπους
Τῷ μή μοι πελάγει νεφέων εἰλημένων ἄλλων.
Εὔχεο μεσσόθι κεῖνο φαήμεναι οὐρανῷ ἄστρον.
Αὐτὸ μὲν ἀνεφελόν τε καὶ ἀγλαόν.

Quorum versuum is est sensus:

Sed & per hanc Aram primæva nox
Hominum deplorans calamitatem tempestates fecit.
Amicum sane valde signum: periclitantes enim illi
Naves dolori sunt, alicunde item alia docet
Signa, commiserans dissipatos homines.
Idcircoque mihi pelago obductis nubibus aliis
Opta in medio hoc apparere cœlo astrum,
Ipsum quidem innubilum & splendidum.

Ad hoc sidus ne accedat Phaeton filius monet Phœbus Pater lib. II. *Metam.* his verbis:

Neu te dexterior tortum declinet in anguem,
Neve sinisterior pressam rota ducat ad aram.

VI. *A Deo sumenda initia.* Cæterum, ut jam præmonuimus, ab eo Deorum facto, dicuntur homines, ut ait Hyginus, instituisse sibi, ut cum rem aliquam efficere conarentur, prius a sacrificiis inciperent, quam agere cœpissent. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, inquit Theocritus. Quem imitatus Virgilius in Eclogis:

Ab Jove principium musæ, &c.

Demosthenes *de corona*, πρῶτον μὲν θεοῖς καὶ θεαῖς πάσαις εὔχομαι. Et eleganter Plinius Junior initio *Panegyrici ad Trajanum*. Bene ac sapienter a majoribus institutum esse ait, ut agendarum rerum initium a Diis caperetur, qui mos cui potius quam Consuli usurpandus est, &c.

VII. *Ara Cœli Romæ.* His quæ de Ara cœlesti hactenus dicta sunt, brevissimam de Ara cœli appendicem adjungam. Res est scitu digna, viget etiam nunc in publico orbis terrarum theatro, ipsaque adeo Religionis arce, hoc est, Romæ, cum insigni virorum divino cultui addictorum cœtu vocabulum; cujus meminit D. Antoninus I. par. *Historiæ* tit. IV. cap. VI. ¶. X. is rem illam his fere verbis exposuit: *Eo die*, inquit, *quo Christus natus est cum Sibylla Octaviano Cæsari oracula promeret; die media circulus aureus circa Solem apparuit. In medio virgo puerum gestans in gremio visebatur: atque ea sic locuta perhibetur.* HIC PUER MAJOR TE EST, IDEO IPSUM ADORA; auditaque insuper ea vox est. HÆC EST ARA CŒLI. unde & illa Ecclesia, ubi tunc erat Octavii Palatium, nunc conventus est Ordinis Minorum, quem Sanctam Mariam de ARA cœli vocant. ibidem olim Jovis Feretrii templum fuisse tradunt Rom. antiquitatum studiosi ex Mich. Bouthero in *Fastis*. Idem fere iisdemque pene omnino verbis refert ex Orosio Petrus de Natalibus in catalogo: *Cum Romani*, inquit, *Octavianum pro Deo adorare vellent; ille ut erat modestissimæ naturæ vir, triduanas inducias petiit. Consuluit Sibyllam, cui media die circulus aureus circa Solem apparuit: & in medio virgo puerum gestans, hæcque sententia literis aureis inscripta legebatur:* HÆC EST ARA FILII DEI VIVENTIS. Tunc Sibylla rem omnem cujusmodi erat aperuit, ostenditque puerum illum nuper natum, quem Augusto Majorem esse asseruit. Nec mora supplex Imperator ac venerabundus eidem sacrificavit, in eo ipso loco ubi nunc Ecclesia est quæ Sancta Maria de Ara Cœli dicitur. Scilicet illa ipsa erat Ara, quæ prophanorum hominum Aras mox destrueret, quæque ipso Christi Domini veræque fidei ac Religionis exortu, cæteras dæmonum Aras cum nefandis ac sceleratis sacris, in perpetuas damnaret tenebras Deorum fana, diros cultus, impiamque superstitionem prosterneret ac pessum daret: & Christianæ Religionis primordia insigni miraculo, quod Imperatori Romanorum, idest, communi gentium pene omnium Principi innotuit, illustraret. Ad hæc & alia Romæ prodigia eo ipso tempore contigerunt. Nam,

ut ait Innocentius Papa sermone tertio, dominicæ nativitatis Templum pacis Romuli tempore extructum nocte nativitatis cum Idolis & Aris omnibus corruit. Nascente nimirum eo qui & Deus, & author veræ pacis, melioris & tranquillioris vitæ spatia ingressus, in æternam & molestiæ omnis expertem vitam cultores suos assereret.

C A P. XIII.

I. *Fœdera ad Aram concepta.* II. *Aræ tangendæ ritus in Fœderibus.* III. *Dii communes.* IV. *Aræ Propitiæ.* V. *Aræ Saxa.* VI. *Aræ inter jurandum tactæ.* VII. *Hannibal ad Aram.* VIII. *Nuptiæ ad Aras.* IX. *Amicitia inita ad Aras.*

I. *Fœdera ad Aram concepta.*

FOEDERIS sive Deorum adversus Gigantes conjurationis ad Aram conceptæ formulam ac ritum in superiori capite, audivimus. Usus postea obtinuit teste Turnebo, ut religio fœderis ac jurisjurandi ipsos inter homines, ejusdem Aræ contactu nec non ignis testatione sanciretur: atque ad eas fœderum aras pertinet primum egregius Virgilii locus lib. *Æneid.* VIII. his versibus:

Post iidem inter se posito certamine Reges
Armati Jovis ante aras paterasque tenentes
Stabant & cæsa firmabant fœdera porca.

Quæ nimirum Fœderum aræ ut magna piorum religione colebantur, ita facile ab improbis neglectæ, violatis fœderibus sternebantur, unde idem Virgil. lib. *Æneid.* XII. de Rutulis fœdifragis:

Diripuere Aras, it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, &c.

Contra vero Æneas, ut erat insignis pietate vir, vocatis in fidem & violati fœderis dignissimam ultionem Diis; quasi ad arma cogeretur, elatis sursum manibus cum voce,

Multa Jovem & læsi testatus fœderis Aras.

Testes Aræ hic eleganter, nam antiquitus majoris Religionis ergo, in testimonium rei promissæ ac peractæ, citabantur. Thetis Achillem filium Lycomedi regi commendat fidejussores Deos & velut Prædes aras assumens, hoc modo apud Statium *Achill.* lib. I.

Protinus aggreditur regem, atque ibi testibus aris,
Hanc tibi, ait, nostri germanam Rector Achillis
Tradimus, &c.

Eleganter Silius Italicus in descriptione cujusdam templi, violata a Carthaginiensibus fœdera, & pollutas nequissimo facinore aras his versibus depingit:

Sed pacis faciem, & pollutas fœderis aras,
Deceptumque Jovem, ac dictantes jura Latinos
Cernere erat; strictas trepida cervice secures
Horrebat Libys, ac submissis ordine palmis
Orantes veniam jurabant irrita pacta.

Juvat eundem audire sæpe & eleganter ca-

A nentem lib. XVII. de Syphace, qui sæpius fœdus cum Romanis ictum violaverat:

Immemor is dextræque datæ, junctique per aras
Fœderis, & mensas testes atque hospita jura,
Fasque fidemque simul pravo mutatas amore
Ruperat, atque thoros regni mercede pararat.

Et paulo post:

Ergo asper monitis frustra nitentibus, enses
B *Advocat, & captas polluti fœderis aras*
Testatus, varia Martem monet impiger arte.

Et statim:

—— —— violavit & aras
Cœlicolum, & casti ductoris fœdera rupit.

Sed in fœderibus potissimum ineundis valuit ille mos, ut aræ & sacra in fidei pignus tangerentur; quod ipsum etiam in præstandi juramenti formula servabatur, ut mox dicturi sumus. Ac primum quantum spectat ad fœderis sanctionem illud C præclare omnino, ut solet omnia, expressit Virgilius lib. *Æneidos* XII. in celebri illo fœdere, quod Æneam inter & Latinum initum est: *II. Mos tangendi aras in fœderibus.*

Tango aras, mediosque ignes, & numina testor,
Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent.

Statuerant autem Rutuli & Trojani hinc inde suos quisque Deos fœderis hujus testes, & si violaretur dolo malo, ultores ac vin-D dices:

In medioque focos & Diis communibus Aras.

Aut si mavis communes Deos appellare eos, quibus velut in commune una eademque ara erigebatur. Hos puto a Græcis ὁμοβωμίους θεοὺς appellari. Servius ad citatum Virgilii locum Deos communes, quibus excitatas fuisse aras Poeta testatur, appellat Bellonam & Victoriam, quod nimirum utrique parti favere possint. Nec dissimili sententia Homerus passim Martem bellorum ac E victoriarum Deum Ἄρην ἄλλο πρόσαλλον, ξυνὸν ἐνυάλιον, ἑτεραλκέα νίκην, & δημήτερα κοινοβωμίας. Communium ararum etiam meminit Æschylus in *supplicibus*: *III. Dii communes.*

Πάντων δ᾽ ἀνάκτων τῶν δὲ κοινοβωμίαν
Σέβεσθ᾽ ἐν ἁγνῷ δεσμὸς ὡς πελειάδων.

Id est,

Omnium vero Regum communes Aras
Colite sancte ac pure ut vinculum columbarum.

Ad Aras fœderis pertinent & illæ aræ, quas F propitias vocant, Sardiniam inter & Africam, icto scilicet ad eos scopulos quondam fœdere inter Romanos & Carthaginienses, Lutatio Consule, ut author est Turnebus *Adversariorum* lib. XXVI. cap. XXIII. ad hunc Virgilii locum *Æneidos* I. *IV. Aræ propitiæ.*

Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras.

Aræ, inquit, *fuerunt propitiæ novem*; rectius fortasse *nomine* (ut annotavit vir juris & omnis eruditionis scientissimus Franciscus Pithœus Petri frater, Collegii Trecensis, quod nostrorum, hoc est, Oratorii Domini *Turnebi locus suspectus.*

Jesu Presbyterorum moderatione viget floretque, ad oram sui codicis, quem ego tribus abhinc fere annis, cum Rhetoricæ scholis præessem, vidi & evolvi) *Id nimirum*, inquit Turnebus, *obtinuit icti fœderis religio, ut illi scopuli, ad quos ictum fœdus fuit, vel quibus tanquam aris ritu jampridem recepto usi fuerant, aræ dicerentur*. Plinius ægimoros ait contra Carthaginis sinum verius scopulos quam insulas esse. Pintianus aras has Virgilianas esse suspicatur. Tit. Livius lib. XXII. Ægathes vocat, & ad eos scopulos ictum fœdus scribit. De his aris, ut quibusdam placet, intelligendus est Lucanus lib. VIII. his versibus:

Lucani locus explicatur.

—— —— *augustius aris*
Victoris Libyco pulsatur in æquore saxum
Tarpeiis, qui sæpe Deis sua thura negarunt
Inclusum fusco venerantur cespite fulmen.

Quo quidem ex loco, ut subjungit Turnebus, intelligimus saxa illa, magna veneratione ac religione fuisse culta. Pace tamen tanti viri, tamque insigniter de literarum Republ. meriti dixerim, Lucanum non de illis aris aut scopulis loqui, sed de Cnei Pompeii tumulo, vili certe & tanto Imperatore indigno, quem a Cordo quodam excitatum fingit Lucanus, adhibito saxo & titulo, quo Pompeii sepultura nosceretur. Sic Lucanus:

—— —— *tum ne levis aura retectos*
Auferret cineres, saxo compressit arenam,
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen
HIC SITUS EST MAGNUS; *placet hoc fortuna sepulchrum*
Dicere Pompeii.

Quis non miretur tantum virum in re tam facili tam infeliciter aberrasse? Sensus igitur Lucani is est, saxum hoc quod Pompeii semiustulati cineribus impositum est a Cordo, augustius esse & sacratius quam templa, statuæ, & aræ, quas populus Romanus Cæsari victori consecravit.

V. *Aræ saxa.* Sed unde illa saxa aræ appellatæ? an quod ea quasi in aræ similitudinem ac formam aquis extent? aut quod iis tanquam aris usi sint Romani & Carthaginienses ad fœdus fanciendum? certe saxa aras dici nonnunquam, clarissimorum virorum opinione didicimus. Joannes Meursius vir inter Belgas literaturæ non vulgaris, in expositione Taciti lib. *Annal.* II. ad hæc verba: *Sola Germanici Triremis Chaucorum terram appulit; quem per omnes illos dies noctesque, apud scopulos & prominentes Oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici quominus eodem mari oppeteret*. Meursius, inquam, non prominentes *oras*, sed *aras* legendum esse contendit. Multa item alia proferri possunt authorum exempla, quibus ea lectio non defendi modo, sed ut vera confirmari possit. Nam & Ausonius epist. ad filium secunda, ut recte habet vetus codex, aras pro saxis ac scopulis usurpavit. Cum enim scribit se solum in molibus aut crepidinibus Mosellæ ceterisque locis ibidem prominentibus errare, sic ait:

Desertus vacuis solisque exerceor aris.

Ad quem versum Julius Scaliger plane author aliger ac sublimis, *lectionum Ausonian.* lib. II. c. XXI. *Aræ*, inquit, *sunt margines seu crepidines prominentes earum molium, quibus flumina, ut loquitur Lucretius, oppilantur, vulgo Franci* Kajos *vocant; nam* Kajare *apud Veteres erat cohibere, coercere & compescere*. Claudianus de VI. Consul. Honorii Imp. aras saxo minantes eodem sensu dixit his versibus:

Qua mons arte patens, vivo se perforat arcu,
Admisitque viam sectæ per viscera rupis,
Exuperans delubra Jovis, saxoque minantes
Apenninigeris cultas pastoribus aras.

Tertullianus etiam lib. *de pallio* ea voce est usus, cum de edito loco seu saxo loquitur. *Soleo*, inquit, *de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere*.

Sed de his satis. Non fœdera solum ad aras antiquo ritu, sed & juramenta conceptis verbis firmabantur. Imo etiam hodiernis temporibus, ne sæpius ad Veterum mores videamus respicere, ad Aras admota sacris ut vocant Evangeliorum libris manu, Principes Christiani fœdera & juramenta inter se confirmant. Sed quia de Veterum ritu & aris hoc in opusculo quæstio est in primis, illud nobis quod antiquitus est factum, relinquitur investigandum. Et certe frequens omnino apud Veteres illos jurandi ratio & solemnis admodum, quæ tactis aris præstabatur: nimirum puto, ut sacrorum religione fides data vicissim acceptaque mutuo sanciretur. Quin & Judices nunquam nisi præstito prius rite sacramento (quod & nunc fieri passim in supremis Senatibus animadvertere est) ad augustum Themidis templum admittebantur. Id præclare & eleganter docet D. Ambrosius in Epistola XXX. quæ est *ad Imperatorem Valentinianum* lib. V. ubi Imperatorem ab ea ara, quæ erat in curia, & ad quam Judices ac Senatores Ethnici jurabant, restituenda ac reponenda deterret, his verbis: *Si hodie Gentilis aliquis Imperator (quod absit) Aram statueret simulacris, & eo convenire cogeret Christianos, ut sacrificantibus interessent, ut oppleret ora & anhelitus fidelium cinis ex Ara, favilla de sacrilegio, fumus ex busto; & in ea curia sententiam diceret, ubi jurati ad Aram simulacri in sententiam cogerentur, (propterea enim locatam aram interpretantur, ut ejus sacramento, ut ipsi putant, unusquisque conventus consuleret in medium) cum curia majore jam Christianorum numero sit referta, persecutionem esse crederet Christianus, qui cogeretur tali optione ad Senatum venire: quod fit plerumque; nam etiam injuriis convenire coguntur. Te ergo Imperatore, Christiani in aram jurare cogentur? quid est jurare, nisi ejus quem testare fidei præsulem, divinam potentiam confiteri? Te Imperatore hoc petitur & postulatur ut Aram jubeas elevari, sumptum sacrificiis prophanis dari,* &c. *Dignum est temporibus vestris, hoc est, Christianis temporibus, ut dignitas Christianis Senatoribus abrogetur, quo Gentilibus Senatoribus profanæ deferatur voluntatis effectus?* &c.

VI. Jurantum ad Aras.

Judices Jurati.

Id ipsum Symmachus ad eundem Imperatorem confirmat.

Eodem pertinet locus Plutarchi in *Pericle*, qui parœmiæ instar esse potest ex ara ferre sententiam, ut & is Ciceronis in orat. *pro Flacco*. *Is*, inquit, *si aram tenens juraret, crederet*

deret nemo, per Epistolam quod volet juratus probabit? Notum & illud de Socrate, cui injurato populus Atheniensis, tanta erat de viro sapientissimo opinio, credebat; cum vix aliis juratis crederetur.

Vis juramenti. Hoc autem vinculo retinentur dubiæ hominum voluntates; hoc sigillo obsignatæ voluntates muniuntur. Hinc nobilis illa & suo digna authore celebratur Periclis sententia: *Ad Aras usque me amicum esse oportet:* qua nimirum significatur, neminem vel amici quantumvis causa, aut pejerare, aut inhonestum quidquam facere oportere. Quanquam, malum! multos videas, qui cum Euripide jurasse se lingua, cæterum mentem injuratam habere profiteantur, ut sunt faciles multi ad jurandum & contemptu religionis pejerandum, inquit Ulpianus in lege quæ sub conditione D. *de condit. Instit.* de hac nimirum hominum passim pejerantium perfidia querebatur Poeta satyricus, Satyr. XIII.

Tam facile & pronum est superos contemnere testes,
Dum mortalis idem nemo sciat, accipe quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus,
Per Solis radios Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque puellæ,
Perque tuum pater Ægæi Neptune tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervæ,
Quicquid habent telorum armamentaria cœli.

Formula jurandi. Qua in satyra Juvenalis præter elegantem sane perjuri & perfidi hominis ὑποτύπωσιν, etiam jurandi formulam expressit, *Juro per*, ut & statim tangendæ aræ ritum:

Atque adeo intrepidi quæcumque Altaria tangunt.

Idem Satyricus Satyra XIV. de pejerante:

Falsus erit testis, vendet perjuria summa
Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.

Virgilius XII. *Æneidos* de Latino Rege:

Hac eadem Ænea terram mare sidera juro
Tango aras mediosque ignes, &c.

Jurisjurandi ad Aram Saturni concepti meminit Lycophronis *Cassandra* his verbis:

Οἳ δ' ἀμφὶ βωμὸν τοῦ προμάντιος Κρόνου
Σὺν μητρὶ τέκνων νηπίων κρεανόμου.
Ορκων τὸ δευτεροῦχον ἄρσαντες ζυγόν.

Id est: *Illi vero juxta vatis Aram Saturni pullorum cum matre parvulorum carnivori: Jurisjurandi secundum subeuntes jugum.*

Formulam vero jurisjurandi corporaliter (ut authoris verbo utar) præstiti, inquit Brissonius lib. VIII. *Formul.* conceptis verbis, & adversario præeunte habemus apud Plautum in *Rudente* act. V. sc. II. hoc modo, Gripo & Labrace interloquentibus:

G. *Tange Aram hanc Veneris.* L. *Tango.*
G. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.*
L. *Quid jurem?* G. *Quod jubebo.*
L. *Præi verbis quidvis, id quod domi est,*
Nunquam ulli supplicabo.
G. *Tene Aram hanc.* L. *Teneo.*
G. *Dejura te mihi argentum daturum*, &c.

Notum illud Tit. Livii lib. XXI. de clarissimo Imperatore Carthaginiensium Hannibale: quibus se verbis, quam solenni ritu ad Aram se hostem fore pop. Romano ubi ætas accessisset vovit: *Fama est*, inquit Livius, *Hannibalem annorum ferme novem pueriliter blandientem patri Amilcari, ut in Hispaniam duceretur, cum perfecto bello Africo eo exercitum trajecturus sacrificaret; altaribus admotum, tactis sacris jurejurando adactum se cum primum posset, hostem fore populo Romano.* Quod ipse Hannibal Antiocho Regi diffidenti sibi postea confirmavit, ut est apud eundem Livium lib. V. decad. IV. hoc modo: *Pater Amilcar*, inquit, *Antioche parvum admodum me cum sacrificaret altaribus admotum jurejurando adegit nunquam amicum fore populo Romano. Sub hoc Sacramento sex & triginta annos militavi; hoc me in pace patria mea expulit: hoc patriæ extorrem in tuam Regiam adduxit: hoc Duce, si tu spem meam destitueris, ubicumque vires, ubi arma esse sciam, inveniam toto orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes*, &c. VII. *Hannibal ad aras jurat.*

Idem Hannibalis sacramentum, idem ad aras votum extat apud Polybium lib. III. his verbis: καθ' ὃν καιρὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ τὴν εἰς Ἰβηρίαν ἔξοδον μέλλοι στρατεύεσθαι μετὰ τῆς δυνάμεως, ἔτη μὲν ἔχειν ἐννέα. θύοντος δὲ αὐτοῦ τῷ Διΐ, παρεστάναι παρὰ τὸν βωμόν. ἐπεὶ δὲ καλλιερήσας κατασπείσαι τοῖς θεοῖς, καὶ ποιῆσαι τὰ νομιζόμενα, τοὺς μὲν ἄλλους τοὺς περὶ τὴν θυσίαν ἀποσταθῆναι κελεύσας μικρόν. αὐτὸν δὲ προσκαλεσάμενος ἔροιτο φιλοφρόνως ὡς εἰ βούλοιτο συνεξορμᾶν ἐπὶ τὴν στρατείαν. ἀσμένως δὲ κατανεύσαντος αὐτοῦ, καὶ τι προσαξιώσαντος παιδικῶς λαβόμενον τῆς δεξιᾶς. προσαγαγεῖν αὐτὸν πρὸς βωμὸν, καὶ κελεύει ἁψάμενος τῶν ἱερῶν, ὀμνύναι μηδέποτε Ῥωμαίοις εὐνοήσειν. Idem pene habet Appianus *de bello Hispanico*: ἐλέγετο δὲ καὶ παῖς ὢν ἔτι, ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὁρκωθῆναι ἐπὶ ἐμπύρων, ἄπειστος ἐχθρὸς ἔσεσθαι Ῥωμαίοις, ὅτε εἰς πολιτείαν παρέλθοι. Et alio idem in loco: λεγόμενος δὲ καὶ ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐπὶ βωμῶν ἔτι παῖς ὁρκωθῆναι Ῥωμαίοις ἐπιβουλεύων, οὔποτε ἐκλείψειν. Æmilius etiam Probus iisdem fere quibus Livius ac Polybius verbis Hannibalem apud Antiochum Regem purgantem sese inducit: *Pater*, inquit, *meus Amilcar puerulo, ut pote non amplius novem annos nato, in Hispaniam Imperator proficiscens, Carthagine Jovi Opt. Max. hostias immolavit. Quæ divina res dum conficiebatur, quæsivit a me vellem ne secum in castra proficisci? id cum ego libenter accepissem, atque ab eo petere cœpissem ne dubitaret ducere: tum ille, faciam, inquit, si fidem mihi quam postulo dederis: simulque ad Aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat; eamque cæteris remotis tenentem jurare jussit nunquam me in amicitia cum Romanis fore.* Luc. Florus lib. II. cap. VI. uno verbo suo scilicet more rem illam totam est complexus: *Hinc*, inquit, *in ultionem puer Annibal ad Aram patri juraverat.* Inter tot Historicorum voces, nefas erit Poetis vel hiscere? Egregie Silius Ital. in *clypeo Hannibalis*, eundem Imperatorem cum Sacerdote venefica ad Aras jurantem expressit his versibus:

Parte alia ſupplex infernis Hannibal aris
Arcanum ſtygia libat cum vate cruorem,
Et primo bella Æneadum jurabat ab ævo.

Idem de Hannibalis filio fingit; cum pater ad conjugem ſic filiolum commendat:

Hoc pignus belli conjux ſervare labora;
Cumque datum fari, duc per cunabula noſtra,
Tangat Elizæas palmis puerilibus aras
Et cineri juret patrio Laurentia bella.

Quæ odia, quæ bella olim Dido moritura ſtirpem omnem Trojanorum execrata immani devotione, futura prædixerat; ut eſt apud Virgil. IV. *Æneidos* his verſibus:

Tum vos o Tyrii, ſtirpem & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro
Munera, nullus amor populis, nec fœdera ſunto.
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc olim, quocumque dabunt ſe tempore vires,
Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis; pugnent ipſique nepotes.

Nec vero omittam Lucianum, qui tangendæ aræ ritus quotieſcumque res aliqua jurejurando ſanciretur, meminit in *Jove Tragœdo* his verbis: ὥςε νὴ τὴν ἄγκυραν τὴν ἱερὰν ἐθέλω σπείσασθαι, ἤδη πρὸς σὲ ἐπὶ αὐτῶν τε τῶν βωμῶν, ὡς μηκέτι περὶ τούτων ἐρίζοιμεν. Id eſt, *Itaque per ſacram illam anchoram, tecum etiam ſuper aris paciſci volo nos hac de re non amplius diſputaturos.*

VIII. *Nuptiæ ad Aras.* Quod autem ad Aras præter juramentum, etiam nuptiæ peragerentur, & ad eas more antiquo novæ nuptæ ſponſique ſacramentum concipere conſueviſſent, in primis author eſt Pauſanias lib. VI. ubi de Lucinæ templo & ara ejuſdem Deæ Nuptiarum Præſidis verba facit. atque illa ipſa ſunt ſacra illæ aræ, quas Timæus lib. II. *Hiſtoriæ Italicæ*, ut eſt in Mythologia Deorum, celebrat, cum Jaſonem refert in Inſula Corſica duxiſſe in matrimonium Medeam. viguiſſe ad ſua uſque tempora eam conſuetudinem, ut ſacrum quotannis in ea Apollinis ædicula, ubi illa nuptiarum primitias voverat, peragéretur. Ferunt inſuper in perpetuum rei argumentum duas excitaſſe aras, alteram Nymphis, Nereidibus alteram, haud ita longe a mari, ut ſacrorum religione, conjugale fœdus ſanctius & auguſtius redderetur. illæ ipſæ ſunt nimirum aræ, quas Jaſon Medææ adblandiens juraverat apud Valerium Flaccum & Senecam: *Dii conjugales, tuque genialis thori Lucina cuſtos*, &c. *quoſque juravit mihi Deos Jaſon*, &c. Aras quidem non expreſſit, ſed ſacra, ſed Deos, qui Aris colebantur. Audi eundem Poetam aras in nuptiis Neronis & Poppææ disertis verbis exprimentem his verſibus ex *Octavia* act. IV. ſc. I. quibus Nutrix Poppæam tam magnificum matrimonium gratulatur:

Certe petitus precibus & votis dies
Noſtris refulſit, Cæſari juncta es tuo
Tæda jugali, &c.
O qualis, altos quanta preſſiſti toros
Reſidens in aula! vidit attonitus tuam
Formam ſenatus, thura cum ſuperis dares,
A *Sacraſque grato ſpargeres aras mero,*
Velata ſummum flammeo tenui caput, &c.

In nuptiis aras & ſacrificia aliaque id genus quæ Religionis ſunt agnoſcit Statius lib. II. *Thebaidos*, ubi Nuptiarum ceremonias fuſe exequitur:

Ergo alacres Argi, fuſo rumore per urbem
Adveniſſe Duci generos, primiſque Hymenæis
Egregiam Argiam, nec formæ laude ſecundam
Deiphilen, tumida jam virginitate jugari
Gaudia mente parant, &c.
B *Hi fibris animaque litant, hi ceſpite nudo*
Nec minus audiri, ſi mens accepta meretur
Thure Deos, fractiſque oſtendunt limina ſidus.
Viderat hoc conjux perituri vatis, & aras
Ante omnes, epulaſque trucem ſecreta coquebat
Invidiam, &c.

Idem Poeta in *Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, cum aræ & ſacra paſſim Romæ pararentur, ſic ait:

C *Noſco diem cauſaſque ſacri, te concinit iſte*
Pande fores, te Stella chorus, tibi Phœbus & Euen
Et de Mœnalia volucer Tegeaticus umbra
Serta ferunt, &c.

Ad eas nimirum Deorum conjugalium aras mutuis ſe fidei pignoribus conjuges devinciebant. Nec vero ita inepte in hunc locum quadrat Juſtini Hiſtorici locus libro XXIV. ubi de perfido Macedonum Rege Ptolemæo agit. *Quo*, inquit Juſtinus, *perducto in ſanctiſſimum Jovis templum veterrimæ Macedo*D*num Religionis, Ptolemæus ſumptis in manus altaribus, contingens ipſa ſimulacra & pulvinaria Deorum, inauditis ultimiſque execrationibus adjurat, ſe ſincera fide matrimonium ſororis petere.* Quam tamen poſtea crudeliſſimus & ſanguinis oblitus ſui ac fidei tam ſancte ad Aras præſtitæ jugulavit. In cujus ſceleris aliorumque inſuper vindictam a Gallis ipſe mox profligato exercitu obtruncatus eſt. Quam apte huic Ptolemæi facinori, ac perfidiæ ſingulari congruit illud Ariſtophanis ἐν Ἀχαρνεῦσιν, & Euripidis *in* E *Spartanos*, quorum ille perfidiam ſuggillavit; Σπάρτης ἔνοικοι δόλια βουλευτήρια, ideſt, *Spartæ incolæ doloſa conſultamina*, cæteriſque fidei fœderum, ac juramenti violatoribus:

Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίςις, οὔθ'
Ὅρκος μένει.

Id eſt,

Quibus nec Ara, nec fides, nec ulla
Durant fœdera.

Ut fœdus & nuptiæ ad Aram, ſic & inita IX. *Amicitia ad Aras inita.*
amicitia eſt. Hyaniſbe Mauritaniæ Regina F Poliarchum & Archombrotum ad Neptuni aram coegit, ut mutuam inter ſe amicitiam adjecto religionis vinculo firmiorem ſancirent, apud Barclajum *Argenidis* lib. V. *Erat vetus*, inquit, *in littore ara, incertus quis Regum poſuiſſet, pollebatque religione quam tot ſæcula auxerant. Illic Neptuno, ventiſque aut thura pauperes Nautæ, aut victimâ ſolvebant, ſive in mare irent, ſive terra recepiſſet incolumes. Ad eam Poliarchum & filium jam claſſem petituros coegit Hyaniſbe: nec dubito, inquit, utrique ad ea quæ mihi promiſit integrâ fidem fore.*

Sed de præteritis tantum jurgiis hactenus cavi. Scio vero quam facile cupidis belli Principibus ea eveniant, quibus soluta esse induciarum pacta aut jactent, aut credant. Præterea vestrorum amicorum aut militum culpa, oriri possunt novæ injuriæ, neque istis comprehensæ induciis. Si quid erit hujusmodi, ego vos per sanctissimam Aram Dei, cujus regna jam subitis, devinctos hic cupio, ut illa nova annumeretis veteribus, quorum ambo vindictam mei causa distulistis; neu quis turbo felicitatem præripiat, in quam ego vos mitto. Agite charissimi juvenes, & mulieri vestra causa anxiæ hanc veniam date. Interim paribus votis utrumque commendabo Numinibus. Nam si rationem possum inire, cui plus timeam, Deos veneror, ut mandata mea neuter accuret, aut sospitem deinde aspiciat. Victi sunt tam ingenuo amore, quodque illa jubebat ad ARAM sanciverunt.

Sed nimis fortasse in his immoramur diu; si quid longiori quam par erat mora peccatum est, ad Aras confugii, si placet, cum antiquis concedamus.

CAP. XIV.

I. *Ara Asylum omnibus.* II. *Servis.* III. *Supplicibus.* IV. *Injuria affectis.* V. *Victis.* VI. *Desperatis.* VII. *Reis.* VIII. *Violare nefas & impium.*

I. *Ara Asylum omnibus.*

FOECUNDUS certe & late patens est de Ara confugii scribendi locus, Græcis perinde ac Latinis celebratus authoribus: nec ulla fere gens tam barbara tamque incultis prædita moribus, quæ non ea in re Deis ac Religioni decesserit, tutum quippe semper ac ubique terrarum fuit ad Aras perfugium, Romuli Asylo quod violare fuit nefas, unde & illi nomen, tutius & sacratius. Hoc divinis & humanis legibus passim confirmatur. Sed quia Asylum nominavimus, de eo pauca prælibare haud alienum erit a proposita materia. Primum omnium Cadmum dum Thebas conderet Asylum aperuisse ferunt, ad quod fugientes sine discrimine servi aut liberi ab omni pœna erant immunes. Hujus Asyli meminit Tacitus *Ann.* lib. III. Pausanias lib. VII. Epigram. Græc. ex *Antholog.* lib. IV. Alex. ab Alex. lib. III. c. XX. Nonnulli a prognatis Herculis Asylum Athenis primo institutum ferunt, ad quod a Patribus oppressis confugere fas erat, ut ait idem Alexand. loco cit. & confirmatur authoritate Statii lib. VII. his versibus:

Fama est defensos acie post busta Paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.

Post quod in Rheteo littore fuit Ajacis Asylum & in Sigeo Achillis, ut est apud Strabonem lib. III. quorum omnium exemplo Romulus & alii Asylum aperuere, quo accedentes impunitate donabantur. Apud Molossos, Samothracas, Crotoniatas, Messenios & plerosque ad Deorum aras confugisse pro Asylo habitum: velut Ithacensibus Jovis Servatoris Ara, delictis enim non voluntariis refugium esse aras putavere, ex Alexand. ab Alexand. Plutarcho in *Themist.* P. Æmil. Pompejo, Diodoro Sic. lib. XI. & XII. & Pausan. lib. IV. Extant Imperatorum leges sanctissimæ, de iis nimirum qui ad templa & aras confugissent, quos non modo plectere, sed ne attingere quidem nefas semper visum. Id Honorii, Theodosii, & Valentiniani aliorumque Principum ac Regum edictis constitutum est. Tantæ Religionis ac pietatis semper ea visa lex, ut ipsis etiam latronibus esset salutaris, quo pertinet celebris hic Plutarchi locus in διειδιδ. ἔστι καὶ δούλῳ φεύξιμος βωμός; ἔστι καὶ λῃσταῖς ἀβέβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν, καὶ πολεμίους φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναοῦ θαρροῦσιν. Id est, *Aræ sunt ad quas confugere tuto servus possit: Multa sunt, quæ a latronibus non violantur templa, & qui hostem fugit, simulachrum aut Fanum tenens animam recipit.* Hinc *ad aram confugere* proverbiali sententia dicimus, cum scilicet extremum refugium ac periculum volumus designare: nam qui olim ultima necessitate premebatur urgebaturque, ad Aras solebat confugere, atque inde eum extrahere nefas censebatur. Cicero passim usus est hoc proverbio, in orat. *pro Roscio*, lib. III. *de nat. Deorum*, & actione IV. *in Verrem*: *Quod vos*, inquit, *cum facere non potestis, tanquam in Aram ad Deum confugitis*, &c. *Erodes sicut in aram confugit in hujus domum.* Et in Senatu, ubi de Clodio agebatur: *Hic nisi in aram Tribunatus confugisset, vim Prætoris effugere non potuisset.*

II. *Ara Asylum servis.*

Quamvis igitur passim omnes ut sese res dabat, eo genere tutelæ uterentur: Servos tamen potissimum eo usos fuisse constat, quoties crudelem in modum ab Heris suis tractarentur. Ecce tibi aperte Euripides: ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν, δοῦλος δὲ βωμὸν Θεῶν. Hoc est, *habet enim perfugium fera petram aut cavernam, servus vero Aram Deorum.* Apud Plautum servulus quidam: *Ego*, inquit, *interim hanc aram occupabo.* Duo autem fuisse servorum perfugia, aram scilicet & deprecatorem accepimus. Quo videtur respexisse Terentius act. V. sc. II. *Heautont.* *Nemo*, inquit, *te accusat Syre*, (nomen Servo erat) *nec tu aram, nec precatorem pararis.* Sed ara sine precatore satis erat ad tuitionem, precator vix sufficiebat: semperque ara visa est potior ac tutior, cum homines Deorum religione maxime tenerentur moverenturque: quamvis tamen nonnunquam ab iratis & victoribus,

Ut arma non servant modum,
Nec temperari facile ac reprimi potest
Stricti ensis ira.

Seneca in *Hercule Fur.* ea res parvi imo nihili duceretur.

III. *Ara refugium supplicibus.*

Familiare ac frequens supplicibus ad Aram perfugium fuit: eo illi accedebant deprecaturi injuriam, si quid Deos hominesve offendissent. Ovidius exilio multatus ab Augusto, non aliter lenitum iri infensum ejus animum ait, quam si ad ejus Aram confugiat. Ita enim se quasi dubitantem de Augusti clementia eo ipse excitat, his versibus lib. V. *Trist.*

Quid dubitas & tuta times? accede, rogaque.
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.
Me miserum quid agam? si proxima quæque relinquunt:
Subtrahis & fracto tu quoque colla jugo.
Quo ferar? unde petam lapsis solatia rebus?
Anchora jam nostram non tenet ulla ratem.

Viderit, ipse sacram quamvis invisus ad aram
Confugiam, nullas summovet ara manus.
Alloquar ast absens absentia numina supplex,
Si fas est hominem cum Jove posse loqui.

Idem prope Tibullus habet, cum iratam sibi Venerem placaturum se, vinctum & jacentem ad ipsius aram dicit lib. IV.

Jam faciam quodcumque voles, hujus usque manebo,
Nec fugiam notæ servitium dominæ.
Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aram;
Hæc notat injustos supplicibusque favet.

Extat insignis Achillis Tatii locus lib. VIII. de quodam qui supplex Minervæ factus indignissime tamen ad aram vapulabat: τοῖς μὲν πονηροῖς αἱ τῶν ἱερῶν ἀσυλίαι δίδοασι καταφυγὴν, ἐγὼ δὲ μηδὲν ἀδικήσας, ἱκέτης δὲ τῆς Ἀρτέμιδος γενόμενος τύπτομαι παρ' αὐτῷ τῷ βωμῷ. Hoc est, *malis ac nocentibus sacrorum immunitates sunt, & dant perfugium. ego vero qui nihil nocui ac neminem læsi, supplex autem Minervæ factus vapulo ad hanc Aram*. Philo etiam Judæus aram supplicibus saluti esse ac securitati testatur his verbis: περὶ φυγάδων, τῆς μόνοις ἱκέταις πρὸς σωτηρίαν καὶ ἀσφάλειαν καταφυγῆς τοῦ βωμοῦ στερόμενος. Hoc est, *privatus perfugio aræ solis supplicibus ad salutem & securitatem, & sane his etiam ab hostibus sævissimis fere parcitur*. Agesilaus Lacedæmoniorum Dux victis Atheniensibus & Bœotiis gravi prælio, magnum sibi decus servatis, qui ad aras confugerant, peperit. *Hujus victoriæ*, inquit Æmilius Probus in ejusdem Imperatoris vita, *vel maxima fuit laus, quod cum plerique ex fuga se in templum Minervæ conjecissent, quærereturque ab eo, quid his fieri vellet: & si aliquot vulnera acceperat, eo prælio, & iratus videbatur omnibus qui adversus arma tulerant; tamen antetulit iræ religionem, & eos vetuit violari. Neque hoc solum in Græcia fecit, ut templa Deorum sancta haberet; sed etiam apud Barbaros, summa religione omnia simulacra arasque conservavit.* Diodorus Siculus lib. XI. Tabellarium Pausaniæ (huic Argilio nomen fuit) ipsumque adeo Pausaniam proditionis accusatum, supplicem ad aras confugisse tradit. Unde illum extrahere nefas esse dixerunt Lacedæmonii, quanquam illum ibi templo inclusum inedia peremerint: *Pausanias*, inquit, *illuc ad eum properat, & percontanti quænam causa eum ad Deorum Aras supplicem confugere compulisset*, &c. Et statim: *Pausanias id præsentiens ne ulla salutis spes esset, comperto flagitio, extremum occupare præsidium studet, ad Deos in templum Palladis æneum confugit. Dubitantibus tum Lacedæmoniis num fas esset supplicem abstractum ab aris deposci ad supplicium*, &c. Eadem res eodem sensu ac iisdem pene verbis ab Æmilio refertur in *vita Pausaniæ*. Idem etiam factum ab Themistocle clarissimo Atheniensium Duce, cum is indignis ingratisque suorum civium calumniis premeretur. Testatur idem Diodorus eodem lib. *His itaque*, inquit, *perterritus veluti dictum est rationibus, ex Argis profugit ad Admetum Molossorum Regem, ad Aras itaque Vestæ fugiens supplicem se præbuit*, &c. Non omittam Corippi eximios versus lib. II. *de laud. Just.* ex annotat. Petri Guenensis *in praxim Imberti* lib. III. cap. XVII.

—— —— postquam venere verendam
Cæsaris ante aram, cunctæ sua pectora duræ
Illidunt terræ, pius es, potes omnia, clamant,
Cerne pias lacrymas, miserorum vincula solve,
Matribus his natos, his nuptis redde maritos.
Omnibus hæc sit læta dies, tua gaudia princeps
Nullus agat tristis, cunctorum crimina dele,
Gaudeat ut lætus miti te Principe mundus.

Quis Scytha aut Colchus tam eleganter composita ad misericordiam deprecatione non flecteretur?

Has pius aspexit lacrymas, precibusque dolentum
Annuit, & solvi cunctos a crimine jussit
More Dei, &c.

Verum unde illa Cæsaris Ara appellatur? an quia se divinis coli adficique honoribus ambiebant? aliquoties observavi eas preces quæ ad Imperatores fundebantur apud eorum altaria, quæ in interioribus ædibus palatii erant, fuisse fusas. Imo ab ipsis altaribus rescripta impetrata. Hinc illud Ennodii in *Panegyrico ad Regem Theodericum: Propriis*, ait, *Majestas tua oblationem literarum dignetur altaribus*. Locus autem, in quo altaria Principum erant, *sacrarium* dictum. unde Ausonius in *Panegyrico* statim in principio, *Atque non in sacrario modo Imperialis oraculi*, &c. Sed quid externis utimur diutius, cum domesticis abundemus exemplis? Dagobertus Francorum Rex Vasconibus quanquam rebellibus, ad D. Dionysii templum & aram confugientibus, ignovisse fertur. ut in Floro nostro Francico lib. I. cap. XXVI. observavimus his verbis: *Veriti extrema quæque ad ædes arasque D. Dionysio sacras confugiunt, salutari eis consilio: nam honore Martyris data supplicibus venia. Nefas quippe visum est ab iis pœnas exigere, quos sacer Divo locus exceperat*. Igitur præclare monet Seneca in *Herc. Fur.*

Aram tangite Supplices.

Ubi præter morem & ritum contingendæ in sacrificiis aræ, ut antea monuimus ad Aras perfugium Supplicibus notat. Omiseram pene & illud Religionis ac pietatis in barbaro etiam Rege exemplum, cujus mentionem facit Sigonius lib. X. *de Occidentali Imperio* his verbis: *Ubi vero se urbe potitum vidit Alaricus publice per præconem edixit, ut pro se quisque bona fortunasque civium rapperent, verum a cæde hominum, a direptione sacrorum se continerent: atque omnibus in primis parcerent, qui ad Basilicam S. Petri omnium in terris augustissimam confugissent*. Idem testatur Baptista Egnatius de Romæ captivitate: *Edictum fuit*, inquit, *ab Alarico, ut quicumque in templa Divorum præcipue Petri & Pauli confugerent, his nulla vis inferretur: quod & summa fide servatum est*.

Testantur hoc Martyrum loca (inquit D. Aug. lib. I. *de Civit. Dei* c. I.) & Basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione urbis, ad se confugientes suos alienosque receperunt: huc usque cruentus sæviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illo ducebantur a miserantibus hostibus, quibus etiam extra loca ipsa pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant: qui tamen e-

tiam ipsi alibi truces atque hostili more sævientes, posteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum, quod alibi jure belli licuisset: tota feriendi refrænabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur. Vide eundem D. Augustin. lib. II. cap. II. Hæc fuit Barbari alioqui Regis pietas, hunc aris ac templis captæ urbis honorem impendit: atque eo mirandum magis, quod capta ab hostibus jure belli desinunt religiosa esse vel sacra, præsertim Barbaris. Quod Romanis familiare fuit, ut constat ex historicis scriptoribus. Cn. Pompejus, ut est apud Tacitum lib. V. *Hist.* primus Romanorum Judæos domuit, templumque jure victoriæ ingressus est, & hac ipsa de re agens B. Augustinus lib. XVIII. *de civit. Dei* cap. XLIV. civitatem capit, templum reserat, non devotione supplicis, sed jure victoriæ: ad Sancta sanctorum (quo nisi summum Sacerdotem non licebat intrare) non ut venerator, sed ut prophanator, accedit. Templis itaque, fanis, aris, sepulcris, aliisque sacris ac religiosis hostium locis, victores arbitrio suo utebantur: eaque vel sarta tecta conservabant, vel spoliabant ac diruebant jure belli. Quæ tamen licentia, ubi primum Christi fides orbi terrarum illuxit, a Christianis Principibus sublata est penitus: quod ipsum ab Ethnicis etiam Principibus factitatum esse legimus. Quorum plerique ea quæ hostium Diis essent consecrata tollere, movere loco, aut evertere nefas ducebant. ut ex Vitruvio lib. II. Dione lib. XLII. ac Plutarcho in *Cæs.* cap. XXIX. erudite a Brodæo lib. V. *Miscellan.* animadversum est. Vide sis plura in hanc sententiam apud Petrum Fabrum eruditissimum illum Tolosani Senatus Principem lib. II. *Semestrium* cap. IV. ubi id præclare notat, prophanationem illam non aliter impune fieri licitam, quam evocata prius inde sacra vel numina fuissent, ut supra cap. IX. sect. II. fuse satis notavimus.

IV. *Ara Asylum injuria affectis.* Ad Aras etiam solebant confugere, qui injuria afficiebantur, aut quibus vis aliqua inferebatur. Hujus rei authorem imprimis habemus Lucianum in *Jove Tragœdo* his verbis: *σὺ γὰρ ὥσπερ οἱ ὑπό τινων βιαζόμενοι, ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἡμῖν καταπέφευγες*: Id est, *Tu enim quemadmodum ii quibus vis adfertur, ad Aras confugiebas.* Hinc apud Æschinem, ut est author Budæus, ad Aram sedere propter illatam injuriam, *ἐπὶ βωμὸν καθίζειν*, quo fortasse allusit Poeta lib. II. *Æneidos* de Helena, quæ diripientibus Trojam Græcis, ipsamque Priami regiam ferro ac flamma invadentibus, ad aras fugiens, ibidem sedebat abdita, ne vis inferretur, undique Græcis pariter ac Trojanis invisa: sic Virgilius:

Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaum, & deserti conjugis iras
Permetuens, Trojæ & patriæ communis Erynnis,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.

Xenophon lib. II. *de Rep.* Græcorum, fuisse ait aram in foro Curiæ apud Athenienses, ad quam Theramenes a Critia oppressus confugit: *ἀκούσας ταῦτα ὁ Θηραμένης ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὴν ἑστίαν, καὶ εἶπεν*, &c. *καὶ τοῦτο μὲν ἔφη μὰ τοὺς θεοὺς οὐκ ἀγνοῶ, ὅτι οὐδέν μοι ἀρκέσει ὅδε βωμός.* Id est, *atque hoc quidem, inquit, non ignoro hanc Aram mihi præsidio non futuram.* Eximium habes honestissimæ virginis exemplum, quæ cum vi cogeretur ad ineundas nuptias, ad Aram quasi ad certum & tutum pudicitiæ asylum confugit. Extat apud D. Ambrosium lib. I. *de virginitate* sub finem his verbis: *Memoriæ nostræ puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias, ad sacrosanctum altare confugit, quo enim melius virgo recurreret, quam ubi sacrarium virginitatis offertur? nec is quidem finis audaciæ. Stabat ad Aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, nunc capiti dexteram Sacerdotis imponens, precem poscens; nunc justæ impatiens moræ, ac summum altari subjecta verticem. Num melius, inquit, quam altare velabit, quod sanctificat ipsa velamina, frontem? plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur*, &c.

Præclarum etiam Consalvi Magni præstantissimi Hispanorum Ducis dictum: qui cum periculis undique aulicis septus, animo in varias partes agitato ac distracto, hinc Regis sui offensionem, inde principum virorum, quorum invidia petebatur, calumniam circumspiciens, in eas voces erupisse fertur, ut est apud Marianam; *Proh! Christe sancte, quantæ me molestiæ circumvallant? Si Regi pareo, in hominum calumnias incurro; si respicio homines, Regem offendo, ad Aras, nullum alibi perfugium.* Aliud insuper superiori multum affine exemplum refert Divus Greg. Nazianzenus in *Monodia*: *Mulier quædam*, inquit, *vidua confugit ad aram. Dic oro quid tunc non solum Basilium Magnum, sed Sacerdotem simplicem facere oportuit? Nonne ejus erat officium, mulieri adesse, opemque ferre, cum facta sacrilega Deus prohibeat, ac sacras ædes honorari, & ad has confugientes minime attingi aut avelli omnino jubeat?*

Quanquam nuper sectione tertia hujusce in quo versamur capitis, fuse satis, opinor, ostenderimus victis aut bello captis civitatibus ultimum ac præsentissimum præsidium salutis, ad aras templaque fuisse relictum, ut sequenti etiam capite dicturi sumus; juvat tamen hic eandem viam ingredi, & uno aut altero exemplo ad Aras victis perfugium iterum aperire. Egregius est omnino Virgilii locus de perfugio ad Aram Jovis Hercæi lib. scilicet *Æneid.* II. quo tanquam in Asylum, ut sperabat certum ac inviolabile, Hecuba Priamum conjugem ab armis, quibus se senior temere induerat ac defendere se frustra nitebatur, revocat: capta nimirum & ardente jam Troja, ipsaque adeo regia conflagrante. Sic illa: V. *Ara Asylum victis.*

—— Quæ mens tam dira miserrime conjux
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit:
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget: non, si ipse meus nunc afforet Hector,
Huc tandem concede, hæc Ara tuebitur omnes,
Aut moriere simul.

Huic sententiæ optime congruit ille Æschyli versiculus:

Κρεῖσσον δὲ πύργου βωμός, ἄρρηκτον σάκος.

Id eſt:

Melior eſt turre Ara, firmum ſcutum.

Solent autem cum Poetæ, tum Hiſtorici fere omnes, rebus bello aut urbis captivitate deſperatis, perfugium miſeris dare in ſacra & templa, ut ſi non Hoſtium miſeratione & ſqualore, ſaltem Deorum cultu ac veneratione moneantur ad Pietatem. Hujus rei exemplum ſuppeditat imprimis Euripides in *Supplic.* fuſo Thebanorum exercitu ab Athenienſibus. Sic ille:

Βοὴ δὲ κωκυτός τ' ἦν ἀνὰ πτόλιν νέων
Γερόντων ἱεράτ' ἐξεπερίπλασαν φόβῳ.

Clamor vere & luctus erat per urbem juvenum
Senum: ſacræ ædes impletæ erant terrore.

Vide Virgilium II. lib. *Æneidos*. Perſeus victus a Romanis, ut author eſt Florus lib. II. cap. XII. *Fugit in maria inſulamque Samothracem, fretus celebri religione: quaſi templa & Aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui, nec arma potuiſſent.*

VI. *Ara A[illegible] deſperatis.* Etiam deſperatis patuit ad aram refugium. Zonaras Joab Imperatorem inſignem cognita Regis (Davidis) voluntate, cum nulla alia ratio expediendæ ſalutis occurreret, deſperatis rebus ad aram confugiſſe teſtatur his verbis: ὁ δὲ στρατηγὸς Ἰωὰβ ταῦτα μαθὼν, καὶ περιδεὴς γεγονὼς τῷ θυσιαστηρίῳ προσέφυγε, καὶ καλούμενος οὐκ ἂν ποτε ἐξελθεῖν εἶπεν. ἀλλ' αὐτοῦ τεθνήξεσθαι, καὶ οὐκ ἄλλοθεν. τοῦτο τῷ Βασιλεῖ ἀγγελθὲν πέπεικε στεῖλαι καὶ ἐκεῖ τὸν Ἰωὰβ ἀνελεῖν. Id eſt, *his cognitis Joab Imperator, perterritus ad Aram confugit, unde cum evocaretur negavit ſe diſceſſurum: ſed ibi & non alibi moriturum, quo Rex nunciato ibi eum interfici jubet.* Mitius egit paulo Conſtantinus, qui Sylvanum inſignem tunc Francorum Ducem, extractum ædicula Chriſtianorum, quo is confugerat, juſſit interfici, ut eſt apud Am. Marcellinum lib. XV. & nos in Floro noſtro Gallico libro IV. cap. XLVII. notavimus, his verbis: *Vocatus ad colloquium Francus, corruptis ingenti pecunia iis a quibus præſidium ſperaverat legionibus, ante diem ſumpti Coloniæ Imperii XXX. extractus ædicula Chriſtianorum, quo viſis armatis confugerat, perfidioſe trucidatus eſt. Datum iræ Principis ut trucidaretur; Religioni, ne in ſacro.*

VII. *Ara fuit Aſylum.* Denique rei ipſi ac quantumvis nocentes ad Aram perfugium habuerunt. Hos illa excepit ſervavitque, quanquam Diis ipſis & hominibus inviſos: eo Oreſtes ſceleris graviſſimi, hoc eſt, maternæ cædis aliorumque flagitiorum reus fugit, veniamque tulit: τοῖς μὲν πονηροῖς, ut jam dictum eſt ex Achille Tatio, αἱ τῶν ἱερῶν ἀσφάλειαι διδόασι καταφυγὴν, &c. Eo Pauſanias Lacedæmonius perduellionis reus, ibique, quia reum ab ara extrahere nefas erat, inedia, ut quidam putant, interiit. Eo Eutropius quidam, ut eſt apud D. Chryſoſtomum, (quanquam idipſum lata lege idem ipſe antea prohibuiſſet) confugit: eamque Aræ ſecuritatem, quam aliis occluſerat, ſibi ipſe Reus factus aperuit. Hunc arguit D. Chryſoſtomus, quia refugium illud prohibuiſſet, & legem dederat, quæ confugere reos ad divinum altare prohibebat. Cumque ipſemet Eutropius ad altare Dei verum Aſylum confugiſſet, illo prius objurgato, vir ſanctiſſimus interceſſit pro eo: *Rogemus*, inquit, *Imperatorem pro eo, ut honoret Eccleſiam, honoret altare: & hominem qui ex eo ſperavit ſalutem, non patiatur inaniter id credidiſſe.* Idipſum teſtatur Nicephorus lib. XIII. *Eccleſiaſt. hiſt.* cap. IV. ac Eutropii legem ex publicis monumentis ſublatam eſſe: *Eccleſia autem*, inquit, *de legibus bene dudum conſtitutis enituit; ipſo Deo apertam injuriam ex templo vindicante:* Hoc paſſim ubique terrarum & gentium fere obſervatur: ſed in Hiſpania potiſſimum, cui genti id ſummæ gloriæ dederim, non aras modo ac Divorum templa, ſed ipſos Monachorum conventus, in urbium ac civitatum Refugia (de quibus ſacræ Paginæ) ſucceſſiſſe. Non omittam inſigne exemplum & optatiſſimum ſalutis præſidium, quo etiam nunc apud Scotos Rei utuntur. In civitate Abredonenſi in Scotia Ara viſitur e regione Collegii erecta, quam qui tangunt, a cæde immunes abeunt, ſi tamen teſte probaverint. In medio ipſius Aræ foramen eſt, quo neceſſe eſt pedem alterum immittat, qui ad Aram confugit. Hujus rei authorem habeo eruditiſſimum virum Guillelmum Camerarium noſtræ Congregationis Sacerdotem Scotum; qui id fieri ſolitum, etiam tum cum in ea civitate ſtudiorum cauſa moraretur, affirmavit.

Et certe violare Aras, & contemptu Religionis graſſari in ſanguinem miſerorum, inhumanum ſemper eſt viſum & barbarum. VIII. *Aras violare impium.* Nec impune fuit Philippo Regi Macedonum, Athenienſium, adverſus quos pugnabat, aras evertere. Inde illi cum Romanis graviſſimum bellum fuit, ut eſt apud Florum lib. II. c. VII. *Poſtea*, inquit, *crevit implorantibus Athenis auxilium contra Regis injurias, cum ille ultra jus victoriæ in templa, aras & ſepulchra ipſa ſæviret.* Quare jure a Poeta Pygmalion impius, & immanitate barbarus appellatur, qui ante aras ipſas Sichæum fratrem interfecerat. Sic Virgilius *Æn.* I.

—— Regna Tyri Germanus habebat
Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor; ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cœcus amore
Clam ferro incautum ſuperat.

Par imo fere majus flagitium admiſit, qui profugum ad Aras ſenem ac Regem, & ut loquitur Poeta II. *Æneid.*

—— Altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati

crudeliſſime obtruncavit. Audi ſi lubet Hecubam infeliciſſimi Regis uxorem, ea de cæde conquerentem apud Senecam in *Troade* act. I. ſc. I. his verſibus:

Vidi execrandum regiæ cædis nefas,
Ipſaſque ad aras majus admiſſum ſcelus
Æacidis armis, cum ferox ſæva manu
Coma reflectens regium torta caput
Alto nefandum vulneri ferrum indidit.

Nihil nimirum eſt tam ſanctum ac religioſum, quod ſacrilegum hominem non inveniat,

Nec tibi subsidio sit præsens numen, ut illi
Cui nihil Hercei profuit Ara Jovis.

Ut ait Ovidius *in Ibin* de Priamo, cujus exitum hosti suo precatur.

Sacrilegium punitum. Impios autem & sacrilegos fere manent gravissimæ pœnæ. Notum Cambysis supplicium, Ptolemæi, Brenni, aliorumque exempla decantata. *Mazezit*, ut est apud Paulum Diaconum lib. XIII. rerum Romanarum, *elatus rerum secundarum insolentia & tumens, Ecclesiam Dei temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere. secuta mox pœna sacrilegum est: nam iisdem superstitibus atque insultantibus, quos ab Ecclesia ad pœnam protraxerat, post aliquantum tempus, solus ipse punitus est.* Nec vero omittam eximium hunc Pausaniæ locum in *Achaicis*, ubi ob violatos ad Aram supplices, gravissimas pœnas olim inflictas testatur his verbis e Græco translatis. *Ob violatos*, inquit, *supplices implacabilem esse numinis iram, non Helices modo exitium, sed alia etiam talium exempla eventorum documento esse possunt*. Extat enim Dodonæi Jovis oraculum Atheniensibus redditum, quo supplices sacrosanctos esse debere his versibus monemur:

Ara tibi Eumenidum fumans, & Curia Martis
Sint cordi; huc bello domiti jam forte Lacones
Suppliciter tristes venient, tu projice tela
Supplicibus parcens, divum quos jura tuentur.

Quale vero fuerit Helices exitium si quæras, docet Ovidius XV. lib. *Metam.* his versibus:

Si quæras Helicen & Buran Acheidos urbes,
Invenies sub aquis, & adhuc ostendere Nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Vide etiam Plin. lib. II. c. XCII.

Si jus suum cuique tribuendum est, si beneficia & privilegia Principum conservanda sunt, privatis etiam & prophanis: quænam est, malum! ista irreligiosæ mentis audacia, quæ sacratissimis Dei veri templis, quo jure, qua injuria vim & violentiam infert? quæ intemperiæ, ut præsidium sanctitatis loci, temere atque impie violetur? Erant olim apud Hebræos civitates quædam refugii. dæmoniorum quoque delubris & fanis, jus Asyli concessum, inviolabile erat; nos Catholici, nos Christiani, melioribus longe ac sanctioribus disciplinis instructi, summi illius ac præpotentis rerum omnium artificis cultum edocti, quos una omnes sanctissimæ Religionis regula ac norma, arctissimo pietatis vinculo connectit; nos, inquam, unius ejusdemque numinis cultores, qui sacris in ædibus ex aqua & Spiritu Sancto nascimur, qui cætera Christianæ pietatis sacramenta ibidem quotidie participamus, qui tandem illic sepeliendi sumus, templorum immunitatem nihilominus lædere atque imminuere non formidamus. Ubi illa prisca sacrorum immunitas? hinc reos, perfugos supplices, armati nefariis telis satellites abstrahent? ab aris, inquam, a sacris altaribus, a Divorum, quibus locus est sacer, patrocinio, & ab ipso pene Dei complexu, divinam opem cientes miseros, ad furcam, ad lanienam lictores abripient? plus humanis legibus, quam sanctionibus divinis: plus hominum ultioni ac vindictæ, quam divinæ tuitioni; plus flagitio dabitur, quam templo; plus tribuetur lucro, quam sacro? Sceleratissimis hominibus, & quantumvis immani facinore inquinatis, patet in Magnatum ædes & Principum domos refugium: illuc irrumpere nefas omnino, patrocinio sunt & securitati, cujus est domus nobilitas, authoritas, magistratus, dignitas, & toto nota regno potentia? Interim divinæ Majestatis aula, Mysteriorum sedes, Angelorum statio, domicilium sanctitatis Ecclesia, solatio miseris, saluti periclitantibus, fugientibus Asylo, Dei hominumque auxilium ac tutelam implorantibus non erit auxilio? Imo imo, nisi forte cum omni humanitate, etiam pietatis ac religionis sensum omnem exuerimus. Absit hæc a nobis infamia, abhorreamus ab illo probro, & qui veteres illos impietatis cultores ac Dæmonum, pietate, religione, fide cæterisque virtutibus longe antecedimus, hic vinci ac superari pudeat. Pateant igitur, ut cum Theodosio lib. IX. *Cod. Theod.* tit. XXXIV. hoc caput claudamus, *Pateant*, inquam, *summi Dei templa timentibus: nec sola Altaria & Oratorium templi circumjectum, quod Ecclesias quadripartito intrinsecus parietum septo concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus Oram* (fortassis Aram) *salutis esse præcipimus. ut inter templi quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica, & januas primas Ecclesiæ quicquid fuerit interjacens, sive in cellulis sive in domibus, hortulis, balneis areis atque porticibus, confugias, interioris templi vis tueatur. Neque in extrahendo eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere, ne qui hoc ausus fuerit, cum discrimen suum videat, ad expectandam opem ipse quoque confugiat. Abducentibus enim capitalem pœnam volumus esse propositam: nam humanitati præferenda religio est.* Ecce tibi piissimorum Principum edicta, quibus jus suum Religioni, aris, ac templis, eoque confugientibus datur & confirmatur, atque utinam eadem pietas Principes Christianos commendaret, nec tam illi augendo Imperio ac finibus suis dilatandis, quam Religioni servandæ, &, quæ eorum summa laus est, amplificandæ incumberent: felicius certe, &, quod ambiunt imprimis, tutius ac securius imperarent. Verum acuentem se stylum cohibeo, ne dum Principes parum studiosos religionis accuso, pios & bonos liberius quam par est, videar in censuram vocare.

CAP. XV.

I. *Provolutio ad Aram.* II. *Genuflexio ad Aram.* III. *Muliebris luctus ad Aras.* IV. *Ara Misericordiæ.* V. *Ad hanc miseri non nocentes.*

PRÆCLARE sane superiori hoc præsens caput connectitur: est enim unum alterius quasi supplementum, & unius fere ejusdemque argumenti utrumque. Quanquam igitur nemini dubium esse possit, ejus Aræ quæ alicui Deo erigebatur, finem esse, præter ipsius notam ac testatam consecratio-

nem, supplicationem: in eaque potissimum positam esse consecrationis rationem; haud erit tamen importunum confirmare. Ac primum quidem Aris advolvi solitos qui supplicabant, author est Propertius lib. III. eleg. XV. his versibus:

I. *Provolutio ad Aram.*

His o Bacche tuis humiles advolvimur aris,
Da mihi pacato vela secunda Pater.

Quem supplicationis modum ac ritum etiam expressit Seneca in *Oedip.* act. I. sc. I.

Affusus aris supplices tendo manus,
Matura poscens fata, præcurram ut prior
Patriam ruentem, &c.

Ex quo patet precantium morem illum fere antiquitus extitisse, ut jacentes supplicarent. Quod disertis verbis testatur Prudentius in *Peristeph.* his versibus:

Jam si sub aris ad sigillorum pedes
Jaceatis intra sectilem quercum siti,
Quid esse vobis æstimem projectius?

Hinc etiam præclare notat Brissonius lib. I. *Formul.* supplicantes etiam templis prostratos procubuisse, liminaque templorum & solum ædium sacrarum exosculatos. Nam Lucretius lib. V. rem illam habuit deridiculo; ac Religionem hanc, quæ hos Deorum cultus & inania officia induceret, vanissimam esse confitetur his versibus:

Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi prostratum & pandere palmas
Ante Deum delubra, &c.

Ubi eruditissimus Poeta, idemque non adeo spernendus Philosophus, eos qui hoc faciunt, tanquam humiles & abjectos graviter accusat, qui scilicet contra naturæ suæ rationem, ad veneranda terrena se prosternunt. Quæ profecto numina, inquit Lactantius, si cassa sunt; non oportet sublimes & excelsos animos advocari atque in terram premi, sed nihil aliud quam cœlestia cogitare, &c. lib. II. cap. III.

Tibullus lib. I. Eleg. V. eo sensu, qui supplicant manibus dixit prorepere:

Non ego tellurem manibus prorepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.
Non ego si merui dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Idem habet Ovidius lib. I. *Metamorph.*

Ut templi tetigere gradus procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo.

Quo etiam videtur spectare illud Satyrici satyra, ni fallor, VI.

——— *Tarpejum limen adora*
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis Matrona pudici.

Hanc supplicandi consuetudinem, quod Ethnici homines id statuis ac sceleratissimis aris facerent, quod uni ac vero Deo fieri oportebat, gravibus verbis est insectatus, præter Lactantium, Arnobius lib. I. *contra gentes* hoc modo: *cum per omnia*, inquit, *supplices irent templa, non Deorum ante ora prostrati, limina nostra converrerent osculis*, &c.

II. *Genuflexio ad aras.*

Ad hanc supplicandi rationem videtur etiam pertinere frequens & passim usitata genuflexio, cujus meminit Ovidius *Fastorum* IV. ubi Claudiam summisso genu precantem facit, & pudicitiæ suæ causam defendentem hoc modo:

Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas,
Quicumque aspiciunt, mente carere putant.
Summissoque genu, vultus in imagine Divæ
Figit, & hos edit crine jacente sonos.
Supplicis alma tuæ genitrix fœcunda Deorum
Accipe sub certa conditione preces.

Livius etiam lib. XXVI. Matronas genibus nixas supinas manus ad cœlum ac Deos tetendisse narrat, ut ille apud Virgilium Getulus Jarbas *Æneid.* IV.

Dicitur ante aras, media inter numina Divum,
Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.

Extat insignis Prudentii locus, quo ille præterea utrumque supplicandi morem ad aras tangit in *Apotheosi* his versibus:

Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus urbi,
Augustum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, & soleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incurvare Dianæ:
Quin & Apollineo frontem submittere gypso.

Tertullianus apte omnino in *Pallio*, ut jam monui, aris Deorum adgeniculari solitos tradit.

III. *Mulie-bris luctus ad aras.*

Fuit autem is supplicandi modus, mulieribus potissimum familiaris publico in luctu, addebant majoris consternationis ergo, passos ac dissipatos crines, tunsionem pectoris, aliaque id genus multa. Sic eas passis capillis supplicasse multis exemplis probat Brissonius *Formul.* lib. I. avertendæ nimirum Deorum iræ causa, aut cum hostili aliquo nuncio perculsa civitas, ad Deorum aras confugiebat. Tit. Livius lib. III. *Jussi*, inquit, *cum conjugibus ac liberis supplicatum ire, pacemque exposcere Divum*, &c. *Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium finemque pesti exposcunt.* & lib. XXVI. idem: *Undique*, inquit, *Matronæ circa Deum delubra discurrunt, passis crinibus aras verrentes.* Quæ Mulierum consternatio a Lucano describitur elegantissime his versibus lib. I.

Hæ lacrymis sparsere Deos, hæ pectora duro
Afflixere solo, lacerasque in limine sacro
Attonitæ fudere comas, votisque vocari
Assuetis, crebris feriunt ululatibus aures:
Nec cuncto summi templo jacuere Tonantis.
Divisere Deos, & nullis defuit aris
Invidiam factura parens.

Et Statius lib. IV. *Thebaid.* Argiam inducit Regios ornatus, mundumque omnem, periclitante de Regno, vita, fortunisque omnibus, Polynice conjuge, deponentem: ac incultis crinibus aras Deorum verrentem, hoc modo:

—— *ipsa sacros gremio Polynicis amati*
Deposuit nexus haud mœsta, atque insuper addit.
Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit,
Tempora, nec misera placeant insignia formæ.

Te

Te sine. sat dubium cœtu solante timorem
Fallere, & incultos aris advertere crines,
&c.

Vias Massiliensis Poeta (si mihi creditur) valde bonus, mihi olim cum Massiliæ Rhetoricen profiterer multum familiaris, in suis *ad Sylvas* notis, morem refert Turcarum cum illi Christianos, quos perdite oderunt, ultro statis diebus detestantur. Habent, inquit ille, Turcæ inter suos fastos prophetiam, per id tantum tempus, M. scilicet annos, Ottomanorum Imperium permansurum, mox subvertendum a Francis. Legitur illa quotannis suis in Mosquetis, ut illius hominis terrore ultro Christianis adversentur. Lugent interim ululantes fœminæ, sparsisque comis infanda verrunt altaria: sicque huic malo fato procurare credunt, dum tam funesto vaticinio perterrentur. Idem metrice Galliam ob indignissimam Henrici IV. vere Magni cædem lugentem fingit hoc modo, & fusis lugubriter capillis, aras Deorum verrentem:

Gallia sollicito pectus laniata dolore
Flectebat super astra vias, arasque Deorum
Verrebat diffusa comas, sine numine forma
Tristis erat, &c.

Nimirum, quia unicum est in ultima desperatione apud Aras Deorum solatium, ut clarum satis est ex superioribus, aliisque sexcentis authorum locis: præsertim vero cum unica in Deorum ope auxilioque collocata spe pene de cæteris desperantes, animo etiam deficimus. Hinc clade accepta Romanorum luctus maximus & ultimum ad aras refugium. Silius Italicus id eleganter expressit lib. VII. his versibus:

At matres Latiasque nurus raptabat ad aras
Cura Deum: mœsto suffusæ lumina vultu
Fœmineus matres graditur chorus, ordine longo
Junoni Pallam conceptaque vota dicabant.

Et statim:

Tanta adeo cum res trepidæ reverentia Divum
Nascitur, & raræ fumant felicibus aræ.

In Mamertini *Panegyrico ad Maximianum Imperatorem* de eodem supplicandi more ita habes: *Matres pensa manibus abjecerunt, parvos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi ædes sacras passo capillo quæque suo verrebat*. Idem habet Apulejus lib. V. *Metam. Tum Psyche*, inquit, *uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis:* Quam præclare Statius Luctum publicum, afflictis bello rebus, ipsoque instante victore hoste describit libro X. *Theb.*

——incertis lymphatam horroribus urbem
Scindunt discensu vario, luctusque furorque
Et pavor, & cœcis fuga circumfusa tenebris.
Bellum intrasse putes, fervent discursibus arces,
Miscentur clamore viæ, ferrum undique & ignis.
Monte vident; sævas mente accepere catenas,
Consumpsit ventura timor. Jam tecta replerant
Templaque, & ingratæ vallantur planctibus Aræ.

Ex hoc factum putem, ut Veteres Aram Misericordiæ extruerent, quam illi adirent qui de ultimis dimicabant. Hanc Athenis erectam fuisse testatur in *Rhetoricis* Aphnus, & Alexander ab Alexandro lib. I. cap. XIII. *Misericordiæ*, inquit, *quoque pudori, famæ, appetitioni, Athenis visuntur Aræ*. Hanc celebrat Pausanias lib. I. & Diodorus Sicul. lib. XIII. Sed & Libanius declamatione II. ejusdem Aræ meminit, ubi Demosthenis de ea tollenda actio effingitur. Hanc eximiis versibus illustrat Papinius lib. XII. *Thebaidos*, eamque a Miseris solis frequentari ait. Sic ille: *IV. Ara Misericordiæ.*

Urbe fuit media nulli concessa Potentum
Ara Deum, mitis posuit clementia sedem,
Et miseri fecere sacram; sine supplice nunquam
Illa novo, nulla damnavit vota repulsa.
Auditi quicumq; rogant, noctesque diesque,
Ire datum, & Solis Numen placare querelis.
Parca superstitio, non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis, lacrymis altaria sudant,
Mœstarumque super libamina sacra comarum,
Pendent, & vestes mutata sorte relictæ.
Mite nemus circa, cultuque insigne verendo,
Vittatæ laurus, & supplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli concessa metallo
Forma Deæ, mentes habitare & pectora gaudet.
Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantum felicibus Aræ.
Fama est defessos acie post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes:
Fama minor factis: ipsos nam credere dignum
Cœlicolas, tellus quibus Hospita semper Athenæ
Ceu leges, hominemque novum, ritusque sacrorum,
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium unde procul starent, iræque minæque
Regnaque, & a justis Fortuna recederet Aris.
Jam tunc innumeræ norant altaria gentes
Huc victi bellis, patriaque e sede fugati,
Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes
Conveniunt, pacemque rogant. mox hospita sedes
Vicit & Oedipodæ furias, & funus Olynthi
Texit, & a trepido matrem summovit Oreste.

Hujus Aræ quæ Clementiæ consecrata fuit descriptione, quid, amabo, elegantius describi potuit a Papinio, certe non video. Claudianus in *bello Gildonico* hujus Aræ meminit:

—— Flentibus Aram,
Et proprium miseris Numen statuistis Athenis.

Id autem templum Misericordiæ, Athenis pro Asylo fuit, ut constat ex superioribus, & docet Servius *ad Virg.* VIII. *Æneid.*

Notandum tamen ex nuper citato Papinii loco, atque adeo ex ipso Claudiano, non quibusvis reis ac fontibus, sed malo quodam fato & ut loquitur Poeta, *Scelerum errore*, nocentibus patuisse hunc ad Aram accessum. Quæ *V. Ara miseris non nocentibus patrocinatur.*

enim religio, quæ ara tam fœda & impia, perditorum & profligatæ vitæ hominum flagitia tegeret ac defenderet? Jura supplicum ad infortunatos non ad nocentes pertinent. Itaque ad hanc Atheniensium aram profectus quondam Oedipus, se reum quidem ac nocentem, sed solo infortunio, non utique dolo malo factum, sic testatur apud Sophoclem in ejusdem nominis tragœdia:

Heu Cecropidæ mala multa tuli,
Sed nempe tuli: Deus est testis
Nihil horum sponte patratum.

Tum respondet Theseus:

Non me pigebit hospitem, qualem Oedipe
Te tueor, omni sospitare in tempore.
Homo esse memini.

Similiter Thesei filius Demophoon, cum Herculis posteri Athenas confugissent, sic ait:

Hæc Patria nostra semper invalidos solet,
Sed jure fretos, ope sua defendere.
Antehac amicis mille relevandis tuli
Discrimina, & nunc aliud in promptu imminet.

Contra vero de maleficis ac sceleratis hominibus, quibus scilicet nulla ratio, infortunium nullum, non justa sui, honestaque expediendæ salutis defensio, criminis necessitatem imposuit; habes in eadem tragœdia talibus nunquam apertum ad Aram misericordiæ aditum patuisse:

Hunc qui facinorum conscius, nec legibus
Fidem ad aram volvitur supplex, Deus
Trahere ad tribunal, nulla religio mibi
Male semper æquum ferre qui fecit male.

Et alio in loco:

——— non enim tangi decet
Manu nocente numina, at impium fuit
Piis patere templa contra injurias.

Narrat Orator Lycurgus Callistratum quemdam, qui capitale commiserat, consulto Oraculo responsum accepisse, si Athenas iisset consequuturum eum, quod juris esset & legum τεύξεσθαι τῶν νόμων. Illum vero ad id confugisse quod esset Athenis sanctissimum altare, impunitatis fiducia. Nihilominus tamen occisum eum ab observantissima suarum legum ac religionum civitate; atque ita impletam Oraculi fidem. Quo sensu Tacitus *Annal.* lib. III. improbat receptum suo sæculo morem, per Græcas urbes flagitia hominum & ceremonias Deum protegendi. Et certe tales puniendi, aut dedendi, aut longe amovendi sunt, ut præclare ait Perseus Rex Macedonum, ad Martium lib. XXVII. apud Livium, de illis agens, qui Eumeni insidiati dicebantur: *Ego istos*, inquit, *ut primum in Macedonia esse, admonitus a vobis comperi, requisitos abire ex regno jussi, & in perpetuum interdixi finibus meis.* Gylippus Laco apud Diodorum Sic. lib. III. de illo supplicum jure sic ait: *Qui initio jura ista introduxerunt, infelicibus quidem misericordiam; at his qui malo animo injuriam intulerunt, pœnam expectandam voluerunt.* Et postea: *Hi vero si dolo malo, si injusta alieni cupiditate in mala hæc inciderunt, ne accusent fortunam, ne supplicum sibi nomen imponant: id enim jure hominum illis debetur quibus innocens est animus, irata fortuna: horum vero vita plena factis injustis, nullum ipsis locum reliquit, qui ad miserationem & perfugium pateret.* Duo illa, fortunam scilicet & injuriam, optime & eleganter distinxit his versibus:

Ἀτύχημα καὶ ἀδίκημα διαφορὰν ἔχει,
Τὸ μὲν γὰρ διὰ τύχην γίνεται, τὸ δ' αἱρέσει.

In hunc sensum quadrat etiam illud Demosthenis dictum, δίκαιόν ἐστιν ἐλεεῖν, οὐ τοὺς ἀδίκους τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τοὺς παρὰ λόγον δυστυχοῦντας. Id est, *æquum est misericordiam impendi, non injustis hominibus, sed his qui sine merito infortunati sunt.* nec longe abit illud Antiphanis: τὸ ἀκούσιον ἁμάρτημα, τῆς τύχης ἐστι: τὸ δ' ἑκούσιον, τῆς γνώμης. Hoc est, *quod non sponte fit, fortunæ est; quod sponte, consilii.* Sic in sapientissima lege, quibus telum manu fugisset, quo interfectus est homo, Asyla patebant. At qui deliberato hominem innocentem occidissent, qui civitatis turbassent statum, his ne ipsum sanctissimum Dei altare patrocinabatur. Vide *Deuteronom.* XIV. V. XXIII. V. XV. *Exod.* XXI. V. XIV. I. *Reg.* XXIX. II. *Reg.* XI. V. XIII. & seq. hanc sacrorum legem explicans Philo *de spec. leg.* sic ait: ἀσυλίαν ἀνιέροις μὴ παρέχεσθαι. Hoc est, *prophanis in sacro nullum esse receptum.* Sed de his satis in Ara confugii, quam etiam talibus, id est, nocentibus nonnunquam pro Asylo fuisse, fuse ostendimus capite superiori.

CAP. XVI.

I. *Ara victoriæ in Græcia.* II. *Ara victoriæ ab Æmylio erecta.* III. *A Cæsare.* IV. *In Triumphis Aræ.* V. *A Moyse erectæ.* VI. *Ad Aram emissa solutaque vota.* VII. *Aræ pacis publicæ.* VIII. *Ara victoriæ in Curia.* IX. *Ara victoriæ sublata.* X. *Restituta.* XI. *Ara Deo victori.* XII. *Ædes victoriæ.* XIII. *Ara victoriæ ab Alex. Magno posita.*

AD Misericordiæ seu clementiæ Aram victos convenisse, dictum est ex Papinio aliisque authoribus: nunc Victoriæ Aram, ad quam nimirum victores accedant, & vota exolvant, instauremus. I. *Ara victoriæ in Græcia.* Atque ut a Græcorum institutis incipiamus, certum est eos Aram victoriæ habuisse, eamque vicinam Jovis Catharsii, hoc est, piacularis Aræ extitisse. Id testatur imprimis Pausanias in *Eliacis* his verbis: καὶ μετὰ τοῦτον Καθαρσίου Διός, καὶ Νίκης βωμός.

II. *Ara Victoriæ ab Æmylio erecta.* Fuit autem non ignobilis illa Ara, quam Romani gentium omnium victores quondam victoriæ tot memores beneficiorum erexerunt. Nam fuit solenne antiquis, ut victoriæ monumenta statuerent & aras, quibus accepta a Diis beneficia testarentur. Hinc Plutarchus in *parallelis* Æmylium victorem Aram pro victoria statuisse ait his verbis: Ῥωμαίων πρὸς Γύῤῥον Ἠπειρώτην πολεμούντων Αἰμύλιος Παῦλος χρησμὸν ἔλαβε νικῆσαι βωμὸν ἐὰν ποιήσῃ ἔνθα ἂν ἴδῃ χάσματι κρυπτόμενον ἄνδρα τῶν ἐπισήμων μετὰ ἅρματος. μετὰ τρεῖς ἡμέρας Οὐαλέριος Κονάτος κατ' ὄναρ ἰδὼν ἀναλαβεῖν ἱερέως κόσμον (καὶ γὰρ ἦν μαντικῆς ἔμπειρος) στρατηγήσας καὶ πολλοὺς φονεύσας ὑπὸ γῆς κατεπόθη, ὁ Αἰμύλιος δὲ βωμὸν ἱδρύσας ἐνίκησε. Quibus verbis prima apud Latinos origo hujus aræ videtur denotari.

III. *Eadem a Cæsare.* Julius Cæsar, ut author est Dio lib. XLI. victor profligatis in Hispania Pompeii Legatis, Romam revertens in Pyrenæis saltibus, non tropæum, ut antea Pompejus, sed Aram victoriæ posuit, in rei prospere ac feliciter pro se gestæ monumentum. Dionis hæc sunt verba: *Cæsar navibus Tarraconem vectus, inde per Pyrenæos montes progressus, trophæum ibi nullum constituit, quoniam ob eam rem Pompejo jam ante obtrectatum fuisse noverat, Aram autem magnæ molis ex lapidibus constructam haud procul a Trophæis Pompejanis posuit.* Ara autem illa forte saxea turris fuit; nam ara modo pharus, modo turris olim dicebatur, qualis nimirum ea fuit quæ a Domitio Ænobarbo apud Florum lib. III. cap. II. & Fabio Maximo erecta est. *Illi enim*, inquit Florus, *ipsis quibus dimicaverant locis saxeas turres erexere, & desuper exornata armis hostilibus tropæa.*

IV. *Aræ in Triumphis erectæ.* Aras quoque & simulacra de manubiis fieri solita testis est Tacitus lib. III. *Annal.* cum hac tamen moderatione, *ut ob externas*, inquit, *tantum victorias erigerentur.* Triumphorum autem apparatu repertas fuisse passim Aras omnium est opinio. Et ad eas qui victores ex hostibus evaserant, vehi solitos curru triumphali, ut emissa vota exolverent, & sacrificia Diis pro adepta eorum, ut credebant, ope, auxilioque Victoria peragerent. Clare Tibullus ad Apollinem lib. II. eleg. V. his versibus:

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant Aras, ad tua sacra veni.

Et Ovidius lib. III. *de Ponto* elegia III.

Dum sibi gratatur populus, totamque per urbem
Omnis odoratis ignibus Ara calet.

Quo videtur pertinere elegans illa Propertii Elegia lib. IV. ubi de Actiaca fuse victoria, ac Cæsaris Augusti victoris laudes prosequitur. Silius Italicus Hannibalem inducit aras extruentem pro reportata de Romanis ad Trebiam victoria lib. IV. his versibus:

Ac tandem a Trebia revocavit Scipio fessas
Munitum in collem Gracchο comitante cohortes:
At Pœnus multo fluvium veneratus honore
Gramineas undis stravit socialibus Aras.

Eleganter Virgilius libro *Æneidos* VIII. Aug. Cæsaris triplicem, de Antonio, Dalmatis & Alexandrinis triumphum describit hoc modo:

At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Diis Italis votum immortale sacrabat:
Maxima trecentum totam delubra per urbem;
Lætitia ludisque viæ, plausuque fremebant;
Omnibus in templis Matrum chorus, omnibus Aræ:
Ante Aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi
Dona recognoscit populorum aptatque superbis
Postibus, &c.

Trinas etiam Pompeii Magni Aras memorat Tertullianus propter totidem ejusdem Imperatoris Triumphos de Asia, Africa & Europa. Perseus, ut est apud Ovidium lib. IV. *Metam.* totidem Aras tribus Diis, Mercurio, Palladi, & Jovi, prostrata maxima illa bellua, liberataque Andromede victor excitavit:

Diis tribus ille focos, totidem de cespite ponit
Lævum Mercurio, Dextrum tibi bellica virgo,
Ara Jovis media est, &c.

Nec vero solis olim Paganis solenne fuit Aras pro victoria reportata excitare: in sacris etiam vero Deo, in cujus unius manu victoriæ cladesque sunt, exercituum Domino, erectas fuisse in simili occasione reperire est. ac primum *Exodi*, ni fallor, cap. XVII. Moyses cæsis populi Israelitici hostibus in acie pro Triumpho altare posuit. Profligato ac victo Amalech, inquit D. Cyrillus lib. IX. *in Julianum*, erigit Moyses altare Deo, illique nomen hoc imponit, DOMINUS REFUGIUM MEUM. Quod ipsum etiam Christi figuram præfert. *Is enim*, inquit Cyrillus, *Dominus noster est factus ac refugium, cum debellaverit mundi hujus Principem, calcaveritque mortis Imperium, ac seipsum obtulerit pro nobis ut immaculatam hostiam in odorem suavitatis Deo ac Patri.* Fuit igitur altare illud Christi figura, cui decens ac verum nomen est Dominus meus Refugium meum. V. *A Moyse erectæ.*

Sansonem invictum illum virum, de Philistæis hostibus victorem non erexisse Aram Deo cui acceptam referre debuerat victoriam conqueritur D. Ambrosius Epist. LXX. his verbis: *Utinam quam fortis in hostem, tam moderatus in victoria extitisset; qui debuit eventum pugnæ divino favori & præsidio deferre, sibi arrogavit dicens, in Maxilla asini delevi mille viros, neque Aram statuit Deo, neque hostiam immolavit, sed negligens sacrificii, assumptor gloriæ ut Triumphum suum perpetuo conservaret nomine, vocavit locum Maxillæ interfectionem.*

Israelitas pro insigni triumpho Aram erexisse testatur Zonaras tomo I. his verbis: Οἱ δὲ διαβάντες τὸν Ἰορδάνην βωμὸν ἐπὶ τῇ ὄχθῃ ἱδρύσαντες, &c. Idest, *illi Jordane superato Aram in ripa constituunt*, &c. Et statim, οἱ δὲ μὴ κατὰ νεωτερισμὸν ἀναστῆσαι τὸν βωμὸν ἔλεγον, εἰ δὲ τεκμήριον τοῖς ἑξῆς τῆς πρὸς ὑμᾶς οἰκειότητος, ἕνα γὰρ θεὸν γινώσκειν τὸν σύμπασι τοῖς Εβραίοις κοινόν. Id est, *Illi non rerum novandarum studio se Aram fecisse respondent, sed ut monimento esset posteris, necessitudinis ejus quæ sibi cum illis intercederet, unum sese Deum agnoscere, omnibus Hebræis communem.* Ex his patet adepta victoria pro trophæis Aras fuisse passim apud omnes orbis terrarum nationes erectas. Omiseram Persii locum satyr. VI. ubi fictitium Neronis de Germanis triumphum sale aspergit satyrico:

—— *Missa est a Cæsare laurus*
Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris

Frigidus excutitur cinis, ac jam postibus arma
Jam chlamydas Regum, &c.

Trajanum etiam Imperatorem ferunt victoria de Dacis reportata Aram erexisse, non tam ad sacrandam Romanorum militum qui eo bello ceciderant memoriam, quam in monimentum victoriæ reportatæ.

VI. *Ad aras emissa vota.* Sed de Aris Triumphorum satis, ad Aras etiam emissa vota, antequam in hostem, ut erant paludati Imperatores proficiscerentur. Amilcaris aliorumque exemplo Romanorum Ducum satis superque constat. Cicero id manifeste in ea oratione quæ est *pro responsis Aruspicum* declarat, cum de Pessinuntis Ara a P. Clodio eversa ageret: *Sacerdotem*, inquit, *ab ipsis Aris pulvinaribusque detraxeris? omnia illa quæ vetustas, quæ Persæ, quæ Syri, quæ Reges omnes qui Europam Asiamque tenuerunt, semper summa religione coluerunt, perverteris? Quæ denique nostri Majores tam sancta duxerunt, ut cum refectam urbem atque Italiam fanorum haberemus, tamen nostri Imperatores maximis ac periculosissimis bellis, huic Deæ vota facerent, eaque in ipso Pessinunte ad illam ipsam principem Aram, & in illo loco fanoque persolverent.* Ex quo patet, ad eam ipsam aram persoluta olim fuisse vota, ad quam fuerant ab Imperatoribus concepta & emissa. Imo profecturi ad exercitus Aras Diis pro hostibus profligandis ponebant, ut patet ex sequenti inscriptione quæ Pœtovione Styriæ est hoc modo:

PRÆPOSITO IOVI S. TRIB. COH. X. PRÆT. CVLTOR. NVMINIS IPSIVS PROFICISCENS AD OPRIMENDAM FACTIONEM GALLICANAM IVSSV PRINCIPIS SVI ARAM ISTAM POSVIT.

VII. *Ara pacis publicæ.* Pari prope Religionis sensu erectas fuisse Aras post victoriam Paci publicæ reperimus. ac primum Lacedæmoniis post diutinam contentionem victis ab Atheniensibus Duce Timotheo aræ tum primum, inquit Cornelius Nepos, erectæ sunt. Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primum Aræ Paci publicæ sint factæ: eique Deæ pulvinar sit institutum. Plutarchus tamen in *Cimone* tradit Aras Pacis esse positas post victoriam illam Cimonis ad Eurymedontem partam contra Persas, quam Pax illa omni sermone celebrata (περιβοντὸν appellat Plutarchus) consecuta est. Hujus Aræ meminit & Demosthenes in orat. περὶ πρεσβείας, contra Æschinem, eamque τὸ ὑπὸ πάντων θρυλλουμένην vocat. Sic Plutarchus, φασὶ καὶ βωμὸν εἰρήνης διὰ ταῦτα τὲς Αθηναίους ἱδρύσασθαι, &c. Id est, *ajunt autem Athenienses propterea Aram Pacis posuisse.* Ac illa quidem a Græcis Ara paci erecta est: de Romanis Imperatoribus silebimus? minime certe Augustus Imperator, pacato terrarum orbe Aram Paci primus erexisse fertur. *Augustus Aram Paci erigit.* Hanc M. Agrippa fidissimus ille Augusti laborum socius, ut & Triumphorum particeps, auxit, ornavitque. Cujus Aræ meminit præter cæteros Ovidius in *Fastis* his versibus:

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad Aram,
Hæc erit a Mensis fine, secunda dies.

A Hujus Aræ structura conjicitur ex Tiberii Imp. Nummis in Honorem D. Augusti cusis, hac inscriptione:

PACE AVGVSTI
PERPETVA.

Et Neronis Nummo cum hac Epigraphe:

ARA PACIS.
S. C.

B Item in alio Numismate ejusdem Neronis Imp.

NERO CLAVDIVS CÆSAR
AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P.
ARA PACIS.

Sub Claudio etiam Imp. post victoriam Britannicam erecta fuit Ara Paci anno Christi XLVII.

TIB. CLAVD. CÆS. AVG.
P. M. TR. P. VI. IMP. VI
PACI AVGVSTÆ.

C Neque vero mirum esse debet Aram Paci fuisse erectam, cum Ara sit Pacis symbolum. *Ara pacis symbolum.* Hinc illud D. Ambrosii ad Marcellinam sororem, *certatim*, inquit, *hoc nunciare milites, irruentes in altaria, osculis significare pacis insigne.* Nunc ad Aram victoriæ ut Deæ, de qua initio capitis agebamus, revertamur.

VIII. *Ara victoriæ in Curia.* Hæc autem, de qua hic quæstio est, victoriæ Ara in Curia fuit, vel ut alii malunt ante ipsam Curiam: eamque esse quam Servilia Matrona nobilissima in Senatum D accita complexa est, apud Tacitum suspicatur vir multæ eruditionis & sagacissimus antiquitatis investigator J. Lipsius ad hæc Taciti verba XVI. *Annal. Altaria & aram complexa. Utrum*, inquit, *Aram victoriæ intelligit quæ ante Curiam? an Altaria & aram Veneris genitricis, in cujus templo nunc Senatus? Certe Ara victoriæ, imo ipsa victoria in Curia fuit.* Clare Suetonius in *Augusto* cap. C. *Insuper*, inquit, *alia censuerunt complura, quidam porta triumphali funus ejus ducendum, præcedente victoria quæ est in Curia.* Curiam E autem Juliam interpretatur Torrentius in suis *ad Suetonium* notis, quam scilicet in honorem D. Julii factam, Augustus post triumphos suos dedicavit XXIX. Augusti die, ut in vetustissimo Kalendario Romano annotatum legimus, in eaque imaginem victoriæ posuit, atque Ægypti spoliis decoravit, Tarento advectam olim; quo Cæsar nimirum ostendebat Imperium se ex victoria esse adeptum, ut author est Dio lib. *historiarum* LI. Hujus aræ meminit Julius Capitolinus in *Gordiano Juniore*, cap. XXII. nam eam esse interpretantur viri eruditissimi: *Post hoc*, F inquit, *veterani ad Cumam* (rectius *Curiam*) *venerunt, ex quibus duo ingressi Capitolium, cum illic Senatus ageretur, ante ipsam Aram a Gallicano ex consulibus & Mæcenate ex ducibus interempti sunt.* Hanc esse victoriæ Aram confirmat Herodiani locus lib. VII. ubi de eorumdem veteranorum, qui sub Maximino meruerant, cæde agitur: *Cum Senatus*, inquit, *haberetur de publicis negotiis, duo ex militibus Maximini, quos in ca-*

stris reliquerat, emeritæ jam ætatis, ad fores Curiæ accesserunt, exploratum quæ gererentur. Inermes videlicet tantumque subarmalibus & sagis induti. Constiterant autem pariter cum reliqua multitudine, sed cæteris ante fores præstolantibus, duo tresve ad summum curiosiores audiendi Curiam ingressi, sic ut ultra Aram quoque victoriæ penetrarent. Hic Senator quidam deposito Consulatu Gallicanus nomine ac genere Carthaginiensis, alterque jam Prætorius Mæcenas, nihil tale expectantes milites, manusque adhuc sub sagulis habentes, repente adactis in corda pugionibus interficiunt. Ita cæsi milites, quia se de improviso defendere haud quiverant, prostrati ante altaria jacebant.

IX. *Ara victoriæ sublata.* Hanc victoriæ aram postea invalescente Christianorum Religione sublatam fuisse vehementissime conqueritur Symmachus lib. x. Epist. LIV. his verbis: *Quis ita familiaris est barbaris, ut Aram victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostenta vitamus: reddatur saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa victoriæ debet æternitas vestra & adhuc plura debebit: aversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit. Vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere; cunctis potentis ista votiva est*, &c. *Illa Ara*, ut statim prosequitur Symmachus, *concordiam tenet omnium: illa Ara fidem connectit singulorum*. Sic conatur suadere restituendam esse aram victoriæ, cujus eloquentiam major in D. Ambrosio dicendi vis obruit, cum ita stomachanti Symmacho respondet magnus Mediolanensium Antistes initio lib. II. *contra Symmachianum illud scriptum*, ut ara quæ de urbis Romæ Curia sublata fuerat, reponeretur, &c. Et mox; Deam Victoriam esse crediderunt. Hujus aram strui in urbis Romæ Curia petunt. Hujus etiam aræ meminit D. Paulinus in *Vita B. Ambrosii*: *Directa*, inquit, *relatio est sub nomine Senatus a Symmacho tunc Præfecto urbis de repetenda Ara victoriæ*. Sanctus etiam Prosper Aquitanicus lib. *de promiss. Dei* his verbis ejusdem aræ mentionem facit: *Aram victoriæ in Senatu restitui intimavit*.

X. *Eadem restituta.* Hæc autem ara eversa fuerat a Constantio & Gratiano Christianis Imperatoribus, quam postea mortuo Valentiniano Viennæ, Eugenius Imperator Flaviano tunc præfecto, & Arbogaste Comite petentibus, oblitus fidei suæ ac religionis proditor concessit restitui, ut idem testatur Paulinus loco citato, ubi ad Valentinianum Imperatorem ita scribit: *Ara Christi dona tua non respicit, sed respuit, quoniam Aram simulacris fecisti*. Prudentius lib. II. *contra Symmachum* hanc victoriæ aram impugnat his versibus:

Non aris non farre molæ victoria felix
Exorata venit; labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
Hanc tribuunt.

Eodem fere sensu Arnobius *contra Gentes* lib. VII. *Et unde*, inquit, *parta victoria est, si Pessinuntio lapidi nullum inerat numen*, &c.

XI. *Ara Deo victori.* Ad hujus Victoriæ Aram perfuncti gravissimis bellis Romanorum Duces sacrificabant: huic acceptas ex hostibus victorias referebant; & ut ait Symmachus: *Nemo victoriam colendam negabat, quam profitebatur optandam*. Quam vero rectius Moyses, qui, ut est apud Josephum lib. III. *Antiquit. Judaicarum*, mactatis deinde per gratiarum actionem victimis aram Deo victori posuit, prædixitque internecione delendos Amalecitas, & idem lib. v. testatur trajecto Jordane sidentibus ultro undis a Jesu Aram fuisse extructam e lapidibus, quos singuli Principes Tribuum ex alveo Propheta jubente sustulerant, ut monumentum esset fluminis refrænati, sacrum in ea Deo fuit, hujus meminit Zonaras tom. I.

XII. *Ædes victoriæ votæ.* Ad cumulum hujus de ara victoriæ capitis placet eximiæ pietatis factum Philippi Augusti Francorum Regis adjicere. Hic victo & profligato cum Anglis & Belgis Othone IV. Imperatore post insignem de tot ac tantis hostibus victoriam, ac tanto majorem, quanto hostis potentior & pugna extiterat pertinacior, Ædem sacram ex voto juxta Sylvanectum, victor dicavit, eamque VICTORIAM appellari voluit, ut est in Floro Francico, lib. III. cap. XIX. secundæ editionis: nec prætereundum est Philippum appetente jam conflictu, Regium diadema in edita ara inspectante exercitu statuisse: ac professum Regem ultro illi cessurum, qui aut eo dignior censeretur, aut generosius depugnaret, &c. Idem a Francisco I. Rege cæsis ad Marignanum Helvetiis factitatum accepimus.

XIII. *Aræ Minervæ & victoriæ.* Non omittam & duas illas aras ab Alexandro Magno Minervæ & Victoriæ erectas. Nam cum Aornum petram in India (quam ab Hercule frustra obsessam, quod is terræ motu fuisset coactus absistere, fama vulgaverat) Alexander Macedo non minus locorum quam Hostium victor cepisset, Aras in editissimo arcis loco duas, Minervæ unam, alteram Victoriæ sacravit: credo ut rei fortiter atque feliciter gestæ memoriam famæ præconio commendaret: ac facinus ad quod ætas illa obstupesceret, notius atque illustrius posteris literarum celebritate foret. Hæc ex Curtio lib. VIII. cap. XI.

CAP. XVII.

I. *Genius divinis honoribus affectus*. II. *Genio privato Ara*. III. *Ad Aram genii sanguinem effundere nefas*. IV. *Ara genii sparsa sanguine*. V. *Genius virorum, Juno fœminarum est*. VI. *Genio publico*. VII. *Urbium*. VIII. *Exercitus*. IX. *Principum Aræ passim erectæ*. X. *Angelus Custos*.

I. *Genius Deus.* Hic in præsentiarum disputationem non instituimus quid sit Genius, quidque ex Veterum sententia significet ea vox: sed de Aris eidem Genio passim erectis, divinisque, quibus olim affectus fuit, honoribus, nobis est agendum. Nam huic publice sacrificatum, dicatas ædes, aras erectas aliaque id genus multa eidem facta Veterum testimonio demonstrare in promptu est. Nec solum privato illi quem thure & libo, ac præterea, ut ait Horatius lib. II. Epist. I.

Floribus & vino Genium memores brevis ævi.

Colebant Veteres, ut etiam innuit Persius Satyr. II.

Funde merum Genio.

Sed etiam publico vel urbis ac civitatis, provinciæ, exercitus, Principis.

II. *Genio Aræ erectæ.* Ac de privato quidem ita Tibullus, cum Natalem diem celebraturus, ea præfatur quæ in sacrificiis imperantur:

Dicamus bona verba, venit natalis; ad Aras
Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.

Atque ut intelligas, nihil ea die prætermissum olim, quod ad divinos honores pertineret, eximium tibi locum suppedito ex Ovidio lib. III. *Tristium* Eleg. XIII. ubi solennium verborum ac precum, sacrorum etiam rationem Poeta ingenio præditus singulari, cum natalem suum diem celebrat, complectitur his versibus:

Ecce supervacuus, quid enim fuit utile nasci?
Ad sua natalis tempora noster adest.
Dure quid ad miseros veniebas exulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
Scilicet expectas solitum tibi moris honorem
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis.
Fumida cingatur florentibus Ara coronis,
Micaque solenni thuris in igne sonet.
Libaque dem pro te genitale notantia tempus,
Concipiamque bonas ore favente preces.
Non ita sum positus, nec sunt ea tempora nobis,
Adventu possim lætus ut esse tuo.
Funeris Ara mihi ferali cincta cupresso
Convenit, & structis flamma parata rogis.
Nec dare thura libet, nihil exorantia Divos,
In tantis subeunt nec bona verba malis.
Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum,
In loca ne redeas amplius ista precor.

III. *Ad aram Genii nefas sanguinem fundere.* Sed quæ tandem ratio sacrificii fuit? Victimane an precibus genio litandum? certe victimam cædi natalitiis, quæ Genii sacra erant, nefas fuisse accepimus, propter eam quam profert Varro eo in libro, cui titulus est *atticulus* sive *de numeris*, rationem: *Id moris*, inquit, *institutique majores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annuale Genio solverent, manum a cæde ac sanguine abstinerent; ne die qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* Quo igitur sacrificii genere utebantur Veteres? thure ac mero, libis ac floribus, ut jam dictum est, curabatur Genius. Tibullus lib. II. Eleg. II. sic de natali die:

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

Et lib. I. Eleg. VII.

Huc venias hodierne tibi dum thuris honores,
Liba & Mossopio dulcia melle feram.

Ovidius *Trist.* IV. Eleg X. cum de suo ac fratris natali die agit:

Lucifer amborum natalibus affuit idem,
Una celebrata est per duo liba dies.

Et *Amorum* lib. I. Eleg. VIII.

Si tibi deficient poscendi munera causæ,
Natalem libis testificare tuum.

Ad hæc pulte fitilla genio fieri scripsit Plinius lib. XVIII. cap. VIII. *Et hodie*, inquit, *sacra prisca natalium pulte fitilla conficiuntur.* De ea mentio est apud Arnobium, cum ridicula Ethnicorum sacrificia ineptasque irridet cæremonias lib. VII. his verbis: *quid fitilla? quid frumen? quid africia, quid gratilla, catumeum, consplium, cubula, ex quibus duo quæ prima sunt pultium nomina, sed genere & qualitate diversa: series vero quæ sequitur, liborum significantias continet, & ipsis etiam non est una eademque formatio.* Adeo vero hosce dies pollui, si victima cæderetur, Veteres censuerunt: ut vel munera quidem, id est, Gladiatorum paria in his dare nefas existimarent, nisi forte rudibus pugnarent tantum, minime autem ferro, qui in arenam descendebant. Hinc Ovidius de quinquatribus, hoc est, Minervæ diebus festis, prima eorumdem festorum die, quod ea nata Minerva crederetur, nefas ait fuisse ferro decertare: ita ille lib. III. *Fastorum:*

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Causa quod est illa nata Minerva die.

Dio nobilis historicus in *Antonino Caracalla* inter alia feritatis ejus Imperatoris indicia hoc enumerat, quod ne natali quidem suo a cædibus temperasset. Hujus hæc sunt verba: *Antoninus antequam excederet e Macedonia ludos gladiatorios fecit suo natali die: nam ne illo quidem abstinuit a cædibus.*

Quo mihi difficilior videtur Horatii locus lib. IV. Od. XI. ubi in natali Mæcenatis ornatam argento domum describit erectam aram, & verbenis vinctam: & paratam insuper victimam quæ pro incolumitate patroni cæderetur: IV. *Ara Genii sparsa sanguine.*

Ridet argento domus, ara, castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Ætatum, ut opinor, conversio mutationem effecit in Deorum sacris ac cæremoniis sacerdotum: non secus atque in civium moribus, legibus, magistratibus, institutisque Reipublicæ. Id etiam causæ fuit, cur Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Arnobius & Lactantius summæ illos passim levitatis insimulent. Nam v. gr. in Albano antiquitus monte, nullos alios licebat tauros nisi niveos immolare: *Nonne*, inquit Arnobius *adversus gentes* lib. II. *istum morem religionemque mutastis? atque ut rufulos liceret dari Senatus est constitutum sanctione? Nonne cum Romulo Pompilioque regnantibus percocta plane ac madida concremarent Diis exta, Rege sub Tullo semi-cruda cepistis, & leviter animata porricere prisca observatione contempta?* Non igitur obscurum ex dictis, floribus primum atque herbis & odoribus; mox libis ac liquoribus sacrificatum, deinde instigante nimirum malo dæmone miseros homines ad brutas non modo, sed ad humanas etiam hostias, id est, in humana sacrificia descendisse. Natali etiam urbis cum sanguine olim abstinuissent, postea cæsis victimis Capitolium fœdavere, atque id facile est colligere ex Orosio lib. VII. cap. XIII. *Histor.* ubi de Philippo Imperatore, ut credidit Orosius, Christiano, urbis natalitia celebrante: *Post tertium*, inquit, *Imperii ejus annum, millesimus a conditione Romæ annus impletus est. Ita*

ludis magnificis augustissimus omnium prætericorum hic natalis annus a Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium quidem est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Christum & ad Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse ab eo Capitolium, vel immolatas ex more hostias nullus author ostendit. Vides ex Orosio in natali urbis in Capitolium itum, ex more hostias immolatas: quæ tamen accedente Christiana pietate mactari plane desierunt. Ad illum etiam morem videtur spectare illud Juvenalis Satyr. II. cum de natali die & hostiarum immolatione velut hæsitabundus loquitur his versibus:

Moris erat quondam festis servare diebus
Et Natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.

Hoc est, si pro temporum sacrorumque ratione victima cædebatur.

V. *Genius virorum. Juno Fœminarum.* Nec vero ingratum fore arbitror si dixerimus non Genio solum, sed & Junoni in natalitiis factum: Genium viros, Junonem fœminas coluisse. Hanc ideo natalem Tibullus nominat his versibus:

Natalis Juno sanctos cape thuris honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Annue, purpureaque veni pellucida palla,
Ter tibi fit libo, ter Dea casta mero.

Ubi puellam vides Junoni sacrificantem suæ, hoc est, natali, thure, libo ac mero: uti Genio viri; quibus tamen æque ac fœminis Juno & Genius natalitii Dii erant. Hinc Seneca Epist. III. *Singulis*, inquit, *& Genium & Junonem dederunt*. Plinius etiam lib. I. *nat. Hist. cum singulos*, inquit, *ex semetipsis Deos faciant, Genios Junonesque adoptant sibi*. Sic passim authores promiscue. Fere tamen per Genium viri, per Junonem fœminæ jurare *Jurare per Genium & Junonem.* consueverant, ut apud Petronium Quartilla: *Junonem*, inquit, *meam iratam habeam*. Et Tibullus, ut amicæ suæ blandiatur amantium more, per ipsius Genium, hoc est, Junonem, jurat hoc modo:

Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro,
Quæ sola ante alios est mihi magna Deos.

Sed hoc in puellarum gratiam factum, quod in alio Juvenalis reprehendit:

Et per Junonem Domini jurante magistro.

Decet enim viros natalis potius Dei meminisse quam Deæ: licet, ut jam dictum est, promiscue Genius & Juno eodemque ritu pro natalitiis Diis colerentur. Ac ne quid abeat intactum, Genium venerantes frontem tangebant vel uno teste Servio in Virgil. *Frons Genio sacra.* *Æneid.* III. *Physici dicunt*, inquit, *esse consecratas singulis numinibus singulas corporis partes; ut aurem memoriæ, frontem genio, unde venerantes genium frontem tangunt*.

VI. *Genius publicus.* Sed quo me extra propositum Genius meus abripuit? ad Publicum revertor. Initium erit ab egregio Prudentii loco, ubi singulis prope rebus singulos Genios assignatos fuisse notat, nec urbibus modo ac provinciis suos; sed & portis urbium, domibus, imo & Porcorum stabulis: quid amentius? Sic Prudentius:

Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere, &c.

Genii autem Publici meminit in primis vir eruditionis reconditæ Turnebus, cum panem gradilem lib. XXVI. *Adversar.* c. XXXIII. in codice Theodosii interpretatur; sic habet: *Ego*, inquit, *eum esse interpretor, qui in gradili templo publici genii viritim dividebatur, ut enim voluerunt forum esse publicum, sic non tantum cuique privatim suum attributum putaverunt Genium, verum etiam populo quem Genium publicum vocaverunt*.

VII. *Genio civitatis Ara.* Id confirmat Marcellini authoritate, apud quem lib. nimirum XX. Publici hujus Genii fit mentio his verbis: *Per quietem aliquem visum, ut formari Genius publicus solet*, &c. Scaliger lib. I. c. V. *lectionum Ausonianarum*, ubi de Burdegala & Biturigibus Viviscis agit. *Burdigala*, inquit, *caput Biturigum Vibiscorum est, & ita in inscriptione Burdigalensi legitur:*

AUGUSTO SACRUM
ET GENIO CIVITATIS.
BIT. VIVI.

Genio autem civitatis publico erectas fuisse Aras, vel hoc uno D. Augustini loco clarum est, cum de Genio Carthaginis loquitur. hunc habes cap. VIII. hujus opusculi: *Non est* (inquit) *Deus, quia Genium est Carthaginis*, &c. *Nam & illi quod Numen habent & pro numine accipiant illam statuam Ara testatur. Quid illic facit Ara, si illud non habetur pro numine?* Ecce tibi miserrimorum hominum inepta opinione Deus Genius: Ecce Ara. Non modo urbium Geniis erectas aras *Ara urbis.* & templa, sed ipsis etiam urbibus, quis adeo est Heraclitus ut non rideat? has æternas, has divinas & immortales: imo Deas Veterum ambitio & adulatio appellavit & fecit. Prodeant in exemplum tam insanæ superstitionis, nobilissimæ orbis terrarum Respubl. Romanorum scilicet & Atheniensium, & ab his cæterarum vanitas perdiscatur. Urbem *Roma Dea.* olim (Romam intellige) arroganti titulo appellarunt ÆTERNAM, inquit Fabricius. Huic nomini Divinos honores tribuerunt Smyrnæi, Pergamenses, & Græcorum omnium cultissimi Athenienses. A Smyrnæis id factum est, ut Tacitus scribit, M. Porcii Catonis Consulatu, a Pergamensibus imperante Augusto, ab Atheniensibus dominante Ælio Hadriano. De his planius loquitur vetus inscriptio, quæ ante eversam a Mahomete urbem in vestibulo templi fuit quod in arce quondam Palladi, postea B. Mariæ Virgini sacrum fuit. Ejusmodi est inscriptio literis Græcanicis:

Ο ΔΗΜΟΣ. ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ. ΕΠΙ. ΤΟΥΣ. ΠΟΛΙΤΑΣ. ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ. ΤΟΥ. ΞΕΝΩΝΟΣ. ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ. ΙΕΡΕΩΣ. ΘΕΑΣ. ΡΩΜΗΣ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ. ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ. ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕΓΙϛΤΗϚ. ΑϛΚΛΕΙΠΙΑΔΟΥ. ΑΛΑΙΕΩϚ. ΘΥΓΑΤΡΟϚ. ΕΠΙ. ΑΡΧΟΝΤΟϚ. ΑΡΗΟΥΓΟΥ. ΜΩΡΙΩΝΟϚ. ΠΑΙΑΝΙΕΩϚ.

A Ad hanc Epigraphen alludens Martialis, ita de Rom. cecinit lib. XII. epigrammate VIII.

Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Atque ea Romæ & Augusti Cæsaris communis Ara ex antiquiss. numismat. facile colligi & confirmari potest. Habeo ego duo numismata in erectis nuper vetustissimæ arcis ruderibus Mediolani Santonum reperta, ex altera nummi parte Augusti Cæsaris effigiem referentia, cum hac inscriptione, CÆS. AUG. IMP. P. P. ex altera vero Aram B cum hoc titulo infra. ROM. ET. AUG. Quin etiam in urbe prope viam sacram, Romæ & Veneris consors delubrum fuit: & Sacerdotis urbis ut in hoc Martialis epigrammate, ita in historicorum scriptis, & in antiquis marmoribus extat mentio, in quo est cur miremur nobilissimarum gentium fuisse eam cœcitatem, ut rebus etiam omni sensu carentibus Aras, templa, & sacrificia darent.

VIII. *Aræ exercituum.* Fuisse & exercituum Genios, eisque Aras excitatas ex Veterum monumentis colligimus. Brissonius lib. I. *Formul.* hanc quæ C sequitur Genio Centuriæ publico erectam fuisse refert cum hac inscriptione Romæ:

C. MARCIUS. C. F. SALVIANUS. NORBA
GENIO. COHOR. X. PR. P. MARI. BASSI
IN. QVA. MILITAVIT. ANN. XIIX. VOTO
SVSCEPTO. MISSVS. HONESTA. MISSIONE
PRID. NON. JAN. Q. FABIO. COLLATINO
M. FLAVIO. COSS. ANIMO. LIBENS
ARAM
SVA. PECVNIA. POSVIT

D Superiorem inscriptionem paulo aliter refert Wolphangus Lazarius lib. IV. *comm. Reip. Rom.*

IX. *Genio Aug. Aræ.* Genio etiam Augusti dicatas ædes fuisse author est in primis Suetonius in *ipsius vita* cap. LX. his verbis: *Reges amici atque socii, & singuli in suo quisque regno, Cæsareas urbes condiderunt. Et cuncti simul ædem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus dedicare*, &c. Fuerunt & Aræ erectæ E GENIO SENATUS. in nummo Antonini Pii. GENIO POP. ROMANI. in numismate Constantini. M. ET GENIO EXERCITUUM. in nummo æneo Claudii II. Imperat. ubi notandum Genii effigiem medio corpore, id est, ad umbilicum nudam repræsentari solitam, sinistra cornucopiæ, dextera pateram ad sacrificium: nam & Ara erat ante pedes igne accenso, ut videre est apud Ammian. Marcel. lib. XXV. ubi de Juliano, nec omittam eam Aram, F quæ Tarraconæ in Hispania visitur cum hac inscriptione:

GENIO. CONVENTVS
ASTVRICENSIS

Extat & Genio sancto cum sequenti inscriptione Ara in Germania in oppido Praumheim:

GENIO. SANCTO
M. AVREL. CL. POMPEJANVS
MIL. LEG. VIII. ANTONIANÆ
AVG. B. F. COS
V. IANVAR. IMP. D. N
ANTONINO. IV. ET. BALBITO. COSS

Hæc de Genio privato & publico, quem tanto illi studio tantaque veneratione coluerunt, ut ædes sacras, Aras, sacrificiaque illi darent.

Cæterum quem illi Genium, nos Christiani Custodem Angelum appellamus. Hunc eleganter Apulejus in lib. *de Deo Socratis* descripsit hoc modo: *Ex hac ergo sublimiori Dæmonum copia Plato autumat singulis hominibus in vita agenda testes & custodes singulos additos, qui nemini conspicui semper adsint, arbitri omnium non modo actorum, verumetiam cogitatorum, at ubi vita edita remeandum est, eumdem illum qui nobis præditus fuit raptare & trahere veluti custodiam suam ad judicium, atque illic in causa dicenda assistere: si qua commentiatur, redarguere: si qua vera dicat, asseverare: prorsus illius testimonio ferri sententiam. Proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam sententiam me Interprete auscultatis; ita animos vestros ad quæcumque vel agenda vel meditanda formate, ut sciatis nihil homini præ istis custodibus nec intra animum, nec foris esse secreti: quin omnia curiose ille participet, omnia visat, omnia intelligat, in ipsis penitissimis mentibus vice conscientiæ diversetur. Hic quem dico prorsus Custos singularis præfectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cognitor, assiduus observator, individuus arbiter, insuperabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si rite animadvertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur, itaque a Socrate justitia & innocentia cultus est, in rebus incertis prospector, dubiis præmonitor, periculosis tutator, egenis opitulator, qui tibi queat tum in somniis, tum in signis, tum etiam fortasse coram cum usus postulat, mala averruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, secunda regere, adversa corrigere. Non igitur mirum si Socrates vir in primis perfectus, & Apollinis quoque testimonio sapiens, hunc Deum suum cognovit, & coluit; ac propterea ejus custos, & prope, ut ita dicam, par contubernio, familiaris cuncta quæ arcenda sunt, arcuit; quæ præcavenda, præcavit; & præmonenda, præmonuit*, &c. Hactenus Apulejus. quis, Lector, Christiane magis? De eo sic aliquando lusimus:

X. *Christianorum quis?*

Angeli custodis descriptio.

Angele mi, bone dux animæ, bone mentis Achate,
Quo sine non possum vivere, nolo mori:
Me tibi commissum patria pietate guberna,
Et dubium errantis dirige mentis iter.
In cœlum facili tanto Duce tramite curram,
Nec sistet gressus turba maligna meos.
In me Tartareæ convertant spicula pestes,
Conficiet totas una sagitta manus.
Angele mi, bone dux animæ, bone mentis Achate,
Quo sine non possum vivere, nolo mori.

Hæc forsan multis extra rem, mihi factum satis; si non omnibus.

CAP. XVIII.

I. *Ara in Circo*. II. *Consualia & in iis Aræ*. III. *Consus quis? eique Aræ erectæ*. IV. *Larium Potentium, & Valentiorum Aræ*. V. *Aræ Olympiacæ*. VI. *Ara Scenica*. VII. *Aræ in Scena duæ*. VIII. *Terminus Deus*. IX. *Aræ Terminales*.

I. *Ara in Circo.* UT *in Circo ludi omnes & a Diis profecti, & in Deorum honorem sunt instituti*, inquit Cicero lib. II. *de Legibus*; ita nullus sine sacrificio, nullus sine Ara Circus reperiebatur. Arnobius lib. III. *contra gentes* Mercurium ait in Palæstris coli & honorari solitum antiquitus, ut & Minervam in Gymnasiis, Neptunum in Circis, Martem in arenis. Quo etiam spectat illud D. Tertulliani lib. *de Spectaculis*, ubi eleganter sacrificia in Circo fieri solita ad Aras Deorum illorum, in quorum honorem ludi illi celebrabantur, detestatur his verbis: *Quod spectaculum*, inquit, *sine Idolo? Quis ludus sine sacrificio? quod certamen non consecratum mortuis? Græca illa certamina vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus præsides suos habent varia Dæmonia: & quicquid est aliud quod spectantium aut oculos movet, aut delinit aures, si cum origine sua aut institutione quæratur; Causam præfert, aut Idolum, aut Dæmonium, aut mortuum*, &c. Idem pene habet Lactantius lib. VI. *de vero cultu* cap. XX. *Ludorum*, inquit, *celebrationes Deorum festa sunt: siquidem ob natales eorum vel templorum novorum dedicationes sunt constituti*. Isidorus etiam lib. XVIII. c. XXIV. & Dionysius lib. I. idem testantur. Ad Aram vero Circensium Varro lib. V. *de lingua Latina* sic habet, ubi de Conso Deo & Consualibus ejusdem festis ac ludis, agit: *Consualia*,

II. *Consualia.* inquit, *dicta a Conso, quod tum feriæ publicæ ei Deo & in Circo ad Aram ejus a Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ*.

Horum origo. Horum vero de origine ipsiusque Aræ audiendus est in primis Plutarchus in *Romulo* his verbis: διεδόθη λόγος ὑπ' αὐτοῦ πρῶτον ὡς θεοῦ τινος, Κῶνσον, εἴτε βουλαῖον ὄντα, εἴτε ἵππιον Ποσειδῶ. καὶ γὰρ ὁ βωμός ἐν τῷ μείζονι τῶν ἱπποδρόμων ἐστὶν ἀφανὴς τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν δὲ τοῖς ἱππικοῖς ἀγῶσι ἀνακαλυπτόμενος. οἱ δὲ καὶ ὅλως φασὶ τοῦ βουλεύματος ἀπορρήτου καὶ ἀφανοῦς ὄντος ὑπόγειον οὐκ ἀλόγως τῷ θεῷ βωμὸν γενέσθαι. ἐτολμήθη μὲν οὖν ἡ ἁρπαγὴ περὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην ἡμέραν τοῦ τότε σεξτιλίου μηνὸς, Αὐγούστου δὲ νῦν, ἐν ᾗ τὴν Κωνσουαλίων ἑορτὴν ἄγουσι. Hoc est, *Sparsus est rumor* (a Romulo) *primum profectus quod Aram quandam latentem sub terra ipse reperisset: vocabant eum Deum Consum, vel ut Consiliorum Præsidem, vel equestrem Neptunum: etenim hodieque Ara reliquo tempore in Circo maximo defossa latet. cum ludicrum in Circo datur in lucem exit. Res gesta est octavo circiter & decimo die sextilis, qui nunc Augustus est: quo tempore hodieque Consualia celebrantur*. Ea igitur ara per Consualia refodiebatur, ut ad eam fierent sacra ludorum. Hujus etiam mentionem facit Tertullianus alicubi, cum ait: *Sacrificant apud eam Non. Julii Sacerdotes publici XV. Kal. Septembris*. Ita enim legendum censet Cæsar Bulengerus, vir in humanioribus literis apprime eruditus, ex cujus Circo hæc fere de Ara Circensi excerpsimus, non XII. quia ad Plutarchi mentem XVIII. dies est. Dionysii Halicarnassei authoritate ductus videtur Plutarchus. Nam is lib. II. de iisdem Consualibus eademque ara & ludis ab eodem Romulo profectis sic habet: τὴν δὲ τότε τῷ Ρωμύλῳ καθιερωθεῖσαν ἑορτὴν ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἄγοντες Ρωμαῖοι διατελοῦσι Κωνσουάλια καλοῦντες, ἐν ᾗ βωμός τε ὑπόγειος ἱδρυμένος παρὰ τῷ μεγίστῳ τῶν ἱπποδρόμων περισκαφείσης τῆς γῆς, θυσίαις καὶ ὑπερπύροις ἀπαρχαῖς γεραίρεται, καὶ δρόμος ἵππων ζευκτῶν τε καὶ ἀζεύκτων ἐπιτελεῖται. Κῶνσον Ποσειδῶνα σεισίχθονά φασιν εἶναι, ὑπόγειος βωμός ἐστιν, ὅτι τὴν γῆν ὁ θεὸς οὗτος ἔχει. Id est, *celebritatem a Romulo id temporis cœptam & consecratam usque huc Romani peragunt, & Consualia vocant, in qua subterranea ara in Circo maximo fossa humo sacrificiis & libamentis ad ignem adhibitis colitur, & cursus equis subjugis & injugis perficitur. Consum volunt esse Neptunum σεισίχθωνα terræ concussorem* (& ut Juvenalis vocat *Ennosigæum, Terriquassatorem*) *sub terra latet Ara, quia Deus hic terram possidet*. III. *Consus quis?* Putem equidem ideo Consum, quia reconditus humo ac opertus esset, appellatum. More tamen Græcorum Neptuno Circenses attributos, cui nusquam gentium Ara subterranea est, author est idem Dionysius. Ποσειδῶνι γὰρ ἀφανῆ βωμὸν οὐδαμόθι γῆς οὔτε ὑφ' Ἑλλήνων, οὔθ' ὑπὸ βαρβάρων καθιδρῦσθαι. Tertullianus Consum ideo appellatum innuit, quod Consiliorum Deus crederetur. Ita ille in lib. *de Spectaculis* cap. I. cum Consi Dei ejusdemque Aræ meminit his verbis: *Conso*, inquit, *Consiliorum Deo in raptu Sabinarum factum est, cui in Circo Ara defossa est ad primas metas sub terra cum inscriptione ejusmodi:*

CONSUS. CONSILIO
MARS. DUELLO
LARES. COMITIO
POTENTES

Hujus præterea Aræ fit mentio apud Pausaniam in *Eliacis* hoc modo: Ὀλυμπίᾳ ἐν ἵππων ἀφέσει ἐν μὲν τῷ ὑπαίθρῳ τῆς ἀφέσεως, κατὰ μέσον που μάλιστα Ποσειδῶνος ἱππίου, καὶ ἥρας εἰσὶν ἱππίας βωμὸς, πρὸς δὲ τῷ κιονιδιοσκούρων τῆς δὲ πρὸς τὸ ἔμβολον καλούμενον εἰσόδου, τῇ μὲν Ἄρεος ἱππίου, τῇ δὲ Ἀθηνᾶς ἱππίας βωμός. De hac Ara, Conso item & Consualibus videndus Alexander ab Alexand. lib. V. cap. XXVI.

IV. *Larium Potentium & Valentiorum Aræ.* Denique farrago Deorum in Circum venit. Nam & ad metas Ara Larium, Ara Potentium, Ara Valentiorum Deorum fuit: quos Samothracas vocat Tertullianus citato loco. Ædes item Cereris & Proserpinæ, Templum Herculis

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est.

ædes Liberi & Liberæ, ædes Mercurii, &c. vide Dionysium Halicar. lib. VI. Tertullianum *de Spectaculis*, Petrum Victorem, ac in primis Cæsarem Bulengerum in *Circo*. de his templis quæ modo enumeravimus ad Circum Ovidius in *Fastis* sic habet:

Templa tibi posuere patres spectantia Circum
Idibus ex illo est hæc tibi festa Dies.

Mercurium alloquitur Poeta, cujus templum fuit ad metas Murcias.

V. *Ara Olympiaca.* Aræ Circensi affinis fuit Græcorum Ara Olympiaca: nam & ad eam pugnasse ac ludicris se certaminibus exercuisse Græcos certum est. Hujus meminit Pindarus Ode X. *Olympiorum*, & ad eam pugiles certasse refert his verbis. *Παῖδα ἐρατὸν Ἀρχεστράτου αἴνησα, τὸν εἶδον κρατέοντα χερὸς ἀλκᾷ, βωμὸν παρ' ὀλύμπιον.* Narrant Veteres Herculem cum ludicrum certamen institueret sex Aras binis Diis consecrasse: id confirmat Pindari Interpres easque enumerat his verbis: *βωμοὺς ἓξ διδύμους γέγραφεν ὀλυμπιάδι βωμοί εἰσιν ἕξ, δίδυμοι τοῖς δώδεκα θεοῖς ἀνιδρυμένοι, ἑνὸς ἑκάστου βωμοῦ δύο θεοῖς καθωσιωμένου, πρῶτος Διὸς καὶ Ποσειδῶνος, δεύτερος Ἥρας καὶ Ἀθηνῆς, τρίτος Ἑρμοῦ καὶ Ἀπόλλωνος, τέταρτος χαρίτων καὶ Διονύσου, πέμπτος Ἀρτέμιδος καὶ Ἀλφειοῦ, ἕκτος Κρόνου καὶ Ῥέας ὥς φησιν Ἡρόδωρος*, &c. Idem habet Casaubonus in *Ælium Lampridium*.

VI. *Ara Scenica.* Aram Circensem & Olympiacam apposite excipit Ara Scenica, utrobique enim spectacula sunt & ludorum celebritas. Ornatas igitur suis Aris scenas apud Veteres passim legimus. Nam Comœdiam celebraturi cum ea Apollini potissimum sacra putaretur, in honorem ejusdem Apollinis Ara in scena constituebatur. *Apollini.* De hac Ara utique ex Interpretum mente intelligendus est hic Terentii locus in *Andria* act. IV. scen. III. *Ex Ara hinc sume verbenas tibi atque eas substerne.* *Libero patri.* Quem ad Comici locum Donatus hæc habet: *Libero etiam Patri*, inquit, *Tragœdia sacra est*. quo pertinet illud Suidæ, *ἔστι δὲ μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς τοῦ Διονυσίου ὃς καλεῖται θυμέλη παρὰ τὸ θύειν.* Idest, *in Orchestra vero ara est Dionysii, quæ vocatur Thymele a sacrificando.* Hujus etiam meminit Isidorus lib. XVIII. cap. XLIV. *Originum*. *Pulpitum*, inquit, *quod Thymele vocatur*. Olympiodorus autem non solum Tragœdiæ Præsidem, sed etiam Comœdiæ facit Dionysium his verbis *in Phædonem Platonis*: *ἔφορος γὰρ πάσης βακχείας. διὸ οὐ μόνων κωμικῶν ἔφορος ἐστιν ὡς περὶ ἡδονὰς καταγινομένων, ἀλλὰ καὶ τραγικῶν περὶ λύπας καὶ θανάτους καταγινομένων, ὡς τὸ εἰκὸς*, &c. ubi manifeste tragœdia quæ molestias & cædes continet, & comœdia quæ de voluptatibus & jocis instituitur eidem Dionysio sive Baccho attribuuntur, tanquam utriusque Scenæ Deo ac Præsidi.

VII. *Aræ in Scena duæ.* Præterea Cornutus eo in tractatu *de Tragœdia & Comœdia*, qui fere semper Terentio vice Procemii præmitti solet, duas Scenæ aras fuisse commemorat, quarum altera Libero semper patri, altera ei Deo, in cujus honorem Scena parabatur constructa fuit. Hæc sunt Cornuti verba: *In Scena*, inquit, *duæ Aræ poni solebant: Dextra Liberi; sinistra ejus Dei erat, cui ludi fiebant*. Denique non est omittendum Lucretii exemplum lib. II. quo aram Scenicam manifeste nominat his versibus:

Et cum scena croco Cilici perfusa recens est,
Araque Panchæos exhalat propter odores.

Aræ Scenicæ meminit etiam Julius Pollux lib. IV. cap. XIX. & Greg. Gyraldus *de histor. Poetar.* dialogo VI. & Scaliger *poem.* l. I.

VIII. *Terminus Deus.* Nunc de Aris terminalibus, quæ scilicet in terminis sive agrorum finibus erectæ erant, pauca nobis dicenda sunt, ubi tamen Terminum Deum ejusque terminalia strictim attigerimus. Termino igitur Deo, uti

A credere est, extruebantur cum aris & ædes. id vel uno Festo Pompejo teste liquet satis his verbis: *Termino*, inquit, *sacrificabant Veteres, quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant*. Quo autem loco colebatur Terminus, super eum, foramen patebat in tecto, quod nefas esse putarent Terminum intra tectum consistere. Hujus meminit Livius lib. I. his verbis: Cum omnium sacellorum exaugurationem aves admitterent, in Termino Fano non addixere; idque omen auguriumque ita acceptum est, non motam
B Termini sedem unumque eum Deorum non evocatum sacratis sibi finibus firma stabiliaque cuncta protendere. atque ut Deum fuisse Terminum & a Romanis divinis etiam honoribus cultum omnes intelligant: Huic & fidei templum struxit Numa Pompilius, ut author est Plutarchus in ejusdem Numæ vita. Hinc festa Terminalia ideo dicta, non quod is quo peragerentur dies anni esset extremus, ut censet Varro, sed a Termino potius Deo nomen sumpserunt, quæ scilicet in honorem Termini Dei celebrabantur mense Februario ad VIII. Kal. Martias,
C ut annotavit Janus Passeratius. Horum etiam meminit Censorinus, dum ait inter Terminalia & regifugium Diem Intercalarem fuisse insertum. Livius lib. III. Decad. V. mentionem facit horum festorum quæ fiebant VII. Kal. Febr. sexto ab urbe lapide. His autem festis agna immolabatur, ut diserte docet Horatius Od. II. lib. *Epod.*

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Non omittam Ovidii II. *Fast.* libro locum eximium de hac ipsa Termini Ara differentem:

Nox ubi transierit solito celebretur honore,
Separat indicio qui Deus arva suo.
D *Termine sive lapis, sive es defossus in agro*
Stipes, ab antiquis te quoque numen habet.
Te duo diversa domini de parte coronant,
Binaque serta tibi binaque dona ferunt.
Ara fit, huc ignem curta fert rustica testa
Sumptum de tepidis ipsa colona focis, &c.

Sed de aris Terminalibus, quæ nimirum in Provinciarum finibus erigebantur, (nam de iis quas Romani Deo Termino struxerunt non est dubitationi relictus locus) esset cur
E vehementer dubitarem, nisi fluctuantem opinionem & incertam unius Herodiani authoritas confirmaret. Is enim ad Aras quæ in Provinciarum finibus erectæ erant Maximinum Imper. sacrificasse disertis verbis ait lib. VII. *ὁ δὲ Μαξιμῖνος ἀνύσας τὴν ὁδοιπορίαν ἐπέστη τοῖς τῆς Ἰταλίας ὅροις θύσας τε ἐπὶ τῶν μεθορίων βωμῶν τῆς ἐπ' Ἰταλίαν εἰσβολῆς εἴχετο.* Hoc est, *Maximinus autem confecto itinere Italiam attigerat, ac sacrificato ad Aras, quæ in finibus ipsis erectæ sunt, pergit iter facere*. Nec omittam præclarum
F Demosthenis locum in *haloneso*, ubi Aræ Jovis Montani mentionem facit, quæ nimirum ad Isthmum Chersonesi Thraciæ fuit inter Preleum & Leucatte Promontoria, atque locum illum, in quo sita est ea ara, terminum esse Chersonesi. Hujus hæc sunt verba; *καί τοι χερρονήσου οἱ ὅροι εἰσὶν οὐκ ἀγορά, ἀλλ' ὁ βωμὸς τοῦ Διὸς τοῦ ὁρίου, ὅς ἐστι μεταξὺ πτελεοῦ καὶ λευκῆς ἀκτῆς, οὗ ἡ διωρυχὴ ἔμελλε χερρονήσου ἔσεσθαι. ὥς τι τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ Διὸς τοῦ ὁρίου, ἐστὶ δὲ τουτί:*

Τὸν δὲ καθιδρύσαν θεῷ περικαλλέα βωμὸν,
 Λευκῆς καὶ πτελεοῦ μέσσον ὅρον θέμενον.
Ἐνναέται χώρης σημήιον ἀμμορίης δὲ
 Αὐτὸς ἄναξ μακάρων ἐστὶ μέσος Κρονίδης.

Id est, *atqui Chersonesi limites sunt non forum, sed ara Montani Jovis, quæ est intra Pteleum & albam Acten, quo in loco institutum fuit Chersonesum fossa ducta disterminare : id quod ipsius aræ Jovis Montani inscriptio indicat his verbis :*

Limes ut in medio Leucæ Pteleique notetur
 Hæc est excellens Ara sacrata Jovi.
Ne populos turbet contentio, Jupiter ipse
 Rex superum medius limite signat agros.

Ex his patet Aras fuisse in finibus agrorum e terminis Provinciarum erectas, ut earum forsan religione a mutua invasione vicini populi retinerentur. Omiseram illud Alexandri Magni, is ad Tanim amnem in argumentum tot victoriarum Aram eo in loco, qui terminus longæ expeditionis quam susceperat ea parte futurus erat, extruxit, ut meminit Ptolemæus. *Dimissis* (ut est in *annalib. Bocorum* lib. I.) *Oratoribus Tanim trajicit : ibi more Veterum Aram atque Columnam in terminis posuit*, &c. ut scias usurpatam diu pridem illam fuisse etiam ante Alexand. Magnum consuetudinem.

CAP. XIX.

I. *Aræ Convivii*. II. *Aræ Convivalis Sacerdos*. III. *Aræ hospitii*. IV. *Aræ Busiridis*. V. *Ara Jovis hospitalis*. VI. *Ara Jovis Servatoris*. VII. *Ara Jovis fulguratoris*. VIII. *Ara expiationis*. IX. *Has damnat Lactantius*.

MAGNUS ubique apud Veteres illos ad suæ religionis superstitionem locus ac cultus; tantus certe ut nihil agere omnino viderentur, quod Deorum Religio ac veneratio non comitaretur. Ecce nunc tibi Conviviorum Aræ passim erectæ, ad quas illi positis mensis genialiter epularentur. Virgilius lib. IV. *Georgic.* in descriptione Convivii ad Aristæi fabulam ita habet : I. *Aræ Convivii.*

——— *manibus liquidos dant ordine fontes*
Germanæ, tonsisque ferunt mantilia villis.
Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula : Panchæis adolescunt ignibus aræ.

Idem Poeta libro *Æneidos* VIII. ubi de sacris Herculis, convivium ejusque aras nominat : postquam enim præmisit,

——— *tepidusque cruor fumabat ad aras.*

Statim subjungit :

Terrentur subito visu, cunctique relictis
Consurgunt mensis.

(Erant autem mensæ Deorum ut apud eundem Poetam *Æneid.* II. *Mensæque Deorum.*) Deinde post paucos versus, interjecta Caci nequissimi monstri fabula, & convivio instaurato, sic Poeta prosequitur :

Cum sacer implevit dextram scyphus, ocyus omnes
In mensam læti libant, divosque precantur,
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ

A *Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.*
Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt velati tempora ramis.

Quid jam clarius conviviorum ara ? quid frequentius ?

Imo vero Convivalis istius aræ, quo plane religionem intelligas, flamen fuit ut & aliarum ædium & ararum. Hunc diserte nominat idem Virgilius eodem libro : II. *Aræ Convivalis Sacerdos.*

Tum lecti juvenes certatim Aræque Sacerdos
B *Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris*
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.

Hunc epulandi ad Aras Deorum morem fuisse etiam Ægyptiis familiarem videtur innuere Juvenalis Satyr. XV. cum ex professo barbaros hujusce gentis mores reprehendit hoc modo :

Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum Primoribus ac Ducibus, ne
C *Lætam hilaremque diem, ne magnæ gaudia mensæ*
Sentiret positis ad templa & compita mensis.

Festino nunc ad Hospitii Aras, quæ tam sacræ ac sanctæ semper Hospitibus visæ sunt; ut qui eas violare auderent, scelerati & impii dicerentur. id facinus capitale est Plauto in *Mostellaria* his verbis : Tr. *Capitalis cædes facta est*. Th. *non intelligo*. Tr. *scelus inquam factum est, jam diu antiquum & vetus*, &c. Hospes necavit hospitem captum manu. Eodem omnino sensu D Virgilius Thracum Regem fas omne abrupisse dicit, quod Polydorum Priami filium Hospitem suum ac tutelæ suæ commissum interfecisset. III. *Aræ hospitii.*

Decantatæ sunt & famosæ Busiridis crudelissimi mortalium aræ. Has omnis hominum ætas detestata est, de quibus ita Virgilius Georgicon III. IV. *Aræ Busiridis.*

——— *Quis aut Eurysthea durum,*
Aut illaudati nescit Busiridis aras ?

quasi diceret Poeta neminem esse adeo rerum omnium ignarum & historiarum, quem tam nefarii monstri immanis latere posset E crudelitas, & plusquam ferina barbaries. Quippe cujus tanta erat cum impietate juncta immanitas, ut jura Hospitalitatis ipsis barbaris sacrosancta non violaret modo cæsis crudeliter hospitibus, sed etiam Deorum aras & sacra pulvinaria immanissime, hospitum cruore inquinaret. Tauris Ponticis, Ægyptiis, Cyclopibus & Læstrygonibus familiaris ea fuisse crudelitas dicitur : ad eam immanitatem pertinet illud Ciceronis *pro Rege Dejotaro*, qui eo nomine ad Cæsarem delatus periclitabatur : *Ut enim omittam*, inquit, *cujus sceleris fuit, in con*F*spectu Deorum Penatium necare hospitem*, &c. Macrobius lib. VI. cap. VII. ubi superiorem Virgilii locum,

Aut illaudati nescit Busiridis aras,

diligenter examinat, Poetam Principem videtur arguere, qui tanto sceleri, tamque nefario & impio hospiti exprimendo, mitiori quam par erat adjuncto sive epitheto fuerat usus. Hoc enim verbum, inquit, illaudati non est idoneum ad exprimendam

A sceleratissimi hominis detestationem; qui quod homines omnium gentium immolare solitus fuit, non laude dignus, sed detestatione execrationeque generis totius humani dignus est. Busiridi supplicium dignius non reperiebatur quam ut pari exitio quo hospites adfecerat e vita discederet. Sed eximium Poetam ab injuria Macrobiana vindicare facile est, etiam ei qui vel uno parram colit asse Minervam, illaudatum appellavit tam sævum ac truculentum generis humani hostem, non modo nulla dignum laude, sed B cujus tanta erat immanitas, tamque atrox, ut ne quidem eum nominare ac recensere fas esset, quasi Poeta alluderet ad commune illud Asiæ quondam decretum, quo severe cautum est, uti nomen ejus qui templum Dianæ Ephesi incenderat, ne quis ullo tempore nominaret. A Gellius lib. II. cap. VI. in hunc Virgilii locum: *Sed enim*, inquit, *in omni re, atque in omni tempore, laude omni vacat, is illaudatus est, isque omnium pessimus deterrimusque habetur, quasi illaudabilis & innominabilis, qui neque mentione aut memoria ulla dignus est, neque unquam nominandus.* C Laudare igitur nominare est: *His tu igitur Epistolis Deciane recitatis*, inquit Cicero *pro Flacco*, *his mulierculis productis, illo absente authore laudato, tantum te crimen prolaturum putasti?* Imo ipse qui laudatissimum Poetam arguit Macrobius eodem libro ac cap. quasi pœniteret ejus quam fecerat injuriæ, eo sensu Poetam locutum existimat; *Laudare enim*, inquit, *prisca lingua nominare appellareque significat*. Hecuba apud Tragicum in *Troade* audita Astyanactis cæde indignissima, Græcorum facinus, Scytharum D & Colchorum crudelitati assignat; & quacumque impietate detestabiliores Busiridis aras profert; ut comparatione deterrima, Græcorum augeatur immanitas. Sic illa:

Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scytha
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare
Gens juris expers ausa? Non Busiridis
Puerilis Aras sanguis aspersit feri.

Sed quas ille tandem pœnas immanissimus dedit Carnifex? Hunc Hospes Theseus au- E thoribus & ultoribus Diis in vindictam etiam hominum sustulit. Tanto tamque horribili monstro cæso non aliis tantum quas egregie gessit rebus inclaruit, ut est apud Plutarchum in *ipsius vita*. Quod supplicium etiam Diomedi æque in hospites scelerato ab Hercule illatum fuisse fuerunt. Plutarchi hæc sunt verba: ἔπραττε δὲ ταῦτα μιμούμενος Ἡρακλέα. καὶ γὰρ ἐκεῖνος οἷς ἐπεβουλεύετο τρόποις ἀμυνόμενος τοὺς προσεπιχειροῦντας, ἔθυσε τὸν Βούσιριν, &c. Idest, *his operibus insistebat Herculis vestigiis: etenim ille quibus ipse petebatur insidiis, iisdem pœnas expetens ab inva-* F *soribus immolavit Busirim*. Cæterum cædes Hospitis maxime propter præsentes Deos eorumque aras, paternæ cædi semper proxima visa est: itaque utramque eleganter & apte admodum conjunxit Horatius lib. II. od. XIII. his versibus:

Illum & Parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis, &c.

De his autem Busiridis aris εἰρωνικῶς in Christianissimi Regis Ludovici XIII. Icone ita habet Baltazar Vias Massiliensis Poeta egregius, cum Sectariorum & Rebellium Lutheranæ factionis ausus nefarios detestatur:

O lenis Sciron, mites Busiridis Aræ,
Nec sævi Diomedis equi, clemensque Procustes.

Ubi manifeste Statium est imitatus lib. XII. *Theb.*

Immites citius Busiridos aras,
Odrysiique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare Deos, &c.

Hospitalis Jovis nunc Aram aggrediamur. Helenius Acron, ut refert Scaliger *in Manilium*, Jovi Hospitali sacrificatum fuisse ab Hospitibus testatur in expositione hujus vocis; *Vasillum*, inquit, *diminutivum est a vase*. Vas parvum in quo pro felici hospitum adventu incensis odoribus Jovi Hospitali sacra faciebant. Hanc Aram elegantissime describit ingeniosus Poeta, eandemque Hospitum sanguine tinctam proponit, his versibus lib. X. *Metam.* V. *Ara Jovis hospitalis.*

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara
Lugubris sceleris, quam si quis sanguine tinctam
Advena vidisset, mactatos crederet illic
Lactentes vitulos, Amathusiacasque bidentes.
Hospes erat cæsus. Sacris offensa nefandis
Ipsa suas urbes, Ophiusiaque arva parabat
Deserere alma Venus.

Non omittam etiam Jovis Servatoris ut & Fulguratoris aras indictas. Familiare autem fuit antiquis, si alicujus Numinis ope periculum evaserant, acceptum a Deo beneficium, vel sacrificio aliquo, vel appensa tabula, vel denique erecta ara agnoscere. Hoc sensu Posthumius dictator Castori & Polluci bello Latino templa vovit extruxitque. Itaque ut est apud Florum lib. I. cap. II. eos Imperator veneratus est, nactusque victoriam templa promisit, & reddidit sane quasi Commilitonibus Deis stipendium. Virgilius etiam sub Pastoris persona receptis ab Augusto agris, qui Ario Centurioni in prædam cesserant, se ejusdem Imperatoris ut Servatoris sui Aram multis victimis frequentaturum pollicetur hoc modo: VI. *Ara Jovis Servatoris.*

O Melibœe Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi semper Deus, illius Aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Horatius etiam metaphorice, cum ex amore Pyrrhæ amicæ, cujus vinculis tenebatur illaqueatus, tanquam e certissimo quodam naufragio liber tandem evasisset, expleto quasi voto quod emiserat, sic habet lib. I. od. V.

—— Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Idem fere habet eademque figura, quamquam alio sensu, Virgilius libro XII. his versibus:

—— Nautis olim venerabile lignum
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo & votas suspendere vestes.

Sed ad institutum propius pertinet illud Plutarchi de Demosthene clarissimo illo Athe-

nienſium oratore, qui ab exilio, quo illum inimicorum invidia adfecerat, Athenas reverſus, Aram Jovi Servatori ex Senatus decreto ædificavit. Ejus hæc ſunt verba: *Εἰωθότες γὰρ ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Διὸς τοῦ σωτῆρος ἀργύριον τελεντοῦς κατασκευάζουσι, καὶ κοσμοῦσι τὸν βωμὸν ἐκείνῳ τότε ταῦτα ποιῆσαι, καὶ παρασχεῖν πεντήκοντα ταλάντων ἐξέδωκαν, ὅπερ ἦν τίμημα τῆς καταδίκης.* Hoc eſt, *morem habebant ut Jovis Servatoris ſacrificio ei qui Aram inſtrueret & adornaret, argentum penderent. Hoc munus* Demoſtheni *locaverunt quinquaginta talentis, quanti lis fuerat æſtimata.* Domitianus, ut eſt apud Tacitum lib. III. *Hiſtoriarum*, ſervatus quaſi miraculo a Vitellianorum irruptione, Templum & Aram in periculi quod evaſerat argumentum extruxit. Sic Tacitus: *Ac potiente rerum patre disjecto æditui contubernio, modicum ſacellum* JOVI CONSERVATORI ARAMQUE *poſuit, caſuſque ſuos in marmore expreſſit; mox imperium adeptus* JOVI CUSTODI *templum ingens ſeque in ſinu ſacravit.* Inſignis eſt illa Ara Græcis litera concepta quæ refertur a Goltzio in *inſcriptionibus*:

ΑΣΚΛΗΠ ΘΕΩ ΣΩΤΗΡΙ
ΑΜΙΝΙΚΙΟΣ ΝΑΤΑΛΙΟΣ
ΥΠΑΤΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΛΙΒΥΗΣ
ΑΥΓΟΥΡ ΠΡΕΣΒΕ ΤΗΣ
ΑΝΤΙΣΤ. ΡΑΤΕΓΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΜΥΣΙΑΣ ΤΗΣ ΚΑΤΩ
ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΒΩΜΟΝ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Habuerunt & Theſpienſes Jovis Saotæ Aram, eamque divinis honoribus identidem frequentabant. Huic vero ex hac cauſa cognomen hoc tribuiſſe refert Julianus Aurelius lib. I. *de Deorum cognominibus*: *Nam cum Draco*, inquit, *civitatem in modum infeſtaret, & Jupiter juſſiſſet, ut ſingulis annis Ephœbum ſortirentur, quem feræ immolarent, ſorſque Cleoſtrato obtigiſſet, Meneſtratus Cleoſtrati vicem dolens thorace æneo indutus, cujus ſingulis ſquamis ſurſum verſum hami ferrei additi erant, belluam interfecit, civitatemque tanta ſervitute liberavit, quo facto Theſpienſes ſimulacrum æneum Jovi Saotæ, id eſt, Servatori erexerunt.* Dictus eſt autem Saotes quaſi Sootes. Nam & ipſe dicitur a Plutarcho in *vita Demoſthenis* ΣΩΤΗΡ.

Fuit etiam Jovi Fulguratori Ara. Hunc Græci (ut jam dictum eſt ex Pauſania lib.
VII. *Ara Jovis Fulguratoris.* v.) Ceraunium appellant: eique in Olympo monte extructam fuiſſe Aram idem confirmat Pauſanias his verbis: *Τῷ δὲ Κεραυνίῳ Διὶ ἕτερον ἐποιήσατο (ἐμοὶ δοκεῖν) βωμὸν, ὅτε ἐς τοῦ Οἰνομάου τὴν οἰκίαν κατέσκηψεν ὁ κεραυνός.* Id eſt, *Ceraunio Jovi alteram Aram fecerunt poſt Oenomaum poſitam conjicio, cum ejus domus de cœlo tacta conflagraſſet.* Plutarchus in *Parallelis* meminit Aræ fulminis, cum Meſſalina Aruncium patrem, a quo in ebrietatem conjecto conſtuprata fuerat, ad Aram fulminis illacrymans interficit: *μεθύσασα τὸν πατέρα καὶ στεφανώσασα, ἤγαγεν ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς ἀστραπῆς, καὶ δακρύσασα ἀνεῖλε τὸν ἐπίβουλον τῆς παρθενίας.* Briſſonius lib. I. *Formularum* author eſt etiam nunc extare in Hiſpania locum, ubi Saxum viſitur cum hac inſcriptione:

DEO FULGURATORI ARA.

Quæ res eo facile inducit ut exiſtimem locis illis fulguritis ſive fulmine percuſſis Aram ſuperimponi conſueviſſe. Juvat hanc conjecturam præter Dionyſium Artemidorus his verbis: *ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας.* Id eſt, *fulmen percuſſa loca inſignia facit, propter extructas aras & facta ibi ſacrificia*, quibus nimirum conditum fulmen cenſebatur. Locus autem paſſim bidental dicebatur, quod ſcilicet cæſis ibidem victimis expiaretur; antea vero adiri non poterat. eo alluſit Perſius ſatyr. II.

An quia non fibris ovium Ergennaque jubente
Triſte jaces lucis, evitandumque bidental.

Ubi eleganter Farnabius in *ſuis ad Perſium marginalibus notis*: *Bidental*, inquit, *erat locus, in quem deciderat fulmen, circumſeptus adjecta Ara, in qua bidentibus expiatur.* Adrianus Turnebus ad eundem Satyrici locum: *bidentalia*, inquit, *Græci ἐνηλύσια vocant, quæ ſacra erant Jovi cognomento Catæbatæ, quem nos Elicium dicere poſſumus.* Jovi autem Catæbatæ ut & Ceraunio ædificatas a Veteribus fuiſſe Aras, clare ex Pauſania oſtendimus, ut jam pluribus minime opus eſſe hic videatur.

Huic loco apte expiationis aras connectimus. Hæ, ut arbitror, non ideo erigebantur ut ſacra facerent; ſed in hunc duntaxat finem ut vel ſcelus aliquod expiarent, vel promiſſam Deorum iram immani aliquo ſacrificio averterent. Nota eſt & decantata omnibus Iphigeniæ Agamemnonis filiæ immolatio Dianæ, quam propterea Euripides, *Θύμασι βροτησίοις χαρεῖσαν θεὰν* vocat, cujus immane ſacrificium Lucretius lib. I. proſequitur ac deteſtatur his verſibus; VIII. *Ara expiationis.*

——————— ſæpius olim
Religio peperit ſceleroſa, atque impia facta
Aulide quo pacto Treviai virginis Aram
Iphianaſſai turparunt ſanguine fœde
Ductores Danaum delecti prima virorum.
Cui ſimul infula virgineos circumdata comptus
Ex utraque pari malarum parte profuſa eſt:
Et mœſtum ſimul ante Aras aſtare parentem
Senſit, & hunc propter ferrum cælare miniſtros,
Aſpectuque ſuo lacrymas effundere Cives:
Muta metu, terram genibus ſummiſſa petebat;
Nec miſeræ prodeſſe in tali tempore quibat,
Quod patrio Princeps donarat nomine Regem.
Nam ſublata virum manibus tremebundaque ad Aras
Deducta eſt: non ut ſolenni more ſacrorum
Perfecto, poſſet claro comitari Hymenæo:
Sed caſta inceſte nubendi tempore in ipſo
Hoſtia concideret mactatu mœſta parentis:
Exitus ut claſſi felix fauſtuſque daretur.
Tantum Religio potuit ſuadere malorum.

De tam impiis tamque nefandis sacrificiis quid dicam non invenio, inquit Lactantius lib. I. *de falsa religione* cap. XII. *Tam barbaros, tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, id est, tetrum atque execrabile generi humano facinus sacrificium vocarent: cum teneras atque innocentes animas, quæ maxime est ætas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium bestiarum, quæ tamen fœtus suos amant, feritate superent! o dementiam insanabilem! quid illis isti Dii amplius facere possent si essent iratissimi, quam faciunt propitii? suos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant? quid potest esse his hominibus sancti? aut quid in prophanis locis facient, qui inter Aras Deorum summa scelera committunt? hæc jam non sacra sunt, sed sacrilegia: in quibus id sanctum ducitur, quod in aliis si fiat severissime vindicatur.* Ac illa quidem sacra extraordinaria a T. Livio commemorantur lib. II. dec. III. his verbis: *Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro boario sub terra vivi demissi sunt in locum saxo consœptum, ibi ante hostiis humanis minime Romano sacro imbutum.*

Nota etiam Menecei clarissimi juvenis historia. Hic se pro salute patriæ ultro Aris devovit. Audi Statium *Thebaidos* lib. X. eximii adolescentis pietatem celebrantem his versibus:

Vincamur pietas; pone eia altaria virgo,
Quæramus superos, facit illa, acieque sagaci
Sanguineos flammarum apices geminumque per Aras
Ignem & clara tamen mediæ fastigia lucis
Orta docet, &c.
Audite o sontes extrema litamina Divum
Labdacidæ venit alma salus, sed limite duro
Martius inferias & sæva efflagitat anguis
Sacra, cadat generis quicumque novissimus extat
Viperei, datur hoc tantum victoria pacto,
Felix qui tanta lucem mercede relinquet.
Stabat fatidici prope sæva altaria vatis
Mœstus adhuc patriæ tantum communia lugens
Fata Creon.

Vides hic sæva expiationis altaria appellari, quibus nimirum humanus sanguis sæve & crudeliter, quanquam specioso pietatis nomine, effunditur. Easdem expiationis aras *diras* vocat Claudianus lib. I. *in Eutropium:*

Quæ nova portendunt superi? Nilusne meatu
Devius & nostri tentat jam transfuga mundi
Se rubro miscere mari? ruptone Niphate
Rursum Barbaricis Oriens vastabitur armis?
An morbi ventura lues? an nulla colono
Responsura seges? quæ tantas expiet iras
Victima? quo diras jugulo placabimus aras?
Consule lustrandi fasces, ipsoque litandum
Prodigio.

Prudentius II. *contra Symmachum* lib. easdem aras *truces* appellat hoc modo:

——— sic mos fuit olim
Cædibus infantum fument Saturnia sacra
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.

Poppæa apud Senecam in *Octavia* actu IV. territa nocturnis prodigiis ad aras expiationis nutricis consilio festinat: Sic illa:

Delubra & Aras petere constitui sacras
Cæsis litare victimis numen Deum,
Ut expientur noctis & somni minæ,
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.
Et vota pro me suscipe, & precibus piis
Superos adora, manet ut præsens metus.

Nota etiam Sinonis apud Virgilium perfidia, hunc Calchas Sacerdos expiandis numinibus ac potissimum Palladi placandæ (quæ ob ereptum Palladium irata fingebatur) aris addixerat, ut videre est lib. II. *Æneidos* his versibus:

——— impius ex quo
Tydeides, sed enim scelerumque inventor Ulysses
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, &c.
Hanc pro Palladio moniti pro numine læso
Effigiem statuere, nefas quæ triste piaret.

Hic manifeste expiationem habet; sed ubinam amabo Aræ? ubi immolatio? audi Sinonem destinatum sacrificio, paratis jam cultris ac vittis de more fatetur ultro:

Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus
Composito rumpit vocem, & me destinat aræ.
Jamque dies infanda aderat mihi sacra parari
Et falsæ fruges & circum tempora vittæ.

In utroque Sinonis & Iphigeniæ exemplo vides expiandi numinis causa, ac potissimum sedandæ tempestatis ergo paratas fuisse aras. Juxta ejusdem Poetæ mentem, imo & ipsius oraculi imperium quod tale fuit:

Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa
Cum primum Iliacas Danai venistis ad aras
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica, &c.

Nec ita multo post apud eumdem Poetam Sinon sacramento fidem facturus Deos & Aras expiationis, quas victima effugerat, obtestatur hoc modo:

Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen ait; vos aræ ensesque nefandi
Quos fugi, vittæque Deum quas hostia gessi.

Aram hanc expiationis confirmat idem alio loco Virgilius, IV. nimirum *Æneid.* lib. ubi Dido elusa ab Trojanorum Rege, ipsa violati pudoris pœnas a se expetens, scelus

expiat. Nam ibi erecta Pyra simul etiam Aræ extruuntur:

Stant aræ circum, & crines effusa sacerdos
Tercentum tonat ore Deos.

Tum statim manifesta expiationis causa subnectitur:

Ipsa mola manibusque piis altaria juxta
Unum exuta pedem vinclis, in veste revincta
Testatur moritura Deos, & conscia facti
Sidera, &c.

IX. *Has damnat Lactantius.* Hanc autem Veterum impietatem, specie nescio cujus pietatis ac religionis adumbratam in expiandis suis numinibus, eleganter arguit Lactantius lib. v. cap. x. cum Æneam Ethnicæ pietatis exemplum vel maximum, sic impietatis insimulat: *Quæ nobis*, inquit, *justitiæ aut pietatis documenta protulit?*

Vinxerat & post terga manus quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuras sanguine flammas.

Quid potest hac esse pietate dementius? quam mortuis humanas hostias immolare: & ignem cruore hominum tanquam oleo pascere? sed fortasse hoc non ipsius vitium fuerit, sed Poetæ: qui illum insignem pietate virum insigni scelere fœdaverit. Ubi est igitur, o Poeta, pietas illa quam sæpissime laudas? Ecce pius Æneas,

—— Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes totidem quoque educat Ufens
Viventes rapit inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Sed hæc (ut dixi) culpa non illius fuit, qui literas fortasse non didicerat, sed tua; qui cum esses eruditus, ignorasti tamen quid esset vera Pietas; & illud ipsum quod nefarie quod detestabiliter fecit, Pietatis esse officium credidisti. Videlicet ob hoc unum P us vocatur, quia Patrem dilexit. Ad expiationis Aram pertinet Scævolæ factum apud Livium, Florum & Martialem. Ad hunc etiam ritum pertinet Palicorum & Dianæ placabilis Ara, de qua sequenti capite dicturi sumus.

CAP. XX.

I. *Palici qui?* II. *Palicorum Ara pinguis.* III. *Placabilis.* IV. *Ara Dianæ placabilis.* V. *Ara Massiliensis.* VI. *Ara Arelatensis.* VII. *Harum detestatio.* VIII. *Ara incruenta.* IX. *Ara Piorum.* X. *Ara* Γενέτορος. XI. *Ægyptiorum mos in Sacris.*

PALICORUM & Dianæ Placabiles Aras & Pingues uno eodemque capite conjunximus, quia utramque Princeps Poeta uno eodemque expressit versu, libro nimirum VII. & IX. *Æneidos.*

I. *Palici qui?* Primum igitur qui fuerunt Palici; deinde quæ illorum ara, & tandem cur Pinguis & Placabilis a Poeta appelletur, investigemus.

—— Pinguis ubi & Placabilis Ara Palici.

Macrobius lib. v. cap. XIX. *Saturnal.* Palicorum historiam non ita apertam & planam omnibus, manifestam & claram facit suo more eleganter. Ait enim Virgilium, ut erat eruditionis minime vulgaris, hanc ex Græcorum penitissimis literis eruisse historiam Palici seu Palicorum Deorum. Ex Æschylo nimirum Tragico Poeta viroque Siculo. Fabula autem ejusmodi est. Thalia Nympha (at enim non Thaliam Servius & Lactantius in XII. *Thebaidos*, sed Æthnam appellarunt) ex Jovis congressu gravida metu Junonis, terra ut optaverat dehiscente absorpta est. Verum ubi infantium tempus nascendi advenit, reclusa terra progressi sunt ex alvo Thaliæ gemini, appellatique sunt Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, quod est *rursus prodire*. In ea autem Siciliæ parte ad Symetum fluvium lacus sunt profundi, quos incolæ Crateras vocant; & Palicorum fratres existimant: ad quos ubi fides exigitur & jusjurandum a suspecto, accedunt. Quod si quis faceret fideliter, discedebat illæsus: sin vero minus, in lacum subito mergebatur qui pejerabat. Atque ea res ita religionem fratrum commendabat, ut Crateræ quidem implacabiles, Palici autem placabiles vocarentur. Stephanus in lib. *de Urbibus*, ejus juramenti ad eum lacum sive potius fontem meminit paulo tamen aliter: ait enim Tabellas quasdam in aquam dejici solitas, cum fidei periculum facerent; quæ si non falsum fuisset juramentum, emergebant: sin minus evanescebant. Quod miraculum ab Aristotele in naturæ admirandis numeratur.

Fuit etiam præterea ibidem templum, ubi cum Siculi, quod eorum insulam sterilis annus arefecisset, sacrificassent, divino Palicorum responso admoniti, ubertas rediit. II. *Palicorum Ara pinguis.* Itaque omne genus frugum memores beneficii hujus Siculi ad eam Aram congesserunt. Hinc *Pinguis Ara* a Virgilio appellatur. Hujus rei author est imprimis Xenagoras in tertia Historia sua cum de loci divinatione ita scribit: *Καὶ οἱ Σικελοὶ τῆς γῆς ἀφορούσης ἔθυσα. τινὶ* Ηρωι *προσάξαντος αὐτοῖς τοῦ ἐκ Παλικῶν χρηστηρίου καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς εὐφορίας πολλοῖς δώροις τὸν βωμὸν τῶν Παλικῶν ἐνέπλησαν.* Id est, *Siculi ob sterilitatem terræ sacrificaverunt cuidam Heroi impellente ipsos Palicorum oraculo, & post reditum ubertatis multis donis Aram Palicorum impleverunt.* Vide etiam sis Macrobium loco citato.

Lacus autem quos Incolæ Crateras, ut jam dictum est, vocant, etiam Delli appellati sunt: eosque ait Servius primo humanis victimis placari solitos; immites mehercule qui non nisi hominum cruore placarentur: sed postea quibusdam sacris mitigati sunt, eorumque sunt immutata sacrificia, atque ideo a Virgilio dicta est, III. *Placabilis.*

—— —— Placabilis Ara Palici.

Palicorum meminit Ovidius lib. v. *Metam.* his versibus:

Perque lacus altos & olentia sulfure fertur
Stagna Palicorum rupta ferventia terra.

Nunc ad Placabilis Dianæ Aram accedamus. IV. *Ara Dianæ placabilis.* Virgilius VII. *Æneid.* pari, ut est dictum, versiculo Dianæ Tauricæ Aram sic notat:

—— Pinguis ubi & placabilis Ara Dianæ.

Placabilis autem appellatur, quod ab ea conducta Æsculapii opera Hyppolitus dile-

ctissimus juvenis vitæ fuit restitutus. Hinc ille Virbius cognomento dictus. Fabulam habes apud Virgilium loco citato:

Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte Novercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine Pœnas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria, & superas cœli venisse sub auras,
Pœoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.

Placabilem igitur vocat Aram non amplius humano sanguine gaudentem, ut quæ vel uno authore Euripide *θυσίαις ἥδεται βροκτόνοις*; aut eo amplius loco sacrificia & humanas hostias non poscentem. Hic autem versus,

—— Pinguis ubi & placabilis Ara Dianæ

sumptus ex Ennio est. Hanc Dianæ Tauricæ Aram Mœotidem vocat Satyricus, quia nimirum juxta Mœotides sita est, Satyr. XV.

—— Mœotide sævior Ara
Ægyptus.

Hujus etiam Aræ meminit Lucianus eo in dialogo qui *Jupiter Tragœdus* inscribitur his verbis: τοὺς δὲ ἐν Ταύροις βωμοὺς τῆς Ἀρτέμιδος, ἡδέως ἂν ἐπεῖδον ἐκ βάθρων ἐπικεφαλῆ ἀνατρεπομένους, ἐφ' ὧν τοιαῦτα ἡ παρθένος εὐωχουμένη ἔχαιρε. Id est, *Dianæ Aras quæ in Tauris substructæ feruntur, non illibenter funditus eversas viderem, super quas ipsa virgo convivium magna alacritate agitare solet.*

V. *Ara Massiliensis.* Atque ego talem fuisse existimo olim Dianæ Ephesiæ apud veteres Massilienses, ad quam Græcanicis moribus immolare consueverat Græcula civitas, ut testantur Valerius Maximus, Strabo, Justinus, Polybius, & alii. Non omittam Servii locum ad hæc Virgilii verba lib. *Æneid.* III.

—— Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames.

Sacra, id est, execrabilis, tractus sermo ex more Gallorum. Nam Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis, hic postea verbenis ornatus & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala civitatis, & sic projiciebatur. Hæc Servius ex Petronio Arbitro: quæ fusius ab Jano Douza lib. cap. I. collectaneorum ad Arbitrum referuntur. Pergit enim ita: *Atque inde piacularis & victimæ in morem depromendum ad Lanienam porro, aut saxo deturbandum, in maximam malam Crucem ut fiat illud unum pro multis dabitur caput.* Sed longe opinor clarius ac verius sensum sacrorum est assequutus Lucanus cum ad hunc Massiliensium morem & Dianæ quæ scilicet ibidem magna veneratione colebatur respiciens, ita habet lib. III.

Lucus erat longo nunquam violatus ab anno,
Obscurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte summotis solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deum, structæ sacris feralibus aræ.
Omnis & humanis lustrata cruoribus arbor.

Pene inconsulto mihi effluxit haud ita longe distans, & eidem prope superstitioni ne dicam impietati detestandæ mactandis scilicet humanis hostiis inserviens, ingens illa & lata Ara: quæ si Gervasio aut Gaguino fides & clarissimæ Galliarum urbi nomen dedit. Juvat conjecturam ipsius urbis, & Aræ Latæ proximitas, urbem vulgo *Arles* appellamus. Quod tamen Etymon ridiculum magis quam verum nonnulli putant. Ut igitur Arelatensis Ara quænam fuerit, & quem ad finem erecta olim explicemus, Gaguini verba placet hic proponere. Ita ille in *Carolo Quinto*: *Arelatem Regni Burgundionum primariam civitatem & caput fuisse imperioque paruisse certum est. Nam in eo loco prope civitatem qui Rocheta dicebatur duæ columnæ extructæ erant: & super eas Ara imposita; ubi quotannis ad Kal. Majas, frequens undique populus humanas hostias, pro sua sospitate mactare consueverat; itaque tres juvenes publica pecunia emptos anno toto saginabant, quos constituo die ad ipsam Aram immolabant, victimarum sanguine circumstantem populum aspergentes. Quem ritum D. Trophimus ex* LXXII. *discipulis Christi, illuc ex Judæa missus sustulit docens, non cruore hominum mortalium, sed Christi sanguine debere aspergi.* Hæc Gaguinus. Adeundus Guillelmus Paradinus *de antiquo statu Burgundiæ*, qui Aram illam grandem & execrandam fuisse ac Cæsari Augusto dicatam videtur affirmare. Earum autem columnarum quibus fultam & sustentatam fuisse illam Aram diximus ex Gaguino meminit Sidonius Apollinaris lib. I. Epist. XI. Denique eas columnas in urbis summitate in Collegio fuisse, & a vulgo olim Herculis columnas appellari solitas scribit Merula parte II. lib. IV. *Cosmog.* Lact. lib. I. c. XII. — VI. *Ara Arelatensis.*

Nefarii hujus ritus qui a Saturno (ut fertur) profectus in Latio primum viguit, inde ad cæteras quoque gentes (ut scelera contagione augentur & crescunt) dimanavit, meminit Silius Italicus lib. IV. eumque ut impium ac nullo non modo sceleratum, plenis, ut ita dicam, felle & indignatione versibus pius Poeta insectatur hoc modo: — VII. *Harum detestatio.*

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde Deos veniam ac flagrantibus Aris,
Infandum dictu! parvos imponere natos:
Urna reducebat miserandos annua casus
Sacra Thoanteæ ritusque imitata Dianæ.

Et paucis interjectis versibus:

Interea tibi prima domus, atque unica proles
Heu gremio patriæ stygias raptatur ad aras.

Et statim majori cum indignatione erumpit:

Quæ porro hæc Pietas delubra aspergere tabo?
Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris
Naturam nescire Deum. Justa ite precati
Thure pio, cædumque feros avertite ritus.

Mite

Mite & cognatum est homini Deus: hacte-nus oro,
Sit satis ante aras cæsos vidisse juvencos.
Vos quoque Dii Patrii, quorum delubra piantur
Cædibus, atque coli gaudent formidine matrum,
Huc lætos vultus, totasque advertite mentes,
Namque paro sacra, & meliores molior Aras.

VIII. *Ara incruenta.* Aris detestabilius & cruentis succedunt incruentæ Aræ. Initio fere hujusce de Ara tractatus definivimus Aram locum purum & sacrum cædendis & immolandis victimis destinatum. Fuerunt tamen Aræ quæ nullo unquam hostiarum aut victimarum sanguine tingebantur: cujusmodi fuit ea quam incruentam appellamus. de qua sic loquitur Macrobius *Saturnal.* lib. III. cap. VI. *Constat*, inquit (sicut Cloatius Verus *Ordinatorum* lib. II. docet) *esse Deli Aram apud quam hostia non cæditur, sed tantum solenni Deorum prece venerantur*. Verba Cloatii ea sunt. *Deli Ara est Apollinis γενέτορος, in qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram velut inviolatam adorasse produnt*. De hac Ara mentio est apud Alexand. ab Alex. lib. VI. cap. II. sed Apollinem Spodium non γενέτορα nominat, & eam Thebis ponit non Deli: *Thebis*, inquit, *Aram Apollinis Spodii ex sacrificiorum cineribus constructam ferunt, ad quam cum accessisset Pythagoras ipsam ob religionem adorasse fertur, & ne aram sanguine fœdaret, hostiam immolare minime voluit, sed frumento, hordeo atque placenta sine igne sacrum fecit*. Nec vero huic Aræ adeo dissimilis fuit illa Jovis supremi Ara, quam idem Alexander ab Alex. ibidem commendat his verbis: *Etiam in Attica Ara Jovis supremi exemplo haud dissimili traditur, ad quam nihil convenit animatum immolari, sed variis bellariis & libamentis absque vino sacrificatur*. Cujus etiam meminit Pausanias lib. I. qui *de Atticis* est: *In vestibulo*, inquit, *Jovis supremi Ara est, ad quam victimas non cædunt, sed liba duntaxat apponunt, ac vino quominus utantur religione prohibentur*. In Paphiæ quoque Veneris Ara licet ex cæsis hostiis captentur auspicia, illic tamen sanguinem effundere non decebat. Igne enim puro & precibus tantum altaria adolentur, in cujus sacris certissima hœdorum fibris fides habita semper, ut idem habet Alexander, ex Cornelio putem Tacito *Hist.* lib. II. cap. II. ubi ita ille: *Titus Vespasianus oram Achaiæ & Asiæ ac læva maris prætervectus, cum in Cyprum Insulam pervenisset, cupido illum incessit abeundi visendique templum Paphiæ Veneris inclytum per indigenas advenasque ..... Tantum Cinarades Sacerdos consulitur. Hostiæ, ut quisque vovisset, mares deliguntur. certissima fides hœdorum fibris. Sanguinem Aræ effundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolentur; nec ullis imbribus quamquam in aperto madescunt. Simulacrum Deæ non effigie humana. Continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo exurgens*. De hac fortasse Veneris Paphiæ Ara intelligendus Valerii Flacci *Argonaut.* II. locus, cum Aram Veneris frigidam semper, id est, sine ignibus, & in qua non sacrificatur appellat:

—— Contra Veneris stat frigida semper
Ara loco.

Eleganter Apulejus *Metamorph.* IV. contemptum hujus Aræ squaloremque describit: *Paphum nemo, Cnidum nemo, ac ne ipsa quidem Cythera ad conspectum Deæ Veneris navigant. Sacra Deæ deseruntur, templa deformantur, pulvinaria deseruntur, cerimoniæ negliguntur, incoronata simulacra, & aræ viduæ frigido cinere fœdatæ*, &c. Hujus etiam Aræ eodem fere sensu meminit Clemens Alexandrinus *Stromat.* lib. VII. his verbis: *Antiquissimam quidem Aram in Delo sanctam vulgo jactarunt: ad hanc autem solam dicunt accessisse Pythagoram cæde & morte minime inquinatam*. Idem habet Aristoteles in Deliorum Repub. teste Laertio lib. VIII. aitque eam in Delo esse ac retro Aram Corneam positam: Βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος, τοῦ γενέτωρος ὅς ἐστιν ὄπισθεν τοῦ κερατίνου, διὰ τὸ πυροὺς, καὶ κρίθας, καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρός. ἱερεῖον δὲ μηδέν. Id est, *adorasse modo* Pythagoram *Apollinis Genitoris aram in Delo, quæ retro corneam est posita, quoniam farra, hordeum, placentas solas citra ignem apponere illic moris sit: victimas vero nullas*. Sed quod genus sacrificii? quænam victima Apollini Genitivo offerebatur? Idem Aristoteles farra, hordeum, placentasque citra ignem apponere illic moris fuisse docet, victimas vero nullas. His opinionibus subscribit Cicero lib. III. *de Nat. Deorum*, cum scribit ne Apollini quidem Delio Hostiam immolare voluisse Pythagoram ne Aram sanguine aspergeret. Superest difficultas. Macrobius Delii, Alexander Thebis aram incruentam Pythagoræ accessu insignem, & hanc Apollinis Spodii (est autem *spodos* sive *spodium* cineris genus, quod ex fornacibus ærariis sursum evolat) illam γενέτορος celebrat, sed facile conciliantur, si utramque accessisse Pythagoram dixerimus, & eas adorasse solas aras, quæ minime inquinarentur sanguine, ut jam prædiximus. Præclare Clemens Alexand. hanc Aram incruentam, animam justi ac sancti viri esse explicat loco citato: *Aram*, inquit, *vere sanctam & justam animam, & qui ab ea suffitus emittitur nobis sanctam dicentibus orationem non credent?* Libet hic pluribus immorari: quippe inter tot Veterum ac Paganorum selectas sententias, aliquid de sacris scriptoribus nonnunquam interserere ac propinare fore arbitror rem gratissimam lectoribus. D. Cyrillus lib. IX. *contra Julianum* hujus pariter Aræ mentionem facit, quæ quod esset incruenta, ideo IX. *Ara Piorum*
εὐσεβῶν βωμὸς, id est, *Ara Piorum* ab eo appellatur: *Altare ergo*, inquit, *apud Delum est, apud quod adhuc, quia nullum offertur animal vel sacrificatur, Piorum vocatum est altare*. Ita non solum abstinebant ab animalibus sacrificantes, sed & his qui statuerunt hoc, & qui utebantur pietatis nomen tribuebant. Quoniam igitur altare Piorum apud Delios nominatum est, cum nullum illic animal immolaretur; quare prævaricatores legis increpat & accusat Julianus, dicentes non oblectari Deum cruentis sacrificiis: desiderare autem potius adoratorem in spiritu & veritate. Quo etiam pertinere potest illud D. Justini Martyr. in fidei Christianæ ex-

positione, cum ait; *Deo citra intermissionem mactamus hostiam laudis; & ut Deo preces sinceras libamus, & fragrantem operum bonorum odorem sacrificamus*. Idem argumentum urget pressius & aptius Lactantius eo in loco, cujus jam meminimus, libro nimirum VI. cap. XXIV. *Deus*, inquit, *non desiderat victimam neque muti animalis, neque mortis ac sanguinis, sed hominis & vitæ. Itaque in Aram Dei quæ vere maxima est, quæque in corde hominis collocata coinquinari non potest sanguine; justitia imponitur, patientia, innocentia, castitas, abstinentia*. Idem lib. V. cap. X. eleganter Veterum impietatem in humanis victimis & fundendo hominum cruore arguit. Aras autem, ut eo, unde digressi quodammodo sumus, revertamur, incruentas adorasse Pythagoram præter Diogenem Laertium, Macrobium, Clementem Alexandrinum, Aristotelem ac Ciceronem, docet Jamblichus de vita Pythagoræ his verbis: *Atque ipse quidem ita vixit, ut ab animalium carnibus abstinens in victu, atque Aras incruentas adorans*. Sed quæ tandem eo illum impellebat ratio, ut fundi sanguinem animalium ad ipsas aras prohiberet, ridicula plane est, & tanto indigna Philosopho; ob suam nimirum & quam merito rideas μετεμψύχωσιν, id est, animarum in alia corpora temeram & promiscuam migrationem. Audite illum de cruentis sacrificiis apud Ovidium lib. XV. *Metamorph.* differentem.

Longius inde nefas abiit; & prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.
Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur ultoris: nocuit sua culpa duobus.
Quid meruistis oves placidum pecus, inque tuendos
Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar?

Deinde philosophatus paucis de animarum in multa corpora migratione, subjungit:

Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefanda
Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur.

X. *Ara Γενέτορος.* Hanc vero Aram Incruentam, aut parem, aut eandem puto cum ea quæ ab Ænea apud Virg. *Æneid.* III. adoratur. Ea autem fuit Apollinis ΓΕΝΕΤΟΡΟΣ sive Genitivi: siquidem templum ingressus Sacerdos nullo acto sacrificio statim inchoat preces, atque ut ΓΕΝΕΤΟΡΑ expressius ostenderet, eum paterno nomine appellat; imo etiam & ipsius Aras vocat. Sic Poeta III. *Æneidos* libro:

Templa Dei saxo venerabar structa vetusto.
Da propriam Thymbræe domum, da mœnia fessis,
Et genus, & mansuram urbem: serva altera Trojæ
Pergama, relliquias Danaum, atque immitis Achillei.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da Pater augurium, atque animis illabere nostris.

Ibi præter nudas preces quid amplius reperies? incruentam nimirum aram demonstravit satis. Alio in loco cum de Pyrrhi cæde agitur.

Ast illum ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, & scelerum furiis agitatus Orestes,
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

hoc est, Apollineas: non a Patris urbe Achaiæ, ut male observat Servius, sed ab ipsius Apollinis cognomine, qui πατρῷος a Græcis dicitur, ut videre est apud Pausaniam in *Atticis*. Hunc etiam Val. Flaccus in *Argonaut.* lib. V. Genitorem appellat eo fortassis alludens:

—— *Ventum est Phœbi Genitoris ad Aras.*

Hujus denique meminit Aræ & Cato *de liberis educandis*, in hæc verba: *Nutrix hæc omnia faciebat in verbenis ac tubis sine hostia, ut Deli ad Apollinis Genitivi Aram*. Neque vero omittendum illud quod ab eruditissimo viro Juliano Aurelio lib. I. *de cognominibus Deorum* animadversum est, Athenienses Patrium Jovem, Patriumque Apollinem cognominasse, propterea quod primi omnium eos in regionem suam exceperint, sacraque eis per singulas tribus fecerint: alii volunt Apollinem ut Patrem ab Atheniensibus cultum, quod Creusam Erecthei filiam uxorem duxisset. Macrobius tamen Apollinem mavult vocatum Patrium, non ratione gentis aut civitatis alicujus, sed tanquam hoc authore progignantur omnia. Sol enim prima causa est rebus omnibus progenerandis, & pro Sole Apollinem poni nemo est qui nesciat: atque eam fuisse caussam existimo, cur in sacris Patrii aut Genitivi Apollinis a cæde imprimis abstinerent, quod author vitæ animantibus omnibus ac rebus esse crederetur, quod idem in Genii sacris fiebat, ut jam dictum est.

Præterea hoc ego Ægyptiorum verum arbitror fuisse institutum: quibus nimirum in more positum, ut precibus & thure solo placarent Deos, cæde ac sanguine religiosissime abstinerent: rati quod est, Deum clementem ac bonum cruore non indigere. Cujus conjecturæ author est imprimis Macrobius *Saturnal.* lib. I. cap. VII. *In hoc*, inquit, *Saturni cultu, quem Deorum principem dicitis, ritus videtur, ab Ægyptiorum religiosissima gente in arcana templorum usque ad Alexandri Macedonis occasum, defluxisse. Post quem Tyrannide Ptolomæorum oppressi, hos quoque Deos recipere in cultum, Alexandrinorum more, apud quos præcipue colebantur, coacti sunt. Sed quia nunquam fas fuit Ægyptiis pecudibus aut sanguine, sed precibus & thure solo placare Deos, iis autem duobus advenis* (Saturnum & Serapim intelligit) *hostiæ erant ex more mactandæ, fana eorum extra Pomœrium locaverunt, ut & illi sacrificii solenni sibi more colerentur; nec tamen urbana templa pecudum cruore polluerentur.* XI. *Ægyptiorum mos in Sacris.*

Porphyrius etiam in libro *de sacrificiis* idem docet his verbis: *Tribus de causis*, inquit, *Diis sacrificandum est: ut veneremur,*

ut gratiam referamus, ut necessaria ab ipsis petamus, malaque propellamus. Ad hæc autem impetranda votum animi satisfacit: cui addi possunt ex frugibus munuscula quædam. Animalia vero mactare nefas est: Primi enim sacrificatores non animalia, sed herbas floresque, deinde arbores sacrificarunt, atque aromata subfumigarunt.

CAP. XXI.

I. *Ara Herculis* ΒΟΥΖΥΓΟΣ. II. *Ara Philenorum*. III. *Ara Aii Dei*. IV. *Ara Veneris vulgariæ*. V. *Ara pudicitiæ*. VI. *Ara oblivionis*.

HOC brevissimo capite multas easque diversi sane generis aras complectemur. Quem enim quæso ordinem, in tam confusa ac multiplici sacrorum apud Veteres illos ratione, in qua tamen non sat rationis inesse omnino poterat, servaremus? in tam absurdis ac turbidis sacrificiis, turbato etiam nonnunquam stylo ac vestigio necesse nobis est incedere.

Ecce tibi primum voraci Herculi aram damus, quam de turpi ejus facto & guloso βούζυγον appellarunt illi, qui illam primi posuerunt. Rem prout gesta est ab Hercule narrat Lactantius lib. *de falsa religione* I. cap. XXI. his verbis: *Apud Lindum, quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt, quorum a cæteris longe diversus est ritus. Siquidem non εὐφημίᾳ (ut Græci appellant) sed maledictis & execratione celebrantur: eaque pro violatis habent, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cujus rei hæc ratio redditur, si tamen ulla esse in rebus vanissimis potest: Hercules cum eo delatus esset, famemque pateretur aratorem quemdam aspexit operantem, ab eoque petere cœpit, ut sibi unum bovem venderet. Enim vero ille negavit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ duobus illis jumentis niteretur. Hercules solita violentia usus, quia unum accipere non potuit, utrumque sustulit: at ille infelix cum boves suos mactari videret, injuriam suam maledictis ultus est: quod homini eleganti & urbano gratissimum fuit, nam dum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boves devorat, illum sibi amarissime conviciantem cum risu & cachinnis audiebat: sed postquam Herculi divinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit; a civibus ei Ara posita est, quam de facto* ΒΟΥΖΥΓΟΝ, *id est, bovis jugum nominavit: ad quam duo juncti boves immolarentur, sicut illi quos abstulerat aratori: eumque ipsum sibi constituit Sacerdotem, ac præcepit ut iisdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur, quod negaret se unquam epulatum esse jucundius.* Hujus ritus meminit Alexand. ab Alexand. lib. II. cap. XIV. *Genial. dier. Traditum vero est Rhodi*, inquit, *Lindi incolas novo ritu Herculi immolare. Nam maledictis ludibriisque verborum Herculi litant, junctis bobus. Si quid vero honesti probique in sacrificio prolatum dictumve fuisset, tanquam ominosum spretæ religionis crimen erat. Idem in sacris Eleusiniis, quæ magna dicta sunt, factitatum comperimus, in quibus mulieres mutuis probris conviciisque se incessere & maledictis solent conviciari*, &c. *Hæc jam non sacra sunt, sed sacrilegia, in quibus id sanctum ducitur; quod in aliis si fiat, etiam severissime vindicatur.* Lepida hæc sane & pari digna sacrificio ac ara fabella, e furto & sacrilegio divini honores Herculi decreti sunt: & illata agricolæ injuria præclaro mehercule sacerdotio rependitur.

I. *Ara Herculis*

Palicorum Ara, de qua superiori capite disseruimus, Aram Philenorum pariter fratrum revocaverat in memoriam, sed ab ea abstinuimus, quod diversi longe generis sacris ea ara coleretur. Sunt autem percelebres geminæ illæ aræ, quæ Peloro Siciliæ promontorio oppositæ in media quodammodo Syrtium tellure positæ sunt, a geminis fratribus qui illic defossi sunt appellatæ. Historia autem ejusmodi est, prout a Pomponio Mela describitur lib. I. cap. VII. his verbis: *Aræ*, inquit, *ipsæ a Philenis fratribus nomen traxere, qui contra Cyrenaicos missi Carthagine ad dirimendum conditione bellum, diu jam de finibus & cum magnis amborum cladibus gestum, postquam in eo quod convenerat non manebatur, ut ubi legati concurrerent certo tempore utrinque demissi ibi termini statuerentur. Pacti de integro ut quicquid citra esset popularibus cederet, mirum & memoria dignum facinus, quia pro patria gestum, hic se vivos obrui pertulerunt. Hæc tanta in patriam pietas aris visa est digna & sacris.* Hujus etiam rei meminit Sallustius in *Jugurth. Philæni*, inquit, *conditione probata seque vitamque suam reipublicæ condonavere, ita vivi obruti. Carthaginienses eo in loco Philænis fratribus Aras consecravere, aliique illis domi honores instituti.* II. *Ara Philenorum.*

Nunc si placet AjumDeum & loquentem Locutium audiamus: eique ut Junoni etiam Monetæ, id est, monenti, structa templa, erectasque fuisse aras paucis ostendamus. Quid vero mirum si loquenti Deo aras Romani posuerunt, cum & mutæ Deæ, ex qua sunt nati Lares, ut est apud Lactantium lib. I. cap. XI. divinos honores sacrificiaque dederint? quæ sane cum lego risum tenere vix queo. T. Livius lib. V. cum ad bellum Romanis inferendum se Galli accingerent, ait auditam esse vocem quæ moneret adesse Gallos. Itaque Locutio Ajo ædificatum templum in urbe. Sic ille: *Ajo Locutio templum propter cœlestem vocem exauditam in nova via jussimus fieri*, &c. Et iterum postea in oratione Camilli: *Locutio templum propter cœlestem vocem exauditam in nova via jussimus fieri.* Aram Ajo positam disertis verbis ait Alex. ab Alex. lib. *Gen. dier.* II. cap. XVIII. *De nova autem via*, inquit, *quod supra ædem Vestæ juncta Romano foro & velabro fuerit, quodque ex velabro ad eam iter esset, ibique ante adventum Gallorum, Gallos primum adventare auditum sit: propterea que Aii Dei Aram & Allocutionis templum illic a Furio Camillo extructum diu mansisse, a multis scriptum & memoratum est.* Vide Plutarch in *Camillo*. Idem fere habet Aul. Gellius *noctium Attic.* lib. XVI. cap. XVII. *Sicut Ajus*, inquit, *Deus appellatus, araque ei statuta est, quæ in infima nova via; quod in eo loco divinitus vox edita erat, ita Vaticanus Deus*, &c. At Cicero eleganter rei gestæ historiam exponit lib. I. *de divinat.* his verbis: *Nam multo ante urbem captam*, inquit, *exaudita est vox a Luco Vestæ, (qui a Palatii radice in novam* III. *Ara Aii Dei*

viam devexus eſt) ut muri & portæ reficerentur, futurum eſſe ni proviſum eſſet, ut Roma caperetur. Quod neglectum cum caveri poterat, poſt acceptam illam cladem maximam explicatum eſt: Ara enim Ajo loquenti quam ſeptam videmus adverſus eum locum conſecrata eſt. Idem II. *de divinat.* in eundem Ajum Deum, ejuſdemque aram jocatur lepide his verbis: *At paulo poſt*, inquit, *audita eſt vox monentis, ut providerent ne a Gallis Roma caperetur: ex eo Ajo loquenti aram in nova via conſecratam. Quid ergo? Ajus iſte loquens, quando eum nemo noverat, ajebat & loquebatur, & ex eo nomen invenit: poſteaquam & ſedem & Aram & nomen invenit, obmutuit.* Hactenus Cicero argute & eleganter occaſionem hujuſce aræ Ajo Deo erectæ attingit. Livius loco citato Ajum Locutium appellat, de Ajo ejuſque ara lege Plutarchum in *Camilli vita*.

IV. *Ara vulgaria Veneris.* Ad aram vulgariæ Veneris, ſed caute & puro ſtylo accedamus. puderet me pigeretque ea quæ ſpurciſſima ſunt attingere vel leviter, niſi etiam mala videre ac ſcire non nunquam prodeſſet ut deteſtemur, ac profecto mira eſſe poſſet hujus quam tractamus aræ conſecratio, cui ignota Veterum cum ſingulari impietate ſpurcities. Sed primo illud notandum ex Pauſania in *Arcadicis* tres Veneres a Veteribus cultas fuiſſe; cœleſtem ſcilicet, vulgarem, & Tertiam ſine nomine: ac de cœleſti quidem Venere & duplici amore ſapientiſſime diſputant Platonici omnes, Apulejus præcipue in *Apologia*, & Marſilius Ficinus in *Convivio*, D. etiam Ambroſius *contra Symmach. Unde igitur*, inquit, *exortum quod currus ſuos ſimulato Almonis in flumine lavat Cybele? unde Phrygii vates & ſemper inviſa Romanis non æquæ Carthaginis numina quam cœleſtem Afri, Mythram Perſæ, plerique Venerem colunt; non pro nominis diverſitate, ſed pro numinis varietate*, &c. Cæleſtis Veneris etiam meminit Tertullianus in *Apologetico*, atque ego eam ipſam eſſe puto quam Julius Firmicus de errore prophano religionis Venerem virginem appellat ab Aſſyriis & Afris eo nomine cultam: *Aſſyrii*, inquit, *& pars Afrorum aerem ducatum habere elementorum volunt, & hunc imaginata figuratione venerantur. Nam hunc eundem nomine Junonis vel Veneris virginis (ſi tamen Veneri placuit aliquando virginitas) conſecrarunt:* ἐπιμεμαθήκασι δὲ ϗ τῇ Οὐρανίᾳ θυεῖν παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες ϗ Ἀραβίων. Herodot. lib. I. Plutarch. in *Craſſo*, Pauſan. in *Atticis*, ſed jam ad vulgarem. Menander aperte alicubi meretrices ait juxta domum ſuam vel in atrio ſolitas antiquitus habere aram Veneris vulgariæ, cui quotidie ſacrificabant, quo quid turpius, quid obſcœnum magis excogitari poteſt? idque fiebat non Græco tantum, ſed & Romano more: quippe apud utroſque paſſim in primis ingreſſibus ſpatiiſque domorum ſtatuebant aras. Clare & perſpicue Ariſtophanes hiſce de Aris, ὁ γὰρ βωμὸς θύρασι ϗ δή. de hac utique ara intelligendus eſt Terentius in *Eunuch* act. I. ſc. II. *Accede*, inquit, *ad hunc ignem:* hoc eſt, ad aram, & clarius apud Plautum in *Curcul. Nunc ara Veneris hæc eſt ante horum, Lenonum, fores*, &c.

V. *Ara pudicitiæ.* Quanto honeſtius apud Livium lib. X. Virginia illa Auli filia Aram plebejæ pudicitiæ dedicavit, nec pigebit verba Livii in medium adducere: *Inſignem ſupplicationem fecit certamen in ſacello pudicitiæ Patritiæ, quæ in foro boario eſt ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam patritiam, plebejo nuptam L. Volumnio Coſ. Matronæ quod e patribus enupſiſſet, ſacris arcuerant. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarſit: cum ſe Virginia & patritiam & pudicam in patritiæ pudicitiæ templum ingreſſam, & uni nuptam, ad quem virgo deducta ſit: nec ſe viri honorumve ejus ac rerum geſtarum pœnitere. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit, in vico longo ubi habitabat ex parte ædium quod ſatis eſſet loci modico ſacello, excluſit, aramque ibi poſuit: & convocatis plebeiis matronis conqueſta injuriam patritiarum. Hanc ego aram*, inquit, *pudicitiæ plebejæ dedico: voſque hortor ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas ſit: detiſque operam, ut hæc ara, quam illa, ſi quid poteſt, ſanctius & a caſtioribus coli dicatur. Eodem ferme ritu & hæc ara, quo illa antiquior culta eſt, ut nulla niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuiſſet, jus ſacrificandi haberet. Vulgata dein religio a pollutis, nec matronis ſolum, ſed omnis ordinis fœminis, poſtremo in oblivionem venit.* hæc Livius. Nota omnibus Plotinæ, Trajani opt. Imperatoris uxoris optimæ, caſtitas incomparabilis. Hæc ſublato Trajano Aram pudicitiæ conſecravit. Ara erat quadrata, cui ejuſdem Plotinæ poſtea ſtatua impoſita cum hac Epigraphe:

PLOTINA AVG. IMP. TRAJANI
CÆS. AVG. GERMAN. DAC.
COS. VI. P. P
ARA PVDICITIÆ

ex occone medico Auguſtano. Non eſt ſilentio prætereunda illa Ara quæ pudicæ virgini quod illa pudicitiam ſuam ſtrenue defenderat erecta eſt hoc titulo, Romæ in modum Epitaphii:

INFERNO PLOTONI TRICORPORI
ET CARÆ OXORI PROSERPINÆ
TRICIPITIQVE CERBERO
ARAM DEORVM INFER

VIATOR

HIC CÆSAM LAODIAM
PUBLIAM INSPICE
EO QVOD ÆTATEM SVAM
FRAVDAVERAT ABNVERATQ
IUSSA AMORIS SEMET
EXPES GLA. INTERF

Omiſeram ex ſectione ſuperiori impudicitiæ Aram ab Athenienſibus poſitam, ſi vulgari Alexandri ab Alexandro lectioni fidem adhibeamus. Ita enim habet lib. I. *Genial. dier.* cap. XIII. *Quippe Athenienſes contumeliæ & impudicitiæ aras ſacrarunt, ut a contumeliis & probris averterent.* Hæſi ego ad tam impiam prophanamque Athenienſium religionem, tam graviter peccaſſe eos

qui se magistros morum passim dictitassent, mirabar. Sed a fœdo illo errore sapientissimos viros vindicavit præter alios Cicero lib. II. *de Legibus*, simulque Alexandri aut potius Typographi mendum expurgavit, ut impudentiæ non impudicitiæ aras statuisse Athenienses jam sit manifestum. Quanquam Cicero ejusmodi Aras vitio vertat Atheniensibus: *Illud*, inquit, *vitiosum est Athenis, quod Cylenio scelere expiato Epimenide Cretensi suadente fecerunt contumeliæ & impudentiæ fanum*. Sed & Pausanias lib. I. eas appellat ὕβριν καὶ ἀναίδειαν. Et Theophrastus clare ac diserte lib. *de Legibus*: ὕβρεως καὶ ἀναιδείας παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις εἶναι βωμούς. Diogenianus in collectaneis adagiorum in enarratione illius Θεὸς ἡ ἀναίδεια Deam impudentiam vocat. Imo eam Menander in *Gnomologiis* Dearum maximam appellat:

Ω μεγίστη τῶν Θεῶν
Νῦν οὖσ' ἀναίδει, εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ.
Δεῖ, τὸ κρατοῦν γὰρ νῦν νομίζεται θεός.

Vide Erasm. Chiliad. III. Cent. I. cap. LXIII. nimirum illi vitiis ea posuerunt, ut Romæ Pallori, Febri, Pavori, templa sacrata legimus. Imo Paupertati, Senectæ, Pudori, Appetitioni, passim leguntur aræ structæ.

VI. *Ara oblivionis.* Quis credat etiam oblivioni aram fuisse positam? quæ tanta in oblivione divinitas? certe oblivionis legem omnibus cum Græcis tum Latinis Scriptoribus percelebrem, ΑΜΝΗΣΘΙΑΝ vocant, fuisse & viguisse legimus, qua nimirum acceptæ ultro citroque injuriæ condonarentur. Hujus forsan exemplo legis & Ara Oblivionis erecta est. Hujus autem Aræ mentionem facit Plutarchus lib. IX. *Sympos.* cum de Neptuno est sermo: *Hic a Minerva, Apolline, Junone, & Libero patre sæpenumero victus, tamen ubique æquo animo tulit suum infortunium: habuit hic*, inquit, *commune cum Minerva templum, in quo etiam Ara oblivionis dedicata est*.

CAP. XXII.

I. *Aræ titulus & inscriptio*. II. *Ara Fortunæ reducis*. III. *Ara Virtutis*. IV. *Ara Ultionis*. V. *Ara Clementiæ & Amicitiæ* VI. *Ara Puerperii*. VII. *Ara Adoptionis*. VIII. *Ara Providentiæ*. IX. *Ara Apotheoseos*. X. *Ara Pietatis*. XI. *Ara Tranquillitatis*.

I. *Aræ titulus & inscriptio.* NUNC ad Aræ titulum ventum est tandem, nusquam enim aut certe perraro erigebantur aræ, nisi etiam una vel Deorum quibus dicatæ erant nomina inscriberentur, ut supra ostendimus, vel ea causa ob quam ponerentur. Quod utrumque fere tituli significabant, ut clarius fiet exemplis sequentibus, ac primum ex ea ara quæ Romæ est, & Soli ex voto erecta hoc modo:

C. IULIUS ANICETUS
ARAM SACRATAM
SOLI DIVINO SUSCEPTO VOTO
ANIMO LUBENS D. D.

Sic in veteribus inscriptionibus, quas ex Thesauro rei antiquariæ uberrimo collegit Hubertus Goltzius facile est observare hos titulos:

ARA APOLLINIS.
ARÆ FERONIÆ QUINQUE.

ARÆ
CONCORDIÆ.
DIANÆ.
FORINARUM.
FORTUNÆ.
GENII POP. ROM.
HERCULIS.
JOVIS OPT. MAX.
MARTIS ULTORIS.
PACIS.
SALUTIS.

Sub Augusto Imperatore anno fere V. C. IDCC. XXXIV. erectæ sunt his titulis inscriptis aræ:

FORT. RED.
CÆS. AUG.
S. P. Q. R.
ARA.

II. *Ara Fortunæ reducis.*

ARA FORTUNÆ
REDUCI AUGUSTO
CONSECRATA.

Aris autem titulos inscribi solitos, qui causam continerent, ob quam eæ aræ positæ essent, manifestum est, ut author est Brisson. lib. I. *Formul.* ac demonstrat in primis Justus Lipsius ad lib. I. *Annal.* Tac. hoc modo: *Notus*, inquit, *mos Romanorum, quo receptum propagandæ memoriæ causa, Ara aut Templum statueretur VIRTUTI, reique quam cuperent laudatam*. quo sensu Cic. *Epist. ad Atticum* lib. XIII. ita ait: *eaque extructio quæ fit ad memoriam æternitatis ARA VIRTUTIS dicitur*. III. *Ara Virtutis.* Quo etiam pertinet illud Taciti *Annal.* libro III. *Præceperant*, inquit, *animis orationem patres, quo quæsitior adulatio fuit, nec tamen repertum fuit, nisi ut effigies Principum, aras Deum, templa & arcus, aliaque solita censerent*. Et apud eumdem Authorem ac librum: *cum Tiberius publico judicio veritus esset Germanici mortem, Cæcinna censuit ARAM ULTIONI subjecta scilicet causa quamobrem illa Ara esset erecta*. IV. *Ara Ultionis.*

Libro etiam IV. *Annal.* idem est author ob amicitiam Tiberii Imperatoris cum Sejano ARAM CLEMENTIÆ, ARAM AMICITIÆ effigiesque circum Cæsaris & Sejani censuisse patres. V. *Ara Clementiæ & Amicitiæ.*

Suetonius etiam testatur Aram fuisse positam ob Agrippinæ puerperium, ita ille in *Caligula* cap. VIII. *Addit etiam pro argumento aras ibi ostendi inscriptas OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM*. VI. *Ara Puerperii.*

VII. *Ara Adoptionis.* Atque ita adoptionis ara intelligi debet apud Tacitum lib. I. *Annal.* quæ nimirum adoptionis Livianæ ab Augusto factæ causa fuerat posita: quam tamen tolli imperavit Tiberius materni honoris invidus. Nempe moderandos fœminarum honores dictitans, eademque se temperantia usurum in his quæ sibi tribuerentur. Cæterum anxius invidia, & muliebre fastigium in diminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est, ARAMQUE ADOPTIONIS & alia hujuscemo-

A di prohibuit. De hac ara adoptionis quæ nimirum ob adoptionis causam erigebatur, intelligendus forsan Plinii Junioris locus in *Panegyrico ad Trajanum*, quem Nerva Imperator adoptavit: *Non occulta*, inquit, *potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus electusque es. Quippe inter Aras & altaria eodemque loci, quem Deus ille tam manifestus ac præsens, quam cœlum & sidera insedit*. Et paulo post de eadem adoptione: *Itaque non tuo in cubiculo, sed in templo; nec ante genialem thorum, sed* B *ante pulvinaria Jovis Opt. Max. adoptio peracta est: qua tandem non servitus nostra, sed libertas, & salus, & securitas fundabatur*.

VIII. *Ara Providentiæ.*

Sed & Imperatorum providentiæ aliisque virtutibus Aras adulatio posuit, ac in primis Augusto erectas passim aras authores testantur, in quibus ea vox apponebatur PROVIDENTIA, quibus scilicet Aris per Augusti divinitatem necessaria sibi populus postulabat. In nummo quodam Tiberii aram sculptam fuisse refert Brissonius lib. I. *Formul.* cum hac inscriptione PROVIDENTIÆ AUGUSTI. C

IX. *Ara Apotheosio.*

Denique in omnibus fere numismatis eorum Imperatorum, quos in Deorum album Populus Romanus referebat, ut concessæ divinitatis species aliqua præter notam Apotheosim appareret, apponebatur & ARA cum igne & hoc titulo CONSECRATIO. In nonnullis duæ hinc inde Aquilæ ad Basim cum ea inscriptione FELIX MEMORIA. Meminit etiam hujus consecrationis Aræ Xiphilinus in exequiis Pertinacis: *Postremo*, inquit, *ferebatur ara inaurata ornataque ebore & lapillis Indicis*. Loquitur de ceremoniis in consecratione Pertinacis optimi Imperatoris factis. D Idem testatur Herodianus cum ejusdem consecrationis pompam exequitur. Ferunt etiam Tiberium Augusto templum incepisse quod C. Caligula perfecit, in cujus medio ARA visebatur, in qua bos quiescens, & juxta sacerdos stans medius duos inter victimarios, in cujus rei fidem facta numismata, quorum altera parte effigies Principis cum hac inscriptione PIETAS, altera Templi & Aræ figura exprimebatur.

X. *Ara Pietatis.*

Cæterum ad aræ titulos & inscriptiones, de quibus initio hujus E capitis dictum est, pertinet Annibalis factum. Is, ut proditum est a Livio lib. XXXIX. in Junonis Laciniæ templo aram condidit, dedicavitque cum ingenti rerum abs se gestarum titulo Punicis Græcisque literis insculpto.

XI. *Ara Tranquillitatis.*

Fuit etiam erecta Tranquillitati Ara sub Constantino Magno anno V. C. CIↃLVII. anno Chr. CCCV. hoc modo: F

CONSTAN. AVGVST.
BEATA TRANQVILLITAS.
VOTIS XXP. T. R.

Harum inscriptionum author est Guillelmus Chovius libro *de Romanorum religione* Gallice scripto, unde eas excerpsimus fere omnes.

CAP. XXIII.

I. *Ara Vestæ*. II. *Virgines Vestales*. III. *Initium sacrorum a Vesta*. IV. *Vesta terra*. V. *Vesta ignis*. VI. *Finis sacrorum a Vesta*. VII. *Vestale sacerdotium*. VIII. *Ara virginea*. IX. *Officium Vestalium*. X. *Sacra Vestæ fatalia*.

I. *Ara Vestæ.*

SINE scelere indictam Vestæ aram prætermittere non possum. Imo si eum, quem Veteres olim in sacrificiis suis, ordinem servaremus, ab ea fuisset nobis ducendum exordium: ubicumque enim in omnibus passim sacris a Vesta incipiebant. Verum quia ad eam etiam recepto more iidem Veteres desinebant; ideo etiam in hunc ordinem & locum aram Vestæ consulto distulimus. Hujus autem extant passim nummi, quorum facies altera aram & ignem cum ea inscriptione VESTA, & hinc inde ad aræ latera, literæ majores S. C. cujusmodi ii sunt qui Lucillæ Augustæ nomine circumferuntur inscripti. Visuntur etiam nummi FAUSTINÆ Æ. (hæc uxor M. Antonino Philosopho fuit) in quibus sex sacrificantes virgines ad aram Vestæ, & una parvula septima, quam suspicantur nonnulli sacrorum Vestæ discipulam esse, & nondum legitimam sacerdotem.

II. *Virgines Vestales.*

Hinc scite & acute D. Ambrosius lib. II. *contra Symmach.* his verbis: *Quot tamen illis virgines præmia fecerunt? vix septem Vestales capiuntur puellæ*. Nisi forsan apud D. Ambros. *vix sex* legendum sit. Nam sex duntaxat Vestæ sacerdotes constitutas fuisse, easque virgines aut præcipua & nota castitate viduas, tradunt authores, nimirum, ut Festus Pomp. est author, *quia Civitas Romana in sex olim distributa partes fuit* (in septem etiam pro numero montium divisam reperio, nam & urbs *septicollis* ab Horatio dicitur) *Populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum*.

III. *Initium sacrorum a Vesta.*

Ad Vestæ aram (ut jam prædiximus) sacra primum fieri de more solita accepimus. Id disertis testatur verbis Pausanias lib. V. hoc modo: θύουσι δ' ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δεύτερῳ δὲ τῷ Ολυμπίῳ Διί. Quo pertinet Phurnuti nota: *Vesta*, inquit, *prima & postrema nata perhibetur, quod in hanc resolvantur quæ ab ea producuntur, & ab eadem constituuntur; quare & Græci ab illa sacrificiorum principium sumpserunt, & in illam postremo desinebant*.

IV. *Vesta Terra.* V. *Vesta Ignis.*

Ex quo patet Vestam non aliam tum fuisse ab eis quam terram creditam: imo & ignem. Quod Pythagoricorum omnium dogma fuit: nam ii Vestam ignem appellarunt, & hunc rerum omnium principium existimarunt. Ideo etiam illi ignem, hoc est, Vestam Διὸς οἶκον μητέρα Θεῶν, βωμὸν καὶ συνοχὴν φύσεως. Id est, *Jovis domum, matrem Deorum aram & basim naturæ vocaverunt*. Eo videtur respexisse Servius Grammaticus, cum ait: *Nullum sacrificium sine igne esse, Vestamque in omnibus invocari*. Quod autem ab ea Veteres sacra inciperent finirentque, præter eos, quos jam produximus, testes habeo Ovidium & Ciceronem: Ovidius in *Fastis*:

VI. *Finis sacrorum a Vesta.*

——— ——— ——— *inde precando*
Dicimus, o Vesta, quæ loca prima tenes.

Cicero *de Nat. Deor.* lib. II. *Vis autem Vestæ*, inquit, *ad Aras & focos pertinet: itaque*

in ea Dea, quæ est custos rerum intimarum, omnis precatio & sacrificatio extrema est.

VII. *Vestale Sacerdotium.* Quod autem celebre in primis fuerit illud Vestale sacerdotium hinc patet, quod ad id peragendum solæ virgines, eæque tota civitate insignes ac nobiles assumebantur. Et quia haud ita prompte ii qui plane nobiles erant filias suas ad VESTALE SACERDOTIUM darent, lege cautum est, & jam e libertinis natas posse capi: Hujus legis meminit Dio Cassius lib. LV. *Si quis,* inquit Agellius, *honesto loco natus adeat Pontificem Maximum, atque offerat ad SACERDOTIUM filiam suam, gratia Papiæ legis per Senatum fit.* Hujus autem Captionis sive ad VESTALE SACERDOTIUM assumptionis formula hæc, ab eodem Agellio profertur: SACERDOTEM VESTALEM QUÆ SACRA FACIAT, QUÆ JOVIS SIET. SACERDOTEM VESTALEM FACERE PRO POPULO ROMANO QUIRITIBUS UBIQ. QUÆ OPTUMA LEGE FORET ITA TE AMATA CAPIO.

VIII. *Ara virginea.* Hinc illa Vestæ Ara virginea a Silio Italico appellatur, quod ad eam virgines sacra facerent:

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Trojana Altaria flammæ.

Has Livius assiduas vocat Templi Antistites lib. I. Dec. I. *Alba,* inquit, *oriundum SACERDOTIUM, & genti conditoris haud alienum, his, ut assiduæ Templi Antistites essent, stipendium de publico statuit, virginitate aliisque cærimoniis venerabiles ac sanctas fecit.* Quod publicum stipendium Vestalibus aliisque adeo Sacerdotibus sublatum, gravissime querebatur Symmachus: *Honoraverat,* inquit, *lex parentum Vestales virgines, justisque privilegiis. Stetit hujus muneris integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacra castitatis alimenta verterunt,* &c. Assiduas Antistites Vestales sic intellige, quamdiu eo sacerdotio fungerentur. Nam eo se abdicare, imo etiam ad nuptias transvolare Vestalibus post legitimum tempus licuisse ferunt. Quæ res eleganter sane, nec insulse a Prudentio lib. II. *contra Symmachum* describitur. ubi plurimas Vestalium talibus sacris arisque addictas easque invitas & coactas, ejusmodi nuptias & quales vetularum sunt ridiculas respirare velut e carcere ait hoc modo:

Captivus pudor ingratis addicitur Aris,
Nec contempta perit miseris, sed adempta voluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur,
Nec requies datur ulla toris, quibus innuba cæcum
Vulnus, & amissas suspirat fœmina tædas.
Tum quia non totum spes salva interficit ignem:
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festaque decrepitis ostendere flammea canis,
Tempore præscripto membra intemerata requirens
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam;
Dum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus
Fœcundavit amor materno viscera partu,
Nubit Anus veterana sacro perfuncta labore;
Desertisque focis, quibus est famulata juventus,
Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas.

Id est, post XXX. annos sacerdotii: quod etiam videtur indicare Seneca lib. *de vita beata* cap. XXIX. his verbis: *ut possit aliquis emeritis jam stipendiis profligatæ ætatis jure optimo facere, & ad alios actus animum referre, Virginum Vestalium more, quæ, annis inter officia divisis, discunt facere sacra, & cum didicerunt, docent.* Apud Dionysium etiam & in Plutarcho alicubi distinguntur hæc officia hoc modo: *Tempus Tricennale manere eas oportet castas, & a nuptiis vacuas, sacra ex more facientes, quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere.* Omni vero laude dignæ illæ semper visæ sunt, quæ his intentæ sacrorum operationibus ad ultimos vitæ terminos consenuerunt, unde apud Tacitum celebratur insignis illa Occia quæ septem & quinquaginta per annos, summa sanctimonia sacris Vestalibus præsederat. De his sacris meminit D. August. lib. III. *de Civit. Dei* cap. XVIII. eaque ait tribus civitatibus fuisse exitio his verbis: *Sacra illa fatalia, quæ jam tres, in quibus fuerant, presserunt civitates.* Quod ipsum testatur Prudentius lib. II. *contra Symmac.*

IX. *Officium Vestalium.*

X. *Sacra Vestæ fatalia.*

His (ni fallor) ager vitiis corruptus & ante
Subjacuit quam Palladium, quam Vesta, Penates
Sub Lare Pergameo servarent igne reposto,
Quam Priami genitor conductis mœnia fabris
Extrueret, quam virgo suas fundaret Athenas
Pallas, in his quoniam Vestalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumpta est,
Sacraruntque focos aut Phryx aut Grajus alumnos.

Cæterum illud notatu dignissimum est, Pausaniam in *Corinthiis* cum Vestæ aram & templum nominat, nullum fuisse ejusdem simulacrum diserte affirmare: *παρελθοῦσι δὲ ἐς τὸ τῆς Ἑστίας, ἄγαλμα μὲν ἐστιν οὐδέν; βωμὸς δὲ καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσι.* Id est, *progredientibus in Vestæ templum, nullum occurrit simulacrum, Ara tantum, & in ea* Vestæ *sacrificant.* Vidi tamen plurima passim numismata, in quibus Vesta modo stans, modo sedens depingitur ad suam aram. Sed de his satis.

CAP. XXIV.

I. *Ara sepulchralis.* II. *Ara Diis Manibus.* III. *Aræ Principibus viris consecratæ.* IV. *Ara sepulchri Romæ.* V. *Pisis.* VI. *Iterum Romæ.* VII. *Ara Anaxagoræ.* VIII. *Aræ sepulchralis & consecratæ differentia.* IX. *Ara consecrata.*

HACTENUS Deorum Dearumque aras exhibuimus. Nunc ad eas aggrediamur quæ Principibus viris & Heroibus post hujus vitæ excessum erigi consueverant pro tumulo ac sepulchro. Quippe receptum more antiquo fuit, ut viris immortalitate dignis aræ pro tumulis statuerentur, ut constat ex Diodoro Siculo lib. XI. cum insignem Leonidæ & D. sociorum adversus innumerabiles Xerxis copias virtutem & memorabilem casum commendat; isque Aram pro sepulchro publicis votis ac sumptibus erectam fuisse docet hoc modo: *Eorum qui in Thermopylis cecidere, sors gloriosa, mors præclara, sepulchrum* ARA, *monumenta majorum, exitium commendatio.* His illustrium virorum aris, tantum non extingui recte fa- I. *Ara sepulchralis.*

ctorum memoriam, ut servari potius & posteritati consecrari putarent. Hinc Tacitus lib. III. *Annalium*: *Jussique*, inquit, *ipsis in templis facere Aras sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur*. Hæ autem Aræ sepulchrales dictæ, quod sepulchrorum loco essent, vel ad sepulchrum erigerentur. De his Ovidius lib. VIII. *Metamorph.* & ad eas Althæam accessisse ait cum diversis distracta huc illuc affectibus Meleagro filio exitium parat, fraterno amori nimium indulgens haud pia mater:

Incipit esse tamen melior Germana Parente,
Et consanguineas ut sanguine leniat umbras
Impietate Pia est. Nam postquam pestifer ignis
Convaluit, rogus iste cremet mea viscera, dixit,
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante sepulchrales infelix astitit Aras, &c.

Hoc igitur sensu Servius Grammaticus sic aram definit: *Ara*, inquit, *sepulchri est rogus, qui in modum aræ assurgebat lignorum congestione*. Hanc definitionem eleganter admodum expressit Virgil. lib. VI. *Æneid.* in Miseni funere, his versibus:

—— —— —— *Tum jussa Sibyllæ*
Haud mora festinant, flentes; aramque sepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.

Ubi manifeste recisis undique ramis arborum, & ad concipiendum cito ignem idoneis Ara sepulchralis erigitur. Hanc vero aram vulgo etiam Pyram dictam reperio, ac ne longius a Virgilio recedam, statim eam sic appellat:

Principio pinguem tædis & robore secto
Ingentem struxere Pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, &c.

Verum si ara illa sepulchralis nihil aliud extiterit quam ille rogus Servianus, aut illa ramorum in similitudinem aræ congestio; certe imposito igne absumebatur flammis illa ara, atqui certum est etiam consumpto rogo, aras sepulchrales semper restare. Quare eo facile adducor ut credam, duas in ejusmodi funeribus fuisse aras sepulchrales: unam scilicet ex ramis illis feralibus, quam ignis absumebat cum affixis & pendentibus insignibus: ex eodem Virgilio ibidem:

—— *decorantque super fulgentibus armis.*

Alteram Lapideam, in qua nimirum sacra fierent Diis forsan Manibus. Juvat hanc conjecturam Baptista Pius author certe eruditus. Is ad hæc Valerii Flacci lib. V. *Argonaut.* verba:

—— —— *Flens arma revellit*
Idmonis, e celsa Mopsus rate robora cædunt
Pars sylvis, portantque Aræ.

Dum pressius, inquit, *verba Maronis, Aramve Sepulchri* VI. Æneid. *considero, Aram sepulchri nescio quid fastigii apud Pyram fuisse video; ubi decora & insignia mortui exponebantur visenda. Quod Martialis* I. *lib.* Epigr. *nos in hæc verba docuit:*

Ara duplex primi testatur munera Pili,
Plus tamen est titulo quod breviore legis.

Nam in Cippo Epitaphium literis mandabatur. In ara stemmata & honorum gradus explicabantur vexillulis, idque genus insignibus occurrentes. Hæc Pius.

Ex dictis igitur apparet manifeste duplicem fuisse Aram sepulchralem; nec solum secundum sepulchra ipsa, sed in ipsis quoque sepulchris Aras antiquitus fuisse structas. In quibus Diis Manibus sacra commode facerent: unde etiam illis Aris sepulchralibus fere semper majusculæ hæ literæ præfigebantur, ut patet ex sequenti inscriptione: II. *Aræ Diis Manibus.*

D. M.
C. JUNIO NICEPHORIANO
MILITI COHORT. SECUNDÆ
ULPIA RESTITUTA AMICO
BENE MERENTISSIMO
ARAM POSUIT.

Idem Virgilius lib. *Æneid.* III. in Polydori funere aras sepulchrales videtur eo quo dictum est sensu distinguere:

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.

Et paulo ante cum de lignorum congestione agitur:

Accessi, viridemque ab humo convellere sylvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras.

Statius lib. V. *Sylvarum* Sylva III. in Epicedio Patris de ejusmodi aris sepulchralibus sic habet:

Atque utinam Fortuna dares mihi Manibus aras
Par templis opus, aeriamque educere molem
Cyclopum scopulos ultra atque audacia saxa
Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco.

Ubi tacite videtur Poeta innuere Principibus duntaxat viris fuisse erectas aras, saltem illas quæ consecratæ vocabantur, quæque illis tanquam Diis extruebantur. De hoc ritu Plinius in *Panegyr. ad Trajanum Imperatorem*, qui Nervam patrem aris, hoc est, divinis honoribus affecerat: *Sed licet*, inquit, *illum aris, pulvinaribus, flamine, colas, non alio magis Deum & facis & probas, quam quod talis es: In Principe enim qui electo successore fato concessit, una itemque certissima divinitatis fides est, bonus successor.* Lucanus Pompeii Magni Manibus aram saltem sepulchralem optat his versibus: III. *Aræ Principibus viris erectæ.*

Da vilem magno plebeji funeris aram
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.

Ubi per aram videtur Poeta Pyram seu lignorum struem & rogum ex Servii interpretatione (ut jam dictum est) innuere. Cæterum Aræ ad Manium sacra positæ erant; quæ tamen omnes religionem non habebant, sed solæ consecratæ. Nam si monumento aut Cœnotaphio cederent tantum absque consecratione puræ remanebant.

Nec vero absurdum erit ad majorem hujus opusculi ornatum, nonnullas aræ conficiendæ species hic apponere cum suis inscriptionibus, prout a Jacobo Guthrerio lib. II. cap. XIX. de jure Manium conceptæ ac collectæ sunt: hoc scilicet modo. Hæc Romæ adhuc visitur:

D. M.

IV. *Ara sepulchri Romæ.*

D. M.
L. PRIMANIO L. F.
SPERATO VET.
AVG. ARAM CVM
MONIMENTO.
PRIMANIVS SECVND.
LIB. CVR. ET SIBI
LIBERTABVSQ. EORVM.

V. *Pisis.* Alia item Ara Pisis extat hoc modo in æde S. Matthæi:

C. VIRRIVS IVCVNDVS
VEXILLAR. COH. II. VIG.
L. VISERTI LATINI
MILIT. AN. VI. MEN. VII.
DIES XVIII.
IN EIS. TESSAR. OPTIO
VEXILLARIVS.
VIXIT ANN. XXVII.
ARAM CVM BASE SVA.
T. P. I.

VI. *Iterum Romæ.* En tibi iterum aliæ Romæ aræ:

APLASIA. L. F
PAVLLINA
ARAS. TRES. SIBI. ET
Q. CORRIO. ANTIQVO
VIRO. SVO. ET
Q. CORRIÆ. Q. F
PAVLLINÆ
FILIÆ. SVÆ
TESTAMENTO. FIERI
IVSSIT. MACERIA. CIRCVMDATA

Una autem fere Ara uni constituebatur. Sic lapis ad urbem in hortis Mediceis;

DIS. MAN
CLAVDIÆ. LEPIDILLÆ
EX. PROVINCIA
BELGICA. AMBIANÆ
FECERVNT. LIBERI
EIVS. LEPIDVS. ET
TREBELLIVS
MATRI. OPTIMÆ
HIC MATRIS CINERES SOLA SACRAVIMVS ARA
QVÆ GENVIT TELLVS OSSA TEGET TVMVLO.

Quod si esset sepulcrum, cuivis licebat aram ponere aut consecrare, non tamen mortuo, sed Diis duntaxat Manibus, ut patet ex sequenti inscriptione;

C. MINDIVS. C. L
PACORVS ARAM
DIIS MANIBVS
SACRAV

Extat Romæ sepulchralis Ara, quam marito dilectissimo charissima uxor posuit, & eadem se includi vivam voluit: atque ea talis est:

D. M.
P. CORNELIA. AMNIA. NE. IN. DESOLATA. ORBITATE. SVPERVIVERET. MISERA. VIVAM. ME. VLTRO. IN. HANC. ARAM. CVM. VIRO. DEF. INCOMPARABILI. AMORE. DIL. DAMNAT. DEDO. CVM QVO. VIXI. ANN. XX. SINE. VLLA. DO. LIB. LIBERTABVSQ. NOVT. QVOTAN. SVPER. ARCAM NO. PLOTONI. ET. OXORI. PROSERPINÆ. OMNIBVSQ. SACRIFICENT. ROSISQ. EXORNENT. DE RELIQ. IBI. EPVLENTVR

Ex Lazio lib. III. *Comm. Reip. Rom.*

Antequam ex præsenti sectione stylum auferam, placet hic Anaxagoræ Epitaphium

A ac Sepulchrum apponere. Fuit autem ejusmodi inscriptum, appositis duabus tanto viro ac Philosopho aris, quarum altera Menti, altera Veritati erecta erat, prout refert Ælianus lib. VIII. *de Var. Hist.* cap. XIX. his verbis: VII. *Ara Anaxagoræ.*

Ενθάδ' ὁ πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας
Οὐρανίου κόσμου κεῖται Ἀναξαγόρας.

Hic jacet ille, cui rerum patuere recessus,
Atque arcana poli, Magnus Anaxagoras.

B ὅτι καὶ βωμὸς αὐτῷ ἵσταται, καὶ ἐπιγέγραπται, ὁ μὲν νοῦ, ὁ δὲ ἀληθείας. Vide etiam Laertium lib. II. in *Vita ejusdem Anaxagoræ*, quem ob ingenii excellentiam & animi magnitudinem, Mentem fuisse appellatum testatur. Hinc ad ejus tumulum Ara Menti posita fuit, ut & Veritati, quo alludit Manilius lib. I. *Astronom.*

Bina mihi positis lucent altaria flammis.

VIII. *Aræ sepulchralis & consecratæ differentia.* Aræ autem quæ Diis, & aræ quæ mortuis struebatur, hæc differentia fuit: ut hæc esset depressiore forma, illa vero eminentiori. Hinc prior βωμὸς: posterior ἐπιβωμὶς dicta fuit, quasi dicas Deorum C altare, aram vero mortuorum fuisse. Ita quoties fit in authoribus de mortuis mentio, in Græcis videas licet βωμὸν, in Latinis Aram, non altare. Ita Cæsari apud Xiphilinum βωμὸν δὲ ἱδρύσαι, &c. & apud Suetonium in *Nerone* cap. L. *in eo monumento solium Porphyretici marmoris, superstante Lunensi Ara*, &c. De similibus mortuorum aris extat elegans Tertulliani locus in *Apologetico*, cum Gentilium superstitionem singularemque dementiam author gravissimus sugillat: eorum, inquam, qui D hominibus demortuis aras æque ac Deis ipsis suis extruebant. Præcipua tamen in æditüos sive sacrificulos Septimii indignatio exarsit: hos passim in vicis, plateis, cauponis aliisque publicis locis circum cursitare ad stipem pro templorum ornatu colligendam; imo qua vi, qua sponte cogendam, videre erat. Sed quid tandem ille dicat, audiamus: *Circuit cauponas religio mendicans, exigitis mercedem, pro solo templi, pro aditu sacri: non licet Deos nosse gratis, venales sunt, quid omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis* E *vestris conferatis? ædes perinde, & Aras idem habitus & insignia in statuis*, &c. Videant hic, nec tamen mihi, libere & vere monenti invideant boni isti, ut vocant, patres, qui Christianæ pietatis & religiosæ paupertatis obtentu, liberius & frequentius quam par est irrumpunt, non dicam in cauponas, ne sanctissimum religiosæ paupertatis institutum, inhonesta voce deteri videatur, sed in publicas hospitantium ædes, & importune, opportune stipem cogendo, pene cogunt dari, F quod si negetur, impii, irreligiosi, Athei continuo nomen infamiamque apud rudem & ignaram plebeculam importat, quasi vero non cuivis liceat esse pio & religioso gratis. Neque vero ego illud vitæ genus & excelsum illum rerum mortalium contemptum vitupero. Licet, licet, semperque licebit agere pro Christo pauperem, aperta illa & strata semper Christi famulis & sequacibus erit mensa, sed statis horis diebusque, cauponas lustrare sacco, cir-

A cuire vino madentes menſas, nihil aut parum ad mentem erogantes, oculo tueri ac notare cenſorio. Illud demum non dicam eſſe ſatis religioſum & Evangelicum, quæ ſi nunc omnia videret Tertullianus; Deus bone, quo felle, qua verborum amaritudine ſtylum armaret Africanum. Non faciam hic ut gravius & aſperius in hujuſce temporis mores invehatur vir doctiſſimus, quam tunc eos reprehendebat: *Non ſufficimus*, inquit, *& hominibus, & Diis mendicantibus opem ferre; nec putamus aliis quam petentibus impertiendum. Porriget manum Jupiter & accipiet, cum interim noſtra plus miſericordia inſumit vicatim quam veſtra Religio templatim.* Hæc ibid. ſub finem, has Fratrum curſitationes, & liberas dicam an importunas collectas arguebat D. quondam Bonaventura epiſt. I. *ad Provinc. Min.* his verbis: *Evagatio plurimorum propter ſolatium corporum, gravando eos per quos tranſeunt, non exempla poſt ſe relinquunt vitæ, ſed ſcandala potius animarum. Tam eſt importuna illorum petitio, & omnes tranſeuntes per vias, adeo abhorrent fratrum occurſum; ut eis timeant quaſi prædonibus obviare.* Quid mordacius ab Illuſtriſs. Bellicenſi Epiſcopo expectarent? Sed eo, unde me Tertulliani textus abripuit, revertamur,

IX. *Ara conſecrata.* Diximus nuper aras ſolis viris principibus fuiſſe olim conſecratas; iis nimirum in quibus divinum quidpiam ineſſe exiſtimabant. Sic Anchiſæ patri Æneas piiſſimus filius erexit aras conſecravitque: unde etiam illum divinum ac ſanctum ſæpe appellat, ut patet his verſibus lib. *Æneid.* V.

Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo reliquias divinique oſſa parentis
Condidimus terra, mæſtasque ſacravimus Aras.

Et ſtatim interjectis aliquot verſibus:

Salve ſancte parens, iterum ſalvete recepti
Nequicquam cineres, &c.

Quem ad locum ita Servius: *Aræ*, inquit, *ad Anchiſen pertinent, quem ex ejuſmodi conſecratione numen effectum Æneas volebat. Nam ex Veterum religione quodcumque divinitatem habere creditur Ara gaudet.* Hujus rei clariſſimum habes exemplum apud Senecam Epiſt. XLI. his verbis: *Magnorum fluminum capita veneramur; ſubita & ex abdito vaſti amnis eruptio Aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes: & ſtagna quædam vel opacitas, vel immenſa altitudo ſacravit*, &c. quo etiam (credo) ſenſu Horatius *Carm.* lib. I. ode I. aquam ſacram vocat:

—— *Nunc viridi membra ſub arbuto*
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Sed ut ad magnorum virorum conſecrationem ſive apotheoſim quandam redeamus, de quorum aris, toto fere hujus quodcumque ſupereſt decurſu, acturi ſumus; idem quod Anchiſæ Æneas fecit Andromache in anniverſario Hectoris, ut eſt apud eundem Poetam lib. III. *Æneid.* his verſibus:

Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem
Et geminas cauſam lacrymis ſacraverat aras.

Dixit *geminas aras*, an quod ut prædiximus duæ paſſim aræ in funeribus erigerentur; an ut una eſſet mariti Hectoris, altera Aſtyanactis filii, an denique quod Dii inferi pari numero gaudere dicuntur?

—— *geminas ergo ilicet aras*
Arboribus vivis & multo ceſpite texi
Imperat.

ut ait etiam Statius lib. VIII. *Thebaidos.*

CAP. XXV.

B I. *Ara Julii Cæſaris.* II. *Ara Auguſti.* III. *Ejus flamines.* IV. *Conſecratio paſſim uſurpata.* V. *Mulieres conſecratæ.* VI. *Claudii Imp. conſecratio irriſa.*

NUNC ad aras principibus viris ac Romanis potiſſimum Imperatoribus erectas ventum eſt. Atque ut primus inter cives Julius Cæſar imperium ad ſe traxit, ſic ei primum tanquam Divo ara poſita eſt a plebe, ubi vero, & quando, quaque occaſione erecta fuerit ea Ara docent ſcriptores rerum Romanarum fere omnes. I. *Ara Julii Cæſaris.*
C Horum agmen ducit Dio lib. XLIV. ubi refert Aram conſtitutam occiſo Julio Cæſari a plebe, ubi ſcilicet rogus fuerat, & ſacrificatum apud eam tanquam Deo: *Aram*, inquit, *multitudo eo in loco quo rogus fuerat extruxit: (nam cremati reliquias liberti ejus ſublatas in ejus monumento repoſuerant) ſacrificareque apud eam & immolare Cæſari tanquam Deo inſtituit. Conſules aram illam ſubverterunt*, &c. Idem omnino ſcribit Appianus Alexand. lib. II. *de bellis civilibus*: ἔνθα βωμὸς πρῶτος ἐτέθη, νῦν δὲ ἐστὶ νεὼς αὐτοῦ Καίσαρος, θείων τιμῶν ἀξιούμενος.
D Id eſt, *Quo in loco primum Ara fuit, nunc eſt templum ipſius Cæſaris, ubi divinis honoribus colitur.* Idem libro III. ejuſdem aræ extruendæ authorem ac titulum exhibet: nam ab Amatio quodam poſitam refert fuſe: γινόμενος δὲ κατὰ τὴν ὑπόκρισιν συγγενὴς τῷ Καίσαρι ὑπερήλγει μάλιστα αὐτοῦ τεθνεῶτος καὶ βωμὸν ἐπῳκοδόμει τῇ πυρᾷ. Id eſt, *Is Amatius quoniam hac ſimulatione effecerat, ut videretur non alienus a cognatione Cæſaris, præ cæteris ægre ferens obitum ejus Aram ubi crematus eſt poſuit*, &c. In
E ea autem ſcriptum fuiſſe ferunt, PARENTI PATRIÆ. Hujus denique Aræ meminit & Xiphilinus his verbis: *Ita plebs accenſa eſt ira, ut Cæſarem in foro combuſſerit, deinde ſepeliverit, tum aram ei dedicaverit, & ad eam ſacrificare Cæſari ac ſi Deus eſſet conata fuerit*, βωμόν τε ἱδρῦσαι, καὶ θύειν ὡς θεῷ τῷ Καίσαρι ἐπιχειρῆσαι, &c. Hanc Apotheoſim celebrat Virgilius Ecloga V. his verſibus:

—— *Deus Deus ille Menalca*
F *Sis bonus o felixque tuis: en quatuor aras.*
Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.

Erat tum Dolabella cum Antonio Conſul. Hunc Aræ Cæſarianæ, ſive, ut alii malunt, columnæ everſorem divinis prope laudibus proſequitur Cicero lib. XIV. *Epiſtol. ad Atticum* epiſt. XVI. & XVII. *O Dolabellæ noſtri Magnam* ἀριστείαν, id eſt, *præclarum facinus.* Hanc everſam Ciceronis conſilio rumor publicus vulgaverat, ut ipſe fatetur his verbis: *Etſi contentus eram, mi Dolabella,*

tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam, voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri cumulari me maximo gaudio quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus, &c. Epist. XV. ejusdem libri columnam non aram nominat: *O mirificum Dolabellam meum. Jam enim dico meum: antea crede mihi subdubitabam. Magnam ἀναθεώρησιν res habet, de saxo in crucem columnam tollere, locum illum sternendum locare. quid quæris? heroica*, &c. Hujus etiam tacite meminit in I. *Philippica* his verbis: *An me censetis P. C. quod vos secuti estis inviti, decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur; ut inexpiabiles Religiones in Rempublicam inducerentur, ut decernerentur supplicationes mortuorum? & statim adduci tamen non possem, ut quemquam mortuum conjungerem cum Deorum immortalium religione; ut cujus sepulchrum nusquam exstet ubi parentetur, ei publice supplicetur*. ubi manifeste de illa ara loquitur. Quanquam Suetonius in *Julio* cap. LXXXV. columnam solidam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro statuisse plebem testetur, in qua, ut jam dictum est, scriptum erat PARENTI PATRIÆ, apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem juramento distrahere perseveravit populus Rom. Conciliandis tot authoribus nihil impedit quominus & Aram & Columnam simul positam fuisse statuamus. Hanc utramque a Consule Dolabella eversam; quamquam fremente veteranorum turba. Ad eam Aram atque adeo C. Cæsaris Apotheosim alludens Propertius lib. IV. sic Cæsarem inducit e cœlo mirantem decretos sibi honores divinos, Eleg. VI.

At pater Idalio miratus Cæsar ab astro
Sum Deus, & nostri sanguinis ista fides.

Quanquam potius de ea stella videatur Poeta intelligendus, quæ per VII. continuos dies fulsit Romæ: nam creditum est, animam esse Cæsaris in cœlum recepti: & hac de caussa simulacro ejus in vertice additur stella. De hac Cæsaris ara quam reponi oportere multi clamitabant timide Brutus in Epistola quadam: *Putasne*, inquit, *nos tutos fore in tanta frequentia veteranorum, quos de reponenda ara cogitare audivimus*.

II. *Ara Augusti.* Ad Augusti aram pergamus. De hujus Imperatoris adhuc viventis honoribus maximis, iisque divinis sæpe in Senatu agitatum fuisse accepimus. Ecce tibi primum Luc. Florus lib. IV. cap. ultimo: *Visum est*, inquit, *sanctius & reverentius nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur*. Hujus nimirum tanta fuit animi virtus atque morum sanctimonia, si Ethnicis fides, ut divinos honores etiam vivus meruerit, unde Horatius lib. II. epist. I.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Quod ipsum fatetur quanquam adulatorie Virgilius sub ficta Tityri pastoris persona Deum Augustum appellans & Aram nominans Ecl. I.

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

A Eo pertinent & illa quæ hujus statuis apponebantur divinitatis signa, puta radius, fulmen, hasta, juxta Lucanum hoc versu:

Fulminibus manes radiis ornabit & hastis.

Itaque nummi etiam hodie reperiuntur, in quibus Augusti caput radiatum. clare Prudentius lib. I. *contra Symmach.*

—— —— Flamine & aris
Augustum coluit, vitulo placavit & agno.
Testantur tituli, produnt consulta Senatus
Cæsareum Jovis adspeciem statuentia templum.

B De flaminibus autem & sacerdotibus, quos Augusti aris & sacris addictos fuisse constat, plena sunt scriptorum monumenta, ut pudidum sit referre. Unam tibi aut alteram inscriptionem proferam, quo ea res firmius stabiliatur. quæ sequitur in Transylvania est ad ripam Marusii hoc modo: III. *Ejus flamines.*

D. O. M.

COMINIUS PONTIF. ET BIS QQ. COL. SARMIZ. METROPOL. ET Q. R. Q. SACERDOS ARÆ AVG. SORORI PIENTISSIMÆ.

C Extat & ea quæ sequitur Albæ Juliæ in Transylvania:

MATRI AVG. PRO SALVTE IMP. CÆS. M. ANTONINI GORDIANI PII FEL. AVG. M. ANTONINVS. EQ. R. DEC. COL. APVL. SACERDOS ARÆ AVGV.

Item Ulpiæ Trajanæ apud eosdem Transylvanos:

T. VAREN. PROB. QQ. COL. SARM. M. COMINIVS QVINTVS PONTIF. ET BIS QQ. COL. EQ. R. SACERDOS ARÆ AVG. SORORI PIENTISSIMÆ. L. D. DD.

D Ex Lazio lib. III. *Comm. Reip. Rom.*

Nec viri solum ad id sacerdotium ascripti Magni hujus Divi, sed etiam, quod non rideas satis, fœminæ: adeo projecti tunc ad adulationem erant hominum mores, adeo ridicula sacra quibus peragendis fœminæ præficerentur. Dio lib. LVI. τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ θιασώτας, οἱ καὶ ἱερά, καὶ ἱέρειαν ΛΙΥΙΑΝ ἀπέδειξαν, id est, *tunc vero consecrantes ipsum Augustum sodales, ei & sacra instituerunt & sacerdotem Liviam*. de qua re intelligendus est tenebricosus hic Ovidii locus lib. IV. *de Ponto*, ubi Cæsar ipse Augustus

E loquitur:

Nec pietas ignota mea est, videt hospita tellus
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stat pariter natusque pius, conjuxque sacerdos,
Numina jam facto non leviora Deo.

Natus autem Pius, Tiberius est, quem primo in filium & hæredem, deinde in consortem Tribunitiæ potestatis Augustus, Cajo & Lucio Cæsaribus mortuis, asciverat; conjux sacerdos Livia. Plura in hunc sensum videas apud Lipsium in *Comment. ad lib.* I. *Annal. Taciti*, ad hæc ejusdem authoris verba ubi de Augusto, qui *se templis & effigie numinum per Flamines & Sacerdotes coli vellet*.

Cæterum hæc quæ longo tempore uni duntaxat Romulo decreta fuit Apotheosis in vulgarem postea & communem principibus gliscente adulatione evasit. Argute & eleganter Plinius Secundus in *Panegyr. ad Trajan. Imperat.* mutuam ac prope hæreditariam Rom. Imp. consecrationem notat his verbis: *Dicavit cœlo Tiberius Augustum*, IV. *Consecratio passim usurpata.*

sed ut Majestatis numen induceret, Claudium Nero, sed ut irrideret; Vespasianum Titus, Domitianus Titum; sed ille ut Dei filius, hic ut frater videretur. Tu sideribus patrem (Nervam) *intulisti: non ad metum Civium, non in contumeliam Numinum, non in honorem tuum: sed quia Deum credis: minus est hoc cum fit ab iis qui & sese Deos putent: sed*, o adulatorem! *licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio tamen magis Deum facis & probas quam quod ipse talis es*. Nec ita longe ab ea adulatione recessit nuper vir magnæ quidem apud nostrates, sed paulo audacioris ac superbæ eloquentiæ, cujus nomini (ne cum cæteris quos habet plurimos, eloquentiæ rumusculum invidere videar) libenter parco. Est enim difficilis censura præsentium. Hic ut plena aulicæ adulationis vela laxet, non absimilis Alexandri Magni quondam aulicis, Principem ut pietatis ac justitiæ cultorem eximium, ita modestissimum & suæ conditionis, quæ licet Regia, mortalis est, optime conscium Aris immortalitate, tantum non divinitate donat. Et quoniam in tam lepidas hominum Apotheoses sive consecrationes incidi, non omnino videor mihi operam lusurus, si cum Gentilium olim pars non minima, Deum Spiritum ac Mentem vocaverint, eumque animo colendum esse etiam libris editis testati sint, paucis ostendero, unde tanta Deorum multitudo invecta sit, hominesque jam morte deleti, divinis sint affecti honoribus. Quod ipsum Satyricus Poeta non insulse nec infacete carpebat his versibus Sat. XIII.

—— —— non turba Deorum
Talis ut est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere, &c.

Equidem, ut rem in pauca conferam, errorem illum tam longe lateque tot annos sparsum ac diffusum, ab impostore Dæmone inductum fuisse, non difficulter existimaverim. Nam cum ille malorum omnium author sit & parens, procul dubio & in hanc multo profundissimam erroris caliginem miserorum mortalium corda demersit, ut demortuos homines cum propter merita excellentia, tum virtutum, munerum & artium repertarum in memoriam consecrarent; hoc est, eam quam poterant divinitatem largirentur. Id præ cæteris testatur Cicero passim iis in libris quos *de Deorum natura* scripsit: *Suscepit*, inquit, *vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum tolleret*. Et idem in libris *de Legibus*: *Divos & eos qui cœlestes semper habiti sunt, colunto & illos quos in cœlo merita locaverunt. Herculem, Liberum, Æsculapium, Pollucem, Castorem, Quirinum*. Hujus Veterum illorum dementiæ meminit Horatius, in his ad Augustum versibus lib. II. epist. I.

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti.

Hinc volunt Cererem, quia prima fruges invenit: hinc Bacchum, quia primus vites plantare docuit, aliosque aliarum identidem rerum repertores, in Deorum cœtu locatos. Hic vero colendorum Deorum ritus, non alio de fonte, ut præclare docet passim Lactantius, quam a Jovis immodica fluxit superbia. Ipsum enim ad tantam provectum esse arrogantiam ferunt, ut sibi tandem ausus fuerit divinitatem impudenter vendicare. Cum enim terras circuiret, id curabat in primis ut sibi templa & aræ de hospitum suorum nomine constituerentur. Sic erecta sunt Jovi Atabyrio delubra, Jovi Labradaeo (ita enim legitur vulgo; non ut contendit Vives Lapriando) Jovi Molioni, Jovi Cassio, qui omnes Jovis hospites atque ejus in bellis adjutores extiterunt. Hoc modo callidissimus homo paulatim religionem cultus sui propagavit, & cæteris quod imitarentur exemplum præbuit. Vide, Lector, quemadmodum nequissimus Dæmon superstitiosas Ethnicorum mentes, pedetentim invaserit, easque magis atque magis ludificatus sit: cui nimirum non satis fuerat persuasisse, ut hominibus divinitas tribueretur, nisi etiam credulos huc impelleret, ut consecratis jam templa dicarentur, erigerentur aræ, simulacra & imagines statuerentur, quas illi colerent & adorarent: hoc est, novum crimen novo crimine cumularent. Sic dum unusquisque ad cœcas illas statuas, mutasque imagines solum attenderet: factum est ut corruptibile simulacrum, pro incorruptibili Deo adoraret: rebusque externis contentus, dum cœlum intueri deberet, ad insensibilia & terrena tantum raperetur. Hoc ipsum est quod dolebat olim Sedulio Poetæ Christiano, dum Gentilium ac præcipue Ægyptiorum idola irridens ita scribit:

Heu miseri qui vana colunt, qui corde sinistro
Religiosa sibi sculpunt simulacra, suumque
Factorem fugiunt, & quæ fecere verentur.
Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit,
Ut volucrem, turpemque bovem, torvumque draconem
Semihominemque canem supplex homo pronus adoret?

Quod & Seneca ipse de simulacris arguebat his verbis: *Simulacra Deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illis stipem jaciunt, victimas cædunt, & cum hæc tantopere suspiciant, fabros qui illa fecere contemnunt*. Sed de his satis: nam ea altius perscrutari, alterius forsan esset instituti, nunc ad operis destinati argumentum redeamus.

Non solum viris de suis civibus, atque adeo genere hominum omni bene meritis delatus est consecrationis honor, sed etiam mulieres (risum teneatis amici) olim consecratæ, aras, templa, statuas habuerunt, ne quis videlicet sexus ab ea laude cessaret. Suetonius in *Claudio* cap. XI. *Aviæ*, inquit, *Liviæ divinos honores, & circensi pompa currum Elephantorum Augusteo similem decernendum curavit*. Idem omnino habet Dio lib. LX. *Aviam Liviam*, inquit, *præter hunc honorem etiam immortalitati asseruit dedicavitque ejus effigiem in templo Augusti, ac rem sacram ei fieri a Vestalibus mandavit, mulieresque per nomen ejus jurare jussit*. Eadem de Drusilla sorore Cajus decrevit, ut idem est Author Dio lib. LIX. *Decreta ei omnia*, in-

V. *Mulieres consecratæ.*

quit, *quæ Liviæ, ac insuper ut immortalis haberetur, ut in foro imago Veneris statuæ ejus æqualis collocaretur, iisdemque honoribus coleretur, peculiare ei fanum ædificaretur, eamque statuis sacri non modo viri, sed etiam mulieres venerarentur, ut mulieres eam jurarent, quoties aliquid sacramento confirmarent. Itaque tunc vocata est PANTHEA, & divinis honoribus per omnes urbes culta.* Eo pertinet antiqua illa inscriptio:

VENERI CÆLESTI
AVGVSTÆ SACR
NVMMIA C. F. DORCAS
S. P. F. C

De Liviæ autem consecratione extant antiqui nummi cum ea inscriptione ex una parte DIVUS AUGUSTUS PATER. caput radiatum, Ara ante pedes: parte altera S. P. Q. R. DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FIL. carpentum cui juncti sunt duo muli. Livia hic Julia & filia Augusti appellatur, quam nimirum senex Augustus adoptione in familiam suam adsciverat. Nec ego dubito quin consecrata hæc esset Julia, habitu & nomine Junonis; nam ea de re ita clare Prudentius loco nuper citato:

Adjecere sacrum fieret quo Livia Juno,
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quam cum fraterno caluit Saturnia Juno.

Imo eo Junonis cognomento passim afficitur Livia a Poetis etiam vivens; quod patet Ovidii exemplo:

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Sed hæc forsan poetica libertas esto.

VI. *Claudii Imper. consecratio irrisa.*

Claudii consecrationem haud illepide satyrico sale aspergit Juvenalis sat. VI.

Ille senis tremulumque caput descendere jussit
In cœlum.

Quem ad locum vetus Interpres ita habet; *in cœlum pro ad inferos dictum.* Nam Satyricus Apotheosim deridet, cujus honorem ab ipso Nerone destitutum abolitumque restituit Vespasianus. Verum quæ antiquitas idola faciebat, quas statuas arasve erigebat, cultu & habitu consecrationis, crediderim nec perperam cum Minutio Felice in *Octavio*, non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis, & blandæ adulationis fecisse, quod potissimum Poetis (nam id genus hominum maxime adulatorium est) fuit familiare.

CAP. XXVI.

I. *Ara Ubiorum*. II. *Ara Lugdunensis*. III. *Quando posita?* IV. *Certamen eloquentiæ*. V. *Ara Narbonensis*. VI. *Ara Drusi*.

PRÆCLARE Aristoteles in *Moralibus*, omnia opinione volvi censuit. Tanta fuit olim hominum mentibus impressa de Augusti Cæsaris virtutibus opinio, ut non modo omnibus civibus Romanis esset admirationi & venerationi; sed eum passim omnes gentes (quæ mortalium cæcitas erat) divinis colerent honoribus, ejusque nomini ac numini provinciæ remotissimæ aras templaque erigerent, ut patebit ex sequentibus, & ut major est ex longinquo majestas, ad eum divinis honoribus efferendum votis ardentioribus exteri rapiebantur. Frequens autem fit mentio hujus aræ, quæ Ubiorum est; ac potissimum apud Tacitum: nam I. *Annal.* lib. ita habet: *Interea legati ab Senatu regressi jam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt*, &c. & in eodem libro: *Sacerdos*, inquit, *apud Aram Ubiorum creatus ruperat vittas profugus ad rebelles.*

I. *Ara Ubiorum.*

Ubi autem locorum fuerit illa ara, haud ita facile judicatu est. Hanc quæstionem studiose examinat Lipsius (ut erat omnis antiquitatis diligentissimus indagator) in *Comment. ad citatum Taciti locum*, ubi hæc habet: *Vidi qui vellet Aram Ubiorum Bonnam esse nunc: ego vereor ut propius fuerit ab oppido Ubiorum, quidquid hodie sit, puto originem ei loco a veneratione Augusti, cui novo cœliti Ara illic, recepta adulatione, extructa, uti Ara Lugduni, & ad eam Sacerdotes ex primoribus gentis, inter quos hic Segimundus, sacra faciebant.* Hæc Lipsius. Cujus viri utpote earum rerum scientissimi sententiæ videtur suffragari Junius in *sua Batavia*. Nam Ubiorum Aram apud Duitense Monasterium e regione Coloniæ Agrippinæ fuisse putat. Modius tamen circa Bonnam ad Rhenum statuit, cujus consule (si vis plura) epistolam tertiam *novantiquarum lectionum*, ubi serio Aram Ubiorum, quæ, & ubinam fuerit, examinat.

II. *Ara Lugdunensis.*

Lugdunensis ara longe superiori celebrior: in hoc nobilissimo Galliarum emporio duas fuisse Augusto Cæsari erectas aras volunt nonnulli; sed earum altera longe celeberrima fuit, ob certamen Græcæ & Latinæ facundiæ: quo certamine, ut ait Suetonius in *Caligula* cap. XX. ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumque laudes componere coactos. Eos autem qui maxime displicuissent scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine mergi proximo maluissent. Quam ignominiam cum vehementer pertimescerent ii qui in ejusmodi certamen descendebant, recipiente se ex metu circa cor palpitans sanguine, pallebant. Hinc Juvenalis satyr. I. ad eloquentiæ certamen alludens sic de Ara Lugdunensi:

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Strabonem oculatum hujus aræ testem audiamus libro IV. *Geographiæ* his verbis: *Lugdunum & nos contemplati sumus: conditum est in colle, ubi Arar & Rhodanus commiscentur, ibi templum ab universis Galliis communi impensa in honorem Augusti Cæsaris extructum fuit. Aderat & ara dignitatis eximia cum titulo gentium sexaginta, quæ singulas statuas ibidem singulas erexerant.* Lipsius *Epist.* lib. II. epist. XXI. ait se nummum duorum inscriptionem reperisse, (ut erat antiquitatis indagator studiosissimus) imo & vidisse Romæ apud peritum harum rerum Nicolaum Florentinum, ANTONI IMP. A. XL. III. VIR. R. P. C. adjuncta leonis effigies erat.

Item alterius ex ære, LUGDUNI A. XL. putat Lipsius significari Nummos eos percussos Lugduni a gentibus Galliarum quadraginta, ac suam conjecturam probare & stabilire conatur authoritate Strabonis libro nuper laudato, ubi is de Lugduno numismata percussa ac notata diserte ait his verbis: καὶ γὰρ ἐμπορείῳ χρῶνται, καὶ χαράττουσιν τὸ νόμισμα ἐνταῦθα οἱ τῶν Ῥωμαίων ἡγεμόνες. τό τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ, πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως, ἐστὶ δὲ βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν καὶ τὸν ἀριθμόν. Ex his de moneta res clara satis. Turbat nihilo secius numerus gentium: Nummi enim illi a LX. tantum; at præter Strabonem qui LX. posuit, etiam Tacitus liberalior est, nam is LXIV. Galliæ gentes ponit, sic enim locus ille capiendus fuit *Annal.* lib. III. non de urbibus: *At Romæ non Treveros modo & Æduos, sed quatuor & sexaginta civitates descivisse assumptos in societatem Germanos, dubias Hispanias*, &c. Id vero conciliare cum Lipsius nequiverit, haud ita facile & promptum est alteri, ni forsan errore percussoris, numerus hic X. isti L. fuerit præmissus, qui postponi omnino debuerit hoc modo LX. Quantum vero spectat ad certamen facundiæ quo ad eam aram a Rhetoribus certabatur, *Merito*, inquit Terentius in Suetonium, *dubitari potest an Cajus instituerit*: nam vivente adhuc Augusto si Dioni credimus lib. LIV sub finem, ludi quidem illic ad ejus aram celebrabantur, quos sua quoque ætate permansisse testatur his verbis: *Gallorum primoribus sub prætextu ejus festi quod hodie etiam Lugduni ad aram Augusti celebratur, evocatis: motum subditorum evocavit.* De Druso Tiberii fratre ejus rebus in Germania præclare gestis sermo est. Hic ne verbum quidem de eloquentiæ certamine, sed neque apud Strabonem. Sed vero similius est ab Augusto omnis eruditionis ac facundiæ imprimis amatore & admiratore, ut est apud Plutarchum, certamen illud fuisse institutum, quam a Cajo Caligula turpissimo illo naturæ monstruo, & cujuscumque eruditionis osore ac hoste.

III. *Quando posita.* Hæc autem ara eo ipso die quo Claudius Lugduni est natus, fuit Augusto dedicata, teste Suetonio in *ejus vita* cap. II. Ex eo facundiæ certamine factum putem, ut facundissimi Oratores in Gallia reperirentur, ipsaque adeo Gallia eos suppeditaret, qui in alias orbis terrarum gentes mitterentur, qui divinum hoc dicendi genus spargerent.

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Hujus porro Aræ sacerdotem edit inscriptio antiqua, quæ in ipsa urbe ad murum templi vetustissimi D. Petri hoc modo apud Merulam *Cosmog.* parte II. lib. III.

IOVI. OPT. MAX
Q. ADCINNIVS. VRBICI
FIL. MARTINVS. SEQ
SACERDOS. ROMÆ. ET. AVG.
AD. ARAM. AD. CONFLVENTES
ARARIS. ET. RHODANI
FLAMEN. II. VIR. IN. CIVIT
SEQVANORVM

Aræ Lugdunensis præter jam citatos authores meminerunt etiam Plinius, Budæus *de asse*, & ex recentioribus Cœnalis & Paradinus, qui Monasterium Athenatense vulgo *Aisnè* eodem in loco esse ubi olim illa ara fuit, contendunt.

I. *Certamen eloquentiæ.* Nec illud occasione hujus certaminis ad illam aram omittam: tale nimirum eloquentiæ certamen Neapoli fuisse, ut author est Lævinus Torrentius *in Sueton.* ad locum citatum, aliudque profert tertium ex Gellio libro X. cap. XVIII. de Mausoleo: *Id monumentum*, inquit Gellius, *Artemisia cum Diis Manibus sacris Mausoli dicaret; ἀγῶνα, id est, certamen laudibus ejus dicundis facit, ponitque præmia pecuniæ, aliarumque rerum bonarum amplissima. Ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua præstabili Theopompus, Theodectes, Naucrites. Sunt etiam qui Isocratem ipsum cum iis certavisse memoriæ mandaverint: sed eo certamine vicisse Theopompum judicatum est. is fuit Isocratis discipulus*, &c. Hæc Gellius. atque ea res revocat in memoriam receptum & laudabilem in plerisque Galliæ civitatibus morem, quo non eloquentiæ modo, sed & poeseos, imo & musices professoribus præmia ipso conceptæ Virginis die festo Rhotomagi, Ebroicis, Dieppæ, atque alibi passim proponuntur.

V. *Ara Narbonensis.* Fuit etiam alia quanquam non ita celebris Augusti Imperatoris Ara; nec tamen hic silentio prætereunda, a populo Narbonensi posita anno fere Urb. cond. DCCLXIII. Christi XI. hoc modo:

T. STATILIO TAVRO
L. CASSIO LONGINO
COSS. X. KAL. OCTOB
NVMINI AVG. VOTVM
SVSCEPTVM A PLEBE
NARBONENSIVM
IN PERPETVVM

QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIXQVE SIT IMP. CÆSARI DIVI F. AVGVSTO P.P. PONT. MAX. TRIBVN. POT. XXXIV. CONIVGI LIBERIS, GENTIQVE EIVS. SENAT. POP. QVE ROM. ET COLONIS INCOLISQVE C. I. P.N.M. QVI SE NVMINI EIVS IN PERPETVVM COLENDO OBLIGAVERVNT. PLEBS NARBONENSIVM ARAM NARBONE IN POSO POSVIT, AD QVAM QVOTANNIS IX. KAL. OCTOB. QVA DIE EVM SECULI FELICITAS ORBI TERRARVM RECTOREM EDIDIT. TRES EQVITES ROM. A PLEBE, ET TRES LIBERTINI HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT. VII. QVOQVE IDVS IANVAR. QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST THVRE, VINO SVPPLICENT, ET HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET COLONIS INCOLISQVE THVS, VINVM EA DIE PRÆSTENT. ET PRIDIE KAL. IVNIAS QVOD EA DIE T. STATILIO TAVRO, M. ÆMILIO LEPIDO COSS. IVDICIA PLEBIS DECVRIONIBVS CONIVNXIT HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET THVS, ET VINVM AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT. EXQVE IIS TRIBVS EQVITIBVS ROMA. LIBERTINVS VNVS.

Reliqua deficiunt,

Mors etiam saxis marmoribusque venit.

Extat & alia ara in eadem urbe anno sequenti posita, quam profert Brisson. lib. I. *Formul.* cujus deest principium, sic ab Adolpho exaratum:

NARBONENSIS
NVMINI AVGVSTI DI
CAVIT
LEGIBVS IIS Q. I. SS.

NVMEN CÆSARIS AVG. P.P. QVANDO TIBI HODIE HANC ARAM DABO DEDICABOQVE HIS LEGIBVS HISQVE REGIONIBVS DABO DEDICABOQVE QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO, VTI INFIMVM SOLVM HVIVSQVE ARÆ TITVLORVMQVE EST. SI

QVIS TERGERE, ORNARE, REFICERE VOLET, QVOD BENEFICII CAVSA FVIT IVS FASQVE ESTO. SIVE QVIS HOSTIA SACRVM FAXIT, QVI MAGMENTVM NEC PROTOLLAT, IDCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO. SI QVIS HVIC ARÆ DONVM DARE AVGEREQVE VOLET LICETO, EADEMQVE LEX EI DONO ESTO QVÆ ARÆ EST. CÆTERÆ LEGES HVIC ARÆ TITVLISQVE EADEM SVNTO QVÆ SVNT ARÆ DIANÆ IN AVENTINO. HISCE LEGIBVS HISQVE REGIONIBVS, SIC VTI DIXI HANC ARAM TIBI PRO IMP. CÆSARE AVG. P. P. PONTIF. MAX. TRIBVNITIA POTESTATE XXXV. CONIVGE LIBERIS, GENTEQVE EIVS SENATV POPVLOQVE ROM. COLONIS INCOLISQVE COL. IVL. PATERN. NARB. MART. QVI SE NVMINI EIVS IN PERPETVVM COLENDO OBLIGAVERVNT DO DEDICOQVE VTI SIES VOLENS PROPITIVM.

Aræ Narbonensi similis est ea Ara quæ Salonæ reperitur hoc modo;

C. DONITIVS VALENS II. PRÆEVNTE C. IVLIO SEVERO I. PONTIF. LEGEM DIXIT IN EA VERBA QVÆ INSCRIPTA SVNT. IVPITER OPTIME MAXIME QVANQVAM TIBI HODIE HANC ARAM DABO DICABOQVE OLLIS LEGIBVS, OLLISQVE REGIONIBVS DABO DICABOQVE QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO, VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARÆ EST, SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT QVOD IN MAGMENTVM NE PROTOLLAT, IDCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO. CÆTERÆ LEGES EÆDEM SONTO QVÆ ARÆ DIANÆ SONTO IN AVENTINO MONTE DICATÆ. HISCE LEGIBVS HISCE REGIONIBVS SICVTI DIXI, HANC TIBI ARAM IVPITER OPT. MAX. DICO DEDICOQVE VTI SIS VOLENS PROPITIVSQVE MIHI COLLEGISQ. MEIS DECVRIONIBVS COLONIS INCOLIS COLONIÆ MARTIÆ IVLIÆ SALONIÆ CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRIS.

VI. *Ara Drusi.* Superest Drusi Ara. Hujus apud historicos frequens est mentio, quæ nimirum Druso Tiberii fratri ad Rhenum posita fuit; ad quam Galliarum civitates publice supplicabant. *Ex qua Suetonii voce* (*supplicabant*) inquit Lipsius *ad lib.* I. *Taciti Ann. patet consecratio*. Referam Taciti verba: *Veterem Aram Druso sitam* (*rectius positam*) *disjecerant*. Imo & Suetonii in *Claudio* cap. I. cum de Druso loquitur: *Exercitus*, inquit, *honorarium ei tumulum excitavit, circa quem stato die quotannis decurreret, & Galliarum civitates publice supplicarent*. Idem ferme habet Dio lib. LV. sed aperte magis Tacitus lib. III. *Ann.* ad Germanici (is erat Drusi filius) memoriam factas aras ait his verbis: *Facere*, inquit, *aras adsacrandam memoriam*. Igitur aris consecrabantur Imperatores, quas deturbare nemini fas erat.

CAP. XXVII.

I. *Deus Volianus quis?* II. *An Mercurius?* III. *An Apollo qui Belenus?* IV. *Quare Apollo Belenus dictus?* V. *Inscriptionis Nannetensis explicatio.*

I. *Deus Volianus quis?* NARBONENSIS Aræ, cujus superiori capite meminimus, consecratæ titulus in mentem revocat celebrem & antiquam inscriptionem, quæ Nannetis nuper in egestis vetustissimæ turris ruderibus reperta fuit, & in publicis nunc urbis ædibus ad parietem affixa hoc modo legitur:

NVMINIB. AVGVSTOR
DEO VOLIANO
M. GEMELL. SECVNDVS ET C. SEDATVS
FLORVS ACTOR. VICANOR. PORTENS
TRIBVNAL. C. M. LOCIS EX STIPE
CONLATA POSVERVNT

A Ea, inquam, inscriptio multorum torsit ingenia, necdum satis liquet quo tempore, qua occasione, quibus Augustis posita, quis ille sit Volianus, quem Deum hic appellatum legimus, Lipsium nostri sæculi oraculum Scholiastes Nannetensis Cohonius consuluerat hoc versiculo Virgiliano:

Sed tamen iste Deus quis sit da Tityre nobis.

B Erat imprimis antiquitatis cultor & indagator J. Lipsius; & ut erat sinceræ & ingenuæ mentis vir, si quis unquam inter literatos fuit, VOLIANUM DEUM disertis verbis ignorare se rescripsit; nisi quod Volianum Deum Gentilem, ab Armoricis popularibus cultum fuisse crederet: *Quæ enim gens suum non sibi arbitratu suo finxit numen? quæ non urbs, quæ non oppida? adeo per universa imperia* (inquit Minutius in *Octavio*) *provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habuisse, & Deos coluisse municipes, ut Eleusinos Cererem, Phrygas Magnam Matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astartem Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, universa Romanos*. C Hoc tanti viri responso non est solutus vindice nodus.

Sunt qui Volianum Deum Mercurium esse contendant, eumque Volianum a volis manuum quasi Deum commerciorum, quorum Symbolum est manus, dictum affirment. II. *An Mercurius?* Quoque suam firmius conjecturam stabiliant, etiam nunc Nannetis in acroteriis tectorum ac templorum pinnis manuum extensarum, imo & invicem complosarum (quæ sanæ fidei, quam summam inter mercatores esse decet, notæ sunt) insignia ostendunt passim. D Et certe nemo est literatus qui Mercurium commerciorum Deum passim creditum ab antiquis ignoret: nam & inde dictus Mercurius quod Mercatoribus præsideret, ut est apud Plautum his verbis, quibus idem loquitur Mercurius:

Ut vos in vostris voltis Mercimoniis
Emundis vendundisque me lætum lucris
Afficere atque adjuvare in rebus omnibus.

Mercurium certe Deum Mercatorum fuisse scio, idque plurimi testantur authores: eumdem etiam a Gallis veteribus imprimis cultum, humanisque hostiis, hoc est, detestabilibus sacris placatum fuisse non ignoro: E id Cæsaris, Flori, Plinii, aliorumque testimonio liquet: & ut vera fatear, primo Epigraphes intuitu Volianum Mercurium esse existimavi: nam ejus, de qua hic quæstio est, inscriptionis sensus vectigalia portuentia aliaque id genus mercium tributa Nannetis persoluta, & ex iis tribunal extructum ab Gemello secundo & Sedato Floro actoribus clare indigitat. Sed Ausonii, Tertulliani, aliorumque vicit authoritas, qui Apollinem passim nusquam Mercurium ab Armoricis populis cultum, eosque Apollini aras, templa, sacrificiaque dedisse testantur; F quo autem nomine non ita est facile designare. III. *An Apollo qui Belenus?* Petrus Pithœus vir eximiæ ac reconditæ literaturæ, Apollinem a Gallis Belenum appellatum fuisse, atque eo nomine cultum putat ex Ausonii loco uno aut altero, ac primum quidem de Attio Patera Rhetore Delphidii Tyronis patre Phœbicii filio, & Phœbicii alterius fratre sic scribit Ausonius:

Tu Bajocassi stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis e templo genus,
Et inde vobis nomina;
Tibi pateræ (sic ministros nuncupant
Apollinaris Mystici)
Fratri patrique nomen a Phœbo datum
Natoque de Delphis tuo.

Idem Ausonius alibi de Phœbicio Attii Pateræ patre sic habet:

Nec reticebo senem
Nomine Phœbicium.
Qui Beleni ædituus
Nil opis inde tulit.
Sed tamen ut placitum
Stirpe satus Druidum
Gentis AREMORICÆ
Burdigalæ Cathedram
Nati opera obtinuit.

Atque ut Belenum sive Apollinem eo nomine in Galliis, sed potissimum in Armoricis civitatibus cultum fuisse probet Pithœus, Tertulliani in *Apologetico* locum erroris suspectum, nam & illum emendat, producit de eodem Beleno, quem Norici Italiæ populi etiam colebant, nisi forte quis suspicetur apud Tertullianum *Armorici* pro *Norici* reponendum: *Unicuique enim*, inquit Tertullianus, *Provinciæ & civitati suus Deus est, ut Syriæ Astartes; ut Arabiæ Dysares; ut Norici Belenus, ut Africæ Cœlestis; ut Mauritaniæ Reguli sui*, &c. ex quo apparet Belenum Deum in Armorico & Norico cultum. Nec vero difficile fuit, tum lapsu temporis, tum librariorum vitio, tum etiam frequenti verborum corruptela ex Beleno primum Belianum, mox promiscua B. & V. usurpatione Velianum, ac inde Volianum fieri. Quam ego conjecturam sive divinationem, ut temere probare & asseverare non ausim, ita damnare ac rejicere plane

IV. *Quare Apollo Belenus dictus?*

non possum. Apollinem Belenum & Bolenum ab emissione radiorum quasi in modum teli & sagittæ volunt: nam & Græci βολβὼ telum & sagittam vocant. Lucianus de Sole: πρὸς τὰς τῦ Ἡλίυ βολάς. Plutarchus in libello *ad Principem ineruditum* damnat eos qui ἀκτινοβολίας, id est, *radiationes* imitabantur. Radiatum solis caput ex Virgilio XII. *Æneid.* ubi de Latino Rege:

—— Ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt;
Solis avi specimen.

Quo etiam sensu Lucianus Æthiopiæ populos ait capite usos fuisse vice pharetræ, eique sagittas radiorum instar circum posuisse: ita ille *de saltat.* περιδέοντες αὐτῇ ἀκτινδὸν τὰ βέλη. Idem *de Astrologia*: καὶ τῦ ἠελίυ τὰς βολὰς τὰ δὴ ἐγὼ ἤματα, &c. Ejusdem Æthiopum consuetudinis meminit & Heliodorus lib. IX. πλέγμα γάρ τι κυκλοτερὲς τῇ κεφαλῇ περιθέντες, καὶ τῦτο βέλεσι τὸν κύκλον περιπειράντες, τὸ μὲν ἐπτερωμένων τῦ βέλυς πρὸς τῇ κεφαλῇ περιτίθενται. Id est, *circulari quodam involucro caput ambientes, illudque sagittis in orbem configentes, pinnas quidem ad caput convertunt.* Belenum vero Apollinem esse diserte ait Josephus Scaliger lib. I. *Ausonian. lection.* cap. IX. his verbis. De Beleno autem mentio est præter alios apud Herodianum in *Maximinis*, quem vocat βελὶν, estque Apollo: unde & Galli herbam qua inungebant sagittas *Belenium* vocabant. Gyraldus Authore Servio in lib. I. *Æneid.* Solem ait Assyriorum lingua EL, Phœnicum addita aspiratione, HEL, atque inde Græcis Ἥλιον dictum: mox etiam Belum. Imo & Belem ab Aquilejensibus magna religione cultum, qui Apollo creditus est, ex Herodiano in *Maximino* refert *syntag.* II. *de Diis gent.* Apollinem ab Armoricis civitatibus sic cultum etiam ὔλιον, id est, sanitatis authorem ab ὔλάω quod *valere* est scribit Strabo lib. IV. eumque Milesios ac Delios eo nomine coluisse. Idem testatur Julianus Aurelius in libello *de cognominibus Deorum* cap. IV. Quam vero facilius fuit unius literulæ transpositione mutatio, ut Volios pro Oulios & inde Volianos, ut ex Domitio Domitianus, ex Valerio Valerianus, ex Julio Julianus, & sexcenta id genus vocabula enata sunt.

V. *Inscriptionis Nannetensis explicatio.*

Sed ut inscriptionis sensum omnem aperiamus, qui tandem illi Augusti, quorum Numina præfert in fronte Epigraphe Nannetensis? Quatuor fere anni sunt cum inter eruditos ea de re differens, audivi qui Augustos illos Honorium & Arcadium Theodosii Magni filios esse dicerent: ac tum positam Epigraphen, cum nondum diviso Imperio, Franci primum in Galliis pedem posuerunt. Sed quia deerat authoritas scriptorum, divinare erat non certi quidpiam declarare ac decernere. Nec deerant qui meliori conjectura Antoninum Caracallam & Getam Severi filios designari crederent: & positam inscriptionem redeuntibus e majori Britannia (sublato e vivis Eboraci Severo patre) fratribus Imperatoribus. Sed orto (ut fratres inter & de Imperio altercantes fere solet) dissidio; Caracalla solo per Armoricas civitates in Italiam festinante, infossam humo a civibus inscriptionem fuisse, ne ea offensus quasi diviso, quod suum unius esse vellet, Imperio, Caracalla pœnas civitati ac civibus infligeret.

Rogatus demum sententiam a superioribus plane diversam dedi, neutram tamen improbans, ac ne temere datam omnes intelligerent uno aut altero argumento velut præsidio quodam muniendam esse nunc existimavi. Dicebam enim Epigraphen hanc nec Honorii & Arcadii Impp. nec Caracallæ ac Getæ itidem Impp. temporibus fuisse positam; cum neque his neque illis tanquam Numinibus ac Diis divini honores unquam habiti fuerint. At C. Valerium Diocletianum qui se *Jovium* a Jove, M. Aurelium Valerianum Maximianum, qui se *Herculeum* ab Hercule appellarunt, quis nescit divinos honores usurpasse, & tanquam Deos adorari voluisse? quod & illi tanto studio passim ubique terrarum ambierunt, & Romanæ ditionis populi suppliciorum metu factitarunt. Horum Præfectis in remotissimas provincias cum imperio missis, nihil prius, nihil antiquius præceptum accepimus, quam ut deleto, si Deus velit, veri Dei & immortalis cultu, Christianorumque nomine, vanissima Imperatorum Numina & nomina colenda & adoranda ubique proponerent. Id testantur incisæ passim colu-

columnis inscriptiones antiquæ, cujusmodi illæ sunt quæ adhuc in Arevaricis Hispaniæ gentibus visuntur:

DIOCLETIAN. IOVIVS
MAXIMINIAN. HERCVLEVS
CÆSS. AVGG.
AMPLIFICATO PER ORIENTEM
ET OCCIDENTEM IMPERIO
ROMAN. ET NOMINE CHRISTIANORVM DELETO QVI
REMP. EVERTEBANT.

Et hæc altera quæ ibidem est:

ÆTERNO IMPERATORI NOSTRO
MAXIMO OPTIMOQVE PRINCIPI
AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO
PIO FELICI INVICTO AVGVSTO
POETVS HONORATVS III. VIR
CORRECTOR ITAL. NVMINI
EIVS
DICATISSIMVS.

Ex Adolpho Occone in *Numismat Impp. Rom.* Hanc porro impietatem detestati nobilissimi fratres Nannetenses, supplicia & tormenta passi atrocissima, Rogatianus & Donatianus cœlo recepti sunt anno fere Christi ccc. Hanc vero Epigraphen vanis notatam & fœdatam numinibus, dissipatis erroris tenebris, ortaque veritatis luce, credibile est humi defossam fuisse, ne quod extaret in posterum vanissimæ & ineptissimæ divinitatis vestigium. Cæterum ut fiat hujus inscriptionis sensus explicitior, ab iis actoribus Vicanorum Portuensium Tribunal quasi dicas Prætorium Causarum Maritimarum locis, hoc est, eo in loco ubi caussæ maritimæ agebantur tractabanturque ex stipe collata, collectis nimirum vectigalibus vicatim impositis, ædificatum fuit. Libens omitto eorum conjecturam qui VOLCANO notissimo Deo, facili unius apicis contorsione pro VOLIANO legendum censent. Hanc ego animadversionem Nannetensi cœlo quod diu spiravi & identidem suavissime spiro, atque adeo amori civium amantissimorum debebam. Claudet hoc caput Josephi Scaligeri lib. I. *lect. Auson.* locus, ubi Abellionis Gallorum Dei, cujus extant monumenta in Convenis Novempopulaniæ, meminit hoc modo:

DEO
ABELLIO
NI
MINICIA
ISVTA
V. S. L. M.

Item:

ABELLIONI DEO TAVRINVS
BONE. CONI. SEVSIM.

Colebatur nimirum apud Convenas ABELLIO DEUS, iisque honoribus, quibus apud Nannetas DEUS VOLIANUS. D. Cyrillus lib. III. *contra Julianum Cæsarem* Belum, qui idem cum Beleno est, etiam Arbelum nuncupatum prodit: ac primum a subditis hominem Dei nomen accepisse, eique Assyrias gentes & finitimas sacrificia impendisse co-

luisseque, quod & Eusebius scribit in *Chronicis*. Sed ea de re satis: ad alia stylum referamus. Hæc habe, Lector, laboremque hunc nostrum in investigando VOLIANO DEO æqui bonique consule.

CAP. XXVIII.

I. *Aræ Promontoria*. II. *Aræ urbes*. III. *Aræ Herculis passim*. IV. *Aræ Principum*. V. *Aræ Alexandri M.* VI. *Ara Pertinacis*. VII. *Septimi Severi & aliorum*. VIII. *Caracallæ*. IX. *Heliogabali*. X. *Ara Anchuri*. XI. *Harum eversio*.

DIXIMUS supra aras pro eminentibus saxis & scopulis apud classicos authores usurpari, ad cumulum præmissæ hujus rei, nonnulla & hic exempla proferemus: ac primum quidem Aras illas Sestianas, quas a promontorio quodam sic dictas certissimum est. Harum meminit præter Plinium & alios Pomponius Mela lib. III. cap. I. easque turrim Augusti nominat, eo etiam sensu, quo, ut jam dictum est, Aræ turres & phari a quibusdam appellantur: *Sars*, inquit, *(fluvius est Hispaniæ) juxta turrem Augusti titulo memorabilem decurrit, & statim in Asturum litore Nœga est oppidum & tres Aræ quas Sestianas vocant, in peninsula sedent, & sunt Augusti nomine sacra, illustrantque terras ante ignobiles*. Ptolomæus λῦκον Αὐγύστου *lucum Augusti* vocat, & ab eodem istæ aræ dicuntur Σηςίου βωμοί. Est autem Sestium promontorium ad oceanum Cantabricum in Artabris, qua in regione bellum haud ita feliciter gessisse Augustum ferunt. Harum mentio insignis apud Marianam lib. III. *de reb. Hispanicis*, ubi de Augusti Cæsa. in Hispaniam adversus Cantabros expeditione verba facit. Sic illæ Aræ demum Sextianæ Melæ, Plinii & Ptolomæi literis celebratæ, atque in honorem Augusti in Asturibus constitutæ in peninsula Pyramidum forma, cochlea ab imo ad summum pertinente, quibusdam creditæ sunt hujus belli monimenta fuisse (vestigia earum ad oppidum Gegionem ab Oveto viginti millibus passuum extare affirmant) conjectura neque contemnenda prorsus, neque prorsus constanti: cum alii Aras Sextianas a Sexto Apulejo excitatas malint, eo quem per hosce annos de Hispania triumphasse tabulæ Capitolinæ docent. Est etiam βωμὸς ἔρατος *ara amoris* Æthiopiæ promontorium ad sinum Arabicum. Sunt & Aræ Ioniæ tres insulæ apud Stephanum & Ælianum, quarum meminit Athenæus lib. VI. easque inter Symen & Gnidum locat. — I. *Aræ Promontoria.*

Multæ insuper urbes ab ara nominatæ, cujusmodi Ara Lapidea olim Pannoniæ urbs nunc in Austria est, cujus nomen retinet adhuc fluvius præterfluens Arlapa, vulgo *Erlaph*. Est etiam Ara Tutila Corsicæ insulæ oppidum Ptolomæo, qui & Aram Arabiæ Regiam, nec non insulam eidem Arabiæ adjacentem esse dicit. Aræ Murtiæ Etruriæ oppidum, vel hoc notum naturæ miraculo, quod ibi quæ in terram demersa sunt extrahi non possunt, ut habet Plinius. Apud nos in finibus Tulingorum apud Lucemburgos oppidum est, quod Ara Lunæ vulgo *Harlum* dicitur, quod ibi nimirum Luna præ cæteris Veterum numinibus coleretur. Aram — II. *Aræ Urbes.*

latam, vulgo *Arles*, libens prætermitto: nam de ea satis dictum.

III. *Aræ Herculis* [illegible]

Quamvis alio jam in loco de ara Herculis sit dictum: eam tamen hic attingemus, cujus Plinius lib. v. cap. 1. & Strabo lib. XVII. meminerunt. Illi igitur aram Herculis in insula quadam circa fretum Gaditanum (forte in ipsis Gadibus) ubi colebatur, extitisse ferunt. Est insuper in Alpibus Graiis locus quem Herculis aras vocant, ut author est Petronius his versibus:

Alpibus aeriis, ubi Grajo nomine pulsæ
Descendunt rupes, & se patiuntur adiri,
Est locus Herculeis aris sacer, hunc nive dura
Claudit hyems, canoque ad sidera vertice tollit.

Has crediderim aras tum Herculi erectas fuisse cum in Hispaniam profecturus illac transiit, vel ab incolis positas ob memoriam ejus expeditionis qua Geryonem Hispaniæ & Tauriscum Galliarum Tyrannos neci dedit. Ptolomæus etiam in Assyria aram Herculi positam refert, eamque vicinam facit Mesopotamiæ, ac fortassis illæ ipsæ sunt quas Plinius in Sogdianis collocat.

Denique Plinius & Solinus in ripa Hypasis fluvii aras Herculis statuunt, easque terminos esse hujus itineris, quo usque scilicet progressus est ea parte Hercules, existimant: ut cum Columnis Herculeis ad Gades simile quidpiam habere videantur, quibus nimirum illud erat inscriptum, *NE PLUS ULTRA*. Certe eas aras Philostratus duas columnas (στήλη) vocat, ut notat Ortelius in *dictionario Geographico*.

IV. *Aræ* [illegible]

Nunc vero ad eas, quæ supersunt, Regum aut Imperatorum aras veniamus: in quibus proferendis placet Plinii verba hic præmittere, quibus ille vanam illam & nusquam ridendam satis Imperatorum consecrationem acute & eleganter sugillabat lib. VII. cap. LV. *Sic vivens Augustus, & quæ insana ambitio Herculi & Baccho blandita fuerat, sibi Cæsares decreverunt, cum privatorum quorumdam funus in Deos relatio secuta est, & post mortis tempora, vanitas sibi divinitatem mentita, Deos colendo, Deumque faciendo, qui jam homo esse desierat*. Idem prope eodem certe sensu, eademque ineptissimæ adulationis censura habet Trebellius Pollio in *Claudio* cap. III. *Adulator Senatus, adulator populus Romanus, adulatrices exteræ gentes, adulatrices Provinciæ: siquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis civitas, statuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus bonum Principem Aris ac templis honoraverunt*.

V. *Aræ Alexandri M.*

Alexandro autem Magno quis nescit aras fuisse excitatas? Quis non author tanti honoris tanto Regi exhibiti meminit? ac inprimis Cicero lib. XV. *Epist. Famil.* epist. IV. huic ad Amanum Ciliciæ montem fuisse aras positas testatur his verbis: *His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuimus, apud Aras Alexandri quatriduum*. Ammianus Marcellinus lib. XXII. ad Borysthenem amnem: *cujus*, inquit, *in marginibus nemorosis Borysthenes est Civitas & Cephalonesus, & Aræ Alexandro Magno Cæsarique Augusto sacratæ*. Sunt etiam aræ Alexandri in Carmaniæ promontorio ad fretum Persicum, ut author est Plinius in Sogdianis; in Sarmatia Europæa Ptolomæo, apud Roxolanos Orosio: ut nulla fere mundi pars tanti Regis ac victoris aras statuasque non ferat. Nam & Sueton. in *Julio* cap. VII. author est Cæsarem animadversa apud Herculis templum imagine Alexandri Magni ingemuisse: & quasi pertæsum ignaviam suam, quod nihil actum esset a se in ea ætate qua jam Alexander orbem terrarum subegisset.

Pertinaci optimo sane Principi posita fuit ara, cum donatus Apotheosi a Rom. Civibus fuit: id testatur Herodianus, & imprimis Xiphilinus his verbis: καὶ αὐτοῖς βωμὸς περίχρυσος ἐλέφαντί τε καὶ λίθοις Ἰνδικοῖς ἠσκημένος ἠκολούθει. id est, *postremo ferebatur Ara inaurata ornataque ebore & lapillis Indicis*. VI. *Aræ Pertinacis*.

Nec omitam hoc loco aram pro salute Septimi Severi, M. Aurelii Pii & aliorum fuisse erectam Romæ cum hoc titulo: VII. *Sept. Severi & aliorum*.

I. O. M. D.
PRO SALVTE AVGVS. NN.
SEPTIMI SEVERI PII
PERTINACIS
ET. M. AVRELII ANTONII.
PII FELICIS AVGVSTI ET
IVLIÆ AVGVS. ET. S. P. Q. R.
SENNIVS AVGVS. NN.
OPTIO TABELLIORUM.
STATIONIS MARMORVM.
ARAM POSUIT.

Hujus Aræ meminit Brissonius lib. I. *de Formulis*.

Antonius Bassianus, cui usus vestis *Caracallæ* cognomen dedit, etiam aras habuit, teste Herodiano lib. IV. his verbis: *Sacrificantibus* (inquit) *universis passim supra coronata altaria odores incendentibus lætum se honore illo Barbarorum magnopere simulabat*. VIII. *Caracallæ*.

Quid de Heliogabalo Imperatore dicturi sumus? qui cum bruti quam hominis nomine dignior videatur, eo tamen venit impietatis ac dementiæ, ut Deum se ferens, templum arasque sibi a Senatu extrui non tantum passus est, sed & ferociter imperavit. Verba Herodiani sunt hæc lib. IV. cap. XII. προσέταξέ τε πάντας τοὺς Ῥωμαίων ἄρχοντας καὶ εἴ τινες δημοσίας θυσίας ἐπιτελοῦσι πρὸ τῶν ἄλλων θεῶν, οὓς δὴ καλοῦσιν ἱερουργοῦντας ὀνομάζειν τὸν νέον θεὸν Ἐλαιαγάβαλον, &c. Et cap. seq. νεών βωμούς τε πλείστους περὶ τὸν νεὼν ἱδύσατο ἑκάστοτε πρωΐων ἔξωθεν ἑκατόμβας τε ταύρων καὶ προβάτων πολὺ πλῆθος κατέσφαττε. Τοῖς δὲ βωμοῖς ἐπετίθει παντοδαποῖς ἀρώμασι σπονδῶν οἴνου τε τοῦ παλαιοτάτου, &c. Id est, *Edixit item ut omnes magistratus quique publice sacra facerent ante alios Deos quorum meminisse inter sacrificandum solent, Deum Eliogabalum nuncuparent*, &c. *Templumque item maximum & pulcherrimum Deo erexit, plurimasque circum aras constituit, ad quas quotidie mane Taurorum hecatombas & ovium magnam multitudinem immolabat; coacervatisque supra aras omne genus odoribus, etiam veterrimi cujusque optimique vini plurimas amphoras profundebat*. IX. *Heliogabali*.

Denique Plutarchus in *parallelis* aræ Anchuri a Mida patre positæ meminit hisce verbis: Ἄγχουρος δὲ υἱὸς τοῦ Μίδα λογισάμενος μηδὲν εἶναι τιμιώτερον ἐν βίῳ ψυχῆς ἀνθρωπίνης, &c. χρύσεον βωμὸν ἐποίησεν. Id est, *Anchurus autem Midæ filius cogitans pretiosius anima humana nihil esse in vita, amplexu dato genitori & uxori Timotheæ eques in hiatum sese defecit: cum autem in se coivisset terra, auream* X. *Aræ Anchuri*.

Midas eo in loco posuit Aram, eamque manu tangens Jovi Idæo consecravit. Hæc ara circa id tempus quo hiare terra solebat olim lapidea fit. Stato isto tempore elapso aurea visitur.

XI. *Harum eversio.* Sed quo tandem fine mortalibus viris imo & mortuis & ut plurimum dum viverent omni vitiorum sorde inquinatissimis erigentur; quæ uni tantum, immortali & bonorum omnium authori ac fonti poni ac statui debent? nunquam erit sine modo illa hominum cum cœcitate incredibili singularis juncta impietas? tot annos, tot sæcula densissimis ignorantiæ tenebris obsitus terrarum orbis non videbit aliquando clarissimam lucem veritatis? depressæ hactenus solo & cœno hominum mentes, non assurgent, & ingerentem se ultro oculis non intuebuntur? Ecce ecce intonante Apostolo certissimo veritatis præcone & buccinatore: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*: tum vero maxime abjecta sunt ex hominum mentibus tenebrarum opera, cum aræ vanis Diis & Imperatoribus erigi desierunt; cum uni ac vero Deo strui altaria a Christianis Principibus cœperunt, & obeunte tandem superstitione, vera, pura, ac sola religio orbi terrarum illuxit. Id Prudentius *adversus Symmachum* eleganter innuit, oborta Christi Religione, Jovis aliorumque impurissimorum Deorum aras negligi, contemni, everti, despici, ac despui. ita ille:

Posthinc ad populum converte oculos, quis in urbe est,
Qui Jovis infectam sanie non despuat aram? &c.

Scimus tamen etiam Imperatores Christianos, apud quos suæ humanitatis certa fides & vera Salvatoris Religio constabat, imperii sui & suam quodammodo æternitatem voluisse adorari: non quod illi se æternos crederent; sed quod justis operibus æterna a Deo sperarent, quibus dederat in terris peritura, ut præclare ait in suis ad suam Daphnida commentariis Baltazar Vias Poeta Massiliensis: *Quo etiam loco si priscus, inquit, Zenonis auditor eos dicit primum habitos Deos a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa; non vane Magno Henrico aras sacravimus, qui felicitatem Galliæ, orbi pacem, superis invidiam (hoc ille audacius) fecerat:*

———Tibi justa quotannis
Pan faciam, & multi spumantia pocula lactis,
Ac sacro spargam regalia marmora Baccho,
Turbaque pastorum sacras decurret ad aras.

Cap. XXIX.

I. *Aræ Christianorum.* II. *Ara primogeniti Dei.* III. *Ararum Gentilium & Altarium Christianorum differentia.* IV. *Piorum animæ aræ Christi.* V. *Ara virgini parituræ.* VI. *Ara Dominæ virtutum.* VII. *Ara species carminis.*

I. *Aræ Christianorum.* CLAUDET hunc de Ara tractatum, ultimus hic de Christi Christianorumque sanctissimis aris locus: nec enim felicius stare ac quiescere potuimus quam ubi Ethnicorum cessavit impietas, & piorum vera Religio cœpit. Nato igitur in terris ex Virgine Maria unigenito Dei JESU CHRISTO, velut exorta in densissimis tenebris clarissima luce, orbis ipse universus teterrima involutus caligine, repente coruscavit: ac eversis Dæmonum aris ac fanis impurissimis, templa sanctissima, purissimæque Aræ extrui, post primam illam Crucis, cui Christus prima vere & salutaris hostia appensus est, cœperunt: quibus nimirum non pecudum, ut ante, cruor, non victimarum, sed Christi innocentissimus sanguis, qualis ex crucis primum ara stillaverat, in animarum potum scelerumque expiationem flueret. Ferunt igitur (ut author est præter Nicephorum lib. I. cap. XVII. Suidas in Aug. Historia) Augusti Cæsaris tempore cum oracula desiissent, Augustum ipsum ad Pythium accessisse Apollinem; oblataque, ut moris erat, Hecatombe, cum qui Romanorum deinceps imperium post se esset adepturus interrogaret, elinguem ac mutum stetisse Apollinem, geminatoque sacrificio cum iterum obticuisset Pythius, tandem velut fatigatum aut ipsa veritate, quæ de cœlo in has inferiores plagas despexerat, impulsum; ad hunc modum respondisse:

Παῖς Εβραῖος κέλεταί με θεὸς μακαρέασιν ἀνάασων
Τὸν δ᾽ δόμον ἀπολιπεῖν τε καὶ αὖθη αΐδος ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετεράων.
Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

Tali Oraculi responso haud leviter commotus Cæsar divinos honores tanto numini decrevit, reversusque Romam in ipso Capitolio Aram maximam exstruxit cum hac inscriptione:

ARA PRIMOGENITI DEI.

Quæ res anno circiter V. C. DCC. LII. eodem quo Christus anno natus est, fertur contigisse: ruente scilicet ad exortum tanti luminis ac numinis Gentilium superstitione. *II. Ara Primogeniti Dei.* Eodem etiam, ni fallor, referri potest eximius Virgilii locus Ecloga IV. cum is divino spiritu afflatus & excelsioris cujusdam sapientiæ œstro (ut ajunt) percitus ita vaticinatur:

Magnus ab integro sæculorum nascitur ordo:
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina, &c.

Quis autem usque adeo sensu communi caret, ut neget Poetam de Christo Enthea quadam mente fuisse vaticinatum? ferrea nimirum Paganorum gens, tormentis & cruciatibus sæviens immaniter, cessit tum primum: & purioribus ac sanctioribus (ut par erat) altaribus ac sacris, locum

dedit impura impiaque gentium superstitio.

Age vero eleganter & præclare ad hunc fere sensum Christianæ Religionis assertores disputant, ac differentes si placet audiamus. *Nullo pacto*, inquit Origenes lib. VIII. *contra Celsum, conferri debent vel nostra simulacra cum simulacris gentium, vel altaria nostra, ac suffitus, cum ipsorum cruentis aris & nidoribus, ac ne templa quidem nobis probata, cum sensu carentibus templis insensatorum hominum, quibus ne in mentem quidem venit quid sentiendum sit de Deo & de ejus statuis, templis, altaribus. Itaque non ut occulti fœderis fidem sanciamus, hac ceu tessera abhorremus, a dicandis aris, statuis, templis: sed quia per Jesu doctrinam vera pietate inventa, vitamus fucatas istas religiones, quæ impios faciunt quotquot aberrant a Religione Jesu Christi, qui solus est via veritatis. Ab aris igitur videntur abstinuisse Christiani illi primi: sed publice, sed illis quæ Ethnicorum sunt, ne viderentur superstitioni nomen dare, qui ad veræ Religionis partes accesserant.* Omnino eleganter Lactantius, quid Ethnicorum aræ sacrificiaque a nostris differant, ostendit lib. V. c. XX. *Quæ est*, inquit, *superstitio illorum Deorum? quæ vis? quæ disciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ substantia? quo tendit? aut quid pollicetur, ut ab homine possit fideliter observari, fortiter defendi? in qua nihil video aliud, quam ritum ad solos digitos pertinentem. Nostra vero Religio firma est & solida & immutabilis, quia justitiam docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud quam sanguis pecudum, & fumus, & inepta libatio: hic bona mens, purum corpus, innocens vita: illuc veniunt sine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, obscœnæ meretrices, veniunt gladiatores latrones, fures venefici, & precantur nihil aliud quam ut scelera impune committant: quid enim aliud latro sacrificans, aut gladiator roget, nisi ut occidant? quid fœnerarius, nisi ut fallat? quid meretrix, nisi ut plurimum peccet? quid adultera, nisi ut mortem viri optet, aut sua impudicitia celetur? Quid lena, nisi ut multos bonis exuat? quid fur, nisi ut plura compilet? Hic vero etiam levi communique peccato locus est nullus. Et si quis ad sacrificium non integra conscientia venerit, audit quæ illi Deus comminetur ille qui latebras cordis videt, qui peccatis semper infestus est & exigit justitiam, qui fidem poscit. Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus est?* &c.

Placet altius tanquam ad caput stylum nostrum reflectere. Idem Origenes cum pressius Celsum urget: *Post hæc*, inquit, *Celsus ait nos ararum, statuarum, templorumque dedicationes fugere, non videns pro aris nobis esse mentem cuique suam, ex qua sursum feruntur vere ac intelligibiliter suave olentes suffitus, preces e pura conscientia*, &c. Et statim: *In summa omnes Christiani conantur dedicare aras & statuas, quales diximus, non sensu & anima vacuas, nec Lurconibus, Dæmonibus, animarum seductoribus insessas, sed Dei spiritu inhabitatas.* Nec ita multo post: *Conferat igitur qui vult aras quales diximus cum Celsi aris; & statuas in animis piorum dicatas Deo, cum statuis Phidiæ ac Polycleti similiumque*, &c. ubi copiose demonstrat piorum animas esse acceptissimas Deo aras ac templa juxta illud Apostoli, *Nescitis quod templum Spiritus sancti estis vos.* Non pigebit in tam pia materia singulorum sententiam ac verba proponere. D. Hieronymus in *Comment. ad cap. IX. D. Marci*: *Altare Dei*, inquit, *est cor bonorum. Hostiæ & sacrificia bona opera fidelium.* Idem lib. I. *Comment. in c. II. Hierem.* ad hæc Prophetæ verba, *repulit Deus altare suum*, sic habet: *Mystice autem repulit Dominus altare suum, quando peccatis nostris exigentibus, quasi ingratam despicit aram cordis nostri, & avertit faciem suam a nobis, unde salvi fieri debueramus.* D. Augustinus, aut quicumque alius certe pius ac sanctus, libello *de natura & gratia* contra Pelagianos: *Templum sanctum*, inquit, *est Deo mens pura, & altare optimum est ei cor mundum & sine peccato*: & sermone CCLIV. *de temp. Videamus*, inquit, *fratres, ne forte in nobis duo sint altaria constituta, corporis scilicet & cordis nostri. Denique duplex a nobis sacrificium quærit Deus: unum ut simus casto corpore, aliud ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriori altari, id est, in corpore nostro offerantur bona opera; in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta. In altari cordis nostri jugiter quod Deo placitum est operemur*, &c. & ut ait D. Justinus Martyr in *exposit. fidei*, *Deo citra intermissionem mactemus hostiam laudis, & ut Deo sinceras preces libemus, & fragrantem operum bonorum odorem sacrificemus; ipsum in nostra ipsorum conversatione medium habentes, ipsum spirantes, ipsum cogitantes, in ipsum animos intendentes, ipsum in omnibus laudantes; beatam quippe spem, & regni largitorem supremi.* Non possum omnino omittere, quam eleganter Cicero Christianus, Lactantium intelligo, Paganorum impura sacrificia detestetur lib. V. cap. XXI. sic ille: *Adorant hostes suos, latrones & interfectores suos victimis placant, & animas suas cum thure ipso cremandas aris detestabilibus imponunt*, &c. *mactant igitur opimas & pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tanquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti.* & lib. VI. *Deus*, inquit, *non desiderat victimam neque muti animalis, neque mortis ac sanguinis*, &c. *in Aram Dei quæ vere maxima est, & quæ in corde hominis collocata coinquinari non potest sanguine, patientia, fides, innocentia, castitas, abstinentia imponitur.* Audiamus & Arnobium l. VII. *contra gentes* differentem: *Aræ istæ quas dicitis, altariaque hæc pulchra infelicissimi animalium generis victimæ, rogi sunt & busticeta, in opus structa fœdissimum, atque in sedem fabricata fœtorum.* & l. VI. ubi Christianorum causam tuetur acerrime: *In hac*, inquit, *consuestis parte crimen nobis maximum impietatis infligere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non Deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam, non altaria fabricemus, non aras, non cæsorum sanguinem animalium demus, non thura neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus. Quæ quidem nos cessamus non ideo exædificare vel facere, tanquam impias geramus & scelerosas mentes, aut aliquem sumpserimus temeraria in Deos desperatione contemptum: sed quod Deos arbitramur & credimus (si modo Dii certi sunt & nominis hujus eminentia præditi) bonorum genera hæc, aut

risui habere si rideant; aut indigne perpeti si motibus exasperentur irarum. Illud vero in primis Christianis objectum fuisse, ac sæpius vitio datum & impietati constat ab Ethnicis, quod nullas aras Deo suo ædificarent. Nam præter superiorem Arnobii locum, Cæcilius apud Minucium in eo dialogo qui *Octavius* inscribitur, in Christianos invectus acerrime id præ cæteris habet: *Cum*, inquit, *occultare & abscondere quicquid illud colunt, magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint; cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? nunquam palam loqui, nunquam libere congregari sustinent*, &c. Sed his jam satis a Lactantio factum putem. Christiani certe non habebant templa dedicata & consecrata ritu Ethnico, suas tamen basilicas, seu ut ipsi appellant *κυριακὰ* habuisse satis constat, eaque frequentasse, nisi quatenus persecutione impedirentur: tunc enim ad cryptas, ad speluncas, ad domus privatas confugiebant. Hinc D. Augustinus contra Donatistas, domum privatam Christianis congregandis præstitam constitit tempore persecutionis. Tertullianus Christianos iis etiam temporibus quibus id impietatis loco objiciebatur, habuisse aras testatur hoc modo cum de Stationibus: *Similiter de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum; quod statio solvenda sit accepto corpore domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? accepto corpore Domini & reservato, utrumque salvum est; & participatio sacrificii, & executio officii*. Ergo Christiani aras habuerunt, & ad eas statis diebus sumpturi sanctissimam Synaxim accedebant. Nec placet Rigaltii ad superiorem Tertulliani locum expositio, quamquam & ipsa salva Christianorum Religione admitti possit, ut per Aram Dei sanctissimæ Eucharistiæ, hoc est, Christi Domini mensam intelligamus: Sed aram, sed altare Dei: ad quam accedebant, stabant, preces fundebant Christiani. Illic jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari Christiani consueverant, ut est apud eundem Tertullianum lib. *de Pœnitentia*. Imo & osculis aras illas honorabant, ut est author D. Ambrosius in epistola *ad Marcellinam sororem*, ubi ostendit Militum oscula aris impressa sub Valentiniano Imperatore in argumentum pacis: *Certatim*, inquit, *hoc nunciare milites, irruentes in altaria osculis significare pacis insigne*. Ex his quanto prosequerentur odio infandas illas & sceleratas Ethnicorum aras, qui primi Christianæ pietati ac veritati nomen dederant, qui suas tamen, hoc est, Deo vero & immortali erectas aras religiosissime coluerunt, patet manifeste. In mediis tamen impietatis tenebris, aliqua semper veritatis scintilla effulgebat.

Nam ut Sibyllas prætermittam, quæ fatidicis versibus, ruituram aliquando Deorum superstitionem nascente Christo prædicabant; inventa inter effodiendum & alia veræ Religionis signa & argumenta, cujusmodi ferunt Carnutibus repertam olim aram a Druidibus opinor positam, cujus hæc erat inscriptio:

V. *Ara Virgini pariture.*

ARA
VIRGINI
PARITURÆ

Alii imaginem beatissimæ Virginis læva puerum gestantis cum eo titulo VIRGINI PARITURÆ fuisse ajunt. Quidam ipsum quod tota Gallia augustissimum antiquissimumque est templum in honorem Virginis dicatum Pariturae, ante Christum natum, cœptum eo titulo, de quibus adeundus Rovillardus *antiquitatum Carnutensium* Scriptor celebris.

Hæc ara in mentem revocat Aram Dominæ virtutum, quæ multorum frequentia & votis celebris est: tribus circiter milliaribus a Lutetia Parisiorum distans. Hanc eleganti versu, Joannes Bonefonius filius apud Barrosequanos olim judex regius (cujus ego cum Trecis agerem familiari consuetudine sum usus) exornavit. ita ille:

ARA DOMINÆ VIRTVTVM.

VI. *Ara Dominæ Virtutum.*

ARA Lutetiacæ felix vicinia gentis
Tot rerum fama celebris, quam plurima turba
Hinc illinc veniens concursu ingente salutat,
Votivisque onerat donis ac lampade multa.
Te quoque te supplex veneror, laudamque tuarum
Carmen, odorato thuris pro munere, lætus
Ecce fero, pectusque sacro nunc igne calescens.
ARA salutiferæ sedes dilecta Parenti
Haud te miror ego, pario quod tota renides
Marmore & aurato cultu, quod celsa serenæ
Virginis effigies solio candente recumbit,
Ut Regina potens placido gratissima vultu:
Parvus ei lævam radiosus vertice Christus
Occupat, extollit viridantem dextera palmam,
Palmam fœminei præclarum insigne triumphi.
Serta coronatam decorant gemmantia Matrem,
Cujus adorantes inflexo poplite numen
Conspicuumque caput majestatemque benignam
Apparent gemini latere ex utroque ministri
Pennigeri, pictis insignes vestibus ambo,
Ceu dominæ starent peragenda ad jussa parati
Formosi juvenes; blando quæ saxa videntur
Ore loqui, vocesque pias audire precantum.
Hoc etiam liquidis altare coloribus aptum
Spirantem ostendit Nympham, quam nuntius ales
Affatur, radiante puer demissus ab æthra,
Conciliatque novos sponsi cœlestis amores.

A *Illum auræ ſequitur fulgor flammæque nitentis,*
Exhalante Deo: ſpeciem gerit ille columbæ
Spiritus, inque ſinum pulchræ volitare puellæ
Lætior aſpicitur; ſtare haud procul inde columnis
Marmoreis alios, ex ære nitentia ſigna,
Germanos famulosque poli mirare volucres
B *Quattuor, ut Divæ excubias ſacraria circum*
Fixas æquali ſpatio, queis fulgida dextras
Lilia pro jaculis armant. Labor ille ſuperbus
Mirifice ſplendet divina conditus arte.
Immenſas operi pius impendiſſe ſacrato
Montholonus opes laudatur ab arce propinqua,
Qui villæ & toti juſtiſſimus imperat oræ,
Et fortunatos ſervat, ſua regna, colonos.
C *O celebranda viri pietas cœloque beanda*
Tantum cui debet mirabilis ARA decorem!
Sed miranda magis virtus ſanctique poteſtas
Illa loci, unde ſalus multis languentibus orta.
Scilicet his adytis fugiunt morbusque dolorque
Ærumnæque graves, & tot mala neſcia vinci
Humanis opibus, manibusque herbisque Medentum.
D *Hic etenim perhibent Magnæ poſt rite vocatum*
Virginis Auxilium, nullo diſcrimine ſolvi
Difficilem partu Lucinam, uterique labores,
Nec non infantis nativa ſilentia linguæ
Vinculaque abrumpi, ſimul & prædulcis ab ortu
Exortes vitæ pueros, functosque ſub undis
Rurſus ad ætheriæ ſpirantes ſurgere lucis
E *Munera, mœſtorum precibus conceſſa parentum.*
Sed quid ego hæc memoro! paſſim en miracla fatentur
Affixæ templo tabulæ: mille ecce figuras
Membrorum, præſente vigor qui venit ab ARA
Fulcraque loripedum paries pendentia monſtrat.
Qui bene ſperatum non retulit inde levamen?
F *Quem non damnavit voto clementia Divæ?*
Quin & ruricolæ cum filia poſceret imbrem,
Et calatho flores ante hæc altaria fundens,
Exoraſſe ſimul vidit: nam dius oborto
Stillavit nimbo lapis, & dedit omen imago
Roſcida mox pluvio labentis ab æthere lymphæ,
Deſuper exuſtas ſegetes, & hiantia late
Arva ſiti: irriguis maduit lætiſſima tellus
Nubibus, atque hilares redivivo gramine campi
Riſerunt, rediitque . . . . ſpes alma fugato
Gentibus attonitis: huc omnis Regia fluxit
Muneris illius memor, ac ſolennia dona
Reddidit, immixtæque choris agreſtibus urbes.
Haud unquam ceſſas miſeris ſuccurrere virgo;
Atque ideo populus merito te nomine dicit
VIRTUTUM DOMINAM, *ſervatricemque ſalutat*
Æde frequens iſta qua vix tibi gratior ulla eſt
Lætitiana licet vel Lauretana faventem
Sit toties experta domus, licet ipſa vetuſto
Hoſpitio, thalamoque ſuæ ſe jactet alumnæ,
Quo Rex ſidereus caſtam deſcendit in alvum
Teque afflavit amans penitus, gravidamque reliquit
Ambroſio fœtu, nivei ſine labe pudoris.
Hæc pariter tibi tecta placent, hisque optima gaudes
Delubris ARISque coli, tot numen amicum
Divinis teſtata modis, quos cernimus antro:
Rarus honos, raræ queis ſors ea contigit ædes.
Salvete Auguſtæ penetralia templaque Matris,
Religioſus ubi ſeſe exultantibus ardor
Cordibus inſinuans cœli ſpes ingerit altas.
Tuque petens ſalve genitrix, tu gloria Divum,
Tu Regnantis amor Nati, Patrisque voluptas,
Te ſceptri agnoſcunt ſociam, Natusque Paterque,
Tu ſublime jubar radiis circumque ſupraque
Indueris, plantisque premis fulgentibus aſtra.
Quo ſe acies tollit! parce o nimis alta petenti
Parce o Diva, tuos optanti promere honores,
Quos ſuperum tentare chorus vix inclytus audet,
Lucivomum quamvis os contempletur. At illinc
Aſpice nos vultu, quo nubila nigra ſerenas,
Lethiferum hinc bellum, morbos, peſtemque, famemque,
Errorumque nefas, dirumque expelle furorem.
Et caſus averte omnes, nec deſere terras:
Per te Chriſticolæ maneant in pace Beati,
Et magis atque magis vigeat Romana per orbem
Religio, victrixque Fides: clamantibus adſit
Semper & aſſiduis hæc fulgeat ignibus

ARA.

VI. *Ara species carminis.* Denique (ut tandem aliquando huic de ARA libello finem statuamus) Aram vocant carminis nescio quod genus, quo vel tanquam tumulo demortui hominis memoria signatur; vel tanquam Ara virtutes consecrantur. Debet autem ita componi & construi, ut imparibus lineis aut versibus, ARÆ quodammodo fabricam & figuram exprimat exhibeatque legentibus.

CAP. XXX.

DERELICTA.

I. *Aræ in castris*. II. *In adventu Principum*. III. *Augusto & Romæ commune templum*. IV. *Ara æternæ dominationis Claudio*. V. *Ara & Templum Neroni*. VI. *Mulieres sacerdotes*. VII. *Ara gentis Juliæ*. VIII. *Ara Auguralis*. IX. *Aræ humanis victimis frequentatæ*. X. *Arbores consecratæ*. XI. *Aræ fontibus & fluviis*. XII. *Ara cœlesti Deæ*. XIII. *Ara Dearum matrum*. XIV. *Belenus quis?* XV. *Ara Cardinalium* BERULLI, & RICHELII.

FECIT Authoris ab Typographo absentia, ut hæc quæ sequuntur velut ab integro opere inter excudendum derelicta, hic ad calcem libri seorsim & promiscue adponerentur; non ita opinor indigna, quæ vel sic legerentur: donec, si ita Musis visum, & hæc ipsa, & quæ passim sparsa colligentur alia, suo omnia ordini & loco, secunda editio restituat. Nec tu, amice Lector, rerum seriem aut ordinem quære in iis quæ præter ordinem composuimus. Abrupta omnia, & suis quasi sedibus avulsa membra sunt, quæ hic congerentur aptius, quam si omnino projicerentur.

I. *Aræ in Castris.* Aras igitur quæ Pacis symbola sunt, etiam in castris armatos inter reperio. Quamvis enim non ita passim familiaris sit & frequens eorum qui militiæ nomen dederunt pietas sacrorumque cultus, tamen olim armis ferox miles ut Religione mitesceret, Aræ Deorum ipsis in castris erectæ sunt. Mitto eas quæ ante Romanæ urbis originem Diis communibus positas ab Latinis & Trojanis inter densas armatorum copias refert Virgilius lib. *Æneid.* XII. nam de talibus aris fuse satis supra disseruimus. Tacitus lib. *Ann.* I. ubi de Planco Germanici Legato, quem orta Militum seditione pene cæsum fuisse testatur, Castrenses Aras disertis verbis nominat: *ac ni*, inquit, *Calphurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, Legatus Popul. Rom. in castris, sanguine suo altaria Deum commaculasset*. Has ego Aras existimo fuisse non modo Aquilarum, & Castrensium Deorum, sed etiam Principum & Imperatorum, quorum effigies in signis erat. Idem censet in *Romana militia* Lipsius dialogo IV. libro V. Plinius Secundus in *Panegyrico ad Trajanum Imperat.* Aras illas Castrenses haud dubie intelligit, ad quas adoptatum a Nerva eundem Trajanum fuisse ait his verbis: *Non enim occulta potestate Fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus electusque est: quip-* A *pe inter Aras & altaria, eodemque loci, quem Deus ille tam manifestus ac præsens, quam cœlum ac sidera insedit*. Quæ Trajani adoptio, postea in ipso Capitolio confirmata est: *Itaque non tua*, inquit Plinius, *in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem torum, sed ante pulvinar Jovis Optimi Maximi adoptio peracta est, qua tandem non servitus nostra, sed libertas & salus & securitas fundabatur*.

II. *Aræ in adventu Principum.* Frequens etiam Antiquis faustos & lætos Principum adventus, præsertim si vi- B ctores ex acie reverterentur, Ararum erectio excipiebat: atque ego illam fuisse arbitror fœdam ac veterem adulationem, quam in adventu Regum & Principum suorum, Græci Latinique usurparunt: quamquam eorum, quibus eæ passim aræ erigerentur, superbiæ magis, quam adulationi populorum, illud ipsum tribuendum esse jure quis putet. Nam tales aræ non nisi jussæ & imperatæ passim struebantur. Id clare Justinus lib. XXIV. *Arsinoe*, inquit, *prægressa virum, festum diem urbi indicit, domos ac templa cæteraque* C *omnia exornari jubet, aras ubique hostiasque disponi*. Modestiores tales sibi erigi aras patiebantur magis quam imperabant; nec tamen id sine reprehensione teste Valerio Max. lib. IX. de Luxuria: *Quid sibi*, inquit, *voluit Princeps suorum temporum Metellus Pius, cum in Hispania adventus suos ab hospitibus Aris & thure excipi patiebatur*. Has deinde Aras publicane erexerit adulatio, an Principum ambitio coegerit, non ita facile est judicatu, utro nomine id factum C. Cæsari a Gallia reduci non satis scio. Hirtius libro VIII. D eum non templis modo & aris, sed omnibus passim locis hostiis & victimis exceptum testatur his verbis: *Multitudo obviam procedebat: hostiæ omnibus locis immolabantur, Tricliniis stratis fora templaque occupabantur*. Idem de Caligula refert Suetonius cap. XIII. *Inter altaria & victimas ardentesque tædas, densissimo & lætissimo obviorum agmine incessit*. De Galba item cap. XVIII. *cum per omne iter dextra sinistraque victimæ oppidatim cæderentur*. Quod ipsum etiam Vitellio factum testatur Taci- E tus lib. *Hist.* II. cap. LXX. post Bedriacensem pugnam victo Othone, his verbis: *Nec minus inhumana pars viæ, quam Cremonenses lauro rosisque constraverant, exstructis altaribus, cæsisque victimis, regium in morem: quæ læta in præsens mox perniciem ipsis fecere*. Lipsius ad hunc Taciti locum, Aras istas ait Vitellii genio & victoriæ fuisse erectas. Hunc morem præclare confirmat illustratque insignis Plinii Junioris locus in *Panegyr. Traj.* *Quæ circumstantium*, inquit, *gaudia! quam recens clamor! quam similis illi dies qui hunc ge-* F *nuit diem! ut plena altaribus, angusta victimis cuncta! ut in unius salutem collata omnium vota!* &c. atque ut Plinium de Trajani adventu loqui intelligas, præmiserat: *tam æqualiter ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta est, quam omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac prope in singulos gradus adaucta est*. Idem fere habet alius *ad Maximianum Imperat.* Panegyristes, his verbis: *Totam hanc urbem repentina tua in hostes eru-*

ptione sollicitam, lætitia & exultatione, & aris flagrantibus, & sacrificiis, & odoribus accensis numini tuo implesti, &c.

III. *Augusto & Romæ commune Templum.* Notanda Augusti Cæsaris in recipiendis qui sibi passim deferebantur divinis honoribus modestia. Hic ut patet ex Suetonio cap. LII. ne templa quidem, quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen Provincia nisi communi suo Romæque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore, atque etiam argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes. Extant Denarii veteres, in quibus Templi forma cum hac inscriptione: COM. ASIÆ ROM. ET AUG. ut est apud Dion. lib. LI. in actis anni DCCXXV. eo spectat quod in lapidibus legimus, FLAMINI ROM. ET AUG. & apud Rufum Templum Romæ & Augusti in ipsa urbe, meminit & hujus rei Tacitus *Annal.* lib. IV. ubi Tiberius recusato Hispanorum in re simili honore ita de Augusto: *Cum Divus Augustus sibi atque urbi Romæ Templum apud Pergamum sisti non prohibuisset; qui omnia facta dictaque ejus vice legis observem, placitum jam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio Senatus adjungebatur. Cæterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes Provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum, & vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur.* Adverte hic Tiberium ab Asiæ civitatibus eum honorem qui Aug. delatus fuerat, recepisse; non sine tacita Romanorum offensione, unde idem Tiberius apud Tacitum: *Scio P. C. constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiæ civitatibus nuper istud petentibus, non sim adversatus*, &c.

IV. *Ara æternæ dominationis Claudio.* Templum etiam Divo Claudio fuisse erectum idem refert Tacitus XIV. *Annal.* his verbis: *Ad hæc Templum Divo Claudio constitutum, quasi Ara æternæ dominationis aspiciebatur, dilectique sacerdotes specie religionis, omnes fortunas effundebant.* Templum hoc Camaloduni in majore Britannia visebatur. Notandum vero ex Lipsii ad Tacitum notis, quod in Tacito est *Ara dominationis*, rectius forsan *Arra* reponendum, quasi id templum pignus fuerit & arrabo æternæ servitutis, quanquam & aram habuisse in Britannia Claudium idem Lipsius fateatur. quod confirmat Senecæ in *Menippæa* authoritate: *Parum est*, inquit Seneca, *quod Templum Claudius in Britannia habet, quod hunc Barbari colunt, & ut Deum orant.* Profert ad hæc Lipsius Poetæ ejus ævi ad Claudium Distichum:

Oceanusque tuas ultra se respicit Aras
Qui finis mundo est, non erit imperio.

V. *Ara & Templa Neroni.* Neroni etiam, Deus bone cui Monstro! Templum exstructum. *Reperio*, inquit Tacitus *Annal.* lib. XV. *in Commentariis Senatus, Cerealem Anicium Cos. designatum pro sententia dixisse, ut Templum Divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. quod quidem ille decernebat tanquam mortale fastigium egresso & venerationem hominum merito; quod ad omnia olim sui exitus verteretur: Nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Pulchre & apposite ad hunc sensum Tertullianus alicubi: *Si non de mendacio erubescit ejusmodi adulatio, hominem Deum appellando: timeat saltem de infausto. Maledictum est ante Apotheosin Deum Cæsarem appellare.* Modestius & verius apud Tacit. lib. IV. *Ann.* Tiberius cum eum honorem procul a se amoveret aspernando: *Ego me P. C. mortalem esse & hominum officia fungi; satisque habere, si locum principem impleam & vos testor, & meminisse posteros volo. qui satis superque meæ memoriæ tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies & mansuræ: Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur*, &c.

VI. *Mulier. sacerdotio functa.* Quis vero non rideat Poppææ Filiæ trimestris infantis lepidam apotheosin? Hanc Nero ex Poppæa Pellice habuit repudiata Octavia honestissima muliere, appellavitque Augustam: quæ quartum intra mensem defuncta, aras, templa, imo & sacerdotes habuit, ut author est Tacitus lib. *Annal.* XV. his verbis: *Rursus exortæ adulationes censentium honorem Divæ & pulvinar, ædemque & sacerdotem.* Mulierem certe vel, ut infantulæ ætatis habeatur ratio, puellam. Nam & mulieres sacerdotio functas reperio, ut constat ex marmore quod Romæ repertum profert Lipsius in *excursibus ad C. Tacitum:*

P. POSTHVMIÆ. P. F. PAVLLÆ.
SACERD. D. IVLI. AVGVST.

Item in Hispania alicubi:

LVCR. L. F. CAMPANA
FLAMINIA. PERPETVA
DOMVS. AVGVST.

Lipsius *ad* XIII. *Annal.* ad hæc verba de Agrippinæ honoribus, *Decreti & a Senatu duo lictores, Flaminium Claudiale*, &c. existimat id a Tacito dici quasi Agrippina Claudii fuisset Flaminia, exemplo Liviæ quæ Augusti Sacerdos fuit, ut constat ex Vellejo lib. II. *Livia*, inquit, *Romanorum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos sacerdotem ac Filiam*, &c. Vide & Dionem lib. LVI. quod ipsum præter aras sacerdotium, Nero Agrippinæ matris necem machinans intelligebat his ex Tacito verbis *Ann.* lib. XIV. *Additurum defunctæ Templum & aras & cætera ostentandæ pietati.*

VII. *Ara gentis Juliæ.* Postulat hic locus ut Aram Gentis Juliæ tot apotheoseωn exemplis annectamus. Hanc ex monumento quodam eruimus, quod Aquilejæ repertum, & cujus exemplar a Fulvio Ursino sibi traditum fuisse scribit Lipsius *ad Tacitum* lib. II. *Histor.* cap. C. ubi de Lucilio Basso, cujus meminit Epigraphe, hoc modo:

IMP. CÆSAR VESPASIANVS.
AVG. PONT. MAX.
TR. POP. II. IMP. VI. P. P. COSS.

III. DES. IIII. VETERANIS. QVI. MILITAVERANT. IN. CLASSE. RAVENNATE. SVB SEX. LVCILIO. BASSO. QVI. SENA. ET VICENA. STIPENDIA. AVT. PLVRA. MERVERVNT. ET. SVNT. DEDVCTI. IN PANNONIAM. QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET CONNVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AVT. SI. QVI

QVI. CÆLIBES. ESSENT. GVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVNTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. NON. APRIL. CÆSARE. AVG. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COSS. ILATORI. VENETI. F. CENTVRIONI AMEZEIO DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA. ÆNEA. QVÆ. FIXA. EST. ROMÆ. IN. CAPITOLIO. AD. ARAM. GENTIS. IVLIÆ. DEFORAS. PODIO. SINISTERIORE. TAB. T. PAG. II. LOC. XXXXIIII. Hæc Lipſius.

VIII. *[A]ra auguralis.* Quid vero illa Ara Auguralis, cujus mentionem facit Tacitus *Ann.* lib. xv. an ea ad quam Augures præmiſſis rite ſacris & precationibus vaticinari conſueverant? Certe Aras in captandis auguriis ſtructas, probi authores paſſim teſtantur. Seneca in *Oedipo* de Tireſia vaticinante:

Tir. *Adpellite Aris candidum tergo bovem.*
Curvoque nunquam colla depreſſum jugo.
Man. *Opima ſanctas victima ante Aras ſtetit.*
Tir. *In vota ſuperos voce ſolenni voca.*
Araſque dono thuris Eoi extrue, &c.

Lucanus lib. I. de Tuſcis Haruſpicibus:

——— *Sacris tunc admovet Aris*
Electa cervice marem, &c.

Hanc disertis verbis nominat Tacitus: *Addidit*, inquit, *gloriæ Corbulo civitatem epulaſque, & rogitante Rege cauſas quoties novum aliquid adverterat, ut initia vigiliarum per Centurionem nunciari, convivium buccina dimitti, & structa ante Auguralem Aram ſubdita face accendi*, &c. Lipſius locum hunc animadverſione dignum cenſet, legitque *ſtructam ante augurale aram ſubdita face accendi*, & Augurale locum in dextra Prætorii parte fuiſſe docet. Idem acute advertit ad hunc Taciti locum, ubi epulas & convivia quibus Tiridates a Corbulone exceptus eſt, nominat, Aram Conviviorum extitiſſe. Quis enim alius, inquit, iſte ritus? niſi fallor ille ipſe qui in privatorum etiam conviviis carpendi aliquid e dapibus & libandi in honorem Deorum. Hoc tamen diſcrimine, quod vulgo in focum libamenta ea illata, ſedem ſcilicet Larium; hic in Aram paulo auguſtius pro ſplendore Imperatoris. De hoc more Silius Italicus lib. VII.

Diſtinxit dulces epulas, nulloque cruore
Polluta caſtus menſa Cerealia dona
Attulit, ac Primum Veſtæ deterſit honorem
Undique & in mediam jecit libamina flammam.

Meminit & Livius lib. XXXIX. ubi inter pocula atque epulas, libare Diis dapes & bene precari morem fuiſſe refert. quæ opinor libamina in patillis poni ac deferri conſueviſſent. Hinc Dii *Patellarii* apud Plautum; hinc apud Varronem Deos colere, & dare in patellam μικρὸν κρέας, & apud Perſium Saty. III.

——*Cultrixque foci ſecura Patella.*

Non omittam pervulgatum Græcorum morem, qui diſceſſuri e convivio libabant Jovi Servatori. Athenæus lib. xv. in *fragm.* Τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προσδιδομένῳ ποτηρίῳ Διὰ Σωτῆρα ἐπιλέγουσι. Suidas etiam: ἔθος εἶχον οἱ παλαιοὶ μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν ἀγαθοῦ δαίμονος. ἄλλοι δὲ φασι τὸ πρῶτον ποτήριον οὕτω λέγεσθαι, χωρίζεσθαι δὲ μέλλοντες Διὸς Σωτῆρος. Vide Eraſmum in chiliade II. cent. VIII. in proverbio *Servatori tertius*. Eo alludentes viri Magni e vita velut e convivio diſceſſuri dicebant libare ſe liquorem Jovi Servatori, aut rectius liberatori. Id Seneca & Thraſeas apud Tacitum *Ann.* lib. xv.

Execrandas & abominabiles aras eaſque humanis tinctas hoſtiis hic apponere, refugit ſtylus, animus abhorret. Sed eæ paſſim a Veteribus frequentatæ nondum orta Chriſtianæ pietatis inter homines luce. Tac. lib. XIV. *Annal.* de Britannis: *Exciſi*, inquit, *luci ſævis ſuperſtitionibus ſacri: nam cruore captivo adolere aras & hominum fibris conſulere Deos, fas habebant.* De Germanis idem Tacit. libello *de morib. Germ. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Id genus ſacrificii Gallis etiam familiare extitiſſe authores ſunt Cæſar, Florus, aliique complures. Procopius lib. XI. *de bello Gothico* ait, Francos etiamſi jam Chriſtum colerent, humanis tamen ad ſuum ævum hoſtiis uſos. Idem de Gothis refert Jornandes: *Martem*, inquit, *ſemper aſperrima placavere cultura: nam victimæ ejus mortes fuere captorum.* Ditmarus lib. I. Normanos & Danos quotannis menſe Januario Diis ſuis immolaſſe XCIX. homines, totidem equos, cum canibus & Gallis, ab eaque barbarie Henricum Aucupem primum eos abduxiſſe. Nefanda autem illa ſacra e Syria primum in Africam, inde in Europam migrarunt. Illic Saturno, qui in ſacris Moloch dicitur, infantes erant hoſtiæ. De pœnis qui Syrorum Colonia, Ennius:

Ille ſuos Divis mos ſacrificare puellos.

ut eſt apud Nonium Marcellum verbo *Puellis*. Peſcennius Feſtus apud Lactantium *divin. inſtit.* I. cap. XXI. refert Carthaginienſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare: & cum victi eſſent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe, itaque ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe. Qui liberis carebant, ii a pauperibus emebant ut mactarent. D. Athanaſius orat. *adverſus Græcos*: Φοίνικες, inquit, καὶ Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἐθρήσκευον. De iiſdem Juſtinus l. XVIII. *Cum inter cætera mala etiam peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione & ſcelere pro remedio uſi ſunt. Quippe homines ut victimas immolabant, & impuberes (quæ ætas etiam hoſtium miſericordiam provocat) aris admovebant, pacem Deorum ſanguine eorum expoſcentes, pro quorum vita rogari Dii maxime ſolent*, &c. Plura ad hanc rem de pœnis habent Diodor. Sicul. Cyrillus *adverſus Julianum* lib. IV. Euſebius *de præpar. Evangel.* IV. Minutius Felix & alii. Ad Tiberii uſque tempora duraſſe impium illum morem in Africa ſcribit Tertullianus in *Apologet.* cap. IX. cum tamen etiam in fœdere quod icerunt Carthaginienſes & Gelo Tyrannus Syracuſanus, cautum eſſet, ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσονται τῷ Κρόνῳ καταθύοντες. Quod ſcribit Plutarchus, de impiis illis ſacris dictum in veteri inſtrumento, *& immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* Pios ſe tamen exiſtimabant, ſi tam execrabilibus aris aut infantes ſuos, aut bello captos immolarent.

IX. *Ara humanis hoſtiis frequentata.*

Æneam maximum pietatis apud Maronem *Æneid.* I. exemplum in medium proferamus. Rex ille,

—— quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Quæ nobis justitiæ aut pietatis documenta protulit?

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias cæso sparsurus sanguine flammas.

Quid potest esse hac pietate dementius, quam mortuis humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tanquam oleo pascere? sed fortasse hoc non ipsius vitium fuerit, sed poetæ, qui illum insignem pietate virum insigni scelere fœdaverit. ubi est igitur, o Poeta, pietas illa quam sæpissime laudas? Pius Æneas,

—— —— Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Cur ergo dicebat eodem ipso tempore, quo vinctos homines ipsos ad immolationem mittebat, *equidem & vivis concedere vellem*, cum quos vivos habebat in potestate, vice pecudum juberet occidi? sed hæc, ut dixi, culpa non illius fuit, qui literas fortasse non didicerat, sed tua, qui cum esses eruditus, ignorasti tamen quid esset pietas, & illud ipsum quod nefarie, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti. Vide licet ob hoc unum pius vocatur, quia patrem dilexit, &c. apud Lactant. lib. V. *de justitia* cap. X.

Eæ porro Aræ humanis (ut dictum est) victimis olim frequentatæ, ut fera ac bruta fuisse sacra intelligas, in sylvis extruebantur. *Excisique luci*, inquit Tacitus, *sævis superstitionibus sacri, ubi cruore captivo adolere aras*, &c. qui mos ex eodem Tacito Germanis fuit familiaris: *Germani*, inquit, *lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Fatuam inquit Lipsius Religionem, quam Claudianus item iis exprobrat *de laudib. Stilic.* lib. I. his versibus:

Ut procul Hercyniæ per vasta silentia sylvæ
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Religione truces, & robora numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impune secures.

Bene ergo & merito *Religione truces* eos fecit Claudianus, quoniam victimæ, imo & ipsi homines ad arbores has immolari consueverant. Idem fere habet Lucanus de Massiliensibus, lib. III.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Hunc non Ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani, Nymphæque tenent; sed barbara ritu
Sacra Deum, structæ sacris feralibus aræ,
Omnis & humanis lustrata cruoribus arbos.

X. *Arbores consecratæ.* Locum hunc haud parum illustrabit Tyrius Maximus, qui Celtas excelsam quercum coluisse ait, & Jovis nomine solenniter appellasse. Mansit etiam ævo posteriori hic cultus, ut patet ex hac Luitprandi Longobardorum Regis lege, *qui ad arborem, quam rustici Sanctivum vocant, adoraverit, vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii sui in sacro Palatio.* Id familiare etiam Batavis innuit Tacitus lib. IV. *Hist.* ubi Batavi Civilem specie epularum in nemus vocasse referuntur. Sed quid barbara sacra, & ritum barbaricum vocant nuper laudati Poetæ? quasi vero ipsi etiam Romani in eadem non fuerint navi? audiamus Plinium de arboribus: *Hæc fuere*, inquit, *Numinum Templa, priscoque ritu etiam nunc simplicia rura, Deo præcellentem arborem dicant.* Seneca idem fere habet epist. XLI. *Si tibi occurrit vetustis arboribus & solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas sylvæ & secretum loci, & admiratio umbræ fidem numinis facit.*

Quid dicam Fontibus & Amnibus aras fuisse positas? *Magnorum fluminum capita veneramur*, inquit idem Seneca loco cit. *subita & ex abdito amnis eruptio Aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quædam, vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit.* quo etiam sensu aquam sacram Horatius appellavit lib. I. od. I. XI. *Aræ fontibus & fluviis erectæ.*

—— Nunc ad aquæ lene caput sacræ.

Plinius lib. VIII. de Clitumno: *Pons*, inquit, *terminus sacri prophanique: in superiori parte navigare tantum, infra etiam natare concessum est*, &c. Idem de Vadimonis lacu: *nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulæ.* Hoc igitur quondam prohibitum religione Veterum, in quibusdam scilicet navigare & natare aquis. unde Tacitus lib. *Annal.* XIV. refert Neronem fontem aquæ Martiæ natatione polluisse hoc modo: *Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Martiæ ad urbem deductæ nando incesserat, videbaturque potus sacros & cæremoniam loci corpore toto (rectius forsan loto) polluisse; secutaque anceps valetudo iram Deum affirmavit.* Ex his colligere est fontes & capita aquarum priscis sacra extitisse, adeo ut in iis natare nefas esset.

Aras Cœlesti passim in Africa excitatas prætermittere nullo modo possum, nec eas quæ Deabus etiam Matribus olim erectæ sunt. Pœnorum Cœlestis Dea sæpius Tertulliano in *Apologetico*, & Salviano lib. VIII. *de providentia*, aliisque authoribus memoratur, ubi vir eruditissimus P. Pithœus veterrimi exemplaris authoritate nixus Cœlestem genere fœminino legendum esse monet. Huic Ara fuit etiam in littore Britanniæ occidentali (Lancastrensem agrum vocant) ibidemque ab incolis magna veneratione culta, ut author est Seldenus *syntag.* II *de Diis Syris.* Et vetus Romæ extat monumentum ita conceptum: XII. *Aræ cælesti Deæ.*

INVICTÆ
CÆLESTI
AVR. ONESI-
MVS. D. D.

Hujus Cœlestis Deæ diserte meminit Herodianus ubi de simulacro ejusdem Deæ (quam Uraniam Africanam vocat) ab Antonino Imperatore Romam translato agit lib. V. cap. XV. his verbis: Φασὶ δὲ αὐτὴν Διδὼ τὴν Φοίνισσαν ἱδρύσασθαι, ὅτε καὶ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα

πόλιν ἔκτισε, βύρσαν κατατεμοῦσαν. Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι, Φοίνικες δ' Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, Σελήνην εἶναι θέλοντες. Simulacrum Uraniæ, inquit Herodianus, *jussit afferri quod scilicet Cartaginiensibus venerabile omnique Africæ, positum fuisse a Phœnissa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem dissecto corio ædificavit. Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchem*, (rectius Astartem) *Lunam esse affirmantes*. Hæc etiam DEA SYRIA passim vocata, & Astarte, ac deinde Mater Deum, posteaque sexcentis cognominibus indigetata. Hinc fortassis conjectura sumi possit,
III. quænam sint Deæ Matres & Dii Syri veteribus aris memorati. quot enim nomina, tot habitæ Deæ, tot Matres. Mentio sane Dearum Matrum in Plutarchi *Marcello*, ubi de Enyo Siciliæ oppido: Et *τὰς θεὰς γενετυλλίδας* habet Pausanias in *Atticorum* initio, quæ idem sonare possunt. Cæterum hocce ævo antiquitatis studiosissimo, plurimæ Deabus Matribus insculptæ Aræ in Europa repertæ sunt. Has apud Gruterum & Smetium videre licet. Maximam autem & pulcherrimam Dearum Matrum Aram meminit a se visam in Brigantibus vir clarissimus G. Camdenus Anglorum Livius, etiam ad majorum animalium sacrificia peragenda aptam, & a M. Ingenuo Asiatico sacratam. Hanc in Lancastria esse, alteramque docet in agro Dunelmensi. Tertiam profert Seldenus loco citato his verbis exaratam in Cambria:

DEABVS MATRIBVS
TRAMAI. VEX. GERMA
PV. R. D. PRO SALVTE
R. FV. S. L. M

IV. Non recedam a Britannis, quibus, ut & Gallis, ac potissimum Armoricis, Dii erant ABELLIO, BELENUS, sive BELINUS: quod non ex prisca solummodo historia passim, sed ex vetustissimis etiam inscriptionibus constat. Adde si vis & eam, quæ in Cumbrorum Provincia adhuc visitur, Aram ad hunc modum incisam:

D E O
SANCTO BELA
TVCADRO
AVRELIVS
DIOTAVA ARAMEX
VOTO POSVIT
LL. MM

Et in eodem agro alteram non ita pridem effossam:

DEO BELATVCADRO
LIB. VOTVM
FECIT IOLVS

Hanc item:

BELATVCADRO
IVL. CIVILIS OPT
V. S. L. M

Quæ ultima sub Commodo Imperatore ducentis plus minus a Christo annis dedicata videtur esse. Hunc vero eundem esse cum Beleno credibile est, ut idem numen variatis appellationibus distinctum videatur. Belis autem & Belenus Apollo est. *Βέλιν*, inquit Herodianus, *δὲ καλοῦσι τοῦτον, σέβουσι τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες*. Numismati insuper Cunobelini Regis Britanni (cujus ab hoc nomine augustius nomen) Apollo seu Belenus insculpitur lyram pulsans. Etiam Cretenses Apollinem seu Solem Α*βέλιον* vocabant, teste Hesychio.

Quam lata igitur fuerit ejus nominis per Europam propago ex his licet satis conjectare. Nec omnino obstat tam varia sive scriptio, sive pronunciatio, sive terminatio vocabulorum. Depravata enim plerumque ex Asia in Europam, perinde ac ex Europa in Asiam transmigrant, quæ sunt ejusmodi: ut non amplius sit hæsitandum, quin ex uno Belo, id est, Sole, ad morem priscorum ridiculum invocato, innumeri illi tituli fuerint propagati. Coacervatis enim elogiis titulisque congestis, capi Numen putabant, maximoque adfici honore: ita ut tandem, quæ diversa solummodo nomina superstitionis primordio fuerant, postmodum grassante errore diversa numina haberentur. Unicum enim eumque verissimum Deum, sed pluribus appellatum nominibus inter eos saniores agnoverunt, vel uno teste Aristotele, qui lib. *de mundo* sic habet: *εἷς δ' ὢν, πολυώνυμος ἐστὶ, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς νεοχμοῖ*. Id est, *cum porro* Deus *unus sit, pluribus nominibus appellatus est, ab iis utique omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet*. Omiseram ad Juliæ gentis Aram, Suetonii Tranquilli in *Octavio* locum, ubi Octaviæ gentis originem ac nobilitatem profert capite primo, eique consecratam fuisse Aram docet his verbis: *Gentem Octaviam Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant. Nam & vicus celeberrima parte oppidi jam pridem Octavius vocabatur: & ostendebatur Ara Octavio consecrata: qui bello dux finitimo, cum forte Marti rem divinam faceret, nunciata repente hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit; atque ita prælium ingressus, victor redit*, &c. His Derelictis addo geminas Cardinalium eminentissimorum aras, quarum una vita hac mortali functo, altera vivo adhuc, & immortalibus factis nunquam inter mortales morituro, a nobis imparibus, ut fit, versiculis composita est hunc in modum.

ÆTERNÆ AC FELICI MEMORIÆ
PETRI BERVLLI CARDINALIS
CONGREGATIONIS ORATORII
DOMINI IESV FVNDATORIS
A R A.

Hanc B E R U L L E *tuis struimus virtutibus*
Aram
Grex tuus ingenii partus & umbra tui.
Quo tu patentes solis ad modum terras
Illuminasti: Regis imperia seu te
Pacis ministrum, sive Religio ad suas
Fortiter partes peteret tuendas
Par utrobique. Hinc populos Iberi:
Inde diremptam
Æquore terram
Angusto penetras, piamque Romam,
Et cum Pontifice a duas gravesque
Mundi res agitas, purpurei patres
Mirati eximiæ mentis acumina,

Te dignum Augusto designavere Senatu,
Urbanusque Pater totius & arbiter orbis
Lodoicus Princeps, sed te revocavit amati
Cura gregis, illic gratiæ acceptum & datum
Reddis vicissim spiritum; Aris hostia
Oblatus; hoc quo melius haud velles modo.
Berullus moritur peragit dum sacra Sacerdos.
Credibile est illum sic voluisse mori.

A Nec vero immerito Aram pro tumulo tanto viro ac Cardinali ponimus, quem in procinctu augustissimi sacri, ab Ara velut hostiam Deo acceptissimam ad sublime illud altare Angelicis manibus delatum, & inter cœlites receptum pie credimus, & signis haud dubiis nec infrequenter experimur: quæ lubens proferrem nunc plurima & pulcherrima, nisi qui eum plurimi faciunt, & suavissima tanti viri ac parentis memoria imprimis delectantur, silentium imperarent. Atque ut felici exitu hoc nostrum de ARA opusculum tandem aliquando concludamus, finemque libelli hujus feliciter occupet idem sidus, quod initium ac frontem insedit implevitque, viro incomparabili, inter mortales immortali ac Cœlesti, Aram hanc extruimus hoc modo:

B

IOANNI ARMANDO
PLESSIO, CARDINALI
DVCI RICHELÆO.

HANC ARMANDE TIBI
ARAM CONSTRVIMVS.

Immortalibus & coæqua factis
Virtutum monumenta consecramus:
Cujus vindice dextera,
Regum Maximus Optimus
Hostis Iberi
Fortiter fregit
Sævaque fregit
Arma; Casallum toties solutum,
Alpium vertex nive semper alta
Horrens, fugata liber Allobrogum manu;
Defensa bello Mantua & centum retro
Annorum heu! longo spatio Rupella rebellis,
Reddita Franciacæ tellus Lotarena coronæ,
Hæresis exarmata, Angli toto æquore pulsi,
Eridanum Rhenumque ultra hostibus impigre remotis,
Aulica compositis extinctaque factio procellis,
Nonne Aris sunt hæc dignissima facta; nonne cœlo?

C Sed jam finis sit: neque enim plura hic de Ara persequi patitur LIVIUS MEUS CHRISTIANUS quem meditor; stylum nimis hercle diu a tanti operis quæ continens esse debet molitione aberrantem, quasi injecta manu revocat ad sese. Nec vero tam diu cessassemus ab ea quam publico promisimus sacra Historia, nisi rem etiam sacram cum de ARA scriberemus, facturi videremur.



D. BENEDICTI BACCHINI
DE
SISTRIS,
EORUMQUE FIGURIS, AC DIFFERENTIA,

AD ILLUSTRISSIMUM

D. D. LEONEM STROZZA

DISSERTATIO.

JACOBUS TOLLIUS


Dissertatiunculam & notulas adjecit, & Perillustri VELTHUSIO consecravit.

PERILLUSTRI, NOBILISSIMO, & AMPLISSIMO VIRO

D. D. THEODORO A VELTHVYSEN,

Toparchæ in Heemſteede, Willeskop, Kortheeswijk, &c. &c. Illuſtribus ac Præpotentibus Provinciæ Trajectinæ Ordinibus adſcripto, Conſiliique aggeris Leccani ſuperioris Adſeſſori, &c. &c.

JACOBUS TOLLIUS S.



IRTUTUM Tuarum, animique erga omnes bonos, ac in primis literatos, benigni prolixique tacitus hactenus venerator, eam mihi, VIR PERILLUSTRIS, ſæpenumero occaſionem votis expetii, qua citra adulationis ambitionisve ſuſpicionem illum Tibi honorem haberem, qui præclaræ Tuorum decorum magnitudini ſi non omni, ſaltem aliqua ex parte reſponderet. Sed fruſtra ea vota fuere, procacibusque ablata ventis una cum inani ſpe mea evanuerunt. Verum ut adverſus oppugnantem me fortunam, (quæ bonæ occaſionis mater & proma conda eſt) licet acri vehementique invidiæ ac malitiei commilitio firmatam, pertinax & invicti imperterritique animi miles ſum, quæro ſemper aliquid, quo me tuear, ac illam ulciſcar, ſubſidii. Ergo cum, quo potiſſimum documento hunc Tibi, VIR PERILLUSTRIS, animi mei ſenſum patefacerem, jam dudum circumſpicerem, pertæſus morarum arripui quod præ manu erat, ſed prætenue, longeque infra Tuam poſitum dignitatem; elegantia tamen argumenti, Scriptorisque eruditione placiturum. BACCHINI Diſſertatio eſt de SISTRIS: quam in Italia mihi dono datam, & his in locis numquam viſam, ibidem etiam perraram, typis hic iterum me mandaturum ſuſcepi. Addidi parvulam, quæ tum mihi, quum donaretur, ſcripta, diſſertatiunculam, notulasque inter relegendum ſub manu natas. Hoc Opuſculum Tuo, VIR PERILLUSTRIS, inſcribere ac dedicare viſum Nomini, meque una meaque Tibi tradere ſtudia: ut hoc ad explicandum animum erga Te meum parato aditu liberior mihi poſtilla paratiorque ad Te via eſſet, ac facultas majora induſtriæ in his literis meæ laborisque ſpecimina offerendi; adeoque & amplius ſpatium in laudes eundi Tuas, quas nunc ne attingere quidem libelli hujus patitur exiguitas. Eſt enim ille venuſtus quidem, Tuisque aſſuetis omni literarum cultui oculis digniſſimus: verumtamen tantula ejus moles prolixiorem reſpuit dedicationem. Paucis igitur nunc dicam, VIR PERILLUSTRIS, quod alias cum volente Deo pluribus perſecuturus ſum, eam eſſe animi Tui omnibus numeris abſolutiſſimi excellentiam, eas virtutes, indolem, mores, elegantiam, ſuavitatem; ea corporis ac fortunæ decora, eaque in remp. patriam publica, ea in cives, populares, exteros, privata beneficia ac merita, quæ Te cunctis ſpectabilem, venerandum, & amabilem reddant: adeo ut uno omnium ſuffragio, quum principem in hac repub. dignitatem obtineas, multis etiam partibus majorem ampliorem que mereri videare. Ita me ſentire teſtatum Tibi, teſtatum publico volui, ſecurus obtrectationis, patrocinante veritate. Vale VIR PERILLUSTRIS, meque aliquem inter Tuos tenere locum patere.

Dabam in muſeo meo, An. MDCXCV. a. d. XIV. Kal. Octob.

JACOBUS TOLLIUS
LECTORI S.



N *Tibi*, *Lector Humanissime*, D. Benedicti Bacchini, *Monachi Parmensis S. Benedicti ad D. Joannem Evangelistam*, *& Ephemeridibus Eruditorum Italicis*, *dum Parmæ fuit*, *celeberrimi*, Dissertationem de Sistris; *cujus mihi ab erudito*, *& editis selectissimis literatorum hominum in unum corpus collectis opusculis Miscellaneis clarissimo* P. *Gaudentio Roberto Carmel. Congreg. Parmæ ea conditione donatum fuit exemplar*, *ut id nitidius denuo mea opera*, *& accuratius recuderetur*. *Quinquaginta namque tantum ajebat excusa hujus Dissertationis exemplaria* : *exigereque egregia Viri Præstantissimi in rempub. literariam merita*, *ut & apud nos nomen ejus ac studia magis magisque innotescerent*. *Ut autem ex Homeri sententia ferrum virum trahit*, *ita & ipsius me movit argumenti elegantia*, *ut nonnihil & ipse adderem*, *quo editio hæc recens gratior Tibi foret atque commendatior*. *Scribebam Trajecti Batav. An.* MDCXCV. *a. d.* XII. *Kal. Octob.*

ILLUSTRISSIMO AC HUMANISSIMO
DOMINO
D. LEONI STROZZÆ
D. BENEDICTUS BACCHINUS
S. P. D.



QUI bonique consulas, oro, *Vir Illustrissime*, si serius, quam vel tu credideras, vel ego ipse decreveram, meam fidem liberem, quam dudum dedi nonnulla me de egregio tuo Isiacæ superstitionis Monumento scripturum, cujus graphicam iconem, addita altera Trajani vultum exprimente, misisti. Iis enim curis præpedior, ac in tam diversa renitente genio trahor, ut vix quando que horis subcesivis memet ipse colligere possim, ac per brevissima temporis spatia Musis, mihique vacare. Quod quidem ægerrime ferrem, nisi ob genus vitæ auspicante Numine delectum, alieno mihi arbitrio vivendum scirem, ac alienis quibuslibet votis serviendum.

Verum ne moras excusans, & moras nectens, idem peccatum peccem, Sistrum arripio, pauca in ejus illustrationem scripturus, ac potissimum ea, quæ forte Clarissimis Viris, qui de hocce argumento egere, intacta relicta sunt. Quur enim actum agam, & cramben sæpius recoctam recoquam? Hæc igitur, quantum per me poterit, distincte discutienda reor, cujus figuræ Sistrum apud Isiacorum Mysteriorum cultores, dein hypothetice tuum, Ægyptiacumne fuerit, an Romanum? Duo hæc illustrabo, ac velut aliud agens ea quoque, quæ pertinent ad Felem, ad virgulas transjectas, & ad lateralia parerga, explanabo; nec non alia nonnulla forte haud injucunda ad progressum Isiacæ superstitionis, & ad Romana hujusmodi monumenta ab Ægyptiis distinguenda, spectantia adjiciam.

Age itaque primum illud, quod suscepimus, persequamur; nil enim de Sistri usu, nil de nominis[a] etymologia dicendum reor, cum toties repetita, ac transscripta ab aliis hæc sint, ut de eis respondere lippus etiam ac tonsor possit. Ad figuram igitur quod attinet, nosti, tot pene Scriptorum sententias esse, quot capita. Illud tamen satis constare arbitror, non unam fuisse, sed diversam pro regionum, Isiacorum, opificum, ac temporum genio; quod ut ob oculos inficias eunti ponam, exhibeo nonnullorum Sistrorum figuras vericulo in æs incisas, quas in hanc rem hinc inde ex antiquaria supellectile collegi. Vides Sistra angulliformia, ovalia, virgulis munita quadrilateribus, varie manubriata, virgularum numero aucta, vel diminuta, pleraque omni symbolo destituta; bina, quæ ex Augustinis gemmis accepi, Loto exornata. Hinc toto, ut ajunt, cœlo aberrare sentio a vero, qui de hac re ita agunt, ut unius formæ immutabilis Sistrum fuisse autument, vel eodem semper ornatu effictum contendant. Nosti porro, quam multa Hieronymus Bossius in suo *Isiaco*, sive opusculo *de Sistro*, congerat, quantumque laboret, ut suam de Sistri figura sententiam firmet aliis explosis; qua quidem in re, licet illos jure ac merito reprehendat, qui Sistrum cum Crotalis, Cymbalis, & ceteris hujusmodi crepitaculis confundunt, confidentius tamen, quam par est, sibimetipse de vera, ac genuina adinventa descriptione gratulatur, quam hic operose ab illo confectam recolere ne graveris. Ea est hujusmodi; *Sistrum crepitaculum ovale est, ex arguti metalli lamina factum, cujus apsis superior tribus*
B *insignitur figuris, una scilicet æluri humana facie in medio posita, altera Isidis in dextero latere, tertia*[b] *Nephthyos in sinistro. In ima vero sui parte manubrium habet, quod dum concutitur, virgulæ quædam ex eodem metallo factæ, & per laminæ forulos transjectæ, adunca utrimque cuspide laminam ipsam percutiunt, quæ mox sonorum edit tinnitum.* Hæc ille, figuram adjiciens, sed ab allata descriptione in nonnullis discrepantem. Etenim in superiori parte haud ovalis est, sed trinos angulos efficit; æluri vero facies nullatenus ad humanam accedit. Hinc per partes descriptione perpensa, in hæc verba concludit, de inventa veluti, ac e puteo eruta veritate sibimetip-
C se plaudens: *Quæ cum ita se habeant, nostra omnino Sistri descriptio habenda est pro omnium certissima, ac pro omnium verissima.* Mihi vero illud dubio procul omni certissimum, ac verissimum esse videtur, a Bossio allatam descriptionem ita demum certissimam, ac verissimam esse, si non de quolibet Sistro, sed de nonnullis intelligatur exhibita. Omnibus quidem commune, quod ad ovalem accederent figuram, quod lamina constarent, ac manubrio, quod mobiles virgulæ adderentur: cæterum sæpissime nullo parergo exornabantur, ut figuræ probant in superioribus allatæ. Apsis insuper ad Bossii gustum efformata frequentissime omnino desiderata est;
D Nephthyos, ac Isidis vultus non semper affixi fuerunt, & cum adjiciebantur, infra mobiles virgulas locum habuere. Æluri etiam facies raro ad humanam accessit. Quæ quidem singula, si seorsim perpendantur, facile patent.

Etenim quamvis non negaverim, aspidem Bossianam quandoque obtinuisse, & quidem anguliformem; frequentius tamen Sistri summam partem in hemicyclum conformatam, cum ex allata Sistrorum tabella patet, tum e Sistro, quod Cl. Pignorius in egregio ad Mensam Isiacam Commentario ex Museo Francisci Gualdi Ariminensis affert, ac rursum in aureo exhibet Opere *de Servis*. Plutarchus in Libello *de Iside ac Osiride*, superiori ea Sistri par-

a Adscribam tamen in gratiam juventutis, cui non omnes statim libri sunt in promtu, nominis etymon. Dictum Græce *Sistrum*, sive σεῖστρον, παρὰ τὸ σείειν, id est, *a quatiendo*, seu *movendo*; quo motu virgulæ tinnitum edebant. Hinc herbæ ad Scamandrum germinanti *Sistro* nomen, quæ erebintho similis acinos se moventes habet, teste Plutarcho *de Fluminibus*, in *Scamandro*: & σεῖστρα appellata lupanaria, quibus Romæ tempore Theodosii Imp. inclusæ adulteræ ad promiscuam scortationem cogebantur, pulsis tintinnabulis, ut ipsarum supplicium omnibus in proximo innotesceret: quod turpe pœnæ genus a Theodosio sublatum memorat Socrates *Hist. Eccl* lib. v. cap. XVIII.

b Quæ Nephthys quinta & ultima Rheæ & Saturni proles *Venus* etiam, & *Victoria*, & *Finis* appellata est; ut Plutarchus habet *de Iside & Osiride*, cui conjugem Typhonem, filium Anubin Ægyptii attribuerunt, inferiusque hemisphærium consecrarunt, sicut superius Isidi. Attulimus nonnulla de his omnibus, & ad Chemiam retulimus in *Fortuitis nostris* c. XXIII. p. 205 quæ respici poterunt, quippe ad eorum, quæ superius de Sistro dicta, penitiorem cognitionem non inutilia.

A te Lunæ Circulum, seu Globum significari tradit, sub quo omnia ob generationem, ac interitum concutiuntur, quod ea ad imaginem cœli rotunda sit, seu circuli Lunaris portionem imitetur. En ipsa verba, quæ miror a Bossio in medium allata, tanquam sententiæ suæ firmandæ aptissima: Τοῦ δὲ σείστρου περιφεροῦς ἄνωθεν ὄντος ἡ ἁψὶς (ita enim legendum) περιέχει τὰ σειόμενα τέτταρα. Καὶ γὰρ ἡ γινομένη καὶ φθειρομένη μοῖρα τοῦ κόσμου περιέχεται μὲν ὑπὸ τῆς σεληνιακῆς σφαίρας, κινεῖται δὲ ἐν αὐτῇ πάντα, καὶ μεταβάλλεται διὰ τῶν τεττάρων στοιχείων, πυρὸς, καὶ γῆς, καὶ ὕδατος, καὶ ἀέρος: *Sistri autem superiori* B *parte rotundi curvatura admonet de* IV. *corporum concussione. Pars namque mundi obnoxia ortui, & obitui, globo Lunari continetur, ac in ea cuncta moventur, mutanturque per quatuor elementa, ignem videlicet, terram, aquam, aerem.* Quæ manifeste Bossianæ sententiæ repugnant. At cum semel in præconceptam opinionem Vir iste impegit, nec ceteros intelligit Auctores, quos citat. Laudat Joannem Bernartium, ac tanquam Bernartii fœtum descriptionem, quam is in *Scholiis ad lib.* XI. *Statii Theb.* exhibet, multis commendat; cum tamen Bernartius apices ipsos ex Apul. lib. XI. *Metamorph.* descri- C pserit, ubi Madaurensis Isidis ornatum, sibi adhuc sub asini persona degenti apparentis, ob oculos ponens, ait; *dextra quidem ferebat æreum crepitaculũ, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ pauculæ virgulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddunt argutum sonum.* Verum sit hæc Sistri, cujus Bossio libuerit, laudata descriptio; illud satis mirari nequeo, cum aperte sive Apulejus, sive Bernartius, Sistri figuram rotundam *in modum balthei recurvati*, dixerit, queri illum, in Bernartii sese descriptione Sistri figuram desiderare; *etenim*, ait, *non eam facit orbiculatam, non trigo-* D *nam, non ovalem.* Qui enim fieri potuit, ut clarius orbicularem digito ostenderet, quam *lamina Sistrum in modum balthei recurvata* constare asserens? Isidis, ac Nephthyos vultus sæpius defuisse probant Sistra in superioribus delineata: at cum adfuerunt, infra mobiles virgulas sedem ut plurimum obtinuere, eodem loco, quo in Pignoriano, ac in nostro Pinea, seu aliud quoddam parergon, affixa spectatur. Testis locupletissimus id firmat iisdem Plut. verbis, quibus Bossius universam suam Sistri descriptionem munire satagit. Vix mihimet ipse fidem E habui, cum hominem mordicus defendentem legi, vultus hujusmodi supra mobiles virgulas semper fuisse collocatos, & eo nomine Pierium Valerianum traducentem, ob illos infra constitutos; nec non in ejus rei probationem Plutarchi afferentem ea, quæ sententiæ ejus diserte repugnant, cum ait; τῇ δὲ ἀψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ τὴν κορυφὴν ἐντορεύουσιν αἴλουρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχοντα; κάτω δὲ ὑπὸ τὰ σειόμενα, πῇ μὲν Ἴσιδος, πῇ δὲ Νέφθυος πρόσωπον, αἰνιττόμενοι τοῖς μὲν προσώποις γένεσιν, καὶ τελευτήν: *curvamini Sistri in vertice affingunt felem humanam faciem habentem: infra vero sub his, quæ quatiuntur, aliquando quidem Isidis, aliquando autem Nephthyos* F *vultus, ortum illis, ac obitum indicantes.* Quid a Bossio ad Bossii sententiam evertendam clarius afferri potuit? Illud tamen animadvertendum est, ex Plutarchi testimonio haud apte colligi, Sistri figuram fuisse immutabilem; atque adeo quandoque eandem illam, quam ex Plutarchi verbis refellimus, potuisse obtinere. Sed cum *in modum balthei recurvata* fuerunt Sistra (ut plurimum autem talia fuisse ostendunt vetera monumenta) vix alio loco collocari potuerunt Isidis, ac Nephthyos vultus, quam infra mobiles virgas; cum vero Bossii sententiæ responderunt, bene supra easdem effingi quiverunt. Eandem inconstantiam meo periculo agnosce in principe Sistri parergo, Fele videlicet; sæpius enim nudum novimus Sistrum, ut in Numismatibus, in Mensa Isiaca, apud Gruterum, in Œdipo Kircheriano, & alibi passim; quandoque Felis loco Sphingem appositam, ut in Pignoriano; vel [a] Loti florem, ut in Augustini gemmis, vel aliud quidpiam; sæpissime Felem felis, non hominis, faciem habentem, ut in tuo. Quamvis enim Plutarchus adhibitum scribat, ac vertici Sistri rotundo affictum αἴλουρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχοντα; ipse tamen non obscure innuit, nil religioni, nil mysteriis obfuisse, cum hominis facies abesset. Qui, dum philosophicam cum ceterarum Sistri partium, tum Felis illustrationem accurate tradit, multaque de Felis fœcunditate, multa de Lunæ, ac ejusdem affectuum convenientia disserit, nullam tamen de [b] Felis humana facie meditationem in medium profert. In Mensa vero Isiaca bis Sistrum offendimus, in quo Felis visitur, sed ea humanam faciem nequaquam exhibet.

Visa in superioribus, Vir Illustrissime, qua Sistrorum figura laborat, inconstantia, brevem hic tui descriptionem exhibere operæ pretium duco, cujus mihi veruculo expressi delineationem humanissime misisti, ut a ceterorum turba distinguatur, ac, quisquis hæc leget, icone quamvis destitutus, quid huic peculiare, quid cum aliis commune contigerit, dignoscere possit. Manubrio longo satis, quo dextera agitetur, ut, *crispante brachio tergeminos ictus, argutus reddatur sonus*, lamina ærea adhæret in superiori parte *in modum balthei recurvata*: at, ubi manubrio jungitur, angulos rectos cum basi efformans. Vertici, Felis cauda protensa, capite arrecto, corpore toto recumbens, insidet. Ea faciem Felis omnino præfert. Quatuor rotundæ virgulæ adunca utrimquesecus cuspide, laminam per forulos oppositos transmeant, ita ut libere hinc inde moveri possint. Tres superiori parti respondentes æquali spatio a se invicem distant; quarta longius ab his remota ad manubrium accedit. Infra hanc, ubi in rotundam lamina figuram desinit, Loti foliis (ut quidem reor) ornata, extrinsecus bina Symbola affixa cernuntur, quorum unum Nucis pineæ speciem præbet, alterum quamvis in conum assurgat, pineam tamen dicere non ausim, cum decussatis, ac spiralibus lineolis non distinguatur. Multa mihi de hoc parergo cogitanti satius visum est in medio illud relinquere, quam longiuscule petita producere.

Sistri totius conformatio ac species ejus elegantiæ est, ut hinc priorem conjecturam jure fecerim Romanum illud esse, atque a cultissimo artifice Augustorum tempore elaboratum, eorum videlicet, qui impensius Isiacis mysteriis operam dedere, Commodi, puta, vel Caracallæ. Res tamen majoris indaginis est; nec enim quod Via Aurelia in suburbana villa Illustrissimi Laurentii de Corsinis inventum fuerit, officit, quo minus hoc aliunde quandoque illuc afferri Sistrum potuerit, cum in dissitas sæpe regiones translata fuisse ipsa marmora, doceant ea, quæ Romæ etiam nunc conspiciuntur, Ægyptiorum ingentia monumenta, ac lapides Græci, Romanique, ad toto remotos orbe Britannos usque, vel pretio, vel studio, in Angliam deportati. Quo itaque ejus rei argumentum aliquod haud levidense nanciscerer, Sistri tui partes singulas excutiendas duxi, sperans fore, ut hujus non modo elegantissimi monumenti differentiam, seu characterem adinvenirem, sed & Isiacorum quo-

---

a Qui & in gemmis Basilidianis frequenter occurrit, ut 25, 35, 40, &c. nec Isidi tantum, Solique olim sacer lotus fuit, sed & Diis Laribus, ut Baudelotius notavit, lib. *de Util. Peregrin.* ubi de Laribus agit.

b Martianus Capella contra ea Lunam felem vultu præferentem inducit, *de Nupt. Merc. & Phil. l.* II.

rumcumque, quæ vel in hanc usque diem reperta sunt, vel in futurum inveniri continget. Non injucundum autem, nec inutile accidet, si aliqua de propagatis Isiacorum Mysteriis prælibavero, tempora quantum licuerit distinguens, quibus Isidis nomen, ac cultus cum apud Græcos, tum apud Romanos cœperit obtinere. Hæc enim lumen haud obscurum afferre præsenti poterunt argumento, & infra dicendis fidem adstruere.

Hac igitur in re, licet ultro fatear Isidem ubique terrarum cultam, quod apud Diodorum Ægyptii Mystæ jactabant, id tamen ita intelligendum reor, ut simul longius a vero aberrare videatur, qui inde colligat, Isidis nomen, cultum, attributa, fabulas, eadem ubique terrarum fuisse celebrata, antiquis potissimum temporibus; videlicet antequam Roma rerum undequaque potiretur, ac cum imperio Deorum multiplicem superstitionem orbi communem efficeret. Quare, ut pro rei veritate, accurateque loquamur, non Isis, sed, quæ per Isidem significabatur apud Ægyptios, rerum Natura, activæ potentiæ, ac virtutis receptrix, ubique terrarum colebatur: at in Ægypto proprio Isidis nomine, peculiaribus mythologiis, ritibus, ac cærimoniis, apud alios diversimode, & variis appellationibus. Explicat id aptissime Apulejus, ubi lib. XI. *Milesiacor.* Numen ipsum loquens inducit, in hæc verba: *En adsum tuis commota, Luci, precibus rerum Natura parens ..... cujus Numen unicum multiformi specie, ritu vario,* [a] *nomine multijugo, totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Pessinuntiam Deum Matrem nominant; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusinii vesculam Deam Cererem; Junonem alii, Bellonam alii, Hecaten alii, Rhamnusiam alii; &, qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur, Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, cerimoniis me propriis prorsus percolentes, appellant vero nomine Reginam Isidem.* Viden' aperte, quod dixi? At aliud etiam in allatis Apuleii, seu rerum parentis Naturæ verbis, animadvertendum puto; indicari videlicet loca singula, ubi idem Isidis Numen primum nomine, ritu, cæterisque incolarum propriis cerimoniis varie cultum est ut Numen patrium, cum Madaurensis ævo alibi etiam Isidis nomine coleretur, sed ut ἐπίκτητον tantum, & peregrinum. Quis enim de hoc dubitet, qui noverit Apuleii seculo ubique terrarum Matrem Deum, non in Phrygia tantum; Minervam etiam extra Atticam, Venerem non apud solos Cypri incolas, cæterasque recensitas Deas extra urbes quoque, provinciasque ab Apulejo designatas, sacra cultumque habuisse? Accidit enim, ut, cum nullus ab Ethnicis error respueretur, immo omnia superstitionis portenta, quo illa e longius dissitis regionibus conquisita forent, eo alacrius reciperentur; idem Numen ab ejusdem loci incolis tanquam duplex coleretur, & esset patrium simul ac peregrinum. Sic ibidem locorum culta Mater Deum, Ceres, Proserpina, Isis, &c. Sic apud Pausaniam in *Achaicis*, in eodem delubro signa aliquot Æsculapii posita, & seorsim Serapidis, & Isidis: &, quod magis mireris, apud eundem in *Corinthiacis* Isis ipsa duplici fano, ac duplici nomine culta: Ἀνιοῦσι δὲ εἰς τὸν Ἀκροκόρινθον ... ἐστιν Ἴσιδος τεμένη, ὧν τὴν μὲν Πελαγίαν, τὴν δὲ Αἰγυπτίαν αὐτῶν ἐπονομάζουσιν; *in Acrocorinthum enim ascendentibus occurrunt Fana Isidis, alterum* [b] *Pelagiæ, alterum Ægyptiæ cognomento.* Hæc tamen, cum de Iside sermo est, ad recentiora tempora pertinere, multa sunt, quæ suadeant. Nam illud certo certius est, veteres Græcos ingenita gentis vanitate, quod ab Ægypto acceperant fabularum, cerimoniarum, & (si hoc nomine nugas aniles vocare fas est) Theologiæ, id totum tanquam apud se natum venditasse, immutatis ritibus, ac mythologiis; indignatione interim frendentibus Ægyptiis, ac Numinum suorum antiquitatem tuentibus. Id [c] patet ex variis locis, quos recolere juvabit apud Diodorum quinque libris prioribus: ac forte idipsum firmare poterunt, quæ Tacitus refert lib. VI. *Histor.* de Ptolemæo, qui *Macedonum primus Ægypti opes firmavit, Alexandriæ recens conditæ mœnia, templaque, & religiones addidit.* Isidis itaque mysteria, Cereris, ac Cybeles mysteriis, gratius fuit Græcis æmulari, usque dum fastu cum imperio vel seposito, vel deminuto, Isidis ipsius Ægyptiæ cultum amplexati sunt. Etenim cum scriptores, ac Numismata, unde Isidem fanis, ac cerimoniis apud Græcos cultam esse discimus, recentioris sint ætatis, videre mihi videor a [d] Romanis potius, quam ab Ægyptiis superstitionem Ægyptiacam accersitam, vel religionis forma in deterius abeunte, vel assentationis causa erga Urbem rerum jam demum potitam: vereque asseri posse autumo, Urbem Romanam cetera passim Numina a Græcia, Isidem ab Ægypto accepisse, ac non cum Græcia modo, sed & cum ceteris etiam provinciis primam communicasse. Nec enim Isidis cultus apud Romanos recentior est, quam apud Græcos: sed tunc demum apud Græcos invaluit, cum Romæ jam diu viguisset. Spar-

a Ita fere de eadem dea Lycophronis Scholiastes pag. 116. Περσεφόνη δὲ, καὶ Ἶσις ἡ γῆ, καὶ Ῥέα, καὶ Ἑστία, καὶ Πανδώρα, καὶ ἕτερα μυρία ὀνομάζεται· *Quin & Proserpina, & Isis, Terra appellatur, nec non Rhea, & Vesta, & Pandora, multisque aliis nominibus, quorum inire non est numerum.* Nec alia Solis, sive Apollinis, ratio est, quem teste Martiano Capella,

—— —— Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirin,
Dissona sacra Mithram, Ditemque, feruntque Typhonem,
Attis pulcher item, curvi & puer almus aratri;
Ammon & arentis Libyes, ac Byblius Adon.

Vide & quæ Commentatores habent *ad Ausonii Pantheon*, & Reines. in *Inscr.* sic ut & Isis μυριώνυμος sit, & Osiris.

b Per *Pelagiam* Isidem vis generatrix inferioris naturæ significatur, quæ & Venus, eademque Luna, imperium in mare obtinens. Unde Artemidorus lib. II. ubi de Venere agit; Ἀφροδίτη ἡ πελαγία ναυκλήροις καὶ κυβερνήταις, καὶ πᾶσι τοῖς ναυτιλλομένοις ἀγαθὴ τετήρηται, καὶ πᾶσι τοῖς βουλομένοις ἀποδημεῖν: *Venus autem Marina naucleris & gubernatoribus, & omnibus navigantibus, itemque omnibus peregrinari volentibus bona observata est.* Plura de ea Vossius *Idolol.* lib. II. cap. XXVII. pag. 223. Reines. *Inscript.* lib. XCIII. Cuperus, Vir Illustr. *Harpocr.* pag. 152.

c Illustrius hæc e Platone liquent, ubi Solon ab Ægyptiis Sacerdotibus increpatur, qui *Græcos semper pueros* esse ajebant. Adeatur & in *Historia Animalium* Ælianus, ubi de Apide agit: & Eusebius *de Præpar. Evangel.*

d Isidis mihi sacra una cum amicitia Regum Ægyptiacorum in Urbem migrasse videntur, quo tempore Ptolemæus Philopator Senatui P. Q. R. tutelam filii moriens commisit. Jam dudum vero ante Græcis usurpata videntur, adscitaque præcipue, quum Ptolemæus Soter in Græcas urbes, ac præsertim Rhodiorum civitatem, terræ motu graviter concussam, debilitatamque, suam liberalissime effunderet benignitatem. Ut enim Græculi ad adulationem semper facti fuere, ita ad Ptolemæi captandam gratiam Sacra quoque Ægyptiaca in suas admisisse eos existimo civitates. Sic in duobus æreis Rhodiorum nummis Solem radiatum ab altera parte videas, ab altera vero Serapin cum calatho, apud Goltzium. Sed & in Ægialeæ Insulæ prope Cretam nummo Serapis, vel Osiris conspicitur; & in altera parte Isis nuda super navigii proram, spicas manibus tenens. Et in Lapethiorum nummo a Cypriis Osirin & Isidem apud eundem Goltzium expressos reperias, in cujus nummi altera parte palma Ægyptia cernitur.

tiani quidem ævo hic a nonnullis credebatur recentissime Romam allatus, quos tamen is haud audiendos clamat: *Mihi mirum videtur*, ait, *quemadmodum Sacra Isidis per hunc* (Caracallam) *Romam venisse dicantur, cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut Anubim portaverit, & Pausa sederet*. Quid autem sit *Pausa sedere*, vix intelliges ex Casaubono ad hunc locum; Salmasius autem in notis ad Spart. *Pausas* in Sacris Isidis multis illustrat, & *Corpus Pausariorum* ex lapide a Reinesio vexato revelat, quem vide. Verum & ante Commodum jamdiu Isiaca Romæ frequentata. Domitianus, referente Suetonio, e Capitolio mane *Isiaci velatus habitu, inter sacrificulos vanæ superstitionis* evasit, & ita irrumpentes Vitellianos frustratus præsens vitæ periculum effugit. Tito apud Xiphilinum in Campaniam abeunte ad visendam calamitatem propius ex Vesevi incendio acceptam, Romæ plurima incendio conflagrasse narrantur ædificia; inter quæ Serapidis ac Isidis Fana. Othonem Sacra Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse auctor est supra laudatus Suetonius. [a] Poetæ Augusto coævi, seculo illo Isiaca Mysteria celebrata probant, quamvis infamia laborasse iidem ostendant; nec non M. Agrippæ Ædilis decretum, cavens, ne fana intra Urbem diruta intra D. lapidem ædificarentur. Demum longe antea, Calpurnii Pisonis, & Auli Gabinii consulatu, eorundem Sacrorum proscriptio per Arnobium, ac Tertullianum afferta, illa haud in Urbe novitia demonstrat, sed a satis longo tempore per manus tradita, cum jam diu in Urbem recepta pedem ibi fixissent. Hinc facile colligere est, cum Minutius Felix in *Octavio* de Osiridis ac Isidis superstitione differens ait; *hæc Ægyptia quondam, nunc & Sacra Romana sunt*; vel illud ipsum tempus metiri, quo eadem pacate tranquilleque Romæ celebrabantur, postquam videlicet Imperatores Augusti fœdis hisce næniis nomen dedere, vel horum novitatem ad creandam invidiam augere.

Hæc prolixius forte, quam par fuit, in antecessum statuenda duxi, *Vir Illustrissime*, quo primum constaret, absurde hallucinari, qui Romæ Sacra Isidis eadem prorsus cum Sacris Magnæ Deum Matris fuisse statuunt: ut censuit Ouzelius ad allatum Minutii locum. Quod operæ pretium fuit refellere: poterat enim conjecturam infra mox afferendam infirmare. Sacra etenim Magnæ Deum Matris novimus quo cultu e Phrygia allata, simul & quo tempore, ex Livio potissimum; qui rationem accersendi Numinis, cærimonias, & pompam distincte narrat;ita ut de his dubitari nequeat.

A Nec ab illo unquam tempore Magnæ Matris Mysteria aut suspecta, aut ex Urbe eliminata fuisse traduntur: tempus vero receptæ Isiacæ superstitionis, postmodum non semel in crimen vocatæ, divinare vix possumus. At nonne Isidis Romæ cultæ, & sacra diversa a sacris Cybeles satis superque evincit Osiris ibidem cultus? habemus autem id diserte ab Apulejo assertum, qui se denuo initiatum in Osiridis mysteriis Romæ memorat, postremis *Metamorphoseon* paginis. Diversa igitur Isidis ac Cybeles sacra, quamvis alias idem Numen; quinimmo Isis ipsa Romæ duplici saltem nomine culta, *Pelagiæ* videlicet, ac *Ægyptiæ*: quod, cum Isidem ipsam Roma
B Græciæ præbuisset, postmodum abs Græcia Romani recepisse verisimile est, multiplicato superstitionis fœnore. Nam & ad Germanos *Pelagiæ* cultum a Græcia propagatum jure sensit Colerus in Taciti Librum *de Moribus Germanorum*. *Pelagiam* vero Isidem Romæ cultam ostendit vetus Lapis repertus extra Portam Flaminiam teste Gyraldo Synt. VII. *de Diis Gentium*, quem invenies in Thesauro Gruteriano descriptum pag. CCCXII. n. V. An tandem coaluerint Cybeles ac Isidis cultus, res est implicita. Pignorius coaluisse non semel monet: sed carmen, ex quo id evincere conatur, Tertulliano, vel Cy-
C priano tributum ad Senatorem Apostatam, nec Tertullianum, nec Cyprianum habuit auctorem, quidquid sit de ejusdem genuino intellectu. Quæ statim de Juliani Apostatæ superstitione in fine sequentis paragraphi dicam, ad hancce rem pertinent.

Ut autem non Ægyptiacum, sed Romanum credam Sistrum, cujus effigiem misisti, efficit Parergon illud alteri laterum laminæ affixum, videlicet Nux Pinea. Pinearum siquidem usum in Isiacis nusquam reperi obtinuisse apud Ægyptios; quamvis in eam rem universa Ægypti Mysteria in *Œdipo* Kircheriano reserata, Pignorii commentaria, ipsam Isiacam Mensam sæpius lustraverim, consultis itidem
D Jamblicho, Plutarcho, Luciano, Apulejo, ceterisque qui ad manus fuere, ex quibus lucem mutuari potuissem. Tu ipse eadem, ac alia documenta recole, &, si quid secus inveneris, me errantem corrigas velim, gratias ex animo repensurum: nec tamen in hanc rem novitate laborantem agere me credas argumento mere negativo, ut ajunt; nam contra ea apud Isiaca Romana Pinearum usus satis superque probatur ex uno Lampridii loco, ubi Commodi sævitiem inter ipsa mysteria exercitam recensens, refert eum *Isiacos pineis usque ad perniciem pectus tundere coegisse*. Fateor equidem [b] Pinum Cybele dicatam, ob ea, quæ facili negotio apud

---

a Immo & Catullus jam diu ante Augusti tempora *Serapidis* templi meminit; apud quem Vari scortillum.

Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paullum
Istos commodita. Volo ad Serapis
Ferri mane.

Ubi autem Ser·pis cultus, ibidem & Isis in honore fuit. Scriptum vero id carmen vigente adhuc rep. postquam e Bithynia, quo cum C. Memmio Gemello Prætore ierat, reversus fuit. Ceterum notabilis de his Diis locus est Ciceronis lib. III. *de Deor.* cap. XIX. *Quid autem dicis? Si Dii sunt illi, quos colimus, & accepimus, cur non eodem in genere Serapim Isimque numeremus? Quod si facimus, cur barbarorum Deos repudiemus?* Unde sane jam tum Isidis cultum Romæ receptum liquet. Inducit autem Cicero loquentes Cottam, Balbu n, & Vellejum, quorum Cotta Consul fuit A. V. C. 678. annis 42. ante Octavianum primum Cos. L. autem Lucilius Balbus Præceptor Servii Sulpicii JCti fuit, qui condiscipulus triennio ante Cicer·nis fuit apud Apollonium Molonem Rhodi.

b De Pinea nuce Martialis l. 13. ep. 25. *Poma sumus Cybeles*: verum Isidi Pinum sacram esse non secus ac Cybele, item Osiridi, seu Soli liquet ex Sponii *Miscellaneis* p. 85. & p. 1. & 3. Hinc apud Virgilium l. 11. *Æn.* Arruns ad Apollinem:

Summe Deum, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna, &c.

Quin & Priapo, qui & ipse Sol, sacra facientes Nucem pineam in manu habebant. Eadem & Baccho, qui itidem Sol, sacra est, quia similis humano cordi, cujus tutela Bacchus. Et hinc *Conophoræ* in ejus sacris. teste Suida. Unde & pardalis *conum* in thyrso, non secus ac Bacchi sacerdotes, in gemma 132. part. 1. Leonardi Augustini ferre cernitur. Eandem porro habitam Isidem ac Cybelen, cum scilicet non pro Luna, sed pro Tellure accepta fuit; multaque in sacris ritibus communia habuisse; utramque etiam uno *Dianæ* nomine expressam ab Ovidio, pluribus Jo. Ger. Vossius docet lib. 2. *de Idolol.* c. 56. Confer & Apulejum l. XI. *Miles.* ubi inter alia, ut supra vidimus, Isis ipsa de se, *Me*, inquit, *Primigenii Phryges Pessinuntiam nominant Deum Matrem*. Ad quem locum plura Commentatores.

A apud rerum hujusmodi scriptores videre est; sed & in Isidis sacris usurpatas Pineas apud Romanos allata Lampridii verba testantur. Id forte accidit, quod, cum Isiaca sacra infamia satis gravi laborarent in Urbe, (quare & proscripta a Magistratibus, & a severioribus damnata fuere) & cum alias idem Numen diversis licet cerimoniis coleretur, paulatim ad abolendam invidiam, ex Magnæ Deum Matris mysteriis ritus nonnulli ad Isiaca transferri potuerint. In horum censum præter Pineæ usum referenda sunt alia, quæ causam sufficere potuerunt afferentibus tandem utraque coaluisse. Juliani certe Apostatæ temporibus ipsis, quamvis in præsenti argumento recentissimis, Isidis mihi
B nomen, ac cultum videor videre. Numismata, si cætera desint, id probant: in quibus sinistram Isidem, sistratum Anubim agnoscimus. Insuper [a] Imperatorem ipsum Taurobolio, Criobolioque initiatum clamat [b] Historia, ritumque eum usque a Marci Aurelii temporibus Cybeles, ac Mithræ initia suscipiendi solemnem fuisse. Vel igitur non coaluere, vel si coaluere, obliterato Cybeles nomine, quod non admiserim, Isiacorum nomine audivere.

Hæc si vera sunt, ut mihi videntur, usque dum meliora docear; habeo quod mihi gratuler de ratio-
C ne reperta, ob quam clarissimi Scriptores monumenta nonnulla illustrantes inconstantia, ac caligine laborent, dum eadem nunc Isidi, nunc Cybele adscribunt. Vide Jacobi Thomasini opus dilucidans *Cecropii Votum*. Hic enim passim nunc Cybele, nunc Isidi Votum ipsum tribuit; ac tum maxime, cum de Nuce Pinea agens scribit; *arcanum enim, & veluti vaticinium in apice pollicis repræsentatur nuce pinea, qua usos fuisse Isiacos narrat in Commodo Lampridius*; & statim addit: *pinus enim tutelam gerebat Cybele*, &c. Alexander Niger Lapidem Q. Manilii Cordi illustrans docta sane disserta-
D tione (quam, cum seorsim primum edita fuisset, novissime Marmoribus suis, non e Felsineo modo, sed ex incognito undique Antiquitatis penu depromptis, inseruit humanissimus Dominus meus Comes Carolus Cæsar Malvasia) Pineam in summo lapide locatam cum ceteris parergis ex Ægyptiaca superstitione, vel, si Diis placet, sapientia derivat: ex ea postmodum non modo Cybelen a Manilio cultam argumentatur, licet Cybeles cultus ad Ægyptios nunquam spectaverit; sed etiam Cybeles & Cereris mysteria, omnino Romæ diversa, confundit, & utrique [c] Pineam adscribit. At, quod magis mireris, recole paulo attentius opus
E sane egregium Laurentii Pignorii, quo Magnæ Deum Matris, & Attidis initia illustrat ex duplici vetere Tornacensi monumento. De Attidis Sigillo non habeo quod improbem: secus se res habet de manu ærea inani, ac apta, cui hastile insereretur. De ea siquidem differens Pignorius invita mihi Minerva rem agere videtur. Nam cum semel ex ea Magnæ Deum Matris initia explicanda susceperit, quidquid offendit certo certius ad Isidem spectans, vel Cybele adjudicat, vel quod ad Cybelen pertinet, quasi Cybeles oblitus, ad Isidem trahit. Sic cum de tota manu aperte dixerit inanem conflatam, quo præferretur in pompa ipsi Deum Matri, adjungit, *qua plane ratione Antistitum unus Isidi prægestabat æquitatis indicium deformatum, manum sinistram porrecta palmula, ut scribit Apulejus lib. XI. Metamorph.* subdit quidem, censuram præsentiens, Isidis sacra non abiisse a mysteriis Matris Deum; sed quid inde? numquid eadem fuere? Ulpium Egnatium Faventinum Patrem, & [d] Hierocerycem D. S. I. M. ac simul etiam Sacerdotem Isidis extitisse; sed numquid idem non poterat duplici Numini esse initiatus? C. Munatium Severum Matri Deum, & Isidi Fanum refecisse: at an inde forte pompam utriusque unam fuisse conficiet? Idem probarent de Numinibus alias dissitissimis, ac diversis, Lapides, quorum copiam ex Gruteriano Thesauro nancisci poterat. Inde per partes explicans Manus æreæ symbola, cum pervenit ad Sistrum, cogitur invitus ambiguo tamen verbo crepitaculum hujusmodi & Cybele tribuere, novo quidem, & usque in hanc diem inaudito asserto, siquidem sentiat Sistrum in Deum Matris mysteriis abhibitum. Verba enim, ut dixi, ambigua sunt. *Sistrum*, ait, *ad Isidem pertinet, neque ideo abludit a Magna Matre. Marcianus enim Capella lib. II. in Lunari circulo statuit Sistra Niliaca, Eleusiniam Lampada, Arcum Dictynnæ, & Tympana Cybeleia*. Hisce tamen tantum conficiet Pignorius convenientiam horum inter se mysteriorum; nunquam vero Sistrum magnæ Deum Matri dicatum. Iterum de Pinea agens pollicis fastigio affixa, Pinearum usum in Romanorum Isiacis ex allato Lampridii loco agnoscit, sed præconceptæ sententiæ adhærens cantiunculam eandem recinit, *indiscretas* videlicet *fuisse horum Numinum Isidis ac Cybeles apud Antiquos rationes*. In Appendicula veritatis fidiculis tortus aperte porro asserit, *licet hæc Mysteria (ut non semel monuimus) coaluissent, ut satis superque indicant Carmina Cypriani, seu Tertulliani ad Senatorem Apostatam, tamen Isis alio cultu & schemate fingebatur*. Ita profecto se res habuit, nec tantum de Idoli cultu id verum fuit, sed de cultu, ac pompis, quibus mysteria ipsa peragebantur. Quare monumentum universum non Matri Deum, sed Isidi potius deputandum, ac ex Romanis Isiacis Sacris ad Commodi tempora referendum puto, paratus saniori judicio subscribere.

Hæc sunt, STROZZA ILLUSTRISSIME, quæ tandem de tuo exquisito veterum Romanorum Isidi devotorum monumento in medium afferenda censui, potius ut humanitati tuæ quod poteram rependerem, quam quod digna Te, digna Urbe, in qua degis, me scripturum fore sperarem. Ipse felicius universa rimari quiveris, ac si forte pro ea, qua emines, animi moderatione alterum in meditationis societatem vocare volueris, eximii Viri Urbis ac Italiæ nostræ decora adsunt Ciampinius, Fabrettus, Bellorius, qui rem intime perlustrent, ac his, quæ ipse inepte effutivi, spongiam abhibeant. Vale.

a Elagabalum. De *Taurobolio* & *Criobolio* nonnulla Vossius habet l. II. *de Idol.* c. 53. Multo plura & doctiora Salmasius in *Lamprid.* & Reinesius *Inscr.* l. x. apud quem inscr. 42. *Petra Taurobolata* non simplex ara est, ut vir eruditiss. explicat, sed istiusmodi lapis, seu monumentum, in quo tota sacrificii ratio efficta erat, oculisque omnium exposita. Ideo vero *Petra* posita, quia, cum in antro subterraneo Mithra coleretur, quod plerumque e petra, seu saxo vivo erat, ipse θεὸς ἐκ πέτρας ideo dictus fuit.

b Immo & Gregorius Nazianzenus in suis *in Julianum Invectivis*.

c Atqui pinum Cereri quoque sacram Stephanus testatur in voce Μίλητος. ut & Ovidius l. v. *Metam.* ubi de facibus agit ad quærendam Proserpinam accensis: item lib. IV. *Fastor.* Certe Sacra Cereris multa habuere Isiacis consentientia, quia utrique Deæ frugum inventio tributa fuit. Et hinc Diodorus Sic. l. I. πυθμένας πυρῶν καὶ κριθῶν in memoriam reperæ agriculturæ gestari solitos, cum Isea celebrarentur, memorat. Imo nec alia Ceres, quam Isis: illo nomine apud Græcos culta, hoc apud Ægyptios; unde Græci suam Cererem per Amythaonem acceperunt.

d Reinesius Insr. lib XLVIII. descriptorum errore ita legi ait, cum verum sit, *Hierocorax Dei Solis Invicti Mithræ. Hierocerynces* erant in sacris, qui silentium indicebant, inferioris ordinis ministris: at *Patres* sacrorum principales erant & magistri inter sacerdotes, quibus nihil cum *Hieroceryce* commune. Vide ea de re illic plura.

JACOBI TOLLII
DE
SISTRORUM
VARIA FIGURA
DISSERTATIUNCULA.



Quandoquidem nullus mihi eorum commentariorum præ manibus, quibus hæc ab eruditissimis hominibus, Aleandro, Pignorio, Bossio, ceterisque, pertractata materia est: neque item recens Herodoti, Diodori Siculi, Plutarchi, aliorumque veterum auctorum lectio memoriam meam adjuvat omnibus ferme, hoc tempore, libris & auxiliatricibus copiis destitutam; nullus dubito, quin nonnulla dicturus sim ab aliis jam ante memorata, quorum ego doctis laboribus nil debitæ laudis hac opella mea detractum ire volui; abunde contentus, si hæc qualiacumque æquis animis accipiantur, æstimenturque. Neque enim adeo mei, mearumque lucubrationum amans sum, ut hanc Dissertatiunculam multum mereri laudis existimem, quippe quæ nulla attentiore cura elaborata, nulloque subsidio adjuta literario, verum αὐτοσχεδιασὶ concepta sit, atque exarata.

Ordiemur autem ab ea potissimum Sistri Figura, quam nobis elegantissimi Vir ingenii, plurimæque eruditionis P. R. Benedictus Bacchinus Dissertatione sua illustratam exhibuit. Continet hoc Sistrum quatuor virgulas æreas; quatuor Elementorum Harmoniam sonoro tinnitu suo significantes: quorum terra ultima, & maxime depressa, sejunctiore a ceteris, & inferiore virgula denotatur. Eleganter Auctor, qui nunc a me editur, de Recipiendis Manichæis, Harmoniam hanc expressit, ita Deum in precibus compellantem inducens Episcopum: σὺ ἐκ τεσσάρων στοιχείων τὴν κτίσιν συναρμόσας τετράσι καιροῖς τὸν κύκλον τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐστεφάνωσας: Tu e quatuor elementis mundi creationem coaptans quatuor tempestatibus anni circulum coronasti. Non enim eorumdem elementorum hic motum iisdem virgulis indicari arbitror; quum in pluribus ille Sistris verius aptiusque per ternarium virgularum numerum exprimatur, in quibus cœlum curvatura, seu superiore Sistri parte περιφερεῖ, terra transversa & immobili lamina lineari ab oculos ponitur. Quæ quum & in Strozziano, & in Augustiniano Sistro valde conspicuæ sint, mirari satis artificum nequeo vel incuriam, vel inscitiam. Terra namque stabilis est, atque ideo ἕδρα γενέσεως dicta: de qua Ovidius in I. Metamorphoseon:

—— subseditque infima Tellus.

Et hinc Cybele Deum Mater sedibus in curru vehitur apud Lucretium. Quin & Mercurii lyra, quam ipse Apollini dono dedit, quæque ectypo XV. Harpocratem referente exprimitur, nonnisi tribus instructa chordis, tria his elementa mobilia, ignem, aëra, & aquam; ipso vero suo corpore terram repræsentabat. Hæc ut clarius liqueant, aliorum etiam quorundam Sistrorum figuram respiciamus. Occurrit statim prima ovalis, qua Chaos antiquorum, τὸ Ὠὸν naturæ, A designabatur. Et in hoc quidem Sistro recte quatuor elementa totidem virgulis exprimantur a se invicem disjunctis; quemadmodum & illa Deus, & melior natura discrevit. In secundo rursus ac tertio Casaliano Sistrorum schemate tota rerum natura accuratius depingitur. Duo enim rerum principia illic nobis familiari Chemicis nostris schemate, Aqueo & Igneo, ostenduntur: quorum illud Thaletis, hoc Heracliti. Aqua namque inferius triangulum constituit acumine deorsum vergente, quod latentis in ea ignis argumentum est, & transversa recta linea superiore rerum ortum significante. Superius triangulum pyramidali figura & Ignem nobis exhibet, & cœlum Empyreum repræsentat: nec non rerum ortum, & occasum: quemad- B modum hoc plenius, & perspicue magis e Bossiano Sistro apparet: cujus triangulare ferme fastigium sit, & ascendens trianguli linea Isidis, Veneris Genetricis ac φωσφόρου imagine insignis; descendens vero Nephthyos, Veneris Nocturnæ, seu Naturæ ad corruptionem vergentis, Latinorum Libitinæ rerum finis exornata est. Quod si mihi jam cum Chemicis res esset, illam cum Basilio Valentino Metallum ascendens, hanc descendens appellarem: sive etiam, illam spiritum Mercurialem, hanc Sulphureum denotare dicerem, Sale in triangulo transversam lineam subjectam efficiente. Sed de his fusius in Medicina Chemica agetur: nunc simpliciter Natura consideranda venit. Duo igitur illa schemata intermedias tres virgulas ha- C bent crispante brachio tergeminos ictus argutum sonum reddentes, ut est apud Apulejum, trium elementorum distinctorum indicia, seu Symbola. In Chao namque omnia primum confusa, & inter se permixta fuere elementa: verum cum spiritus Domini, qui ferebatur super aquas, easdem calore suo, velut incubans ovis gallina, foveret, exsiluere primum ignis, mox aer, deinde aqua: terra vero, uti supra dixi, in imum subsedit locum: unde in antiquis Numismatibus Tellus Stabilis legitur. Possit & hæc reddi ratio, quod Aqua trianguli figura descripta terram contineat, cujus hoc est schema 🜄: aer vero ignis vehiculum sit, qui ita notatur 🜁: quæ duo schemata si conjunxeris, erit ipsissima Sistri utriusque figura ◈: quæ & in II. III. D & in XIII. Sistro conspicitur perfectissima, imperfectior autem in sextodecimo: ubi τὸ τοῦ οὐρανοῦ περιφερές observatum est. Quod vero in quinto, sexto, septimo, decimo, duodecimoque duæ tantum virgulæ appareant, duorum id elementorum Aquæ & Ignis, idest Isidis & Osiridis, excellentiæ datum existimo. Unde & in marmore, quod in ædibus Matthæorum exstat, Ignis & Aqua ab Isiacis Sacerdotibus præferuntur. Ex his enim parentibus, ut in Fortuitis ostendi, cuncta gignuntur; omnisque iis adsignanda fœcunditas est, a Mercurio in nummo vetere Damascenorum, apud nostrum exhibito n. VI. conjunctis: qui non frustra ibidem bina manu dextra fert papavera, fœcunditatis apud Veteres Symbolum, uti in Amore Dormiente pluribus demonstratum. Neque id cuiquam mirum ac-

cidere debet, ita in Siſtrorum virgulis, quod ad numerum earum, ab antiquis eſſe variatum; quum in ipſis id factum Diis liqueat. Nam ſive Cabiros, *ſive* Penates, *ſeu* Genios, *ſeu* Lares, *ſeu* Curetes *in partes vocemus, eadem illorum variati numeri ratio eſt. Quum enim quatuor perhibentur, quatuor Elementa denotant: quum tres, Aqua & Ignis cum ſpiritu aerio Mercuriali illa conjungente ſignificantur. Unde in Inſcriptione vetere apud Sponium legas* Miſcell. Er. Antiq. *pag.* 91. Cœlo æterno, Terræ matri, Mercurio Meneſtratori S. *qui Mercurius in Cabiriis Sacris* Casmilus, *ſeu* Camillus, *dictus. Quum duo, illa quoque duo tantum elementa, quæ dixi, Aquæ & Ignis indicantur,* cunctarum contraria ſemina rerum, *ut eſt apud Ovidium in* Faſtis. *Non tamen præfracte negare velim, quatuor hiſce virgulis totidem anni tempeſtatum converſionem deſignari potuiſſe; præſertim quum Porphyrius apud Euſebium* lib. III. de Præpar. Evangel. *ipſos quoque Cabiros, ſeu Curetes (nam eadem res eſt) quatuor anni temporum Symbolum fuiſſe doceat: & trichordis cithara Solis Ver, Æſtatem, & Autumnum, ſive earumdem tempeſtatum anni moderatam ſignificaſſe converſionem referatur. Verum de Elementis eas accipere malim; quandoquidem Deos ſibi inde, ſeu Genios quatuor Ægyptii fecere,* Δαίμονα, *qui Ignis,* Τύχην, *quæ Aqua,* Ερωτα, *qui Aer, &* Ανάγκην, *quæ Terra. Quod autem ternarium virgularum numerum attinet, tot quoque tantum Curetes fuiſſe Proclus tradit* l. v. cap. xxxv. *in Platonem; qui &* Magni, Potentes, Valentes, Jupiter, Juno, & Minerva, Dii Penates Populi Rom. *habiti nil aliud quam Elementa, quæ dixi, tria denotant. Non ignoro tamen aliter aliquanto Deos a Servio* ad lib. II. Æneid. verſ. 296. *explicari. Verum potior mihi Juliani Imperat. ſententia eſt, cui Orat.* v. αἱ τρεῖς ἀρχικαὶ τ͂ μετὰ θεὺς κρειττόνων γενῶν ὑποστάσεις *dicuntur; id eſt, Elementa rerum poſt Deos principia: ſive, ut Epimenides Curetas appellavit,* omnis concinnæ motionis principalia exemplaria. *Sic rurſum iidem Dii, qui apud Dionyſium Halicarnaſſeum, & in antiquis nummis,* Penates, *ſeu Genii* P. R. *gemini tantum memorantur, Jovis & Neptuni cultu atque habitu notabiles. Et quid aliud hi duo Dii, niſi* Ignis *&* Aqua? *iidem ſcilicet, qui in fabula Trojana* Apollo *&* Neptunus, *Trojæ urbis mœnium conditores. At in nummo Getæ apud Triſtanum* Hercules *&* Juno; *apud Samothraces* Cœlum *&* Terra, *uti ſupra, teſte Varrone* l. VI. de L.L. *Quare jure merito, quum ſe his expedire tricis non poſſet, idem Varro apud Arnobium* lib. III. Penatium numerum & nomina ignorari *tradidit. Eadem & Genialium Deorum ratio eſt apud Feſtum.* Geniales, *inquit ille,* Deos dixerunt Aquam, Terram, Ignem, Aerem. Ea enim ſunt ſemina rerum, &c. *Qui ſtatim & Solem, & Lunam, &* XII. *ſigna zodiaci in eorum numerum refert: aucto ſcilicet numero e diverſo cujuſque ad ortum rerum conſervationemque efficaciæ intuitu. Duæ iſtæ virgulæ ad Servii nonnihil facere videntur explicationem, qui in* VIII. Æn. *Virg.* Iſis eſt, *inquit,* Genius Ægypti, qui per Siſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus receſſusque ſignificat. *Veruntamen ad duo illa, quæ dixi, elementa potius referam. Neſcio vero, an non in eodem nummo exſtantibus in Siſtro octo apicibus totidem terræ & ſeptem planetarum orbes ſignificari affirmare auſim. Fortean id ſtudio ac dedita opera factum, quo plura ſimul Symbola exprimerentur, cum quatuor ex his intortæ virgularum inſertarum extremitates eſſe videantur. Certe in præcedente figura eorumdem apicum ſeptenarium numerum planetarum concentum innuere veroſimile eſt, quem & Orpheus totidem chordis apud Poet. Lat. Principem æmulatus eſt. Atque hæc de Siſtrorum figura ſufficiant: quibus pro Corollario hoc unum de* Loti *fructu adjiciam, recte illum & fronti Iſidis n.* III. *&* VIII. *atque item Aſpidis, quæ Iſidis Symbolum,* n. v. *& ſummitati, ſeu faſtigio Siſtri* XVII. *affictum, quod cœleſti Solis calore calor Terræ Matris excitatus ſuaviſſimos fructus ferat, & in lucem eos omnium oculis contuendos producat. Eſt & alia ſecretior, ſed Chemica ratio: quam in* Sapientia Inſaniente *attigimus; ubi de* oleagino *Jovis ſceptro, dulcedineque ejus* olei *paucula dicta ſunt, verum multo plura altera, ſi Deus otium dederit, editione dicentur, adjectis nonnullis de* olea *Minervæ, (Græcis* Αθηνᾶ *dictæ, & in* triangulo *pyramidali ſummum apicem obtinentis ut in* Fortuitis *expoſui) quæ ad explicãdam ſpiritus ſalini dulcedinem plurimum faciunt, poſtquam ſpiritui Vini Philoſophico conjunctus* tertium *cum eodem alembicum Philoſophicum tranſiit. Sed hæc altioris indaginis ſunt, atque ea propter Chemicis curis meis enucleanda relinquentur. Adjicerem & de* fele *quædam, deque ejus oculis, qui ad Lunæ vices vel ampliores fiunt, vel anguſtiores, niſi aliis jam dicta arbitrarer: quæ erecto capite, intentoque & pervigili vultu, efficacem Lunæ in cuncta ſublunaria dominationem, ſimul & novilunii vim quotidie augeſcentem innuit; non ſecus ac decreſcentem, invalidamque, remiſſa ejuſdem cauda ſignificat.*

CASPARIS SAGITTARII
LUNEBURGENSIS
DE
JANUIS VETERUM
LIBER SINGULARIS.

Accedunt ipſius Auctoris Analecta, addendaque ſuis locis inſerta.

VIRO ILLUSTRI AC MAGNIFICO DOMINO

JOHANNI THOMÆ

HÆREDITARIO in *NAUENDORFF*, ICTO CONSUMMATISSIMO, SERENISSIMI PRINCIPIS SAXO-ALTENBURGICI PER ELECTORALEM DUCALEMQUE TUTELAM CONSILIARIO INTIMO, CANCELLARIO EMINENTISSIMO, REDITUUMQUE PROVINCIALIUM DIRECTORI GRAVISSIMO,

Domino & Patrono ſuo humillima animi obſervantia ſummopere colendo, hunc

D E

JANUIS VETERUM

LIBELLUM DEVOTE CONSECRAT

CASPAR SAGITTARIUS, LUNEBURGENSIS.

ILLUSTRIS AC MAGNIFICE

DOMINE CANCELLARIE.



QUOTIES incredibilem Tuam in tanto ſplendore humanitatem, quam non ſemel etiam in meam parvitatem diffundere voluiſti, recordor, toties impenſe doleo, quod nulla mihi hactenus data fuerit occaſio, qua inoſtendere licuerit, quantopere incomparabile patrocinium tuum æſtimem, & quot quantisque nominibus magnificis tuis virtutibus obſtrictus ſim. Habes quidem, fateor, Vir Maxime, magnam clientum Te ſuſpicientium familiam; in qua nemo eſt, qui devota ſua reverentia, obſervantia, obſequio, uſquequaque Tibi ſe probare ſumma non contendat opum vi: ſed, cum ego quoque jampridem inter eos nomen meum profitear, qui excellentem tuam ſapientiam, & in omni literarum genere perfectam eruditionem cum ſtupenda prudentia conjunctam admirantur, nemo bonus mihi vertet vitio, quod cum antehac privatim me admittere dignatus ſis, nunc publice qualicunque hac epiſtola Te alloqui non reformidem. Non eſt profecto, CANCELLARIE Magnifice, cur tuis aliquid dem auribus: cum & Tu aſſentatorium dicendi genus plane averſeris; tum mea natura & ingenium ab eo prorſus alienum ſit: attamen, ſi iſta debito loco non recenſerem, quæ munifica DEI Omnipotentis manus in Te contulit, quæque in Te agnoſcunt & deprædicant maximi, medioximi, infimi; & in ipſum Deum, qui Te Altenburgico Ducatui dedit Cancellarium, & in ſeculum, quod in Te gloriatur merito, quodammodo eſſem injurius. Nimirum, ut de fundamento virtutum reliquarum, divina pietate faciam initium, quis quæſo eſt, qui neſciat, quanto cum religioſo animi fervore Deum tuum colas? quomodo tuas actiones omnes & ſingulas a precibus devotis ordiaris, eaſdemque in hac religione finias? quo pacto nulla Tibi pro-

betur inceptio, conatus nullus, nullum consilium, quod huic virtuti omnium principi non innitatur? Possem hujus tuæ pietatis non paucos citare testes exceptione omni majores; sed sufficiat modo unicum θεοφιλέστατον Virum, sed fato, proh dolor! immaturo, non Ratisbonensibus tantum, sed toti Ecclesiæ Lutheranæ ereptum, Joh. Henricum Ursinum nominare, a quo non semel amicos hanc vocem excepisse scio: *Non tam omnigenam Magnifici Viri, Domini JOHANNIS THOMÆ eruditionem & maximam prudentiam miror, quam singularem, & raram hoc seculo pietatem in eodem miror & deprædico.* Quid? quod si nulla talia exstarent dicta, facta tamen tua ex hac pietate ortum trahentia satis superque eam loquerentur. Prætermitto innumera: unum ne prætercam ejusdem magnitudo facit. SERENISSIMUM æternæ memoriæ PRINCIPEM, FRIDERICUM WILHELMUM, Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium Ducem, Virtutes & Merita tua moverant, ut sua sponte nobile Tibi prædium adscriberet. Tu vero, quasi non posses prius eo frui commode, quam illustris tua pietas primitias ex eo obtulisset Deo, omnes primi anni reditus, memorabili, & ad seros posteros duraturo exemplo, in incendio consumti templi structuram liberaliter conferre voluisti. Amor æquitatis & justitiæ ex hac redundat scaturigine. Quanta enim cum sanctitate verseris in dicundo jure, omnes illi intelligunt, qui Juris & Æqui regulas intelligunt; nec quenquam fore puto, qui jure de Te queri possit, nisi aut malitiam suam accusare, aut malevolentiam suam luculenter velit demonstrare. Tanta Tibi porro est doctrina, tanta rerum omnium scientia, ut, si eandem explicandam aliquis sibi vellet sumere, vix integer Panegyricus sufficeret. Cum aliis, qui pro eruditis habentur, satis sit, singula tenere doctrinarum genera, & sua; Tu solus, incredibili quadam erectæ mentis magnitudine ita universa es complexus, ut in singulis illis peritissimos non æques tantum, verum superes etiam magistros. Non commemorabo nunc ea, quæ proprie ad gravissimum tuum munus spectant, ejusque summa dignitas & excellentia exposcit; nec de Juris tam publici, quam privati exasciata scientia quidquam tangam: non recensebo incomparabilem illam, & dignam CANCELLARIO prudentiam: tacebo prolixa Imperii Acta; nihil afferam de antiquitus aut nuper gestis: quæ cuncta veluti propria Tibi sunt, & in numerato semper habes. Ceterum perfectissima tua, & numeris omnibus absoluta in ceteris doctrinis cognitio in stuporem rapit omnes Eruditos. Summis Theologis in examussitata capitum fidei scientia, & adversariorum strophis refellendis ingeniosa dexteritate nequaquam concedis. Nec magnifico tuo, quod ingenti cum laude sustines, munere indignum censes, in arenam cum adversariis doctoribus descendere, & in divini nominis gloriam, & totius Ecclesiæ solatium, calamum stringere, unamque ex altera victoriam reportare. Non paucos reperire licet ex Jurisconsultorum filiis qui Philosophiam attingere non audent: satis scilicet beatos se putantes, si longam legum priscarum & tantum non desitarum seriem in publicum producere valeant. At Tibi, ab eo tempore, quo jura discere cœpisti, alia mens sedit, Teque in intima Philosophiæ penetralia adeo penetrasti, ut non in cathedra tantum Professoria

commercium legalis prudentiæ, & ſtudii Sapientiæ in Te ſuſpexerit operata literis juventus: ſed nec hodie deſinas, cum tempus, locus, & occaſio id ferant, quæſtiones ex intima Philoſophia depromtas explicare, & reſolvere. Præterea illuſtri tuo exemplo oſtendis, quam pulchre cum Philoſophia conjungi poſſit Philologiæ ſtudium, nec eſſe inter has Divas, ut multi opinantur, diſſidium nullo modo conciliandum. Quid igitur mirum, ſi propter tot tantasque Virtutes, ſi propter tantam Eruditionem ad illud honoris culmen es evectus, quod tantæ Virtuti, tantæ Doctrinæ debebatur? Quid mirum, quod SERENISSIMO PATRIÆ PATRI, heu quondam! NOSTRO in primis carus, & in precio fueris? Quid mirum, quod SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE TUTORES tua conſilia æſtiment, & perenni ſuo favore atque gratia Te cenſeant digniſſimum? Quid mirum, quod JUVENTUTIS PRINCEPS Te gratioſe complectatur, nihilque magis optet, quam ut aliquando DIVI PATRIS exemplo Sibi quoque bene de Te mereri liceat? Quid mirum, quod Magnifici Collegæ Tui ſingulari Te amore proſequantur, ac tecum vivant tam concorditer? Quid mirum denique, quod omnes & ſinguli cives vitam diuturnam, valetudinem proſperam, & quævis felicia ex animo Tibi voveant? Atque hæc quoque devotiſſimi voti mei ſumma eſt, quam ut ratam eſſe velit divina benignitas, quotidianis eam fatigabo ſuſpiriis. Quod reliquum eſt, humaniter admitte, Magnifice Domine Patrone, hunc quem ex pia mente Tibi offero libellum, meaque ſtudia ceu hactenus feciſti, porro quoque magnifico tuo præſidio dignare. Id quod ex animo precor

T. Illuſtris ac Magnifice Domine Cancellarie

Scribebam Salfeldi VIII. *Kl.* An. MDCLXX.

devotiſſ. cliens

CASPAR SAGITTARIUS.

CASPARIS SAGITTARII LUNEBURGENSIS DE JANUIS VETERUM

LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

DE JANUÆ ETYMO, GRÆCO ΘΥΡΑ, ET DERIVATIS AB HAC VOCE.

Summarium.

Janua dicta vel a Jano, Januarum, tum in terris, tum in cœlis præside clavigero: vel ab eundo, ut Janus a Janua nomen haberet. vel a χάω, *sive* χαίνω, *vel ab* hiando, *vel ab* ἰέναι. *Janua Græcis* Θύρα. *Latius disquiritur, unde illa Græcæ & Teuthonicæ linguarum affinitas? An a Druidibus? Tiberius & Claudius Druidas sustulerunt. An Druidæ in Germaniam venerint? Druidæ locuti Græce. An quod Milesii Germanorum accolæ facti? Mixtura linguæ Geticæ, & Germanicæ. An a Phocensium in Gallias, an a Doriensium in Illyricum navigatione? An denique a Brenni eruptione in Græciam?* Θύελον. Θυρίδιον. Θυρίς. Θύρετρον. Διάθυρον. Πρόθυρον. Θύρωμα. *Januæ cum ipsis ædibus cœperunt. Adamus primus architectus. Fabulæ de Saturnino seculo, quo nullæ fuisse dicuntur januæ, Paradisiacam Protoplastorum Historiam sapiunt.*

I. De Januis Veterum, & Antiquitatibus ad eas dem pertinentibus acturi, non immerito ab ipsius vocis origine facimus initium. Est autem pervulgata veterum Scriptorum sententia, a Jano Deo nomen accepisse Januas. Cicero lib. III. *de Natura Deorum: Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt: quod ab eundo nomen est deductum; ex quo transitiones perviæ, Jani: foresque in liminibus profanarum ædium, Januæ nominantur.* Servius *ad lib.* I. *Æneid. Janua est primus domus ingressus, dictum quia Jano consecratum est omne principium.* Isidorus *Originum* lib. XIV. c. VII. *Janua a Jano quodam appellatur, cui gentiles omnem introitum, vel exitum sacraverunt. Unde Lucanus:*

Ferrea belligeri compescat limina Jani.

Sed illustris inprimis est hac de re Macrobii locus *Saturnal.* lib. I. cap. IX. *Etenim sicut Nigidius quoque refert, apud Græcos Apollo colitur, qui* Θυραῖος *vocatur: ejusque aras ante fores suas celebrant, ipsum exitus & introitus demonstrantes potentem. Idem Apollo apud illos &* Ἀγυεὺς *nuncupatur, quasi viis præpositus urbanis. Illi enim vias, quæ intra pomœria sunt,* ἀγυὰς *appellant. Dianæ vero ut Triviæ viarum omnium iidem tribuunt potestatem. Sed apud nos Janum omnibus præesse januis ostendit, quod simile* Θυραίῳ. *Nam & cum clavi ac virga figuratur; quasi omnium & portarum custos & rector viarum.* Et paulo post: *Voluerunt Janum ab eundo dictum, quod mundus semper eat, dum in orbem volvitur, & ex se initium faciens in se refertur, unde & Cornificius, Etymorum libro* III. *Cicero, inquit, non Janum, sed Eanum nominat ab eundo.*

II. Januis certe præfuit Janus. Glossæ Philoxeni: *Janus,* θυραῖος θεός. Septimius antiquus Poeta apud Terentianum Maurum, libro *de Metris:*

Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, biformis,
O cate rerum sator, o principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.

III. Neque foribus tantum hoc in orbe præfuit, sed & ipsius cœli janitor esse traditur. Ovidius eum sic loquentem inducit lib. I. *Fastorum:*

Præsideo foribus cœli, cum mitibus Horis,
Et redit officio Jupiter, itque meo.

Idem:

Cur quamvis aliorum Numina placem,
Jane tibi primum thura merumque fero?
Ut possis aditum per me, qui limina servo,
Ad quoscunque voles, inquit, habere Deos.

Vide Vossium *de Idololatria* lib. II. cap. XVI.

IV. Atque hinc est, quod cum clavi ipsum efformarint Veteres. Macrobii locum vidimus. Ovidius lib. I. *Fastor.*

Ille tenens baculum dextra, clavemque sinistra.

Silius Italicus lib. III.

Exin clavigeri veneratus Numinis aras.

Arnobius lib. VI. *Fronte Janus ancipiti, aut dentata illa, qua insignitus est, clavis.*

V. Etsi vero Cicero Januam a *Jano*, Janum ab *eundo* dictum censet, aliis tamen magis placet ab *eundo* dici Januam, ab illa vero *Janum* nomen accepisse, quod *Januis præest*. Ita Tertullianus *de Corona Militis* cap. XIII. *Christianus nec januam suam*

laureis infamabit, si norit quantos Deos etiam ostiis Diabolus affinxerit, Janum a janua, Limentinum a limine, Forculum & Cardeam a foribus & cardinibus, & apud Græcos Thyræum Apollinem, & Antelicos dæmonas. Et clarius *de Idololatria* cap. XV. quem locum cap. III. §. XXIII. laudavimus. Etiam *Januarii* mensis appellationem a *janua* derivat Hieronymus *in Zachariæ* c. VIII. *Mense decimo, qui apud nos Januarius dicitur, eo quod janua anni sit, atque principium.*

VI. Verum aliæ quoque afferuntur hujus nominis causæ. Nam a χάω, χαίνω, sive χάσκω, *hisco*, deducunt. Et hinc etiam ipsius Jani nomen arcessit Festus. *Chaos*, inquiens, *appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem hiantem, patentemque in profundum, ex eo & χαίνειν Græci, & nos hiare dicimus. Unde Janus detracta aspiratione nominatur ideo, quod fuerit omnium primus, cui primo supplicabant velut parenti, & a quo rerum omnium factum putabant initium.*

VII. Sunt qui a Latino *hiare* dictam volunt Januam, quod hiet, & patescat.

VIII. Nonnullis denique a Græco ἰέναι nomen accepisse videtur: quia per eam itur in domum. ita etiam antiqua vox Germanica *Gat* pro foramine & janua, a *gehen* natum videtur. Hodie Angli januam *gat* appellant.

IX. Græcis Janua appellatur θύρα, unde Germanicum nostrum *Thur*.

X. Sunt plurimæ in vernacula nostra voces, quæ partim cum Græcis conveniunt examussim, partim ex iis formatæ sunt: ut taceam de eo, quod utriusque linguæ phrasis ita concordet, ut paucas ex Syntaxi Græca regulas invenire liceat, quæ nostri idiomatis exemplis confirmari nequeant. Unde vero nata sit hæc utriusque linguæ convenientia, dudum est quod eruditi magna cum contentione quæsiverunt.

XI. Ac sunt initio non contemnendi Scriptores, quæ Græca nos accepisse a Druidibus, Gallorum Sacerdotibus, qui a Tiberio Cæsare Gallia ejecti commigrarint in Germaniam. Johannes Aventinus lib. II. *Annal. Bojorum: Druidas Gallorum Philosophos & Vates Tiberius Imperator exegit omni Gallia: succisa eorum sylva ipsi in Germaniam trans Rhenum demigrarunt.*

XII. Tiberium sane sustulisse Druidas confirmat Plinius *Hist. Nat.* lib. XXX. cap. I. his verbis: *Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum* (Gallorum) *& hoc genus vatum medicorumque.* Sed quia Sueton. memorat Claudium eorum *religionem utpote diræ immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdictam penitus abolevisse.* Lipsius *Commentar. ad lib.* XII. *Annal. Taciti*, Tiberium Druidas in urbe tantum, Claudium in ipsa Gallia sustulisse putat: cui calculum suum adjicit Vossius lib. I. *de Idololatria*, cap. XXXV. Seneca in *Apocolocyntbosi*: *Druidarum perfidiæ gentis Gallicæ illius immanem religionem prorsus exstirpavit.* Attamen sub Vitellio adhuc Druidarum meminit Tacitus: ac confer Lampridium in *Alexandro*, Vopiscum in *Aureliano*: nisi, ut monuit Pithœus in *Adversariis*, solum morem ἀνθρωποθυσίας, non universam gentem Druidarum, Claudium Imp. sustulisse, credamus.

An vero tum in Germaniam se contulerint, non memini in veteri Historia me legere: quamquam non adeo plane a vero videtur esse absonum.

XIII. Unde vero Conradus Celtes in *Descriptione Norimbergæ* cap. III. hauserit, quod Druidæ *sub Carolis, Arnulpho, & Ottonibus Christianam religionem interpretantes totam Hercyniam in amœnis & irriguis vallibus, & aprorum ac cervorum saltibus sub annosis & nigris quercubus, a quibus cœnobiorum suorum nomina, occupaverint*, fateor me ignorare.

XIV. Quod si tamen aliquando sedem fixerunt in Germania, Græcam linguam inferre potuerunt. Eadem enim illos fuisse usos tradit Cæsar libro IV. *de Bell. Gall. Magnum*, inquit, *numerum versuum ediscere dicuntur, itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent, neque fas esse existimant ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus publicis, privatisque rationibus, Græcis literis utantur.*

XV. Alii Græcæ cum Germanica cognitionem inde natam arbitrantur, quod Milesii Græciæ Asiaticæ populi, sedes suas Germanis conjunxerint, & ad Getas, & præcipue in urbem Tomitanam, coloniam deduxerint. Quod testatur Ovidius lib. III. *Tristium*:

Sic quoque sunt urbes Grajæ (quis credere posset?)
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoque Mileto missi venere coloni:
Inque Getis Grajas constituere domos.

Unde mixtam Græcorum linguam Geticæ seu Germanicæ (Getas, Germanicum esse populum confirmat Irenicus *Exeges. German.* lib. I. cap. XXVIII.) idem lib. V. *Tristium* auctor est:

Mixta sit hæc quamvis inter Græcosque Getasque.
A male pacatis plus trahit ora Getis.

XVI. Sunt qui causam referunt in navigationem Phocensium in Gallias Celticamque: alii in navigationem Doriensium Pæonisque in Illyricis tractum: alii in reditum Galatarum ductore Pathanatio ad Istrum: alii in Brenni sociorumque eruptionem in Græciam: de quibus prolixe agit Wolffgangus Lazius lib. II. *de migrationibus gentium.*

XVII. Nos, quia plena hujus quæstionis tractatio huc proprie non spectat, eandem in alium locum differimus, & ad Græcum nostrum θύρα postliminio revertimus.

XIIX. Ab hac voce est θύριον, & θυρίδιον, *parva janua, ostiolum*; item θυρὶς, *fenestra*: quamquam & θυρίδες pro foribus accipiuntur. θύρετρον Poetis idem est quod *janua*, qua tamen voce quoque usus est Xenophon. Sunt tamen qui θύρετρα, *limina* interpretari malunt; sed apud Homerum Scholiastes exponit θύρας.

XIX. Hinc descendit quoque θυρεὸς, quod apud Homerum *Odyss. α.* V. CCXL. itidem *januam* denotat. At vero ejus posteri θυρεὸν appellarunt quoddam scuti genus, a magnitudine παρωνυμούμενον τῇ θύρᾳ διὰ τὸ μέγεθος, inquit Eustathius. vide Turnebum *Adversarior.* lib. XI. cap. XXVII. Lipsium *de militia Rom.* lib. III. Vocem θυρεὸς, quæ *scutum* denotat, a Græco θύρα derivamus, secuti communem Etymologorum sententiam. In alia tamen opinione est Vir Summus Samuel Bochartus, qui lib. I. *Canaan* cap. XLII. peregrinum vocabulum esse censet. Quam fœde erraverit Ruffinus in versione hujus vocis apud Eusebium præclare monuit Amicus meus singularis, Vir Clariss. Joachimus Johannes Maderus *Præfat. ad Haimonis Historiam Ecclesiasticam*, non ita pridem a se correctius editam.

XX. A θύρα porro derivantur Διάθυρον, πρόθυρον, ὑπέρθυρον & ὑπόθυρον. Ex quibus Διάθυρον est (ut Budæus existimat) *obex transversarius, ductilis, aut versatilis*, id est, repagulum, quod & vehicula & equos a vestibulo ædium arceat. At πρόθυρον, pro quo etiam invenitur προθυρὶς, est ante januam vestibulum, ut interpretatur Vitruvius lib. VI. scri-

bens: Πρόθυρα *Græce dicuntur, quæ sunt ante januam vestibula; nos appellamus* πρόθυρα, *quæ Græci* διάθυρα. Πρόθυρον ergo dicitur de privatis ædibus, ut προπύλαιον de vestibulo urbis, vel templi, vel regiæ. Apud Homerum non solum legitur πρόθυρον, sed etiam πρόθυρα in numero multitudinis. Sic & apud Platonem πρόθυρα invenies pro vestibulo. De vocibus ὑπέρθυρον & ὑπόθυρον alibi agemus hoc libello.

XXI. A θύρα etiam deducitur θύρωμα obstructio, quæ fit per januam, sive apponendo januam. Sed pro ipsa etiam janua capitur a Lysia, teste Budæo, qui alioqui θυρώματα vertit *postes*. Thyromatum, id est, *ostiorum*, meminit Vitruvius lib. IV. cap. VI. Demosthenes θύρομα vocat tabulamentum ad januas faciendas. De ceteris consulantur Lexicographi.

XXII. De origine & inventione Januarum non est, quod multum laboremus. Nam cum ipsis ædibus easdem esse inventas est in propatulo. Quem autem alium primæ domus architectum statuamus, quam Adamum, πρῶτον τῶν ἀνθρώπων; τούτου γὰρ, ut inquit Suidas, πάντα εὑρήματα καὶ διδάγματα, καὶ ὅσαι κατὰ τὸν βίον ἀναγκαῖαι χρεῖαί τε καὶ δίαιται. *Hujus sunt omnia inventa & documenta, ac omnes doctrinæ, & quicquid ad vitam degendam est utile & necessarium.*

XXIII. Saturnio quidem ævo, *non domus ulla fores habuit*, ut Tibullus canit lib. I. eleg. III. Et,

Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Janua:

ut idem cecinit Tibullus, lib. III. eleg. III. Sed quis non videt, ea esse fabulosa? Quo tamen ipso docemur, de Paradisiaca primorum hominum felicitate aliquid inaudivisse Gentiles: id quod alibi a nobis plenius ostendetur.

CAP. II.

DE TRANSLATIS JANUÆ SIGNIFICATIONIBUS.

Summarium.

Janua pro exordio, aditu, occasione, commoditate alicujus rei. Janua lethi, pro causa, & via mortis. CHRISTUS salutis janua.

I. SICUTI per Januam intromittimur in domum, ita per elegantem translationem pro *exordio, aditu, occasione, commoditate alicujus rei* sæpissime hoc vocabulo usi sunt Scriptores Antiqui. Ex innumeris pauca delibabimus. Cicero *pro Plancio: Non qua volui janua ingressus sum in causam.* Ovidius lib. I. *Tristium.*

Quaque tenet Ponti Byzantia littora fauces,
Hic locus est gemini janua vasta maris.

Idem lib. III. *Trist.* Eleg. II.

Hei mihi, quod toties nostri pulsata sepulchri
Janua, sed nullo tempore aperta fuit.

Lib. II. *de Ponto*, Eleg. VII.

——— *Lætitiæ janua clausa meæ.*

Lib. I. *de Remedio Amoris.*

Sed tamen est artis tristissima janua nostræ.

Juvenalis Sat. III. vers. 4.

Janua Bajarum est, & gratum littus amœni
Secessus.

Silius lib. XVII.

Ad finem ventum, claudenda est janua belli.

Apulejus *Apologia: Os animi vestibulum, & orationis janua.* Sic & Q. Cicero *Frontem animi januam* dixit. Quod dicendi genus in memoriam mihi revocat, quod Lucretius oculos nobis pro foribus esse canit lib. III. v. 368.

Lumina luminibus quia nobis præpediuntur:
Quod foribus non fit, neque enim qua cernimus ipsi
Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.
Præterea si pro foribus sunt lumina nostra;
Jam magis exemptis oculis debere videtur
Cernere res animus sublatis postibus ipsis.

Pietatis januas *aperire*, id est, *pietatem docere*, dixit Arnobius lib. I. *adversus Gentes: Ergone ille religionis & impietatis auctor arguitur, qui veram in orbe religionem induxit, qui hominibus cæcis, & revera in impietate degentibus* pietatis *aperuit* januas? Sic Isidorus Pelusiota dixit, ἀνοῖξαι τῶν νοημάτων θύραν, *aperire intelligentiæ januam*, lib. III. Epist. XCII. Ita & Georgius Pisides suum *de Vanitate mundi* opusculum exorsus est:

Ἀνοῖξον ἡμῖν τοῦ λογισμοῦ τὰς πύλας
Ὁ τοῦ ὄνου πρὶν διανοίξας τὸ στόμα.
Ratiocinandi tu pande fores,
Asinæ profandi qui ora pandisti prius.

Januam pœnitentiæ, reperimus apud Hieronymum *in Amosi* cap. V. *Epistolæ*, apud Augustinum Epist. CCIII. *Jam reddita ratione*, inquit, *cur* epistolæ *talem* januam *fecerim*. Idem de *januis carnis*, *Confession.* lib. X. cap. X. *Percurro* januas *omnes* carnis *meæ, nec invenio, qua earum ingressæ sunt.* Et cap. XVI. *Rerum ipsarum notiones nulla* janua carnis *accepimus*. Ambrosius lib. V. Epist. XXXVII. *Spiritus ille habens potestatem, qui se immersit in cor Judæ, & comminuit* animæ *ejus* januas.

II. Imprimis autem observare licet in Poetis, quod *januam lethi*, pro causa, & via mortis sæpe usurpent. Præivit Lucretius lib. I. vers. 1104.

Nam quacunque prius de parti corpora cesse
Constitues: hæc rebus erit pars janua lethi.

Et lib. III. v. 830.

Haut igitur lethi præclusa est janua menti.

Sequutus est Virgilius lib. II. *Æn.* v. 661.

——— *patet istbic janua letho.*

Et Ovidius lib. I. *Metam.* v. 662.

——— *Præclusaque janua lethi*
Æternum nostros luctus extend t in ævum.

Lib. III. *Tristium* Eleg. II.

Exstimulate, precor, cessantia fata, meique
Interitus clausas esse vetate fores.

Nec minus Silius It licus lib. XI. v. 188.

Hæc ut velle queat nullos vos invida tanto
Armavit natura bono, quam janua mortis.

Ut & Papinius Statius lib. V. *Sylv.* III. v. 257.

——— *Sed nec lethi tibi janua tristis.*

Itemque Valerius Flaccus lib. III. *Argonaut.*

——— *patet ullis janua lethi.*

Idem lib. IV.

Præmia sed manes reclusaque janua lethi.

Arnobius lib. II. *Omnis passio lethi atque interitus janua est.* Et eodem libro: *Rursus vero si animæ adeunt januas, Epicuri ut sententia definitur.*

III. Neque ipsæ Sacrarum literarum Pandectæ translatum dicendi genus de Januis refugiunt: id quod Mathias Flacius in *Clave S. Scripturæ* & Salomon Glassius in *Philologia Sacra* pluribus ostendunt; ut mihi non sit necesse loca huc transcribere. CHRISTUS ipse Januam se vocat ovilis spiritualis, quod est Ecclesia, Johannis X. v. I. 7. 9. quia est solus ille mediator, per cujus agnitionem recte in Ecclesiam, & per hanc in vitam æternam introitur.

CAP. III.

DE SYNONYMIS JANUÆ, OSTIO, ET FORIBUS.

Summarium.

Ostii, Forium, & Valvarum differentia. Ostium non est ab ἀποσείειν*, nec ab* ἐξωθεῖν*, neque ab osse, neque ab arcendo; sed, vel ab ore, vel ab obstando. Isidorus dictum putat vel ab hostibus, vel ab ostendendo. An scribendum, Hostium. Ostia Tiberina, civitas Italiæ, ab Anco Marcio condita, ac Imp. Claudio portu exornata. Ostiensis porta Romæ. Via Ostiensis. Valerius Architectus Ostiensis. Ostia, fluviorum exitus. Ostia Nili. Ostiolum. Ostiatim. Tributum Ostiarium. Fores, earumque etymon. Forum, pro forium. Foris in numero singulari reperitur in casu primo, secundo, quarto, & sexto. Foricula. Forculus Deus. Foras, Foris, Forinsecus. Forare. Foramen. Bifores. Quadrifores.*

I. HABENT autem Latini plures voces, quibus ædium introitum designant, utpote OSTIUM, FORES, VALVAS: quamvis hæc olim ita distinguerentur, ut intra januam quæ essent minores januæ, *Ostia* dicerentur; *Fores*, quæ foras aperirentur; *Valvæ*, quæ plicatiles essent, seseque velarent. Servius *ad* I. *Æn. Fores propriæ dicuntur, quæ foras aperiuntur: sicut apud Veteres fuit. Valvæ autem sunt, (ut dicit Varro) quæ revolvuntur, & se velant. Janua autem est primus domus ingressus, dicta quia Jano consecratum est omne principium. cætera intra januam, ostia vocantur generaliter, sive valvæ sint, sive fores: quamvis usus ista corruperit.* Isidorus Commentario Differentiarum apud Barthium *Adversarior.* l. XL. c. X. *Janua est aditus primus in domo; Ostium in quemlibet locum domus, similiter ut janua sine vel cum claustris patens; Fores, quæ foras vertuntur; Valvæ, quæ intus aperiuntur, & duplices, & multiplices, & complicabiles. Portæ vero murorum.*

II. De singulis agemus paulo explicitius.

III. OSTII etymon nonnulli in Græcia quærunt, inter quos est doctissimus Aristophanis Scholiastes, qui *in Plutum* scribit: Ῥωμαῖοι ὤστια τὰς θύρας φασὶ, παρὰ τὸ ἐξωθεῖν τὸν ἐπερχόμενον. *Romani Januas vocant Ostia, propterea quod extrudant irrumpentem.* Longius adhuc progressus Angelus Decembrius, qui lib. IV. *de Politia Literaria* putat venire ab ἀποσείειν, *repellere:* quod merito nos repellimus.

IV. Sed videtur esse Latinum. Neque tamen ab *osse* deducitur, quod est ridiculum, ac proinde rejiculum. Nec video, quomodo ab *arcendo* derivetur, quod Fungero placuit. Sed est vel ab *ore*, quia sit *os domus*; quod etymon arrisit Prisciano, vel ab *obstando*: quomodo Isidor. scribit lib. XIV. *Origin.* cap. VII. *Janua est primus domus ingressus: cetera intra januam ostia vocantur. Generaliter quidem Ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum.* Præivit in hoc etymo non Servius modo, sed & Vitruvius. Nam in illud Virgilii VI. *Æn. Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum*, sic scribit Servius: *non sine causa dixit aditus & ostia. Nam Vitruvius, qui de Architectonica scripsit, ait, cum ab aliquo arcemur ingressu, id ostium dici ab obstando: cum ingredimur, aditum ab adeundo.* Quod si id ita est, Ostium proprie diceretur de clausis foribus; uti Janua de apertis, quippe quas ab eundo nomen accepisse multis visum est.

V. Duo præterea alia Ostii etyma affert Isidorus; A vel *quod hostem moratur;* vel *quod ostendit aliquid intus. Sive*, inquit, *Ostium dictum, quia ostendit aliquid intus. Alii ajunt ostium appellari, quia hostem moratur. Ibi enim adversariis nos objicimus. Hinc & ostia Tiberina, quia hostibus sunt opposita.*

VI. Prius procul dubio amplectuntur, qui cum adspiratione scribunt Hostium. Sed reclamant libri veteres, & lapides: & ab hostium, quod est secundus casus in plurativo numero ab hostis, discernitur.

VII. Quod ad *Ostia Tiberina* attinet, quorum mentionem fecit Isidorus, sic dicta erat amœnissima civitas, quam in ore Tiberis condidit Ancus B Martius, coloniamque eo deduxit. Livius lib. I. *Hoc Rege usque ad mare imperium prolatum: & in ore Tiberis Ostia urbs condita; salinæ circa factæ.* Florus lib. I. cap. IV. *Urbi Tiberinum ponte commisit: Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit.* Plinius lib. III. cap. V. *In principio est Ostia, colonia a Romano Rege deducta.* Auctor *de Viris Illustribus* in Anco: *Ostiam coloniam maritimis commeatibus opportunam in ostia Tiberis deduxit.* Vide porro de hac urbe Dionysium Halicarnass. lib. I. & III. Strabonem lib. IV. Stephanum in ὠστία. Claudius Imperator ad hanc civitatem portum ingentibus sumtibus exstrui curavit, aggeribus in C ipso mari jactis, & circumductis brachiis. Suetonius in *Claud.* cap. XX. *Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextro sinistroque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta.* Hieronymus in *Chronico: Claudius portum Ostiæ exstruxit, dextra lævaque duobus quasi brachiis objectis.* adi etiam Plinium *Hist. Nat.* lib. XVI. cap. XL. & lib. XXXVI. cap. IX.

VIII. Ab hac civitate porta Romana, quæ Ostiam spectabat, *Ostiensis* appellabatur; cujus præter ceteros Ammianus meminit lib. XVII. nec minus via, quæ Roma Ostiam ducebat, cujus etiam meminit Prudentius *Peristeph.* hymno VI. vers. 45.

D *Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis.*

Et nobilis quidam Architectus Valerius, Ostia oriundus, Ostiensis dicitur Plinio lib. XXXVI. c XV. Item *Lavacrum Ostiense*, apud Julium Capitolinum in *vita Antonini Pii.*

IX. Nomen Oppidi singulari numero fœminino que genere usurparunt Romani, ac *Ostiam* dixerunt. Verum ab initio communi amnis ostiorum appellatione dictum volunt numero plurali: Ὠστία Τιβερίνα, quia positum erat ad amnis bicornis exitus, quos Latini plerumque dicunt *Ostia*. Augustinus *Confess.* lib. IX. cap. VIII. *Cum apud* Ostia Tiberina *essemus, mater defuncta est.* Vide & E cap. IX. & X. ejusdem libri.

X. Plerumque dico. Nam etiam in numero unitatis hoc sensu reperitur apud Tullium *pro lege Manilia* & *Philipp.* III. Sic Plinius lib. III. cap. IV. *Ferme circa urbem Romam ab ostio Aterni amnis in Adriaticum mare influentis ad Tiberina Ostia*: ut adeo errent, qui in hac significatione singulari numero carere dixerunt.

XI. Ostiorum Nili frequens est apud Poetas mentio. Ovidius lib. II. *Metamorph.*

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet, Ostia septem.
F *Pulverulenta vacant septem sine flumine valles.*

Idem lib. V.

—— *Et septem discretus in Ostia Nilus.*

Lib. II. *Trist.* Eleg. V.

Ille fluens dives septena per Ostia Nilus.

Lucretius lib. VI. v. 715.

Unicus in terris Ægypti totius amnis:
Is rigat Ægyptum medium persæpe calorem:
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra.

V. 725.

Fluctibus adversis oppilare ostia contra.

Virgilius lib. VI. *Æn.* v. 800.

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.

Claudianus *de Phœnice* v. 100.

Ostia nigrantis Nili septena vaporat.

Prudentius lib. II. *contra Symmach.* v. 606.

—— —— —— & quos
Ganges alit, tepidique lavant septem ostia Nili.

Ostiorum Nili nomina recenset Plin. lib. V. cap. X. & Ammianus Marcellinus lib. XXII.

XII. Ab Ostium derivantur Ostiolum, Ostiarius, Ostiatim, Ostiarium. Ostiolum legas apud Plinium, Columellam, Petronium. Plin. lib. XIX. cap. VIII. *Adeo ut ostiola olitoria ex his factitari cœperint*. Columella lib. VIII. cap. XIV. *Quas singulas satis est habere quoquo versus pedes ternos, & aditus singulis firmis ostiolis munitos*. Hieronymus *in Amos*, cap. III. *Pro domo hyemali* ὁ οἶκον ὁ περίπτερον, LXX. *transtulerunt: quod nos interpretati sumus, pinnatam, eo quod* ostiola *habent per fenestras, & quasi pinnas ad magnitudinem frigoris repellendam*.

XIII. Adverbium *Ostiatim* habet Cicero *Verr.* VI. *Nolite exspectare, dum ego hoc crimen agam ostiatim.* Seneca *Consolat. ad Marciam* cap. XV. *Quod si tibi exempla vis referri fœminarum, quæ suos fortiter desideraverunt, non ostiatim quæram*. Quinctilianus: *Sectanda singula, & velut ostiatim pulsanda*. Apulejus *Metam.* lib. II. *Tamen dum in luxu nepotali simul ostiatim singula pererro*. Idem lib. III. *Nam cum fere jam tertia vigilia scrupulosa diligentia cuncta civitatis ostiatim singula considerans circumirem*. Vopiscus in *Carino* cap. XVII. *Longum est, si de ejus luxuria plura velim dicere: quicumque ostiatim cupit noscere, legat etiam Fulvium Asprianum*. Eutropius lib. X. *Constantius adeo cultus modici, ut feriatis diebus, si cum amicis numerosioribus esset epulandum, privatorum eis argento ostiatim petito triclinia sternerentur*. Adverbio *Ostiatim* elegantissime utitur Cyprian. lib. II. Epist. XI. his verbis: *Ac ne eorum furens audacia unquam desisteret, hic quoque in schismatis partes CHRISTI membra distrahere, & Catholicæ Ecclesiæ corpus unum scindere ac laniare nituntur, ut ostiatim per multorum domos, vel oppidatim per quasdam civitates discurrentes obstinationis suæ, & erroris scissi* (quid si legas *spissi?*) *sibi quærant comites*. Adverbium *Ostiatim* etiam legas in Epitaphio Nepotiani: *Ruffini caput pilo Constantinopolin gestatum est, & abscissa manus dextera ad dedecus insatiabilis avaritiæ* ostiatim *stipem mendicavit*. Orosius lib. I. cap. V. *Edat Hispania sententiam suam, cum per annos ducentos ubique agros suos sanguine suo rigabat, importunumque hostem ultro* ostiatim *inquietantem nec repellere poterat, nec sustinere*.

XIV. De *Ostiariis*, qui iidem erant cum Janitoribus Veterum, agemus postea singulari capite.

XV. *Ostiarium* tributi erat genus, quod ostiorum nomine pendebatur. Cæsar lib. III. *de Bello civili* cap. XXXI. de Scipione: *Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur, in capita singula servorum ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, Ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. cujus modo rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur*. Meminit hujus tributi Cicero lib. III. *Famil.* Epist. VIII. *Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumtu legationum aut minuendo, aut remittendo decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum a me postulassent; ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque ostiorum inducerentur sumtus minime necessarii*. Ad *Ostiarium tributum* non male fortassis etiam hæc Tertulliani retuleris lib. I. *ad Nationes* cap. X. *Dei vero, qui magis tributarii magis sancti, imo qui magis sancti, magis tributarii, majestas constituitur in quæstum: negotiatio religione proscribitur, sanctitas locationem mendicat: exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri, pro stipitibus,* (malim *liminibus*) *pro ostiis*.

XVI. FORES miro modo a θύρα deducunt Angelus Caninius in *Hellenismi Alphabeto*, Josephus Scaliger *Conjectaneis ad Varronem*; & Petrus Johannes Nunnesius in *Grammatistice*: υ ipsis in ο abit; θ mutatur in F. At Stephanus Guichardus derivat ab Ebræo פרש *pandit*; pro quo facit, quod Chaldæis ostium ab hac radice dicitur פרשות *peraschut*. Servius dictas censet, *quod foras aperiantur*.

XVII. Gignendi casus habet *Forium*; pro quo per Syncopen dixit Plautus *Forum*: *Curcul.* act. I. sc. III.

Placide egredere, & sonitum prohibe forum, crepitum cardinum.

XVIII. Quamvis autem numerus plurativus maxime in usu est; tamen etiam in singulari casum primum reperias. Terentius *Adelph.* act. II. sc. III. v. II.

Sed quidnam foris crepuit?

ubi Donatus: *Foris singularis numeri, nominativi casus*. Sed Plautus sæpissime. *Amphitr.* I. II. 34.

Orationem comprimam! Crepuit foris.

Et *Cas.* II. I. v. 15.

Sed foris concrepuit, atque ea ipsa eccum egreditur
Foras.

Iterum v. I. v. 17.

— Tace! vostra foris crepuit.

Bacch. IV. IX. v. 134.

Tantas turbellas facio. Sed crepuit foris.

Vide etiam *Mostell.* II. II. v. 75. & v. I. v. 15. *Pers.* III. II. v. 5.

XIX. Casum secundum habet Vitruvius lib. IV. cap. VI. *In latitudinem adjiciatur amplius foris latitudo*.

XX. Idem Plautus casu quarto utitur. *Casin.* v. II. v. 17.

— Forem obdo, ne senex me opprimat.

Bacchid. IV. VII. v. 35.

Forem hanc pauxillum aperi, placide, ne crepa.

Nec refugit Cicero *pro Corn.* *Aperuit forem scalarum*. In Apulejo non miror, qui lib. IX. dixit: *Forem pulsare validius*.

XXI. Invenias etiam sextum casum, Ovid. lib. II. *Fast.*

— Custos in fore nullus erat.

Apulejus lib. I. *Adducta fore*; & lib. X. *Obserata fore*.

XXII. A Foris est *Foricula*. Varro lib. I. *de Re Rustica* cap. LIX. *Et ideo oporothecas, qui faciunt ad aquilonem, ut fenestras habeant, atque ut aere perflentur curant: neque tamen sine foriculis, ne, cum humorem amiserint, pertinaci vento vieta fiant*.

XXIII. Item *Forculus* Deus, qui foribus præsidet, quasi *Foriculus*. Augustinus *de Civ. Dei*, lib. IV. cap. VIII. *Unusquisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit. Tres Deos istos posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus simul fores & cardinem limenque servare*. Idem lib. VI. cap. VIII. *Cur* Forculus, *qui foribus præest, & Limentinus, qui limini, Dii sunt masculi, at-*

que inter hos Cardea fœmina eſt, quæ cardinem ſervat? Tertullianus libro *de Idololatria* cap. XV. *Certi eſſe debemus, etiam oſtiorum Deos apud Romanos Cardeam a Cardinibus appellatam, & Forculum a foribus, & Limentinum a limine, & ipſum Janum a Janua.* Meminit etiam hujus Forculi libro *de Corona militis*; & in *Scorpiaco adverſus Gnoſticos*. Cyprianus *de Idolorum vanitate*: *Eſt & Forculus a foribus, & a liminibus Limentinus, & Cardea a cardinibus.*

XXIV. Ut eſt a θύρα, θύραζε, ſic habemus Latinum adverbium *foras*; item *foris* θύραθεν, ut ab hoc deſcendit *forinſecus*: quod præter cæteros habent ſequentes Scriptores. Oroſius lib. II. cap. XIII. *Tanta in ipſis erat malorum animorumque contentio, ut vel domeſticas clades ſuperfuſa* forinſecus *bella obliterarent*. Utitur hac voce Auguſtinus Epiſt. CIII. CXX. CCXXII. *Confeſſ.* lib. IX. cap. IV. *De Quantitate Animæ* cap. V. *Enchiridio ad Laurentium* cap. LIX. & LXXVI. *De Trinitate* lib. III. cap. VIII. & IX. lib. IV. cap. XVII. *De Sermone Domini in monte* lib. I. cap. II. & alibi ſæpius, inprimis eam opponens voci, *Intrinſecus*. Columella lib. VIII. cap. III. *Ab coborte forinſecus prædictis feneſtellis ſcandulæ ſimiliter injunguntur, quibus irrepant aves ad requiem nocturnam*. Ammian. Marcellin. lib. XXI. *Oppida forinſecus tranſibat & caute*. P. Diaconus lib. V. *Attila cernit aves, quæ ciconiæ appellantur, uno impetu ex urbe migrare, fœtusque ſuos ſublatos roſtris per rura forinſecus deportare.*

XXV. A *Foris* eſt *Forare*, unde Foramen: quod pro parvis foribus ponitur in hoc Siſennæ *Hiſtoriar.* lib. IV. apud Nonium: *Neque porta, neque ullum foramen erat, qua poſſet eruptio fieri*. Et in illo Ciceronis *Tuſcul.* lib. I. *Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quæ patent ad animos a corpore, callidiſſimo artificio natura fabricata eſt.*

XXVI. Sunt & a *Fores* compoſita, *Bifores*, *Quadrifores*: ut apud Ovidium lib. III. *de Ponto*; *bifores feneſtræ.*

Nox erat, & bifores intrabat luna feneſtras.

Et *valvæ bifores* lib. II. *Met.* fab. I.

Argenti bifores radiabant limine valvæ.

XXVII. Metaphorice *Artis fores* Plinius pandit lib. XXXV. cap. IX. Verba hæc ſunt: *Ab hoc* artis fores *apertas Zeuxis Heracleotes impetravit*. *Fores oculorum* dixit Auguſtinus *Confeſſ.* lib. VI. cap. VIII. *Fores carnis ſuæ*, lib. X. cap. XVI. *Memoriæ*, cap. VII. *Intelligentiæ*, *de Doctrina Chriſtiana* lib. II. cap. XVI. Sic Hieronymus *in Danielis cap.* XI. *Inito certamine juxta oppidum Raphiæ, quod in* foribus Ægypti *eſt, omnem Antiochus amiſit exercitum*. Idem *in Michææ cap.* I. *Quæ in ipſis* Aſſyriæ captivitatis *eſt* foribus.

CAP. IV.

DE VALVIS.

Summarium.

Valvæ, quæ differunt a Januis biforibus, dictæ ſunt vel a volvendo, vel ab אוכל. *vel a* βαλβὶς. *Valvæ præcipue fuerunt templorum. Valvatus.*

I. VALVÆ dictæ videntur a volvendo, quod introrſum revolvantur. Serv. *ad* I. *Æn.* *Valvæ ſunt, ut dicit Varro, quæ revolvuntur, & ſe velant*. Iſidorus: *Valvæ, quod intus revolvuntur, & duplices complicabileſque ſunt*. Papias: *Valvæ a volvendo dictæ. Nam ſunt interiora domorum oſtia, quæ intus claudantur, exteriora vero fores, & ſunt binæ*. Sunt igitur Valvæ, quando eadem janua complicatur, inque ſe ipſam revolvitur; eoque egredientes ab uno latere valvas habent. Græcis Θύραι διάπτυσαι: diſtinguuntur in eo a *januis biforibus*, quæ Græcis δίθυροι dicuntur, quod hæ utrinque ſuos habent cardines, inque medio connivent ac junguntur.

II. Guichardus Valvas dictas cenſet ab אוכל, qua voce inter alia ſignificatur *porta*: ut ait B. Hieronymus.

III. Alii Valvas a βαλβὶς nomen habere volunt, quomodo, ut ex Gloſſis conſtat, vocabatur θύρα τοῦ ἱππικοῦ, *janua equitatus*, ſeu potius, *carceres*. Quamquam βαλβὶς proprie eſt *repagulum*. Sed placet Latina origo.

IV. Valvis præcipue muniti erant templorum aditus. Cic. lib. I. *in Verr.* *Hæc quidem duo ſigna pulcherrima, quæ nunc ad impluvium tuum ſtant, quæ multos annos ad Valvas Junonis Samiæ ſteterunt, habes, quomodo emeris*. Lib. IV. *in Verrem*, ubi de militibus Verris, qui impetu in Herculis ædem facto ſignum Dei demolirentur: *Poſtea*, inquit, *convulſis repagulis; effractisque valvis, demoliri ſignum, ac vectibus labefactare conatur*. Sic de templo Minervæ, quod erat Syracuſis, eodem libro: *Jam vero quid ego de valvis illius templi commemorem?* Et mox: *Confirmare hoc liquido, Judices, poſſum, valvas magnificentiores nullas unquam ullo tempore fuiſſe*. Idem lib. I. *de Divinat.* *In templo Herculis valvæ clauſæ repagulis ſubito ſe ipſæ aperuerunt*. Cornel. Nepos in Pauſania: *Statim Ephori valvas ejus ædis obſtruxerunt.*

V. A Valvis Vitruvius confinxit vocem Valvatus. Sic enim lib. IV. cap. VI. *Ipſaque forium ornamenta non fiunt ceroſtrata, neque bifora; ſed valvata, & aperturas habent in exteriores partes.*

CAP. V.

DE POSTICO.

Summarium.

Poſticum, ſeu Poſtica dicta Janua in poſtica ædium parte. Anticum. Παράθυρα. Παραθύριον. *Servius notatur. Poſticula. Plautus explicatur. Clam qui vellent accedere, & recedere, id faciebant per poſticum. Plauti verſus in* Sticho ὑποβολιμαῖος. *Pſeudothyron. Poſticæ elegans deſcriptio apud Virgilium.*

I. SED & POSTICUM, ſeu POSTICA nomen habuerunt inter Januas. Neque tamen quodlibet Oſtium ita nominabatur, ſed illud tantum, quod eſſet in poſtica ædium parte; ſicut Anticum, quod ab anteriore. Antici meminit Feſtus his verbis: *Anticum Veteres pro janua poſuere*. Gloſſæ Philoxeni: *Poſtica*, παράθυρα κατόπιν τοῦ οἴκου. Eædem: *Poſticum*, παράθυρα, παραθύριοι.

II. Scribit Servius *ad* II. *Æneid.* ſemper in neutro Anticum & Poſticum dici: niſi cum ſint voces Augurum. Verba ipſa adſcribam: *Dicit per poſticum, quod generis eſt neutri; ut Horatius Flaccus, Atria ſervantem poſtico falle clientem. Nam ſi generis fœminini legeris poſtica, augurale eſt, ut antica, poſtica*. Id etiam tangit ad Eclog. VIII. *Augures deſignant ſpatia lituo: & eis dant nomina: ut prima pars dicatur antica, poſterior poſtica.*

III. Sed fallitur Servius. Nam Ammianus Marcellinus genere ſequiori uſus eſt lib. XIV. *Hi*, inquit, *peragranter & diſſimulanter honoratorum circulis aſſiſtendo, pervadendoque divites domus egentium habitu, quicquid noſcere poterant vel audire,*

latenter intromissi per posticas in regiam, nuntiabant. Sic libro XVIII. *Et quia me obsidionales ærumnæ terrebant, intra semiclausam posticam exposito puero nostrorum agmen repetebam.* Et denuo eodem libro: *Licet multiplicia tela, per tormentorum omnium genera, volarent e propugnaculis, hoc tamen periculo murorum nos propinquitas eximebat, tandemque per posticam ingressus, refertam inveni.* Sic lib. XX. *Reserata latenter postica strictis gladiis valida manus erupit.* Idem lib. XXX. dicit *murorum posticas*, e quibus in hostem erumpere soleant. Verba ejus sunt: *Quidam fossas fidentius transire conati, repentinis eorum adsultibus, qui erumpebant clanculum per posticas, ruentes incaute, saucii discedebant.* Et Apulejus quoque *Posticam & Posticulam* genere muliebri dixit lib. IX. *Met. Puer annunciat domino, de proximo angiportu canem rabidam paulo ante per posticam impetu miro sese direxisse.* Et lib. II. *Metamorph. Vix finieram, & illico me perduxit ad domum quampiam, cujus ipsis foribus obseptis per quandam brevem posticulam introvocat me.*

IV. Neque tamen *Posticum*, & *Posticula* solum dicuntur de janua postica, sed etiam particulam quandam ædificii, quæ post ædes erat, designat, *Ein Hinterhauslein.* Sic enim accipiendum est apud Plautum *Trinum.* I. II. v. 157.

—— ubi nunc adolescens habet?
Posticulum hoc recepit, cum ædis vendidit.

quem locum etiam A. Gellius laudat lib. XVII. cap. VI. ubi Plauti verba sic interpretatur: *Cum ædes vendidit, particulam quandam, quæ post ædes erat, non vendidit, sed retinuit.* Gemina significatio est in illo Titinnii apud Nonium: *Atque duo postica, quæ loco mercede.*

V. Solebant autem per posticum accedere vel recedere, qui clam volebant intrare domum, aut exire, & sic fallere. Plautus *Mostell.* III. III. v. 27.

Nunc ego illa me per posticum ad congerrones conferam.

Idem *Sticho* III. I. v. 41.

Potius quam in dividiam veniam, est etiam hic ostium,
Aliud posticum nostrarum haruncce ædium.
Ea ibo obsonatum, eadem referam obsonium
Per hortum.

Horatius lib. I. Epist. V.

Tu, quotus esse velis, rescribe, & rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

Vult enim occultum discedere per posticum, non per januam, ne, qui servant ibi, notare possint: Suetonius *Claudio* cap. XVIII. *Arctiore annona ob assiduas sterilitates detentus quondam medio foro a turba, convitiisque ac simul fragminibus ita instratus* (malim *infestatus*) *ut æque, nec nisi postico evadere in Palatium valuerit.* Ammianus lib. XXVII. *Regem Arsacem adhibitum in convivium jussit ad latentem trabi posticam, eumque exterminavit ad castellum.*

VI. Suetonius in *Othone* cap. VI. vocat *posticam partem: Deinde*, inquit, *liberto adesse architectos nuntiante, quod signum convenerat, quasi venalem domum inspecturus abscessit, proripuitque se postica parte Palatii ad constitutum.* Fit etiam apud Plautum in *Sticho* mentio *posticæ partis ædium*; sed credo versum primo margini adscriptum ab imperito librario receptum in textum. Tacitus appellat *aversam partem domus*, lib. II. *Histor.* cap. LI. *Verginius per aversam domus partem furtim digressus, irrumpentes frustratus est.* Seneca *de Brevit. Vitæ* c. XIV. nominat *obscuros ædium aditus.*

VII. Plutarcho Posticum est παράθυρον, aliis ψευδόθυρον, & atrio, sive atriensi januæ opponitur. Hanc vocem Cicero Latinitate donavit. *Post reditum in Senatu: Non janua receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus* Et lib. IV. *in Verr. Ea quemadmodum ad istud pseudothyrum postea revertatur, tabulis vobis & testibus, judices, planum faciam.* Usus etiam Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Ejus amore non impetrabo, ut ferebatur, per palatii pseudothyrum introducta.* Et Orosius, cujus hæc sunt verba de Claudio lib. VII. cap. VI. *Veruntamen sequenti anno tanta fames Romæ fuit, ut medio foro Imperator correptus a populo convitiis & fragminibus panis turpissime infestatus ægre per pseudothyrum in Palatium refugiens, furorem excitatæ plebis evaserit.* Idem lib. VII. cap. XXIX. *Suadetur Constantio, ut quosdam in Deo gradus credat, & qui per januam ab errore idololatriæ fuerat egressus, reversus in sinum ejusdem, in Deo Deos quærit, & tanquam per* pseudothyrum *inducitur.* Venantius Fortunatus lib. II. *de Vita S. Martini*:

Namque ad pseudothyrum *cellæ dum accederet æger.*

Sic enim recte legit Christophorus Brovverus, doctissimus e Soc. Jesu Venantii interpres: cum antea haberetur, *pseudoforum.*

VIII. Eleganter tale *Pseudothyron*, sive ut Nannius mavult lib. VII. *Miscellaneor.* cap. XI. *Pseudothyrion* describit Virgilius lib. II. *Æneid.*

Limen erat, cæcæque fores, & pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, & avo puerum Astyanacta trahebat.

CAP. VI.

DE POSTIBUS.

Summarium.

Postes a post & stando dicti, Græcis παραστάδες, & σταθμοί. *Postes pro janua, & domo. Postes lignei, ærei, marmorei. Postibus injungebatur Janua. Fores injunctæ. Ovidius emendatur.*

I. POSTQUAM varia Januarum nomina excussimus, nunc de partibus illarum aggredimur dicere. Has inter primum sese nobis POSTES offerunt.

II. Sunt autem Postes, quibus januæ utrinque fulciuntur. Alter enim fores sustinet cardinibus affixas; alter seram recipit & repagulum, cum ostium clauditur. Isidorus a *post* & *stando* derivat *Originum* lib. XV. cap. VII. alii a *positu* deducunt, quod sint positi utrinque ad latera forium.

III. Græcis dicuntur παραστάδες & σταθμοί. Glossa: *Postes*, παραστάδες. At Hesychio παραστάδες sunt, οἱ πρὸς τοῖς τείχοις τετραμμένοι κίονες. Pollux: σταθμὸς τὸ ἑκατέρωθεν ξύλον κατὰ πλευρὰν τῶν θυρῶν, *lignum, quod utrumque secus est ad latus ostiorum.* Ad etymon alludit Homerus *Odyss.* α.

Ἀργύρεοι δὲ σταθμοὶ ἐν χαλκέῳ ἕστασαν οὐδῷ.

IV. Per notissimam Synecdochen postes pro janua; ac dein pro domo ipsa ponuntur. Gic. *pro domo sua: Qui parietibus, qui tectis, qui postibus meis bell.m intulisti.* Virgilius Eclog. VII.

—— —— Hic plurimis ignis
Semper & assidua postes fuligine nigri.

Idem lib. II. *Æn.*

Barbarico postes auro, spoliisque superbi
Procubuere.

Paulinus Natali VI. Felicis:

Ecce repente suis strepitum pro postibus audit,
Et pulsas resonare fores.

V. Pro pompa ipsarum ædium variabat postium materia. Ut plurimum erant lignei: interdum tamen ærei. Marmoreorum meminit Sulpitius Lupercus Epigrammate:

Quod tua mille domus solidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo janua poste nitet.

VI. His autem Postibus injungebatur Janua. Hoc enim verbo usi Veteres. Ovidius lib. II. *Trist.* eleg. I.

Carminibus cessere fores: injunctaque posti
Quamvis robur erat, carmine victa sera est.

Injungere est ἐφαρμόττειν. Injungitur janua posti, dum immissa & commissa combinatur. Injungere etiam interpretari possumus ex Pollucis lib. X. cap. IV. ἐπιζυγῶσαι. Παρὰ δὲ τοῖς κωμῳδοῖς τὸ ἀναζυγῶσαι, ταυτὸν τῷ ἀνοῖξαι σημαίνει. ὥσπερ τὸ κλεῖσαι, τὸ ἐπιζυγῶσαι, vel *injungere* est ἐπιπακτοῦν τὰς θύρας. Qua fortassis mente Onomasticon *injungo* reddit προσάγω. Apud Heliodorum lib. I. θύρας ἐπικειμένας intellexeris fores injunctas. Fores ergo injunguntur, cum tabellæ postibus insertæ atque adstrictæ sunt. *Adstringere limen.* Ovidius dixit lib III. *Amor.* Eleg. I.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare forem.

Vulgo legitur: *Luminis obstructi.*

CAP. VII.

DE CARDINIBUS.

Summarium.

Cardo, vel a corde, vel a κράδη, vel a κραδάω, derivatur; non a κάρτος, vel κρατέω. Cardo pro polis cœli. Terra appellatur Cardo ab Apulejo. Gromaticis Cardo est limes transversus in mensura agrorum a meridie in septentrionem vergens. Servius refellitur. Decumanus limes. Cardo pro plaga cœli. Cardines Plinio dicuntur IV. anni partes. Venti cardinales. Virtutes cardinales. Cardo pro summa & opportunitate rei. Cardines quid sint in aliis structuris? Cardineus. Cardinatus. Cardinalis. Quinam Sacerdotes olim dicti Cardinales? Cardinatus. Incardinare. Incardinatio. Cardinales olim magistratus Politicus. Quædam de Cardinalibus Romanis. Carna, vel Cardea Dea. Cardines olim lignei, plerumque ænei. Lucretius illustratur. Cardines veteres clarum edebant sonitum. hinc clamare, canere, strepere dicuntur. Cardines quando taceant? Ut tacerent cardines, aqua illis os obturabant. Impetum qui faciebant in domum, solebant cardines effringere.

I. POne Postes collocabimus CARDINES. Est autem Cardo, secundum vetus Vocabularium, *cuneus, qui in foramine vertitur, vel ponitur pro ipso foramine aliquando. Græcis dicitur* στρόφιγξ. *qua voce usi etiam Septuaginta Patres, Prov.* XXVI. 14. *Vocatur quoque* εἰρεθύρη, ἐπιστατὴρ, Γίγγλυμον.

II. Dictum Grammatici volunt cardinem a corde, quod quasi cor sit januæ. Servius *ad* I. *Æn. Cardo dictus, quasi cor januæ, quo movetur,* ἀπὸ τῆς καρδίας. Isidorus lib. XV. cap. VII. *Cardo est locus, in quo ostium vertitur, & semper movetur, di-*A *ctus* ἀπὸ τῆς καρδίας, *quod quasi cor hominem totum, ita ille cuneus januam regat ac moveat. Unde & proverbiale est, in cardine rem esse.* Ison Magister Glossis in Prudentium: *Dicitur Cardo, quasi cor januæ.*

III. Sed rectius illi, qui volunt per μετάθεσιν esse a κράδη, *hamus*, vel aliud, ex quo quid suspenditur. Sane Germanis similiter cardo est *ein Thurangel*, quasi *januæ hamum* dixeris.

IV. Sunt qui a κραδάω derivant, hoc est, *agito*; quod in cardinibus agitetur, vertaturque ostium. Longius illi abeunt, qui vel a κρατέω deducunt, *firmiter teneo*: quod januam retineant; vel B a κάρτος pro κράτος, *robur*, quod janua firmitatem in solis cardinibus habeat.

V. Ceterum Cardinis vocem ad varia transtulerunt Veteres. Ad cœlestia. Nam illa cœli puncta, Meridiem & Septentrionem, quæ polos Græci appellant, Latini Cardines dixerunt, quod circa illa vertatur cœlum. Cicero lib. II. *de Nat. Deorum*:

Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus.

Claudianus initio lib. III. *de laud. Stiliconis*:

Certarent utroque pares a cardine laurus.

C Prudentius *Cathem.* hymno X. v. 108.

Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit.

VI. Quin terra ipsa appellata est Cardo, quod circa eam verteretur cœlum, velut circa centrum mundi. Apulejus *de Mundo*: *Mundus est ornata ordinatio Dei munere, Deorum recta custodia: cujus cardinem, sic enim dixerim centrum, robustum & immobilem genitrix atque altrix animantium omnium habet tellus.*

D VII. Et istam ob causam Gromaticis quoque Scriptoribus limes transversus in mensura agrorum, qui a Meridie in Septentrionem currit, a mundi cardine *Cardo* appellatur. Festus: *Decumanus appellatur limes, qui fit ab ortu Solis ad occasum; alter ex transverso currens appellatur Cardo.* Isidorus lib. XV. cap. XIV. *Limites maximi in agris sunt duo, Cardo, & Decumanus. Cardo, qui a Septentrione directus a cardine cœli est. Nam sine dubio cœlum vertitur in septentrionali orbe. Decumanus est, qui ab Oriente in Occidentem per transversum dirigitur, qui pro eo, quod formam X. faciat, Decumanus est vocatus. Ager enim bis divisus figu-*E *ram numeri denarii efficit.* At Servius contrariam init rationem, & illum, qui ab Oriente ad Occidentem ducebatur, cardinem vocat. Ad illa enim *Georg.* I.

Ne signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat,

inquit: *Signare, notare, propterea; quod cum agri colonis dividerentur, fossa ducebatur ab Oriente ad Occidentem, quæ Cardo nuncupabatur: & alia de Septentrione, quæ Decimanus limes vocabatur.*

VIII. Sed Servio imposuit, quod hujusmodi sæpe limitum erat ratio in præfecturis, ubi alia erat, F quam in coloniis. In his enim *Decimanus* in Orientem, Cardo in Septentrionem: unde & nomen a cardine mundi. Quod ostendunt hæc Hygini verba initio libri *de limitibus constituendis*: *Primum duos limites constituerunt: unum, qui ab Oriente in Occidentem dirigeret: hunc appellaverunt Duodecimanum. Alterum a Meridiano ad Septentrionem, quem cardinem nominaverunt a mundi cardine.* In Italia *Duodecimanos* vocarunt *Gallicos*, quia Gallia est ad Occidentem: at *Cardinem* dixere maritimum, quia ad Septentrionem ei esset mare Adriaticum. Frontinus

tinus *de Coloniis*: *Adrianus ager de limitibus maritimis & Gallicis: quos nos Decumanos, & Cardines appellamus*. vide eundem Frontinum libro *de Limitibus*.

IX. Sed & altera duo puncta, quæ mundum recta linea æqualiter secant, & dividunt, non raro cardinum nomine veniunt: ut *Cardines* nihil aliud sint, quam plagæ mundi. Lucanus lib. v. v. 71.

Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine, Parnassus gemino petit aera colle.

Sic idem *medium Cardinem* pro meridie; *occiduum* pro *occidente* dixit lib. IV. v. 672. Sic Statius VII. *Thebaid.* v. 39. de Septentrione:

Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ.

Claudianus *de Raptu Proserp.* lib. III. v. 428.

Qua te parte poli, quo te sub cardine quæram.

Cyprianus tractatu *de Sina & Sion*: *Oportuit, ut ex quatuor cardinibus orbis terræ nomen in se portaret Adam. Invenimus in scripturis, per singulos cardines orbis terræ esse a conditore mundi quatuor stellas constitutas in singulis cardinibus. Prima stella Orientis dicitur ἀνατολὴ, secunda Occidentalis, δύσις, tertia stella aquilonis, ἄρκτος, quarta stella meridiana dicitur μεσημβρία. Ex nominibus stellarum numero quatuor, de singulis stellarum nominibus tolle singulas literas principales, de stella Anatole, A. de stella Dysis, D. de stella Arctos, A. de stella Mesembria, M. In his quatuor literis cardinalibus habes nomen Adam*. Is tractatus *de Sina & Sion* vulgo Cypriano tribuitur. Sed ab emunctioris naris hominibus inter suppositítios hujus Doctoris fœtus refertur, id quod vel hoc ipso, quem nos laudavimus, loco inductus facit Erasmus, quando *Annotationibus in Opera Cypriani* ita scribit: *Phrasis, imo genius hujus operis totus abest ac dissidet a Cypriani stylo, sive spectes elegantiam orationis, sive eruditionem sacram, sive ardorem animi. Mihi videtur esse fragmentum alicujus Commentarii. Jam ut nihil aliud, vel illud unum mihi persuaserit opus non esse Cypriani, quod serio recenset hic, quisquis est, frigidissimum commentum de quatuor elementis, quibus apud Hebræos componitur Adam, & quatuor mundi plagis, quas is, nescio quo consilio, stellas appellat, quarum singulæ apud Græcos incipiant a singulis Hebraici nominis elementis. Deinde alterum multo frigidius, de numero quem constituunt apud Græcos eadem elementa, α. δ. α. μ. & tamen hoc visum est Augustino idoneum, quod serio referret enarrans Johannis caput* II.

X. Ita Cardines temporum dicuntur Plinio Ver, Æstas, Autumnus, Hyems. Ita enim lib. XVIII. cap. XXV. *Omnis autem ratio observata est tribus modis, exortu siderum, occasuque, & ipsorum temporum cardinibus*.

XI. Hinc & ventos e quatuor mundi plagis spirantes vocamus Cardinales. Servius *ad Æn.* I. *Virgilii*. *Cardinales quatuor venti sunt*. Vegetius eos *principales* nuncupat libr. V. cap. VIII. *Veteres autem juxta positionem cardinum, tantum quatuor ventos principales singulis cœli partibus flare credebant*.

XII. Similiter quatuor principes virtutes nuncupare solemus *Cardinales*, ab ævo usque Ambrosii, qui primus sic nominavit lib. V. *Comment. in Lucam* tom. V. Operum fol. 66. & 67.

XIII. Ceterum quoniam in cardine vertitur Janua, iique fores sustinent, idcirco in omni re id, in quo momentum maximum positum, tum maxima ejus gerendæ oportunitas, *Cardo* vocatur. Virgilius I. *Æneid.*

—— *haud tanto cessabit cardine rerum*.

A id est: *non poterit in tanta rerum oportunitate cessare*. ut Servius interpretatur. *Ut sit de proverbio tractum*, (ita idem pergit) *quod dicitur, res in cardine est, hoc est, in articulo*. Augustinus *Confession*. libr. V. cap. V. de matre Monica: *Et quid a te petebat, Deus meus, nisi ut me navigare non sineres? sed tu alte consulens & exaudiens cardinem desiderii ejus, non curasti, quod tunc petebat, ut in me faceres, quod semper petebat*. Hieronymus de optimo genere interpretandi, *ad Pammachium*; *Hic totius negotii tui* cardo *versatur*: *hæc tua est defensio*. Augustinus Epist. XLIX. *Alia sunt manifesta tormenta* —— *etiam ipsa ex eodem malæ voluntatis* cardine *extracta*. Idem *de Trinitate* lib. III. cap. VIII. *Aliud est in intimo & summo causarum* cardine *condere, atque administrare creaturam*. Idem eleganter dixit, *Poplitum cardines*, *de Doctrina Christiana* libro II. cap. XXXVII.

XIV. In aliis structuris dicebantur Cardines, qui cardinum vicem sustinebant. Plinius libro XXXVI. cap. XV. de Curionis ludis funebribus. *Variavit hanc suam magnificentiam fessis turbatisque cardinibus, & amphitheatri forma custodita*. Vitruvius lib. XII. cap. XX. *Insuper hanc compactionem erigantur postes* —— *ea concludantur superne intercardinatis trabibus. Supra trabes collocentur capreoli, cardinibus alius in alium conclusi*. Ubi Philander: *Cardines hoc loco intelliguntur extremæ capreolorum partes, quæ in cavum induntur: quomodo cardinatum tignum dicitur. Idem in postibus, trabibus, transversariis, scapis, parastatis intelligendum. Ipsum autem cavum nostri materiarii mortesiam, cardinem vero tenonem vocant*. Eidem lib. X. cap. XV. *Securiclati cardines* sunt illi, *quorum partes extremæ referunt securim falcis vinitoriæ. Nostri vocant hirundinis caudam*.

XV. A Cardo est *Cardineus*, quo usus Septimius apud Terentianum Maurum versibus cap. I. laudatis: item Cardinatus. Nam Vitruvius *cardinatas trabes*, & *cardinatum lignum* dixit.

XVI. Hinc est *Cardinalis* pro *principali*, & in quo quasi cardo vertitur Reip. aut Ecclesiæ.

XVII. Primitus quarumvis civitatum Sacerdotes, quibus nempe titulus, sive parochia foret commissa, *Cardinales* dicebantur. Itaque *incardinare* medii ævi Scriptoribus est in cardine Ecclesiæ constituere, hoc est, majoris alicujus Ecclesiæ antistitem creare. Flodoardus *Historiæ Rhemensis* lib. III. cap. XXIX. *Petente clero & plebe provinciæ Turonensis, convenientibus Episcopis, in eadem metropoli fuit incardinatus*. Ac tribus amplius seculis antiquior Gregorius Magnus lib. II. Epist. XXV. *In hac, in qua a nobis incardinatus es Ecclesia, debeas permanere*. Qui & simplex *cardinandi* vocabulum usurpat lib. V. Epist. III. ad Fortunatum, Neapolitanum Episcopum: *A nobis petiisse recolimus, ut Gratianum, Ecclesiæ Venefranæ Diaconum, tuæ concederemus Ecclesiæ cardniandum*. Etiam *Incardinatio* apud eundem legas libro I. Epist. LXXXI. *Si a decessore tuo non est factus presbyter cardinalis; abstinendum ab ejus incardinatione*.

XVIII. In libro *Officiorum* Theodosii *Cardinales* vocantur, Præfecti Prætorio Asianæ diœceseos, & Præfectus Africæ, quod cæteris essent majores. Civilium ergo Magistratuum exemplo introductum est nomen *Cardinalium* in Ecclesiam. Ac putat Duarenus sic proprie dictos presbyteros, qui in majore Ecclesia, quam cathedralem appellamus, cum Episcopo suo facerent rem divinam.

XIX. Postea tamen id nomen solis Ecclesiæ Romanæ post Papam Antistitibus, ejusdemque con-

A siliariis tributum est, iidemque paulatim ad tantum honoris fastigium pervenerunt, ut nunc gemino cum Regibus loco censeri velint. Rubro galero insigniti sunt per Innocentium IV. anno circiter. CIↃ CCXLV. *Eminentissimorum* titulum demum ab Urbano VIII. acceperunt. Sed de Cardinalium origine & dignitate alibi commodius edissertabimus.

XX. Revertimur ad Januarum cardines. His præerat ex gentili superstitione Carna Dea. Ovidius lib. VI. *Fastor*.

Prima dies tibi, Carna, datur. Dea Cardinis hæc est.
B *Numine clausa aperit, claudit aperta suo.*

Kal. Junii Carnæ Deæ Sacra celebrabantur, quæ Junius Brutus pulso Tarquinio in Cælio monte primus fecit, unde ab illo Junium mensem nonnulli dictum volunt. Carna autem non a cardine nomen habet, quia (ut Poeta ibidem canit) *Cranen dixere priores*. Inde *Carna* per μετάθεσιν. A *carne* poterat dicta videri. Vitalibus enim præerat: qua de re Macrobius lib. I. *Saturnal.* cap. XII.

XXI, Sed a Cardo Cardea dicta est, si id quoque verum apud Veteres *Carnæ* nomen. Meminerunt C hujus Deæ Augustinus de *C. D.* lib. I. cap. VIII. Tertullianus *de Idololatria* c. XV. item libro *de Corona militis*, ut & *Scorpiaco adversus Gnosticos* cap. XIII. item lib. II. *ad Nationes* cap. XV. & Cyprianus libro *de Idolorum vanitate*.

XXII. Erant Cardines olim lignei. Ison Glossis in Prudentium: *Cardo proprie est lignum, in quo ostium volvitur*. Hinc Ulmeorum cardinum mentio apud Plinium lib. XVI. c. XL. *Rigorem fortissime servat ulmus, ob id cardinibus assamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur: permutanda tantum sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior.*

D XXIII. Plerumque tamen ærei. Virgilius de templo Junonis *Æn.* I.

Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes: foribus cardo stridebat ahenis.

ubi notat Servius sequentia: *Ad sua retulit tempora. Cautum enim fuerat post proditum hostibus a Tarpeja virgine Capitolium, ut ærei cardines fierent: quorum stridor posset aperta ostia omnibus indicare.* Rident nonnulli Servium propter hanc paraphrasin, & putant ipsum hæc de foribus æneis explicare debuisse. Quicquid sit de eo, Cardines tamen E æneos nobis ostendunt ista Virgilii in *Ceiri* v. 222.

Surgere sensit anus (sonitum nam fecerit illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo.)

Huc etiam Barthius *Adversar.* libr. XXIII. c. XXI. refert illud Lucretii:

Æraque quæ claustris restantia vociferantur.

XXIV. Vociferantia facit Lucretius cardinum æra, non sine causa. Nimirum Cardines ita facti erant, ut cum verterentur, clarum ederent sonitum. Claudianus lib. I. *de Raptu Proserp.*

F —— *ter cardine verso*
Præsagæ cecinere fores.

Et eodem libro, v. 269.

—— *Sed cardine verso*
Sensit adesse Deas.

Ovidius *Metam* lib. XI. v. 608.

Janua ne verso stridorem cardine reddat.

Idem lib. XIV. fab. XIX.

Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.

Lib. I. *Amor.* Eleg. VI.

Fallimur? an verso sonuerunt cardine postes,
Raucaque concussæ signa dedere fores?

Tibullus lib. I. Eleg. II.

Nec furtim verso cardine aperta sonet.

Propertius lib. IV.

Cum subito rauci sonuerunt cardine postes.

Seneca *Medea* v. 177.

Sed cujus ictu regius cardo strepit?

Hinc dolet Tibullus, quod docuerit amasiam, quomodo sine cardinum strepitu aperiri posset janua; hæc autem in ipsum postea hanc artem verterit lib. I. Eleg. VI.

Fingere tunc didicit causas, cur sola cubaret,
Cardine tunc tacito vertere posse fores.

De hoc stratagemate iterum gloriatur libr. I. Eleg. VIII.

Et possum media quamvis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores.

Corippus lib. I.

Janitor excelsam stridenti cardine *portam*
Imperio reseravit heri.

XXV. Quod autem Cardines, cum aperiretur janua, clamare & vociferari dicerentur; sic e contrario cum non recluderetur janua, iidem tacere censebantur. Tibullum jamjam audivimus. Nunc Propertium vocabimus, cujus hæc sunt lib. I. Eleg. XVI.

Tu sola humanos nunquam miserata dolores,
Respondes tacitis mutua cardinibus.

XXVI. Sed & ipsæ januæ *tacere* dicebantur, cum non streperent, Plaut. *Curcul.* I. v. 19.

Pal. *Quid tu ergo insane rogitas, valeatne ostium?*

Phœd. *Bellissimum hercle vidi, & taciturnissimum.*

Numquam ullum verbum mutit: cum aperitur, tacet.
Cum illa noctu clanculum ad me exit, tacet.

Et in calce hujus Scenæ:

Viden' ut aperiuntur ædes festivissimæ?
Num mutit? cardo est lepidus. Pa. *quin das suavium.*

XXVII. Ut autem tacerent cardines, solebant impudicæ, quæ maritos aut custodes fallere in animo habebant, cardinibus aquam affundere. Plautus laudatæ comœdiæ act. I. sc. III.

Placide egredere, & sonitum prohibe forum, & crepitum cardinum;
Ne quod hic agimus, herus percipiat fieri, mea Planesium.
Mane, suffundam aquulam.

Pal. *Viden' ut anus tremula medicinam facit?*
Eapse merum condidicit bibere, foribus dat aquam, quam bibant.

XXVIII. Hi molliter tractabant cardines. At qui impetum in domum faciebant, eos solebant effringere. Virg. l. II. *Æn.*

Limina perrumpit, postesque a cardine vellit.

Et mox:

—— *labat ariete crebro,*
Janua, & emoto procumbunt cardine postes.

Plautus *Amphitr.* IV. II.

—— *pœne effregisti, fatue, foribus cardines.*
An foris censebas nobis publicitus præberier?

Et alibi sæpius. Apulejus *Met.* lib. I. *Commodum quieveram: & repente impulsu majore, quam ut latrones crederes, januæ reserantur, imo vero fractis & evulsis funditus cardinibus prosternuntur.* Idem lib. III. *Viden' quosdam sævissimos latrones adi-*

tum tentantes, & domus januas cardinibus obtortis evellere gestientes; claustrisque omnibus, quæ accuratissime adfixa fuerant, violenter avulsis.

CAP. VIII.

DE LIMINIBUS ET JURE POSTLIMINII.

Summarium.

Limen Græcis βηλὸς, βατὴρ, φλιὰ, οὐδός. *Liminis etymon. Limen pro janua, & domo. Prohiberi, premi, pelli, summoveri limine, Juvenali lux. De Salutatoribus & Deductoribus quædam. Eliminare. Senecæ phrasis: A limine disciplinas salutare. In ipso limine. Limen pro carceribus. Limen duplex, Superum, & Inferum. Sublimen. Sublimis & sublimus. Limen pro superiori limine. Superliminare.* Ὑπέρθυρον. Ὑπερθύριον. Ὑπόθυρον. *Limentum. Limentinus Deus: Lima, vel Limentina Dea. Limen Vestæ sacrum. Pluscula de nomine & jure Postliminii. Historia Mancini, Numantinis dediti, sed non recepti, ac proin jure postliminii usi, illustratur. Apud Athenienses, quibus funus factum esset, si postliminio reverterentur, per sinum laxæ stolæ demissi alia quoque experiebantur, quæ infantes recens nati, & exinde* δευτερόποτμοι, ὑστερόποτμοι, δευτερογενεῖς *dicti. Apud Romanos ejusmodi homines non januam ingressi, sed tecto perforato in ædes admissi. Limina plerumque lignea, divitum marmorea, eorundem, ut & templorum ærea. Gradus præ Templis & Palatiis.*

I. AD januæ etiam partes referre possumus utrumque limen. Quamvis enim proprie loquendo extra illas constituta sunt, carere tamen iis nequeunt. Hinc eleganter clausas fores Horatius *limen amare* dixit lib. I. Od. XXV.

II. Græcis Limen dicitur βηλὸς a βάω, item βατὴρ, & φλιὰ, a φλάω *tero*, item οὐδός.

III. Cornelio a Lapide *in Exodi cap.* XII. *Limen* dictum videtur, quasi *luminis limes*: quia *lumen ibi finitur, & umbra incipit*. Nunnesius in *Grammatistice*, deducit a Græco βηλὸς; nempe β in μ vertendo. Sed utrumque etymon longius petitum est.

IV. Rectius igitur alii a *limus* deducunt, id est, *transversus, obliquus*. Festus: *Limus, obliquus, id est, transversus: unde & limina*. Isidorus lib. XV. cap. XIV. *Limites appellati antiquo verbo transversi. Nam transversa omnia antiqui lima dicebant: a quo limina ostiorum, per quæ foris & intus itur*. Aggenus Urbicus: *Limites appellati a limo, id est, antiquo verbo, transversi. Nam & limum cinctum, ideo quod purpuram transversam habeat. item limina ostiorum*. Donatus *in Terentii Eunuch.* III. V. *Limus transversus significat: unde limen dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transversum est*.

V. Per tropum Limen pro janua, ac deinde pro domo ipsa usurpari solet. Virgil. libr. II. *Æn.* v. 441.

Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.

Eod. libro v. 620.

Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

Idem lib. II. *Georg.* v. 504.

—— penetrant aulas & limina regum.

Et lib. VII. *Æn.*

—— reserat stridentia limina Consul.

A Apulej. lib. IV. *Metamorph. Quod enim ex usu foret omnium, me solum resistentem pro domus limine, cuncta rerum exploraturum sollicite dum redirent.* Hinc eleganter dicit Cicero *pro Cæc. Non modo limine tectoque ædium parum, sed primo aditu vestibuloque prohibere quempiam*. Quod Horatius & Virgilius dixerunt *premi & pelli limine*. Ille lib. I. Ep. XIX.

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet, ametque domi: premat extra limen iniquus.

B Hic libr. VII. *Æn.* 579.

Turnus adest, medioque in crimine, cædis & ignis
Terrorem ingeminat, Teucrosque in regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.

Juvenali hoc est *Summoveri limine* Sat. III. v. 124.

Limine summoveor; perierunt tempora longi
Servitii.

VI. Quo in loco fortassis respexit Satyricus ad salutatorum & deductorum crebra servitia.
C Clientes enim in vestibulis patronorum conveniebant ad salutandum & deducendum eos. De his Salutatoribus & Deductoribus Q. Cicero *de petitione Consulatus* ad M. Fratrem: *Hujus autem rei tres partes sunt, una salutatorum cum domum veniunt: altera deductorum: tertia assectatorum. In salutatoribus, qui magis vulgares sunt, & hac consuetudine, quæ nunc est, plures veniunt, hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum tibi gratissimum esse videatur*. Et post pauca: *Jam Deductorum officium quo majus est, quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato, atque ostendito, & quoad ejus fieri poterit, certis temporibus*
D *descendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia*. Seneca *de Brevitate vitæ* eleganter atque copiose cap. XIV. *Isti qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina quotidie perambulaverint, nec ullas apertas fores præterierint, cum per diversas domos meritoriam salutationem circumtulerint: quotumquemque ex tam immensa, & variis cupiditatibus districta urbe poterunt videre? quam multi erunt, quorum illos aut somnus, aut luxuria, aut inhumanitas submoveat? quam multi, qui illos cum diu torserint,*
E *simulata festinatione transcurrant? quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros ædium aditus profugient, quasi non inhumanius sit decipere, quam excludere? quam multi hesterna crapula semisomnes & graves, illis miseris somnum suum rumpentes, ut alienum exspectent, vix allevatis labiis insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent?* Horum etiam meminit Capitolinus, extremo Antonino Pio, & quod summo mane venerint. De iisdem Hieronymus *ad Pammachium*, super obitu Paulinæ uxoris: *Fores, quæ prius* salutantium turbas *vomebant, nunc a miseris obsidentur*. Hi, si suspecti essent,
F an quid armorum haberent, excussi. Videatur Spartianus in *Severo*. His insignem addo Cypriani locum ex Epist. II. libr. II. *Quippe illum vides, qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura. Quibus hoc sordibus emit, ut fulgeat? quos arrogantium fastus prius pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit? quot tumentium contumeliosa vestigia stipatus clientium cuneis ante præcessit? ut ipsum etiam salutantum comes postmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, sed potestati.*

VII. Hunc locum vel propterea adſcribendum cenſui, quod in eo *ſummovendi* verbum, quod in Juvenale ſpectavimus, eleganter uſurpatum appareat. Dixeris id alias Eliminare. Pacuvius apud Nonium: *Ubi ille eſt? me miſeram quoniam clamor eliminat*. Et Pomponius apud eundem: *Eliminabo extra ædes conjugem*. Ambroſius libr. I. Epiſt. VII. *Inſurgit etiam ſapiens quaſi victor, debellatis a ſe ac triumphatis, libidini, timori, ignaviæ, mæſtitudini, ceteriſque vitiis: donec ea de poſſeſſione mentis ſuæ eliminet, & omnibus terris finibuſque ſuis propulſet atque arceat*. Recte Ambroſius: *eliminet, & finibus ſuis propulſet*. Nam Veteres *Eliminare* dicebant e finibus ejicere, & *Exilium* nominabant *Eliminium*. Nonius porro, Ennii, Accii & Varronis exemplis hoc verbum pro *exire* poni, animadvertit. *Eliminare dicta* Horatio eſt, *enuntiare, extra limen efferre*. Epiſt. lib. I. v.

—— ne fidos inter amicos,
Sit, qui dicta foras eliminet.

Verbo *Eliminare* uſus etiam Tertullianus libr. I. *ad Nationes* cap. X. *Liberum Patrem*, inquit, *cum ſocru ſua Conſules Senatus auctoritate, non Urbe ſolummodo, verum tota Italia eliminaverunt*. Eadem pœne verba reperias in *Apologetico* cap. VI. Idem lib. II. *ad Nation.* cap. VII. *Criminatores Deorum Poetas eliminari Plato cenſuit*. Amulo, Archiepiſcopus Lugdunenſis ad Theodboldum Epiſcopum Lingonenſem. *Ne domus Domini fiat domus negotiationis*, eliminetis *ex ea iſtiuſmodi commentum & figmentum diabolicum*.

VIII. *A limine diſciplinas ſalutare*, dixit Seneca pro leviter deguſtare: *Nec ego nego proſpicienda iſta, ſed proſpicienda tantum, & a limine ſalutanda*. Epiſt. L. Sumptum id eſſe cenſet Gothofredus a vulgaribus amicis, qui non admittuntur in penetralia, ſed procul, & a limine tantum ſalutantur.

IX. *In ipſo limine*: hoc eſt, in ipſo principio. Idem Seneca Epiſt. XXII. *Quid eſt turpius, quam in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſollicitum?* Duriuſcule dixiſſe videtur Curtius lib. VI. cap. III. *In ipſo limine victoriæ ſtamus*: pro eo, quod eſt, *proxima eſt victoria*. Quod Virgilius dixit,

—— Cur indecores in limine primo
Deficimus?

id eſt, *ſtatim, ac vix dum inito bello*: id prope in proverbium abiit. Tacitus *Ann.* III. c. LXXIV. *In* limine *belli*. Lactantius lib. III. cap. VI. *Dicunt humanæ vitæ curſum* Υ *litteræ eſſe ſimilem, quod unuſquiſque hominum, cum primum* adoleſcentiæ limen *attigerit — neſciat, in quam ſe partem potius inclinet*. In ipſo *adoleſcentiæ limine* dixit etiam Auguſtinus libr. *de Vita beata*. Symmachus libr. III. Epiſt. LV. *Nam pœne, ut recordaris, ceſſante Africa, fames* in limine *erat*. Tertullianus cap. VIII. libr. *de Monogamia*: *Ecce ſtatim quaſi in limine duæ nobis antiſtites Chriſtianæ ſanctitatis occurrunt*. Idem Tertullianus *adverſus Valentinianos*: *A manifeſto ad occultum retorquere, de limine offendere eſt*.

X. Apud Virgilium libr. V. *Æn.* v. 316. Limen ſignificat carceres, unde ſtadiodromi curſum auſpicantur.

Hæc ubi dicta, locum capiunt; ſignoque repente
Corripiunt ſpatia audito: limenque relinquunt
Effuſi.

Servius ibidem etiam *regulam, aut ſignum creta factum* denotare poſſe autumat.

XI. Idem Servius in iſto Virgilii l. X. *Æn.* v. 355.

—— certatur limine in ipſo
Auſoniæ.

limen pro *littore* poſitum obſervat.

XII. Januæ autem limen duplex eſt: Superius & Inferius. Nævius: *Limen non ſolum, quod ſub pedibus eſt, dicitur, ſed etiam quod ſuperius eſt ingreſſus. Non Macco exule: Limen ſuperum, quod mihi miſero ſæpe confregit caput: inferum autem, ubi ego omnes digitos defregi meos*. Perottus hæc citans legit: Exue *limen ſuperum*. *Summum limen* vocat Lactantius libr. IV. cap. XXVI. *Frons* ſummum limen *eſt hominis*.

XIII. Superum illud etiam Sublimen dictum putat Scaliger. Sic enim legit apud Propertium:

At nullo dominæ teritur ſublimine amor qui
Reſtat.

Et apud Ennium idem legit:

Aſpice hoc ſublimen candens, quem vocant omnes
Jovem.

Sed Voſſius *Inſtitut. Orator.* libr. IV. capit. VI. §. VII. vulgatum mavult *ſublime*; cum & Cicero libr. II. *de Nat. Deor.* dixerit: *Vides ſublimo fuſum immoderatum æthera*: firmatque porro iſtam verſibus Euripides ab Athenagora & Clemente Alexandrino laudatis.

XIV. Interim *ſublimis* (pro quo etiam *ſublimus* dixerunt Lucretius, & Saluſtius, ut ex Priſciano ac Nonio cognoſcitur) venit a *ſublimen*: quia quod *ſublime* eſt, id *inſtar ſubliminis* eſt *elevatum*. Quod ἔτυμον Feſtus probat in *Sublime*.

XV. Limen illud ſuperius interdum κατ' ἐξοχὴν vocari ſolet *Limen*. Plinius lib. XXXVI. cap. XIV. *Difficillime hoc contigit in limine ipſo, quod foribus imponebat*. Vitruvius libr. VI. cap. IX. *Sin autem officient trabes, ſeu limina*. Ita enim recte emendat Philander, cum antea legeretur, *liminia*.

XVI. Alio nomine vocari poſſet *Superliminare*, quam vocem legas apud Plinium libr. XXIX. capit. IV. *Cujus generis prope videri poſſint, quæ tradunt & de veſpertilione, ſi ter circumlatus domui vivus, per feneſtram inverſo capite infigatur, amuletum eſſe: privatimque ovilibus circumlatum toties, & pedibus ſuſpenſum ſurſum in ſuperliminari*. Et Paulum Diaconum libr. VI. *Odoacer cum benedictione percepta ab ejus* (Severini) *egredi cellula vellet, & caput, ne ſuperliminari oſtii, eo quod proceræ eſſet ſtaturæ, allideret, inclinaſſet, a Dei viro futurorum præſcio mox talia audivit*. Utitur hac voce non ſemel vetus Bibliorum Interpres.

XVII. Græcis *Superliminare* eſt Ὑπέρθυρον: pro quo apud Homerum & Heſiodum reperitur Ὑπερθύριον; ſicut ὑπόθυρον *limen inferius*. Pollux ὑπέρθυρον, ſive ὑπερθύριον eſſe ſcribit τὸ ὑπὲρ τὰς θύρας. Euſtathius notat *ad Odyſſ.* α. ὑπερθύριον vocari τὸ ἐπικείμενον ταῖς θύραις, εἰς ὃ αἱ ἄνω στρόφιγγες ἁρμόζονται. *Hyperthyri, & Hypothyri* meminit Vitruvius libr. IV. cap. VI. ubi vide Philandrum.

XIIX. Pro *limen* Romani Veteres etiam *limentum*, dixere, ut *monumen, monumentum; documen, documentum*, &c. Inde Deus Limentinus, qui *limentis*, ſive *liminibus præeſt*, ut docet Tertullianus libro *de Corona militis*, *Scorpiaco adverſus Gnoſticos*, & lib. *de Idololatria*. Cyprianus *de Idolorum vanitate*. Auguſtinus *de C. D.* lib. IV. c. VIII. Arnobius lib. I. *adverſus gentes*. Idem etiam Limæ Deæ meminit lib. IV. *Quis Limentinum*, inquit, *quis Limam cuſtodiam liminum gerere, &*

janitorum officia sustinere credat: cum fanorum quotidie videamus, & privatarum domorum convelli & subrui; ubi tamen, quæ sit ista *Lima* in *Electis* se ignorare scribit Godeschalcus Stewechius, & proinde *Limentinam* appellari suspicatur. Videatur etiam Jacobus Gothofredus in *Notis ad lib.* II. *Tertulliani ad Nationes cap.* XV.

XIX. Neque satis erat Gentilibus Limentinum tutelarem Deum liminibus præponere; sed insuper etiam Vestæ consecrabant limen, ut auctor est Servius *ad Eclog.* VIII. & *ad Æn.* VI.

XX. A limine quoque nata est vox *Postliminii*, quicquid contra dicat Servius Sulpicius apud Ciceronem in *Topicis* ad Trebatium; quem locum, quia & nomen & naturam Juris postliminii vehementer illustrat, non pigrabimur adscribere: *Cum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo, ut, cum quæritur, Postliminium quid sit, non dico, quæ sint postliminii: nam id caderet in divisionem, quæ talis est: Postliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere solent: sed cum ipsius postliminii vis quæritur, & verbum ipsum notatur: in quo Servius noster (ut opinor) nihil putat esse notandum, nisi post: & liminium illud, productionem esse verbi vult, ut in finitimo, legitimo, æditimo, non plus inesse timum, quam in meditulio tullium. Scævola autem P. filius, junctum esse putat verbum, ut sit in eo, & post, & limen: ut quæ a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, & ex suo tanquam limine exierint, dein cum redierint, post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest postliminio rediisse: deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem, neque donationem sine acceptatione intelligi posse.*

XXI. Hujus Mancini dedititii etiam meminit Cicero lib. II. *de Oratore* his verbis: *Nam si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescunque is, quem Paterpatratus dediderit, receptus non erit, toties causa nova nascetur. Sin illa controversia causam facit, videaturne ei, quem Pater patratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis, Mancini nomen pertinet.* Et *pro A. Cæcinna: Ut religione civitas solvatur, civis Romanus traditur, qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus; si non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam, & jus civitatis.*

XXII. Hæc ut rectius intelligantur, non puto plane me a limine, in quo versor, aberraturum, si paucis ostendero, quænam sit illa de Mancino controversia. Hostilius Mancinus turpem cum Numantinis pacem fecerat. Cum igitur eam non probarent Romani, Mancinum Numantinis dediderunt. Hi cum hunc dedititium non reciperent, quod crederent, ei, qui gerendi belli potestatem haberet, fœderis etiam sanciendi jus competere, Romam reversus disputationi ansam dedit, an jus postliminii faveret ei, & an jus civitatis retineret integrum? Sed non tantum pristino honori restitutus, sed ad novos etiam honores est admissus: adeo ut nec ipse pœnæ loco duceret eam deditionis contumeliam, quippe qui *eodem habitu sibi statuam instituit, quo deditus est*, annotante Plinio lib. XXXIV. cap. V.

XXIII. Ceterum Mancini hujus Historiam vide apud Ciceronem lib. III. *de Officiis*. Livium lib. LV. & LVI. Florum lib. II. cap. XVIII. Vellejum Paterculum libr. II. cap. I. & II. Valerium Maximum lib. II. cap. VII. Auctorem *de Viris Illustribus*, Appianum in *Hispanicis*, Zonaram *Annalium* tom. II.

XXIV. Porro Scævolæ in etymo Postliminii assentit Justinianus Imperator *Institut.* libr. I. tit. XII. *Dictum est postliminium a limine, & post unde eum, qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum recte dicimus. Nam, sicut limina in domo finem quendam faciunt; sic & imperii finem esse limen Veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus. Ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen revertebatur, quod amiserat. Sed & qui captus, victis hostibus recuperatur, postliminio rediisse existimatur.* Naturam Postliminii quoque explicat Festus ex Gallo Ælio his verbis: *Postliminio receptum. Gallus Ælius in libr. primo Significationum, quæ ad jus pertinent, ait esse eum, qui liber, ex qua civitate in aliam civitatem abierat; in eandem civitatem redit, eo jure, quod constitutum est de postliminiis: Idem: qui servus a nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos redit in ejus potestatem, cujus antea fuit, jure postliminii. Equi & muli & navis eadem ratio est. Postliminium receptum, is, quæ servi quæ genera rerum ad nos postliminio redeunt, eadem genera rerum a nobis ad hostes redire possunt. Cum populis liberis, & confœderatis, & cum Regibus postliminium nobis est ita, uti cum hostibus, quæ nationes in opinione nostra sunt cum his.....*

XXV. Est ergo Postliminii jus, quo restituuntur in omnia pristina, qui ex hostium potestate in urbem vel ad suos redibant. Paulus Diaconus: *Postliminium receptus dicitur is, qui extra limina, hoc est, terminos provinciæ captus fuerat, rursus ad propria revertitur.*

XXVI. Hoc tamen jus postliminii ad eos non pertinebat, qui hostibus reditum jurejurando promisissent. Nam tum postliminium justum non erat. Gellius lib. VII. *Noct. Att.* cap. XVIII. *Tum octo ex iis, postliminium justum non esse sibi, responderunt: quoniam dejurio vincti forent, statimque, uti jurati erant, ad Hannibalem profecti sunt.*

XXVII. Notat Scaliger *ad Festum* Postliminii jus & religionem ex Atheniensium fontibus ad Romanos derivatum; apud quos, quibus absentibus funus factum erat, non prius ædes ingressi sunt passi, quam per sinum laxæ stolæ mulier eos demiserit, tanquam denuo renasci viderentur, unde δευτερόποτμοι, & ὑστερόποτμοι, hoc est, δευτερογενεῖς dicti. Πότμος enim fatum nascentis. Apud Romanos vero ejusmodi hominem tecto perforato in ædes admissum scribit, ne ominosum esset illi per januam ingredi, per quam tanquam elatus erat.

XXVIII. Docuit Scaligerum de his ritibus Plutarchus in *Romanis Quæstionibus*: cujus Latina, prout Gulielmus Xylander expressit, non pigrabor adscribere: *Cur quos peregre mortuos falsa fama nunciavit, reversos non per fores admittunt, sed conscenso tecto in domum demittunt? Fabula omnino est, quod Varro pro causa adfert. Cum bello apud Siciliam magnum navale prælium fuisset commissum, multosque fama mentiretur periisse: qui erant superstites, hos domum reversos, intra breve tempus universos fuisse mortuos. Unum ex illis januam domi suæ forte fortuna occlusam offendisse, neque aperire potuisse: ipsum cum ante fores obdormivisset, per quietem spectrum vidisse, quod ei præciperet, ut se de tecto in domum demitteret, eumque consilio huic paruisse, longamque vitam feliciter exegisse: atque hujus ab exemplo istam fuisse introductam consuetudinem. Quid vero, si ea quoque Græcis moribus est similis? Græci enim profanos*

habebant, neque iis sese permiscebant, neque ad sacrificia admittebant eos, quibus factum fuerat funus, & sepulcrum tanquam mortuis. Et relatum in commentariis reperi, Aristinum quendam ea ipsa obstrictum religione Delphos misisse, qui pro se deprecarentur, & quo pacto difficultatibus, in quas legum auctoritate compulsus erat, sese extricaret, rationem ostendi peterent: ei sic a Pythia fuisse responsum: His, peragit quæcunque puerpera, rite peractis omnibus, ad superum tua dona altaria sistes, eumque oraculo probe intellecto, mulieribus sese quasi renatum præbuisse lavandum, vinciendum, lactendum: idque reliquos deinde, quos idem casus excepisset, imitatos fuisse omnes, nomenque iis factum Hysteropotmi, quod scilicet & credito exitio quasi postliminio revertissent. Sunt qui hunc de Hysteropotmis expiandis morem ipso putent Aristino priorem, priscumque fuisse. Non itaque mirum est, si Romani tunc quoque eos, quos semel sepultos, ac rebus humanis exemtos esse fuerat creditum, existimaverunt non debere per ostium ingredi, per quod sacrificatum exitur, ac sacrificatu reditur: Sed eum deorsum ex aere voluerunt in atrium sub dio positum demittere. Expiationes enim omnes solent fere sub dio peragere.

XXIX. Solet Postliminii vox tum de quovis reditu accipi, tum etiam ad alia transferri. Hieronymus in *vita Malchi monachi*: *Ego interim longe* postliminio *hæreditarius possessor*. Idem *præfat. Comm. in Jonam*: *Tanto post tempore, quasi quodam* postliminio *a Jona interpretandi sumens principium*. Apulejus *Metam.* lib. I. *Quo audito statim arrepta dextra postliminio me in forum cupedinis reducens*. Idem lib. IX. *Hac opportuna fallacia vigorati juvenis inductus, imo sublatus, & ad credulitatem delapsus Barbarus, postliminio domum regressus*. Lib. X. *Commodum discusso mortifero sopore surgentem postliminio mortis deprehendit filium*. Rutilius lib. I. *Itinerarii*, v. 213.

Cujus Aremoricas Pater Exsuperantius oras
Nunc postliminium pacis amore docet.
Leges restituit, libertatemque reducit,
Et servos famulis non sinit esse suis.

Johannes Sarisberiensis *Metalogici* lib. I. capit. V. *Veruntamen fumus iste cito evanuit, & prædictorum opera magistrorum & diligentia, redierunt artes, & quasi jure postliminii, honorem pristinum nactæ sunt, & post exilium gratiam & gloriam ampliorem.*

XXX. Satis de Jure Postliminii dictum est, & fortassis plus quam satis: redeo igitur postliminio ad januarum limina.

XXXI. Plerumque limina e ligno erant fabricata. Vetus Vocabularium: *Limen terminus domus: vel lignum in foribus domorum, per quod intratur.*

XXXII. Sed potentiorum marmorea. Plinius libr. XXXVI. cap. VI. *Denique M. Lepidus Catuli in Consulatu Collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit, magna reprehensione. Is fuit Cos. anno Urbis* DCLXVI. *Hoc primum invecti Numidici marmoris vestigium invenio, non in columnis tantum crustisve, ut Mamurra Carystium posuit, sed in massa ac vilissimo liminum usu*. Postrema procul dubio corrupta sunt: quare cum aliis legere malim; *sed in mensas, ac vilissimum usum*. Horatius lib. I. Epist. XVIII.

Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici.

Fortassis etiam marmorea fuerunt in Ciceronis domo; quia tam cupide illis inhiavit Piso Cos. quod tangit Orat. *pro domo sua*: *Nec illi tam cupidi liminum meorum & valvarum fuerunt.*

XXXIII. Ut nihil deesset templorum magnificentiæ, eorum limina interdum erant ænea. Virgilius de Templo Junonis Carthagine lib. I. *Æneid.*

Ænea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo stridebat aenus.

In Capitolio quoque limina fuisse ærea, ex Livio docemur, cujus hæc sunt verba lib. X. *Cn. & Q. Ogulnius Æediles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis mulctatis ex eo, quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina fecerunt.*

XXXIV. Solebant autem præ templis & Palatiis divitum gradus esse, quibus ad inferius limen ascendebant. Ovid. *Metam.* lib. I.

Ut templi tetigere gradus.

Virgilius lib. II. *Æn.*

Hærent parietibus scalæ postesque sub ipsos.
Nituntur gradibus.

De his gradibus accipio Ammiani Marcellini, quod lib. XXIII. memorat *Gradile Genii templum*. Sic enim explicat Turnebus *Adversar.* libr. XII. cap. V. Nisi forte id de gradibus scalarum intelligendum. Seneca Epistol. LXXXV. *Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa rixa salutantium limina? multum habent contumeliarum ut intres: plus cum intraveris. Præter istos gradus divitum, & magno aggestu suspensa vestibula*. Speciatim graduum Palatii Imperatorum Romanorum mentionem facit Suetonius *Nerone* cap. LIII. *Pro Palatii gradibus Imperator consalutatus*. Et in *Vitellio* capit. XV. Curiæ graduum, Auctor *de Viris Illustribus* in Servio Tullio: *Servius tum ad curiam properat, jussu Tarquinii, gradibus dejectus.*

Ab his gradibus nos ad alia descendemus.

CAP. IX.

DE CLAUSTRIS.

Summarium.

Claustrum nomen generale forium, obicum, repagulorum. Aperiuntur plurima de Claustris loca. Claustra dicuntur omnia, quæ claudi possunt, aut claudunt. Claustra pro aggeribus mari oppositis. Virgilius explicatur. Claustra pro angustiis regionum. Burgi. Clusuræ. Clusæ. Cludere pro Claudere. German. Kloster. *Translata de Claustris.*

I. FREQUENS est CLAUSTRORUM mentio apud Scriptores veteres, cum de Januis aliquid afferunt. Nunc autem per illa ipsa ostia intelligunt, nunc repagula, obices & seras, quibus domus clauditur.

II. Ex tanta copia testimoniorum nonnulla excerpemus. Cicero VI. *Verr. Effringi multorum fores, revelli claustra*. Catullus Epithalamio Juliæ & Mallii:

Claustra pandite januæ.

Virgilius lib. II. *Æn.* v. 491. de expugnata Priami regia:

Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent.

Id. lib. VII. v. 185.

—— portarum ingentia claustra.

Idem lib. IX. v. 758.

Rumpere claustra manu, sociosque immittere portis.

Martialis lib. X. Epig. XXVIII.

Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Ovidius lib. I. *Amor.* Eleg. VI.

—— inimicaque claustra relaxa.

Claudianus de VI. *Consul. Honorii.*

— perpetuisque immoto cardine claustris
Janus bella premens.

Plinius *Paneg. Trajani* cap. XLIX. *Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam ejus non crudelitatis, sed amoris excubiis, non solitudine, &* claustris *defenditur*. Petronius: *Ascyltos furtim se foribus admovit, discussisque fortissime claustris, invenit me cum fratre ludentem.* Idem: *Publicus vero servus insertans commissuris secures claustrorum firmitatem laxavit.* Apulejus libr. I. *Met. Cunctos in suis sibi domibus tanta cautionum violentia clausit; ut toto biduo non claustra perfringi, non fores evelli, non denique parietes ipsi quiverint perforari.* Lib. III. *Tunc horreum quoddam satis validis claustris obseptum obseratumque — securibus validis aggressi diffindunt.* Lib. IV. *Lamachus, spectata virtutis suæ fiducia, qua clavi immittendæ foramen patebat, sensim immissa manu, claustrum evellere gestiebat.* Lib. VII. *Januæ claustra sedulo exploraverat.* Lib. VIII. *Nutricem istam meam opperiare: quæ claustris adhærens excubabit adventui tuo.* Paulinus Natal. VI. Felicis:

— removens & pessula claustris
Ostia laxato stridenti cardine solvit.

III. In genere autem Claustra notant, quæ apta sunt claudi: unde etiam nomen habent. Varro libr. VI. *L. L. Quasi Hellespontum & claustra: quod Xerxes quondam eum locum clausit.* Isidorus lib. XIV. cap. VII. *Claustra ab eo, quod clauduntur, dicta.* Virgilius de equo Trojano libr. II. *Æn.* v. 259.

Inclusos utero Danaos & pinea furtim
Laxat claustra Sinon.

Quod imitatur Petronius in *Halosi Trojæ*, v. 7.

Aperitur ingens claustrum, & obducti specus,
Qui castra caperent.

Et in fine carminis:

Danai relaxant claustra, & effundunt viros.

Virgilius lib. II. *Georg.* v. 161.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra?

Ubi Poeta intelligit Opus Julium, hoc est, aggeres & moles oppositas, quibus mare Tyrrhenum a Lucrino lacu, quem salsedine sua corrumpebat, seclusum est, ut loquitur Plinius lib. XXXVI. cap. XV. Germani nostri vocant tales structuras, *Schluisen*, a *schliessen*. Sic *Nili claustra* hoc sensu dixit Petronius: *Et Libyæ cerno, & tua, Nile, gementia claustra.*

IV. *Claustra* etiam dicuntur angusti regionum accessus, sive *angustiæ aditum, quæ regionem aperiunt*, ut Curtius vocat: tum, quæ ibi exstructa castella sunt, quibus adeuntes excluduntur. Valerius Max. libr. II. capit. VIII. *Disciplina militaris — Alpium Taurique montis convulsa claustra tradidit. Sic Claustra Caspiarum*, scilicet *portarum* Tacitus dixit lib. I. *Hist.* cap. VI. Sic *Claustra Italiæ* legas apud Florum, III. III. 6. *Macedoniæ*, II. VII. 10. *Alpium*, IV. II. 17. *Africæ*, IV. II. 70. *Claustra Ægypti* apud Suetonium in *Vespasiano* cap. VII. *Alpium Juliarum claustra* memorat Ammianus Marcellinus libr. XXXI. *Pudoris claustra*, Ambrosius lib. VI. Epist. XLVI. Idem eadem Epist. habet *Corporis Claustrum*. Recentiores Scriptores appellarunt *Burgos*, item *Clusuras*, & *Clusas* a *cludendo*: quod, ut alios taceam, habet Juvenalis Sat. III.

Divitis hic servi cludit latus.

adi Vossium *de Vitiis Sermonis* lib. II. cap. XXV. Atque hinc etiam descendit Germanicum nostrum *Kloster*: quod ibi includantur Monachi, & Moniales.

V. Sed placet alia quædam translata de claustris loca aperire. Horatius lib. I. Epist. XIV.

— tamen isthuc mens animusque
Fert & amat, spatiis obstantia rumpere claustra.

Lucretius lib. I. v. 71.

— — confringere ut arta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

id est, *naturæ secreta revelare.* Idem vitæ claustra dixit eodem libro, v. 415.

— ne tarda prius per membra senectus
Serpat, & in nobis vitai claustra resolvat.

Inferni claustra memorat Apulejus *Metam.* libr. XI. *Nam & Inferum claustra, & salutis tutelam in Deæ manu posita.* Cicero *pro Muræna*: *Cum ego claustra ista nobilitatis refregissem.*

CAP. X.

DE SERA.

Summarium.

Sera unde dicatur? Seræ Veterum eædem cum obicibus & repagulis. Seræ Veterum exemtiles. Catenæ circa seras. Opponere seram. Obserare. Reserare. Varia lectio in Auctore Moreti.

I. CLAUSTRORUM erant species, SERÆ, OBICES, REPAGULA, VECTES, PESSULI. De singulis dicemus ordine.

II. Unde SERA derivetur, variæ sunt variorum sententiæ. Nonnulli ex Ebræo שער esse volunt, quod significat *obseravit*: alii deducunt a Chaldaico סר, quod est, *claudere*. Quidam esse putant a σειρὰ *funis*, seu *catena*: quod ante inventas seras ostia & arcas muniverint funibus. Beda libello *de Orthographia* a *sero* esse censet, quod sero, hoc est, vespere occlaudantur portæ. Perottus, quod foribus admotæ *serantur*, hoc est, *inserantur*, & defigantur. *Seræ* vox nec Græcis ignota. Eustathius *ad Odysseam* X. Σέρα ἡ τὰς θύρας κλείουσα. Usurpavit & Theodorus Lector *Histor. Eccles.* libr. II. Ἐκκλησιαστικός τις ἀνὴρ ἁρπάσας τὴν λεγομένην σέραν, ἀνεῖλεν. *Vir quidam Ecclesiasticus arrepta* sera, *interfecit* insidiatorem Euphemii.

III. Quas nos hodie vocamus Seras, instrumenta ferrea, quibus immittendo claves, januas recludimus, & aperimus, longe differre puto a Veterum Seris. Illæ enim idem fuisse videntur cum repagulis & obicibus. Festus: *Seræ, fustes, qui opponuntur foribus.* Idem: *Obices, Pessuli, Seræ.* Catholicon Magnum: *Sera dicitur firmatura ostii, & proprie lignum, quod ex transverso objicitur & opponitur ostio.*

IV. Præterea hoc eo firmare licet, quod istæ, non ut nunc, impagibus ostiorum uncis affixæ ferreis hæserint, sed fuerint exemtiles, & quoties fores aperirentur, necesse fuerit removere seras. Hinc Varro libr. VI. *de L. L. nec satis resarrire ab serra dictum, id est, aperire. Hinc etiam Seræ; quibus remotis fores panduntur.* Nonius in Patibulum: *Sera sua sponte delapsa cecidit, reclusæque subito fores admiserant intrantem.* Festus vero Grammaticus contrarium videtur asserere. Nam in hac ipsa voce *Asserere*, ita: *Unde etiam* seræ *appellantur, quia foribus admotæ opponuntur, defixæ postibus, quemadmodum ea, quæ terræ inseruntur.* Sed Casaubonus in *Notis ad Æneæ Tacticum*: *Falsum est, seras, hoc est, τὸν μοχλὸν fuisse postibus defixum, ut quæ terræ inseruntur. Id enim non obici, sed pessulo convenit.*

Imprimis autem id ex Ovidio clarum est, qui libr. I. *Amorum* Eleg. VI. aliquoties ad Janitorem hunc versum iterat. A

Tempora noctis eunt, excute poste seram.

Idem *demere seram* dixit lib. I. *Fastor.*

Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demta janua nostra sera.

Quamvis ibidem etiam capere possis pro *ademta*, id est, janua seram nullam habente. Propertius lib. IV. Eleg. ult.

Et jaceat tacita lapsa catena sera. B

Atque id inprimis observandum venit, quod catenæ circa seram meminit: id quod etiam facit Apulejus lib. V. *Metam. Maritum sortita sum, cunctam domum seris & catenis obditam custodientem.* Sic Græci dicebant quoque *μοχλὸν ἀφαιρεῖν*. Plutarchus in *Pelopida*: θεράποντος αἰσθόμενος προϊόντος ἔνδοθεν, καὶ τὸν μοχλὸν ἀφαιροῦντος. Chrysostomus Homilia *de Berenice & Prosdoce*: εἰ μὴ συνέθλασε τὸν μοχλὸν τὸν σιδηροῦν, οὐκ ἂν αἱ παρθένοι ἴσχυσαν αὐτὸν ἀφελέσθαι.

V. Huc etiam pertinet, quod sæpius legas, apud Poetas inprimis, *Ponere* & *Opponere seram*. Juvenalis Sat. VI. C

Pone seram, cohibe, sed quis custodiet ipsos
Custodes.

Ovidius lib. I. *Am.* El. XIII.

Opposita populum submovet ante sera.

Idem lib. II. *de A. A.*

Si tibi per tutum, placitumque negabitur ire,
Atque erit opposita janua fulta sera.

Tibullus libr. I. Eleg. VIII.

—— nunc displicet illi,
Quæcunque opposita est janua firma sera.

VI. Est igitur *Opponere seram*, idem quod Obserare, quod proprie dicitur de januis, per metaphoram etiam de aliis rebus. Catullus Ep. XXX. D

Quod si jusseris, illud adjuvato,
Neu quis liminis obseret tabellam.

Terentius *Eunucho*:

Abi, atque ostium obsera intus.

id est, obdita sera ostium intus occlude. Apulejus *Metamorph.* lib. VIII. *Valvis super sese diligenter obseratis, inedia statuit elidere sua sententia damnatum spiritum.* Et lib. X. *Qui cum multos videret nimio favore lusus meos spectare gestientes, obserata fore, atque singulis eorum seorsim admissis*, &c. Ambrosius *de Virginibus* lib. III. *Januam quoque tuam disce temporibus obserare nocturnis: non facile quisquam patentem reperiat.* Orosius lib. VII. cap. IX. E *Pronuntiaverunt Janum geminum* obseratis *cohiberi* claustris. Augustinus *de Civ. Dei* lib. XVII. cap. XVIII. *Ita ut corpora ipsa hominum jaceant alicubi — multo gravius atque vehementius, quam somno suis sensibus* obseratis. Idem Epistol. XLVIII. ad Vincentium: *Multis auditum intrandi* obserabant *rumores maledicorum.* Amulo Epistol. ad Godeschalcum: *Quid in ipsa Ecclesia tot proximi & fratres tui* (peccarunt) *ut eis tam magnam, tam patentem januam pietatis Dei obstruere, &* obserare *coneris?*

VII. Horatius lib. *Epod.* Od. XVII. F

Quid obseratis auribus fundis preces?

Quod imitatus Saxo Grammat. libr. II. *Cum obseratas mater aures haberet.* Catull. Epig. LVII.

Vel si vis licet obseres palatum.

Propert. lib. IV. Eleg. ult.

Obserat herbosos lurida porta rogos.

VIII. Huic contrarium est *Reserare*. Tibullus lib. I. Eleg. II.

Seu reserat fixo dente puella fores.

Ibidem:

Non labor hic lædit, reseret modò Delia postes.

Ovid. lib. III. *Amor.* El. I.

Quam tu non poteris duro reserare cothurno,
Hæc est blanditiis janua laxa meis.

Tacitus *Histor.* libr. III. *L. Vitellius cubiculum Imperatoris reserat.* Plinius *Panegyrico Traj.* cap. XLVII. *Quod enim forum? quæ templa tam* reserata? Silius lib. XVII.

Hic finis bello, reserantur protinus arces,
Ausonio jam sponte duci.

Auctor Moreti:

Et reserat clausæ, qua pervidet, ostia clavis:

ita legit Scaliger. Sed Salmasius in *exercitationibus ad Solinum* legendum censet;

Et reserat casulæ, qua pervidet, ostia clavi.

Barthius in *Adversariis*:

Et reserat casulæ, qua prævidet, ostia clavi.

IX. Ex translatis sufficiant sequentia. Cicero lib. II. *Officior. Non ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus.* Rutilius libr. I. vers. 401.

Proxima securum reserat Populonia littus.

Ausonius *Mosella*:

—— —— Phœbusque sereno
Lumine purpureum reserat jam sudus Olympum.

Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Ubi reseratæ sunt insidiarum latebræ omnes.* Ambrosius Ep. XVI. *JESUS accessum ad Patrem in uno reseravit Spiritu.* Paulinus:

Ergo oculos mentis CHRISTO reseremus & aures.

Idem:

Nam veluti rupto patuere sacraria velo,
Sic reserat nobis legis operta fides.

Plinius d. l. c. LVIII. *Contigit privatis aperire annum fastosque* reserare. Cyprianus libr. II. Epist. II. *O si possit in illa sublimi specula constitutus oculos tuos inserere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conscientiam luminum penetralia occulta* reserare, *aspicias ab impudicis geri, quod nec possit adspicere frons pudica.* Ambrosius libr. VII. Epist. LIV. *Reseratis oraculis gloriam Domini speculamur.* Hieronymus *in Esaiæ cap.* XXXVII. *Non audebat Domini timore perterritus in templo ora* reserare. Sulpicius Severus *Historiæ Sacræ* libr. II. cap. XII. *Daniel occultam fraudem* reserat. A *sera* etiam est *Serare & Serari.* Luithprandus *Histor.* libr. III. cap. XI. *Portas omnes civitatis* serari *faciat, clavesque sibi ipsi retineat.*

CAP. XI.

DE OBICIBUS.

Summarium.

Obices, Poetis Objices ab objiciendo. Silius primam corripit, ceteri Poetæ omnes producunt. Obex generis communis. In genere designat omne id, quod objicitur. Obex metaphorice pro remora. Phrasis Theologica Obicem ponere. Obices lignei, ferrati, ærei. Per obicem immittebatur βάλανος, βαλανάγρα.

I. NUNC dicendum de OBICIBUS, quos itidem januæ intus objiciebant Veteres. Ab objiciendo proinde nomen habent, non ab ὀχετὸς, *canalis, tubus*, quod voluit Nunnesius. Qua-

A Quapropter etiam Poetæ *Objices* solent dicere. Sane apud Maronem ita scribi debere contendit Gellius lib. IV. cap. XVII. *Quæritur*, inquit, *in Objicibus, O, litera, qua ratione intendatur, cum id vocabulum factum sit a verbo Objicio, & nequaquam simile sit, quod a verbo moveo, motus, O, litera longa dicitur. Equidem memini Sulpitium Apollinarem, virum præstanti literarum scientia, Objices, & Objicibus, O, litera correpta dicere, in Vergilio quoque sic eum legere:*

—— qua vi maria alta tumescant
Objicibus ruptis:

Sed ita, ut diximus, I, literam, quæ in vocabulo
B *quoque gemina esse debet, paulo uberius largiusque pronunciabat.*

II. Silius quidem corripit; sed reliqui Poetæ ad unum omnes intendunt. Ita autem ille lib. IV.

———— & robora portis,
Et fidos certant Obices arcessere sylva.

III. Virgilius lib. IV. Georg.

Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.

Claudianus lib. I. *de Raptu Proserp.* v. 172.

C *Sive quod obicibus discurrens ventus opertis.*

Idem lib. II. v. 220.

—— clypeique retardat
Obice.

Idem initio libri *de Bello Gildonico*:

Jam domitus Gildo, nullis victoria nodis
Hæsit, non spatiis terræ, non obice Ponti.

Lib. II. *in Eutropium*:

—— victo proruperat obice Nereus.

Ovidius lib. III. *Metam.*

At quacunque trabes, obstructaque saxa jacebant,
Spumeus, & fervens, & ab obice sævior ibat.

D Idem lib. XIV *Metam.*

Invadunt, portasque petunt, quas obices firmo
Clauserat Iliades.

Statius lib. III. *Thebaid.* v. 673.

Cum vagus in campos frustra prohibentibus exit
Obicibus, (torrens.)

Valerius Flaccus lib. I.

—— fremit obice Ponti
Clausa cohors.

Lucanus lib. X.

—— adversique obice Ponti
E *Æstuat in campos.*

Cornelius Gallus:

Non secus instantem cupiens fulcire ruinam,
Diversis contra nititur obicibus.

Prudentius *Cathem.* hymno IX.

Obice retrorsum pulso porta reddit mortuos.

Paulinus Natali V. Felicis:

Et capiendus erat, quia nullius obice claustra
Ille repellendis locus obsistebat iniquis.

Idem Natali VI. Felicis:

Dimoto faciles cesserunt obice postes.

Juvencus *Histor. Evangel.* lib. IV.

F *Ales uti molli solita est sub corpore pullos*
Obice pennarum circum complexa fovere.

IV. Obex plerumque masculinum est. In sequiori tamen genere usurpavit Plautus in *Persa* II. II. v. 21.

—— Commorandum 'st mihi apud hanc obicem.

Virgilius in X. *Æn.*

Ecce maris magna claudit nos obice ponti.

Quem ad locum ita commentatur Servius: *Modo usus habet, ut hic Obex dicamus; Unde quidam magno obice legunt; antiqui etiam hæc obix dicebant, secundum quod est magna obice. Hinc est, quia nonnulli vitant generis dubietatem, & legunt magni, scilicet maris. Caper tamen in libris dubii generis, probat dici, & hic obex, & hæc obex: quod ut diximus, hodie de usu recessit.* Fæminino etiam gerere usus Sidonius lib. VII. Ep. I. *De nostra tantum obice.* Idem Carm. II.

Cerea destituit resolutis axibus obex.

Et Alcimus Avitus lib. IV.

———— obice rupta
Sævit laxatis excurrens
humor habenis.

Plinius *Paneg.* cap. XLVII. *Omnium* nullæ obices, *nulli contumeliarum gradus.*

V. Vi autem originis obices significant omne id, quod monumenti causa objicitur. Perottus: *Obex significat objectum sive objectionem cujuscumque rei.* Sic etiam Servius *Georg.* IV. *Obicem* exponit *objectionem*. Quo sensu Hieronymus eleganter dixit *Obicem clypei*, contra Luciferianos: *Sagitta, quæ contento nervo dirigitur. Ante enim ad eum, ad quem jacta est, pervenit quam* obice clypei *frustretur.* Orosius *muri obicem* affert lib. III. cap. XIX. *Ubi se obrui a circumfusa multitudine persensit* (Alexander Magnus) muri obice *posteriora tutatus.* Ambrosius lib. V. Ep. XXXVII. ad Irenæum Episc. *Pax facta est, —— ut in homine uno, & novus homo, & vetus sublato pariete maceriæ, qui utrumque* dissidioso obice *dividebat, inter se convenirent.* August. *de Spiritu & Litera* cap. III *Sicut aquæ impetu si in eam partem non cesset influere, vehementior fit* obice *opposito.* Per metaphoram quamvis remoram denotat. Poetarum loca vidimus quamplurima. Addimus unum Petri Chrysologi *Serm.* LXV. *Duræ mortis janua durior durissimo lapide claudebatur; sed plorans quid proficit ad sepulcrum, quando sic duros & congestos obices non penetrat vox plorantis?*

VI. Familiaris est Theologis in doctrina de Conversione phrasis obicem ponere. Hanc observavi in coryphæo Theologorum Augustino Ep. XXIII. *Parvulus etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit.*

VII. Obices vero januarum plerumque erant lignei, vel quod ex Æneæ *Tactico* discimus, qui tamen majoris firmitudinis causa præcipit τὸν μοχλὸν σεσιδηρῶσθαι διὰ μήκοις τειχῆ ἢ τετραχῆ, *obicem tribus aut quatuor e partibus muniri laminis ferreis in longum appositis.* Et hi sunt *ferrati obices* Latinorum. Ammianus Marcellinus lib. XXI. *Alii ferratos portarum obices effringendos adorti, vulgo ignibus petebantur.* Sed & ferreos atque æreos obices fieri olim solitos vel ex Historia sacra docemur, quæ μοχλῶν χαλκῶν καὶ σιδηρῶν cum in *Regum* libris, tum alibi sæpe meminit.

VIII. Quemadmodum autem Obices clausas januas firmarent & tenerent, ita Obicem rursus continebat βάλανος. Hoc erat ferrum breve, & ut nomen indicat, glandis facie, quod in foramen τοῦ μοχλοῦ, seu lignei vel ferrati obicis immittebatur, & sic eundem committebat januæ, ut nisi extracto eo, removeri ac revelli non posset obex, nec janua aperiri. Scholiastes Aristoph. in *Vespis*: Βάλανον τὸν μοχλόν. κυρίως δὲ τὸ εἰς τὸν μοχλὸν σιδήρεον. ὃ καλοῦμεν μάγγανον, καὶ βάλανοι τὰ μάγγανα τῆς κλειδῶσεως. Eadem ferme repetit in *Concionantibus*. sic Thucydides lib. II. τὰς πύλας ἔκλεισε, στυρακίῳ ἀκοντίου ἀντὶ βαλάνου, χρησάμενος εἰς τὸν μοχλόν. quæ ita reddidit Laurentius Valla: *Et*

quidem Platæenſium portas, per quas intrarant, ſpiculo pro vecte in ſeram trajecto, obſeravit. Quid ſit Βάλανος, ita explicat vetus Scholiaſtes Thucydidis. Βάλανός ἐστι τὸ βαλλόμενον εἰς τὸν μοχλὸν σιδήρεον, ὃ καλοῦμεν μάγγανον. Porro ferrum hoc, quod Βάλανος appellabatur, per obicem trajectum, excipiebatur in clauſtro a foramine, quod Æneas in *Tacticis*, modo βαλανοδόκην, proprio nomine, modo communi τρύπημα, aut τρῆμα appellat. Interdum non removendo obicem, ſed attollendo, aut in aliam partem torquendo januam, aut portam, aperiebant. Græcis dicebatur παραφέρειν τὸν μοχλόν. Heliodorus lib. VI. ἡ δ' ὡς κατελήφθη σχήματος ἐπὶ τὰς θύρας ὁρμήσασα, τόν τε μοχλὸν παρήνεγκε, καὶ πρὸς εἴσοδον πρεσβύτῃ διέστειλε.

IX. Ita vero in Obicis ſeu Seræ foramen incidebat βάλανος, ut totus lateret, nec erui inde poſſet vel extrahi, niſi immiſſo alio ferro oblongo, quod in cavitatem βαλάνου ita inibat, ut eam evelleret & ſurſum traheret. Ferrum illud βαλανάγρα vocabatur; quippe quod τὴν βάλανον ἀγρεύει, *peſſulum venatur*, id eſt, *attrahit*, *aut retrahit*. Xenophon lib. V. *Rerum Græciæ*: παραδιδοὺς αὐτῷ τὴν βαλανάγραν τῶν πυλῶν. Polyænus lib. I. *Strategematum*: Βρασίδας Ἀμφίπολιν προδοθεῖσαν εἷλε, καὶ τοῖς προδόταις κελεύει κλεῖσαι τὰς πύλας. καὶ βαλὼν τὰς βαλανάγρας ὑπὲρ τὸ τεῖχος. In his igitur & ſimilibus locis βαλανάγραι ſunt *claves*. Quæ tamen interpretatio, monente Caſaubono, non ſemper convenit. Nam in loco quodam Polybii lib. VII. idem oſtendit, non poſſe *claves* verti, ſed *clauſtra*. Et hæc fuit Veterum Clavis. Scholiaſtes Ariſtophanis laudato loco in *Veſpis*: Βαλανάγρα, ἡ κλεῖς. παρὰ τὸ ἀγρεύειν τὴν βάλανον. Sed de Clavibus Veterum nos ſingulari capite agemus.

CAP. XII.

DE REPAGULIS.

Summarium.

Repagula quid ſint? Unde dicantur? Repagula Græcis καλυπτῆρες. *Uncini in janua. Repagula optima ex abiete. Repagula in ſtabulis & paſcuis quid ſint? Repagulum pro quovis obſtaculo.*

I. REPAGULA ſic deſcribunt Gloſſæ Ms. in Prudentium ab Elmenhorſtio in *indice Apuleii* laudatæ: *Repagula ſunt ligna, quibus oſtia in tranſverſum firmantur*. Clariora nimirum ſunt hæc, quam ſequentia Feſti: *Repagula ſunt, ut Verrius ait quæ patefaciendi gratia ita figuntur, ut ex contrario, quæ oppanguntur: quæ Poetæ interdum repages appellant*.

II. Repagula nomen habent a pango, pro quo Veteres dixerunt *pago*. Et fortaſſis ſimplex fuit *Pagulum*: quia in Gloſſis Iſidori legitur: *Pagula fræna*; quod in os equi panguntur, id eſt, figuntur. Male Vetus Vocabolarium deducit a *repando*, id eſt, *aperio*.

III. Græci Repagula interdum vocant καλυπτῆρες. Gloſſæ: Repagula καλυπτῆρες. Heſychius: Ἀντήριος, στήμων, καὶ ὁ κανὼν προσκείμενος τῇ θύρᾳ, ὃν ἔνιοι καλυπτῆρα φασί. quod nonnulli ita interpretantur; quod Ἀντήριος ſit *Stamen*, & *Regula, quæ a tergo oſtii poſita, ipſum apertum renixu ſuo repellat, & claudat*. Gloſſæ Cyrilli: κόραξ σιδηροῦς θύρας, Uncinus, Repagulum. Item: Repagulum, κόραξ, κλεῖθρον, Μητρα θυρας. Μανδαλοι. Uncini mentio in hac ſignificatione eſt etiam in Apuleii lib. III. *Et cum dicto peſſulis injectis, & uncino firmiter immiſſo, ſic ad me reverſa*.

IV. Repagulorum meminit Plautus *Ciſtellar.* III. v. 18.

Ubi eſtis ſervi? occludite ædes peſſulis, repagulis.

Cicero lib. I. *de Divinat. In templo Herculis valvæ clauſæ repagulis ſubito ſeipſæ aperuerunt*. Et VI. *Verr. Convulſis repagulis, effractiſque valvis demoliri ſignum conantur*. Apulej. lib. I. *Poſtes ad repagula redeunt*. Ovid. lib. V. *Metam.* v. 120.

Raptaque de dextro robuſta repagula poſte.

Idem lib XIV. v. 790.

Sola Venus portæ cecidiſſe repagula ſenſit.

Prudentius lib II. *contra Symmach.* v. 739.

Poſtquam pertulerat tremefacta repagula portæ.

V. Repagula ex abiete laudat Plinius lib. XVI. cap. XLII. *Firmiſſima*, inquit, *ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat inteſtina opera aptiſſima.*

VI. In ſtabulis quoque & paſcuis Repagula dicuntur ea ligna, quibus diſtinentur equi, ne libere excurrant: ut in iſtis Ovidii lib. II. *Metamorph.*

Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartuſque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibuſque repagula pulſant.

VII. Per tranſlationem Repagula pro quovis obſtaculo ponuntur. Cic. *Verr.* VII. *Perfringere omnia repagula juris; pudoris, officii*. Et lib. III. *de Nat. Deor. Recludere iram repagulis*. Ammianus lib. XVI. *Igitur cum equites nihil præter fugæ præſidia circumſpectantes, vidiſſet longius Cæſar, concito equo eos velut repagulum quoddam cohibuit*. Ambroſius lib. V. Ep. XXIX. *Non audiſti Imperator, quia eum juſſiſſet Julianus reparari templum Hieroſolymis, quod divino, qui faciebant repagulum, igne flagrarunt*. Paulinus Carm. de Johanne Bapt.

Solvuntur vinctæ laxata repagula linguæ.

CAP. XIII.

DE VECTIBUS.

Summarium.

Vectes in janua quid? Vectes a vehendo. Ὀχεύς. *Weitzius notatur Cinyras Vectem invenit. Vectibus uſi qui expugnarent januas. Vectem imponere ori.*

I. VECTIS varias habet notiones, de quibus videſis Bernardinum Baldum in *Lexico Vitruviano*. Nos miſſis reliquis de Vectibus, quorum in januis uſus fuit, pauca afferemus.

II. Fuit autem ſpecies obicis ex ligno vel ferro, quo oſtium clauſum olim muniebant.

III. Latinis Vectis eſt a *vehendo*; ita Græcis Ὀχεύς, quod *Vectem* denotat, eſt ab ὀχέω, *veho*. Euſtathius *in Homerum*: Πύλαι, αὐτὸς ὁ τῆς εἰσόδου τόπος. σανίδες δὲ αἱ θύραι. ὀχεὺς δὲ ὁ μοχλός. imo μοχλὸν nonnulli nomen habere volunt ab ὀχεῖν. Μοχλὸς fuit lignum vecti ſimile, quod fores non ſinebat aperire. Sumitur & pro *Sera*. Gloſſarium: Μοχλὸς θύρας, *Sera*. Appellarunt & *Vectem*: ut paſſim B. Hieronymus, & alii Sacræ Scripturæ Interpretes.

IV. De his oſtiorum vectibus locus eſt apud Virgilium lib. VII. *Æn.* v. 609.

Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Janus.

Prudentius *Cathemer.* hymno IX. v. 72. ubi de deſcenſu Chriſti ad inferos:

Quin & ipsum, ne salutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat: fracta cedit janua,
Vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis.

Idem in *passione S. Vincentii* vers. 349.

Hic obseratis vectibus
Densæ specum caliginis
Splendore lucis advenæ
Micuisse clausum viderat.

Ac iterum in *passione S. Laurentii* v. 477.

Qui templa claudat vectibus
Valvas eburnas obstruat.

Hieronymus *Commentar. in Esajam* cap. XX *Ismaelitarum, hoc est, Saracenorum gens in tentoriis habitat: qui, quas nox compulerit, sedes tenent: quibus armenta sunt, & pecora, camelorumque greges: qui non habent ostia, nec vectes. Non enim versantur in urbibus, sed in solitudine habitant.* Idem Hieronymus *in Amos* cap. I. Vectes *Damasci, quasi feræ robustissimæ atque fortissimæ bi intelligantur qui instructi sunt arte dialetica, & argumentis Philosophorum.* Prudentius *Peristeph.* hymno II.

Hic obseratis vectibus
Densæ specum caliginis
Splendore lucis advenæ
Micuisse clausum viderat.

Ditmarus Merseburgensis fine l. III. *Obseram* (an *Obserabo?*) *modo tertii seriem voluminis duro* vecte *necis deflendæ tertii Imperatoris nostri* (Ottonis) *& certitudinem pietatis almæ, quæ omnem exclusit ambiguitatem, stylo lætus aperire conabor.* Gobelinus Persona, in *Cosmodromio*, ætate VI. cap. LVI. *Ante fores Ecclesiæ subsistite, januasque seris & vecti*bus *firmate.* Errat igitur ipse Weitzius, quando in *Commentar. ad Terentii Eunuchum*, errare illos censet, qui Vectibus clausas fuisse fores putent.

V. Hunc vectem nescio an intellexerit Plinius, quando Cinyram quendam vectem invenisse scribit lib VIII. cap. LVI.

VI. Vectibus interdum usos Veteres in expugnandis janius reperio. Terentianus Thraso Thaidis domum expugnaturus, inquit:

In medium huc agmen cum vecti, Donax.

Horatius lib. III. Od. XXVI.

—— *Hic, hic ponite lucida*
Funalia, & vectes, & arcus
Oppositis foribus minaces.

Isidorus lib. V. cap. XXVII. *Vectes dicti, quod manibus vectentur: unde ostia saxaque velluntur.* Lucilius apud Nonium: *Vecte atque ancipiti ferro effringam cardines.*

VII. Observavi nuper in Ambrosio, quod translate dixerit, *Vectem imponere ori suo*: quare adscribam locum, ut habetur Epist. I. *Christus ideo didrachma solvi jubet pro se & Petro: quia uterque sub lege generati. Jubet ergo secundum legem solvi: ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Et tamen staterem dari jubet, quo vectes imponerent ori suo, ne ex multiloquio peccatum admitterent.*

CAP. XIV.

DE PESSULIS.

Summarium.

Pessuli fere in januis duo. Locus Terentii de Pessulo male ad obscœna trabitur. Pessulus non derivatur a πάσσὸς, nec a pede, nec a pello, sed a πάσσαλος. Pessulus, Gr. Μάνδαλος. Oppessulare. Fores Oppessulatæ. Pessuli subjecta clavi reducebantur, cum apiretur janua.

I. ULTIMUM inter Claustra locum dedi PESSULIS, quorum frequens apud Veteres est mentio, quando agunt de Janius: & est obex, sive id quo obducto fores clauduntur.

II. Plautus in *Cistellaria*:

Ubi estis servi? occludite ædes pessulis, repagulis.

Apulejus lib. I. *Commodum limen evaserant, & fores ad pristinum statum resurgunt: cardines ad foramina residunt, postes ad repagula redeunt; ad claustra pessuli recurrunt.* Lib. III. *Et cum dicto pessulis injectis, & uncino firmiter immisso, sic ad me reversa.* Prudentius lib. II. *contra Symmach.* v. 65.

Nunc foribus surdis, sera quas vel pessulus arctis
Firmarat cuneis.

Paulinus Natal. VI. Felicis:

Certior exultat, removens & pessula claustris.

Sidonius lib. V. Ep. IV. *Aut si ulterius paginæ garrienti forem claudis*, pessulum opponis, *quieti quidem tuæ non invitus indulgeo.*

Saxo Grammat. lib. II.

Quid clausis agitur foribus, quid pessula valvas
Juncta seras cohibent?

III. Duos fere obdebant, qui securiores esse vellent: unus superior, alter inferior. Plautus *Aulularia*:

Ostium ambobus occlude pessulis.

Atque hinc est quod sæpius in numero multitudinis hac voce usi sunt Scriptores antiqui. Polybius lib. XV. Αἱ θύραι ἀποκλείονται διττοῖς μοχλοῖς.

IV. Sæpius, inquam, id faciunt. Nam in singulari etiam numero interdum reperias. Apulejus *Metam.* lib. IV. *Quis enim, quamvis fortis & intrepidus, immani forma tantæ bestiæ, noctu præsertim visitata, non se ad fugam statim concitaret? non obdito cellæ pessulo, pavens & trepidus sese cohiberet:* Terent. *Heautontimor.* II. III. v. 37.

Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro: ego consequor.
Anus foribus obdit pessulum: ad lanam redit.

Idem *Eunucho* III. v. 37.

Interea somnus virginem opprimit: ego limis specto
Sic per flabellum clanculum: simul alia circumspecto,
Satin' explorata sint? video esse: pessulum ostio obdo.

Quem locum Comici ad obscœnum sensum trahent Cœlius Rhodiginus *Antiquar. lect.* lib. IV. cap. VII. Muretus *Variar. Lection.* lib. XII cap. IX. magnaque interpretum Terentianorum manus. Marcellus Empiricus cap. XVII. *In eo loco, vel foramine, in quo* januæ pessuli *descendunt, quicquid sordium repereris, collige.*

V. Sed nec ullus κακέμφατος sensus in illis Comici verbis esse videtur: quia adolescens, qui pro Eunucho datus erat, thalami virginis, cui ser-

vandæ præfectus fuerat, re vera ostium pessulo obdit; nec ulla ibi allusio ad πεσσὺς, quos noverunt Medicorum filii.

VI. Neque etiam ipsum nomen pessuli est a πεσσὸς. Neque derivatur a pede; cujus sententiæ auctorem laudat Papiam Vetus Vocabularium his verbis: *Pessulus, & hoc Pessulum, id est, sera lignea, qua firmatur ostium, & dicitur a pello, quia pellitur & repellitur. Papias vero dicit: Pessulum, id est, ostium a pede dictum. Habet enim inferiorem cardinem, quasi pedem*. Sequitur id etymon Perottus: *Pessulus, quasi parvus pes, instrumentum, quo ostium clauditur*. Neque etiam a pello, quod vult Vocabularii auctor, deductum est. Sed nomen habet a Dorico πάσσαλος *paxillus, clavus ligneus*. πάσσαλος autem est a Dorico πάσσω, sive πάττω, pro πήσσω, sive πήττω, quod idem ac πηγνύω, *compingo, pango, figo*.

VII. In Glossis, *Pessulus* idem est ac μάνδαλος & μάνδαλον. Glossæ Philoxeni: *Pessulum*, μάνδαλον, κλεῖθρον, χιλώνιον. At aliæ: *Mandalus*, κατοχεύς. Elegantissimus Scriptor Sulpicius Severus *Pessulum* appellavit, quod vasis alicujus ori subditur ad obturandum. Sic enim Dialogo IV. de S. Martini virtutibus: *Presbyter hodieque fatetur, obdendi pessuli, quo claudi diligentius servanda consueverunt, in vitro illo spatium non fuisse*. Loquitur enim de vitrea ampulla, in qua oleum sub Martini benedictione creverat, quoad exundante copia deflueret.

VIII. A Pessulus est *Oppessulare* & *Oppessulatus*: unde *Oppessulatæ fores*. Plautus, sive quis est auctor eorum, quæ in *Amphitruone* scenam II. actus IV. excipiunt, v. 22.

—— *Herus salutator oppessulatas ante fores graditur*.

Petronius: *Et hoc quidem pleniorem spem concepit, quo diligentius oppessulatas invenit fores*. Apulejus lib. I. *Et cum dicto modico secus progressus, ostium accedo, & januam firmiter oppessulatam pulsare vocaliter incipio*. Et post pauca: *Et cum dicto rursum foribus oppessulatis, intro capessit*. Idem lib. IX. *Atque ut illis sapicule & intervocaliter clamantibus nullis respondit dominus: jam forem pulsare validius: & quod diligentissime fuerat oppessulata, majus pejusque aliquid opinantes, nisu valido reducto vel diffracto cardine, tandem patefaciunt aditum*.

IX. Cum autem aperiretur janua, hi pessuli supposita clavi reducebantur. Apulejus lib. I. *Sumo sarcinulam meam, & subdita clavi pessulos reduco. At illæ probæ & fideles januæ, quæ sua sponte deseratæ nocte fuerant, vix tandem ut ægerrime tunc clavis suæ crebra immissione patefiunt*. Idem lib. IX. *Tunc Myrmex tandem clave pessulis subjecta, repandit fores*. Sic lib. IV. pro *subtracta* malim legere *subjecta*, hunc in modum: *Statimque custodes qui prope sopiti quiescebant omnes ad unum, mox etiam janitorem ipsum, gladio conficit, clavique subjecta fores januæ repandit*. Erant autem Pessuli exemtiles. Quod tamen Æneas in *Tacticis* in portis improbat, monens, debere eos affixos esse postibus, & lamina ferrea contegendos. Ait enim cap. XX. Ἄριστον δὲ τὰς βαλάνους μὴ ἐξαιρετὰς εἶναι, ὑπὸ δὲ λεπίδος σιδηρᾶς κατέχεσθαι. *Æneos pessulos* affert Prudentius in *Laurentii martyrio*:

Qui templa claudat vectibus,
Valvas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina
Obdens aenos pessulos.

CAP. XV.

DE CLAVIBUS VETERUM.

Summarium.

Claves a claudendo. Antiquissimis temporibus funibus colligabant januas & arcas, addito nodo. Homerus illustratur. Ὀδυσσέως δεσμός. κληὶς *apud Homerum non clavem designat, sed certum genus claustri, a quo lora dependebant byblina.* ὅπλα *quid in Homero? Olim januas non foris aperiebant clavibus, sed intus. Laconicæ claves. Claves adulterinæ. Clavis Caria. Claves quando inventæ non satis constat. Plinius earum inventorem facit Theodorum Samium. Clavium diversa ratio apud diversos populos. Claves cum annulis non admodum antiquas esse reor. Claves potissimum ferreæ, sed & ligneæ, & aureæ. Claves custodiebant servi. Clavis pro obice. Conclave. Conclavium.*

I. COMMODUM me monent Claves pessulis subjectæ, ut nec eas in hoc libello indictas abire sinam.

II. *Clavis* dicta Isidoro, quod claudat, & aperiat, lib. XX. cap. XIII. At Festus: *Claudere*, inquit, *& clavis, ex Græco descendit*. Sensit fortassis esse a Dorico κλᾶξ, pro κλεὶς, ut *claudo* sit a κλειδόω, quod idem significat ac κλείω, *claudo*, vel potius a κλᾴζω, quod Doricum est pro κληΐζω, id est, *claudo*.

III. Ceterum antequam reperirentur claves, & januæ, & arcarum ostia seu opercula funibus colligabant addito nodo firmissimo. Vetus Lexicon: Σειρά, *Sera, & obex forium, quod antiquitus fune communire januas solerent, ante seræ usum*. Plinius lib XXXIII. cap I. *Nec Iliacis temporibus ullos fuisse annulos video: nusquam certe Homerus dicit, cum & codicillos missitatos epistolarum gratia indicet, & conditas arcis vestes, ac vasa aurea, argenteaque, & ea colligata nodi, non annuli nota*.

IV. Afferemus quædam loca ex Principe Græcorum Poetarum, lib. VIII. *Odyss.* Arete Ulyssi affert pulchram cistam, eumque his verbis alloquitur.

Αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα. θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον,
Μήτις τοι καθ' ὁδὸν δηλήσεται.

Ipse nunc vide de operculo. statim vero vinculum circumliga,
Nequis tibi in itinere damnum afferat.

Postquam autem hoc audivit Ulysses,

Αὐτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.

Statim aptavit operculum: celeriter autem vinculum ligavit
Varium, quod olim docuit veneranda Circe.

Hoc autem vinculum Ulyssis variegatum traditur, eoque a vulgaribus distinctum fuit: hinc etiam dicitur a Circe illud accepisse. Unde monet hoc loco Eustathius, posse proverbialiter usurpari: Ὀδυσσέος δεσμὸν, *Ulyssis vinculum*, de rebus tuto & diligenter obseratis, ἐπὶ τῶν ἀσφαλῶς σφραγιζομένων, Idem *Odyss.* φ.

Σοὶ δὲ φιλοίτιε δῖε θύρας ἐπιτέλλομαι αὐλῆς
Κλῆϊσαι κληῖδι, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλαι:
Tibi autem Philœtie divine fores mando aulæ
Claudas clavi, cito autem vinculum appone.

V. Sed dixeris: Diserte hic clavis mentionem

A facit Homerus. Imo vero, fateor, ſi ſequimur Interpretes. Verum κληῖδα Homeri rectius putarim vertendum per *Clauſtrum*. Libenter enim illis aſſenſerim, qui κληῖδα cenſent fuiſſe κλεῖθρον quoddam, gemina habens lora dependentia, unum ad dextram, alterum ad ſiniſtram, ex quibuſdam foraminibus, ad januam aperiendam & claudendam.

VI. Atque hæc lora fuiſſe credo byblina ſeu cannabina. Homerus laudato libro:

> Κεῖτο δ' ὑπ' αἰθούσῃ ὅπλον νεὸς ἀμφιελίσσης
> Βύβλινον, ᾧ ῥ' ἐπέδησε θύρας.
> B *Jacebat autem ſub porticu lignum navis circumagitabilis*
> *Byblinum, quo ligavit januas.*

Ita vulgo hæc verti videas. Sed non video quid ſibi velit lignum byblinum. Quare id obſervandum eſt inprimis, quod ὅπλα ab Homero in genere vocentur inſtrumenta fabrilia & nautica: ut ὅπλον commode hic verti liceat *funem*. Imo vero Galenus in Lexico Hippocratico docet, ὅπλα dici funes, ex ſtuppa, lino, vel cannabe: κάλοι ἀπὸ στυπείου, ἢ λίνου, ἢ καννάβεως,

VII. Poſtquam autem claves ſunt inventæ, non C extrinſecus iiſdem aperuerunt januas, ſed duntaxat intrinſecus. Theon ad Aratum: οὐχ' ὡς νῦν, ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες, ἀλλ' ἔνδον παρ' Αἰγυπτίοις καὶ Λάκωσι. *Non, ſicut nunc, exterius erant claves, ſed antiquo more intus apud Ægyptios, & Lacones.*

VIII. Quibus verbis docet, quod interius quoque Lacones clavibus domum aperuerint. At contra alii apud Spartanos claves in uſu fuiſſe volunt, quæ extrinſecus aperirent januas, contra morem aliarum gentium. Atque id probare contendunt loco quodam Plauti, apud quem in *Moſtellaria* D Act. II. Sc. I. ſervus Tranio præ foribus conſtitutus, præter iſtam quam habebat, vult ſibi dari clavem Laconicam, ut nemo vel ingredi poſſet ſe invito, vel egredi:

> —— *Clavem*, infit, *mihi harunce ædium Laconicam*
> *Jam jube efferri intus: haſce ego ædes occludam hinc foris.*

Meminit Laconicæ clavis Euſtathius ad lib. II. *Iliad.* ἔστι δὲ, ait, καὶ κλεὶς Λακονικὴ καινοτέρα τις.

IX. Alii vero Clavem Laconicam volunt eſſe ad- E ulterinam, quas nos vernaculo ſermone *Dieterich* appellare ſolemnus, quæque κρυπταὶ κλεῖδες ab Ariſtophane vocantur, quod impactæ clauſtris vix apparerent. Ejuſmodi clavem Ovidius nuncupat *adulteram* lib. III. *malæ Artis*:

> *Nomine cum doceat, quid agatur, adultera clavis.*

Nonnulli talem clavem Cariam quoque dici poſſe exiſtimant, adducti loco Feſti Avieni, ubi difficilem locum Arati interpretatur. Cum enim hebetem lucem Caſſiopeæ denotare vellet, non magis eam apparere, ait, quam clavem Cariam foribus F impactam:

> *Lux hebes eſt matri, vix qualem Caria quondam*
> *Noverit intrantem per clauſtra ſonantia clavem.*

X. Ceterum quando claves, & apud quos populos primum uſurpari cœperint, fortaſſis in incerto eſt. Euſtathius quidem ad lib. IX. *Odyſſ.* Homeri Lacedæmoniorum inventum facit. Παλαιὸν δὲ φασὶν ἔθος ἦν, κατασφαλίζεσθαι δεσμοῖς. ἡ κλεὶς γὰρ νεωτέρων καὶ Λακώνων εὕρημα. *Antiquus, ceu dicunt, mos fuit, claudere vinculis. Claves enim poſteriorum inventum, & Laconum.* Plinius tamen Theodorum quendam Samium clavium inventorem tradit lib. VII. cap. LVI.

XI. Facile autem inducor, ut credam, apud diverſos populos diverſam quoque clavium fuiſſe rationem: unde Laconicæ, Cariæ, & fortaſſis plures aliæ denominationes ortum traxerunt. Vulgo tamen apud Græcos in obſerandis reſerandiſque ædibus eas uſurpatas credo, quibus βάλανον obici immittebant, & extrahebant: cujuſmodi clavem βαλανάγραν fuiſſe appellatam capite XI. oſtendimus.

XII. Erant & claves apud Veteres, quibus adjuncti erant annuli: quales non paucos in Batavis erutos ſe vidiſſe teſtatur Juſtus Lipſius *in Tacitum lib.* II. *Annalium*, ubi & earum formam exhibet, quod etiam faciunt Hadr. Junius in *Hiſtoria Bataviæ* cap. X. & Abrahamus Gorlæus in *Dactyliotheca*, Num. XLII. Quamquam autem Lipſius in his clavibus annulum ad obſignandum adhibitum fuiſſe credit, equidem tamen Salmaſio potius aſſenſerim, qui meras claves fuiſſe putat cum annulo; qualis & hodie fieri ſolet in noſtris clavibus, præſertim cum antiquis illis nullum ſigillum preſſum ad ſignandum aptum fuerit. Tum vero, ſi quid video, claves illas Lipſianas in Batavis effoſſas non puto tam antiquas eſſe, ut ad priſcos Romanos ſpectaverint.

XIII. Claves potiſſimum apud Veteres erant ferreæ. Sed & ligneas habuiſſe, ex Auguſtino colligimus, qui ita ſcribit lib. IV. *de doctrina Chriſt.* cap. XI. *Quid prodeſt clavis aurea, ſi aperire, quod volumus, non poteſt? aut, quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt? quando nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt.*

XIV. Clavium aurearum mentionem quoque facit Zeno Veronenſis Serm. III. *ad Neophytos*: *Exultemus, Fratres in Chriſto, Triumphatorique perpetuo hymnis, citharis, tympanis, canticis gratiam referamus; qui nobis promiſſa perpetuans, pia ſanctione, ut ajunt, claves vere aureas miſit.* quem locum quia paulo eſt obſcurior, illuſtravit Joh. Henr. Urſinus *Analector. Sacror.* lib. I. cap. XLVIII.

XV. Clavium cuſtodia frequenter erat apud ſervos: quam ob rem Martialis lib. V. ep. XXXV. Euclionem quendam ſic notavit:

> *Equiti ſuperbo, nobili, locupleti,*
> *Cecidit repente magna de ſinu clavis.*
> *Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.*

Nequam clavem vocat, quod aut fortunas ſui domini prodidit, qui non haberet ſervum, cui clavis cuſtodiam committeret; aut animum indicavit, quod præ extremis ſordibus ſervis nullam fidem habens clavem illis tradere non auderet. Seneca lib. II. *de Ira* cap. XXV *Quid eſt enim cur tuſſis alicujus, aut ſternutamentum, aut muſca parum curioſe fugata nos in rabiem agat, aut verſus calix, aut clavis negligentis ſervi manibus elapſa.* Janitores ipſos non ſine clavibus fuiſſe, capite ſequenti oſtendemus.

XVI. De clavibus, quæ novæ nuptæ a marito dabantur, at in divortio adimebantur, dicam Deo volente uberius libro *de Nuptiis Romanorum*, quem poſt Briſſonium & Hotomannos molior. Artemidorus *Oneirocrit.* lib. III. cap. LIV. *Clavis per ſomnium conſpecta, ei qui uxorem ducere propoſuit, fidelem & cuſtodem domus uxorem fore ſignificat.* Conjuges interdum maritis remiſiſſe claves, colligo ex his Ambroſii lib. VI. Epiſt. XLVII. *Quo mulier offenſa claves remiſit, domum revertit.*

XVII. Antiquitus etiam Clavem denotaſſe obi-

cem hic Plautinus locus *Caſina* v. II. v. 7. videtur A indicare:

Ubi intus hanc novam nuptam deduxi, via recta
clavem
Obduxi.

Sic *clavis* pro *clauſtro* ponitur in illo Tibulli:

Quid tenera tibi conjuge opus, tua ſi bona neſcis
Servare? fruſtra clavis *ineſt foribus.*

Sicuti autem ſcrinia, ita & januas quaſdam fuiſſe puto, quæ ſine clave claudi, nec tamen ſine clavi aperiri poterant. Auguſtinus *Quæſt. ſuper Judicum* lib. VII. quæſt. XXIII. *Aut alia clavis allata* B *eſt, aut talis clauſuræ genus fuit, quod ſine clavi poſſit claudi, nec ſine clavi aperiri. Nam ſunt quædam talia, quæ Verudata dicuntur.* Porro *Clavem fidei* memorat Clemens Alexandrinus initio *Protrepici*: Δογικῇ γὰρ αἱ τοῦ λόγου πύλαι, πίστεως ἀνοιγνύμεναι κλειδί. *Rationales enim ſunt rationis portæ, quæ aperiuntur* clave fidei.

XVIII. A *clave* dictum eſt *Conclave*. Feſtus: *Conclavia dicuntur loca, quæ una clave clauduntur.* At a claudeudo dictum mavult Donatus, in *Eunuch.* Act. III. Sc. IV. *Conclave eſt ſeparatior locus in inferioribus tectis: vel quod intra eum loca* C *multa & cubicula clauſa ſint, adhærentia triclinio.* Conclavium pro eo dixit Plautus, *Aulul.* Act. III. Sc. II. & Vitruv. libr. VI. cap. II. His obſignamus caput hoc de clavibus, aperturi Antiquitates *de Janitoribus Veterum.*

CAP. XVI.

DE JANITORIBUS VETERUM.

Summarium.

Romanorum potentiorum domus plerumque clauſæ. D *Tribunorum fores noctu diuque patebant. Gratioſorum domus itidem patentes. Cicero & Veſpaſianus eo nomine laudati. Ante uſum Janitorum malleo vel circulo penſili januam pulſabant, qui Græcis* κόραξ, κορώνη, κρίκος *&* Ρόπτρον *dicebatur. An idem Latinis Cantharus, & Manus dextera vel extera? Lucretii, & Plauti loca contra aliorum ſententiam explicantur. Janitores attendimus, vel ſtantes ante januam, vel ſedentes, vel in cella recubantes. Cellæ ſervorum habitacula.* θυρωρεῖον *manſio Janitoris erat intra duas januas. Binæ Veterum fores ante domum, & in nonnullis interioribus conclavi-* E *bus. Janitores in catena fuiſſe contra Lundorpium fuſe probatur. Oſtiarii impedimenta. Suetonius correctus. An tempore Suetonii mos iſte deſierit in catena habendi janitorem? Voſſio abſentitur in loco Senecæ. Janitores manumiſſi catenam conſecrabant Lari, vel Saturno. Fores conſervæ. Janitoris præcipuum munus ſervare, conſervare, & cuſtodire domum. Cuſtos pro janitore. Janitor curam gerebat clavis. Janitoris erat videre, ne quem ſine diſcrimine admitteret. Clathri vel cancelli erant foribus appoſiti, per quos proſpiciebat oſtiarius, quis pulſaret fores. Fores cancellatæ in dicaſteriis atque baſilicis.* θυρὶς δεδικτυω- F μένη. *Tranſenna. Reticulato opere diſtinguere. Sanctuarium a reliqua parte templi diſtinctum, ab Hieroſolymitano templo deductum. Joh. Sauberti latus. Joh. Andr. Boſii Joſephus ſperatus. Janitor interdum per rimam forium ſpeculabatur. Nonnunquam rogabat, quis, & quot adeſſent. Adventantes ex Janitore quærebant num dominus eſſet domi. Si Janitor non eſſet in limine, hoſpites non tantum pulſabant januam, ſed etiam vocaliter clamabant. Janitor interdum nihil reſpondebat. Qui cum ingratiis Oſtiarii introire vellet, ſubmovebatur, & quandoque verberibus. Janitoris arundo. Janitor exire volentes interdum retinebat. Non facile noctu Janitor pandebat januam. Janitores ſervabant ignem Larum. Iidem vilia quævis miniſteria obibant. Janitores carcerum. Janitores ſepulchrorum.*

I. Potentiorum domus apud Romanos plerumque erant clauſæ: Seneca Epiſt. XLIII. *Rem dicam, ex qua mores æſtimes noſtros. Vix quemquam reperies, qui poſſit aperto oſtio vivere. Janitores conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit. Sic vivimus, ut deprehendi ſit ſubito adſpici.*

II. Tribunorum tamen fores interdiu noctuque patebant, ut ſcilicet paratos ſe oſtenderent ad deſideria ac querelas miſerorum excipiendas. Plutarchus *Problem.* LXXXI. *Receptum fuit, ut Tribunorum januæ nunquam clauderentur, ſed noctes dieſque apertæ eſſent, tanquam portus & perfugium ope indigentibus.*

III. Atque in eo æmulati ſunt Tribunos, quicunque auram captarent popularem, aut alias hoc indicio ſuam facilitatem declarare geſtirent. De Valerio Publicol teſtatur Plutarchus, *quod ejus fores omnibus patuerint.* Et Lege Orchia cautum, ut patentibus janius pranſitaretur, ac cœnaretur. Macrobius *Saturnal.* lib. II. c. XIII. Certe de Cicerone auctor eſt idem Plutarchus, *quod ejus domus janitore caruerit in Cilicia.* Atque eidem id ſuaſit Q. Frater eleganti de Petitione Conſulatus conſilio: *Cura ut aditus ad te diurni atque nocturni pateant, neque foribus ſolum ædium tuarum, ſed etiam vultu & fronte, quæ eſt animi janua: quæ ſi ſignificant voluntatem abditam eſſe ac retruſam, parvi refert patere oſtium.* Huc forte etiam referas, quod Vologeſes a Corbulone inter alia petierit, ne Tiridates frater *provincias obtinentium foribus aſſiſteret*: ut eſt apud Tacitum *Annal.* XV. Imo arrogantiæ cujuſdam indicium erat, domum frequentius habere clauſam. Plutarchus in *Antonio*: *Stomachabantur enim, cum viderent iſtam domum plerumque ducibus & magiſtratibus & legatis occluſam, qui contumelioſe etiam a foribus repellebantur, plenam mimorum.* Mart. l. I. ep. LXXI de C. Julii Proculi ædibus, ad librum:

Hanc pete, ne metuas faſtus, limenque ſuperbum:
Nulla magis toto janua poſte patet.

Sic Dion Nicæus Veſpaſiani laudibus adſcribit, quod regiæ fores ſemper paterent, αἵτε θύρας τῶν βασιλείων ἠνεωγμέναι. Et apud Philoſtratum idem Imperator gloriatur, ſe ἀκλείστους θύρας παρέχειν σοφοῖς ἀνδράσι, *patulas fores ſapientibus præbere.* Quod dictum utinam Magnatum cordibus inſcriptum eſſet! aliquanto profecto melius cum literis ageretur, nec earum cultores aut eſurire cogerentur, aut alias carerent dignis doctrina & virtute ſua præmiis.

IV. Quoniam igitur rari fuerunt illi, qui patulis vixerunt foribus, ante eas diſpoſiti fuerunt JANITORES, ſive OSTIARII.

V. Antequam illi adhiberentur, marculo, ſive malleo moris fuit pulſare januas. Plutarchus de *Curioſitate*, interprete Xylandro: *Niſi pulſato prius oſtio ingredi in alienam domum non eſt moris: & nunc ejus rei gratia Janitores habentur. Antiquitus mallei januis appenſi ſignum dabant: ne ſcilicet alienus matrem familias in medio offenderet, aut virginem, aut ſervum vapulantem, aut vociferantes ancillas.* Hic neceſſum eſt, ut quædam Clariſſimi Almelovii verba repetam: *Certum equidem, ut Sagittarius obſervat cap.* XXII. *§.* XIV. *habetur, Veteribus in uſu fuiſſe tintinnabula, quorum meminit H. Magius cap.* V. *&* XIX. *apud quem eorum formæ videre poſſunt; ſed alto ſilentio præterit, quod præprimis notandum, antiquos annulos, quibus pulſabant foribus*

fixos habuisse. Ita enim Pollux, &c. Veruntamen nequaquam hanc observationem alto præterii silentio; sed potius hoc ipso §. non modo *Pollucem*, Glossas vetustas, & Eustathium, in hanc rem attuli, sed & postea §. VII. & seqq. pluribus in eam inquisivi.

VI. Vocabatur talis marculus apud Græcos Κόραξ & Κορώνη, item Κρίκος & Ρόπτρον. In Epigrammatis Græcis ludit quidam in nasum cujusdam Castoris:

Ἐστὶ τέκτοσιν ἀξίνη, τοῖς πυλεῶσι κόραξ.

Fabris loco dolabræ, portis autem mallei, seu tuditis, quo pulsentur, instar est. Pollux lib. VII. cap. XXVI. ἣν Ὅμηρος κορώνην λέγει, νῦν κόρακα καλοῦσι: citans ex Posidippo: κόρακι κλείεται θύρα. Eustathius forma diminutiva etiam, κοράκιον appellat. Glossæ: κορώνη, κρίκος, κίγκλος. Eustathius ad finem lib. I. *Odyss.* κρώνη, ὁ κρίκος, ᾧ ἔστι τὴν θύραν ἑλκύσαι τὸ τῆς θύρας ἐπισπαστρον, ἢ ῥόπτρον. ἀπὸ τῆς κορώνης εὐλόγιστον ἐχούσης τράχηλον. Nos etiam Græcorum more *Cornicem* dicere posse, censet Turnebus libr. V. cap. XXVII.

VII. Quibusdam placet ejusmodi malleum Plauto dici *Cantharum*, *Menæchm.* Act. I. Sc. II. v. 64.

—— *Mille passum commoratus cantharum*.

Pro hac significatione inprimis militat Joh. Baptista Pius *Annotationum Posteriorum* cap. V. Vult enim sic dici, quia marculi isti fierent manus similitudine, quæ ventre capaciore & ansa *Cantharum* referret. Huic probando adducit, quod marculus Lucret. lib. I. v. 317. dicatur *manus dextera*, vel potius, *manus extera*. Versus Lucretii sunt hi:

Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum
Saxea conspicimus: tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu præterque meantum.

quem locum ita explicat Pius: *Conspicimus signo ahena, hoc est, marculos, sive malleos ostiarios, nitidiore artificio elaboratos, ut simulacrum repræsentarent manu dextra præditum, tandem attenuari*. De Lucretii loco Pium quoque sequitur Hadrianus Junius in *Nomenclatore*.

VIII. Verum nequidquam probat hanc interpretationem Vir doctissimus, Obertus Gifanius in *Indice Lucretiano*, putatque signa quædam ænea, seu statuas ad urbium olim portas collocari solitas, quarum dextras osculari amarint cives exeuntes, boni eventus causa, atque etiam tangere, & quasi salutare, laudatque in hunc sensum sequentia Varronis e libr. IV. *de L. L. Nam neque quas Ambracia ante portas statuit duas viriles species æneas, dii magni; neque ut vulgus putat, hi Samothraces dii, qui Castor & Pollux*. Quæ quidem sententia præ altera illa longe videtur probabilior. De isto autem ritu tangendi & salutandi imagines deorum, ne hic vagemur extra oleas, alibi commodior disserendi locus erit.

IX. Sed nec in Plautina Pii interpretatione acquiesco. Placet enim ista Ulrici Pistoris, quæ ita habet. *Quin tu pulsas januam. Nam ut nunc quidem egisti, mille passus commoratus es cantharum: id est, impedivisti, quo minus cantharus jam aliquot vicibus circumiverit; atque adeo jamdiu, ut (per jocum) mille passus absolvere potuisset*.

X. At enim ne nos diutius moretur sive *cantharus* Plauti, sive *dextra*, aut *extera manus* Lucretii, ad Janitores nos convertimus.

XI. Eos nunc stantes, nunc sedentes, nunc in cella recubantes, nunc catenis alligatos offendimus.

XII. Stantem nobis Janitorem sistit Petronius: *In aditu*, inquit, *ipso stabat ostiarius* - Iterum verba repeto Almelovii: *Capite* XVI. §. XIX. (Sagittarius) *agit de Janitoribus catenatis, sed non putem me apud eum legere, quod sedere plerumque fuerint soliti. Testis adest Tibullus lib. I. Eleg. I.*

Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ,
Et sedeo duras janitor ante fores.

At nonne §. XII. hujus Capitis ita habet? *Stantem nobis Janitorem sistit Petronius*. In aditu, *inquit*, stabat ostiarius. Et sequens, *Sedentem*, Tibullus lib. I. Eleg. I.

Me retinent vinctum formosæ jura puellæ,
Et sedeo duras janitor ante fores.

Sed nunc addo: quod mendici præ foribus sederint. De claudo illo ab utero materno res est ex *Actis Apostolicis* cap. III. v. 2. clara. Sic Augustinus Epist. XLII. *Mendicus ad januam*. Venantius Fortunatus lib. III. *de vita S. Martini*:

Sistitit ante fores orans vestem æger egenus.

Confer Evagrium *Hist. Eccl.* lib. IV. cap. XV. Id etiam facere solebant ociosi. Henricus Rosla in Herlingsberga, de *Fortuna*:

Præ foribus nostris non semper calva sedebit.

Etiam non admissi sedebant paulisper ante ostium. Auctor *de Causis corruptæ Eloquentiæ*: *Nemora tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu*, nec sedente ante ostium litigatore, *nec inter sordes ac lacrymas reorum componuntur*.

XIII. Sedentem, Tibullus libr. I. Eleg. I.

Me retinent vinctum formosæ jura puellæ
Et sedeo duras janitor ante fores.

XIV. Recubantem, Apulejus lib. I: *Metam. Janitor pone stabuli ostium humi cubitans*.

XV. Erat autem ostiarii cella prope januam. Varro *de R. R.* lib. I. cap. XIII. *Villici proxime januam cella esse oportet; eumque scire, qui introeat, aut exeat noctu, quidve ferat, præsertim si ostiarius est nemo*.

XVI. Significanter dico, in cella recubuisse Janitorem. Nam ita proprie vocabantur servorum gurgustiola. Cicero *Philipp.* II. *Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres*. Valer. Maxim. lib. VII. cap. VI. *Cellis servilibus extracta corpora, & a pastoralibus casis collecta mancipia*. Cellam Janitoris Aurelius Victor in Cæsaribus vocat *tugurium*. *A. Vitellius*, inquit, *productus e turgurio, quo se abdiderat, janitoris, injecto laqueo parricidarum more ad scalas Gemonias protractus*.

XVII. Græco nomine locus iste, in quo commorabatur janitor, θυρωρεῖον dicebatur, & locus erat intra duas januas. Vitruvius lib. VI. cap. X. *Atriis Græci quid non utuntur, neque nostris moribus ædificant, sed ab janua introeuntibus itinera faciunt latitudinibus non spatiosis, & ex una parte equilia, & ex altera ostiariis cellas, statimque januæ interiores finiuntur. Hic autem locus inter duas januas Græce θυρωρεῖον appellatur*.

XVIII. Habebant nimirum magnificæ quæque ædes duas januas: quemadmodum adhuc hodie in portis urbium & palatiorum idem videmus. Neque tantum in aditu domus, sed in ipsa domo

præ conclavibus duplices interdum erant januæ. Id colligo ex Ovidii lib. I. *Amor.* Eleg. VIII.

Fors me ſermoni teſtem dedit: illa monebat
Talia: me duplices occuluere fores.

Et ſic fortaſſis explicare licet Juvenalem Sat. IX. v. 105.

Vela tegant rimas, junge oſtia, tollito lumen.

ut *jungere oſtia*, ibidem ſit, *conduplicare januas*.

XIX. Plerumque autem Janitores erant catenati. Quod etſi negat Michael Caſpar Lundorpius, qui ſub Georgii Erhardi nomine *Petroniana Symbola* edidit, nos tamen nube teſtimoniorum facile probabimus. Columella *Præfat. librorum de re ruſtica* ad Sylvanum: *An putem fortunatius a catenato repulſum janitore ſæpe nocte ſera foribus ingratis adjacere?* Ovidius lib. I. *Amor.* Eleg. VI.

Janitor indigne dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

Et eadem Elegia:

Excute: ſic nunquam dura religere catena,
Nec tibi perpetua ſerva bibetur aqua.

Antipater *Antholog.* lib. VII. Epig. CLXI.

Ην μὲν ἐμὸν τὸ χάραγμα φέρῃς φίλος οὔτε θυραρὸς
Εν ποσὶν, οὔτε κύων ἐκ προθύροις δέδεται.

Huc etiam refero illa Tibulli:

At mihi ſervandam credas, non ſæva recuſo
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

Ait enim Poeta, ſe libenter in compedibus fore, dummodo janitor conſtitutus obſervet, quo minus ſua Delia quicquam peccet. Et hæc ſunt *Oſtiarii impedimenta* apud Afranium, cujus verba debemus Feſto in *Tintinnare*: *Tintinnare eſt apud Nævium hoc modo. Tantum ibi molæ crepitum faciebant, tintinnabant compedes. Et apud Afranium: Oſtiarii impedimenta tintinnare audio.* Huc refer *Tintinnum Oſtiarii*, Tertulliano lib. II. *ad Nationes* cap. XV. a Jacobo Gothofredo reſtitutum. Quam clare Suetonius *de Illuſtribus Rhetoribus* cap. III. *Lucius Otacilius Piletus ſerviiſſe dicitur, atque etiam oſtiarius veteri more in catena fuiſſe: donec ob ingenium, & ſtudium literarum manumiſſus.* Huc etiam vulgo referre ſolent illa de Lenæo, Pompeii liberto, apud eundem Suetonium *de Illuſtribus Grammaticis*: *Traditur autem puer adhuc catenis ſubreptus refugiſſe in patriam; perceptiſque liberalibus diſciplinis precium domino ſuo retuliſſe.* Sed lectio mendoſa eſt, & pro *catenis*, *Athenis* ſubſtituendum eſſe, jampridem docti viri obſervarunt.

XX. Quia autem Suetonius de Otacilio dicit, eum *veteri* more in catenis fuiſſe: hinc colligunt nonnulli, non factum id amplius ætate Tranquilli. At factum tamen ætate Senecæ, qui lib. III. *de Ira*, hæc ſcribit: *Iratum vidiſti amicum tuum oſtiario cauſidici alicujus, aut vidiſti, quod intrantem ſubmoverat, & ipſe pro illo iratus extremo mancipio fuiſti? Iraſceris ergo catenario cani? & hic cum multum latravit, objecto cibo manſueſcit.* *Extremum mancipium* vocat Janitorem talem, nulli videlicet rei aptum, qua catenarius etiam canis aliquis defungi valeat. Neque tamen eſt, cur in hoc loco aſſentiamus Viro Illuſtri Gerhardo Johanni Voſſio, qui lib. IV. *Inſtitut. Orator.* cap. VI. §. III. vere per *canem catenarium* deſignari putat Janitorem. Nam is videtur ſenſus eſſe interrogationis Annæi: *Non utique iraſceris catenario cani latranti: non ergo etiam ſuccenſe catenato janitori, qui nihil aliud didicit, quam importune ſe gerere.*

XXI. Hanc autem catenam manumiſſi janitores Laribus conſecrabant. Horatius lib. I. *Serm.* Sat. V.

Multa Cicerrus ad hæc. donaſſet jamne catenam
Ex voto Laribus? quærebat.

vel Saturno. Martial. lib. III. Ep. XXIX.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, anulos priores.

XXII. Quod autem hac catena ad januam religarentur Janitores, hinc factum eſſe reor, quod aliquando *fores conſervæ* audiant Poetis. Plautus *Aſinaria* II. III. v. 6. ubi Libanus ſervus ad Mercatorem ædes pulſantem:

—— nolo ego fores conſervas meas
A te verberarier: ſane ego ſum amicus noſtris ædibus.

Ovidius:

Duraque conſervæ ligna valete fores.

XXIII. Præcipuum autem munus erat Janitoris, ſervare & cuſtodire domum. *Servare* dico. Hac enim voce in hac re uſi Veteres. Terent. *Eun. Solus Sannio ſervat domum.* Plautus *Aul.* I. II. ad Staphylam Euclio, tanquam ad Janitricem. *Redi nunc jam intro atque intus ſerva.* Idem *Moſt.* II. II.

—— —— nemo in ædibus
Servat, neque qui recludat, neque qui reſpondeat.

Phraſin iſtam *Servare domum* eleganter expreſſit Prudentius hymno II. *Periſteph.* v. 312.

Hoc cum ſtuperet territus,
Obſeſſor atri liminis:
Quem cura pernox manſerat,
Servare feralem domum.

Venantius Fortunatus Epiſt. ad Syagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem lib. V. *Si placet hoc capere parieti conſcripto, pro me oſtiario pictura* ſervet *veſtibulum.* Sed & compoſitum *Obſervare* hoc ſenſu legas de Janitoribus. Plautus *Aſinar.* II. II. *Væ illi, qui tam indiligenter obſervat januam.*

Nec minus ſcite verbum *Obſervare* de Janitoribus adhibuit Seneca *de Conſtantia Sapientis* cap. XV. *Domus hæc ſapientis anguſta, ſine cultu, ſine ſtrepitu, ſine apparatu, nullis obſervatur janitoribus, turbam venali faſtidio digerentibus: ſed per hoc limen vacuum, & ab oſtiariis liberum, fortuna non tranſit.*

XXIV. Ab hac vero cuſtodia Janitor κατ' ἐξοχὴν Cuſtos appellari ſolet a Veteribus. Ovidius lib. II. *Faſtor.*

———— regalia protinus ipſi
Tecta petunt: cuſtos in fore nullus erat.

Idem lib. II. *de A. A.*

I nunc, claude fores, cuſtos odioſe puellæ,
Et centum duris poſtibus adde ſeras.

Idem lib. XI. Metam. v. 608.

Janua ne verſo ſtridorem cardine reddat
Nulla domo tota eſt, cuſtos in limine nullus.

Petronius: *Mando ædicularum cuſtodi cænulæ officium.* Corippus lib. I.

Et jam crebra manus veloci concita pulſu
Limina quaſſabat ductis munita catenis.
Ad ſtrepitum cuſtos, cura eſt, cui clauſtra tuedri
Sic ait, indignans.

Hinc & curam gerebant clavis. Apulejanus ille Myrmex, cum Dominus januam pulſaret, jam clamitaret, jam ſaxo fores verberaret: *repentino malo perturbatus, & miſera trepidatione ad inopiam conſili deductus, quod ſolum poterat, nocturnas tenebras ſibi obſiſtere, quin clavem curioſe abſconditam reperiret. Tandem vero clave peſſulis ſubjecta, repandit fores.* Petrus Chryſologus Sermo. CLXXII. *Audiſtis hodie fratres, quemadmodum dum ſecluſit alios, ſeipſum Janitor invidioſus excluſit. Væ vobis, inquit, legiſperitis quia tuli-*

A *tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant prohibuistis.*

XXV. Ad hanc domus custodiam pertinebat, ne quem sine discrimine intromitteret.

XXVI. Hinc interdum clathri aut cancelli summis foribus erant appositi, ut per eos prospiceret Janitor, quisnam pulsaret fores, antequam ostium recluderet. Hujusmodi Januas Polybius vocat θύρας διαφανεῖς δικτυωτάς. Cassiodorus *tralucidas fores.*

XXVII. Ab his aliæ erant fores tralucidæ, cancellatæ, in dicasteriis atque basilicis: de quibus Etymologicum Magnum: *Κιγκλίς· ἡ καγκελόθυρις. θύρα δικτυωτή. μάλιστα δὲ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων* B *τοιαῦται ἦσαν, ἵνα ταχέως ἀνοίγωνται καὶ κλείωνται. συνεχῶς γὰρ εἰσῄεσαν, καὶ ἐξῄεσαν.* quæ sic reddiderim: *Janua reticulata. Maxime præ dicasteriis ejusmodi fores erant, ut celeriter aperirentur, & clauderentur. Protinus enim intrabant & exibant.* θυρὶς δεδικτυωμένη vocatur Septuaginta Patribus lib. III. *Regum* Scholiastes Aristophanis in *Equitibus.* *Τὴν κιγκλίδ' ἐξάραξα. τὴν θύραν. τὸ κάγκελον τοῦ δικαστηρίου. ἰδίως δὲ τὰς διπλᾶς θύρας, οὕτω κλητέον. ἅς τινας διγκλίδας. ἡ κιγκλὶς ἰδίως ἡ τρύπη. δι' ἧς κιγκλὶς πέμπεται. Cancellos dicasterii. Proprie vero duplices fores sic vocantur, quas & διγκλίδας di-* C *cunt. Aut κιγκλὶς proprie foramen, per quod clavis* (puto enim pro κιγκλὶς legendum κλεὶς) *transmittitur.* Foramen illud, per quod transmittebatur clavis (lubet id hoc loco inserere, quia me supra prætermisisse video) interdum satis amplum fuisse, ostendunt illa Apuleii lib. IV. *Tunc itaque sublimis ille vexillarius noster Lamachus, spectata virtutis suæ fiducia, qua clavi immittendæ foramen patebat, sensim immissa manu, clustrum evellere gestiebat.* Idem Scholiastes in *Vespis*: *κιγκλὶς, ἡ θύρα τοῦ δικαστηρίου, ἣν καὶ καγκελωτὴν καλοῦσι. κιγκλὶς, janua dicasterii, quam etiam cancellatam vocant.* Onomasticon Latino-Grecum Argentorati olim editum D anno CIↃ IↃ XXXVI. *Transenna κιγκλίς.* De *Transenna* legi possunt, quæ post Turnebum, Brodæum & Lambinum, Vossius disputat in *Etymologico.* De *foribus cancellatis*, vide Joh. Casparum Suicerum in *Thesauro Ecclesiastico*, voce Κιγκλίς.

XXVIII. Talibus reticulatis foribus in templis dividebantur sanctuarium & popularia. Eusebius lib. X. cap. IV. de templo Tyri ædificato a Paulino ibidem Episcopo: *Αὖθις καὶ τάδε, ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις, εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις, ὡς θαυμάσιον τοῖς ὁρῶσι παρέχειν τὴν θέαν. Ista rursus ut a plebe & multitudine eo non posset accedi,* E *cancellis ex ligno fabricatis circumdedit: qui adeo artificiosa solertia ad summum elaborati sunt, ut mirabile spectaculum intuenti exhibeant.* Ita lib. IV. *de Vita Constantini* cap. LIX. agens de Templo Apostolorum Constantinopoli a Constantino Magno condito: *Δικτυωτὰ δὲ πέριξ, ἐκύκλου τὸ δωμάτιον ἀνάγλυφα χαλκῷ καὶ χρυσῷ κατειργασμένα. Interiorem ædis partem undique in ambitum circumductam reticulato opere ex ære & auro affabre facto vestivit.*

XXIX. Et tale quoque reticulatum opus fuit in templo Hierosolymitano, quo Adytum, sive F Sanctum Sanctorum a reliquo templi spatio fuit divisum. Juvat de hoc opere audire Jacobum Jehudam Leonem, sed ore Cl. Viri, Johannis Sauberti, Præceptoris quondam mei in illustri Julia optime de me meriti, quem honoris causa nomino, Latine loquentem, lib. II. *de templo Hierosolymitano* cap. XXIII. *Paries distinguens inter Sanctum Sanctorum, & inter sanctum altus fuit viginti cubitis, viginti latus, & uno cubito crassus. Factus ex trabibus cedrinis compactis & forti-*

A *ter cohærentibus beneficio vectium puro auro conflatorum transeuntium per eas ab una extremitate ad alteram. Trabes istæ ex ambobus lateribus suis exsculptæ erant Kerubim, & palmis, & cælaturis florum: quæ omnia obducta exstabant auro purissimo. A suprema autem parte parietis usque ad tegumentum factum erat ex aureis catenulis opus reticulatum, ut odor suffitus sancti sanctorum penetraret ad arcam: atque intermedium foraminum retis repletum erat chrysoprafo, sapphiro, adamante, & omni lapide supra modum pretioso.* Josephus etiam de hoc pariete, ejusque foribus nonnulla affert lib. VIII. cap. II. cujus B *Historici* (ut Scaliger eum vocat Prolegomenis ad divinum opus *de Emendatione temporum*) *diligentissimi, καὶ φιλαληθεστάτου*, novam, & insigniter locupletatam Editionem, quam Vir Cl. Johannes Andreas Bosius, inclytus in Academia Salana Professor jam ab aliquot retro annis molitur, anxie præstolamur.

XXX. Sed quorsum nos deduxit Janitorum nostrorum Transenna? Si cui fortasse videor loco minus commodo hæc disputasse, non illud negabo quidem, attamen in eo nequaquam a Janua me aberrasse simul respondebo.

XXXI. Si cancelli non essent in foribus, cre- C do per rimam speculatum esse Ostiarium, quis staret ante ostium. Petronius: *Obiterque per rimam foris speculari diligentissime cœpi, num Ascyltos una venisset.*

XXXII. Nonnunquam tamen interrogabat, quis adesset. Cicero *Philipp.* II. *Inde celeriter ad urbem advectus, domum venit capite obvoluto. Janitor, quis tu? a Marco tabellarius.* Petronius: *Sed ut primum beneficio Gytonis præparata nos implevimus cæna, ostium satis audaci strepitu impulsum exsonuit. Cum & ipsi ergo pallidi rogaremus, quis esset: Aperi, inquit, jam scies.* Quandoque jubebatur Janitor, renuntiare hero, D quis, vel quinam adessent. Plutarchus in *Cicerone*: *Media nocte ad domum Ciceronis veniunt primi potentissimique Romanorum, M. Crassus, M. Marcellus, & Scipio Metellus. Hi cum ostium pulsassent evocato janitore, ut excitaret Ciceronem, seque adesse indicaret, jubent.* Livius Dec. I. lib. VI. *Inscientibus cunctis cultro succinctus mane in urbem, atque a porta demum confestim ad M. Pomponium tribunum pergit: janitori, opus esse sibi domino ejus convento, extemplo, ait, nuntiaret, Manlium Lucii filium esse.* Ac tum pro re nata admittebantur volentes intrare. Plutarchus in *Pelopida*: *Diu eos januam pulsantes nemo audiit, tan-* E *dem prodiit famulus, obicemque removit.* Idem in *Alcibiade*: *In domum Hipponici venit, pulsatoque ostio admissus, vestem deposuit.* Lucianus Dial. *Nigrino*: Κόψας τὴν θύραν τοῦ παιδὸς εἰσαγγείλαντος, ἐκλήθην: *Pulsata janua, cum puer intro de me renunciaret, accersitus sum.* Cum ingratiis Domini domus, id alioqui non licebat. Plutarchus in *Cimone*: *Lachartis Cimonem reprehendit, quod Corinthum cum exercitu intrasset, non compellatis ea de re prius civibus: moris enim esse, ut qui alienum ostium pulsarent, non ante quam Dominus ædium juberet, introirent.* Et respondebatur interdum: *Non vacare Do-* F *mino.* Plutarchus in *Alcibiade*: *Periclis conveniendi causa cum ad januam ejus venisset, audiretque* non vacare ei, *ut quemquam admitteret, quod cogitaret secum quomodo rationes Atheniensib. redderet.* Idem in *Lysandro*: *Necessitate compulsus, in Lydiam ascendit, reque in Cyri domum profectus, referri ei jussit, Callicratidam classis Ducem adesse, & colloqui cum eo velle. Cum eorum qui ad fores stabant, quidam responderet:* Non vacat, *o hospes*, in præsentia Cyro: *bibit enim. Simpliciter admodum Callicratidas. Nihil, inquit, est incommodi; adsidens enim juxta, expectabo dum biberit.*

Tunc igitur rusticus homo habitus a barbaris, derisus discessit. Ut vero iterum ad fores regias veniens non admissus, indigne ferens, Ephesum abiit. Etiam Janitor literas deferebat ad Dominum. Plutarchus in *Cicerone: Crasso secundum cœnam literas reddiderat janitor ab ignoto quodam homine allatas.*

XXXIII. Interdum etiam, præsertim nocte intempesta interrogasse puto, quot essent, ut ille apud Petronium: *Et jam plena nox erat, mulierque cœnæ mandata curaverat, cum Eumolpus ostium pulsat. Interrogo ego, Quot estis?*

XXXIV. E contrario adventantes ex Janitore quærere solebant, num Dominus esset domi: quod affirmabat, vel negabat, prout se res habebat, aut prout commodum fore putabat hero. Quandoque jubebatur præ foribus consistere advena, donec reverteretur, qui quæsitum in domum abierat Janitor. Plautus *Asinaria* Act. II. Sc. III.

Libanus: *Ita hæc morata est janua: extemplo janitorem*
Clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem;
Sed quid venis? quid quæritas? Mercator. *Demænetum volebam.*
Li. *Si sit domi, dicam tibi.* Me. *quid? ejus atriensis.*
Li. *Nihilo mage intus est.* Me. *ubi est?* Li. *ad tonsorem ire dixit.*
Me. *Cum venisset, post non redit?* Li. *non ædepol.*

Apulejus lib. I. *Et cum dicto modico secus progressus, ostium accedo, & januam firmiter oppessulatam, pulsare vocaliter incipio. Tandem adolescentula quædam procedens, Heus tu, inquit, qui tam fortiter fores verberasti, sub qua specie mutuari cupis? An tu solus ignoras, præter aurum argentumque nullum nos pignus admittere? Meliora, inquam, ominare: & potius responde, an intra ædes herum tuum offendam? Plane, inquit: sed quæ causa quæstionis hujus? Literas ei a Corinthio Demea scriptas ad eum reddo. Dum annuntio, inquit, hæc, ibidem me operitor. Et cum dicto rursum foribus oppessulatis, intro capessit. Modico deinde regressa, patefactis foribus, Rogat te, inquit. Intuli me.* Tibullus lib. II. Eleg. ult.

Sæpe ego cum dominæ dulces a limine duro
Agnosco voces, hæc negat esse domi.

Martialis lib. II. Epig. V.

Sæpe domi non es: cum sis quoque sæpe, negaris:
Vel tantum causis, vel tibi sæpe vacas.

Idem lib. V. Ep. XXIII.

Illud adhuc gravius, quod te post mille labores
Paule, negat lasso janitor esse domi.

Lepida hac de re est apud Ciceronem historia lib. II. *de Oratore*, quæ meretur adscribi: *Nasica cum ad Poetam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse: Nasica sensit, illam domini jussu dixisse, & illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, & eum a janua quæreret, exclamat Nasica, se domi non esse. tum Ennius: Quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nasica: Homo es impudens. ego cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?*

XXXV. Si Janitor non esset in limine, advenientes non tantum pulsare, sed & inclamare solebant. Aristænetus lib. II. Epist. XXII. *Maritus peregre rediens*, pulsare fores, *& simul* inclamare cœpit. Græca hæc sunt: Ἔκοπτε τὴν θύραν, ἅμα βοῶν. Apulejus *Metam.* lib. IX. *Contra omnium*

A *opinionem, captata noctis opportunitate, improvisus maritus assistit, suæ domus januam* jam pulsat, jam clamat, *jam saxo fores verberat.* Plautus *Amph.* IV. I.

—— feriam foris
Aperite hoc. heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium.

Libanius in *Invido*: ἐξελθὼν. ἕωθεν. καὶ κεκλεισμένας ἰδὼν τὰς γείτονος θύρας, οὐκ εἰωθὸς ὂν προσελθὼν κρούσας ἐκάλουν. ὡς δὲ οὐδεὶς ὑπήκουε, πάνυ σφόδρα κόπτων, καὶ βοῶν μόλις ἤκουσα παρά του τὸν ἔνδον ἀπιέναι.

B XXXVI. Quandoquidem servuli fastidientes hospitem domino ingratum, ab ostio aliquid quærenti non quidquam respondebant. Columella præfat. lib. I. *An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium circumvolitantis limina potentiorum, somnumque regis sui rumoribus inaugurantis: neque enim quid agitur intus, respondere servi dignantur.*

XXXVII. Imo vero, qui cum Ostiarii ingratiis introire vellet, submovebatur. Hoc enim verbum proprie de hac re usurpatur. Seneca loco laudato: *Iratum vidisti amicum tuum ostiario, causidici alicujus, aut vidisti, quod intrantem submoverat.*
C Plinius in *Paneg. Trajani*: *Una erat in limine mora, consultare aves, revererique Numinum monitus: nemo perturbabatur, nemo* submovebatur. Sidonius lib. I. Epist. II. *Redeunt pulsantes, redeunt* submoventes. Illis, quæ cap. VIII. attuli, addo hoc Ovidii lib. III. *Amor.* Eleg. XIII.

Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti
Opposita populum submovet ante sera.

In Plauti *Amphitruone* Mercurius sumta Sosiæ persona de Sosia ipso ad spectatores ait, sine Prologi:

D *Abigam jam illum advenientem ab ædibus.*

Huc etiam referri potest illa *Ostiarii difficultas* apud Senecam, libello *Quod in sapientem non cadat injuria* cap. XIV. *Quidam se a cinerario impulsos moleste ferunt, & contumeliam vocant ostiarii difficultatem, nomenclatoris superbiam, cubicularii supercilium.*

XXXVIII. Huic contrarium erat *admittere*. Tibullus lib. I. Eleg. VI.

Et tibi nescio quas dixit mea Delia pœnas,
Si tamen admittas, sit precor, illa levis.

Martialis lib. I. Epig. XXVI.

Ante fores stantem dubitas admittere famam.

E Huic contrarium, *Emittere*. Augustinus *de C. D.* lib. VII. cap. VIII. *Quid est porro absurdius, quam in ipso mundo non invenire duas januas, per quas vel* admittat *aliquid ad se intro, vel* emittat *a se foras.*

XXXIX. Interdum vi & verberibus in inconsultius intrantes debacchabantur Ostiarii. Eo referre liceat sequentia Paulini Epist. XXXIII. ad Alethium: *Nonne (quæso te) isti verius dicendi canes, qui ne canes quidem in curandis atque mulcendis hominibus imitati sunt, & de micis saltem a mensa sua cadentibus satiari cupientes fratres, hoc est, natura matre germanos, non solum obseratis fo-*
F *ribus excludi, sed etiam sævis verberibus expelli jubent.* Item hæc Salviani lib. III. *de Gubernat. Dei*: *Intra januas non modo illustrium personarum, sed etiam Præsidum & Præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut index vocaverit, aut negocium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit: ita ut si quispiam ingressus insolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia & existimationis suæ labe mulctetur.* Corippus lib. III.

—— Custodes ardua servant
Limina, & indignis intrare volentibus obstant,
Condensi numeris, fastu nutuque tremendi.

XL. Hinc ad manus illis erat arundo, qua amoliri a foribus indignos & importunos possent. Huc vulgo referunt illa Petronii: *Ubi servus publicus raptam cauponi arundinem subter lectum mittit, omniaque etiam parietum foramina, scrutatur.* ut & ista: *Ac me iterum in cellam sacerdotis nihil recusantem perduxit, impulitque super lectum, & arundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulctavit.* Et hæc est Janitoris virga apud Senecam *de Tranquillitate vitæ* lib. II. cap. XIV. Locus integer dignus est, qui recenseatur: cum præsertim etiam de alio antiquo more nos doceat, quod nempe Janitoribus, ut faciliorem darent aditum, sportulam quandam objecerint. *Quid ergo? Sapiens non accedit ad fores, quas durus janitor obsidet? Ille vero, si res necessaria vocabit, experietur, & illum, quisquis erit, tanquam canem acrem, objecto cibo leniet, nec indignabitur aliquid impendere, ut limen transeat, cogitans, & in pontibus quibusdam pro transitu dari. Itaque illi quoque, quisquis erit, qui salutatorium publicum exerceat, donabit. Scit emere venalia. Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod ostiario libere respondit, & virgam ejus fregit: quod ad dominum accessit, & petiit thronum.*

XLI. Reperio etiam jussu Domini retentos, qui exire volebant. Lucianus in Dial. *Meretric. Pater, cum sciret, me probam hanc amare, jam olim, domi me conclusit, dato janitori mandato, ne aperiret.* Rutilius Lupus *de Figuris* lib. II. quando de Characterismo agit, affert exemplum ex Lycone, in quo & hæc habentur: *Interea procedit simul & illud tempus, & potatio: Oculi vinum lacrumantes caligant, ebriosum ipsi vix ebrii cognoscunt: alius sine causa jurgio proximum lacessit: alius somno deditus vi cogitur vigilare: alius rixari parat: alium turbas vitantem, ac domum reverti cupientem, retinet Janitor, pulsat, exire prohibet domum, interdictum demonstrans. Interim alium contumeliose extra januam ejectum vacillantem puer sustentat, ac ducit pallium per lutum trahentem.*

XLII. Noctu, ut eo secure magis in utramque aurem dormire possent Ostiarii, non facile alicui pandebant fores. Achilles Tatius lib. II. ἦσαν δὲ λοιπὸν μέσαι νύκτες, ὥστε μόλις ὁ θυρωρὸς ἀνέῳξεν ἡμῖν. *Erat tum media nox; ideoque non nisi difficulter a janitore impetravimus, ut fores aperiret.* Apulejus lib. I. *Et, Heus tu, ubi es? inquam, valvas stabuli absolve: antelucio volo ire. Janitor pone stabuli ostium humi cubitans, & jam nunc semisomnus. Quid tu, inquit, ignoras latronibus infestari vias, qui hoc noctis iter incipis?* Et paucis interjectis: *Adhæc ille marcidus semisopitus, in alterum latus evolutus*, &c.

XLIII. Tantum de Custodia domus, quod præcipuum Janitoris munus fuisse diximus. Porro Janitorum curam fuisse, servare ignem Larium, ex Aristide se observasse scribit Laurentius Pignorius Commentario *de Servis*.

XLIV. Denique quia Janitores inter extrema erant mancipia, vilissima quæque ministeria obire coacti sunt. Videtur id colligi posse ex Petronio, apud quem in Trimalchionis *aditu stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat.* Vile nimirum & sordidum opus, quo & Venus Psychen exercuit apud Apulejum *Metam.* lib. VI. Vilem quoque Ostiariis fuisse cibum facile id Jacobo Gothofredo Notis in lib. II. Tertulliani *ad Nationes* cap. XV. affirmanti crediderim. Augustinus quoque vilem conditionem *Ostiarii* agnoscit *in Psalmum* CIII. *Si aliquis magnus Procurator offendat, & in pœna domini sui verbi gratia, fiat* Ostiarius *in extremo loco.* —— Ostiarius ille, *de quo dixi, potest aliquid facere, nesciente Domino, & turbare aliquem, illo non jubente.* Contra in palatio Regum Francorum dignitas singularis erat Ostiarii. Talis Ostiarius erat *Gerungus* quidam, ad quem Frotharius Tullensis Episcopus scribit: *Illustrissimo viro, & toto affectu colendo Gerungo sacri palatii* Ostiario. Ac idem procul dubio est, ad quem scribit Epist. VI. *Excellentissimo, ac Nobilissimo VIRO, celsoque honore dignissimo, summo sacri palatii* Ostiario. Geminus habetur Gerungi titulus Epist. XXII. Transiit hæc dignitas ad palatia Regum Germaniæ, eorundemque Imperatorum Romanorum: sic ut tandem illa Generosissimæ Domui WERTHERIANÆ fieret hæreditaria, ac ob id hi Dynastæ titulum habeant: *Des H. Rom. Reichs Erb. Cammer. Thurhuter*, ac quoties Imperatores ex Austria sua concedunt in Germaniam, ut ita dicam, regalem, senior familiæ munere suo, more majorum fungatur.

XLV. Etiam Carcerum publicorum Janitores fuisse legimus. Plinius lib. XII. cap. XXXVI: *Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera supplicii causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum, a Janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Janitorem carceris* nobis quoque sistit Prudentius hymno II. *Peristeph.* v. 346.

Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum janitor,
Ut fert vetustas conscia,
Repente CHRISTUM credidit.

XLVI. Sepulchrorum Janitores memorat Firmicus his verbis: *In tertio loco Mercurius cum Saturno ab Horoscopo partiliter constitutus pollinctores faciet, ac funerarios mortuorum cadaverum custodes, aut sepulchrorum janitores.* Johan. Jacobus Chifletius in Geminiæ Titulo Sepulchrali explicato: *Quia sepulchris occlusis janitoribus non erat opus, crediderim hic intelligi ministros viliores, qui ante absolutum funus, ad apertas sepulcri fores starent, ad removendam turbam; vel certe qui agris muris cincti, in quo sepulcrum esset, januam custodirent.* Sic appellari puto humatores sive vespillones, *die Todtengraber*, quod hi sepulchra aperiant claudantque.

CAP. XVII.

DE SERVIS VETERUM EXCUBITORIBUS, ET EXCUBIIS IN PALATIO IMPERATORUM ROMANORUM.

I. PRÆTER illos, de quibus satis a nobis dictum est, Janitores, potentiores etiam habebant Servos EXCUBITORES, qui nocturnas ad limen habebant custodias. Isidorus *Origin.* lib. IX. cap. III. *Excubitores dicuntur, pro eo, quod excubias semper agunt. Sunt enim ex numero militum & in porticibus excubant propter regalem custodiam.* Quinctilian. Declamat. I. pro Cæco: *Dicitur cæcus sine rectore, sine duce per inane longum, per tot offensa limina, per excubantes servulos errasse cum ferro: cubiculum deinde patris intrasse.* Idem Declamat. II. pro Cæco: *Tu sentis, quando senem vicerit lassitudo curarum. Scis pariter, an una quiescentium fores vallaverit cura servorum.* Ad hunc ritum alludit Silius Italicus lib. I. de Hannibale:

Sæpe etiam famuli turbato ad limina somno
Expavere trucem per vasta silentia vocem.

Claudianus lib. III. *de Raptu Proserp.* v. 116.

Ut domus excubiis incustodita remotis,
Et resupinati neglecto cardine postes.

Propertius lib. IV. Eleg. I. ad privatam matronarum custodiam, de qua nos dicemus alibi, traduxit:

Non mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina: persuasis fallere rima sat est.

Tangit iterum Claudianus, quando Ambitionem *potentum foribus excubare* canit, lib. II. *de laud. Stilic.* v. 114.

Trudis Avaritiam, cujus fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat.

Apud Cyprianum lib. II. Ep. VII. Presbyteri & Diaconi Romani: *Castrorum cœlestium* excubent *portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse.* Ipse Cyprianus lib. II. Ep. II. *An putas vel illos tutos saltem inter honorum infulas, & opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum* excubantium *tutela circumstat?* Hieronymus *in cap.* III. *Habacuc: Vides homines maria transire, ante potentum* excubare fores, *pati omnia, quæ servorum conditio vix patitur, ut divitias congregent, ut aliquam accipiant dignitatem.* Clarissime omnium Tacitus de Pedanio Secundo domi suæ a servo occiso: *Sane consilium occuluit, telum inter ignaros paravit, num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus nesciis?* lib. XIV. *Annalium.*

II. Inprimis autem id a Romanis Imperatoribus observatum fuit, ut ejusmodi excubias ad majorem sui securitatem haberent in vestibulo palatii. Sueton. *Neron.* cap. VIII. *Septendecim natus annos, ut de Claudio palam factum est, inter horam sextam septimamque processit ad excubitores.* Idem *Othone* cap. VI. *Erat animus post adoptionem statim castra occupare, cœnantemque in Palatio Galbam aggredi; sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia.* vide eundem in *Galba* cap. X. Corippus lib. I.

Excubiæ primum quæ summa Palatia servant,
Imperium felix Dominis intrantibus optant,
Et cunctos aditus armato milite vallant.

III. Solebant hæ excubiæ Principem comitari, cum prodiret, & si quando foris cœnaret, in aliena domo suum officium facere. Luculenter id apparet ex Suetonii *Othone* cap. IV. *Nullo officii, aut ambitionis in quemquam genere omisso, quoties cœna principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividere.*

IV. Præerat his Excubiis Tribunus Excubitor. Suetonius *Claud.* cap. XLII. *Quoties quidem hostem vel insidiatorem ultus esset, excubitori Tribuno signum de more poscenti, non temere aliud dedit, quam* Ἀνδρ' ἐπαμύναθ', ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ. Idem *Nerone* cap. IX. *Primo etiam Imperii die signum excubanti Tribuno dedit, Optimam matrem.* Talem Tribunum fuisse puto Claudium Rutilium Numatianum; Sic enim canit lib. I. *Itinerarii*, v. 563.

Præbet equos, offert etiam carpenta Tribunus,
Ex commilitio carus & ipse mihi,
Officiis regerem cum regia tecta magister,
Armigerasque Pii Principis excubias.

Quamquam Barthius *Præfectum Prætorio* ex his versibus facit.

V. Qui temere has Excubias deserebat, plecte-
A batur capite. vid. Paulum in *leg.* x. *pr. ff. de re milit.* & adde l. 111. §. VI. *ff. eod.*

VI. Puto autem hanc Excubitorum stationem desumtam ex *cohortibus prætoriis*, quas instituto Augusti habebat Imperator, ad custodiam corporis, atque ad subita remedium: sparsas initio per hospitia, postea junctas peculiaribus castris ad muros Urbis, non procul Viminali porta structis Sejani consilio. His cohortibus qui præerant, *Præfecti Prætorio* appellabantur: ex equestri ordine, unus quandoque, aliquando plures. Locus hic non permittit, ut sigillatim de his quædam edis-
B feram. Fiet id volente Deo alibi.

CAP. XVIII.

DE JANITORIBUS TEMPLI HIEROSOLYMITANI.

Summarium.

Votum de Antiquitatibus Sacris in unum corpus redigendis. Ioh. Sauberti Commentarius de Sacerdotio Veterum Ebræorum *laudatus. Janitorum*
C *Templi Hierosolym. duæ classes; una Juniorum Sacerdotii, altera Seniorum domus paternæ. Eorum princeps dictus Caput domus paternæ. Ianitores ex posteris Corah, ac proinde Coritæ dicti. Janitores a Levitis stricte ita dictis distincti. Ultimi erant inter Sacerdotes. Primarium eorum munus obserare, & reserare Templum. Claves Templi in crypta quadam asservabantur, cui unus Janitorum indormiebat. Iidem Janitores armis excubias agebant ad Templum. Præpositus Janitoribus dicebatur Præfectus Levitarum Janitorum. Ad hujus mandatum clausæ & apertæ Templi valvæ. Cum eæ aperirentur, Sacerdotes clange-*
D *bant buccinis. Janitores per vices agebant sua munera, quorum aliqua enumerantur. Janitores Templi constituebantur a Rege & Judicibus. Numerus Janitorum.*

I. NON is ego sum, qui unice in secularibus gentilium literis habitem, scriptaque solum externa *nocturna versemque manu, versemque diurna.* Etiam ad sacra me converto; imo præ sacrorum Scriptorum lectione illam Ethnicorum librorum volutationem nihili æstimo. Sacra Scriptura est, quæ vere satiare potest meum animum. Atque sic ut in hac secundum OPT. MAX.
E SALVATORIS mei JESU CHRISTI monitum vitam æternam quæro; ita non prætermitto sacras, quibus referta est, Antiquitates: quas siquis in unum corpus, quæ dispersæ sunt, colligeret, næ faceret operam Reip. Ecclesiasticæ utilissimam. Cœpit in eo elaborare Vir Cl. Johannes Cunradus Dieterichus, ejusque laboris quoddam specimen habemus in tres libellos distinctum. Majores conatus & accuratiores nobis invidit præmaturus optimi Viri abitus, nisi si qua spes est, fore ut; quæ in scedis disjecta servantur, obstetricantem aliorum manum experiantur. Nondum, hæc cum scri-
F berem, prodierat novum & insigniter locupletatum Opus *Antiquitatum Biblicarum* laudati Joh. Cunradi Dieterichi, quod superiori anno MDCLXXI Giessæ in lucem dedit Joh. Justus Pistorius.

II. Nos hoc capite aliquid afferemus de JANITORIBUS TEMPLI HIEROSOLYMITANI, quorum frequens est in Sacra Historia mentio: sed agemus de iis duntaxat per compendium: cetera commendaturi studio Amplissimi Viri, Johannis Sauberti, S. Theologiæ & LL. Orientalium in Academia Helmstadiensi Prof. P. celeberrimi, cujus

elegantissimus penes me est *de Sacerdotio Ebræorum* Commentarius Ms. quem in Academia Julia ex dictantis ore excepi, & cujus ductum me hoc in loco sequi, ingenue profiteor.

III. Custodiæ Templi Hierosolymitani præfecti erant certi Æditui, sive Custodes, qui in duas classes erant divisi. In altera qui consistebant, vocabantur *Juniores Sacerdotii*. Qui ex altera erant, dicti sunt *Seniores domus paternæ*. Hi claves atrii custodiebant, & mane altare expurgabant.

IV. Princeps horum Æditurum seu Inspector, qui iis præsidebat, nominabatur *Caput domus paternæ*. De quibus amplius consuli possunt R. Salomo Jarchi, & Obadias Barthenora, Commentariis ad initium cap. II. *Cod. Thalmudici de Expiationis die*.

V. Alii rursus erant Janitores, dicti vulgo *Coritæ*, quod maxima eorum pars esset ex posteris Coræ, quem adversus Mosen insurgentem terra absorpsit, *Numeror.* XXVI. v. 11. Erat autem Corah, filius Jezearis, nepos Cahath, pronepos Levi, quod constat ex *Exodi* cap. VI. v. 16. 18. 21.

VI. Hisce postea jungebantur aliquot ex posteris Merari, filii itidem Levi: ut adeo omnes Janitores essent ex tribu Levi, distincti tamen a Levitis, stricte ita appellatis, uti ex aliquot Sacræ Scripturæ locis patet. Adeoque non erant ex Sacerdotali familia, neque dicebantur Levitæ: sed Janitores, Ostiarii, itemque custodes tabernaculi.

VII. Ultimos ordinis Ecclesiastici fuisse, vel ex eo patet, quod David *Psalmo* LXXXIV. præ consortio improborum se excubitoris Janitoris ministerio in Templo domini defungi malle ostendit. Nam eo ipso ad officium Korachitarum sanctissimus Auctor respicere videtur: quibus etiam cantandus hicce Psalmus fuit traditus.

VIII. Primarium autem illorum officium erat claudere quotidie & reserare Templi ostia.

IX. Asservabantur autem claves in subterranea quadam crypta, cujus orificio superimposita fuit tabula marmorea, cum annulo huic infixo, ut posset ipsa tabula, si facto opus esset, elevari. Subter cryptam istam catena fuit aurea, in qua claves pependerunt in uncino. Cum igitur appeteret tempus observationis, sustulit sacerdos quidam cum annulo tabulam istam, & de catena deprompsit claves, clausitque interius. Et postquam omnia clausisset, ac reposuisset claves in catenam, tabulamque in locum suum, injecit vestimenta super hanc, & obdormivit in iis. Jacobus Jehuda Leo *de Templo Hierosolymit.* lib. II. cap. CXIII.

X. Alterum deinde illorum officium erat excubare ad ostia templi, & introitum cum armis custodire, ne profanus quispiam accederet, aut aliquid illegitimi inferretur. Et ante extructum templum non modo ad januas tabernaculi advigilabant Coritæ isti, sed & ad ingressum castrorum populi Israelis.

XI. Præpositus illis erat quidam Præfectus, qui dicebatur *Præfectus Levitarum Janitorum*. Ad hujus mandatum Janitores aperiebant ostia portarum templi & atrii, & ad ejusdem mandatum eadem claudebant. Et hic præcipiebat Sacerdotibus, ut clangerent buccinis, eo tempore, cum dictæ portæ aperirentur. Neque enim clangebant illi in apertione portarum, nisi ille dedisset licentiam. Leo lib. I. cap. XIX.

XII. Divisi autem erant Janitores in certas classes, quæ in singulis habitabant pagis, aut prædiis extra urbem, & per vices Hierosolymis munia sua obibant: Sic, ut si quem tangeret ordo, Hierosolymas proficisceretur, ibique partium suarum satageret; septimo autem die universi convenirent ibi. Qui in classe aliqua sacris fungente existebant, singula sua & propria habuerunt officia. Alii enim excubabant dies noctesque, sed singuli ad certas sibique assignatas fores versus quatuor mundi plagas: ita ut ad singulas januas noctu sex, interdiu quatuor assisterent; quas excubias forte inter se dispertiebantur. Alii eorum custodiebant vasa ministerii, & utensilia templi, ut bona fide inferrentur, & efferrentur, neque aliquid de numero eorum decederet. Alii panes propositionis præparabant, alii ea, quæ in sartagine coquuntur: alii præerant vino, oleo, thuri, aromatibus, & similibus. Alii Inspectores erant eorum, qui ad diversos usus templi onera bajulabant. Alii collegerunt pecuniam a populo ad conservationem ædificiorum sacrorum.

XIII. Eligebantur autem Janitores, & constituebantur a Rege & Judicibus.

XIV. Hæc veluti in Epitoma dicta sunto de Janitoribus, sive Coritis, quorum tempore tabernaculi fuere CCXII. tempore Davidis & Salomonis quatuor millia: postquam exædificatum esset templum secundum, centum octo & triginta.

CAP. XIX.

DE JANITORIBUS TEMPLORUM IN PRIMITIVA ECCLESIA.

Summarium.

Janitores Templorum cœperunt esse postquam sub Constantino M. extruerentur magnifica Oratoria. Janitoris munus erat exesse jubere Catechumenos, Pœnitentes & Energumenos sub missa fidelium. Iidem Claves templorum servabant, ac per earum traditionem inaugurabantur. Dabant item operam, ne vela, aliaque utensilia detrimentum caperent. Verrebant pavimentum. Erant ultimi ordinis Ecclesiastici.

I. SED & apud Veteres Christianos inter Ecclesiastici ordinis Viros JANITORES Templorum reperio. Meminit eorum Hieronymus Epist. III. ad Heliodorum: *Nepotianus erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si Janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si vasa luculenta*. Meminit & Ostiarii Augustinus libro VI. *Confessionum* cap. II.

II. Primis quidem tribus seculis Janitores non erant, quia nec templa erant Christianis; quod facile ex antiquis monimentis probare liceret, si hic locus pateretur. Postquam autem sub Constantino magnifica Oratoria extrui cœperunt, etiam Janitores in illis adhiberi consueverunt.

III. Hujus Janitoris sive Ostiarii munus erat, ut quando instaret Missa fidelium, catechumenos, pœnitentes & energumenos exesse juberet. De eo Dionysius is, qui sub Areopagitæ nomine circumfertur, antiquitate venerabilis Scriptor *Hierarchiæ Ecclesiasticæ* cap. III. *Pontifex perfecto precum sacro ad Dei altare, cum ab eo incendendi odores initium fecit, sacrum obit locum. Rursus autem ad divinam aram sacros Psalmos canere incipit, canuntque cum eo omnes Ecclesiastici ordines. Deinceps a ministris sanctorum librorum lectio ordine recitatur. Ea recitata a extra templi ambitum collocantur catechumeni, & una cum eis energumeni, atque ii, quos superioris vitæ pœnitet: manent autem ii, qui divinarum rerum & aspectu digni sunt & communione. Ministrorum vero alii stant pro Templorum foribus, quæ oc-*

clusæ sunt ; alii autem aliquid aliud eorum , quæ illorum ordinem attingunt , perficiunt . Et clarius adhuc Isidorus Episcopus Hispalensis, qui circa initia seculi VII. floruit, lib. VII. *Originum* cap. XII. ubi Janitores Ebræorum & Christianorum conjungit : *Ostiarii , id est , Janitores , qui in Esdra custodes templi dicuntur servorum Salomonis filii , qui in Veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi , ut non ingrederetur immundus in omni re . Dicti autem Ostiarii , quod præsint ostiis templi. Ipsi enim tenentes clavem , omnia intus extraque custodiunt : atque inter bonos & malos habentes judicium , fideles recipiunt , respuunt infideles .* addit Durandus lib. II. *Rationalis Divinorum Officiorum , & excommunicatos repellunt :* nisi forte hæc ex Isidori libris *de Divinis Officiis* , qui mihi non sunt ad manus , desumta sunt . Suspicatus fueram Durandum ex Isidoro *de Divinis Officiis* quædam desumsisse ; sed cum nuper daretur ipsum Isidorum inspicere , verba illa de *excommunicatis repellendis* clare expressa non reperi . Adscribam tamen integrum locum , qui habetur lib. II. cap. XIV. *Ostiarii sunt , qui in Veteri Testamento Janitores Templi vocabantur , qui præerant portis Templi Hierusalem , quique per vices suas omnia interiora templi , vel exteriora custodiebant . Hi denique inter sanctum & iniquum discernentes , eos tantum , qui sunt in Ecclesia , recipiunt . Intrare enim templum nisi per eos non possumus . Habent enim in potestate tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indignos .* Idem Isidorus in *Canonibus de habendis Conciliis* Ostiarii meminit his verbis : *Ante Solis ortum ejiciantur omnes ab Ecclesia , obseratisque foribus cunctis ad unam januam , per quam Sacerdotes ingredi oportet , Ostiarii stabunt , & Episcopi pariter intrabunt , & juxta ordinationis suæ tempus residebunt , dein Presbyteri, postea Diaconi , tandem Laici eo honore habiti digni, obseratisque januis , cunctisque in diuturno silentio sedentibus dicat Archidiaconus : Orate ,* Musæus apud Justinum Martyrem : *θύρας δ' ἐπιθέσθε βεβήλοις : Januas objicite profanis .* Beda , aut quisquis alius , in *Collectaneis* & *Floribus* , quæ comparent in calce Tomi III. *Hostiarii in Veteri Testamento januas templi custodiebant , suscipientes sanos , ejicientes infirmos . Modo in Ecclesiam recipiunt fideles , ejiciunt infideles .* Idem in iisdem *Collectaneis*, cum septem ordines ad CHRISTUM applicat : *Ostiarius fuit , quando destruxit ostia inferni , & ligavit Diabolum .* Habebant & Donatistæ in suis conventiculis Ostiarios . Optatus Milevitanus lib. V. *Totum* (Parmeniane) *in præsenti tempore posuisti dicendo , a societate vestra projectum esse , cum qui janitores & ministros fefellerit vestros .*

IV. Hi Ostiarii clavium curam gerebant , atque adeo per illarum traditionem inaugurabantur . Concilium Toletanum distinct. XXIII. *Ostiarius cum ordinatur , postquam ab Archidiacono instructus fuerit , qualiter in domo Dei debeat conversari , ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario dicens : Sic age , sic vive , quasi redditurus Deo rationes pro his rebus , quæ his clavibus recluduntur .*

V. Dabant etiam operam , ne Vela , aliaque utensilia aliquid detrimenti caperent . Clemens Romanus , sive quisquis est Auctor Epistolarum ad Jacobum , Epist. II. *Cura sit ostiariis , ne quis negligens aut ignarus ad velum januæ domus Domini munus incondite tergat , quia velum atrii domus Domini sanctum est .*

VI. Verrebant quoque pavimentum. Eleganter Paulinus in fine Natalis II. S. Felicis :

Illic dulce jugum , leve onus , blandumque feremus
Servitium sub te domino : & si justus iniquis
Non egeas servis , tamen & patiere & amabit
Qualescunque tibi Christo donante dicatos ,
Et foribus servire tuis ; tua limina mane
Munditiæ curare sines , & nocte vicissim
Excubiis servare piis ; & munere in isto
Claudere promeritam defesso corpore vitam .

VII. Revera igitur fuere ultimi Ecclesiastici ordinis , eoque censu habiti , quo nobis sunt æditui , sive custodes . De sui temporis Janitoribus Eginhardus *de vita Caroli M.* cap. XXVI. *Sacrorum vasorum ex argento & auro , vestimentorumque Sacerdotalium tantam in eo copiam præparavit , ut in sacrificiis celebrandis , ne janitoribus quidem , qui ultimi Ecclesiastici ordinis sunt , privato habitu ministrare necesse fuerit .* Hinc adhuc in aliquibus locis moris est , ut custodes templorum diverso a plebeiis hominibus habitu ministeria in sacris obeant .

CAP. XX.

DE JANITRICIBUS.

Summarium.

Janitrices plerumque erant anus . Janitricum mentio in Sacra Historia . Cur duorum fratrum uxores dictæ Janitrices . Uxores Romanorum in atrio ante januam sternebant lectum , qui adversus dicebatur .

I. NON viros tantum , sed & interdum fœminas ad custodiam Januæ ab Antiquis fuisse adhibitas hoc capite ostendemus .

II. Dicebantur ejusmodi mulieres JANITRICES . Plautus *Curcul.* I. I.

Anus hic solet cubitare , custos , janitrix .

III. Anus vocatur . Nam tales plerumque eran Janitrices . Apud Tibullum lib. I. Eleg. VI. Anus :

Hæc foribusque manet noctu , me affixa , proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum .

Hinc illam mox sic alloquitur :

Vive diu mihi dulcis anus , proprios ego tecum ,
Si modo fas , annos contribuisse velim .

Petronius : *Quamvis non minus sudoris habuimus etiam postquam ad stabulum pervenimus . Anus enim ipsa inter diversitores diutius ingurgitata ne ignem quidem admotum sensisset .* Idem postea: *Anus præcipue lippa , sordidissimo præcincta linteo , soleis ligneis imparibus imposita canem ingentis magnitudinis catena secum trahit , instigatque in Eumolpum .* Nescio an Nobilissimus Almelovius hic putet , me omisisse , *quod vetulæ plerumque fuerint Janitrices* . Nam id propter credo ab ipso allata Jani Gebhardi *ad Propertium* verba . Alioquin id Tibulli ac Petronii dictis me comprobasse , dicerem . Si tamen de illustri illo Euripidis loco me certiorem reddere voluit (quod malim) gratias eo nomine ipsi ago debitas .

Ceterum in veteri Ecclesia Diaconissæ videntur etiam foribus templorum ac vestibulis præfuisse: cum in templis distinguerentur portæ , sic ut aliis viri , aliis egrederentur fæminæ . Ignatius (modo is fuerit auctor) in Epist. *ad Antiochenos* : Ἀσπάζομαι τὰς φρουρὰς τῶν ἁγίων πυλώνων , τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους . *Saluto custodes sanctarum portarum ministras in CHRISTO .* Pseudo-Clemens lib. VII. *Constitut.* cap. XXVIII. dixit de iis *φυλάττων τὰς θύρας* .

IV. Ab hoc more ſunt ancilla oſtiaria, *παιδίσκη* θυρωρὸς, in Evangelica Hiſtoria *Johannis* cap. XVIIII. v. 16. 17. & Rhode puella in *Actis* cap. XII. v. 13. Et quoniam apud Veteres plerumque vetulæ hoc miniſterium obiverunt, Emundus Merillus, J.C. *Notis ad Paſſionem Domini* παιδίσκη illud vertendum potius cenſet *ancilla*, quam *puella*. Achilles Tatius lib. VI. Μελανθὼ θεράπαινα ἦν αὐτῇ τῶν πιστῶν. καὶ ἐφήδρευε τῇ θύραις. *Melantho erat ancillarum omnium fidiſſima, cui uni januarum cuſtodia credebatur*.

V. Janitrices alias dicuntur *duorum fratrum uxores*: ut ait Modeſtinus l. IV. §. *adfines* in fi. *de grad. & adfin.* In Gloſſis quoque Philoxeni legitur: Janitrices, δύο ἀδελφῶν γυναῖκες. Σύννυμφοι. Sic autem dicuntur, non quidem quod *eandem januam pulſent*: ut *Decretalium* Architecti exiſtimarunt: aut *eandem januam terant*, vel *per eandem iter habeant*, quod Iſidori eſt commentum: verum potius, quod *pariter lectum adverſum januæ ſternant, inque eo tanquam cuſtodiæ cauſa cubare ſoleant*.

VI. Quippe apud Romanos ea conſuetudo erat, ut quæ uxor primum in manum mariti convenerat; ea ſibi in atrio domus, ante ipſam januam lectum ſterneret, qui idcirco dictus *adverſus*. Laberius *Compitalibus*:

Nunc lentus es, nunc tu ſuſque deque fers,
Materfamilias tua in lecto adverſo ſedet,
Servis ſex tantis, vernulis nefariis.

Propertius:

Si tamen adverſum mutarit janua lectum,
Sederit aut noſtro cauta noverca toro.

Aſconius in *Miloniana*: *Deinde omni vi janua expugnata, & imagines majorum dejecerunt, & lectulum adverſum uxoris ejus Corneliæ, cujus caſtitas pro exemplo habita eſt, fregerunt, itemque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt*. Sed de hoc more nos alibi, ſi Deo ita viſum, pluribus. Vide interea Scaligerum *ad Feſtum*, & *ad Catulli carm.* LXVIII. item Lipſium *Electorum* lib. I. cap. XVII.

CAP. XXI.

DE CANE OSTIARIO, ET FORMULA, CAVE CANEM.

Summarium.

Canes oſtiarii interdum catenati. Copula quid? Canes villatici. Laus Columellæ. Cuſtos pro cane oſtiario. Canes templorum cuſtodes. Canes Capitoli dormiverunt Gallis irrumpentibus, vigilarunt anſeres. Honores propterea Anſeribus tributi. Canibus ſupplicia annua. Servio & Juſto Rycquio abſentitur de argenteo Anſere in Capitolio. De Cerbero quædam: item de Canibus divitis belluonis in Luca. *Formulam* Cave Canem *foribus inſcriptam multi illuſtrarunt*.

I. JAnitori & Janitrici comes plerumque addebatur Canis oſtiarius. Plautus *Moſtellaria*:

——*Tranio age canem iſtam a foribus face abducas*.

Euſtathius *ad Iliad.* X.

Ἔθος ἦν τὰς αὐλείοις θύρας τηρεῖσθαι ὑπὸ κυνῶν.

Hunc canem oſtiarium deſignare puto Virgilium, quando Ecloga VIII. v. 107. canit:

—— *Hylax in limine latrat*.

Eoſdem canes fortaſſis Ariſtoteles deſignat lib. VII. *Ethic.* Nicom. cap. VI. §. 2. Καὶ οἱ κύνες, πρὶν σκέψασθαι εἰ φίλος, ἂν μόνον ψοφήσῃ, ὑλακτοῦσιν. *Et canes, priuſquam attenderint, utrum ſit amicus, ſi quis modo fores pulſaverit, latrant*.

II. Erant hi canes interdiu catenati. Suetonius *de Vitellio* cap. XVI. *Confugit in cellulam Janitoris, religato pro foribus cane, lectoque & culcitra objectis*. Seneca lib. III. *de Ira* cap. XXXVII. *Iraſceris ergo catenario cani? & hic cum multum latravit, objecto cibo manſueſcit*. Antipater Epigramm. ſupra jam laudato:

———— οὔτε θυρωρὸς
Ἐν ποσὶν, οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται.

Hinc Artemidoro lib. III. hi canes δέσμιοι dicuntur. Huc etiam nonnulli referunt *mordacem januam* apud Plautum, *Truculento* Act. II. Sc. IV. ubi Phroneſium Dinarchum ſic alloquitur:

Num tibi nam, amabo, janua eſt mordax mea,
Quo introire metuas?

Imo Perottus catenam dictam cenſet a *canis* & *teneo*, ut proprie ſignet eam, qua canes tenentur liganturque.

III. Catenam iſtam nonnulli vocant Copulam; ſed meo judicio copula proprie is eſt funiculus, quo venatores in ducendis ad venationem canibus utuntur. Ovidius lib. VII. *Metam.*

Copula detrahitur canibus, quos illa frequentes
Effugit.

Idem lib. V. *Triſt.*

Utque canem pavide nactum veſtigia cervæ
Luctantem fruſtra copula dura tenet.

IV. Horum canum magnus uſus erat in villis. Varro *de Re Ruſtica* lib. I. cap. XXI. *Canes potius cum dignitate, & acres paucos habendum, quam multos: quos conſuefacias potius noctu vigilare, & interdiu clauſos dormire, & catena vinctos eſſe, ut ſoluti acriores fiant*. Theophraſtus in *Charact.* περὶ ἀγροικίας. Καὶ τὸν κύνα προσκαλεσάμενος, καὶ ἐπιλαβόμενος τοῦ ῥύγχους, εἰπεῖν. οὗτος φυλάττει τὸ χωρίον, καὶ τὴν οἰκίαν, καὶ τοὺς ἔνδον. *Vocato etiam cane, & ejus roſtro manu prehenſo, Hic*, inquit, *& agrum, & domum, quique in ea ſunt omnes cuſtodit*. De canibus his Villaticis eleganter diſſerit Latiniſſimus Scriptor Columella, quem raro ab adoleſcentibus legi doleo. Juvat ex tam eleganti rei ruſticæ doctore quædam huc tranſcribere. Sic autem lib. VII. cap. XII. *Nunc, ut exordio priore ſum pollicitus, de mutis cuſtodibus loquar, quamquam canis falſo dicitur mutus cuſtos? nam quis hominum clarius, aut tanta vociferatione beſtiam, vel furem prædicat, quam iſte latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes: quis cuſtos incorruptior? quis excubitor inveniri poteſt vigilantior? quis denique ultor, aut vindex conſtantior? quare vel imprimis hoc animal mercari, tuerique debet agricola, quod & villam, & fructus, familiamque & pecora cuſtodit. Ejus autem parandi tuendique triplex ratio eſt: namque unum genus adverſus hominum inſidias eligitur, & villam, quæque juncta ſunt villæ, cuſtodit: at alterum propellendis injuriis hominum, ac ferarum: & id obſervat domi ſtabulum, foris pecora paſcentia. Tertium venandi gratia comparatur, idque non ſolum nihil agricolam juvat, ſed & avocat, deſidemque ab opere ſuo reddit. De villatico igitur, & paſtorali dicendum eſt*. Curioſe poſtea & accurate indolem villatici canis inquirit, quæ longum eſſet huc referre.

V. Vides non ſemel canem a Columella vocari *Cuſtodem*. Id aliis etiam Scriptoribus familiare eſt. Virgilius lib. VIII. *Æneid.*

Nec non & gemini cuſtodes limine ab alto

Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.

Tibullus lib. II. Eleg. IV.

Hæc fecere malas, hinc clavem janua sensit,
Et cœpit custos liminis esse canis.

Horatius lib. III. Od. XVI.

Inclusam Danaen turris ahenea
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis.

Petrus Chrysologus: *Canis dormientibus dominis, nocte & custos & pervigil, prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, ut curam relevet & sollicitudinem servulorum.*

VI. Fecerunt nonnunquam ex canibus templorum custodes: quod ridet Arnobius lib. VI. *Indigna res est*, inquit, *potentiam destruens, auctoritatemque, summorum custodiam Numinum canum sollicitudinibus credere*: ubi tamen potissimum incessit Capitolinos canes.

VII. Nam ad custodiam Capitolii adhibitos fuisse, non potest latere eum, qui paululum versatus est in antiqua Historia. Cicero *pro Sexto Roscio Amer. Anseribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint.* Arnobius: *Ac ne forte fur aliquis aut nocturnus irrepat latro, æditnis mille protegitis, atque excubitoribus mille. Cur Canes in Capitolio pascitis, cur canibus victum alimoniamque præbetis?* Auctor *de Viris Illustribus* in P. Corn. Scipione: *In Capitolium intempesta nocte eunti, nunquam canes allatrarunt.*

VIII. At Gallis in Capitolium irrumpere volentibus, male suas egerunt excubias, ipsis altum dormientibus: ac captum tum fuisset Capitolium, nisi gingritu suo anseres excitassent vigiles. Livius Decad. I. lib. V. *Galli tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem sollicitum animal ad nocturnos strepitus excitarent. Anseres non fefellere.* Auctor *de Viris Illustribus* in Manlio: *Capta urbe auctor in Capitolium fugiendi. Quadam nocte clangore anseris excitatus, Gallos ascendentes dejecit.* Lucretius lib. IV.

—— Humanum longe præsentit odorem,
Romulidarum arcis servator candidus Anser.

Columella lib. VIII. cap. XIII. *Anser solertiorem custodiam præbet, quam canis; nam clangore prodit insidiantem: sicut etiam memoria tradidit in obsidione Capitolii, cum adventu Gallorum vociferatus est, canibus silentibus.* Plinius lib. X. cap. XXII. *Est & anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus: Quamobrem cibaria anserum Censores inprimis locant.* Ambros. l. v. Ep. XXXI. qua Symmachi relationem confutat: *Nam de Senonibus quid loquar? quos Capitolii secreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tulissent, nisi eos pavido anser strepitu prodidisset. En quales templa Romana Præsules habent. Ubi tunc erat Jupiter? An in ansere loquebatur?*

IX. De hoc honore, quo in istarum vigiliarum memoriam mactati sunt anseres, Plutarchus in *Quæst. Roman.* XCVIII. *Cur Censores ubi magistratum occeperunt nihil prius habent locatione alimentorum pro sacris anseribus, & simulacri exornatione? An quia volunt ab iis ordiri, quæ sumtuum, & occupationis minimum desiderant, aut pro veteri beneficio animalibus hæc refertur gratia, quod Gallos Roma capta, jam muros Capitolii superantes, canibus dormientibus senserunt anseres, vigilesque suo clangore excitaverunt?* Et tangit Augustinus lib. II. *de C. D.* cap. XXII. *Sed tamen hæc Numinum turba ubi erat, cum longe antequam mores corrumperentur antiqui, a Gallis Roma capta & incensa est? An præsentes forte dormiebant? Tunc enim tota urbe in hostium potestatem redacta solus collis Capitolinus remanserat: qui etiam ipse caperetur, nisi saltem anseres Diis dormientibus vigilarunt.*

X. At, quod Justus Rycquius *de Capitolio Romano* cap. XXVII. ex Virgilio probare contendit, argentei anseris simulacrum in Templi Capitolini porticu fuisse dedicatum, nisi illustriora accesserint ex Veteribus indicia, nondum inducor ut credam. Equidem enim existimo argenteum ibidem pro *candido* poni, ut sensus sit, candidum anserem in auratis Capitolii porticibus collocatum Gallos prodidisse. Adscribam igitur Virgilii versus:

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat.

Neque tamen Rycquius primum hujus opinionis auctor est, sed Servius diserte scribit: *Satis prudenter argenteum anserem dixit. Nam quasi epitheton est coloris, & significavit rem veram. Nam in Capitolio in honorem illius anseris, qui Gallorum nuntiaverat adventum, positus fuerat anser argenteus.* Servium quidem antiquissimum Grammaticum alicujus falsi insimulare quam grave sit perspicio: attamen ne plane illi fidem habeam, hoc facit potissimum, quod cum certatim decantent Scriptores antiqui honores anserum, & supplicia canum annua, nemo tamen de argenteo Capitolino ansere quicquam enarret.

XI. Sed ut bene cessit pervigilium anseribus, ita miseri canes quotannis in crucem acti, & in exemplum per Urbem circumlati. Plutarchus *de Fortuna Romanor. Etiamnum solenni in pompa gestatur canis in crucem actus, & anser splendide admodum in lectica & veste stragula preciosa sedens.* Plin. lib. XXIX. cap. IV. *Supplicia annua canes pendunt inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi.* Atque ex hoc loco Claudius Puteanus apud Ciceronem *pro Roscio Amer.* legendum putat *cruci suffigerent*, pro *crura suffringerent*. Verum Vulgata exemplaria ita legunt: *Quod si luce quoque canes latrent, cum deos salutatum aliqui venerint; opinor iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit.*

XII. Non mirum est, cur tam late evagatus sim. Exhorrui conspectum tricipitis CERBERI. Quod illum non prætermittere ausim, in causa est, quod Poetæ, & quicumque poeticum in morem scribunt, eum excubitorem, custodem, imo Janitorem Inferorum fecerint. Virgil. lib. VI. *Æn.*

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat adverso recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns jam colla colubris,
Melle soporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit. ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam: atque immania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum custode sepulto.

Horatius lib. III. *Carm.* Od. XI.

Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus.

Silius Italicus lib. II.

——— formaque trifauci
Personat insomnis lacrimosæ janitor aulæ.

Idem lib. III.

Ast Stygiis sævis terrens latratibus umbras
Janitor.

Claudianus lib. I. *de Raptu Proserp.* v. 85.

—— —— latratum triplicem compescuit ingens
Janitor.

Tibullus lib. I. Eleg. III.

Tum niger in turba serpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.

Pro-

Propertius lib. III. Eleg. V.

Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus?

Apulejus lib. IV. *Canis namque prægrandis trijugo, & satis amplo capite prædıtus, immanis, & formidabilis, tonantibus oblatrans faucibus, mortuos, quibus jam nil mali potest facere, frustra territando, ante ipsum limen, & atra atria Proserpinæ semper excubans, servat vacuam Ditis domum*. Paulinus de obitu Celsi:

Non commenta loquor vatum terrentia parvos
Latrantem in foribus per tria rostra canem.

XIII. Libentius aliquid dixerim de Canibus, qui ulcera Eleazari linxerunt, *Luc.* XVI. v. 21. Nam & hos ex Ostiariorum genere fuisse non contemnendi Doctores statuunt. Petrus Chrysologus, Serm. CXXXIII. *Sed dicis dives, ego etsi vinum negavi, aquam peto, quam communem cunctis animantibus auctor ipse omnium præstitit, & natura. puta dives, quod & aquam pauperi tu negasti, cui ne ingrederetur januam tuam, neque ad tuum puteum perveniret, canes quam plurimos objecisti*. Paulinus Epistol. XXXIII. ad Alethium: *Unde credo illum in Evangelio divitem tartari, cum totus (ut clamat) miser cruciaretur in illa ignei gurgitis flamma, solius tamen linguæ refrigerium postulasse, qua sine dubio ideo vehementius cremabatur, quia in Eleazarum ante januam suam stratum, & canibus relictum, sæpe superbo avarus ore peccaverat.*

XIV. Ceterum Romani non tantum catenatos in limine habebant canes, sed & interdum januæ, vel janitoris cellæ inscriptum erat, CAVE CANEM: quod deinde proverbii more usurpatum, cum quendam terrere, vel arcere volebant. Varro in *Eumenid.* apud Nonium in Præbitio: *Quod ea die mea erat præbitio, in januam, CAVE CANEM, inscribi jubeo*. Cum, inquit, eo die convivium præbere deberem, ut ab aditu mearum ædium deterrerem, qui ad condictum venturi erant: inscribi jussi januæ, CAVE CANEM, ne quis ingrederetur. Petronius: *Cæterum ego dum omnia stupeo, pœne resupinatus crura mea fregi. Ad sinistram enim intrantibus non longe ab ostiarii cella, canis ingens catena vinctus, in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum, CAVE, CAVE, CANEM.*

XV. Dici vix potest, quanta doctiorum manus hanc de cavendo cane formulam observarint, & in sua scripta retulerint. Nam præter illos, qui *in Petronium* Commentaria scripserunt, de ea egerunt Barnabas Brissonius lib. VIII. *de Formulis Rom.* Christophorus Colerus *Perergῳ Juris* cap. XVI. Janus Gruterus & Justus Lipsius *ad Senecæ lib.* III. *de Ira*, Petrus Faber lib. II. *Semestrium*, cap. II. Titus Popma *de Operis Servorum*, Erycius Puteanus *principio Genialium Sermonum*, Matthæus Raderus *ad Martial. lib.* XI. *Ep.* XVII. Henricus Salmuth *ad Pancirollum de antiquis deperditis titulo* XXIII. Taubmannus *ad Plauti Truculentum*, Hadrianus Turnebus *Adversar.* lib. XV. cap. IV. Nos canes missos faciemus, sed vivos canes cavebimus.

CAP. XXII.

DE MODO APERIENDI JANUAS APUD GRÆCOS ET ROMANOS

Summarium.

Græcorum Veterum fores cum aperirentur in publicum projectas fuisse ex Helladio, Plutarcho, & Scholiaste Aristophanis probatur. Differentia inter κόπτειν *&* ψοφεῖν *non semper a Scriptoribus observatur. Exituri, ne januis quemquam propellerent, crepitum intus excitabant. Plauti & Terentii loca pluscula de Crepitu forium afferuntur. An malleis, an tintinnabulis, an digitis hic factus crepitus quæritur? Male Talentonius hunc crepitum refert ad cardines: contra quem, ut & Lindenbrogium disputatur. Locus Aristotelis, cui innititur Talentonius, explicatur. Apud Romanos introrsum flectebantur fores: nisi quibus peculiari privilegio liceret januas habere Græcorum more formatas; quod de Publicolis constat. Veterum januis appensa tintinnabula. De Hieronymi Magii fato, ejusdemque libello* de Tintinnabulis *in servitute Turcica scripto singularia.*

I. JAMDIU est, quod disputarint Eruditi, quænam ratio fuerit aperiendarum forium apud Veteres: nimirum, an in publicum projectæ, an introrsum, ceu hodie plerumque moris est, versæ fuerint: quam controversiam hoc capite nos expediemus.

II. Apud veteres Græcos in publicam viam projectas fuisse, cum recluderentur, januas, dubitare nos non sinunt antiqua monumenta. Διαρρήδην id ostendit Helladius Bisantinus πραγματείᾳ χρηστομαθειῶν, ex quo hæc refert Photius Patriarcha in *Bibliotheca*, Τούτου χάριν κόπτουσι παρὰ τοῖς κωμικοῖς οἱ ἐξιόντες τὰς θύρας, διότι οὐχ ὡς παρ' ἡμῖν νυνὶ, τὸ παλαιὸν ἀνεῴγνυντο αἱ θύραι, ἀλλ' ἐναντίῳ τρόπῳ. Ἔξωθεν γὰρ αὗται ἀνατρέποντες, ἔνδοθεν ἐξήεσαν. πρότερον δὲ τῇ χειρὶ ψόφον ἐποίουν κρούοντες, ἐπὶ τῷ γνῶναι τοὺς ἐπὶ τῶν θυρῶν, καὶ φυλάξασθαι, μὴ πληγεὶς ἐστὼς λάθῃ, τῶν θυρῶν ὠθουμένων ἄφνω. Quæ sic Latine redduntur. *Ideo apud Comicos pulsant fores exeuntes, quia non, ut apud nos nunc, ostia olim aperiebantur interius, sed adverso modo. Foras enim trudentes exibant, manu pulsantes prius, ut audirent, si qui ad fores essent, & caverent, ne inscii læderentur, foribus repente in viam protrusis.*

III. Idem a Plutarcho proditum est in *Publicola*: Τὰς δὲ ἑλληνικὰς, de januis loquitur, πρότερον οὕτως ἔχειν ἁπάσας λέγουσιν, ἀπὸ τῶν κωμῳδιῶν λαμβάνοντες. ὅτι κόπτουσι καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἔσωθεν προϊέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γένοιτο τοῖς παρερχομένοις, ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλεισιάσιν εἰς τὸ στενωπόν. *Græcas autem januas omnes prius tales fuisse, ajunt, a Comœdiis accipentes: quod pulsant, & percutiunt fores suas, & strepitus interius excitant ii, qui exire volunt, ut sentiant, qui foris sunt, & aut prætereant, aut consistant, ne comprehendantur valvis in angiportum propulsis.*

VI. Tangit etiam hunc morem Scholiastes Aristophanis in *Nubibus*, quando discrimen facit inter κόπτειν & ψοφεῖν. παρατηρετέον δὲ ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν ἔξωθεν κρουόντων: κόπτειν λέγουσιν, ἐπὶ τῶν ἔσωθεν ψοφεῖν. ἱκανῶς δὲ διέστειλε Μένανδρος. ἐπὶ μὲν τῶν ἔξω, κόψω τὴν θύραν, εἰπών· ἐπὶ δὲ τοῦ ἔσω, ἐψόφηκε τὴν θύραν ἐξιών. Observandam dicit differentiam inter κόπτειν, & ψοφεῖν: quod illud dicatur de introeuntibus, hoc de exeuntibus, & Menandrum hanc distinctionem probe observasse ait. Attamen non semper hanc differentiam observari, vel iste Plutarchi, quem jam citavimus, locus demonstrat, in quo & κόπτειν & ψοφεῖν dicitur de illis, qui id facerent intus.

V. Verum, quoniam uterque, Helladius, inquam, & Plutarchus ad Comœdias provocant, nos ex tanta nube testimoniorum ex Plauto & Terentio, qui e Græcia hauserunt fabulas, quædam seligemus. *Amphitr.* Act. I. Scen. II. v. 34.

VIII *Orationem comprimam! crepuit foris.*
Amphitruo subditivus, eccum, exit foras,

Aulularia IV. V. V. 5.
At at! foris crepuit. Senex eccum aurum effert foras.
Tantisper hic ego ad januam concessero.

Casina II. I. V. 15.
Sed foris concrepuit. atque ea ipsa eccum egreditur
Foras.

Et IV. III. V. 15.
Sed crepuit ostium. exitur foras.

Bacchid. II. II. V. 56.
Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?

Menæchm. II. II. V. 73.
Tace dum parumper: nam concrepuit ostium:
Videamus qui hinc egreditur.

Mil. Glor. II. I. V. 76.
Sed foris concrepuit hinc a vicino sene.
ipse exit.

Et II. II. V. 115.
Sed fores concrepuerunt nostræ, ego voci moderabo me,
Nam illic est Philocomasio custos meus conservus, atque it foras.

Pseudol. I. I. V. 128.
CAL. *St. tace obsecro hercle.* PS. *quid negotii est?* CA. *ostium*
Lenonis crepuit. PS. *crura mavellem modo.*
CAL. *Atque ipse egreditur penitus perjurum caput.*

Item III. II. V. 32.
—— COL. *Fores hæ fecerunt magnum flagitium modo.*
Ad *Quid id est flagitii?* COL. *crepuerunt clare.*

VI. Vidimus Plautinos crepitus, nisi grave est, Lector, audiemus etiam Terentianos. *Heautontim.* III. III. V. 52.

Mane, mane, quid est quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

Adelph. II. III. V. II.
—— *Sed quidnam foris crepuit?* SYR. *mane, mane, ipsus exit foras.*

Hecyra IV. I. V. 6.
Sed ostium concrepuit; credo ipsum ad me exire.

VII. An vero circulis quibusdam aut malleis pensilibus, aut etiam tintinnabulis, quæ Hieronymi Magii est sententia, hunc crepitum fecerint exituri, certo definire nequeo.

VII. Sunt qui hunc crepitum digitis factum autumant. Et sane Veteres sonoros crepitus digitis potuisse facere, ut etiam hoc signo servos plerumque advocaverint facile probari potest. Petronius: *Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.* Martialis lib. III.

Digiti crepantis signa novit eunuchus.

Idem lib. XIV. Epig. CXIX.
Dum poscor crepitu digitorum, & verna moratur.

Verum quoniam in Comœdiis nunquam digiti, semper autem dicuntur crepuisse fores, nondum mihi se probat hæc sententia.

IX. Demum aliquos reperias, qui hunc crepitum cardinibus adscribant, in quo multum elaborat Johannes Talentonius *Reconditarum Rerum* II. cap. XX. eoque simul omnem hanc de interiori forium pulsatione evertere conatur. Neque in eo consistunt Viri conatus, sed & Veteres & Recentiores impugnat, qui omnes omnino Græco-

A rum fores in publicam viam projectas esse censuerunt, nec Mureto, nec Plutarcho ipsi parcens. Suæ autem contradictionis fundamentum ponit in loco Aristotelis, qui habetur lib. II. *Oeconomicorum.* Adscribemus ipsa verba: *ἱππίας ὁ Ἀθηναῖος τὰ ὑπερέχοντα τῶν ὑπερῴων εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς, καὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς, καὶ τὰ προφράγματα, καὶ τὰς θύρας τὰς ἀνοιγομένας ἔξω ἐπώλασεν. Hippias Atheniensis cœnaculorum eas partes, quæ in publicas vias eminebant, & ascensus, sepimentaque ante domos vestibulis similia, ac januas, quæ foras aperiebantur, vendidit.* Putat ergo Talentonium Hippiam non vendidisse, quæ foras non aperirentur, eaque ratione

B non omnes sic aperire consuevisse. In eadem etiam est opinione Fridericus Lindenbrogius, censerque publicas tantum ædes vel Nobilium ita ædificatas fuisse, ut in publicum aperirentur: & quoniam Comici non nisi de lenonum domibus loquantur, has & ipsas quasi publicas fuisse habitas, credit.

X. Argute sane hæc dicuntur, facileque aliquem in suam sententiam ire facerent. At enim quoniam omnis illorum ratio in unico Aristotelis loco versatur, nos autem præter Plutarchum etiam Helladium diversum sentientem habemus; equidem sic existimo, Aristotelis quoque mentem ad eandem opinionem conformari posse: si dica-

C mus, ab Hippia venditas omnes januas foras aperiri solitas, non vero interiora domus ostia, quæ forsan introrsum flecti ex more potuerunt. Nam si recte capimus Aristotelica, ea saltim vendidit Hippias, quæ in publicum prominebant, servatis procul dubio iis, quæ internam domus faciem absolverent.

XI. Cardinum strepitum non ignoro: & nos quoque supra longis logis de eo disseruimus; an vero hi, quos hoc capite ex Plauto & Terentio laudavi, eo referendi sint, tantum abest, ut concedam, ut contrarium me sentire aperte profitear.

D Hactenus ergo, quantum puto, satis luculenter est ostensum, quinam apud Græcos aperiendarum ædium modus fuerit.

XII. Apud Romanos tamen res erat comparata aliter. Nam apud hos, cum aperirentur, introrsum flectebantur fores: nisi quod singulari lege quibusdam concederetur, Græcorum more in viam explicare januas. Id quod de Publicola Plutarchus testatur: *Cum eo tempore ædium fores omnes introrsum ductæ aperirentur, fecerunt, ut hujus solius foras janua propelleretur, nimirum quod is (ut erat ejus honoris dono indicatum) semper Reipublicæ curam gereret.* Plinius lib. XXXVI. cap.

E XV. *Subit vero cogitatio*, inquit, *quota portio harum fuerint areæ illæ, quas invictis Imperatoribus decernebant publice ad exædificandas domos, summusque illarum honos erat. Sicut in L. Valerio Publicola, qui primus Consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, & fratre ejus, qui bis in eodem magistratu Sabinos devicerat, adjici decreto, & domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur. Hoc erat clarissimum insigne inter triumphales quoque domos.*

XIII. Quod vero etiam exterius pulsarint illas fores, quibus non appositus erat janitor, tam clarum est, ut nulla luce indigeat, & nos quoque

F cum de Janitoribus verba faceremus, de eo quædam diximus.

XIV. Illa tamen observatio non tam in vulgus nota est, quod Veterum etiam januis, saltim aliquibus, appensa fuerint tintinnabula, ceu hodie vulgo consuevit fieri. Suetonius *Augusto* cap. XCI. *Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem, cultores sibi abduci: seque respondisse, Tonantem pro Janitore ei appositum: ideoque mox tintinnabulis fa-*

stigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant: quem locum Justus Rycquius de Capitolio Romano cap. XXXIX. & Franciscus Sweertius Notis ad Hieronymi Magii libellum *de Tintinnabulis* explicant uberius. Ipse Magius de hoc usu Tintinnabulorum apud Veteres, cap. XIX. quod tamen agere debebat, ut habet inscriptio, *de Tintinnabulis, quæ ædium foribus alligantur*, nihil affert; sed sui temporis morem tantum discutit. Neque id mirum alicui videri debet. Scripsit enim hunc libellum in asperrima durissimaque servitute Turcica, *in ergastulo*, ut ipse in calce libelli perorat, *inter domini semper minitantia verba, inter multiplices ac libero homine, aliquando & bajulo indignos labores, inter conservorum strepitus*, destitutus, ab omni supellectile libraria, solius memoriæ beneficio. Neque impetravit Vir Optimus, quam speraverat, libertatem, sed a Barbaro Mahomete Bassa crudeliter strangulatus est. Nos igitur, quæ tum ab ipso, tum a Sweertio etiam in hac tractatione prætermissa sunt, peculiari aliquando, si vixerimus, & meliori, quam hactenus, fortuna usi fuerimus, supplere conabimur opera: nunc tantum unicum Senecæ de Januarum tintinnabulis locum (de his enim accipio) ex lib. III. *de Ira* cap. XXXIV. additur, eoque hoc caput obsignaturi. *Quid miser expavescis ad clamorem servi, ad tinnitum æris, ad januæ impulsum?*

CAP. XXIII.

DE MATERIA JANUARUM

Summarium.

Januæ Veterum potissimum ligneæ. Reperio autem Januas factas ex cedro, cupresso, ulmo, citro, acere, quercu. De Januis ferreis & ferratis. Valvæ templorum æneæ, nec non privatorum nonnullorum. Luxus in januis eburneis, argenteis, aureis. Templa Gentilium aurea cur dicantur? Prisci Christiani usum & nomen templorum fugiebant.

I. HACTENUS de iis disseruimus, quæ circa Januas Veterum considerationem quandam merebantur, ipsarum autem forium habitum & naturam, ut ita loquar, non ingrediuntur. Nunc igitur intrinsecam illarum faciem, materiam scilicet spectabimus,

II. Januæ plerumque erant ligneæ, interdum tamen etiam ferreæ, æreæ, eburneæ, argenteæ, aureæ.

III. De singulis nunc quædam afferemus.

IV. Pauperes & mediocris fortunæ homines ea ligna comparabant, quæ per fortunas suas comparare poterant. Divites ligna conquirebant preciosissima.

V. Ex hoc genere erat CEDRUS: quæ *quia cariem non sentit, nec rimam fissuramque capit sponte*, quod testatur Plinus libr. XVI. cap. XL. non raro ad januas apud Romanos adhibitam fuisse reor. In Sacra Historia nihil notius est *cedrinis trabibus, parietibus, januis, domibus*. Imo ipsa sancta fœderis arca ex *cedrinis lignis* fabrefacta fuit. Plerique enim interpretes *ligna* שטים *Sittim* selectissima quæque ligna cedrina fuisse volunt.

VI. De CUPRESSO Plinius lib. XVI. cap. XL. *Valvas* (de templo Dianæ Ephesinæ ex Mutiano scribit) *esse e cupresso, & jam quadringentis prope annis durare materiam omnem novæ similem. Id quoque notandum, valvas in glutinis compage quadriennio fuisse. Cupressus in eas electa, quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitor maxime valeat æternus. Nonne simulacrum Vejovis in arce e cupresso durat*, a condita Urbe quingentesimo quinquagesimo primo anno dicatum? Conjungit cedrum & cupressum Virgilius, & utile domibus lignum canit, lib. II. *Georg.*

A

Dant alios aliæ fœtus, dant utile lignum,
Navigiis pinos, domibus cedrum atque cupressum.

Non omittendus Theophrasti locus insignis *Histor. Plantar.* lib. V. cap. V. quo post earum arborum seriem, quæ vetustatem minime sentiunt, hæc addit: Τούτων δὲ χρονιώτατα δοκῶ τὰ κυπαρίττινα εἶναι· τὰ γοῦν ἐν Ἐφέσῳ ἐξ ὧν αἱ θύραι τοῦ νεὼ τεθησαυρισμένη, τέτταρας ἔκειντο γενεάς. *Harum autem maxime diuturna videtur esse cupressina materies, ex qua fabricatæ templi Ephesini valvæ per quatuor generationes incorruptæ durarunt.*

B

VII. Ex ULMO quoque fabricatæ sunt januæ. Plinius l. laudato: *Rigorem fortissime servat ulmus, ob id cardinibus assamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur.* Theophrastus lib. V. *Histor. Plantar.* cap. IV. *Valvas ulmeas non statim perficiunt, sed compactas relinquunt. Nonnulli, ut lautius opus sit, anno post tertio statuunt. Nam æstatis fervore siccatæ dehiscunt, hyeme vero coeunt, quia rara carnosaque materia aere in humidum trahit.*

C

VIII. CITRUS olim in summo precio erat apud Romanos. Lautiorum ergo fores interdum citreæ. Varro *Geronto-didascalo* apud Nonium in *Citrus:*

In quibus Libyssa citrus fasciis cingit fores.

Inprimis autem in mensis citreis luxuriabantur. Plinius lib. XIII. cap. XV. Nam ibi pro *cedro* reponendum esse *citrum*, luce meridiana clarius est. Martialis lib. XIV. Epig. LXXXIX. lib. II. Epig. XLIII. Petronius, Lucanus lib. IX. Tertullianus *de Pallio*, cap. V. alii. Loca ipsa, ne quis nos a januis ad mensas aberrasse putet, non adscribemus.

D

IX. ACER *operum elegantia ac subtilitate citro* (sic enim legendum, non, ut vulgo habetur, *cedro*) *secundum*, prodit Plinius lib. XVI. cap. XV. Invenio igitur *acernas fores* apud Ovidium lib. IV. *Metam.* v. 487.

— postes tremuisse feruntur
Æolii, pallorque fores infecit acernas.

X. Quia QUERCUS lignum validissimum, etiam illud ostiis adhibitum. Ovidius libr. II. *Amor. Eleg.* I.

Carminibus cessere fores, injunctaque posti,
Quamvis robur erat, carmine victa sera est.

E

XI. Si qui alii plures lignorum species observaverint, hisce si res est tanti, facile possunt addere. Ego ad ferreas & ferratas fores pergo. De his eleganter Plautus *Persa* IV. IV. V. 21.

Ac enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores:
Proinde tu tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis:
Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea:
Ferream seram atque annulum; ne si ferro parceris,
Ferreas tute tibi impingi jubeas crassas compedes.

F

Juvenalis Sat. VI.

Et longe ferrata domus servire jubetur,
In qua sollicitas imitatur janua portas;

quos versus Lubinus de Januis amplis Portarum æmulis accipit: mallem ego de munitis multo ferro ostiis; quæ non tam amplitudine imitarentur portas, quam quod tam sollicite, ac Urbis portæ, adversus vim munitæ fuerint feris, obicibus, vectibus, claustris. Danaes ferrea turris,

ferreæque ejusdem fores ex Poetis notæ sunt. Ovidius lib. III. *Amor.* El. VII.

Ferrati postes, ferrea turris erat.

Propertius lib. II. Eleg. X.

Ferratam Danaes transiliamque domum.

De Cereris Palatio poetico more Claudianus lib. I. *de Raptu Proserp.* v. 238.

—— Cereris quæ tecta nitebant,
Cyclopum firmata manu stant ardua ferro
Mœnia, ferrati postes, immensaque nectit
Claustra chalybs.

Etiam in Paulino notavi *Ferratas Valvas*, Natali v. Felicis:

Non strue saxorum, neque ferratis data valvis
Claustra per humanas quibus atria claudimus artes.

XII. Ferreas januas excipiant ÆREÆ. His inprimis superbiebant templa Veterum. Plinius lib. XXXVI. cap. III. *Prisci limina etiam ac valvas ex ære in templis factitavere.* Romæ antiquæ templorum valvæ æneæ hodie visuntur plures, Panthei ad limina, id est, in pronao Basilicæ D. Petri; in æde S. Hadriani, atque Cosmæ & Damiani, quarum illa olim Saturni, hæc Romuli & Remi fuisse creditur. Conferri hic possunt ea, quæ de *Liminibus æreis* cap. VIII. disserui. Imitatus Priscos Carolus M. de quo Eginhardus, in *ejus vita* cap. XXVI. *Miræ pulchritudinis basilicam Aquisgrani exstruxit, auroque, argento, & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & januis ornavit.* Priami regiæ æratos postes tribuit Virgilius lib. II. *Æn.* v. 480.

Ipse inter primos, correpta dura bipenni.
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Æratos.

Eorundem tanquam rei notissimæ meminit Claudianus lib. I. *de Raptu Proserp.* v. 73.

—— —— si forte adversus abenos
Æolus objecit postes; vanescit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in claustra procellæ.

Eo autem olim processit Romanorum luxuries, ut privatorum nonnullorum ædes ærata haberent ostia. Plinius lib. XXXIV. cap. III. *Quin etiam privata opulentia eo modo usurpata est. Camillo inter crimina objecit Sp. Carvilius Quæstor, quod ærata ostia haberet in domo.* Inscriptio Romæ reperta, & a Joh. Jacobo Chifletio in Geminiæ Titulo Sepulcrali allata:

DIS. MANIBVS
PIERI. AVG. L. PRAEC
PVERR. CAESARIS. N̄
B. M. TITVLVD. CVM. EALVIS
AENEIS. D. S. P. PERMISSV. HERMAE
AVG. L. CVB. DOMITIÆ. AVG.

Plutarchus in *Camillo*: *Feruntur apud eum visæ januæ æneæ, quæ bello captæ fuerint.*

XIII. Lectum quoque EBUR fuit ad templorum valvas. Cicero lib. IV. *in Verrem*, de Templo Minervæ Syracusanæ: *Confirmare hoc liquido, Judices, possum, valvas magnificentius ex auro atque ebore nullas unquam ullo tempore fuisse.* Et mox: *Ex ebore diligentissime perfecta argumenta* (rectius *antepagmenta*) *erant in valvis.* Propertius de Templo Apollinis Palatini, lib. II. El. XXXI.

Et valvæ Lybici nobile dentis opus.

Neque dubito quin lautiorum hominum ædes interdum eburneis resplenduerint januis, cum etiam ad viliora damnatum fuerit ebur. Plinius: *A Diis nato velut jure luxuriæ eodem ebore Numinum ora spectata, & mensarum pedes.* Certe in extremis Africæ dentes elephantorum postium vicem præbuisse idem Plinius docet lib. VIII. cap. X. *Magnitudo dentium videtur quidem in templis præcipua. Sed tamen in extremis Africæ, quæ confinis Æthiopiæ est, postium vicem in domiciliis præbere: Sepesque in iis & pecorum stabulis pro palis elephantorum dentibus fieri, Polybius tradit, auctore Gulussa regulo.* De luxuria, quam Romani cum ebore luxuriati sunt, eleganter Petronius:

Quæritur in sylvis Mauri fera, & ultimus Hammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua dente
In mortes pretiosa suas.

XIV. De Januis argenteis nondum quædam observavi: attamen non defuisse tam certus sum, ut pro comperto affirmare ausim. Arnoldus Abbas Lubecensis, *Chronici Slavorum* lib. III. cap. VII. de Henrico Leone: *Obtulit Dux ad sanctum sepulchrum pecuniam multam, & Basilicam, in qua lignum Domini repositum est, ornavit musivo opere, & ostia ejusdem Basilicæ vestivit* argento purissimo.

XV. De eo autem quis dubitare possit, num ex puro auro unquam fuerint januæ. Laminis tamen aureis obductas fuisse novimus, ut proinde merito vocari possint aureæ. De Januis templi Hierosolymitani id ex Sacris literis notum est: cum quibus conferri potest Josephus *Antiquitat. Judaic.* lib. VIII. cap. II. De Capitolini Jovis foribus itidem res nota est ex antiquis monimentis. Stilico has laminas in summa pecuniæ inopia detraxit. Zosimus lib. V. *In magna pecuniæ inopia mandavit Stilico, ut fores in Capitolio Romano, quæ auro magni ponderis obductæ, laminis iis spoliarentur.* Nec januæ tantum Capitolinæ, sed & ipsum tectum multo auro fulsit. Seneca lib. I. Controv. VI. *Inter hæc tam effusa mœnia, nihil est humili casa nobilius: fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium.* Auratarum forium meminit Aristophanes in *Avibus*:

Οὐ γὰρ πολλῶ. πρῶτον μὲν οὐ
χὶ νεὼς ἡμᾶς οἰκοδομεῖν δεῖ
Λιθίνους αὐτοῖς. οὐδὲ θυρῶσαι
Χρυσαῖσι θύραις.

Et quia templa gentilium auro undique ornata essent, hinc Poetæ quandoque vocant *aurea*. Ovidius in *Amoribus*:

Aurea sanctorum potuissent templa deorum
Urere, quæ tantum sustinuere nefas.

Et alibi:

Nos quoque templa juvant quamvis antiqua probemus,
Aurea: majestas convenit ipsa Deo.

Auratos postes memorat Hieronymus lib. V. *Commentar. in Esaiam* cap. XXII. Sic Epist. *ad Marcellam*: ut commigret Bethlehem: *Ad superbas fores pergimus, & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredimur* auratos. Januas Indorum ex ossibus balænarum nobis sistit Arrianus in *libro Rerum Indicarum*.

XVI. Christiani tamen primis seculis hunc incessebant luxum. Lactant. libr. V. cap. VIII. *Cujus templum est, non lapides, aut lutum: ipse, homo ipse, qui figuram Dei gestat. Quod templum non auro, & gemmarum donis; sed æternis virtutum muneribus ornatur.* Atque his etiam donariis meum, quid dico? tuum exorna templum, Optime JESU, & mihi bene erit in æternum.

CAP. XXIV.

DE VELIS JANUARUM.

Summarium.

Vela interius protensa foribus lautiorum. Hæc interdum fuere quorumdam latibula. Adami Olearii laus. Pollucis & Paulini loca de his Velis collata. Vela levabantur in admissionibus. De levatione Velorum in dicasteriis singularia. Levato velo causam cognoscere quid? Idem de Levatione Veli ritus adhuc observatur in Ampliss. Rep. Norimbergensi. Gabrielis Oelhafii, Patricii Norimb. grata memoria. Vela idcirco præ foribus suspensa, ne quis per rimam forium introspiceret. Hinc eorum usus præ foribus thalami, & lupanarium. Cento Rimas forium sollicite nonnulli oblinebant. Curiosorum erat per rimas ostii introspicere. Rariora quædam de Velis in Templis veterum Christianorum. Nondum plane iste mos desiit, quemadmodum de Epstorffiensi cœnobio probatur. Laus Antistitis Epstorff. Joh. Justi Oldecopii. Aulæa in publica lætitia præ foribus suspensa,

ANTE omnia hic notandum, quod suspicatur Nobilissimus Almelovius, ac si auctorum *de velis & centonibus* loca, ex Ramiresio ad Martialem desumpserim, adeoque egerim Plagiarium: quorum syllabum post Cl. Thopmasium in calce *Conjectaneorum* contexuit. At vero mihi credat, velim, Vir celeberrimus, nondum visa, nedum lecta mihi esse Ramiresii ad Martialem Commentaria contra *Pentecontarchum* ejus dudum mihi innotuisse, ac cum cura me pervestigasse. Cogitet, quæso, annon ab anno ætatis quintodecimo, quo primum cœpi in Excerptis Philologico-Criticis desudare, ad illud, quo hunc de Januis libellum scripsi, temporis, (intra quod multi defluxerunt anni) ea quoque, quæ Ramiresius, præsertim in argumento a me singulariter delecto, observare potuerim? Nec semel factum memini, ut eadem apud alios repererim, quæ in Adversariis annotavi: ac ea cur non meis usurpare habuerim, causæ nihil video.

I. Interdum januis prætensa erant VELA, quæ hoc capite levabimus.

II. Erant autem ista vel necessitatis vel pompæ.

III. In Pompam potissimum suspendebantur præ foribus cubiculorum tum Imperatorum, tum aliorum lautiorum hominum. Heliogabalus apud Lampridium. *Subito militum strepitu exterritus, in angulum se condidit, objectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, se texit.* Iisdem se præ metu mortis texit Claudius, ex quibus tamen evolutus Imperator salutatus est. Suetonius cap. IX. *Neque multo post rumore cædis* (Caligulæ) *exterritus, prorepsit ad solarium proximum: interque prætenta foribus vela se abdidit: latentem discurrens forte gregarius miles animadversis pedibus e studio sciscitandi quisnam esset, agnovit: extractumque, & præ metu ad genua sibi accidentem Imperatorem salutavit.* Tacitus *Annal.* lib. XIII. de Nerone: *Constitutum, ne designatis quidem Quæstoribus edendis gladiatoribus necessitas esset. Quod quidem adversante Agrippina, tamquam acta Claudii subverterentur, obtinuere Patres: qui in Palatium ob id vocabantur, ut adstaret abditis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditum non adimeret.* Plutarchus in *Alexandro*: *Ibi demum Alexander stipatorum cuidam erepta lancea, Clitum sibi occurrentem, abducentemque jam ostio velum ea trajecit.* Eodem strategemate Holsatorum legatorum

A torum Sermones sciscitatum Barbarum Persarum Regem, minime in hoc barbarum, ex Summi Viri, meique amantissimi, Adami Olearii *Itinerario Persico* me observasse memini. Sed jam olim Plutarchus in *Alexandro M. Captus est Philotas, & in quæstionem datus, amicis Regis tormentis adstantibus, Alexandro autem post aulæum extentum auscultante.* De iisdem Velis Sidonius lib. I. Ep. II. Theodorici Gothorum Regis apparatum aulicum describens: *Circumsistit sellam comes armiger, pellitorum turba satellitum, ne absit, admit-*

B *titur: ne obstrepat, eliminatur, sicque pro foribus immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis. Inter hæc intromissis gentium legationibus, audit plurima, pauca respondet.* Describit nobis hæc Cubicularia vela Julius Pollux lib. X. *περὶ μὲν τοῦ κοιτῶνος, ἐπὶ ταῖς θύραις, παραπετασμάτων σοι δεῖ, εἴτε ἁπλοῦν ἐὰν τὸ παραπέτασμα λευκὸν ἐξ ὀθόνης, εἴτε καὶ πολύχρουν. Præ foribus cubiculi tibi sint vela, sive velum simplex fuerit album ex linteo, sive etiam versicolor.* Utriusque generis vela conjungit Paulinus Natali VI. Felicis, v. 562.

Cedo, alii preciosa ferant donaria, meque
C *Officii sumtu superent, qui pulcra legendis*
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.
Hi leves titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

Posteriores versus vel eum in finem adscribo, ut ostendant, quantum jam illius temporis mores a prima simplicitate recesserint veterum Christianorum, qui nulla templa habebant: ut etiam limina, hoc est, fores, preciosis laminis induxerint. Porro de his Velis Corippus *de laudibus Justini Min.* lib. III.

Verum ut contracto patuerunt intima velo
D *Ostia, & aurati micuerunt atria tecti.*

Idem Corippus lib. III. v. 206.

Claraque suppositis ornabant atria velis.
Vela tegunt postes.

IV. Hæc autem Vela cubicularia levabantur in admissionibus. Seneca Epist. LXXXI. *Non crepuit subinde ostium, non allevabatur velum.* Lampridius in *Alexandro*: *Salutabatur quasi unus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis: aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant.*

V. Hoc solenne erat in Dicasteriis, ut cum res gravior deliberanda veniret, vela prætenderent loco consilii: cum levior esset causa, & quæ in-
E dagine & cognitione magna opus non haberet, amoto velo cognosceretur. Clemens Romanus lib. II. *Apostolicarum Constitutioum* cap. LVI. *θεάσασθε δὲ τὰ κοσμικὰ δικαστήρια, ὧν τῇ ἐξουσίᾳ ὁρῶμεν ἀγομένους, φονεῖς, μάγους, φαρμακοὺς, τυμβωρύχους, λῃστὰς, καὶ τὰς ἀνακρίσεις αὐτῶν λαβόντες οἱ ἡγούμενοι ὑπὸ τῶν προσαγόντων, λέγουσι τῷ κακούργῳ, εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει· κἀκείνου συγκαταθεμένου, οὐκ εὐθέως ἐπὶ τὴν κόλασιν αὐτὸν ἐκπέμπουσιν, ἀλλὰ πλείοσιν ἡμέραις ποιοῦνται αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν μετὰ συμβουλίου πολλοῦ καὶ παραπετάσματος μέσου.* Quæ Bovius sic interpretatus est. *Aspicite mundana judicia, quorum potestati videmus tradi homicidas,*
F *adulteros, veneficos, sepulcrorum perfossores, latrones. De quibus cum quæsiverunt præfecti judicii ab iis, qui illos in judicium adduxerunt, demum interrogant reos: An illa ita se habeant? Quibus affirmantibus non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent cum multo consilio, & velo interjecto.* Quem Clementis locum, ne quid celem, Hieronymi Magii diligentiæ debeo, *Miscellaneor.* lib. II. cap. XIII. consignatum.

VI. Atque hinc est, quod Honorius & Theodosius Imperatores C. lib. XI. titul. *de Naufragiis*, sic loquuntur: *De submersis navibus decernimus*,

ut levato velo istæ causæ cognoscantur : quem locum in proverbium nonnulli trahere voluerunt, ut *levato velo cognoscere*, sit summatim causam inquirere & judicare. Quod etsi improbat Magius, nixus auctoritate Alciati, non video tamen, cur non id excusari possit.

VII. Hunc de Allevatione Veli ritum hodie adhuc in judiciis suis servat Inclytus & vere illustris Senatus REIP. NORIMBERGENSIS : quemadmodum ante ipsos hos quatuor annos meis vidi oculis, cum a Nobilissimo Domino Gabriele Oelhafio, Prætore Suburbii Werthensis, quem honoris causa nomino, in curiam laudatæ Reip. deducerer, atque is magnifici hujus palatii conclavia tantis PATRIBUS PATRIÆ digna mihi ostenderet.

VIII. Necessitatis horum velorum hæc erat ratio, ne quis facile per rimam foriunı introspiceret, ac arbiter esset eorum, quæ intus agerentur. Juvenalis Sat. IX. v. 105.

O Corydon, Corydon : secretum divitis ullum
Esse putas? Servi ut taceant : jumenta loquentur,
Et canis, & postes & marmora : claude fenestras,
Vela tegant rimas.

IX. Atque hæc etiam causa erat, cur foribus thalami vela hujusmodi prætenderent : quod a Laurentio Pignorio in *de Servis veterum* eleganti Commentario observatum memini.

X. Eadem de causa id factum in lupanaribus. Martialis lib. I. Epigr. XXXV.

At meretrix abigit testem veloque seraque?
Raraque, si memini, fornice rima patet.

Idem lib. XI. ep. XLVI.

Intrasti quoties inscriptæ nomina cellæ,
Seu puer arrisit, sive puella tibi;
Contentus non es foribus, veloque seraque.

XI. Id velum in fornicibus speciali nomine *Cento* vocabatur, quoniam ex centonibus, id est, fasciculis ex variis pannis aut linteis compactis conficiebatur. Juvenalis Sat. VI. v. 121.

Intravit calidum veteri centone lupanar.

Ubi Vetus Scholiastes : *Veteri velo ex pannis facto*. Non male etiam huc referunt nonnulli hunc Petronii locum : *Ut in locum secretiorem venimus centonem anus urbana rejecit*. Quamquam non sum nescius, quid alii, & inter hos Johannes Wouwerius & Octavius Ferrarius *de re vestiaria*, de hoc loco statuant.

XII. Nonnulli, ut eo magis sibi caverent de curiosis oculis, solebant rimas omnes sollicitius oblinere. Martialis lib. XI. ep. XLV.

Oblinitur minimæ, si qua est suspicio rimæ,
Punctaque lasciva quæ terebrantur acu.

XIII. Solitos autem curiosos per rimas ostiorum scrutari, quid intus ageretur, etiamsi levissima forsan observatio alicui videatur, nos tamen, quia ad januas proprie spectat, non prætermittemus, sed aliquot exemplis firmabimus. Petronius : *Quartilla per rimam improbe diductam applicuerat oculum curiosum*. Idem : *Videbamus nos omnia per foramen valvæ, quod paulo ante ansa ostii disrupta laxaverat*. Apulejus lib. X. *Metam. Clausis ex more foribus, per quandam modicam cavernam rimantur me passim expositis epulis inhærentem*. Paulinus Natal. VI. Felicis :

—— dat postibus aurem
Sollicitam, & rimis acies per hiantia claustra,
Qua tenebris albus cœli color interlucet,
Inserit, exploratque diu : nec adhuc sibi credit,
Quid videat.

Epiphanius in *Panario* lib. I. in Ebionitis : *Jam vero ille* (Josephus Viberiensis) *narrabat, Patriarcha* (Ellel) *lavacrum suscipiente, per commissuras in foribus introspiciens*, (διὰ τῶν ἐν ταῖς θύραις ἁρμογῶν εἴσω παρακύπτων) *inquit, considerabam, quæ ab Episcopo Patriarchæ fiebant, menteque recondebam*. Prudentius *Peristeph.* hymno II.

Pavens deinde introspicit,
Admota quantum postibus
Acies per artas cardinum
Intrare juncturas potest.

Luithprandus *Hist.* l. V. cap. X. *Fidem si relatis exposcis, usque in præsentiarum affirmo argumentis, quoniam conclusorum tibi personas rimis ostendo*. Plerumque tamen in vitio ponitur illa curiositas. Hinc Ambrosius lib. II. Ep. IX. *Neque etiam sapientis est a fenestra respicere in domum, & stultitia hominis audire per ostium.*

XIV. Solemne autem fuit olim Christianis vela templorum foribus appendere; neque id in limine tantum, sed & ante sacrarium. Quo in procul dubio imitati sunt morem in templo Salomonis observatum. Velum illud ante Sancta Sanctorum describitur II. *Paralipomen.* III. v. 14. Josephus καταπέτασμα τοῦ ἀδύτου vocat lib. VIII. cap. II. Quo de Velo nos brevi, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, in *Sacris* nostris *super Passionem Domini Lectionibus* plura dicemus. Erant præter hoc magnum & memorabile Velum minora alia in singulis ostiis, quæ tangere videtur Auctor *Machabæorum gestorum* lib. I. cap. IV. v. 51. & describuntur a Jacob Jehuda Leone in libro aliquoties jam laudato *de Templo Hierosolymitano*, augustis Divi AUGUSTI Brunsuicensium ac Luneburgensium Ducis auspiciis, a Johanne Sauberto Latine converso.

XV. Ceterum confirmabo id, quod dixi de Christianorum templis, luculentis locis. Hieronymus Ep. III. ad Heliodorum : *Nepotianus erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis.* Quem locum una cum altero Clementis, qui itidem *de Velis* quædam habet, supra in alio argumento laudavimus. Anastasius Bibliothecarius, qui vixit circa medium seculum nonum, & Vitas Pontificum Romanorum scripsit, in Leone III. de templo S. Petri : *Fecit vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu*. Idem ibidem de templo S. Mariæ ad Præsepe : *Fecit velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu*. Ibidem de templo B. Mariæ : *Fecit super ipsas regias velum modicum fundatum*, &c. *& alia vela Tyria super regias majores in ingressu Basilicæ.* Gregorius Nazianzenus Orat. XX. quæ in laudem Basilii Magni : Ἐπειδὴ γε αὖθις τρόπον τινὰ συνηκκλησιάσας ἡμῖν εἴσω τοῦ παραπετάσματος ἑαυτὸν ἐπονήσατο. *Cum ille quidem* (de Valente Imp. loquitur) *nescio quomodo rursus nobiscum in Ecclesiam se contulisset, & intra velum exstitisset*. Laudatus Epiphanius Salaminæ Episcopus, ad Johannem Episcopum Hierosolymitanum, ex versione Hieronymi : *Quando pergebamus ad sanctum locum Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem, qui locus esset, didicissemque esse Ecclesiam, & intrassem, ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem CHRISTI vel sancti cujusdam : non enim satis memini, cujus imago fuerit. Cum ergo hoc vidissem in Ecclesia, contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & ma-*

gis dedi consilium, ejusdem loci ut pauperem mortuum eo obvolverent, & offerrent. Illique contra murmurantes dixerunt. Si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, atque mutaret. Quod cùm audissem, me daturum esse, pollicitus sum, & illic esse missurum. Paululum autem moratum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere. Arbitrabar enim de Cypro mihi esse mittendum. Nunc autem misi, quod potui reperire, & precor, ut jubeas ejusdem loci presbyteros suscipere velum a latore, quod a nobis missum est, & deinceps præcipere in Ecclesia CHRISTI istiusmodi vela, quæ contra nostram religionem veniunt, non appendi. Paulinus Natali III. Felicis:

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

Et Natali VI.

——— *Pulchra tegendis*
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.

Venantius Fortunatus lib. I. Carm. VI. de basilica S. Martini:

Quæ Placidina sacris ornavit culmina velis.

Augustinus etiam veli januæ (de eo enim accipio) meminit Serm. XIX. de verbis Apostoli: *Dicam quod fecerat pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis, tam pauper, ut prosculus* (proscholus) *esset Grammatici, sed plane Christianus, quamvis ille esset paganus Grammaticus, melior* ad velum, *quam in cathedra*. De velo ante sacrarium capiendus est Chrysostomi locus Homil. III. *in Epist. ad Ephesios*: Ὅταν ἴδῃς ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, τότε νόμισον διαστέλλεσθαι τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν, καὶ κατιέναι τοὺς Ἀγγέλους. *Quando videris trahi Amphithyra: tunc existima cœlum superne diduci, & descendere Angelos*. Ἀμφίθυρον enim ibi significare velum ostii certum est. Eadem vox hac significatione legitur apud Chrysostomum Homil. LXXXIV. *in Matthæum*: quem locum laudat Henricus Valesius *ad Evagrii* lib. VI. cap. XXI. ubi plura de his Velis. Et ad hæc templorum vela proprie spectant ii Paulini versus, quos post Pollucis verba hoc eodem capite attulimus.

XVI. In templis ejusmodi velorum hodienum creber usus est. Neque plane apud Nostros cessarunt. Memini enim me grande ejusmodi Velum præ foribus chori (ut appellatur) cœnobii Ebstorffiensis, quod religiosæ Moniales inhabitant, suspensum vidisse. Cujus cœnobii memoriam eo libentius repeto, quod in isto loco vivat, & supremam sacrorum curam gerat Vir Cl. Johannes Justus Oldecopius, Hildesiensis, cujus summam in mea studia benivolentiam & liberalitatem ut prædicem maximopere necessum habeo. Atque hæc de Velis januarum interius suspendi solitis dicta sunto. Eopse cum hæc scriberem tempore laudatus Johannes Justus Oldecopius, Ebstorffio evocatus Hannoveram concessit, ac in florentissima ac nitidissima illa civitate ad templum D. Ægidii V. D. Pastor constitutus est, quemadmodum paulo post ex ipsius Oldecopii, Fautoris & Amici mei singularis, epistola ad me scripta intellexi.

XVII. Præterea in publica lætitia solebant cives Romani januas suarum ædium & fenestras preciosis aulæis exornare. Pacatus Panegyrico: *Quid portas virentibus sertis coronatas, quid aulæis undantes plateas referam?*

CAP. XXV.

DE ANTEPAGMENTIS.

Summarium.

Antepagmenta unde dicta? diversa sunt ab Antis; in quo fallitur Philander. Antepagmentorum longa descriptio ex Vitruvio. Antefixa quædam. Signa præ foribus divitum posita. Bullæ Januarum Wonwerio absentitur in explicatione loci Petroniani. Clavi Annales. Persii Bullatæ *Nugæ non ad ostiorum, sed ad Bullas aquarum referuntur.*

I. COMMODUM nos monent Aulæa, ut de aliis Januarum ornamentis simus solliciti.

II. Erant autem ornamenta forium fixa alia, & in longum tempus duratura, quædam vero temporaria, nec admodum diu mansura.

III. Ex fixis nobis primo nunc occurrunt ANTEPAGMENTA. Antepagmentum generale nomen est, ab ante & pangendo, sive ab antis, ut vult Festus, deductum, ornamenta valvarum designans. Festus: *Antipagmenta valvarum ornamenta, quæ antis adpanguntur, id est, affinguntur.* Antepagmentorum meminit Cato *de Re Rust.* cap. XIV. *Jugamenta & Antepagmenta opus erant indito.* Plautum quoque Antipagmenti voce in *Mostellaria* usum, censet Nicolaus Loensis lib. I. *Epiphyllid.* cap. XIII.

IV. At enim *Antepagmenta* non sunt eadem cum *Antis*; qui error est Philandri *in Vitruvium*. Nam *Antæ* juxta ipsum Vitruvium sunt postes sive pilæ lapideæ, quæ in lateribus ostiorum sunt. Græcis παραστάδες, & σταθμοί. Hesychius: παραστάδες, οἱ πρὸς τοῖς τοίχοις τετραμμένοι κίονες. Pollux: Σταθμοὶ, τὰ ἑκατέρωθεν ξύλα, κατὰ πλευρὰν τῶν θυρῶν, ἃ καὶ παραστάδας φασίν. Festus *Antas* interpretatur latera ostiorum. Nonio sunt *quadræ columnæ*. Nonium cum Festo conciliari posse Vossius existimat, si dicamus, Antas proprie esse *quadras columnarum, quæ ad latera ostiorum ponuntur*.

V. Sed ut ad Antepagmenta revertamur, ea proprie puto esse illa forium ornamenta, quæ ex lignis sive lapidibus certa quadam symmetria secundum Architectonices præcepta superponuntur foribus. Liquido id probare me posse puto ex illis, quæ Vitruvius lib. IV. cap. VI. de iisdem disputat. Locus etsi prolixus est, & non tantum de Antepagmentis, verum etiam de ipsorum ostiorum ratione agit; tamen non pigrabor adscribere, ut, si qui forte Architecturæ gnari in hunc libellum incidant, habeant in quo ingenium suum exerceant. Equidem quia hanc artem non attigi, non sustineo ea interpretari, ne audire cogar tritum illud, quod Apelles *sutori ultra crepidam* de pictura judicanti objecisse fertur. Magnam tamen alicui habebo gratiam, &, si licuerit, referre studebo, qui hæc Vitruviana uberius illustraverit. Nam qui hactenus in Vitruvium commentati sunt, nondum in hac parte mihi satisfaciunt. Sed Vitruvium ipsum audiemus.

VI. *Ostiorum autem & eorum Antepagmentorum in ædibus hæ sunt rationes, uti primum constituantur, quo genere sint futuræ. Genera sunt enim thyromatum hæc: Doricum, Jonicum, Atticurges. Horum symmetriæ Dorici generis conspiciuntur his rationibus, uti corona summa, quæ supra Antepagmentum superius imponitur, æque librata, seu capitulis columnarum quæ in pronao fuerint. Lumen autem hypothyri consti-*

tuetur sic, uti quæ altitudo ædis a pavimento ad lacunaria fuerit, dividatur in partes tres semis, & ex iis duæ partes lumini, valvarum altitudine constituantur. Hæc autem dividatur in partes duodecim, & ex eis quinque & dimidia latitudo luminis fiat in imo, & in summo contrahatur, si erit lumen ab imo ad sexdecim pedes, antepagmenti tertia parte. Sexdecim pedum ad viginti quinque, superior pars liminis contrahatur antepagmenti parte quarta. Si a pedibus viginti quinque ad triginta, summa pars contrahatur antepagmenti parte octava. Reliqua quoquo altiora erunt, ad perpendiculum videntur oportere collocari. Ipsa autem Antepagmenta crassa fiant in fronte altitudine luminis parte duodecima, contrahanturque in summo suæ crassitudinis decimaquarta parte. Supercilii altitudo, quanta Antepagmentorum in summa parte erit crassitudo. Cymatium faciendum est Antepagmenti parte sexta. Projectura autem quanta est ejus crassitudo Sculpendum est Cymatium Lesbium cum astragalo. Super Cymatium, quod erit in supercilio, collocandum est hyperthyrum crassitudine supercilii, & in eo sculpendum est cymatium Doricum, astragalum Lesbium sima sculptura. Corona deinde plana fiat cum cymatio: projectura autem ejus erit, quanta altitudo supercilii, quod supra Antepagmenta imponitur. Dextra ac sinistra projectura sic sunt faciendæ, uti crepidines excurrant, & in ungue ipsa cymatia conjungantur.

Sin autem in Ionico genere futuræ erant, lumen altum ad eundem modum, quemadmodum in Doricis fieri videtur, latitudo constituatur, uti altitudo dividatur in partes duas & dimidiam, ejusque partis unius semis ima luminis fiat latitudo: contracturæ ita ut in Doricis. Crassitudo Antepagmentorum altitudine luminis in fronte XIV. *parte, cymatium hujus crassitudinis sexta: reliqua pars, præter cymatium dividatur in partes* XII. *harum trium prima corsa fiat cum astragalo, secunda quatuor, tertia quinque, eæque corsæ cum astragalis circum concurrant. Hyperthyra autem ad eundem modum componantur, quemadmodum in Doricis hyperthyridibus. Ancones, sive prothyrides vocentur, exsculptæ dextra & sinistra præpendeant ad imi supercilii libramentum, præter folium. Eæ habent in fronte crassitudinem ex antepagmentis tribus partibus unam, in imo quarta parte graciliores, quam superiora. Fores ita compingantur ut scapi cardinales sint ex altitudine luminis totius duodecima parte. Inter duos scapos tympana ex duodecim partibus habeant ternas partes. Impagibus distributiones ita fient, ut divisis altitudinibus in partes quinque, duæ superiori, tres inferiori designentur. Super medium medii Impages collocentur, ex reliquis alii in summo, alii in imo compingantur. Latitudo Impagis fiat tympani tertia parte, cymatium sexta parte Impagis. Scaporum latitudines impagis dimidia tertia parte. Item reptum de Impage dimidia & sexta parte scapi, qui sunt ante secundum pagmentum dimidium impagis constituantur. Sin autem valvatæ erunt, altitudines ita manebunt, in latitudinem; adjiciatur amplius foris latitudo (si quadriforis futura est) altitudo adjiciatur.*

Atticurges autem iisdem rationibus perficiuntur, quibus Dorica. Præterea corsæ sub cymatiis in Antepagmentis circumdantur: qui ita distribui debent, ut in Antepagmentis, præter cymatium ex partibus septem habeant duas partes: ipsaque forium ornamenta non fiunt cerostrota, neque bifora, sed valvata, & aperturas habent in exteriores partes. Quas rationes ædium sacrarum informationibus oporteat fieri Doricis, Ionicis, Corinthiisque operibus, quoad potui contingere, veluti legitimis moribus exposui.

VII. Hactenus Vitruviana descripsimus: quæ quantum ad nostram hanc tractationem pertinet, nos docent, quod pro valvarum ratione, quarum tres Vitruvius facit species, Antepagmentorum quoque ratio diversa fuerit.

VIII. Deinde Antepagmenta quoque vocari possunt ornamenta alia, quæ apponi vel affigi janius solebant: ut sunt Deorum, hominum, animantium, aliarumve rerum formæ sive in ipsis postibus, sive circa eos, in columnis. Atque hæc ornamenta ex Festo & Livio *Antefixa* appellari possent. Et hic quidem Decadis IV. lib. IV. *Jam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes, & antefixa fictilia Romanorum ridentes*. Festus: *Antefixa quæ ex opere figulino tectis adfiguntur*.

IX. Nec inepte fortassis ad hæc Antepagmenta retuleris BULLAS in Priscorum Janius. Plautus *Asinaria* II. IV. V. 20.

> *Jussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?*

Erant enim umbellata clavorum capita, quibus ditiorum fores exornabantur, quæ cum ex pulvere sordes contraxerint, sedulo abstersa, splendidaque fuisse reddita, elucet ex hoc loco. Valvas templorum nonnunquam aureis bullis fuisse distinctas, apparet ex his Ciceronis lib. IV. *in Verrem*: *Bullas omnes aureas ex his valvis, quæ erant & multæ & graves, non dubitavit auferre: quarum iste non opere delectabatur, sed pondere*. Huc etiam Joh. a Wouweren refert illa Petronii: *Qui dies boni, quique incommodi essent, distinguente bulla notabantur*. Sic enim ad ea commentatur in *Animadversionibus*: *Bullatos clavos intelligit, quibus portæ configuntur, unde Bullæ ostiorum apud Plautum. Clavis autem in ostio fixis annos & dies notari solitos testis observatio Antiquitatis de Dictatoribus clavo pangendo creandis*. At hæ Petronii Bullæ non in ipso Ostio, sed tabulis erant infixæ; perinde ut nos hodie majora nostra Calendaria solemus ejusmodi bullis distinguere, uti bene animadvertit Georgius Erhardus in *Symbolis*. Sic quoque *Annales* istos *Clavos*, quibus annos numerare sunt soliti, non puto ostiis infixos, sed itidem tabulis. Aut si unquam præfixi sunt januis ab infima plebe de illa parte, quæ introrsum spectabat, id accipiendum. Meminit hujus Clavi Festus, dicens: *Clavus annalis appellabatur, qui figebatur in parietibus sacrarum ædium per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum*. Et Petronius:

> *Et paries circa palea satiatus agresti,*
> *Fortuitoque luto, clavus numerabat & annos.*

Sic lego cum Wouwerio. Quamquam non sum nescius alios aliter emendare, & distinguere aliter. Ad has forium bullas nonnulli etiam Persium *bullatis* suis *nugis* Sat. V. v. 19. respexisse volunt: sed procul dubio digitum intendit in aquarum bullas levissimo spiritu turgidas: cum præsertim easdem fumo jungat. Hæ enim duæ res tam cito dispereunt quam quod maxime, licet magnum aliquod minari videantur. Sed ut ipse judicet benignus lector, Persii versus adscribemus:

> *Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis*
> *Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.*

CAP. XXVI.

DE JANUIS CÆLATIS, ET TESTUDINEO OPERE DISTINCTIS.

I. AB his Antepagmentis distinguo FORES CAELATAS, quarum non raro meminerunt Scriptores antiquissimi. Sidonius carmine II.

> *Postes Chrysolithi fulvus distinxerat ardor.*

II. Pro-

II. Promiscue autem hoc loco *Cælaturam* & *Sculpturam* sumimus. Nam etsi Quintilianus lib. II. cap. ult. utriusque discrimen ponit in materia, Cælaturam dicens in auro, argento ferro, ære, hoc est, metallis tantum operari; Sculpturam vero in ligno etiam, ebore, marmore, vitro, gemmis: Virgilius tamen, atque alii, cum his ipsis quoque cælaturam communicant. Virgilii versus notissimus est, Eclog. III. v. 37.

——— pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

Fabii verba ita habent: *Et cælatura, quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit: nam sculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea quæ supra dixi, etiam complectitur.*

III. Aldus equidem Manutius discrimen non in materia, sed forma harum artium statuit *Quæsitorum per Epistolas* lib. II. Epist. IX. ut *Cælatum Opus* dicatur, in quo eminent figuræ & signa, & de materia, quam habent subjectam, exstent: *Sculptum* vero, sive *Sculpturam*, quæ depressa in cavum, imagines solidas non exprimant. Verum non immerito dubitaverim, an hanc διαίρεσιν tam sollicite observent Veteres.

IV. Ceterum cælatas Capitolii Romani valvas nobis sistit Claudianus *de* VI. *Consulatu Honorii* v. 45.

——— juvat intra tecta Tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe Gigantes,
Cælatasque fores.

Sic cum Philemonis & Baccidos casa in templum mutaretur, cælatæ etiam fores repente prodierunt. Fabulantem juvat audire Ovidium lib. VIII. *Metam.* v. 708.

Illa vetus, dominis & jam casa parva duobus
Vertitur in templum: furcas subiere columnæ,
Stramina flavescunt, aurataque tecta videntur,
Cælatæque fores.

Cælaturam ejusmodi Poeta princeps describit lib. III. *Georgic.* in templo Cæsaris Augusti a se dedicato, v. 26. seq.

In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini.

V. Testudine etiam solebant incrustare fores. Lucanus:

Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta Smaragdo.

Virgilius lib. II. *Georg.* v. 463.

Nec varios inhiant pulcra testudine postes.

Scilicet aquatilium testudinum crustas in laminas secabant, iisdemque distinguebant tum januas, tum alia etiam opera, utpote mensas, lectos, repositoria. Plinius lib. IX. cap. XI. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.* Idem lib. XXXII. cap. IV. *Geminus similiter victus in aquis terraque, & testudinum effectus quoque pari honore habendi, vel propter excellens in usu pretium naturæque proprietatem.* Seneca *de Benefic.* lib. VII. cap. IX. *Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emtas.* Nos talia opera solemus appellare, *Eingelegte Arbeit*. Atque illa ipsa ars, quam periti scriniarii norunt, qua lignum ita solent illinere, ut testudineum opus præ se ferat, non ignota fuit Veteribus. Seneca verbis, hæc quæ laudavimus, excipientibus: *In quibus illa ipsa, quæ placet varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur.*

CAP. XXVII.

DE PICTURIS JANUARUM ET IMAGINIBUS ATRIENSIBUS.

Summarium.

Digressio a picturis Januarum ad Imagines Atrienses. Imagines cur dicantur fumosæ? Ne corrumperentur fumo, armariis inclusæ. Ea solebant festis temporibus aperiri. Imagines primum ex cera, quæ ad vivum colorata. Postea etiam ex ære. Statii & Ovidii lectio contra Lipsium defensa. Imagines tantum humero tenus exstabant. Credo tamen interdum a capite ad calcem positas. Imagines in funeribus prælatæ. Stemmata quid fuerint? Tituli adscripti imaginibus. Cura imaginum penes servos Atrienses, quorum conditio melior, quam reliquorum servorum. Polybii illustris de Imaginibus locus. Templorum claustris leo appictus. Ægyptiis id symbolum fuit inundationis Nili. Iidem Sphingum Imagines ante templa collocabant. Tabulæ pictæ ante fana Deorum suspensæ. Pictores præ foribus suis exponebant picturas.

I. IN coloribus desinebamus proximum, iisdem hoc caput auspicabimur; paucaque de picturis Januarum afferemus.

II. Nullum autem dubium est, quin Veterum fores vel simplicibus coloribus, prout hodie vulgo moris est, imbutæ fuerint; vel elegantibus interdum picturis resplenduerint. Non memini tamen me singularia quædam de pictis privatorum foribus observasse; credo quod tamquam rem vulgarem antiqui Scriptores prætermiserint. Si quis tamen in hac observatione me fuit felicior, facile patiar, ut meam quis hic dicat dormitasse diligentiam. Neminem tam oculatum, neminem tam solertem esse reor, ut in doctrina tam diffusa (talis certe est, quæ tractat Antiquitates Veterum) simul observet omnia. *Ad pictas fores* alludit Augustinus lib. I. *de Ordine* cap. XI. *Facile per aureas depictasque januas ad sacrosancta Philosophiæ penetralia perducuntur.*

III. Supplere tamen hunc defectum quodammodo conabimur, dum illustria quædam testimonia afferemus, in Atriis Veterum dispositas fuisse majorum imagines. Non spectant quidem hæc ad Januas: ab illis tamen non aberraverimus longius, quando paulisper in atrio, quod foribus propinquum erat, imaginum contemplatione animum refecerimus.

IV. Non ignoro equidem, non paucos eruditione præstantes Viros in eodem argumento versatos esse, pro nostris tamen cur non ea venditemus, quæ nostra nobis lectio in manus tradidit, causæ nihil video. Et fortassis aliqua non plane vulgo obvia aperiemus. Ita autem Seneca lib. III. *de Beneficiis* cap. XXVIII. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt.* Idem *Consolatione ad Polybium* cap. XXIII. *Vides omnes has imagines, quæ implevere Cæsareum atrium.* Tacitus de atrio Silii *Annal.* lib. XI. *Ac primum in vestibulo effigiem patris Silii consulto Senatu, abolitam demonstrat.* Valerius Maximus lib. V. c. VIII. de T. Manlio

Torquato, qui filium suum ob male administratam provinciam condemnaverat: *Videbat se in eo atrio consedisse; in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat, prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* Suetonius de Galba cap. II. *Imperator vero etiam stemma in atrio proposuit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret.* Martialis lib. II. Epig. xc.

Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Idem lib. IV. Epig. XL.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto.

Et lib. V. Epig. XXI.

Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste,
Nossemus, nec imagines superbas.

Juvenalis:

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti
Profuerint?

Idem Satyra VII. Æmilium causidicum tangit, quod statuam suam equestrem in atrio posuerit;

—— Hujus enim stat currus aheneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, & statua meditatur prælia lusca.

V. Ceterum quoniam ignis Larium asservabatur in atrio, fieri non potuit, quin fumo obfuscarentur imagines. Hinc passim de fumosis legas imaginibus. Seneca Epist. XLIV. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus.* Cicero *in L. Calp. Pisonem*: *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum: quarum simile habes nihil, præter colorem.* Boethius lib. I. pros. I. *Quarum speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat.* Et ex harum forte sunt numero *fumosi* apud Juvenalem *equitum magistri*, lib. III. Sat. VIII. ubi tamen alii *famosi* legunt:

Quis fructus generis tabula jactare capaci
Corvinum, & posthac multa deducere virga
Fumosos equitum cum Dictatore magistros?

VI. Qui vero cavere vellent, ne plane corrumperentur fumo, armariis quibusdam sive thecis includebant. Plinius lib. XXXV. cap. II. *Aliter apud majores in atriis erant, quæ spectarentur imagines, non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilia funera, semperque defuncto aliquo, totius aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas.*

VII. Vere illustre hoc est testimonium Plinii, & antiquitates de Imaginibus non paucas tradit per compendium. Nam & locum designat, qui iis attributus est; & Materiem, Formamque illarum exprimit, ac Usum denique potissimum ostendit.

VIII. Locus, quem communem nominare possumus, erat Atrium; de quo a nobis satis dictum est. Specialis sive proprius locus erant illa ipsa a Plinio laudata armaria. Solebant hi loculi diebus festis & temporibus lætis aperiri. Vopisc. in *Floriano*: *Tantum illud dico, Senatores omnes ea esse lætitia elatos, ut domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati sederent, convivia sumptuosiora præberent.* Nuptis præsertim id factum, optime ex Seneca Rhetore observavit Vir Nobilissimus, Emundus Frigelius libro elegantissimo *de Statuis illustrium Romanorum*, cap. XI. quod totum est in his imaginibus.

IX. Materia imaginum antiquissimis temporibus erat *Cera*: idque adeo vulgatum erat, ut imagines non cereæ, sed ipsæ *Ceræ* per tropum dicerentur. Ovidius lib. I. *Fast.*

Perlege dispositas annosa per atria Ceras.

Idem lib. I. *Amor.* Eleg. VIII.

Nec te decipiant veteri cincta atria Cera.

Sic enim bene emendavit Lipsius *Elector.* lib. I. cap. XXIX. cum antea *quinquatria* legeretur; nisi quis cum Petro Scriverio malit, *veteres circa atria ceræ*: quod nec Nicolao Heinsio, qui multum in emendando Nasone desudavit, displicet. Juvenalis Sat. VIII.

Tota licet veteres exornent undique Ceræ
Atria. Nobilitas sola est atque unica virtus.

quem locum male Martiali transscribit Marcellus Donatus, *Dilucidationibus in Flavium Vopiscum.* Credo tamen hanc ceram ad vivum fuisse coloratam. Nam & Plinius *pictas* memorat *imagines*, & Juvenalis *pictos vultus* enumerat.

X. Postea tamen etiam æratas habuerunt. Ovid. lib. VI. *Fast.*

Vidimus ornatos ærata per atria, picta
Veste triumphales occubuisse senes.

———— læto regalia cœtu
Atria complentur. species est cernere avorum
Cominus, & vivis certantia vultibus æra.

Nam etsi Lipsius pro *æra* substituit *ora*, & apud Ovidium pro *æratis*, *cerata* mavult *atria*; reclamat tamen Mss. consensus, reclamant alii emunctæ naris Critici.

XI. Formam demonstrat Plinius his verbis: *Expressi cera vultus.* Non enim totam corporis effigiem exprimebant Romanorum antiquissimi, sed solum humero tenus efformabant. Unde Juvenalis Sat. VIII.

Stemmata quid faciunt? Quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum?

XII. Credo tamen paulatim procedente luxu etiam justa magnitudine patuisse, membris omnibus a vertice ad pedes expressis. Id enim indicant illi Juvenalis versus paulo ante a me laudati, quibus Æmilium causidicum perstringit. Nec est, quod quis objiciat, domum tanti exercitus capacem vix fuisse. Admodum nimirum ampla & spaciosa erant atria, ut facile possent capere non contemnendam imaginum manum.

XIII. Præcipuus imaginum usus erat in funeribus. Porphyrio *ad Horatii Epod. libr. Od.* VIII. *In funere nobilissimis quibusque solebant præferri imagines majorum, quod observari videmus in funeribus principum.* Plura sunt apud Ciceronem, Tacitum, aliosque Scriptores obvia in hanc rem testimonia, quæ non adscribo, quia tum a Lipsio, & Figrelio, tum præcipue id factum a Kirchmanno, *de Funeribus Romanorum* lib. II. cap. VII.

XIV. Sed quid sibi volunt *Stemmata*, quæ, ut ait Plinius, *lineis discurrebant ad imagines pictas?* Crebra horum fit mentio apud Veteres, quando de Imaginibus quædam memorant. Videntur autem fuisse coronæ, quæ expressos cera vultus ambiverunt: quemadmodum adhuc hodie coronariis ejusmodi ornamentis nostras illustrari facimus imagines. Et quoniam ab his stemmatibus descenderunt lineæ ad ipsas imagines, iisdem procul dubio cognationum gradus designarunt.

XV. Tituli, qui adscriptus erat imaginibus, sæpius meminere Veteres; inprimis Livius, Plinius, Valerius. Huc pertinet etiam illud Tibulli lib. IV. *ad Messalam*:

Non tua majorum contenta est gloria fama,
Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat.

XVI. Curam Imaginum apud Atrienses servos fuisse reor: quod non obscure possumus colligere ex Columellæ lib. XII. cap. III. *Villica insistere atriensibus, ut supellectilem exponant, & ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur.* Si hoc in villa factum a servis, qui constituti essent ab atrio; quidni in Urbe dixerimus iis inter cetera opera incubuisse, ut darent operam, ne quid detrimenti caperent imagines?

XVII. Melior autem erat horum Atriensium conditio, quam servorum reliquorum. Cicero Paradoxo V. *Atque ut in magna familia, sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, ut atrienses: alii inferiori loco, ut mediastini.* Et constat porro ex Plauti *Asinaria*.

XVIII. Concludam hunc de Imaginibus excursum luculento loco Polybii, sed Latine verso, qui habetur lib. VI. cap. LI. *Ubi cadaver sepelierunt, & justa peregerunt, Imaginem defuncti in celeberrima ædium parte ponunt, lignea quadam ædicula circumtectam. Est autem hæc Imago vultus similitudo, quam accuratissime expressa, cum deformatione figuræ, tum & pigmentis. Has imagines per solennitates publicas aperiunt, & cum studio exornant. Cum autem illustris Vir aliquis ex eadem gente vel familia diem clausit ultimum, ad funeris elationem eas proferunt, & ut quam simillimæ sint defuncto, reliquum etiam corporis truncum adjiciunt. Hæc porro simulacra togas assumunt, si vir Consularis; aut Prætorius quis fuerit, prætextas; si Censorius, purpureas; si Trimphalis, aut simili quodam alio honore functus, auro radiantes: & hi quidem curru vecti procedunt, at fasces & secures, & quæcunque alia Magistratus comitari solent insignia, ibi quoque præcedunt, pro honore & dignitate, quam quisque in Rep. dum viveret, obtinuit.*

XIX. Nunc e diverticulo in viam; ab atrio ad januam. Templorum foribus interdum leones appingebantur. Tangit hunc morem Cælius Rhodiginus *Antiq. Lect.* lib. XIII. cap. VIII. *Dicitur*, inquit, *quibusdam quoque leo inter vigilandum præcipue oculos occludere, quos aperiat dormiens. Hinc templorum claustris leonem symbolice appingebant priores.* Item Johannes Pierius Valerianus *Hieroglyphicorum* lib. I. cap. IV. verbis sequentibus: *Significanter admodum non tantum Mycenarum portis, sed etiam reliquorum ædificiorum, præcipue vero fanorum valvis, ædiumque sacrarum vestibulis leones, tamquam divinorum custodes, ut est passim cernere, statuebantur.* Debent hanc observationem Horo Apollini, cujus hæc sunt in *Hieroglyphicis* cap. XIX. Ἐγρηγορότα γράφοντες, ἢ καὶ φύλακα λέοντος γράφουσι κεφαλὴν, ἐπειδὴ ὁ λέων ἐν τῷ ἐγρηγορέναι, μέμυκε τοὺς ὀφθαλμοὺς, κοιμώμενος δὲ ἀνεῳγότας τούτους ἔχει, ὅπερ ἐστὶ τοῦ φυλάσσειν σημεῖον. διόπερ καὶ συμβολικῶς τοῖς κλείθροις τῶν ἱερῶν λέοντας ὡς φύλακας παρειλήφασι. *Vigilantem sedulumque hominem, aut etiam custodem ostendentes, leonis caput pingunt, quoniam leo vigilans oculos claudit, eosdem cum dormit, apertos habet, quod quidem custodiæ atque excubiarum signum est. Unde & non absque significatione sacrorum claustris, leones qui custodum loco sint, appinxerunt.* Atque ex hoc priscorum more id nos habemus procul dubio, quod capita leonina orichalcea præfigere soleamus templorum, interdum quoque aliorum ædificiorum foribus.

XX. Eundem morem Plutarchus refert viguisse, ex alia quidem causa, apud Ægyptios, ut esset Symbolum exundationis Nili, qui mox a Solstitio æstivo, Sole Leonem ingrediente, crescere incipit, & augescens denique totam Ægyptum inundat, eandemque benefica quadam naturæ vi reddit fertilissimam. Verba Plutarchi sunt medio libro *de Iside & Osiride*: Λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν ὅτι πλημμυρεῖ Νεῖλος ἡλίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι. *Leonem colunt, & rictibus leoninis templorum januas exornant: restagnat enim Nilus Sole primum leonem ineunte.* Ex hoc igitur instituto hausere Græci & Romani morem istum fontes & aquæductus leonum exornare signis: quod nunc etiam apud varios populos frequentari videmus.

XXI. Non multum absimile fuit eorundem Ægyptiorum institutum, fabulosarum suarum Sphingum imagines ante templa ponentium. De quibus Clemens Alexandrinus *Stromat.* V. *Ægyptii ante templa ponunt Sphingas, quia doctrina, quæ de Deo, ænigmatica est & obscura.*

XXII. Reperio etiam pictas affabre tabulas ante fana Deorum gentilium suspensas. Plinius lib. XXXV. cap. IV. *Præcipuam auctoritatem fecit publice tabulis Cæsar dictator, Ajace & Medea ante Veneris Genitricis ædem dicatis.*

XXIII. Illud solemne fuisse Pictoribus nonnullis videtur, quod si insignia quædam opera perfecerint, eadem transeuntium voluptati, nonnunquam & judicio præ foribus proposuerint. De Apelle res nota est ex Plinio, qui in hunc modum scribit lib. XXXV. cap. X. *Idem perfecta opera proponebat pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quæ notarentur, auscultabat, vulgum diligentiorem judicem, quam se præferens. Feruntque a sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas: eodem postero die superbe emendationem pristinæ admonitionis cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denuntiantem, ne supra crepidam sutor judicaret, quod & ipsum in proverbium venit.*

CAP. XXVIII.

DE INSCRIPTIONIBUS JANUARUM.

Summarium.

Mos antiquissimus inscribendi januas Templorum, Nomen Divi, Deæve, cui templum consecratum, foribus inscriptum. De Inscriptionibus templi Delphici, & præcipue de dicto, Nosce te ipsum, *latius disseritur. Integra interdum Poemata foribus affixa. De inscriptionibus Scholarum. Inscriptiones interdum subitaneæ, & ex temporæ natæ. Valvis templorum Veterum Christianorum inscripta crux decussata, additis α & ω. Nummi cum*

hac inscriptione. Vexilla itidem. De Labaro quædam. Figuræ laudatæ origo a visione Constantini M. Titulus domui venali inscriptus. In Ostio cellæ lupanaris nomen propœdii. Januis Bibliopolarum inscripta librorum vendundorum nomina.

I. PICTURIS succedant INSCRIPTIONES, quarum partem inter ornamenta januarum locum habere existimo.

II. Antiquissimum autem fuit institutum, templorum valvas exornare inscriptionibus. Interdum quidem nomina Deorum Dearumve, quibus dicata erant templa, in foribus conspiciebantur: nonnunquam memorabiles sententiæ iisdem inscribebantur.

III. Prioris generis quædam notavit Desiderius Heraldus Animadversionibus *ad Arnobii lib.* VI. quæ inter est & hoc Jamblichi lib. I. *de Vita Pythagoræ* cap. II. ἐπεὶ δὲ ἀπεκομίσθη εἰς τὴν Σάμον ἀπὸ τῆς Συρίας ὁ Μνήσαρχος μετὰ παμπόλλου κέρδους, καὶ βαθείας περιουσίας, ἱερὸν ἱδρύματο Ἀπόλλωνι, ΠΥΘΙΟΥ ἐπιγράψας. *Templum construxit Apollini, cum hac inscriptione, PYTHII.* Addo insignem locum Symmachi Relatione ad Valentinianum, Theodosium & Arcadium: *Vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis deum nomina, percunctatus est templorum origines.*

IV. Ad alterum genus pertinet, quod foribus Templi Delphici inscriptum fuerit illud cælitus delapsum, Γνῶθι σεαυτὸν, NOSCE TEIPSUM. Platonem de eo audiemus differentem in *Charmide*, sive *Dialogo de Temperantia*, sed per Marsilium Ficinum Latine versum: *Ferme namque hoc ipsum temperantiam esse arbitror, seipsum cognoscere, illique assentior, qui præceptum hoc templo Apollinis ipsius inscripsit. Atqui videtur hæc inscriptio tanquam Dei salutatio quædam ad homines, qui templum ingrediuntur, ejus loco, quæ salvere jubet: quasi non probe dicatur, salve, neque jubere hoc invicem deceat, sed temperate potius vivere. Ita homines templum ingredientes singulari sententia Deus alloquitur, aliterque quam homines nos salutat, ut sensit ille, meo judicio, qui inscripsit. Et ingrediente nihil præcipit aliud, quam vivere temperate. Verum obscurius hoc præceptum verbis tamquam vates interserit. Quippe Cognosce teipsum, idem est, quod temperate vive, ut literæ testantur, egoque interpretor. Forte vero aliud esse putabit quispiam: quod quidem contigisse illis, qui sequentia apposuerunt, existimo: hoc est, Nihil nimis, & Sponsionis comitem esse miseriam. Nam illi quidem Cognosce teipsum, consilium quoddam esse putarunt, non Dei ipsius ad eos qui ingrediuntur (salutationem) Deinde & ut ipsi nihilo deteriora (adscriberent) reliqua insuper adjecerunt.* Discere est ex his Platonis, antiquissimam esse inscriptionem, NOSCE TEIPSUM; cui deinde Viri Sapientis alia acute dicta addiderint, ut, NE QUID NIMIS, & similia. Idem confirmat Plutarchus libello, quo inquirit, cur EI foribus templi Delphici inscriptum. *Ista quoque*, inquit ex Xylandri versione, *vide vestibulo præscripta*, Noris teipsum, *ac*, Ne quid nimis; *quantas Philosophorum excitaverunt disputationes, quantaque de singulis sermonum multitudo tanquam e semine pullulavit.* Platonis quoque locum in animo habuisse videtur Plutarchus, quando postea eodem libro sic scribit: *Deus unumquemque nostrum huc accedentem veluti salutans compellat, Nosce teipsum, inquiens: quod nihilo est quam Salve deterius.* Plinius lib. VII. cap. XXXII. *Rursus mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis consecrando, aureis litteris, quæ sunt hæc: Nosse se quemque, & nibil nimium cupere: Comitem que æris alieni atque litis esse miseriam.* Ditmarus Mersepurgensis lib. V. *Sed quicunque hoc verbum*, Γνῶθι σεαυτὸν *in superliminaribus templi antiquitus notatum, intra se memoriter retinere, omniaque, quæ in verbis seu operibus facienda sunt, in nomine Domini, ut Sanctus admonet Paulus, satagit implere, ille est, qui a Patre Domino in filium optatus, denario, quamvis tarde veniat, remuneratur diurno.*

V. Longum hic esset enarrare, quam mire variant Scriptores veteres in auctore hujus dicti Γνῶθι σεαυτόν: dum alii ab Apolline ipso profectum volunt, quidam ad Pythagoram auctorem referunt, nonnulli Thaleti tribuunt, aliqui Phemonoæ cuidam adscribunt, cæteri denique, quod & Plinium fecisse jamjam audivimus, Chilonem usurpasse contendunt. Erit fortassis aliud tempus, aliusque locus huic inquisitioni commodior.

VI. Integra interdum Poemata templorum foribus affixa fuisse, doceor ex his Rutilii Numatiani versibus libr. I. *Itinerarii*, v. 268.

Intrantemque capit, discedentemque moratur
Postibus affixum dulce poema sacris.

VII. Sed habebant etiam fores Scholarum, in quibus Veteres Philosophi docebant, suas inscriptiones. Pythagoræ Scholæ inscriptum fuit:

Ἀείσω συνετοῖς, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι.
Cantabo doctis, vos vani claudite portam.

Plato foribus Gymnasii inscripserat, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. *Nemo huc ingrediatur geometriæ ignarus.*

VIII. Subitaneas interdum fuisse, & ex tempore natas Januarum inscriptiones, Varronis illud, CAVE CANEM, quod supra vidimus, nos docet. Idem patet ex Plauto *Asinar.* Act. IV. Sc. I. v. 15.

Fores occlusæ omnibus sient, nisi tibi.
In foribus scribat, OCCUPATAM ESSE SE

Diogenes Laertius in *vita Diogenis Cynici*: *Inscripserat quidam domui suæ, uxore nuper ducta*: Jovis filius Callinicus hic habitat. Nihil ingrediatur mali. *Inscripsit ipse*: Post bellum auxilium. Nescio an huc etiam referenda sit illa inscriptio horti apud Senecam, quam observavit Rhodiginus *Antiq. lect.* lib. XII. cap. XVIII. *Ubi audierint ista, audient istic hortulos, & inscriptum hortulis: HOSPES HIC BENE MANEBIS.*

IX. Nemo tamen hic a me exspectet longam Inscriptionum Historiam, quibus publicæ & privatæ fores passim apud Veteres fuerunt conspicuæ: cum istæ tum ab aliis, qui Inscriptiones vetustas collegerunt, tum potissimum a Jano Grutero, qui reliquorum omnium in hoc genere industriam superavit, peti possint. Quid vero de Reinesianis moliminibus fiat, postquam incredibilis exspectationis Juvenis, Fridericus Brummerus, Lipsiensis, fato tam acerbo Erudito Orbi ereptus est, hactenus equidem ignoro.

X. Illud tamen non abs re fortassis erit indicasse, quod non raro in fronte templorum a priscis Christianis structorum, crux decussata fuerit effixa, quam littera majuscula Pω intersecaret, additis ab uno latere *Alpha*, ab altero *Omega*: hoc modo.



Quo ipſo tum ad Crucem, tum ad ipſum nomen Salvatoris JESU CHRISTI reſpexerunt, itemque elogium ejus expreſſerunt, quod ſibi in *Apocalypſi* cap. I. v. VIII. ex re & vero tribuit. Ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω, λέγει ὁ Κύριος ὁ Θεὸς, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ, *Ego ſum Alpha, & Omega, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus, ille Omnipotens.* Quæ ita verſibus reddidit Aurelius Prudentius *Cathemer.* hymno IX. v. 10.

Corde natus ex Parentis, ante mundi exordium,
Alpha & ω cognominatur, ipſe fons & clauſula
Omnium, quæ ſunt, fuerunt, quæque poſt futura ſunt.

Julianus apud Cyrillum lib. VI. *in Julianum: Crucis ſignum adoratis, imagines illius in fronte,* & ante domos *pingentes.* Agobardus *de Imaginibus* cap. XIX. *Illud quoque memoria dignum, quod ſicut memoratæ hiſtoriæ undecimus continet liber, deſtructis apud Alexandriam delubris ac ſimulachris idolorum, tantus fervor Chriſtianitatis a dæmonibus ad CHRISTUM converſos inflammavit, ut unuſquiſque crucis Dominicæ ſignum in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus columniſque depingeret.*

XI. Reperiuntur varii nummi Imperatorum Chriſtianorum hac figura inſigniti, quorum aliquos exhibent Juſtus Lipſius lib. III. *de Cruce*, cap. XV. Jacobus Gretſerus tom. III. *de Cruce*, lib. I. cap. IX. & ſequentibus. Godeſchalcus Stewechius *ad Vegetium lib. II. cap.* XVII.

XII. In vexillis etiam Chriſtianorum, quæ Labari nomen retinuerunt, hæc figura apparuit. Enucleatius de his diſſerere non patitur inſtituti noſtri ratio. Malim igitur lectorem meum ablegare ad Geverhardum Elmenhorſtium, *Variis Lectionibus ad Minucii Felicis Octavium,* Henricum Speelmannum Equitem Auratum Anglum, in *Aſpilogia,* ſive libro *de Inſignibus Veterum,* pag. XIX. & ſeqq Gerardum Johannem Voſſium *de Vitiis ſermonis* lib. III. cap. XVIII. & in *Etymologico* pag. 275. Johannem Weitzium *Notis ad Prudentium* pag. 744. qui de *Labaro* plura erudite congeſſerunt.

XIII. Referunt autem hujus figuræ originem ad Conſtantinum Magnum, qui cum in depulſione Maxentianæ tyrannidis perplexus CHRISTUM precibus ſuis appellaſſet, inque præſidium & auxilium vocaſſet, hanc vidiſſe in cœlo hærentem figuram fertur, additis etiam his verbis: IN HOC VINCE. Vide Euſebium *de vita Conſtantini.* De eodem Zonaras in *Conſtantino* διὰ ταῦτα, τύπος αὐτῷ σταυρικὸς μεσούσης ἡμέρας δι' ἀστέρων ἐφάνη κατ' οὐρανὸν, καὶ γραφὴ περὶ τὸν σταυρὸν Ῥωμαϊκοῖς στοιχείοις, Ἐν τούτῳ νίκα. Ἐκ χρυσοῦ τοίνυν αὐτίκα σχεδιάσας σταυρὸν κατὰ τὸν φανέντα τύπον αὐτῷ, καὶ τοῦτον κελεύσας στρατιᾶς αὐτοῦ προπορεύεσθαι, τοῖς τοῦ Μαξεντίου συρρήγνυται καὶ ὑπερτερεῖ. *Ambigenti, & animo anxio ob iſta, figura ei crucis media die, ſtellis effi[illegible]ta, apparuit in cælo, & ſcriptura circa eam Romanis literis, In hoc vince. Igitur ex auro ſtatim ſubitario opere efformans Crucem juxta ſpeciem, quæ apparuiſſet, & hanc jubens prægredi exercitum, cum Maxentianis prælium commiſit, & ſuperavit.* Nemini qui CHRISTUM Januam noſtræ ſalutis ejusque crucem amat ingratum reor fore hunc excurſum.

XIV. Pergo ad alias quaſdam de inſcriptis foribus Antiquitates. Si cui domus eſſet venalis, pendente a ſummo Januæ tabula proſcribebatur facienda locatio. Plautus *Trinummo* Act. I. Sc. II. v. 131.

Me abſente, atque inſciente, inconſultu meo,
Ædes venales haſce inſcribit literis.

Terentius *Heautont.*

Inſcripſit illico ædes mercede.

Cicero lib. III. *Officior. Si tu ædes proſcribas, tabulam tamquam plagam ponas.* Diogenes Laertius in *vita Diogenis Cynici: Cum vidiſſet prodigi cujuſdam domui inſcriptum;* Venalis. *Sciebam inquit, quod præ nimia crapula facile domum evomeres.* Huc etiam referas veterem illum morem tabularum alienis prædiis affigendarum, ex Venulejo, & Conſtitutionibus Juſtiniani, a Franciſco Duareno obſervatum. *Venulejus c. ult. tit. quod vi aut clam, ita ſcribit.* Si ad januam meam tabulas fixeris, & ego eas prius, quam tibi denunciarem, refixero; deinde invicem interdicto, quod vi aut clam, egerimus, niſi remittas mihi, ut abſolvar, condemnandum te quaſi rem non reſtituas, quanti mea interſit, aut certe exceptionem mihi profuturam, ſi non vi, nec clam, nec precario feceris. *Quæ verba interpretans Alciatus, neſcio quid comminiſcitur de tabulis & teſtationibus. Sed hic mos tabularum figendarum facile cognoſcitur ex aliquot Juſtiniani Conſtitutionibus Græcis, quibus vetat* σανίδας, *id eſt, tabulas, affigi prædiis alienis, & affigentium bona publicari juſſit, tabulis ipſis ad caput ejus impactis confractiſque. Verba Juſtiniani hæc ſunt in nova Conſtitutione quæ inſcribitur,* παραγγέλματα τῶν ἀρχόντων. Σανίδας δὲ ἐπιτιθέναι χωρίοις ἀλλοτρίοις, ἢ ἐργαστηρίοις ἐν πόλεσι διακειμένοις, καὶ ἐπιγράφειν τὰς ἑαυτῶν προσηγορίας, οὔπω τοῖς τολμῶσιν ἐπικίνδυνον καταστήσεις, ὡς γινώσκειν, ὅτι ταῦτα πράττοντες, αὐτοὶ τὴν ἑαυτῶν περιουσίαν προσάψουσι τῷ δημοσίῳ. εἰ γὰρ πράγματα μόνῃ τῇ βασιλείᾳ καὶ τῷ δημοσίῳ διδόμενα, πειρῷτο ὑφαρπάζειν, ἐν τοῖς ἑαυτοῦ μ[illegible] τὴν πεῖραν, καὶ τοῖς αὐτοῦ πράγμασι τίτλων ἐπιτιθεμένων δημοσίων γινέσθω τοῖς ἄλλοις παράδειγμα σωφροσύνης. οἵπερ εἰ τῶν αὐτῶν ἅψαιντο κακῶν ταῖς ὁμοίαις ποιναῖς ὑποκείσονται. Idem in Conſtitutione περὶ τοῦ Μοδεράτωρος Ἑλ[illegible]: Εἰ δὲ εἰς ἑτέρου τινος εὕροι προσηγορίας σανίδας ἀνατεθείσας μὲν εὐθὺς καθαιρήσει, ἀνιχνεύσαι δὲ τὸν ταῦτα καταπήξαντα, καὶ εἰ μὲν αὐτὸς ὁ λέγων ἑαυτὸν εἶναι δεσπότην τοῦ πράγματος, τοῦτο πράττοι, παραχρῆμα τοῖς ἐκείνου αὐτοῦ πράγμασι τίτλους περιθήσει δημοσίους, εἰς κεφαλὴν αὐτοῦ περιρήξας, τοὺς ἀπ' αὐτοῦ τεθέντας τίτλους: *& quæ ſequuntur. Suntque huic non diſſimiles loci in conſtitutione de Prætore Paphlagoniæ, & de Proconſule Cappadociæ, ſed & titulum quoque* XV. *&* XVI. *libri* II. *Codicis Juſtiniani ad has tabulas pertinere exiſtimo.* Atque hæc ſunt Duareni. Alias huc facientes antiquitates retuli in partem II. *Harmoniæ Paſſionis CHRISTI* cap. XIII. §. XXVII. & ſeqq.

In genere notandum, quod ſæpius inſcriptum eſſet domui veſprædio, quis poſſeſſor eſſet, aut quis in iis habitaret. Auguſtinus *in Pſalmum* LV. *Sicut aliquam domum intraturi, cujus ſit, & ad quem pertineat, in titulo inſpiciamus, ne forte importune irruamus, quo non oportet; neque rurſus timiditate revocemur ab eo, quo oportet intrare. Tanquam ergo ſi legeremus:* Hæc prædia illius, aut illius: *ita*

& in superliminari Psalmi hujus habemus inscriptum. Et *in Psalm.* LVIII. *Sicut solet Scriptura Psalmorum mysteria in titulis ponere, & frontem Psalmi sublimitate Sacramenti decorare, ut sciamus, qui intraturi sumus, cum tanquam super postem, quid intus agatur, legerimus*, vel cujus domus sit, vel cujus prædii possessor; *ita & in hoc Psalmo scriptus est titulus de titulo*. Idem *in Psalm.* XCIII *In limine est titulus, in postibus fixus est. Volunt homines titulum cognoscere, & sic domum intrare.*

Interdum potentioris alicujus nomen falso inscribebatur ædibus vel prædiis, ne aliorum ex ponerentur injuriæ. Augustinus *in Psalm.* XXI. *Dividis unitatem, possessiones tuas quæris, & quare habent nomen CHRISTI? Quid ad defensionem possessionis tuæ titulos CHRISTI posuisti? Nonne hoc faciunt nonnulli in domo sua? Ne domum ipsius invadat aliquis potens, ponit* ibi titulos potentis, titulos mendaces. *Ipse vult esse possessor, & frontem domus suæ de titulo alieno muniri: ut cum titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis abstineat se ab invasione. ---- Illi, ut audirentur a judice, nomen CHRISTI imponebant, in possessione sua titulos illos imposuerunt. Bonus est Dominus, qui illis parcat, & ubi invenerit titulos suos, vendicet illud possessioni suæ. --- Videte fratres, quando potens aliquis invenerit titulos suos, nonne jure rem sibi vendicat, & dicit: Non poneret titulos meos, nisi res mea esset? Titulos meos posuit, mea res est. Possessor mutatur: titulus non mutatur. Sic & illi, qui titulum habent CHRISTI, sive veniunt ad unitatem, non mutamus titulos, aut delemus titulos, sed agnoscimus titulos Regis nostri, titulos Imperatoris nostri. Sed quid dicimus? O domus misera ille te possideat, cujus titulos habes. CHRISTI titulos habes. Noli esse Donati possessio.*

XV. *Tituli* nomen habebat ejusmodi Inscriptio. Plinius lib. VII. Epist. XXVII. *Deserta inde & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta: proscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. Venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur.* Tibullus lib. II.

Ite sub imperium, sub titulumque lares.

Ovidius *de Remedio Amoris* lib. I.

Sub titulum nostros misit avara lares.

Perfecisse dicit avaram meretricem, ut præfigeretur titulus vendundæ domus index. Quamquam in genere quævis inscriptio Tituli nomen habuit. Innumeris id probatum liceret dare veterum Scriptorum testimoniis: at nolim nunc præter unicum Ambrosii locum alia afferre. Ita autem ille Epist. XXXIX. ad Theodosium Imperat. *Hunc titulum Judæi in fronte suæ Synagogæ scribent, TEMPLUM IMPIETATIS FACTUM DE MANUBIIS CHRISTIANORUM.*

XVI. In Lupanari cujusque cellæ foribus propudii nomen, quod ibi quæstum meretricium faceret, inscribebatur, cum digna non tantum esset janua, sed & ipsum prostibulum, cujus fronti candenti ferro nigrum Theta præfigeretur. Martialis lib. XI.

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ.

Juvenalis de rabiosa libidine Messalinæ Sat. VI.

——————— *Tunc nuda papillis*
Constitit auratis titulum mentita Lyciscæ.

Præfigebat illa cellæ titulum Lyciscæ, quasi meretrix ejus nominis ibidem prostaret. Seneca *Rhetor.* lib. I. controv. II. *Deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est.* Ibidem: *Nomen tuum pependit in fronte: pretia stupri accepisti.* Et denuo: *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti.* Vide Brissonium *de Jure Connubiorum*, Casellium Durantium lib. I. cap. II. & X. *Variarum*, Janum Douzam, *Præcidaneorum ad Petronium* lib. I. cap. IV.

XVII. At enim apage hos titulos! de melioribus erimus solliciti. Et Literatis quidem magnæ voluptati cedit, si ipsos libros impetrare nequeunt, eorum tamen nomina recognoscere. Hæc olim foribus Bibliopolarum inscripta fuisse, ex Martiale docemur lib. I. Epig. CXIIX.

Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & inde totis,
Omnes ut cito perlegas Poetas.

In his titulis perlegendis me sæpius voluptatem animi quæsivisse, atque etiam reperisse, ingenue profiteor. Egimus hoc Capite de Inscriptionibus Januarum. Huc referas observationem illam singularem, quod olim metatores (nostri homines solent vocare, *die Quartiermeister*) januis inscripserint hospitaturi nomen, quod sub gravi pœna delere nefas erat. Sic enim rescripserunt Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius, leg. I. Cod. *de metatis, & epidemeticis: Si quis metatorum nostrorum manum, qua deputatas singulis quibusque domus denotant, & postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitaverit: ad instar falsi reus constituti hujus auctoritate teneatur.*

CAP. XXIX.

DE ARMIS, SPOLIIS, PRÆMIIS MILITARIBUS, ITEM FERARUM EXUVIIS IN JANUIS VETERUM FIXIS.

Summarium.

His ornamentis præcipue fulserunt templorum valvæ, sed & Principum Palatia, & privatorum domus. In summa necessitate arma postibus suffixa, refixa. Milites emeriti arma Dis dicabant. Vendita domo possessori novo non licebat spolia refigere. Venatores ferarum spolia foribus, & arboribus & templis Dianæ suffigebant. Infaustæ aves foribus suffixæ.

I. FINIS priori capiti in militia togata erat. Nunc ad sagatam progrediemur. Quapropter AD ARMA! AD ARMA! Scilicet ostendam hoc capite, quomodo Veteres varii generis armis, clypeis potissimum, aliisque militaribus spoliis & præmiis fores publicas & privatas decoraverint.

II. Primum de foribus templorum id probabimus ex Poetis. Virgilius lib. V. *Æn.* v. 360.

Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.

Idem lib. VII. *Æn.* v. 183.

Multaque præterea sacris in postibus arma.
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra.
Spicula, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Quem locum luculenter imitatur Silius lib. I.

In foribus sacris, primoque in limine templi,
Captivi currus, belli decus, armaque rapta
Pugnantum ducibus, sævoque in Marte secures,
Perfossi clypei, & servantia tela cruorem,
Claustraque portarum pendent.

Iterum Virgilius lib. IX. *Æn.*

Ipse (Cæsar) *sedens niveo candentis limine Phœbi,*
Dona recognoscit populorum aptatque superbis
Postibus.

Horatius de Augusto lib. IV. *Carm.* Od. XV.

Et signa nostro restituit Jovi
Direpta Parthorum superbis
Postibus.

Ovidius lib. V. *Fastor.* de templo Martis Ultoris:

Perspicit in foribus diversæ tela figuræ
Armaque terrarum milite victa suo.

Persius Sat. VI. v. 43.

O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam postibus arma
Jam chlamydas Regum, jam lutea gausapa captis
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.

Cæsonia scilicet, Caii Caligulæ coniux, jam arma captivorum, jam Regum & Imperatorum devictorum egregias vestes, & chlamydas, & spolia postibus & columnis templorum affigit.

III. Neque ignorant eum morem Historici. Plinius de clypeo Asdrubalis, supra fores ædis Jovis Capitolini fixo, libr. XXXV. cap. III. *Pœni ex auro factitavere & clypeos, & imagines, secumque in castris tulere. Certe captis eis talem Asdrubalis invenit Q. Marcius, Scipionum in Hispania ultor: isque clypeus supra fores Capitolinæ ædis usque ad incendium primum fuit.* Valerius Maximus libr. VII. cap. VI. *Cannensis clades adeo urbem nostram vehementer confudit, ut M. Junii opera dictatura Remp. administrantis spolia hostium affixa templis, deorum numini consecrata, instrumento militiæ futura convellerentur.*

IV. Eo lubentius hæc Valeriana adscripsi, quod insimul nos doceant, quomodo in summa necessitate hæc Diis dicata arma licuerit refigere. Illustrabo hunc morem Silii quoque versibus, apud quem extremo fere libro X. Romanam Juventutem sic alloquitur Fabius:

——— *Ite, ite ocius, arma*
Diripite o pubes templis, vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.

Ut & Papinii, qui lib. III. *Thebaid.* v. 581. ita canit:

Tantus in attonitos cecidit deus: arma paternis
Postibus, & fixos Superum ad penetralia currus
Vellere amor.

Ac iterum lib. XII. v. 701.

Pax inventa perit, patriis modo fixa revellunt
Arma deis.

V. Gladiatores vero rude donati, & milites emeriti clypeos suos, aut cetera arma sacris itidem postibus, Herculis potissimum religiose dedicabant. Horatius lib. I. Epist. I. v. 4.

Non eadem est ætas, non mens. Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.

VI. A templis non multum differebant Regum & Imperatorum palatia. Non mirum ergo, si & horum valvas splendido hoc apparatu superbiisse legimus. Virgilius de Priami regia lib. II. *Æn.* v. 503.

Quinquaginta illi thalami (spes tanta nepotum)
Barbarico postes auro spoliisque superbi.

De Palatio Romano Ovid. lib. III. *Tristium* Eleg. I.

Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conspicuos postes, tectaque digna Deo.

VII. Ad privatorum fores devenio. Etiam his, quæ spolia hostibus detraxerant, licebat in limine

A domus figere. Nec tamen alia, quam quæ hostibus extorta, licebat. M. Cato Oratione de spoliis, apud Festum in *Resignare*: *Ne spolia figerentur, nisi quæ de hoste capta.* Sic enim lacunam, quæ est in Festo, ex Servio supplent viri docti. Livius Decad. I. lib. X. *Cui deorum hominumve indignum videri debet, eis viris, quos vos Sella curuli, toga picta, prætexta, tunica palmata, & toga insuper picta, & corona triumphali, laureaque honorastis; quorum domus spoliis hostium affixis, insignes inter alia feceritis, pontificalia insignia adjicere?* Idem Decad. IV. lib. VIII. *Signaque quæ ablata criminantur, & cetera*
B *spolia ejus urbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis.* Suetonius *Nerone* cap. XXXVIII. *Tunc præter immensum numerum insularum, domusque priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ.* Diodorus Siculus l. VI. cujusdam nationis hæc solemnia refert: *Hostium spolia sanguine perfusa famulis tradidisse in foribus domorum cum cantu & lacrymis affigenda.* Pulchre ad hunc morem Tibullus lib. I. Eleg. I.

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.

Et apud Virgilium Romano more dixit Acestes, de Entelli domo, lib. V. *Æn.* v. 393.

C ——— *Ubi fama per omnem*
Trinacriam, & spolia illa tuis pendentia tectis?

VIII. Vendita etiam domo manebant hæc ornamenta, neque novo possessori fas erat illa refigere. Plinius lib. XXXV. cap. II. *Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines affixis hostium spoliis, quæ nec emtori refringere* (alii *refigere*) *liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.*

IX. Habebant interdum hæc spolia in postibus fixa suas Inscriptiones. Virgilius lib. III. *Æn.*

D *Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis*
Postibus adversis figo, & rem carmine signo
ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.

X. Non graviter ferent, credo, militaria spolia, si iisdem venatoria junxerimus. Enimvero & in venatione bella sunt. Nam juxta Pollucem lib. V. cap. I. Venator est πολέμιος θηρίων, καὶ ἐχθρός. Scilicet vetusta admodum est consuetudo, ut qui venatione delectarentur, ferarum capita, exuvias, pelles, cornua, rostra, militaris virtutis in pace & ocio insignia foribus affigerent, & gloriose ostentarent. Manilius lib. IV.

E *Hoc habet, hoc studium postes ornare superbis*
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas.

Symmachus lib. V. Epist. LXVI. *Ut honori Numinum datur, cornua sacrare cervorum & aprinos dentes liminibus affigere: ita amicorum cultui dedicantur libamenta sylvarum.* Apulejus *Metam.* lib. V. de Psyche ad Junonis templum appropinquante: *Videt dona preciosa, & lacinias auro litteratas ramis arborum, postibusque suffixas; quæ cum gratia facti nomen Deæ, cui fuerant dicatæ, testabantur.*

F XI. In Dianæ autem consecratis fanis id imprimis locum habuisse ex Plutarchi *Quæstionibus Romanis* docemur: qui propterea quærendi cepit ansam, cur *cum in reliquis Dianæ templis cervorum affingantur cornua, ei, quod in Aventino est, boum cornua affixerint.* Dianam vero venationum fuisse Præsidem, tam est in vulgus notum, ut nullo teste indigeat.

XII. In transcursu discimus ex Apulejo, quod non tantum foribus hæc dedicaverit donaria, sed etiam arboribus. Idem docemur ex *Flori-*

dis: *Neque justius*, inquam, *religiosam moram viatori objecerit, ut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata*. Ut & ex Propertio, lib. II. Eleg. XIX.

Incipiam captare feras & reddere pinu
Cornua, & audaces ipse movebo feras.

XIII. Alius hodie mos perdurat, non multum absimilis priori, ut rapaces, infaustæ item nocturnæque aves, vespertiliones, bubones, & cæteræ hujus generis foribus præsertim villaticis affigantur. Id etiam factitatum a Veteribus, sed ea superstitione, ut quasi amuletum essent dirarum, domumque suo supplicio quodammodo expiarent. Apulejus lib. II. *Metam*. *Quid? quod istas nocturnas aves, cum penetraverint larem quempiam, sollicite prehensas foribus videmus affigi, ut quod infaustis volatibus familiæ minantur exitium, suis luant cruciatibus*. Columella lib. X.

Hinc Amythaonius docuit quamplurima Chiron
Nocturnas crucibus volucres suspendit, & altis
Culminibus vetuit feralia crimina flere.

Palladius lib. I. *de re rust*. tit. XXXV. *Contra grandinem multa dicuntur. Item omne horti spatium alba vite præcingitur: vel noctua pennis patentibus suffigitur*.

CAP. XXX.

DE JANUIS CORONATIS.

Summarium.

Religionis erat Deorum foribus suspendere coronas. Palatio Romano laurus perpetuo affixa, ut & corona civica, quercina. Claudius Cæsar civicæ junxit Navalem. Pontificis, Regis Sacrorum, & Curiæ fores coronatæ lauru. In omni publica privataque lætitia coronis ornabantur Januæ. In festis statis. In triumpho. In adventu, & reditu Principis. Postquam urbs obsidione soluta. In Natalibus Virorum Principum. Israelis Clauderi laus. Si viro gratioso dignitas collata. Post detectam conjurationem. In Nuptiis lauro & myrto refulsit Janua. Sponsa vitta lanea coronabat mariti postes, & lupino adipe ungebat. Coronatæ fores in puerperio. Item cum privatus aliquis reversus. Causidici indicium partæ in foro victoriæ palmam suffigebant Januæ. Christiani coronatas fores damnarunt, & Impp. Christiani publicis LL. vetuerunt; cum distinctione tamen, ceu puto. Paschalii liber de Coronis *laudatus*.

I. CONtemplati sumus ea forium ornamenta, quæ diu durare potuerunt, & quorum pars non nisi cum ipsis Janua interierunt, pars ipsa etiam ostia longævitate superarunt. De istis nunc agendum est, quæ temporaria fuerunt, & quæ vel ipsa materies, vel domini voluntas loco jussit cedere. In his quia facile principem locum habuerunt CORONÆ, easdem primo explicabimus.

II. Religionis autem erat non vulgaris, quod qui deos vellent venerari, templorum foribus suspenderent coronas. Tibullus lib. I. Eleg. I.

Flava Ceres tibi sit nostro de rure corolla
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Virgilius in *Ceiri* v. 95.

Magna mihi cupido tribuistis præmia divæ
Pierides: quarum castos altaria postes
Munere sæpe meo inficiunt, foribusque hyacinthi
Deponunt flores, aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alterna conjungens lilia caltha,
Sparsaque liminibus floret rosa. Nunc age divæ
Præcipue nostro nunc adspirate labori.

Mentionem ejus moris facit Buxtorffius in *lexico Talmudico*, dicens: *Profectos esse Celilæos populos ex Juda & Jerusalem, qui tempore regni Græcorum attulerint coronas rosaceas, & suspenderint ad fores ædium idololatricarum, & ad januas tabernarum, & ad januas atriorum, & cantica idolis suis cantaverint*.

III. Illud vero singulare est, quod de Palatio Imperatorum Romanorum legimus, idem perpetuo laurum in foribus affixam habuisse. Dubium tamen mihi relinquitur nullum, quin sæpius hæc laurea fuerit mutata, & sic novo quasi habitu induta solita fuerit revirescere. Audiemus de hoc ritu Plinium lib. XV. cap. XXX. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus janitrix Cæsarum, Pontificumque: quæ sola & domos exornat, & amte limina excubat*. Ovidius *Metamorph*. de Daphne:

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabit.

In causas hujus moris pulchre idem inquirit Ovid. lib. III. *Tristium* Eleg. I.

Cur tamen apposita velatur janua lauro?
Cingit & augustas arbor opaca fores?
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata Deo est?
Ipsa ne quod festa est? an quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris, pacis an ista nota est?
Utque viret laurus semper, nec fronde caduca
Carpitur, æternum sic habet illa decus.

Tangit etiam Martialis lib. VIII. Epig. I.

Laurigeros Domini liber intrature Penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.

Nullus propemodum dubito, quin de Palatio Romano loquatur Seneca *Consolat. ad Polyb.* cap. XXXV. *Ibit violentior per omnia* (fortuna) *sicut semper est solita, eas quoque domos ausa injuriæ causa intrare, in quas per templa aditur; & atram laureatis foribus induet vestem*. Luculentum habemus Macrobii testimonium, quo docemur, Kl. Martiis laureas veteres novis fuisse mutatas. Ita nempe lib. I. *Saturnal*. cap. XII. *Eodem quoque ingrediente mense tam in regia curiisque atque Flaminum domibus laureæ veteres novis laureis mutabuntur*.

IV. Neque tamen hunc honorem sola laurus habuit; sed quercus ei data fuit comes. Ovidius loco laudato:

Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conspicuos postes, tectaque digna Deo.
Et Jovis hæc, dixi, domus est; quod ut esse putarem,
Augurium menti querna corona dabat.
Cujus ut accepi Dominum, non fallimur, inquam:
Et magni verum est hanc Jovis esse domum.

V. Arcanum sub hac corona quercina latebat Politicum. Ut vulgus in opinione teneretur, non aliud esse Cæsares, quam SERVATORES CIVIUM. Civica enim corona materiem habebat quercum, titulum habuit:

OB CIVES SERVATOS.

Valerius Maximus lib. II. cap. VIII. *Ad quercum pronæ manus porriguntur: ubi ob cives servatos corona danda est: qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant*. Ovidius citato loco:

Causa superpositæ scripto testante coronæ
Servatos cives indicat hujus ope.

Optime Seneca *de Clementia* lib. II. cap. XXVI. *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusve est, quam illa corona ob cives servatos*.

VI. De Claudio Cæsare memorat Suetonius, cap. XVII. quod is Civicæ Navalem etiam coronam junxerit. Ejus verba hæc sunt: *Inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quasi domiti Oceani insigne*. Qualis vero Navalis Corona fuerit, A. Gellius explicat lib. V. cap. VI. his verbis: *Nava-*

Navalis est; qua donari solet maritimo prælio, qui primus in hostium navem vi armatus transilivit. Ea quasi navium rostris insignita est.

VII. Quod speciatim attinet ad lauream, ea quoque Pontificis, Regis Sacrorum, & Curiæ, Janitrix fuit. De Pontificia domo Plinium audivimus. De Rege Sacrorum, ut & de Curia, Ovidius lib. I. *Fastor.*

Non dubites primæ fuerint quin ante Kalendæ
Martis: ad hæc animum signa referre potes.
Laurea Flaminibus quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ.
Janua tunc Regis posita viret arbore Phœbi,
Ante tuas itidem Curia prisca fores.

VIII. Ceteroquin solemne fuit Veteribus, in omni publica privataque lætitia, floribus, frondibus, sertis, publicas & privatas fores exquisite exornare.

IX. Dicam primo de Coronis, publicæ lætitiæ indicibus: post illa acturus de sertis gaudii privati testibus.

X. Fuit autem hoc receptum in omni festivitate publica, sive illa ordinaria, sive esset extra ordinem. Ordinariam festivitatem appello, statas veterum Romanorum ferias, quæ certis scilicet diebus anni in Deorum, aut in Deos receptorum honorem celebrabantur. Ac tum non tantum in privatis foribus, atque illis præsertim, quorum domini ex peculiari ratione addicti erant Divis Deabusve, quorum festa agebantur, coronæ apparuerunt, sed & præ templi valvis suspensas esse reor. Ad hunc morem Tibullum respexisse puto supra laudatis versibus, in quibus Cerealia procul dubio tetigit.

XI. Inter festa deinde extraordinaria merito familiam ducit triumphus, & triumpho similis adventus Principis, aut ex longinquo itinere reditus. Elegantissimi versus sunt Prudentii, quibus in honores Honorio Principi tributos, cum gaudiis, quæ Roma Camillo triumphante præ se tulit, comparat: quorum partem, quia de his coronis agunt, placet huc transscribere. Habentur ii lib. II. *contra Symmachum*, vers. 720. & seqq.

Si potui manibus Gallorum excisa levare
De cinerum squalore caput; redeunte Camillo,
Signa renidenti fumans si fronte recepi:
Si potui miseras sertis redimire ruinas,
Et male pendentes lauro præcingere turres.
Quo te suscipiam gremio, fortissime Princeps?
Quos spargam flores? quibus insertabo coronis
Atria? quæ festis suspendam pallia portis?

De Vespasiani Patris triumpho Josephus *de Bello Jud.* lib. VII. cap. XXII. *Tota civitas veluti templum erat, sertis atque odoribus plena.* Triumpho pœne simile erat, cum Tiridates Rex Armeniæ, magnis pollicitationibus sollicitatus Romam veniret, & in speciem Neroni se submitteret. De eo Xiphilinus in *Nerone*: Καὶ πᾶσα μὲν ἡ πόλις ἐκεκόσμητο, καὶ φῶσι, καὶ στεφανώμασιν. *Et tota quidem civitas ornata erat funalibus & coronis.* Idem postea de reditu Neronis e Græcia: εἰς τὸ καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἐκεῖθεν ἐς τὸ παλάτιον, πάσης μὲν τῆς πόλεως ἐστεφανωμένης καὶ λυχνοκαυτούσης καὶ θυμιώσης. *Ascendit in Capitolium, ac deinde in Palatium, cum tota urbs coronis, lucernis & suffitu renideret.* Corippus de inauguratione Justini lib. III. v. 66.

Exornant postes, & arundine limina comunt,
Festaque per cunctos tendunt velamina vicos.

XII. Sic etiam cum urbs obsidione soluta festos dies ageret, testes lætitiæ in foribus, præcipue templorum, aderant serta. Huc refero, quod de Trojanis, qui se ex faucibus Orci putabant libe-

A ratos, cum tamen insidiæ illis struerentur, Didoni suæ narrat Æneas lib. II. *Eneid.* v. 249.

Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

XIII. Idem ritus viguit in Natalibus Virorum Principum, aut alias de Ecclesia & Rep. bene meritorum. Tangit hoc Paulinus, quando Natal. III. Felicis ita canit.

Spargite flore solum, prætexite limina sertis.

Alium Gregorii Nazianzeni locum Michaelem B Piccartum observasse, ex aureolis Clarissimi, meique amantissimi Viri, Israelis Clauderi *de Natalitiis Veterum* Dissertationibus didici.

XIV. Ex Rutilio quoque Numatiano discimus, quod id in usu quoque fuerit, si Viro gratioso dignitas quædam collata. Sic enim Venerio Rufo, Urbis Præfecto, inter alia gratulatur, lib. I. v. 422.

Cognomen versu Veneris, carissime Rufi,
Illo te dudum pagina nostra canit.
Festa dies, pridemque meos dignata Penates,
Poste coronato vota secunda colat.
Exornent virides communia gaudia rami:
C *Provecta est animæ portio magna meæ.*

XV. Post detectam in Neronis caput conjurationem idem Romæ factum: magis tamen in speciem, credo, quam quod de salute monstri gauderent ex animo. Quamquam non ignoro, quod favore plebeculæ succinctus fuerit Imperator odio omnium dignissimus. Sed Tacitum auscultabimus, loquentem presse, suo more: *Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi, & dextram osculis fatigare. At-* D *que ille gaudium id credens, Antonii Natalis, & Cervarii Proculi festinata indicia impunitate remuneratur.* lib. XV. *Annal.*

XVI. Inter privatas festivitates vix quædam majori pompa celebratæ sunt, quam Nuptiæ. Quapropter crebra in Nuptiis Veterum coronatarum Januarum memoria. Et in primis sibi in his indulgere solent Poetæ. Catullus de Nuptiis Pelei & Thetidis, carm. LXV. v. 278. seqq. ex emendatione Scaligeri;

Quorum post abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron, portans sylvestria dona.
E *Nam quotcunque ferunt campi, quos Thessala magnis*
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fæcunda Favoni,
Hos indistinctis plexo tulit ipse corollis.
Queis permulsa domus jucundo risit odore.
Confestim Peneos adest: viridantia Tempe,
Tempe, quæ sylvæ cingunt superimpendentes,
Minyasin linquens claris celebranda choreis
Cranona ærisonamque tulit radicibus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentaque sorore
Flammati Phaethontis, & aeria cupressu.
F *Hæc circum sedes late contexta locavit,*
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Juvenalis Sat. VI. v. 79.

Longa per angustos figantur pulpita vicos,
Ornentur postes, & grandi janua lauro.

Idem, eadem Satyra, de uxore adultera, statim post nuptias divertente, v. 228.

Avolat, & spreti repetit vestigia lecti
Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine laurus.

Lucanus de Nuptiis propemodum lugubribus Catonis & Marciæ lib. II. v. 354.

Festa coronato non pendent limine serta.

Claudianus de Nuptiis Plutonis & Proserpinæ lib. II. v. 315.

Pars aulæa tenent, alii prætexere ramis
Limina, & in thalamis cultas extollere vestes.

Papinius Statius, Epithalamio Stellæ & Violantillæ, lib. I. *Sylv.* carm. II. v. 229.

Vix dum emissa dies, & jam socialia præsto
Omina, jam festa fervet domus utraque pompa.
Fronde virent postes, & fervent compita flammis,
Et pars immensæ gaudet celeberrima Romæ.

Lucianus Dial. *Meretric.* Ἀκριβῶς ἴδε τὴν θύραν, πότερα ἐστὶν ἡ κατεστεμμένη; *Diligenter inspice januam utra sertis exornata sit.* Loquitur autem de nuptiali festivitate: ac paulo ante dixerat, *propter nuptias* πάντα κατεστεμμένα *omnia sertis coronata.* Apulejus lib. IV. *Metam. Domus tota obsita, tædis lucida, constrepebat Hymenæum.*

XVII. Laurus præcipue, ceu vidimus, in nuptialibus Januæ coronis locum habuit. Sed nec minus frequens in illis fuit myrtus, quod hæc sacrata esset Veneri. Apud Claudianum Panegyrico de Nuptiis Honorii & Mariæ, v. 318. domum Imperatoriis Nuptiis præparans, mandat suis ministeriis Venus:

Hi nostra nitidos postes obducere myrto
Contendant.

Idem Epigrammate de Magnete, v. 28.

Illis connubium celebrat de more sacerdos.
Ducit flamma choros. festa frondentia myrto
Limina cinguntur, roseisque cubilia surgunt
Floribus, & thalamos dotalis purpura velat.

De Myrto Veneri sacra, quæ & inde nomen *Myrteæ* accepit, nos alibi exactius.

XVIII. Ad Coronas etiam nuptiales illum referre possumus morem, quod sponsa in ædes mariti introducta januam laneis vittis ornaret. Plutarchus *Quæst. Rom.* XXXI. ἐρίῳ τὴν θύραν περιστέφει τοῦ ἀνδρός: *mariti januam lana coronat.* Servius ad ista Virgilii lib. IV. *Æn.*

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui: miro quod honore colebat,
Velleribus niveis, & festa fronde revinctum.

hæc commentatur: *Miro quod honore colebat. Exhibendo ea, quæ circa vivos solent fieri. Moris enim fuerat, ut nubentes puellæ simul ut venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis.* Sed quicquid sit de hoc ritu, Virgilium tamen potius ad eum morem respexisse puto, quod Veteres, diebus præsertim festis, vittis decoraverint deorum templa. Rectius ergo huc retuleris illud Lucani lib. II. v. 355.

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Per *Infulam* nimirum *candidam* intelligere videtur laneam maritæ, qua postes coronabat, vittam. Si tamen Plinio credimus, non tam coronabat fores nova nupta, quam easdem attingebat. Nam ita scribit lib. XXIX. cap. II. *Lanis auctoritatem Veteres Romani etiam religiosam habuere, postes a nubentibus attingi jubentes,* nisi velis Lipsii conjecturam probare, qui pro *attingi* legit *ea cingi.* A Servii tamen partibus stat Donatus *in Terentii Hecyram: Uxor dicitur ab ungendis postibus, & figenda lana, id est, quod eum puellæ nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant.*

XIX. Scilicet etiam ungebat postes marita nova: Unde etiam Juno *Unxiæ* nomen accepit, atque ipsum etiam Uxoris nomen inde derivari qui-
A dam censent. Arnobius lib. III. *adversus gentes: Unctionibus superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi, Victa & Potua sanctissimæ, victui potuique procurant. O egregia Numinum, & singularis interpretatio potestatum! nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur a sponsis: Dii nomina non haberent.* Adipem lupinum ad hanc unctionem adhibitum, testatur Plinius lib. XXVIII. cap. IX. *Massurius palmam lupino adipi dedisse antiquos tradit. Ideo novas nuptas illo perungere postes solitas, ne quid mali medicamenti inferretur.* Sunt qui huc trahant illud Horatii lib. I. *Sermon.* Sat. VIII.

Atque lupi barbam variæ cum dente colubræ.

B Sed de his ritibus, nos Deo volente, uberius agemus, quamprimum dabitur occasio nostra de *Nuptiis Veterum* Conjectanea in lucem proferre. Hic, quoniam iidem ad Januas spectant, plane prætermittere non potuimus.

XX. A Nuptiis transeo ad Puerperium. Nimirum cum recens natus esset infans, non satis erat Parentibus in sinu gaudere, sed gaudium suum suspensa præ foribus corona publice testabantur. Huc spectant illa Juvenalis Sat. IX. v. 84.

—— —— Foribus suspende coronas:
Jam Pater es,

C ad quæ Johannes Britannicus: *Orna in lætitiæ signum fores domus frondibus, & coronamentis jam enim filios habes.* Apud Athenienses, si infans esset masculus, corona hæc erat oleagina; si sequioris generis, lanea. Hesychius: ἔθος ἦν, ὁπότε παιδίον ἄρρεν γένοιτο παρὰ Ἀττικοῖς, στέφανον ἐλαίας τιθέναι πρὸ τῶν θυρῶν, ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν ἔρια, διὰ τὴν ταλασίαν. *Moris erat apud Athenienses, quando puerulus masculus esset, coronam oleaginam statuere præ foribus, ob fœmellas vero, lanas, propter texturam.* Sed de hoc ritu pulcherrima procul dubio cum erudito Orbe communicasset, stupendæ Vir eruditionis,
D nec minoris humanitatis, Thomas Bartholinus, ni limatissimum *de Puerperio Veterum* opus una cum aliis dignis cedro monimentis in secessu Hagestetensi edax flamma non ita pridem absumsisset. Quantum enim elaboraverit in opere laudato Vir incomparabilis, ex ipsius dicentis ore, cum ante aliquot annos Hafniæ versarer, intellexi.

XXI. Etiam cum reverterentur ex longinquo itinere prisci Romani, eorum domus festo hoc ornatu reddebatur illustrior. Signanter dico, *festo ornatu.* Nam eadem verba usurpavit Tacitus, quando redeuntis Pisonis domum, quin & ipsum Pisonem hoc nomine in invidiam adductum memorat:
E *Annal.* III. verba hæc sunt: *Fuit inter irritamenta invidiæ, domus foro imminens, festo ornatu, conviviumque & epulæ, & celebritate loci nihil occultum.* Ex hoc eodem ritu est, quod Juvenalis Sat. XII. ob Catulli reditum, qui peregre profectus maxima in mari pericula expertus erat, sacra facturus, Januam quoque coronatam cupit. Etiam qui præcedunt versus, quia aliquot singularia de coronis continent, digni sunt, qui hic recenseantur:

Ite igitur pueri linguis animisque faventes,
Sertaque delubris & farra imponite cultris,
F *Et molles ornate focos, glebamque virentem.*
Jam sequar, & sacro quod restat, rite peracto
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Jovem, laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores,
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos.
Et matutinis operitur festa lucernis.

XXII. Illud non erit sicco pede prætereundum, quod Oratores & causidici partam in foro victoriam

appensa pro foribus palma testati, suæ hoc pacto gloriæ velificari voluerint. Huc enim plerique interpretes referunt ista Juvenalis, Sat. VII.

—— Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides Scalarum gloria palmæ.

Lucianus Ῥητόρων διδασκάλῳ expresse notat hanc consuetudinem, ac simul alium ejus finem ostendit, quo videlicet clientes appensa palma plures conciliaret. κἂν ἐν ταῖς δίκαις ἐξετάζωμαι, προδιδοὺς τὰ πολλὰ καὶ τοὺς δικαστὰς τοῖς ἀνοήτοις καθυπισχνούμενος. Καὶ ἡττῶμαι μὲν τὰ πλεῖστα. Οἱ φοίνικες δὲ ἐπὶ τῇ θύρᾳ χλωροὶ ἐστεφανωμένοι. τούτοις γὰρ ἐπὶ τοὺς δυστυχεῖς χρῶμαι τοῖς δελέασι. Eo etiam pertinent sequentia Lucani Panegyrico ad Pisonem:

——— licet exercere togatæ
Munera militiæ: libet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella movere.
Hinc quoque servati contingit gloria civis,
Altaque victores intexunt limina palmæ.

XXIII. De coronatis Gentilium foribus satis. Nam quæ de sertis restant, quibus amasii amicarum januis nimium quantum blandiebantur, una cum aliis horum hominum ineptiis singulari hujus libelli capiti reservo.

XXIV. De primitivæ Ecclesiæ Christianis illud est notandum, quod plane damnaverint has coronas. Unde sæpius in illas invehitur Tertullianus. Ut in *Apologetico* cap. XXXV. *O nos merito damnandos: Cur enim vota & gaudia Cæsarum casti, & sobrii, & probi expungimus? Cur die læto non laureis postes obumbramus?* Idem *de corona militis*, cap. XIII. *Christianus nec laureis januam suam infamabit.* Et hæc lib. *de Idolatria* cap. XV. quæ eo libentius legeris, quod alia plura ad Antiquitates Januarum pertinentia complectantur: *Etiam apud Græcos Apollinem Thyræum, & Antelicos dæmonas ostiorum præsides legimus. Hæc igitur ab initio prævidens Spiritus S. etiam ostia in superstitionem ventura præcecinit per antiquissimum Prophetam Enoch. Nam & alias alia ostia in balneis adorari videmus. Si autem eorum sunt, quæ in ostiis adorentur, ad eos & lucernæ & laureæ pertinebunt. Idolo feceris, quicquid ostio feceris. Hoc in loco ex auctoritate quoque Dei contestor, quia nec tutum est subtrahere, quodcunque uni fuerit ostensum, utique omnium causa. Scio fratrem per visionem eadem nocte castigatum graviter, quod januam ejus subito annuntiatis gaudiis publicis servi coronassent. Et tamen non ipse coronaverat, aut præceperat, nam ante processerat, & regressus deprehenderat factum.* Et post pauca: *Accendant igitur quotidie lucernas, quibus lux nulla est, adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent: illis competunt & testimonia tenebrarum, & auspicia pœnarum. Tu lumen es mundi, & arbor virens semper. Si templis renuntiasti, ne feceris templum januam tuam. Minus dixi: Si lupanaribus renuntiasti, ne induxeris domui tuæ faciem novi lupanaris.* Gregorius Nazianzenus Orat. in Natalem Domini: Μὴ πρόθυρα στεφανώσωμεν. *Nequaquam fores coronemus.* Martinus Bracarensis: *Non licet iniquas observationes agere diebus Calendarum, & otiis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc observatio paganismi est.* Paulinus Epithalamio in Julianum Episcopi Memoris filium:

Seria tranquillis agitentur gaudia votis:
CHRISTUS ubique pii voce sonet populi.
Nulla per ornatas insultet turba plateas;
Nemo solum foliis, limina fronde tegat.

Etiam Legibus ritum hunc sublatum voluerunt Imperatores Christiani. Sic enim Valentinianus

A & Martianus in Cod. Justin. *Absit a seculo nostro infandis exsecrandisque simulacris honorem pristinum reddi, redimi sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes, adoleri in iisdem thura, victimas cædi, pateris vina libari.* Et Theodosius, Arcadius & Honorius in Codice Theodosiano, tit. *de Paganis, Sacrificii, & Templis* leg. XII. *Nullus omnino ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in potestate positus, vel honore perfunctus, sive potens sorte nascendi, seu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla urbe, sensu carentibus simulacris, vel insontem* B *victimam cædat, vel (secretiore piaculo Larem, ignem, mero Genium, penates nidore veneratus) accendat lumina, imponat thura, serta suspendat.*

XXV. Ceterum quoniam serta & coronas forium non plane removit Ecclesia, id quod ex Prudentii & Paulini versibus, quos eodem hoc capite laudavimus, clarum est; quibus & hunc jungimus Venantii lib. VIII. carm. IX.

Inde viri postes, & pulpita floribus ornant.

superstitiosum illum præ foribus templorum, & in ipsis de delubris serta suspendendi ritum edictis suis vetuisse, credo. Ceterum quoniam in Helmstadiensi Academia Præceptor meus, Johannes C Saubertus, tum Orientalium LL. post & SS. Theol. Professor, ac denique in Academia Altdorfina SS. Theol. Prof. primarius, Pastor, ac diœceseos Superintendens, an. CIↃIↃCLXXII. XX. Julii singularia quædam de *secta Calilæorum* apud Judæos, ad me perscripsit, atque ea ad hoc caput de januis coronatis pertinent, cum bona lectoris venia eadem afferre non pigrabor: *Fuit apud priscos Judæos certum sectæ genus* בליילאו Calilæorum, *ita nuncupatorum a Coronis, quas ad fores templi suspendebant.* כלילא *enim* coronam *esse nosti. Quod cum per angustiam temporis nondum legerim in tuis circa januas observatis, non pigrabor totam de iis narra-* D *tionem Thalmudicorum præscribere. Ita enim legimus ea in* Mass. Thaanis *cap.* II. *quo agitur de diebus festis mense Ijar, & verba sequentia claudunt capitulum:* Die vigesimo septimo (*dicti nempe mensis*) sublata est secta Calilæorum ex Juda & Jerusalem. Siquidem tempore regni Græcorum afferebant coronas rosaceas, & suspendebant eas ad fores templorum suorum idololatricorum, & ad januas tabernarum, & ad januas atriorum, canticaque cantabant idolis suis. Inscribebant item fronti bovis, & fronti asini, dominis ipsorum nullam partem esse in Deo Israelis, sicut Philistæi faciebant, q. d. 1. *Sam.* XIII. 19. &c. Cum vero in- E valuisset manus Chasmonæorum, abrogarunt illam sectam atque ipsum, quo abrogarunt, diem, fecere festum. *Fol.* VII. *col.* II. *edit. Amstelod. qua codex hic separatim prodiit ante* XXII. *annos cum Commentariis R. Abraham Levitæ, in quibus multa insuper hanc in rem. Descripsit particulam narrationis istius etium Buxtorfius alicubi, quæ tamen ab istis quæ ex meo codice depromsi, verbis multum discrepant. Nullus dubito huc pertinere verba Maimonidis* de Idololatria: Si in urbe idololatrica tabernæ sint coronatæ: cap. IX. §. 10. *ad quæ verba Dionysius Vossius:* Tabernæ coronatæ. Nescio quo respexit Maimoni- F des, &c. *In eodem Maimonidis libro* cap. VII. §. VIII. pag. 92. *mentio fit imaginum urbium portis impositarum habentium in manibus virgam, vel avem, vel pilam, vel gladium, vel coronam, vel annulum, aut simile quid: ad quæ nonnulla docte commentatus fuit laudatus Vossius. Idem Maimonides in* Hilcos Thaanyos cap. 5. *halach.* XII. *egregii ritus Judaici circa fores ædium meminit: videlicet*, post destructionem Templi Hierosolymitani, constitutum fuisse a Sapientibus, ne unquam posthac Judæi ædificia

calce dealbata ornarent picturis, sed ut quisque suam domum incrustaret luto, atque oblineret calce, atque e regione januæ absque calce relinqueret locum mensuræ ejusdem cum ipsa janua. *Eodem libro cap.* III. *halach.* VII. *exquisite explanat* ritum claudendi januas in publicis jejuniis (in primis tabernarum) rursusque aperiendi eas. *Hæc B. Saubertus.*

XXVI. Atque hæc sufficiant de prisco ritu coronis exornandi fores. In quo si cui videor actam egisse operam, eo quod Carolus Paschalius, Gallus, erudito elegantique, quod *de Coronis* scripsit, opere, plura hujus generis collegerit: is affirmanti mihi credat velim, non nisi semel, & quidem jam ante annos non paucos, mihi visum esse istum librum, nec tum quidquam ex eodem ut excerperem fuisse integrum. Nuper vero, cum de his laboribus expediendis cogitarem, non mediocre studium adhibui, ut denuo in manus veniret liber: sed hactenus incassum laboravi.

CAP. XXXI.

DE CUPRESSU FUNESTÆ DOMUS INDICE.

Summarium.

Cupressus præ Janua funestæ domus posita. Græcis funestæ domus index erat vas lustrali aqua plenum, quod vocatum Ἀρδάνιον. Ὀστράκιον. Γάστρα. *Capilli de mortui capite resecti foribus appensi. Eidem super pectus mortui, & sepulchrum positi. In causas inquiritur cur cupressus præ foribus posita? Pontifici Romano nec tangere, nec adspicere mortuos fas erat. Bosii Exercitatio de Pontifice laudata. Cupressus succisa non regerminat. Eadem Diti sacra. Fabulæ de Cyparissa. Cupressus Magnatum in funeribus Janitrix. Picea vulgi. Cupressus atra, invisa, funesta, funebris, feralis.*

I. TRistia succedant lætis. laurumque cupressus
Excipiat.

Enimvero quoniam proximo capite laurum & myrtum plenas lætitiæ janitrices spectavimus, nunc funebris procedat ostiaria; Cupressus scilicet, quam positam præ foribus funestæ domus indicium fuisse ostendemus.

II. Perspicue hunc ritum exponit Servius, ad illud lib. IV. *Æn.*

——— *Et fronde coronat*
Funerea.

Romani, inquit, *moris fuit propter cerimonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum rem divinam facturus introeat, & quasi attaminatus, suscepta peragere non possit. Hinc ergo funerea cupresso.* Idem Servius ad illud III. *Æn.*

—— *Sylva alta Jovis, lucusve Dianæ:*

Jovis, inquit, *propter quercum; Dianæ, propter cupressum. Ipsa enim est etiam Proserpina. Ergo cupressi quasi infernæ, vel, quia succisæ non renascuntur, vel, quia apud Atticos funestæ domus hujus fronde velantur.*

III. Fuit ergo secundum Servii sententiam & Romanis pariter & Græcis usurpatus mos. Quamquam quod ad Græcos attinet, hi aliud etiam funestæ domus habuerunt indicium. Nam ad fores privatarum ædium, tantisper dum mortuus elatus nondum esset, vas magnum statuebant aqua lustrali plenum, quæ esset e domo non funesta allata, qua aqua sese quisque exiens aspergebat, qui exequias venerat. Verba Suidæ in Ἀρδάνιον (sic enim vocabatur illud vas: quamquam & ὀστράκιον, & γάστρα diceretur) quæ apud Kirchmannum lib. I. *de Funeribus*, cap. ult. leguntur Græce, ita reddit Hieron. Wolfius, Ἀρδάνιον, *vas aquaticum, quod pro foribus defunctorum collocabatur, ut ingredientes, & egredientes sese adspergerent.*

IV. Alium etiam Græcorum ritum observavit Isaacus Casaubonus, *ad Theophrasti Characteres*, ex Euripidis Alcestide: quod capilli de ipsius defuncti capite secti, foribus appenderentur. A quo versus erat iste mos, quod capilli mortuorum super ejus pectus, vel ad sepulchra ponerentur. Non est hujus loci ea nunc excutere. Si quis tamen quædam de illis avet scire, adeat Lindenbrogium in *Observat. ad Terentium*; Gronovium *Diatrib. ad Statium*, lib. V. *Sylv.* III. cap. LI. Dausquejum *ad Q. Calabrum;* Heraldum, *Adversariorum* lib. I. cap. IX. Saubertum *de Sacrificiis*, cap. X. Nos ad Cupressum nostram revertimur.

V. Causa autem positæ ante fores cupressi hæc erat: *ne quis rem divinam facturus*, ut ait Servius, *funestam domum introiret*. Nam sacrificaturi, quæ erat κακοζηλία sacrorum Judaicorum, ab omni pollutione serio cavere sibi debebant, inprimis Romanorum Pontifici nec tangere, nec adspicere cadaver licebat: quod Veterum testimoniis probatum daremus, nisi omnem nobis materiem præripuisset ingeniosa celeberrimi Bosii diligentia, cap. VI. exquisitissimæ *de Pontifice Maximo Romæ Veteris*, Exercitationis Historicæ.

VI. At enim, cur Cupressum speciatim huic fini elegerunt? Respondet nobis Servius: *quod succisa non regerminet.* Atque id etiam alii Scriptores testantur, nisi quod Ænariam excipiant. Plinius lib XVI. cap. XXXIII. *In Ænaria succisa regerminat. Sed in Creta quocunque loco terram moverit quispiam, nisi feratur alia, hæc gignitur, protinusque emigrat.*

VII. Aliam tamen hujus moris causam reddit laudato loco Plinius, quod Diti sacra fuerit. Verba ejus hæc sunt: *Diti sacra, & ideo funeris signo ad domos posita.* Utramque causam habes apud Festum: *Cupressi*, inquit, *mortuorum domibus ponebantur ideo, quia hujus generis arbor excisa non renascitur; sicut ex mortuo nihil jam est sperandum: quam ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur.* Fabulas Græcorum de Cyparissa, Boreæ Celtarum Regis filia excutere nihil attinet; & legi quædam de re ea possunt apud Kirchmannum, ut & Dalechampium in *Annotationibus ad Plinium*. item Hadrianum Junium *Miscellaneorum* lib. I. cap. XX. Torrent. *ad lib.* II. *Horatii Od.* XIV.

VIII. Neque tamen omnium, sed solum nobilium, divitumque funeribus Cupressum adhiberi solitam, indicat illud Lucani lib. III. v. 442.

Et non plebejos luctus testata cupressus.

IX. Atque ex hoc ritu potissimum est, quod passim atra, invisa, funesta, funebris, feralis, apud Poetas audiat Cupressus. Virg. lib. III. *Æn.*

Cæruleis mæstæ vittis, atraque cupresso.

Æneid. VI.

——— *ferales ante cupressos*
Constituunt.

Horatius lib. II. *Carm.* Od. XIV.

——— *Neque harum, quas colis, arborum*
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Idem *Epod.* Od. V.

Jubet sepulchris caprificos erutas,

Jubet cupressos funebres:
Silius lib. x.
At ferale decus, mœstas ad busta cupressos
Funereas.

X. Ut autem Cupressus ad Magnatum domos excubabat in funeribus; sic Piceam vulgus in hunc usum adhibuisse puto. Plinius lib. XVI. cap. X. *Picea montes amat, atque frigora: feralis arbor, & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens: jam tamen & in domos recepta, tonsili facilitate.*

CAP. XXXII.

DE JANUIS LUCERNATIS

Summarium.

Lipsii emendatio in Juvenali probatur. Ciceroni hunc honorem habuerunt Romani post detectam Catilinæ conjurationem. Lucernæ præ lupanaribus. præ Judæorum foribus diebus festis. Lucernæ fenestris, arboribus suspensæ.

I. OMNIUM *rerum*, inquit Comicus, *vicissitudo est*. Omnes id testantur Januæ, per quas nunc læta quævis intrant, & felicia; nunc tristia irrumpunt & lugubria. Quem in sensum pulchre Noster Seneca *Consolat. ad Polybium* cap. XXXV. *Hoc fuit in rebus humanis Fortuna. Hoc erit. Nihil inausum sibi reliquit, nihil intactum relinquet. Ibit violentior per omnia, sicut solita est semper; eas quoque domos ausa injuriæ causa intrare, in quas per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.* Quapropter nos etiam illas faustarum & infelicium rerum vices attendentes, inter coronas, cum ipsis quasi foribus exultabundas, & LUCERNAS, tum suo, tum Dominorum splendore coruscantes, quas nunc lectori nostro demonstrabimus, intestini mœroris indicem cupressum mediam collocare voluimus.

II. Spectate igitur mecum, qui hæc amœnitatis studia suspicitis, speciosas Veterum lucernas, quas in solemni quavis lætitia præ foribus suspendebant.

III. Hujus moris mentionem facit Juvenalis Sat. XII. versibus supra a nobis laudatis, quibus lætitiam diei festi ob felicem Catulli sui reditum describit. Repetemus saltem duos extremos, utpote ad hunc locum imprimis pertinentes.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

Non ignoro, quosdam hic *operatur* legere, & per *lucernas* significare diem: ac si Poeta velit ob reditum incolumis amici matutino tempore sacra facere. At enim sequimur certissimam emendationem Lipsii, quam proposuit lib. I. cap. III. *Electorum*, ubi hunc de lucernatis Januis ritum egregie illustrat.

IV. Hunc honorem Romani cives habuerunt M. Ciceroni, cum post detectam conjurationem Catilinæ, & complices necatos vesperi domum se referret. *Vesperi*, inquit Plutarchus, *per forum domum se contulit, non jam tacitis civibus, aut ordine eum comitantibus, sed quocunque pervenisset, cum clamore & plausu excipientibus, Servatoremque patriæ & conditorem invocantibus. Passim lucebant angiportus, lampadibus & facibus ante fores ubique constitutis.*

V. Non semel etiam hujus moris mentionem facit Tertullianus. Ut lib. II. *ad Uxorem: Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus solennibus regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: & procedet de janua laureata & lucernata,*

A *ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Ex quibus apparet, ad Lupanaria quoque & ædes lenonias ejusmodi lucernas suspendi solitas. Idem clare confirmat in *Apologetico: Cur die læto non laureis postes adumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solennitate publica inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Idem alio in loco lucernatarum forium his verbis meminit: *Plures jam invenies Ethnicorum fores sine lucernis & laureis quam Christianorum.*

VI. Judæi similiter diebus festis lucernas ante januas & fenestras collocabant, quod indicare videtur Persius Sat. V.

B
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.

VII. Ad hunc ritum fenestras lucernis cultas reddere, videtur quoque Martialis respexisse libr. X. Epigr. VI. quo adventum Cæsaris anxie exoptat:

Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?

C VIII. De Arboribus, præter Martialem, idem testatur Prudentius lib. II. *contra Symmachum.*

Et quæ fumificas arbor vitat a lucernas
Sustinuit, cadit ultrici succisa bipenni.

IX. In laquearibus porro has Lucernas deprehendit Lipsius, auctoritate fultus Poetarum Principis: cujus hæc sunt lib. II. magni operis:

—— Dependent lychni laquearibus aureis
Incensi.

Sed sunt plura apud Lucretium, Ovidium, Statium, Quinctilianum obvia: quæ collegit Janus
D Gebhardus *Crepundiorum* sive *Curarum Juvenilium*, minime profecto juvenilium, libro II. cap. VIII.

CAP. XXXIII.

DE FASCIBUS MAGISTRATUUM IN POSTE SUFFIXIS, ET MORE LICTORIS VIRGA PULSANDI JANUAM AD ADVENTUM CONSULIS.

E I. ULTIMUM inter temporaria Januæ ornamenta locum tribuemus FASCIBUS Magistratus in postibus suffixis. Si principatus & imperii indicium, quod præ se ferebant Fasces, intuemur, primas illis jure concederemus meritoque: at si de eo cogitamus, quod ambulatorii fuerint, atque adeo minimum constantes, nihil prohibet, quo minus ultimo loco morem hunc recenseamus.

II. Meminit autem hujus ritus Auctor *de Viris Illustribus*, in C. Licinio Stolone: *Fabius Ambustus ex duabus filiis, alteram Licinio Stoloni, alteram A. Sulpicio Patritio conjugem dedit: quarum plebeja cum*
F *sororem salutaret, cujus vir Tribunus militum Consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos indecenter expavit: a sorore irrisa, marito questa est, qui adjuvante socero, ut primum Tribunatum plebis aggressus est, legem tulit, ut alter Consul ex lege crearetur.* Claudianus de Olybrii & Probini Consulatu v. 231.

Unanimes fratres cuncto stipante Senatu
Ire forum, strictasque procul radiare secures,
Atque uno bijuges tolli de limine fasces.

Idem de IV. Conſul. Honorii v. 416.

Luſtratæ lictore caſæ, faſceſque ſalignis
Poſtibus affixi, collectæ Conſule meſſes.

Petronius in Trimalchione Sex Viro Auguſtali Campanam hanc ſuperbiam miratur, inquiens. *Quod præcipue miratus ſum, in poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi, quorum imam partem quaſi embolum navis æneum finiebat, in quo erat ſcriptum, G. POMPEIO. TRIMALCHIONI. VIVIRO. AUGUSTALI. CINNAMUS. DISPENSATOR.*

III. Virga, quam in manibus habebant, fores, ſi quo ingrediendum Conſuli eſſet, pulſabant lictores, quaſi ad ſignificandum ejus adventum. Livius lib. VI. *Forte ita accidit, ut in Servii Sulpicii Tribuni militum domo, ſorores Fabiæ cum inter ſe, ut fit, ſermonibus tererent tempus: lictor Sulpicii, cum is de foro ſe domum reciperet, forem, ut mos eſt, virga percuteret, cum ad id moris ejus inſueta expaviſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit.* Florus lib. I. cap. XXVI. *Hæc quodam tempore, quod lictoria virga ſonum ignotum penatibus ſuis expaverat, a ſorore ſatis inſolenter irriſa, injuriam non tulit.* Plinius lib. VII. cap. XXX. *Cn. Pompejus, confecto Mithridatico bello intraturus Poſidonii ſapientiæ profeſſione clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit: & faſces lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens occidenſque ſubmiſerat.* Solinus cap. VII. *Cn Pompejus Magnus intraturus domum Poſidonii clariſſimi tunc ſapientiæ profeſſoris, percuti ex more a lictore vetuit fores, ſummiſſiſque faſcibus, quamlibet confecto Mithridatico bello, & orientis victor, ſententia propria ceſſit januæ literarum.* Statius lib. I. *Sylvarum* de Stellæ Conſulatu:

—— —— dum fervent agmine poſtes,
Atriaque, & multa pulſantur limina virga.

De ipſo ritu videatur Lipſius *Electorum* lib. I. c. XXIII.

CAP. XXXIV.

DE MERCURIALIBUS STATUIS PRÆ FORIBUS GRÆCORUM COLLOCATIS.

Summarium.

Januæ Veterum ſacræ, & Diis conſecratæ. Apollo Λοξίας *præ foribus Græcorum cultus. item Mercurius* Στροφαῖος. *Xenocrates auream, quam potando meruit, coronam Mercurii ſtatuæ impoſuit. Eædem ſtatuæ in veſtibulo locatæ. Mercuriales ſtatuæ Græcis* Ερμαὶ, *Latinis Hermæ. Eæ una nocte, excepta Andocidis, mutilatæ Athenis, eadem culpa in Alcibiadem collata. Speciale nomen Hermarum a Dominis ædium, ad quarum fores ſtabant. Hermæ ad cavendos fures. Priapus Latinorum, cuſtos hortorum falciger a Mercurialibus Græcorum ſtatuis ortus. Hermæ & Priapus cum faſcino formati. Signa Priapi. Hermæ quadrangulares, humero tenus repræſentabant Mercurii faciem. Alcibiadis caput Hermis impoſitum. Hermarum capita exemtilia. Hermæ ſaxei, marmorei, ænei. Titulus Hermis adſcriptus. Hermæ circa Pœcilen. in Gymnaſiis Græcorum. ad ſepulchra. Hermæ in triviis & quadriviis viarum indices. Lapidum acervi in Mercurii honorem congeſti.* Ερμαῖοι λόφοι. Ερμακες. *Diſquiſitio uberior de loco* Proverb. XXVI. 8. *Quid ibi* Marghemah. *Proverb.* Spargere lapidem in Merkolis. *De calculis numerariis. de lapidibus ad templum Mercurii. de lapidibus fundæ, baliſtæ, polyandrii. Lutheri interpretatio probatur. Statuæ ad valvas, & in veſtibulo templorum.*

I. IN plures ritus, quos circa Januas obſervarunt Græci pariter & Romani, ſi paulo penitius inquirimus, præcipuam illorum cauſam eſſe reperimus, quod ſacræ illis fuerint habitæ, ac Diis Deabuſque conſecratæ. De Jano, Limentino, Forculo, Cardea, Veſta paſſim hoc libello actum eſt: nec minus Apollo θυραῖος ex Macrobio, in capite hujus tractationis lectoris conſpectui eſt expoſitus: ut illa heic repetere, ſit plane actum agere.

II. Idem tamen Apollo ſub Λοξίας nomine præ foribus quoque cultus eſt, eidemque ara ante fores ſtatuta. Helladius Beſantinus apud Photium in *Bibliotheca*: Τὸν Λοξίαν γὰρ προσεκύνουν, ὃν πρὸ τῶν θυρῶν ἕκαστος ἱδρύοντο. καὶ πάλιν βωμὸν παρ' αὐτῷ στρογγύλον ποιοῦντες, καὶ μυρρίναις στέφοντες, ἵσταιτο οἱ παριόντοες. τὸν δὲ βωμὸν ἐκεῖνον ἀγυιὰν λοξίαν ἐκάλουν, τὴν τοῦ παρ' αὐτοῖς θεοῦ προσηγορίαν νέμοντες τῷ βωμῷ, το δὲ κνισᾶν ἀγυιὰς παρ' ἡσιόδῳ τοῖς θεοῖς θύειν λέγει. quæ Latine ita habent: *Loxiam Apollinem adorabant, quem pro foribus ſinguli ponebant. Præterea aram ibi rotundam collocabant, & myrto coronabant, cui prætereuntes adſtabant: aram autem illam* ἀγυιὰν λοξίαν *viam obliquam vocarunt, hoc Dei nomen aræ tr buentes. At* κνισᾶν ἀγυιάς, *apud Heſiodum ſignificat Diis ſacrificare.*

III. Præcipue autem Mercurius præ foribus Græcorum cultus, eidemque ſtatuæ locatæ ſunt. Auctor *Etymologici Magni*, in Στροφαῖος: Στροφαῖος, ὁ παρὰ ταῖς θύραις ἱδρωμένος ἑρμῆς, παρὰ τὸν στροφέα τῆν θύρας, Hinc Mercuriali ſtatuæ, auream, quam ſtrenue potando commeritus erat, coronam, Xenocrates Chalcedonius a cœna reverſus impoſuit. Ælianus *Var. Hiſt.* lib. II. cap. XLI. Καὶ ἐν Διονυσίοις δὲ τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ προὔκειτο ἆθλον τῷ πιόντι πλέον, στέφανος χρυσοῦς, καὶ ἐνίκησε Ξενοκράτης ὁ χαλκηδόνιος, καὶ τὸν στέφανον λαβὼν, ὅτε ἐπανήει κατὰ δεῖπνον, τῷ ἑρμῇ τῷ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστῶτι ἐπέθηκεν αὐτὸν, κατὰ τὸ ἔθος τῶν ἔμπροσθεν ἡμερῶν. *Apud Dionyſium etiam, in feſto, quod Choas vocant, præmium ordinatum eſt ei, qui plus bibiſſet, aurea corona: quam meritus eſt Xenocrates Chalcedonius, qui ſumta corona, cum a cœna reverteretur, Mercurio, qui ſtabat ante fores, eam impoſuit, juxta priſtinam conſuetudinem.* Confer Athenæum lib. X. & Laertium in *Xenocrate*.

IV. Neque refert, quod alii in veſtibulo, quod Græcis eſt, ἐν προθύροις, ſtetiſſe Mercuriales ſtatuas ſcribunt. Nam vel ſic quoque ſteterunt ante interiorem domus januam. Thucydides lib. VI. εἰσὶ κατὰ τὸ ἐπιχώριον ἡ τετράγωνος ἐργασία, πολλοὶ καὶ ἐν ἰδίοις προθύροις, καὶ ἐν ἱεροῖς. *Sunt Hermæ ex domeſtica conſuetudine opus quadratum, & ii permulti, tam in privatarum ædium veſtibulis, quam in templis.*

V. Sicuti Græcis hæ Mercurio dicatæ ſtatuæ ex ipſius nomine ἑρμαὶ, ita etiam Latinis *Hermæ* audiebant. Atque id commune his ſtatuis nomen erat: ſpeciale deinde nomen ab ædium dominis, præ quorum foribus ſtabant, acceperunt. Plutarchus in *Nicia*: *Una nocte omnes Hermæ membris exterioribus mutilati fuerunt, uno excepto, quem Andocidis appellant, quod donarium Ægeidis tribus, ante ædes, quas tum Andocides habebat, ſtetit.*

De ſtatuis ad fores gentilium Templorum collocatis, illuſtris locus eſt apud Zoſimum libro V. *Templum iſtud Senatus, cujus hæc cauſa commemoro, ſimulacra Jovis & Minervæ ante fores* (πρὸ τῶν θυρῶν) *habebat in lapideis quibuſdam baſibus ſtantia, qua quidem forma nunc etiam conſpiciuntur.*

Sed & quandoque in ipſa æde ad fores collocatæ erant ſtatuæ. Plutarchus initio *Lyſandri*: *Donum*

A *ab Acanthis apud Delphos dedicatum hanc habet inſcriptionem :* BRASIDES ET ACANTHII DE ATHENIENSIBUS. *Quamobrem multi lapideam ſtatuam, quæ intra ædem juxta fores ſita eſt, Braſidæ eſſe putant*. Cornelius Nepos in *Alcibiade* cap. III. *Priuſquam claſſis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam erat Andocidis. Itaque ille poſtea Mercurius Andocidis vocitatus eſt*. Sequor enim optimam celeberrimi Boſii Noſtri emendationem, quam pluribus tuetur in nova Latiniſſimi Scriptoris editione. Alii tamen tantum circumciſas, aut mutilatas volunt. Thucydides laudato loco: Μιᾷ νυκτὶ οἱ πλεῖσοι περιεκόπησαν τὰ πρόσωπα. Sic alii τ͂ ἑρμῶν περικοπὴν appellant. Videantur Diodorus Siculus, Plutarchus in *Alcibiade*, Æſchines Orat. κτ͂ Τιμάρχȣ. Andocides Orat. περὶ μυςηρίων, Harpocration in Ανδοκίδȣ ἑρμῆς. Ab Andocide ergo *Herma Andocidis* vocata. Sic apud Suidam legitur Ερμαί Ιππάρχειοι.

VI. Illud ſingulare eſt, quod notat Scholiaſtes Ariſtophanis, hos Hermas præ foribus eſſe poſitos ad cavendos fures. Ariſtophanis verſus hi ſunt ferme ad calcem *Pluti* :

Παρὰ τ͂ θύραν ςροφαῖον ἱδρύσασθε με.
C Στροφαῖον; ἀλλ' ȣ̓κ ἐργόν ἐς ȣ̓δέν ςροφῶν.

Ad hæc Scholiaſtes: Στροφαῖον. ἐπὶ ἀποτροπῇ τ͂ ἄλλων κλεπτῶν. ςροφαῖος, παρὰ τό ςρέφεσθαι κ̀ πανȣργεῖν. λέγεται δὲ ὁ ἑρμῆς, ςροφαῖος, ἐπιπολαῖος, κερδῷος, δόλιος, ἡγεμόνιος, ἐναγώνιος, διάκονος. Αλλως. ςροφαῖον, ἐπεὶ ςροφαὶ λέγονται, κ̀ οἱ συμπεπλεγμένοι κ̀ δολεροὶ λόγοι. ςροφαῖον δὲ ἐκάλȣν, ἱδρημένοι παρὰ τῇ θύρᾳ τ͂ δαίμονα. ἅμα δὲ παρὰ τὸ ςρέφειν τὰ πράγματα. οἱ δὲ τȣ͂το ποιȣ͂ντες, πανȣ͂ργοι. ἐπωνυμία δὲ τȣ͂τȣ ἑρμȣ͂, παρὰ τὸ τ͂ θύραις ἱδρύσθαι ἐπὶ φυλακῇ τ͂ ἄλλων κλεπτῶν. ȣ̓τοι γὰρ ὀπίσω τ͂ θυρῶν εἰώθασι κ̀ ἀναδύεσθαι, κ̀ ὅλως πανȣργεῖσθαι. Placet hæc in La-
D tinum vertere. Στροφαῖον. *Ad avertendos alios fures*. Στροφαῖος, *dictus a vertendo & callide agendo. Dicitur vero Mercurius, Janitor, Negociator, Lucrius, Doloſus, Principalis, (Dux viæ) Certaminum Præſes, Miniſter. (Aliter)* Στροφαῖον. *Nam Strophæ dicuntur perplexi & doloſi ſermones.* ςροφαῖον *vero nominarunt præ foribus collocatum Dæmonem, & ſimul quoque a vertendis negociis; qui vero illud faciunt ardeliones ſunt. Eſt autem hoc cognomen Mercurii, qui præ foribus ponebatur ad aliorum furum cuſtodiam. Hi enim pone fores conſueverunt tergiverſari, & plane aſtute agere.*

E VII. Hæc dum lego, in hanc devenio cogitationem, quod Priapus, Helleſpontiacus ille Deus, ſed a Romanis receptus ex hoc Στροφαίῳ Græcorum Mercurio natus ſit. Nam ſicut is εἰς ἀποτροπὴν τ͂ κλεπτῶν præ foribus ædium poſitus, ita hic ad abigendos fures in ipſo horti aditu locatus. Virgilius lib. IV. *Georg*. v. 110.

Et cuſtos furum atque avium.

Idem Ecloga VIII. v. 34.

—— *Cuſtos pauperis horti.*

Horatius lib. X. Sat. VII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum, Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido.

Priapeja carm. XXIII.

Hic me cuſtodem fœcundi villicus horti
Mandati curam juſſit habere loci.
Fur habeas pœnam.

VIII. Atque ut eo magis fures terreret ſcilicet & aves, falcem in manus dederunt Priapo. Virgilius lib. IV. *Georg*. IV. 110.

Et cuſtos furum atque avium cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

Tibullus lib. I. Eleg. I.

Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſæva falce Priapus aves.

Idem lib. I. Eleg. III.

—— *Tum Bacchi reſpondit ruſtica proles,*
Armatus curva ſic mihi falce Deus.

B Martial. lib. VI. Ep. XVI.

Tu qui pene viros terres, & falce cinædos,
Jugera ſepoſiti pauca tuere loci.

Et eodem libro Epig. LXXIII.

Non rudis indocta fecit me falce colonus,
Diſpenſatoris nobile cernis opus.

Columella lib. X.

—— *Sed truncum forte dolatum*
Arboris antiquæ numen venerare ityphalli
Terribilis membri: medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Lactantius lib. II. cap. IV. *Fures enim tam ſtulti ſunt, ut Priapi tentiginem rimeant? cum aves ipſæ, quas terrore falcis aut inguinis abigi exiſtimant, ſimulacris fabrefactis, id eſt, hominum plane ſimilibus, inſideant, nidificent, inquinent*. De hac falce quoque accipiendum eſt illud Flacci lib. I. Satyra VIII.

—— *Nam fures dextra coercet.*

quamquam Helenius Acron inepte ad *fuſtem* refert. Quoties in Priapeiis falcem hanc oſtentet Lampſacenum idolum, dicere ſuperſedeo.

IX. Accedit aliud opinioni meæ robur ex eo, quod & Hermæ, & Priapus inſigniter peculiata fuerint efficta. De Hermis Herodotus lib. II. τȣ͂ δὲ ἑρμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες. *Ut Mercurii ſtatuam facerent porrecto cum veretro*. Plutarchus libello, *An ſeni gerenda ſit Reſp. Eam ob cauſam etiam Mercurios ſeniores, ſine manibus & pedibus, rigente faſcino fingunt*. Macrobii locum in hanc rem mox adducemus. Horum virilium veſtigia evidenter apparent in antiquis illuſtrium Græcorum Hermæis ſtatuis, quæ Romæ ſunt, nec annotare negligunt, qui hæc monumenta vetuſtatis æreis tabellis inciſa chartiſque illita conſpicienda præbent.

X. De Priapo res vel ex Priapeiis eſt notiſſima. Nam ut multa ex iis huc transſcribam non ſinit pudor meus. Apud Boiſſardum in *Antiquitatibus Rom.* æri inciſam habes formam obſcœni idoli. Duo ejuſmodi mutoniata ſimulacra ex alabaſtro inter Fuggerorum Antiquitates olim fuiſſe ex Betuleii *in Lactantium Commentariis* didici. Ipſe cum ante hos novem annos Illuſtrem Sereniſſimi Holſatorum Ducis, quæ eſt Gottorpii, Bibliothecam & ἐξωτικοσαμεῖον viſerem, ex ære fabrefactum ejuſmodi ſignum inter alia mihi oſtendit Nobiliſſimus Adamus Olearius, Fautor mihi maximopere ſuſpiciendus. Non ſine cauſa ergo dixit Arno-
F bius lib. VI. *Genitalibus propriis inferior Priapus*.

XI. Alioquin, ut ad Hermas revertar, earum forma quadrangularis erat, carebantque manibus & pedibus, nec niſi humero tenus Mercurii facies in iiſdem exprimebatur. Pauſanias in *Meſſeniacis: Athenienſes quadrangula figura Hermas fecere, & eam ab illis ceteri acceptam formam in Mercurii ſtatuis uſurparunt*. Macrobius lib. I. *Saturnal.* cap. X. *Pleraque etiam ſimulacra Mercurii ſtatu quadrato figurantur, ſolo capite inſignita, virilibus erectis: qua*

figura significat, Solem mundi esse caput, & rerum satorem, &c.

XII. Athenienses aliquando Mercurii loco Alcibiadis caput trunco imposuerunt. Exemtilia enim interdum erant Hermarum capita, quæ subinde demi addique poterant. Arnobius lib. VI. *Quis est enim qui ignorat, Athenienses illos Hermas Alcibiadei ad corporis similitudinem fabricatos?* Sic apud Aristænetum, libr. I. Epist. XI. mulier illa adolescentem amans a puella de ejus pulchritudine sciscitatur: cui ancilla respondet: τοιούτους ἔδει πλάττεσθαι, τοὺς ἑρμᾶς μᾶλλον, ἢ κατὰ Ἀλκιβιάδου μορφήν. *ad hanc faciem debuisse fingi Hermas, non ad Alcibiadis vultum*. Quod quidem eo magis miror, cum, ceu antea vidimus, Alcibiadem illius criminis reum facere voluerint Athenienses, quod Hermas noctu mutilaverit.

XIII. Materia harum statuarum variabat pro facultatibus eorum, qui ponebant. Ut plurimum fuerunt saxeæ. Suidas in Ἑρμαῖ. *Fuerunt Hermæ saxei, & in ædium vestibulis & in fanis*. Marmoreas facit Juvenalis Sat. VIII.

Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

Ad quæ Vetus Scholiastes: *Hermæ effigies æneæ aut marmoreæ, sine manibus, quales videmus in Circo. Hermas Athenienses ante januas pro religione positos habuere*. Vides etiam æneos fuisse: id quod ex Cicerone quoque constat, qui *ad Atticum* scribit lib. I. Epist. VI. *Hermæ tui Pentelici, cum capitibus æneis me admodum delectant*. Hermæ autem Pentelici ibi sunt statuæ ex marmore pentelico: quod ita dictum fuit, vel quia erat quinque nigricantibus maculis, sive lineis distinctum, auctore Suida; vel quod e Pentelico, monte Atticæ excidebatur, ut refert Pausanias.

XIV. Solebant interdum titulum, seu elogium basi Hermarum inscribere: qualia legere est apud Plutarchum. Et tale illud est apud Harpocrationem in ἑρμαῖ.

—— Ἀντ᾽ εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί.

XV. Præterquam autem, quod in vestibulo ædium suarum Hermas ejusmodi dispositos haberent Athenienses, magnus illorum apparatus erat circa porticum, quæ Pœcile vocabatur. Menecraces, sive Callistrates, in opere de Atheniensibus, apud Suidam: *A Pœcile usque ad regiam sunt statuæ, quæ Hermæ dicuntur: unde locus id nomen accepit, quod multæ ibi & a privatis, & a magistratibus dicatæ essent: quarum quædam Hipparchei Hermæ dicebantur, ab Hipparcho, Pisistrati filio*.

XVI. In omnibus præterea Gymnasiis Græcorum frequentes erant hæ Mercuriales statuæ. Cicero libr. I. *ad Attic.* Ep. III. *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, & ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus gymnasii*.

XVII. Solebant etiam iisdem statuis munumenta exornari. Cicero lib. II. *de Legibus*, ubi de sepulchro loquitur: *Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas eos, quos vocant, licebat imponi*.

XVIII. In triviis etiam & quadriviis tum apud Græcos, tum apud Romanos collcabantur: credo, ut indicio essent viatoribus, quorsum via duceret. Meminit Suidas in Στροφαῖον. *Primitiæ*, inquit, *ad statuas Mercuriales in viis collocabantur. quas viatores ederent*. Heliodorus *Histor. Æthiop.* lib. V. Ναοῖς ἢ ἀγάλμασιν ἐπισήμοις, ἑρμαῖς τε καὶ λίθοις ἐπὶ τριόδων. *Templis aut statuis insignibus, Hermisque & lapidibus in triviis*.

XIX. Quia semel tractationem de Hermis sum ingressus, non recedam prius, quam etiam alium antiquum ritum, quem item designare puto Heliodorum, exposuerim, de lapidibus, in triviis acervatim congestis, & a Mercurio quoque, in cujus honorem id fiebat, nomen indeptis. Erant nimirum apud priscos ἑρμαῖοι λόφοι, sive lapidum acervi Mercuriales, seu ἑρμαῖα, viis publicis & compitis ad itinera demonstranda congesti, quos viatores transeuntes crebro lapidum jactu in Mercurii honorem augebant. Dicuntur acervi illi ἕρμακες, Nicandro, & de iis Epigramma est *Anthologiæ* lib. IV. XII.

Ἱερὸν ἑρμείν παρασείχοντες ἔχδαν
Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν.

Didymus *ad Odyss.* π. Ὅθεν καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἄχει τοῦ νῦν εἰς τιμὴν Ἑρμοῦ κατὰ τὰς ὁδοὺς, Διὰ τὸ τὸν θεὸν εἶναι τοῦτον καθηγεμόνα, καὶ τρόπον τῶν ἐκδικούντων, σωροὺς ποιεῖν λίθων, & διάγοντας, προβάλλειν λίθους, καὶ τούτους καλεῖν ἑρμαίους λόφους. *Inde etiamnum in usu est, homines in Mercurii honorem, eo quod viarum sit præses, & ad morem deorum eum absolventium, lapidum acervos viis publicis congerere, hos autem prætereuntes crebro jactu augere, & ἑρμαίους λόφους, id est, Acervos Mercuriales nuncupare*. Suidas in ἑρμαῖον. *Acervi lapidum Mercurio sacri in viis obscuris*. Isidorus in Glossis: *Mercurius, lapidum congeries in cacumine collium*. Adde Eustathium *in Homerum*, Hesychium, & Magni Etymologici Auctorem.

XX. Ad hunc ritum volunt respexisse sapientissimum Regum Salomonem, *Proverbior.* XXVI. v. 8. *Sicut qui mittit lapidem* מרגמה *in Margemah, ita qui tribuit insipienti honorem*, מרגמה enim a רגם *Ragam* deducunt, id est, *lapidibus obruit*. Atque ex hac voce *Margemah*, *Mercurii* nomen natum existimant. *Margemah* vero idem esse censent, quod מרקילים *Merkolis*: quo de afferunt Ebræorum Proverbium: וירק אבן לכקולים *spargit lapidem in Merkolis*. De *Merkolis* enim Rabbi Nathan, auctor Baal-Aruch, ex Germara Rabbi Ismaelis, ita: *Lapides fani Merkolis sic dispositi erant, ut unus hinc, alter illinc, tertius super utrumque collocaretur*. Et alius a Johanne Drusio citatus, Decuria VIII. Adag. Ebraico VI. *Merkolis, binis lapidibus sibi mutuo adjacentibus, tertius lapis imponebatur*. In Glossis Talmudicis tractatu *de Idololatria*: *Sunt gentes, quæ colunt lapidum acervum, quem Merkolis vocant. Cultus autem hujusmodi est: Quisquis venit, projicit lapidem in acervum illum*. Meminere etiam hujus λιφοθλίας Rabbi Moses Maimonides in *M'snah Torah* lib. I. & Elias in *Thisbi*, & Auctor libri, qui vocatur Sepher Æmana cap. XX. & alibi. Sensus igitur ex Salomone is emergeret: *Qui stultum honore affecerit, tantundem faciet, perinde ac si* λόφον ἑρμαῖον, *seu acervum Mercurii lapidis jactu augeret*. Collata & stulto & acervo quasi beneficia. Huic lapidis accessione, illi honoris. Neuter autem gratum rependit animum. Neuter beneficium conferri satis agnoscit. Adi Seldenum *de Dis Syris*, Syntagm. II. cap. XV.

XXI. Sequuntur hanc interpretationem non pauci ex Veteribus, & magna recentiorum manus. Vincentius Bellovacensis lib. XXIV. *Speculi Historici* ita scribit: *Duarum Indiæ gentium, quæ vocantur Zesian, & Albarachuma, antiqua consuetudo fuit, nudos & decalvatos magnisque ululatibus personantes*

nantes ſimulacra Dæmonum circumire, angulos quoque oſculari, & projicere lapides in acervum, qui quaſi pro honore Diis extruebatur: inde enim eſt, quod in libro Salomonis dicitur: Qui projicit lapidem in acervum Mercurii. Comitem Vincentio ex junioribus dabo Lipſium, cujus hæc ſunt Cent. v. *Miſ.* Epiſt. v. ad Erycium Puteanum: *Quod Cardinalis Borromæus quærit, de lapide in acervum Mercurii miſſo (in ſacris ita ſcribitur) non aliud arbitror, quam ad morem veterem alluſum, qui ſic habet. Mercurius viarum præſes, & Græcis verbis, ὄδιος, ἐνόδιος, ὁδηγός, in biviis ac triviis effingebatur, trunco habitu, & in lapidem rudem, quadratum, quos Hermas Græci vocabant. Ii ſignum erant & indicia viæ; atque ubi non illi, moris, ut lapides aliquot acervarentur, qui vicem eorum & uſum ſupplerent. Itaque pauci illi conjecti aut diſpoſiti augebantur pietate an ſuperſtitione tranſeuntium: & Hebræus ille Sapiens nunc dicit: Beneficium, aut honorem inſipienti dare, aſſimile eſſe illis, ſi quis in acervum talem lapidem velit jeciſſe. Nam beneficium quidem eſt, viatori puta, ſed nemo imputat, quia dator ignoratur. Tale in fatuo, cui beneficium ſi confers, perdis.*

XXII. Alii per acervum Mercurii numerarios calculos, ſeu lapillos intelligunt. Nicolaus Lyra in hunc locum: *Mercurius apud gentiles dicitur ratiocinationis deus: ratiocinatio vero computus dicitur, in quo antiquitus utebantur lapillis.* Sed jam diu ante Lyram ita ſenſit Johannes Sariſberienſis lib. v. *de Nugis Curialium* cap. VII. cujus verba non pigrabor adſcribere: *Quaſi*, inquit, *qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ſic qui dat inſipienti honorem. Hoc a diverſis diverſo modo exponitur. Ego ſapientiorum venia impetrata, acervum credo Mercurii, in quo conſiſtit ratio calculandi: quia Mercurius numen eorum eſt, qui negociationem exercent, & ratiociniis ſuis diligenter invigilant. Mittere ergo lapidem in acervum, quo regitur ratio calculandi, & totam turbare calculi rationem, & honorem conferre inſipienti, eſt Reip. ſubvertere vitam. Et impoſſibile eſt, ut alios utiliter regat, quem proprius ſubvertit error.*

XXIII. Quidam per acervum Mercurii lapides ex quibus templum Mercurio conſecratum exſtruitur, accipiunt. In horum cenſu eſt Johannes Arboreus, qui in *Commentar. ſuper Proverb.* hæc ſcripſit medio ſuperiori ſeculo: *Mercurius fingitur eſſe Deus mercaturæ, & Deorum interpres. Ideo a Græcis Hermes dictus ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν*, quod eſt, interpretari. *Hic palæſtram docuit, lyram invenit, & quia gentiles ſuis ſuperſtitionibus addicti, conſueverant ſummum honorem deferre Mercurio, qui tamen uni vero, & maximo Deo deferendus erat, eique ſacram ædem conſecrabant. Conferendus eſt honor, qui tribuitur indocto & ſtulto, illi, qui deferebatur Mercurio, quia uterque vanus eſt, & inanis, & qui mittit lapidem in acervum materiæ, ex qua extruitur templum Mercurio, ſimilis eſt illi, qui infantiſſimo & ignaviſſimo primas honoris partes defert, ſiquidem utriuſque conatus eſt irritus, & inutilis.*

XXIV. Hactenus pro Mercurii lapidibus, tanquam pro aris & focis certatim militantes vidimus: ſed ſciendum eſt non paucos eſſe, qui omnem hunc acervum disjicere, diſplodere, ſubruere conati ſunt. Sane Vir doctiſſimus, Johannes Cunradus Dieterichus in *Antiquitatibus Sacris*, non veritus eſt ſcribere; *e pomœrio Ebræorum furcellis ejiciendum eſſe Mercurium.* Et vero ſi penitius rem omnem conſideramus, tantæ antiquitatis eſſe non videtur & Græcorum Hermes, & Mercurius Latinorum, ut jam Salomonis ævo religioſo cultu fuerit mactatus. Quapropter non pigrabitur lector pius, & Scripturæ divinæ amans alias audire interpretationes, ſcopum, ceu equidem exiſtimo, ferientes propius.

XXV. Primum igitur nonnulli de lapidibus fundæ interpretantur, LXX. Patres ſecuti, qui diſerte *Margemab* reddunt σφενδόνῃ: ut hic ſit Regis ſenſus: *Sicut qui ligatur lapis a funditore in funda, ſtatim projicitur, & perit: ſic, qui tribuitur ſtulto gloria & honos, cito evaneſcit, nec permanens eſt iſtiuſmodi honoris diribitio ſtolida.* Paulo aliter Eraſmus, quamquam in funda conſentit Chiliad. IV. Centur. VII. *Adagior.* in Mercuriale; *Illorum*, inquit, *eſt argutiſſima ſententia, qui verterunt fundam. Non enim tantum perit officium tuum, ſed in tuum malum reſilit: veluti ſi ſtulto lapidem innectas fundæ, dediſti, quo te feriat.*

XXVI. Buxtorfius *Lexico Talmudico*, in voce רגם, per *Margemah, lapidem baliſtæ* deſignari contendit, dum ita reddit: *Secundum ligare lapidem in baliſta, id eſt: Sicut aliquis lapidem adligat, vel applicat baliſtæ, ut eum ejaculetur.* Atque hanc quoque militarem machinam, qua muri concutiuntur, intellexerunt Junius, & Tremellius; quos ſequitur, more ſuo, Piſcator.

XXVII. Denique de πολυανδρίῳ & ſepulchreto aliqui explicant, ubi ſontium & damnatorum cadavera ingenti lapidum cumulo tegebantur. Gloſſæ. Strages, πολυάνδρειον, σωρὸς νεκρῶν. Papias: πολυάνδρειον, *tumulus mortuorum.* Forſteri verba ſunt in *Lexico Ebraico*: *Loquitur Salomon de lapide precioſo in funeſtum acervum lapidum projecto, qui deſtinatus erat, ut eo damnati obruerentur, atque ideo huic populo abominabilis erat.* Aben-Eſra quoque ita vertit: *Ut ligamen lapidis precioſi in acervo lapidum vulgarium.* Et R. Levi: *Ut ligatio lapidis vilis in re precioſa.* Non male igitur B. Lutherus. *Wer einen Narren Ehre anleget, das iſt, als wenn einer einen Edelſtein auff den Rabenſtein Wurffe.* Huic interpretationi me quoque qualemcunque meum calculum adjicere, donec meliora doceat, profiteri non erubeſco.

XXVIII. Ceterum quoniam in ſtatuis hoc caput auſpicati ſumus, in iiſdem deſinemus: boni ominis ergo, ne quem offendat πολυανδρίου adſpectus. Solebant nimirum Romani circa templorum valvas dedicare ſtatuas inſigniter elaboratas. Sic Romæ in aditu templi Martis Ultoris ante fores ab utroque latere Martis & Veneris ſtatuæ erant, Ovidio teſtante lib. II. *Triſtium*:

Stat Venus Ultori juncta viro, ante fores.

Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. *Signa etiam, quæ ante Felicitatis ædem fuere, Veneremque, quæ cum ipſa æde incendio cremata eſt, Claudii principatu marmoreæ illi ſuper ceteras inclytæ parem.* Plinius in *Panegyrico* de Trajano: *Tibi maximus honor excubare pro templis, poſtibuſque prætexi. Sic fit, ut Deo ſummum inter homines faſtigium ſerves, cum Deorum ipſe non adeptus. Itaque tuam ſtatuam in veſtibulo Jovis Optimi Maximi, unam alteramve, & hanc æneam cernimus.*

CAP. XXXV.

DE VARIIS SUPERSTITIOSIS RITIBUS CIRCA JANUAS OBSERVARI SOLITIS.

Summarium.

Pontifex Templum dedicans poſtem tenebat. Horatii Pulvilli in adverſis conſtantia. Oſcula poſtibus & liminibus Templorum data a Gentilibus & Chriſtianis. Diſcedentes ſolebant oſculari januam. Fœminæ in ſupplicationibus paſſis crinibus limina verrebant Templorum. Cur novæ nuptæ in mariti domum venientis pedes ſublati? An quia limen Veſtæ ſacrum? An quod janua illic coeat & ſeparetur? An quod raptæ Sabinæ ſic in ædes introductæ? An quod id decoris ſit virginalis? An quod manſio diuturna eo deſignatur? Infauſtum omen offendere in limine domus. Gruteri e-

mendatio in Valerio Max. vulgatæ præfertur lectioni. Varia lectio in Lucano. Prodigium erat, si clausa janua sponte aperiretur. Id interdum factum per virtutem magicam. Incantamentum januæ, ne aperiri posset. Veneficæ sub limine domus quædam suffoderunt. In janua loqui nefas. Sinistrum omen, si claves templi non possent reperiri. A

I. PRæterea ex isto fonte, quod Veteres aliquid sacri Januis crediderint inesse, plures alii superstitiosi ritus profluxerunt, quos hoc capite per saturam quasi colligemus.

II. Qui dedicabat templum, aut aliam ædem sacram, Pontifex, postem tenebat. Cicero pro Domo sua ad Pontifices: *Postem teneri in dedicatione oportere videor audiisse templi. Ibi enim postis est, ubi templi aditus est, & valvæ. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando. Simulacrum autem, aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest. Sed jam hoc dicere tibi non licebit, quoniam Pontificem postem tenuisse dixisti.* Et paulo ante: *Verbone, Pontifices, putatis, si is postem tenuerit, & aliquid dixerit, domum uniuscujusque consecrare posse?* Eadem oratione: *Qui diceres, o nefanda, & perniciosa labes civitatis? Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi præcatis, postemque teneatis.* C Livius Decad. I. libr. II. de Horatio Pulvillo Cos. *Id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant, postem jam tenenti Cos. fœdum inter precationem deum nuntium incutiunt: mortuum ejus filium esse, funestaque familia dedicare eum templum non posse. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit: nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil aliud ad eum nuntium a proposito aversus, quam ut cadaver efferri juberet, tenens postem, precationem peragit, & dedicat templum.* Seneca *Consolat. ad Marciam* cap. D XIII. in eadem historia ejusdem ritus meminit. *Pulvillus*, inquit, *hoc fecit Pontifex, cui postem tenenti, & Capitolium dedicanti, mors filii nuntiata est.* Idem facit Valerius Maximus lib. V. cap. X. *Horatius Pulvillus, cum in Capitolio Jovi Opt. Max. ædem Pontifex dedicaret, interque nuncupationem solennium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audisset: neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet.* Nec minus Plutarchus in *Vita Publicolæ*: Ἡ δρωμένων ἁπάντων εἰς τὸ καπιτώλιον, ὁ μὲν Ὡράτιος, σιωπῆς γενομένης, τά τε ἄλλα δράσας, καὶ τῶν θυρῶν ἁψάμενος ὥσπερ ἔθος ἐστὶν, ἐφθέγγετο τὰς νενομισμένας ἐπὶ τῇ καθιερώσει φωνάς. E *Cum frequentes in Capitolium omnes convenissent, Horatius facto silentio, peractis pro more omnibus, fores tangens, verba dedicationis solemnia dixit.* Augustinus *de C. Dei* lib. VI. cap. IX. *Mulieri fœtæ post partum, tres Deos custodes Varro commemorat adhiberi, ne Sylvanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus, & primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis: ut his datis culturæ signis, Deus Sylvanus prohibeatur intrare.* Idem lib. II. *de Doctrina Christiana* cap. XX. *Hinc* F *sunt etiam illa* (superstitiosa) *limen calcare, quum ante domum suam transit.* Rhamnum foribus & fenestris impositum pro amuleto habitum, discimus ex Dioscoride lib. I. cap. CIV. λέγεται δὲ καὶ κλῶνας αὐτῆς θύραις ἢ θυρίσι προστεθέντας ἀποκρούειν τῶν φαρμάκων κακουργίας. *Fertur præterea Rhamnos, appositis pro foribus fenestrisve ramis ejus, omnium veneficiorum arcere maleficia.*

III. *Religiosa Deorum limina* canit Virgilius lib. II. *Æneidos*. Ex hac ergo religione erat, quod religiose solerent limina & postes templorum osculari. Erat hic ritus lugentium imprimis, & in summa anxietate versantium, aut alias gratiam & favorem Deorum expetentium, Tibullus lib. I. Eleg. II.

Non ego tellurem manibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis
Et dare sacratis oscula liminibus,

Statius lib. V. *Sylv.*

—— nunc anxius omnibus aris
Illacrumat, signatque fores, & pectore tergit
Limina.

Juvenalis Sat. VI.

—— —— Tarpejum limen adora
Pronus & auratam Junoni cæde juvencam.

Ovidius de Deucalione & Pyrrha ad templum Delphicum venientibus, lib. I. *Metamorph.*

Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque parens dedit oscula saxo.

Arnobius lib. I. *Quot millia vultis a nobis debilium ostendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retulisse medicinam? cum per omnia supplices irent templa, cum deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis.* Forte huc retuleris illa Plinii ex *Panegyrico Trajani* cap. LII. *Tu delubra non nisi adoraturus intras; tibi maximus honor excubare pro templis, postibusque prætexi.*

IV. Atque is ritus postea in Ecclesiam quoque se diffudit; sed ita, ut superstitionem, quæ mentes Ethnicorum divexaret, abfuisse putaverim. Prudentius Hymno *in S. Laurentium*, v. 520.

Ipsa & Senatus lumina
Quondam, Luperci, aut Flamines
Apostolorum & Martyrum
Exosculantur limina.

Et hymno IV. *de Passione Hippolyti Martyris*, v. 193.

Conglobat in cuneum Latios simul, ac peregrinos
Permixtim populos, Relligionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo;
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.

Paulinus Natal. VI. Felicis:

Sanctaque Felicis rapido petit atria cursu,
Ingressusque sacram magnis cum fletibus aulam,
Sternitur ante fores, & postibus oscula figit,
Et lacrumis rigat omne solum, pro limine sancto
Fusus humi.

Posses huc etiam referre illa Natal. III. Felicis.

Cernere tunc passim est, sacra purgata medela
Pectora liminibus sterni.

Arator lib. II. *Histor. Eccles.*

———— Tota concurritur urbe,
Qui primus nova tecta petat, quive oscula figat
Postibus, & tacta sacretur parte cylindri.

Fortunatus lib. IV. *de Vita S. Martini*, de basilica S. Apollinaris Ravennæ:

Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe
Fusus humi surplex.

V. Sed ne putes, solos Poetas hujus ritus, more fortassis Poetico, meminisse, dabo etiam illorum Doctorum testimonia, qui soluta oratione scripserunt. Chrysostomus Homil. XXX. in Epistolam II. ad Corinth. Ναὸς ἐσμὲν τοῦ Χριστοῦ. τὰ τοίνυν πρόθυρα φιλοῦμεν τοῦ ναοῦ, καὶ τὴν εἴσοδον ἀλλήλους φιλοῦντες. ἢ οὐχ ὁρᾶτε ὅσοι καὶ τὰ πρόθυρα τοῦ ναοῦ τούτου φιλοῦσιν, οἱ μὲν κύψαντες, οἱ δὲ τῇ χειρὶ κατέχοντες, καὶ τῷ στόματι τὴν χεῖρα προσάγοντες; καὶ διὰ τούτων τῶν πυλῶν, καὶ τῶν θυρῶν, καὶ εἰσῆλθε, καὶ εἰσέρχεται πρὸς ὑμᾶς ὁ Χριστός;

ὠὶκα ἂν κοινωνῶμεν. *Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula & aditum osculamur, cum alii alios osculamur. Annon cernitis, quotnam homines etiam hujusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes? Ac per has portas & januas ingressus est Christus*, & *ad nos ingreditur, cum communicamus*. Gregorius Turonensis lib. IV. *Miracul. S. Martini*, cap. XIV. *Ut basilicæ S. Martini limina oscularetur*. Evodius Uzalensis (hic enim vulgo pro auctore habetur) *de Miraculis S. Stephani* l. II. cap. II. *Ante limina gloriosi Martyris prostrata effusos sui cordis dolores expressit*. Et postea: *Deinde ante sacra ejus limina prostratæ diu noctuque flentes*.

VI. Fateor tamen paulo latius evagatam esse hanc etiam Christianorum religionem. Neque id omnino poterit probari, quod sibi & aliis persuaserint, omnem protinus languorem, quem ex mutatione aeris, & viæ longitudine contraxerint, explodi atque abigi, quamprimum ad limina Sanctorum pervenissent. Sic enim Sidonius lib. I. Epist. V. de itinere suo Romano; *Ubi priusquam vel pomœria contingerem, triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi male fortibus explosum esse languorem, post quæ cælestis experimenta patrocinii conducti diversorii parte susceptus*.

VII. Sed ut ad Oscula postibus reddita revertamur, ab abituris id interdum observatum reperio. Rutilius lib. I. *Itinerar*. v. 43.

Crebra relinquendis infigimus oscula portis,
Inviti superant limina sacra pedes.

Ammianus Marcellinus lib. XXV. *Cum laceraret crines matrona exul fugandis laribus, in quibus nata erat & educata, orbataque mater liberis vel conjuge viduata, procul ab eorum manibus pelleretur, & turba flebilis postes penatium amplexa vel limina lacrumabat*. Virgilius *Æneid*. lib. II. de familia Priami, exilium, aut mortem ipsam præstolante:

Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

VIII. Commodum me monent lacerati matronæ apud Ammianum crines, ne prætermittam istum ritum, quando in supplicationibus, quæ avertendæ deorum iræ causa habebantur, aut cum hostili aliquo nuntio perculsa civitas ad Deos, & vota confugiebat, passis crinibus templorum limina verrere sint solitæ matronæ. Lucanus lib. II.

Hæ lacrumis sparsere deos, hæ pectora duro
Afflixere solo: lacerasque in limine sacro
Attonitæ fudere comas: votisque vocari
Assueti crebris feriunt ululatibus aures.

Hoc est, quod ait Artemidorus, σαρῶν τὰ πρὸ τ̃ ναῶν. Sic enim ille lib. II. c. XXXIII. ἐκμάσσειν δὲ θεῶν ἀγάλματα, ἢ καθαίρειν, ἢ ἀλείφειν, ἢ σαρῶν τὰ πρὸ τῶν ναῶν, καὶ τὰ πρὸ τῶν ἀγαλμάτων. *Abstergere Deorum simulacra, aut lustrare, aut ungere, aut verrere limina templorum, & bases simulacrorum*. Polyb. lib. IX. Αἱ δὲ γυναῖκες περιπορευόμεναι τοὺς ναοὺς, ἱκέτευον τοὺς θεοὺς, πλύνουσαι τ̃ κόμαις τὰ τ̃ ἱερῶν ἐδάφη. τοῦτο γὰρ αὐταῖς ἔθος ἐστὶ ποιεῖν ὅταν τις ὁλοσχερὴς τὴν πατρίδα καταλαμβάνῃ κίνδυνος. *Mulieres vero circumeuntes templa, supplicabant Diis, crinibus lavando templorum solum. Hoc enim consueverunt facere, quando magnum quoddam periculum patriam invaserit*. Desiderius Heraldus in Animadversionibus *ad Arnobii* lib. I. lacunam existimat in loco Polybii, & eundem tale quid scripsisse suspicatur: ἱκέτευον τοὺς θεοὺς, πλύνουσαι τὰ τούτων

A ἀγάλματα, καὶ σαρῶσαι τ̃ κόμαις τὰ ἐδάφη. Quod etsi non damnaverim, tamen etiam Historicus per ellipsin id efferre potuit. Mamertinus in *Genethliaco Maximiano Aug*. dicto cap. X. *Quo nuntio accepto* (Hannibalem in Italiam penetrasse) *omnibus oppidis matres Italiæ pensa e manibus abjecerunt, parvos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi ædes sacras passo capillo suo quæque verrebat*. Plura de hoc flebili ritu non addo, cum præter Heraldum, & Brissonius *de Formulis* lib. I. & Lipsius *Electorum* lib. II. cap. VI. haut pauca Veterum hanc in rem testimonia congesserint.

IX. Servius *ad Eclogam* VIII. *Virgilii*, & *ad*
B *lib*. II. *Æn*. id quoque religioni, quam Januis Veteres habebant, tribuit, quod novæ nuptæ in domum mariti abituræ pedes fuerint sublati, ne limen tangeret. Sic enim priori loco ad hæc verba, *Mopse novas incide faces*, scribit: *Quæ solent præire nubentes puellas. Sane Varro in nuptiis dicit, ideo faces præire, quod antea non nisi per noctem nubentes ducebantur a sponsis. Quas etiam ideo limen ait non tangere, ne a sacrilegio inchoarent, si deposituræ virginitatem, calcent rem Vestæ, id est, Numini castissimo consecratam*. Posteriori loco hæc habet: *Vestibulum est prima januæ pars. Dictum est autem Vestibulum, vel quod*
C *januam vestiat, ut videmus cameram duabus sustentatam columnis: vel quoniam Vestæ consecratum est. Unde nubentes puellæ limen tangunt*. Lucanus: *Translataque vetat contingere limina planta. Singula enim domus sacrata sunt Diis; ut culina, diis penatibus: Maceries, quæ ambit domum, Herceo Jovi*.

X. Aliam superstitiosi hujus moris causam affert Isidorus: quod nempe illic januæ & coeant, & separentur. Sic enim scribit lib. IX. *Origin*. cap. VIII. *Uxores ideo vetabantur limina calcare, quod illic januæ & coeant, & separentur*.

D XI. Alias rationes comminiscitur Plutarchus in *Quæstionibus Romanis*, quarum prima est, quod Sabinæ a Romanis raptæ eodem genere ac modo sint in ædes introductæ. Altera, quod in eum locum, in quo pudicitiam essent amissuræ, quodammodo invitas & nolentes ingredi, virginali pudori consentaneum esset. Denique, ut quas coacta ingressa esset ædes, eas non nisi invitam eam egressuram ominarentur. Plutarchum ipsum de eo loquentem audiemus, sed Latine, cum Græca non sint ad manus: *Cur nuptam non patiuntur ipsam transcendere limen domus, sed sublatam transportant pronubi? An quia in prima raptione mulie-*
E *res non ultro intraverunt domos, sed illatæ sunt? aut quia videri volunt non volentes, sed vi coactæ eo ingredi, ubi sunt virginitatem amissuræ? aut hoc signum est, exire etiam eas, domumve relinquere non debere, nisi vi ejiciantur, sicut vi introductæ sunt? Nam etiam apud nos in Bœotia in nuptiis axem plaustri ante fores cremant, innuentes sponsæ manendum esse, sublato avehendi instrumento*. Priorem rationem postea probavit etiam in *Romulo* his verbis: *Mos etiam hucusque obtinuit, ne sponsa ipsa ultro limen transeat, cum in cubiculum intrat, sed sublata introgestetur: quia tunc etiam cum nol-*
F *lent ingredi, importatæ fuerint*.

XII. Verum enim vero etiamsi non ignoro, quod unius rei plures essent causæ: equidem tamen potissimam esse reor, quod hoc modo sollicite voluerint cavere, ne nova nupta in ipso limine offenderet. Id enim pro maxime sinistro omine fuisse habitum, luculentis nunc ostendam exemplis. Ovidius Epist XIII.

Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.

Idem lib. I. *Amor.* Eleg. XII.

Omina sunt aliquid, modo cum discedere vellet,
Ad limen digitos restitit ista Nape.
Missa foras iterum limen transire memento,
Cautius atque alte sobria ferre pedem.

Idem de Myrrha incestum in animo habente lib. X. *Metam.*

Ter pedis offensi signo est revocata.

Hinc tam sollicite quærit Cydippe apud eundem Epist. XXII.

Quo pede processi? quo me pede limine movi?
Picta meæ tetigi quo pede texta ratis?

Ad hanc etiam superstitionem refert Hercules Ciofanius, Sulmonensis, quod de se ipso canit Ovidius in *Tristibus*:

Ter limen tetigi, ter sum revocatus, & ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.

Quamquam & simpliciter hic locus capi potest pro eo, quod ter domo exiturus, ter ab uxore & pignoribus fuerit revocatus. Tibullus lib. I. Eleg. III.

O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem.

Sed cum offensus pes in limine, tam insuave omen; multo magis pro sinisteriori habitum, si quis in foribus corrueret. Obtigit id M. Crasso patri filioque, ex Hieropolitano templo egressis: Plutarchus: *Hæc Dea (sive Venus, sive Juno, sive Natura:* nam incertum habet Plutarchus: *) primum ei omen objecit: egredientibus enim eis ex templo, in foribus, & filius Crassi, & ipse super eum pater corruit.*

XIII. Poetas audivimus, Historicos producemus. Valerius Maximus lib. I. cap. IV. *T. Gracchus, cum ad res novas pararetur, auspicia domi prima luce petiit: quæ illi perquam tristia responderunt. Nam janua egressus, ita pedem offendit, ut digitus ei decutiretur.* Non sum nescius pleraque omnia exemplaria habere *decuteretur*: sed sequor emendationem venustam Jani Gruteri, quam proposuit *Suspicionum* lib. V. cap. X. Non enim decussus Graccho digitus, sed abrasa cutis, fractusque unguis, ut sanguis prorumperet. Plutarchus, interprete Xylandro, in *vita Gracchi*: *Antequam exiret domo, ita pedem ad limen offendit, ut maximi digiti unguis rumperetur, & sanguis infra per calceum efflueret.* Idem Plutarchus in *Crasso*: *Hæc Dea primum ei omen objecit: egredientibus enim eis ex templo, in foribus & filius Crassi, & ipse super eum pater corruit.* Agit eodem loco de templo alicujus Deæ Hierapoli, quod erat in Syria. De eodem omine Plinius lib. II. cap. VII. *Ecce fulgurum monitus, oraculorum præscita, aruspicum prædicta, atque etiam (parva dictu) in auguriis sternutamenta, atque offensiones pedum.* Et ante ipsum Tullius lib. II. *de Divinat.* *Quæ si suscipiamus* (malim *suspiciamus*) *pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt observanda.* Julius Obsequens de Prodigiis: *Domo exiens sinistro ad limen offenso pede decussit pollicem.*

XIV. Diximus de causis ritus hujus nuptialis ad januam spectantis: nunc eundem aliquot exemplis illustrabimus. Lucani versum, qui habetur libr. II laudavit Servius, sed observanda est in eo lectionis varietas. Nam Rutgersius *Variarum Lectionum* lib. I. cap. XII. legit, *metuit*, Brodæus in *Miscellaneis*, & Grotius in *Notis ad Lucanum* probant, *vitat*: aliis denique placet *voluit*. Habemus ergo quatuor lectiones.

Translata (*vetuit*) / (*metuit*) / (*voluit*) / (*vitat*) *contingere limina planta.*

Catullus de Nuptiis Juliæ & Manlii.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes
Rasilemque subi forem.

Plautus *Casina* Act. IV. Sc. IV.

Sensim superattolle limen pedes, nova nupta! sospes
Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes.

XV. In omina quoniam incidimus, nec illud indictum abibit, quod, si Janua sponte aperiretur, nulla humana accedente opera, id pro sinistro omine, imo pro grandi prodigio fuit habitum. De porta Januali afferam illustrem Macrobii locum *Saturnal.* lib. I. cap. IX. *Cum bello Sabino, quod virginum raptarum gratia commissum est, Romani portam, quæ sub radicibus collis Viminalis erat, quæ postea ex eventu Janualis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes ruebant: postquam est clausa, mox sponte patefacta est: cumque iterum ac tertio idem contigisset; armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt, cumque ex alia parte acerrimo prælio certaretur, subito fama pertulit fusos a Tatio nostros.* Suetonius *Cæsare* cap. LXXXI. *Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi: ac subito cubiculi fores sponte patuerunt.* Idem *Nerone* cap. XLVI. *De Mausoleo sponte foribus patefactis exaudita vox est, nomine eum cientis.* Plutarchus in *Timoleonte*: *Adramitæ portis apertis Timoleonti se dediderunt, cum horrore & admiratione nunciantes, commisso primum prælio sacras templi januas sua sponte apertas fuisse.* Idem in *Cæsare*: *More deinde suo cum uxore dormiens, omnibus januis & valvis fenestrarum conclavis subito apertis, strepitu simul & luce perterritus, luna splendente vidit Calpurniam graviter dormire.* Lampridius in *Commodo*: *Prodigia ejus imperio & publice & privatim hæc facta sunt: Janus geminus sua sponte apertus est.* Flavius Vopiscus in *Floriano* de Tacito Imperatore: *Mortis omina hæc fuerant: Patris sepulcrum disruptis januis se aperuit.* Julius Obsequens: Cn. Octavio & T. Manlio Coss. *In æde Penatium valvæ noctu sua sponte adapertæ.* Gobelinus in *Cosmodromio* ætate VI. cap. LVI. *Gregorius* (Pontifex R.) *manu armata multos interfecit: quare Cardinales dixerunt, eum indignum sepeliri in Ecclesia S. Petri: quos ipse redarguit, & se bene fecisse in hoc, ostendens dixit:* Cum mortuus fuero, corpus meum ante fores Ecclesiæ subsistite, januasque seris & vectibus firmantes: si voluntate divina januæ fuerint apertæ, corpus inferte; alioquin facite, quod vultis. *Et cum sic fieret, turbo non solum portas aperuit, sed ad parietem eas devolvit, & inde a multis sanctus judicatus est.* Bene autem Henricus Meibomius Senior margini adscripsit: *Mirum, si verum*: De prægrandibus templi Hierosolymitani valvis ante ultimum excidium sponte patefactis res ex Josepho nota est. Quem Eusebius lib. III. cap. VIII. excerpsit. Johannes Sarisberiensis *de Nugis Curialium* lib. II. cap. IV. historiam his expressit verbis: *Sed & janua interioris ædis, quæ respiciebat ad orientem, cum esset ære solito induta, ac proinde immensi ponderis, quæ vix viginti viris summo conatu impellentibus clauderetur, ferreis quoque vectibus & seris munita, ac pessulis in altum demissis teneretur obstricta, repente hora noctis sexta, prima & vicesima die mensis apparuit sponte patefacta.* Admiracu-

losas januarum aperturas potissimum referri merentur Historiæ, *Actor.* v. 19. XII. 10. XVI. 26. 27. instinctu Spiritus S. a Luca consignatæ: item hæc apud Socratem *Hist. Eccles.* lib. I. cap. XIII. de Eutychiani monachi miraculis: Αὐτόματοι γὰρ αἱ πύλαι τοῦ δεσμωτηρίου ἀνοίγοντο, τῶν δεσμοφυλάκων τὰς κλεῖς ἐχόντων παρ᾽ ἑαυτοῖς. *Fores carceris sua sponte patuerunt, cum custodes ipsi pene se claves haberent.* Confer Sozomenum lib. I. cap. XIV. Tangit hoc Haymo Episcopus Halberstadiensis Historiæ Ecclesiast. haut ita pridem a Cl. Viro Joachimo Johanne Madero emendatius editæ lib. III. c. IX his verbis: *Porta vero interioris ædis area, cum tanti ponderis, ut vix a* XX. *vir is clauderetur, esset, vectibus & seris munita, nocte ultro patefacta est.*

XVI. Tanta erat interdum permittente Deo carminum magicorum virtus, ut iisdem cederent clausæ fores, & repente reserarentur. Ovidius *Amorum* lib. II. El. I.

Carminibus cessere fores, injunctaque posti,
Quamvis robur erat, carmine victa sera est.

Origenes lib. II. *contra Celsum:* Καὶ γόητές τινες ἐπῳδαῖς δεσμοὺς λύουσι, καὶ θύρας ἀνοίγουσιν. Sic Arnob. lib. I. *contra Gentes*, inter artes magicas refert, *sine clavi referare, quæ clausa sunt.* Apulejus *Metam.* lib. I. *Commodum quieveram; & repente impulsu majore, quam ut latrones crederes, januæ referantur, imo vero fractis, & evulsis cardinibus prosternuntur.* Petronius: *Sera sua sponte delapsa cecidit, reclusæque subito fores admiserunt intrantem.* Facile enim assentior Lundorpio, & Lotichio, id veneficio non caruisse: notatque porro Lotichius veneficas semine filicis herbæ in Vigilia D. Johannis Baptistæ nocte intra horam XII. certis superstitionibus collecto foribusque admoto, omnes subito seras, & claustra recludere.

Contra miraculosi aliquid subesse visum, si fores templorum tempore insolito reperirentur clausæ, aut nulla vi humana possent aperiri. Zonaras Tomo II. *Indicto propter morbum* Augusti *Senatu, ut pro salute ejus vota nuncuparentur, Curia clausa est inventa.* Gregorius Nazianzenus de Judæis, qui ex decreto Juliani Apostatæ Templum Hierosolymitanum restaurare voluerunt, sic scribit *Invectiva in Julianum: Ut sævo turbine, ac repentino æstuantis terræ tremore compulsi ad propinquum quoddam templum pervenerunt, partim orationis causa, partim, (ut in hujusmodi rebus accidere solet,) eo quod offerebatur ad periculi propulsationem utentes; partim, cum tumultu abrepti, ac cum currentibus simul illabentes.* Εἰσὶ μὲν δὲ λέγουσιν, ὡς, οὐδὲ τὸ ἱερὸν αὐτοὺς προσεδέξατο, ἀλλ᾽ ἀναπεπταμέναις προσελθόντας ταῖς πύλαις ἐπιτεθείσαις ἐνέτυχον ἔκ τινος ἀοράτου καὶ ἀφανοῦς δυνάμεως, ἣ τὰ τοιαῦτα τερατουργεῖ πρὸς τὴν τῶν ἀσεβῶν κατάπληξιν, καὶ τῶν εὐσεβῶν ἀσφάλειαν. *Sunt, qui eos ne a templo admissos commemorant, sed cum ad apertas fores accessissent, repente eosdem clausas pessuloque obductas offendisse, potentia quadam invisibili, quæ ad impiorum terrorem, ac piorum incolumitatem hujusmodi prodigia designat.*

XVII Nonnunquam etiam in contrarium conversa vis magiæ, ut per eam incantatæ fores non potuerint recludi. Apulejus lib. I. *Et, ut illa Medea, unius dieculæ a Creonte impetratis induciis, totam domum, filiamque cum ipso sene flammis coronalibus deusserat: sic hæc devotionibus sepulcralibus in scrobem procuratis, ut mihi temulenta narravit proxime, cunctos in suis sibi domibus tanta cantionum violentia clausit; ut toto biduo non claustra perfringi, non fores evelli, non denique parietes ipsi quiverint perforari: quoad mutua hortatione consone clamitarent, quam sanctissime dejerantes, sese*

A *neque manus ei admolituros; & si qui aliud* (lego *alii*) *agitarint, salutare laturos subsidium.*

XVIII. Solitas itidem veneficas mulieres sube limine domus quædam suffodere, iisdemque absentes ciere, ex Ecloga Virgilii VIII. colligimus. in quo sic canit magicis sacris operata mulier:

Has olim exuvias mihi perditus ille reliquit,
Pignora chara sui, quæ nunc ego limine in ipso
Terra tibi mando: debent hæc pignora Daphnim.

B Hieronymus in *vita Hilarionis* cap. XVI. *Erat juvenis emporii Gazensis, qui virginem vehementer deperibat, is Memphium profectus, postquam magicis artibus instructus rediit, & subter limen domus puellæ quasdam verborum & portentosas figuras sculptas in æris Cyprii lamina defodit: & illico amore insanivit puella.* Et mox inducit Hilarionem hæc respondere Dæmoni, dicenti, se ob vim harumce literarum non posse exire: *Grandis fortitudo tua, qui licio & lamina strictus teneris.* Heribertus Rosweidus observat ex Taciti *Annali* XI. hujusmodi notas *plumbleis lamellis* quandoque fuisse incisas.

Ad somnia de Januis refer superstitiosam Obser-
C vationem Artemidori *Oneirocrit.* lib. II. cap. LXXIII. *Si somniet servus, per januam se e domo volare, venditionem denotat.*

XIX. Nefas olim fuisse habitum loqui in Janua, observavit Cælius Rhodiginus *Antiq. Lection.* lib. XV. cap. XXIII. Si verba desideras, hæc sunt: *Nec in janua ulla, quacunque esset hora, loqui fas arbitrabantur. Nam Pythagoricorum & Ægyptiorum dogma sapientum id fuit, cum Deum innuerent silentio colendum, a quo sunt rerum primordia.*

XX. I. puer! cedo claves. Claudam superstitiosos ritus. Sed nescio quis mihi respondeat, non posse reperiri. Absit omen. Ad finem propero.
D Hoc volebam. In mentem mihi venit, pro sinistro habitum fuisse omine, si claves templi appropinquante turba reperiri non possent. Aut enim ego vehementer fallor, aut hoc indicare Tranquillus voluit, quando inter portenta Neronis casum designantia refert: quod *Votorum nuncupatione magna jam ordinum frequentia vix repertæ Capitolii claves*, cap. XLVI.

Quia de superstitiosis ritibus circa Januas observari solitis egimus, ad idem referre licet, quod Macrobius lib. I. *Saturnal.* cap. VII. memorat de effigie Maniæ in foribus suspensa. Verba
E integra hæc sunt: *Factumque est, ut effigies Maniæ suspensa pro singulorum foribus, periculum, si quod immineret familiis, expiarent.*

Cap. XXXVI.

DE ADMISSIONE ET EXCLUSIONE.

Summarium.

Fines Januæ quinam? Admissionales erant olim ex libertis. Plura Admissionum genera. Amici primæ, secundæ & tertiæ admissionis. Excludere domo, janua.

F

I. AD finem ventum, claudenda est JANUA. Erant nimirum in hunc usum domibus præfixæ fores, ut non tantum per easdem admitterehtur mortales, sed ut iisdem etiam excluderentur, quos adversabatur dominus ædium.

II. De Admittendi verbo supra quædam me afferre memini. Heic illud saltim annotare visum est, quod *Admissionales* dicerentur, qui remoto ve-

lo hospites admitterent in divitum, & Principum inprimis Palatia. Alexandrum *quasi unum e Senatoribus, patente velo, Admissionalibus remotis, salutatum esse*, scribit in laudato Cæsare Lampridius. In Vopisci *Aureliano*, Accolejus quidam *magister Admissionum* nominatur. Ita etiam Ammianus lib. XV. *Et per admissionum magistrum, qui mos est honoratior, accito eodem, ingresso Consistorium offertur purpura*. Arrionus lib. IV. *Dissertat.* vocat τὲς ἐπὶ τῦ κοιτῶνος, κ) τὲς ἀποκλύοντας τὲς εἰσϊόντας.

III. Hos Admissionales ex libertis fuisse, clarum ex *Vespasiano* Suetonii cap. XIV. *Trepidum eum interdicta aula sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens abire Morboniam jusserat*. Eum enim Phœbum libertum Neronis fuisse, jampridem docti Viri observarunt. Idem hoc ostendit Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Fuit & alia Claudii principatu differentia, in solis his, quibus admissionem liberti ejus dedissent*.

IV. Habebant autem Veteres plura Admissionum genera, sive potius certos Admissionum gradus: ex quibus etiam Amici in certas quasi classes descripti, primæ, secundæ, tertiæ Admissionis dicerentur. Seneca *de Benef.* lib. VI. cap. XXXIV. *Apud nos primi omnium Gracchus & Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, & alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios cum universis. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt & secundos, nunquam veros. Amicum vocas, cujus disponitur salutatio? aut potest hujus tibi patere fides, qui per fores maligne apertas non intrat, sed illabitur?* Idem alio loco: *Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur*. Idem *de Clementia* lib. I. cap. X. *Ignovit abavus tuus victis. nam si non ignovisset, quibus imperasset? Sallustium, & Cocceios, & Duillios, & totam cohortem primæ admissionis, ex adversariorum castris conscripsit*.

V. De Admissionibus pro tempore satis. Ad exclusionem me accingo. Neque tamen ipse quemquam a Janua nostra excludam. Admittam omnes. modo quid reperiant, quod ipsis, quod me dignum sit. Hoc dico. Excludendi verbum in hoc genere frequentissimum esse: quod aliquot exemplis firmabo. Terentius *Eunucho*:

Credo, ut fit, misera præ amore exclusit hunc foras.

Plautus *Menæchmis* Act. IV. Sc. III.

Abiit intro: occlusit ædes: nunc ego sum exclusissimus

Juvenalis Sat. IV.

Exclusi exspectant admissa obsonia Pates.

Idem Sat. VI.

Hæc dabit affectus, ille excludetur amicus
Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.

Suetonius *Othone* cap. III. *Creditur* (Otho) *non modo missos ad arcessendam* (Poppæam Sabinam) *non recepisse, sed ipsum etiam* (Neronem) *exclusisse quondam pro foribus adstantem, miscentemque frustra minas & preces, ac depositum reposcentem*. Seneca Epist. XLVII. *Stare ante limen Calixti, dominum suum vidi, & eum, qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia perduxerat, aliis intrantibus* excludi. Plinius *Panegyrico Trajani* cap. LXXX. *Adeunt statim, dimittuntur statim, tandemque Principis fores* exclusa *legationum turba non obsidet*. Antiquus Auctor de Cardinalibus CHRISTI Operibus, Cypriano adscriptus, Serm. de Ascensione CHRISTI: *Cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo acclamabunt* exclusi. Adamus Bremensis *Histor. Eccles.* lib. III. cap. XL. *Qui adulari nesciret, aut fortasse nollet, eum sicut amentem & stolidum* a januis exclusum *vidimus*. Idem lib. IV. cap. XXXII. *Quos ipse nescio quibus offensus*, excludi *præcepit* a januis, *dicens se pro immundicia infirmitatis indignum, qui ab ullo videretur*. Apulejus *Apologia: Hiccine filius hæres, qui te in ipso fratris sui funere advocata perditissimorum juvenum manu voluit excludere e domo, quam ipsa donaveras?* Ambrosius Epist. XV. *Adversarius spiritus se immisit in cor Judæ, & comminuit animæ ejus januas, ne posset resistere, furem excludere*. Interdum excluso ipsa janua impacta. Vide II. *Reg.* VI. 32. Lucianus in Dial. *Meretric.* ἐκεῖνον μὲν ἀπέκλεισδεν ἥκοντα, προσαῤῥάξασά γε αὐτῷ τὰς θύρας, ὡς ἐλέγετο. *Ipsum quidem venientem exclusit, illisa utique illi janua*. Admittere & excludere eleganter conjungit Plinius in *Panegyr. Observabantur foribus horror & minæ, & par metus admissis & exclusis. Reliqua sequenti capite admittemus*.

CAP. XXXVII.

DE RIDICULIS AMANTIUM EXCLUSORUM DICTIS ET FACTIS.

Summarium.

Amantes exclusi prodeambulabant præ foribus. Screatu vel sibilo, signum dabant. Amatoriam cantilenam cantabant. Κλαυσίθυρον. *Foribus interdum incidebant amores suos. Blandiebantur januæ. Vino adspergebant. Ungebant. Osculabantur. Exclusorum lacrumtæ. In limine domus recubabant. Coronabant fores. Capiti suo detrahebant coronam. Ebrii coronati. Exstinctæ faces amantium. Propertius leviter tentatus. Faces projectæ. Minæ in incendio domus. Carbonibus famosum carmen inscribebant Januæ. Convicia januæ dicta. Occentare ostium. Clamores amantium. Blanditiæ conviciis mistæ. Janua durius pulsata, calcibus petita, fracta. Conclusio.*

I. IN Amoribus finiemus nostrum de Januis libellum, sive potius in stolidis amantium moribus. Admittemus Amasios in hanc tractationem, quandoquidem illos negata nocte excluserunt amasiæ; sed ita eos admittemus, ut ex illorum stultitia juventus discat sapere, nec ita se derisui & despicatui det non prudentibus tantum, sed & ipsi vulgo.

II. Vespere igitur a cœna vel e convivio reduces Amasii tamdiu vicos & angiportus perstrepebant, donec ad exoptatum corculi sui limen pervenirent. Hic si non adesset statim Chrysis, & in ipso aditu domus occurreret, & in amplexus rueret, aut e fenestra prospectaret, prodeambulabant paulisper præ foribus, aut screatu, vel sibilo signum suæ præsentiæ dabant. Catullus Carmine XV.

——— ——— *Nihil veremur*
Istos qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt sua occupati.

Tibullus lib. I. Eleg. V.

Et simulat transire domum, mox deinde recurrit,
Solus & ante ipsas excreat usque fores.

Apulejus lib. VIII. *Sed heus tu, inquit Charite, quam probe veste contectus, omnique comite viduatus, prima vigilia fores meas tacitus accedas, unoque similo contentus, nutricem istam meam opperiare: quæ claustris adhærens excubabit adventui tuo. nec secius patefactis ædibus acceptum te nullo lumine conscio ad meum perducet cubiculum*. Idem lib. IX.

Jamque clausis & obseratis foribus, uxoris laudata continentia, januam pulsat, sibilo etiam præsentiam suam denuntiante. A

III. Quod si ad illud signum nondum advolaret casta, si diis placet, virgo, amatoriam cantilenam cantabant hi noctambuli. Aristænetus lib. II. Ep. XIX. O *θυρῶν ἀκήκοα νέων κωμαςῶν ὑπερυμνυμένων ἀωρὶ νύκτωρ. Juvenes comessatores ante ædes nocte intempesta canentes audivi.* Et in iisdem Epistolis Lyco adolescens ante januam amasiæ sic canit: *Non miserescs adolescentem respiciens? Non condolebis amanti? Habe me vi captum, invictum ante, qua viris, qua fœminis.* Ovidius B *Fastorum* lib. V.

Primus amans carmen vigilatum nocte negatæ
Dicitur ad clausas concinuisse fores.

Idem lib. V. *Fastor.*

Ebrius ad durum formosæ limen amicæ
Cantat,

Et lib. III. *Amor.* Eleg. VIII.

Ille ego Musarum purus, Phœbique sacerdos,
Ad rigidas canto carmen inane fores.

IV. Exemplum ejusmodi cantilenæ amatoriæ habemus venustissimum apud Plautum *Curcul.* Act. I. Sc. II. v. 57. quod meretur audiri, non ut formulam habeant adolescentes, sed ut ineptias C videant:

Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro,
Gerite amanti mihi morem amœnissimi:
Fite causa mea Lydi barbari.
Sussil. te obecro, & mittite isthanc foras,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc vide ut dormiunt, pessuli pessumi,
Nec mea gratia commovent se ocius.
Respicio nihil meam vos gratiam facere.

Nec alius generis videtur Oda x. lib. III. *Carminum* Horatii. Græci hanc cantilenam vocabant *κλαυσίθυρον*, quod *τῶν θυρῶν κεκλεισμένων*, hoc est, nocte D concubia caneretur.

V. Nonnunquam in perenne amoris sui testimonium solebant ejusmodi cantilenam aut ipsis foribus incidere, aut etiam tabellæ incisam in postibus amatæ suspendere. Hinc Elegia queritur apud Ovidium lib. III. *Amor.* I.

Ah quoties foribus duris incisa pependi,
Non verita a populo prætereunte legi.

VI. Sed ut solent sapientes omnia prius experiri, quam ad extrema deveniant: ita hi quoque singula cum ratione administrabant, donec cum nihil se proficere sentirent, aliam insisterent viam. Nam E blandiebantur januæ, & tamquam quædam Panda esset Dea, ejus opem sollicite implorabant. Hinc apud Propertium queritur janua lib. I. Eleg. XVI.

Ille meos nunquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia.

Ovidius *de Arte mala* lib. II.

Postibus & duræ precibus blandire puellæ.

VII. Interdum Januam vino adspergebant, ut vel odore hoc fragranti excitaretur amata, aliamque mentem sumeret. Plautus *Curcul.* Act. I. Sc. I. F

Eaque extemplo ubi vino has conspersi fores,
De odore adesse me scit, aperit illico.

Et statim:

—— Agite, bibite, festivæ fores,
Potate, fite mibi volentes propitiæ.

Hinc etiam sequentem scenam sic orditur Lena:

Flos veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.

VIII. Eundem in finem unguento nonnunquam perfundebant fores. Veteres Glossæ in Persii sat. V. Udas fores *dixit: quas amatores solent unguento perfundere, & ante januam illarum noctem vigiliis & cantu transigere.* Lucretius lib. IV. v. 1172.

At lacrumans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino.

IX. Nec mirum si postes redditi superbi, quoniam etiam osculis honorabantur. Lucretius eodem loco:

—— & foribus miser oscula figit.

Propertius lib. I. Eleg. XVI.

Ante tuos quoties verti me perfida postes,
Osculaque impressis nixa dedi gradibus.

X. Et ut eo magis rigorem mollirent rigidarum mentium, flumina lacrumarum his miscebant officiis. Apud Lucianum Dial. dicto, Dorio queritur: *ἀποκλείομαι μὲν ἐγὼ, καὶ πρὸ τῶν θυρῶν ἕςηκα δακρύων. Ego quidem excludor, & ante fores sto lachrymans.* Martialis libr. X. Epig. XIII.

Ad nocturna jaces fastosæ limina mœchæ,
Et madet heu lacrumis janua surda tuis.

Cetera loca de lacrumis passim immista reliquis nugis legis.

XI. Qui patientiores essent,

—— posuere in limine duro
Molle latus.

ut canit Ovidius. lib. XIV. *Metam.* Aristænetus lib. II. Ep. XX. O *τε μὲν γὰρ αὐτοὶ ποθεῖτε, ἀςρώτοις καὶ χαμαιπετεῖς κοιμήσταις ἐπὶ θύραις ποιεῖσθε, καὶ λιπαρῶς ἱκετεύετε μόνου ῥήματος τυχεῖν ἀξιοῦντες, καὶ δακρύοντες κατομνυσθε τοὺς θεούς. Quamdiu amatis, ad januas amatarum humi sine strato pernoctatis supplicesque vel uno verbo dignari petitis, testaminique cum lachrymis DEOS?* Ovidius lib. II. *Amor.* Eleg. XIX.

Et sine me ante tuos projectum in limine postes
Longa pruinosa frigore nocte pati.

Horatius lib. III. Od. X.

Non hoc semper erit liminis, aut aquæ
Cœlestis patiens latus.

Et *Epodon* libro Od. XI.

—— —— Ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu mihi postes, & heu
Limina dura quibus lumbos & infregi latus.

Propertius lib. I. Eleg. XVI.

Janua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausas taces foribus?
Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis & in tepido limine somnus erit?
Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem,
Frigidaque Eoo me dolat aura gelu.

Idem lib. II. Eleg. XVII.

Nunc jacere, & duro corpus juvat impia saxo.

Et statim:

Nunc licet in triviis sicca requiescere luna.

Tibullus lib. II. Eleg. IV.

At mihi per cædem & facinus sunt dona paranda
Ne jaceam clausam flebilis ante domum.

Ovidius lib. III. *Amor.* Eleg. X.

Ergo ego sustinui foribus tam sæpe repulsus,
Ingenuum dura ponere corpus humo.

Et mox:

Excubui clausam, servus, ut ante domum:

Idem *de Arte Amandi* lib. II.

Clausa tibi fuerit promissa janua nocte,
Perfer, & immunda ponito corpus humo,
Forsitan & vultu mendax ancilla superbo,
Dicet, quid nostras obsidet ille fores?

De Remedio *Amoris* lib. I.

Sic mihi juravit, sic me jurata fefellit;
Ante suas quoties passa jacere fores?

Idem lib. II. ejusdem argumenti:

Dixerit, ut venias pacta tibi nocte, venito;
Veneris, & fuerit janua clausa, feres.
Nec dic blanditias, nec dic convicia posti,
Nec latus in duro limine pone tuum.

XII. Satis diu hæsimus in limine. Erigemus nos, & coronas contemplabimur, quas foribus dabant Amatores. Propertius libr. I. Eleg. XVI. Januam inducit loquentem:

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.

Tibullus lib. I. Eleg. II.

Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum posti florida serta darem.

Ovidius lib. I. *de Rem. Am.*

Effice nocturna frangatur janua rixa,
Et tegat ornatas multa corona fores.

Idem *Metam.* lib. XIV.

Interdum madidas lacrumarum rore coronas,
Postibus intendit.

Et eodem libro.

Dixit & ad postes ornatos sæpe coronis
Humentes oculos, & pallida brachia tollens.

Catullus carm. LIX.

Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida.
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.

Athenæus lib. XV. ex versione Dalechampii: *Coronant valvas illorum, quos amant, honoris causa, perinde ac templi cujusdam Dei vestibulum, non quidem iis quos amant, sed amori Deo coronas dicantes; aut, quod illum, quem amant, imaginem putant Amoris Dei, ædesque hujus delubrum, eorum limini, quos amant, coronas appendunt.*

XIII. Solebant autem has coronas suo capiti detrahere & foribus amicæ dedicare. Ovidius lib. I. *Amor.* Eleg. VI.

At tu non lætis detracta corona capillis
Dura super tota limina nocte jace.

Idem lib. II. *de Arte:*

Postibus & duræ precibus blandire puellæ,
Et capiti demtas limine pone rosas.

XIV. Ebrios enim fuisse coronatos, facile licebit demonstrare. Plautus *Amph.* III. IV.

Capiam coronam mihi in caput; assimulabo me esse ebrium.

Idem paulo ante:

Ibo intro, capiam ornatum, qui potum decet.

Sic Senex ille in *Pseudolo*, admirabundus exclamat:

Quid ego video? Cum corona obvium Pseudolum tuum:

Plutarchus in *Pyrrho*, Καὶ τῦ δήμυ καθεζομένυ, λαβὼν στέφανον τ῀ ἑώλων, ϗ λαμπάδιον, ὥσπερ οἱ μεθύοντες. Propertius:

Sobrius ad lites, at cum est imposta coronis,
Clamabis capiti vina subesse meo.

Ovidius lib. V. *Fastor.*

Tempora subtilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa,
Ebrius incinctis philura conviva lapillis.

Lib. IX. *Metam.*

—— Quam si conviva jaceret
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

Claudianus *de Bello Gildonico:*

—— Mixtis redolent unguenta coronis,
Crinitos inter famulos, plebemque canoram
Umbratus dux ipse rosis, & marcidus ibat
Unguentis crudisque cibo.

Virgilius Ecloga VI.

Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Jaccho.
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.

Propertius apposite ad nostrum scopum lib. III. Eleg. II

Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnæque canes ebria signa fugæ.

Parum abest, quin scripsisse censeam Propertium:

Nocturnasque canes ebria signa faces.

Notum enim est cum facibus circumerrare solitos hoc hominum genus: quas interdum solebant exstinguere, ne a vicinis, aut prætereuntibus agnoscerentur. Persius Sat. V.

—— An rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum voce canto.

XV. Nonnunquam has faces indignabundi solebant abjicere ad amicæ limen. Propertius lib. I. Eleg. XVI.

Semper & exclusi signa jacere faces.

Vide Lipsium *Var. Lect.* lib. III. cap. XII.

XVI. Imo exustionem domus iisdem minitabantur. Ovidius lib. I. *Amor.* Eleg. VI.

—— Excute poste seram.
Aut ego jam ferroque ignique paratior ipse,
Quam face sustineo tecta superba petam.

Plautus *Persa* IV. IV.

At enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores.

Quid ibidem sit *Occentare ostium*, mox apparebit.

XVII. Ab his facibus desumsisse reor carbones, quibus famosum aliquando foribus inscribebant carmen. Huc refero illud Plauti II. III. v. 74.

Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.

ubi ex Mss. quidam præferunt *elegeorum*. Hermannus Hugo *de prima scrib. origine* cap. XXXIII. refert ad laudes amicarum: ubi hæc quoque laudat Aristophanis ex *Vespis*, de Pyrilampe formosissimo.

Καὶ νὴ Δί᾽ ἂν ἴδη γέ πυ γεγραμμένον
Τὸν πορίλαμπυς ἐν θύρα δῆμον καλόν.
Si forte scripta vidit ad quasdam fores
Hæc verba: Bellus Pyrilampis vicus est.

Ut & ista Catulli carm. XXXV.

—— Namque totius vobis
Frontem tabernæ titionibus scribam.

Ita jamdudum censui legendum esse, necquidquam probans illud, *Scipionibus*, quod tamen Scaligero, in emendandis alias Poetis satis liberali, placuisse miror. Verum postea vidi, non esse cur hujus emendationis laureolam mihi vendicarem: cum idem in mentem venerit Grutero, *Suspicionum* lib. II. cap. II. De famosis his carminibus queritur apud Propertium janua lib. I. Eleg. XVI.

Nec possum infamis dominæ defendere noctes,
Nobilis obscœnis tradita carminibus.

XVIII. Carbones alioquin inter instrumenta scriptoria fuisse in proclivi ostendere. Persius Sat. V.

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

Martialis lib. XII. Epig. LXII.

Qui carbone rudi, putrique creta
Scribit carmina.

XIX. Neque satis erat hac injuria afficere januas, & januæ dominas, porro multa convicia dicebant postibus, eosdemque diris omnibus devovebant. Tibullus lib. I. Eleg. II.

Janua

Janua difficilis dominæ, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina missa petant.
Janua jam pateas uni mihi victa querelis,
Nec furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas, capiti sint precor illa meo.

Idem de Cupidine lib. II. Eleg. I.

——— *Hinc dicere jussit*
Limen ad iratæ verba pudenda senem.

Ovidius lib. II. *de Remedio Amoris:*

Nec dic blanditias, nec dic convicia posti.

Et lib. III.

Ante fores jaceant, crudelis janua! clament,
Multaque submisse, multa minanter agant.

Propertius lib. I. Eleg. XVI.

Janua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus.

Et paulo post:

Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ,
Quæ solet irato dicere verba loco.

XX. Atque hoc est, quod Plautus dixit, *Occentare ostium* in *Mercatore* Act. II. Sc. III.

Contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent,
Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium.

Locum ex *Persa* jam tum laudavimus. Pulchre de hac voce Festus: *Occentare dicebant pro convicium facere, cum id clare, & cum quodam clamore fieret, ut procul exaudiri possit: quod turpe habebatur, quia non sine causa fieri putatur.* In meliorem tamen partem accipit Plautus in *Curcul.* I. II. ubi Phædromus adolescens inquit:

Quid si adeam ad fores, atque occentem?

XXI. Solitos alias vocaliter clamare, ac de injuria sibi facta clare conqueri amasios, itidem ex Poetis docemur. Propertius libr. II. Eleg. XIX.

Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.

Tibullus libr. I. Eleg. V.

Heu canimus frustra, nec verbis victa patescit
Janua.

Aristænetus libr. II. Epistol. XX. *Amator adolescens nomine Lyco, frustra perdurans, atque ostium occentans, mulierem male morigeram incusat serio.* Idem Lyco ibidem: *ira æstuans ad contumelias amicæ dicendas versus est. Quam tu, inquit, contentiosa, & nimium mulier: quam inexorabilis, testor terram ac Deos. Mirum quin tale ingenium corpus potius sortitum est feræ.*

XXII. Interdum, ut mire variant amantum mores, blanditias conviciis miscebant. Ovidius lib. I. *de Rem. Am.*

Et modo blanditias, rigido modo jurgia posti
Dicat, & exclusus flebile cantet amans.

XXIII. Denique cum nec suavis cantilena, nec vini aut unguentorum odor, nec oscula postibus reddita, nec vis lacrumarum, nec mora diuturnior in limine, nec coronæ foribus suspensæ quidquam proficerent; nec convitia & minæ, vel sola, vel blanditiis mista elicere possent amatam, major vis adhibita est, ita ut janua fortius pulsaretur, calcibus incesseretur, eadem, ut & fenestræ lapidibus peterentur, cardines effringerentur. Horatius lib. I. *Carm.* Od. XXV.

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Janua limen.

Sic iterum apud Propertium Janua queritur his verbis:

Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis
Pulsata indignis sæpe queror manibus.

Tibullus lib. I. Eleg. I.

Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, & rixas inseruisse juvat.

Lucianus in Dial. *Meretric.* Εν τούτῳ δὲ κτύπος ἠκύετο, ϗ βοὴ ϗ ἡ αὔλιος ἠράσσετο. *Interim strepitus exauditur, & clamor, domusque janua effringitur.* In eodem Dialogo *Lysias: Jam nox erat media. Itaque neque pulsavi tum, sed attollens sensim januam (jam autem illud alias feceram) transversim acto cardine* (παραγαγὼν τὴν ςροφέα) *sine strepitu sum ingressus.* Apulejus *Apologia*, de Herennio Rufino: *Diebus ac noctibus ludibrio juventutis, janua calcibus propulsata, fenestræ canticis circumstrepitæ.* Et denuo Propertius libr. II. Eleg. V.

Nec tibi perjuro scindam de corpore vestes,
Nec mea præclusas fregerit ira fores.

Idem lib. III. Eleg. ult.

Limina jam nostris valeant lacrumantia verbis,
Nec tamen irata janua fracta manu.

XXIV. Quid igitur mirum, si postea de vi conquestæ sunt amasiæ? Apud Tibullum libr. I. Eleg. X.

——— ——— ——— *scissosque capillos*
Fœmina, perfractas conqueriturque fores.

XXV. Verum satis diu hæsimus in his ineptiis. Quapropter desino, Deumque oro, ut Sancto suo Spirito regat juventam, ne unquam aliquid ex pravis hisce moribus assumat, eoque longius a Virtutis & Honestatis janua aberret. Atque is ipse Sacrosanctus Spiritus & lectori meo, & mihi semper adsit, ut devotis precibus divinæ misericordiæ fores pulsemus, ac per JESUM CHRISTUM, firmissimam salutis nostræ januam admissi cœleste palatium intremus.

SEQUUNTUR

Verba Almeloviana, quæ Analectis hinc inde insertis ansam dederunt.

I.

Ex Antiquitatum e Sacris profanarum Specimine pag. 45.

Edidit Johannes Sagittarius dissertationem, in qua quæritur, An Hebræi nudis prorsus incesserint pedibus, *quæ exstat in* Otio ejus Jenensi *pag.* 89. *Habeo disputationem Julii Warneri Eeidenfrost*, de Nudipedalibus Veterum, *sub præsidio ejusdem Sagittarii habitam; in quibus & hi ritus satis fuse exponuntur.*

II.

Ex Conjectaneis pag. 147 - 155.

Sagittarius scripsit de Januis. Sedebant Janitores, erantque & viri & mulieres. Annuli pulsatiles ac marculi. Scella unde dicta? Inscribebantur januis deprecationes incendiorum, etiam S. T. ad indicandum silentium. Fores transibant silentio. Figura cardinum.

Quis ex professo de veterum *Januis* earumque ornamentis, scripsere præter eruditissimum Virum Caspar. Sagittarium, novi neminem, multa quamvis in hoc collegit opusculo, quædam tamen deficere fatetur, quæ secundis curis se subjuncturum promittit cap. XXII. Verum cum hactenus iteratam editionem non viderimus, unum aut alterum proferemus locum, quæ vel observata ab ipso

possunt confirmare, illustrare, aut supplere. Capite XVI. §. IX. agit de Janitoribus catenatis, sed non putem me apud eum legere, quod sedere plerumque fuerint soliti, testis est Tibullus lib. I. eleg. I.

Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ,
Et sedeo duras janitor ante fores.

Ad quæ Vir Nobiliss. Jan. Dousa, *Præcidan. in Tibul. cap.* I. *Sed ut liqueat*, ait, *porro antiqui moris observatio in medium protrahenda, ad Janitorum ejus seculi conditionem pertinens, quos sciendum est, & catenatos & compeditos fuisse; in ipso aditu & vestibulo, quasi in præsidio collocatos, ubi servili cella, ac sub custode cane contenti noctu atque interdiu vitam sedentariam exigerent; haud, ante pedes quod erat, prospicientes modo; sed post etiam respicientes. Credo ne quis adventor gravior quam advenisset, discederet. Facit huc illustris Ovidii locus ex* I. Fastor. *ubi Janum bifrontem sumpta hinc similitudine aptissime utentem inducit:*

Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes:
E quibus hæc populum spectat, at illa Larem
Usque sedens primi vester prope limina recti
Janitor; egressus, introitusque videt.
Sic ego prospicio cœlestis Janitor aulæ,
Eoas partes, Hesperiasque simul.

Pergit de *cane* ostiario, de quo Sagittarius *cap.* XXI. Sed ea silentio præterimus; relaturi quæ ad *cap.* XX. referri debeant. Doctissimus Janus Gebhardus Propertii versum 37. lib. II. El. VI. exponens post alia pergit: *Illud*, inquiens, *præterea monere volui, non solum custodes appositos fuisse viros; sed etiam feminas vetulas. Lamentatur apud Euripidem Hecuba, quod ex regio culmine devoluta in servitutem vel custos liminis vel nutrix fore cogatur.* Troadib. v. 193.

ἢ τὰν
Παρὰ προθύροις φυλακὰν κατέχουσα,
Ἡ παίδων θρέπτειρ, ἁ Τροίας
Ἀρχαγοὺς, εἶχον τιμάς.

Ibid. v. 491.

Ἀδέ ἐστι γῆρα τῷδ᾽ ἀσυμφερώτατα.
Τούτοις με προσθήσουσιν: ἢ θυρῶν λάτριν
Κλῇδας φυλάσσειν.

Ex quibus apparet veram esse emendationem meam supra lib. I. *El.* XI. v. 15. Ut solet amota labi custode puella. Certum equidem, ut Sagittarius observat capite XXII. §. XIV. habetur, veteribus in usu fuisse tintinnabula, quorum meminit H. Magius cap. V. & XIX. apud quem eorum formæ videri possunt; sed alto silentio præterit, quod præprimis notandum, antiquos annulos, quibus pulsabant, foribus affixos habuisse. Ita enim Pollux lib. I. c. IIX. §. 3. καὶ ὀχεῖς, ὃ δ᾽ ὀνομαζόμενον κόρακα, κορώνην Ὅμηρος καλεῖ. (de his XVI. §. VI.) Junius in *Nomencl.* p. 160. *Cornix, cantharus.* Plauto, *manus extera.* Lucretius Annulus, aut Marculus Ferreus, quo pulsantur fores. κιγκλὶς Theocr. Schol. κορώνη Hom. κόραξ, κρίκος, ῥόπτρον (Lysias orat. IV. contra Andocidem pagin. 58. ed. Jod. van der Heydii. ἐν τῷ ῥόπτρῳ τοῦ ἱεροῦ ὁ ἀποδιδοὺς εἰς τὴν δ᾽ ἐπιοῦσῃ νυκτὶ ὑφήλετο. ex eo Harpocration in ῥόπτρον.) Eustath. ἐπισπαστήρ. Herodoto, ἐπίσπατρον Polluc. Isidorus in Glossar. *Mergi, corvi marini, fustes, serræ;* ubi legendum putat Martinius, *fustes seræ*, vel *fustes ferrei.* Nec memini me de iis quicquam apud Kirchmannum aliosque qui de *annulis* ex professo scripsere, auctores legisse. Apud Virum tamen Clariss. Joannem Smetium in *Antiquitatibus Noviomagens.* pag. 22. hæc reperio. *Annuli nostri sunt vulgares, vel domestici, vel pronubi, vel signatorii. Domestici & vulgares, qui etiam volubiles atque versatiles, eorum fuit in pulsandis ostiis aut in cortinis, aulæis, & velis subducendis: horum alii erant majores & lati, quingenti fere numero. Sunt & annuli ansati octo. Est annulus unus osseus maximus, quo ostium a veteribus pulsabatur.* Hujus figuram ab eo Cl. V. mihi transmissam apud me habeo, ne de veritate ejus effigiei dubites, dicam, me hac æstate ut huc conferrem, & una hujusce Viri clarissimi & candidissimi per totum terrarum orbem celeberrimum antiquitatum rariorum musæum viderem instructissimum, Noviomagum fuisse profectum, quo tempore usque adeo benigno me Vir doct. excepit vultu, & hospitio, tanto effecit beneficiorum cumulo, ut bipedum essem ingratissimus, si unquam istorum oblivisecerer. Verum enim vero unde nostrum *Scellæ*, ut ita loquar, dictæ sunt, me nuperrime demum resciviße ingenue profiteor. Nam ante paucos dies in Barthii *Adversaria* (lib. LV. cap. X.) quoniam in iis quædam veterum Scriptorum fragmenta respicienda mihi erant, incidens, ex iis hæc de tintinnabulis seu *scellis* excerpsi. *Tintinnabulum minutum*, inquit, *quod appendi animalibus, quandoque ad ostia solet, quandoque etiam ad convocandos sono quos intersit congregari, Germani* Scellam *vocamus. Eam vocem a nobis mutuati postremis temporibus Scriptores Latinitati intulerunt. Petrus Mauritius Venerabilis, Statutorum Cluniacensium Can.* XXV. Statutum est ut loco famulorum, qui mane vociferando fratres in infirmaria jacentes inhoneste ad Missam vocare solebant, Scilla adhoc in sublimi infirmariæ loco suspensa pulsetur. Sed pergamus cum nostro Sagittario, is Capite XXIV. §. X. & XI. agit de velis & centonibus, citans in testimonium loca Auctorum a *Ramiresio ad Martialis Epigramm.* XXXV. lib. I. emendata, adeo ut suspicarer hinc sua desumpsisse; qui autem plura velit, is eum adeat commentatorem, qui loco citato multa in hunc scopum collegit parallela loca, quæ ob brevitatis studium describere noluimus, annitentes in quantum possumus rem in pauca contrahere. De inscribendis autem Januis Capite XXVIII. egit satis fuse, sed nescio annotavit ritum, quem refert Illustriss. Scaliger ad hunc Afranii versum: *Inscribat aliquis in ostio* ARSE VERSE. A Sexto Pompejo *de Verbor. Signific.* in *Arse verse* citatum. *Ita versus Afranii*, inquit Scaliger, *legendus est. Inscribat aliquis Arse vorse in ostio, in quo versiculo ostenditur superstitio veterum, qui ad deprecandum incendium inscribebant in ostio nescio quid, quod ad eam rem faceret. Plinius lib.* XXIIX. *Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur.* Dein silentio quoque prætermittit, quod ex Cœlio Rhodigino *Antiq. Lection.* lib. XII. cap. XVIII. notat Joannes A Schill. *Nomenclat. Philolog.* pag. 993. Priscos literam S. quæ silentii erat nota, foribus tricliniorum aut cœnaculorum inscripsisse; ut ea silentium quasi injungerent convivantibus, monerentque, ne ea quæ paullo liberius inter pocula forent effutita, foras eliminarent. Græcis diductum putat a σίζειν, id est, *stridere*, ast nos putamus a σιγῇ, vel σιγάω, *sileo.* Subjungit Latinos addidisse literam T. atque eum morem ex Terentii hoc loquendi genere eliciunt: *Phorm.* v. I.

SO. *Non is obsecro es*
Quem semper te esse dictitasti. CH. *st.*
SO. *quid has metuis fores.*

Verum enim vero, quod pace & venia dixerim, autumem eos falsos, siquidem Sophrona & Chremes, cum locus bene examinetur, non erant in ædibus, sed quasi in platea, adeoque id de foribus triclinii non poterat prædicari. Secundo non dixit, *quid has metuis fores?* respiciens ad inscriptas literas, quid inde namque mali? verum e contrario ad homines intus degentes, qui eorum poterant audire sermones, ideo enim præmiserat,

concede hinc paululum a foribus , iſtorſum ſodes , quaſi diceret huc accede paululum, ne januarum nos audiant cuſtodes, & poſtea cauſam receſſus reddens ſubjungit, *concluſam hic habeo uxorem ſævam* . Quid ? ſi concedamus hæc ita ſeſe habere, unde igitur *ſt* ſint, quid velint, quid indicent hæ literæ , non exponunt. Mihi autem ſi conjecturæ locus eſt, videntur hæ literæ S. T. inſcriptæ fuiſſe foribus, ut in monumentis V. S. atque in notis juridicis, *ſine teſtibus*, vel *Sententia* vel *Statutum*, ita hic, *Sed Tace*, vel *Sed Tacite*, vel *Silentium Tene*, quomodo Poetæ paſſim loquuntur, ut Ovidius,

Tenuere ſilentia cuncti,

indicaſſe, quod non tam ad ſermones convivales referri velim, quam ad Deos liminares, & januis affixos, ut mox videbimus, quos ſilentio venerationis cauſa tranſibant. Cum vero hæ litteræ majuſculæ & punctis disjunctæ, primo ſcriberentur, poſtea inſcitia librariorum ſublatis punctis, in unam quaſi ſyllabam coaluerunt. Erant itaque antiqui ita ſuperſtitioſi, ut, cum januas diis conſecratas haberent, eas ſilentio tranſirent, ne numina violare viderentur: ritum hunc nuſpiam hactenus, quod equidem ſciam, legi quam apud Porphyrium *de Antro Nympharum* pag. 266. ed. Cantabrig. MCDLV. *ὐκ ἦν ὐδ᾽ ἐπὶ τῶν ἄλλων θυρῶν ἐφ᾽ ὑποιασῦν ὥρας ἐξῆν λαλεῖν, ὡς ἱερᾶς ὔσης θύρας. καὶ διὰ τῦτο οἱ πυθαγορεῖοι, καὶ οἱ παρ᾽ Αἰγυπτίοις σοφοὶ, μὴ λαλεῖν ἀπηγόρευον διερχομένυς ἢ θύρας, ἢ*

A *πύλας. σεβομένυς ὑπὸ σιωπῇ θεὸν ἀρχὴν τῶν ὅλων ἔχοντα*, id eſt, *Ideoque nec ad alias fores quocunque demum tempore loqui fas erat: quaſi ſacræ ſint fores. Atque eam ob cauſam Pythagorei & Ægyptiorum ſapientes prohibebant, ne quis fores vel portas tranſiens loqueretur: Deum univerſi principium ſilentio venerantes.* De cardinibus vero agit Capite VII. Sed non videtur mihi ex variis, quos adducit, auctoribus ſatis clare exponere, quæ qualisque Cardinum fuerit conſtructio, alios enim *Cuneum*, alios *Foramen*, Cardinem vocare dicit, Græce autem *γίγγλυμον*, quæ vox quomodo debeat intelligi non ſubjicit. Audi itaque Galenum docentem, qui ſeſe res ha-
B buerit: *γυγγλύματα ἀντεμβαίνυσιν εἰς ἀλλήλυς, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς θύραις οἱ γιγγλυμοί. Contrario modo ineunt inter ſe, ut in januis cardines*. Similiter apud Hebræos, qui metaphorice *pudendum* dixere muliebre. Ita Buxtorfio in *Lexico*: פות *Cardo fæmina*, inquit, *ferramentum cavum januæ affixum: metaphorice pudendum muliebre*. Jeſ. III. v. 17. Grotius & alii *podicem* vertunt. Nos in hæc non latius inquiremus, ſufficit omnes ad concavitatem, venia ſit verbo, reſpicere. Iſidorus in Gloſſario *Cardulum* (alii *Cardudum membrum fœminæ* & Cadurda (quid ſi literarum tranſpoſitione legas *Car-*
C *duda*) *labra pudendi muliebris, vel ſponda lecti*: Rutgerſius *Variar. Lect.* lib. IV. cap. XIII. legit *Cadurca*. Sunt itaque noſtratibus *Henghſels* dicti, non autem ii, qui ut alias fit, in *duymen* ſuſpenduntur.

FINIS.

LAZARUS BAYFIUS
DE
RE VESTIARIA.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

D. JOANNI A LOTHARINGIA,

S. R. E. CARDINALI MERITISSIMO

LAZARUS BAYFIUS S. D.




Uum diu multumque me ſolicitum haberet hujuſce mei libelli editio, non tam quod malevolorum invidiam pertimeſcerem (quis enim ſane mentis huic labori meo invideat?) quam quod rei veſtiariæ, quam tracto, familiarem peſtem blattas ſcilicet & tineas, in hoc meum opuſculum primo quoque tempore impetum facturas ſuſpicarer; tu unus ex omnibus mihi occurrebas, qui ingenii mei mediocritatem non modo authoritate tua tueri & poſſes & velles: verumetiam tuæ amplitudinis odore, multo magis quam mala illa aurea, quæ & medica & citria dicuntur, hanc ſyntheſim meam ob omni tinearum impetitione vindicares. Quis eſt enim omnium, aut quotus quiſque eſt eorum quidem certe, qui cum muſis, id eſt, cum humanitate & doctrina, aliquod habent commercium, qui quum hunc libellum tibi nuncupatum, tibique non ingratum, hujus denique ipſius te patrocinium ſuſcepiſſe reſciverit, eum ipſum nominis tui titulo pellectus, non ſtatim emendum curet, emptum perlegat, perlectum prope dicam exoſculetur, neque de manibus unquam deponat: & ut in eo plura videat quæ reprehendenda, quam quæ laudibus efferenda ſint, tuæ certe dignitatis celſitudine permotus, a convitiis linguam abſtineat? Quem vero ad te tuaque non dicam metuenda (amari enim vis, non metui) ſed obſervanda potius, magnifica iſta tui oris probitas non rapiat: generoſa formæ dignitas non alliciat: ſuaviſſima humanitatis mollitudo non invitet: ſingularis denique, raraque in ampliſſima fortuna, Romani ſermonis facundia non perſuadeat? Quibus tu dotibus inſtructus & ornatus, non Romanos, Germanos, ac Gallos tantummodo, velut alter Gallicus Hercules, aures oculoſque aureis catenulis, id eſt, veneranda quadam ſuada vinctos, quocunque vis trahis: ſed ipſum quoque Franciſcum regem, acerrimum ingeniorum æſtimat rem, morum ſuavitate, quos in te novit eſſe præcipuos, ita devinctum tenes, ut te unum ex omni purpuratorum ordine potiſſimum delegerit, quem tum in adminiſtranda regni mole, conſiliorum participem vel potius principem haberet, tum vero quotidianis epulis communi menſa convivam exciperet. Et hercule bene. Quid enim eſt elegantia tua dignius, cujus tum oratio, tum vita perdifficilem illam gravitatis cum humanitate conjunctam ſocietatem mihi videtur conſecuta? Neque vero ille unus te adamare contendit, quinetiam ad unum omnes Chriſtiani nominis principes, & eorum nonnulli Gallici nominis hoſtes, te Gallum, Gallicarumque partium, utrunque, & ob animi celſitatem & ob vitæ integritatem ita probant, ut nemo unquam quiſquam ſuum principem magis. Nimirum hoc tibi

tribuit admiranda quædam virtutis vis, ac incredibilis ingenii dexteritas, ut te non ſolum ii qui nunquam viderint, admirentur: ſed hoſtes etiam non vulgari amore proſequantur. Jam vero literatorum ſtudioſorumque ordo, cui ultro te Mecœnatem exhibuiſti, te ita ſuſpicit, magnam ut in ſpem veniam, haſce meas vigilias, quas tuæ amplitudini conſecravimus, futuras illi, te commendante, gratioſas: quas tamen ipſas haud ſatis ſcio Jureconſultis, quibus ſcripſimus, fore plauſibiles; propterea quod minime Accurſii Accurſianorumque morem ſectati ſimus. Quin & neceſſario pleraque ex Græcorum fontibus adjecimus: volui enim authoribus laudandis ineptiarum crimen effugere: quæ vereor ut iſtis ſtomachum faciant, eoque nomine libellum hunc rejiciant, qui ab hac tranſmarina atque adventitia doctrina abhorrere ſolent. Porro autem utriuſque linguæ elegantiarum ſectatores, qui iſta mea legere non gravabuntur, oratos velim, primum ut mihi aſſeveranti credant, me meliores ætatis annos in ediſcendis Accurſianorum ineptiis, potius quam Ulpiani aut Pauli reſponſis, de non ſatis eruditorum amicorum conſilio, conſumpiſſe: quorum barbaries ingenium mentemque meam infuſcavit: quibus dediſcendis non minus mihi fuit negotii, quam in ediſcendo ad verbum aut Platone, aut Demoſthene, aut ſimul utroque: deinde me ſero & curſim Græcas literas arripuiſſe, ac ſucciſivis, quod ajunt, operis. Præterea cogitent, quid homo, cujuſmodi ego & ſum, & eſſe prædico, & præ me fero, præſtare poſſit, in ea præſertim re, quæ abhinc annos circiter mille doctiſſimo cuique (ut nihil magnificentius dicam) haud ſatis cognita fuit & perſpecta. Tum ad extremum ita fiet, opinor, ut nihil mihi de impetranda ab his venia ſit laborandum, etiamſi nonnullis in locis lapſus fuerim, vel pleraque omiſerim. Ego enim, ne forte neſciant, hac lege hoc opus edo, mihi poſthac ut integrum ſit, curta producere, perverſa mutare, errata denique ipſa corrigere. Cur enim mihi vixdum triginta annos nato, ſemel non liceat, quod prope quinquagenario Budæo licuit, magno natu Eraſmus ſibi toties permiſit? Quorum uterque ſuo ſtudio, labore, & induſtria ſibi doctrinæ nomine, æternum decus patriæ, Mecœnatibuſque ſuis nunquam intermorituram gloriam comparavit. Vale præſul ornatiſſime.

F. F. DE AURO ET ARGENTO LEG.

PANDECTARUM LIB. XXXIV. ULPIANUS.



Estis an vestimenta legantur, nihil refert. Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, accubandive causa parata sunt, & quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ, clavique qui vestibus insuuntur. Vestimenta omnia aut virilia sunt, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria. Virilia sunt, quæ ipsius patrisfam. causa parata sunt, veluti togæ, & tunicæ, palliola, vestimenta stragula, amphitapa; & saga, & reliqua similia. Puerilia sunt, quæ ad nullum alium usum pertinent nisi ad puerilem, veluti togæ, prætextæ alicubi, & chlamydes, pallia, quæ filiis nostris comparamus. Muliebria sunt, quæ matrisfam. causa parata sunt, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione, veluti stolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi quam ornandi causa comparata sunt: plagulæ, penulæ. Communia sunt, quibus promiscue utitur mulier cum viro, veluti si ejusmodi penula palliumve est, & reliqua ejusmodi, quibus sine reprehensione, vel vir, vel uxor utatur. Familiaria sunt, quæ ad familiam vestiendam parata sunt: sicut saga, tunicæ, penulæ, lintea, vestimenta stragula, & cætera similia. Vestis ex pellibus constabit. Item vestes caprinæ & agninæ, vestis erunt. Argumento sunt etiam nationes quædam, veluti Sarmatarum, quæ pellibus teguntur. Aristo etiam coactilia vesti cedere ait, & tegumenta subselliorum huic legato cedere vice margaritarum. Item fibulæ ornamentorum magis quam vestis sunt. Tapeta vesti cedunt, quæ aut insterni aut injici solent: sed stragulas & Babylonicas, quæ equis insterni solent, non puto vestis esse. Fasciæ crinales, pedulesque, item pilea, vestis loco sunt, quia partem corporis vestiunt. alia causa est œdorum, quia usum calciamentorum præstant. Cervicalia quoque nomine vestis continentur. Si quis addiderit vestem suam, apparet de ea eum sensisse, quam ipse in usus suos habuerit. Culcitræ etiam vestis erunt. Item pelles caprinæ & agninæ vestis erunt. Muliebri veste legata & infantilem contineri, & puellarum & virginum, Pomponius lib. XXII. *ad Sabinum recte scribit. Mulieres enim omnes dici, quæcunque sexus fœminini sunt. Ornamenta muliebria sunt quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli præter signatorios, & omnia quæ ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi causa. Quorum in numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam in se nullam utilitatem habent. Mundus muliebris est, quo mulier mundior fit. Continentur & eo specula, matulæ, unguenta, vasa unguentaria, & si qua similia dici possunt, veluti lavatio, riscus. Ornamentorum hæc, vittæ, mitræ & semimitræ, calantica, acusve cum margarita, quam mulieres habere solent, reticula,* κεκρύφαλα. *Sicut & mulier potest esse munda, non tamen ornata, ut solet contingere in his quæ se mundaverint, lotæ in balneo, neque se ornaverint. Et contra; est aliqua ex summo statim ornata, non tamen emundata. Margarita ita si non soluta sit, vel qui alii lapides, si quidem exemptiles sint, dicendum est ornamentorum loco haberi. Sed & si in hoc sint soluti, ut recomponantur, ornamentorum loco sunt. Quod si adhuc rudes sint lapilli, vel margaritæ, vel gemmæ, ornamentorum loco non erunt, nisi alia fuerit mens testantis, qui hæc quoque quæ ad testamenta paraverat, ornamentorum loco & appellatione comprehendi voluerit.*

LAZA-

LAZARI BAYFII ANNOTATIONUM

IN L. VESTIS FF. DE AURO ET ARGENTO LEG. LIBER.

Caput Primum.



Sunt qui putent inter vestem & stolam hanc esse differentiam, ut cum vestis appellatione, omne vestimentum comprehendatur, muliebre juxta ac virile: stolæ, mulierum tantum vestimenta intelligantur. Quos sequutus videtur Ulpianus hic, qui stolam inter muliebria vestimenta annumerat: & authorem videtur habere locupletissimum, Ciceronem in *Antoniana* secunda, in hæc verba, *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti*. Ego vero haud magno in discrimine ponam, dicatne quis vestem, aut stolam, quum ex authorum observatione, quin hæc duo vocabula συνώνυμα sint, parum abesse existimem. Veteres enim stolam dixerunt omne quod corpus tegeret. author Nonius. Cicero quoque quum muliebrem adjicit, sentire videtur, stolam quoque virorum fuisse: quod & probari potest ex authoribus a Nonio citatis. Græci vero, vel potius quidam Græcarum elegantiarum scriptor, ait, vestis (quam ἐσθῆτα vocat) appellatione omne vestimentum contineri: stolam vero indumenti rationem quandam ac modum demonstrare. ut alia stola Græcorum, alia Barbarorum. Quo in significatu utitur Plutarchus, cum alibi, tum in *Alexandro*, ἐνίκησεν, inquit, ὁ καλούμενος ἀλέξανδρος, καὶ δωρεὰν ἔλαβε δώδεκα κώμας, καὶ στολῇ περσικῇ χρῆσθαι. hoc est, *Vicit is qui vocabatur Alexander, gratiaque illi facta ut duodecim vicis potiretur, stolaque Persica uteretur*. Stola Persica ait pro cultu Persico. Idem Plutarchus in *Dione*, quum de Dionysio seniore loquitur, qui neminem inexcussum in cubiculum admitteret, sic ait, εἰσῄει δὲ πρὸς αὐτὸν εἰς τὸ δωμάτιον οὔτ᾽ ἀδελφὸς, οὔθ᾽ υἱὸς, ὡς ἔτυχεν ἠμφιεσμένος. ἀλλ᾽ ἔδει πρὶν εἰσελθεῖν, ἀποδύντα τὴν ἑαυτοῦ στολὴν ἕκαστον, ἑτέραν ἀναλαβεῖν, ὀραθέντα γυμνὸν ὑπὸ τῶν φυλαττόντων. hoc est, *Ingrediebatur vero ad ipsum in cubiculum neque frater, neque filius, ut erat indutus: verum opus erat ante ingressum, unumquemque, posito suo ipsius cultu, alium suscipere, nudumque ita a satellitibus videri*. Stola vero dicta videtur ἀπὸ τοῦ στέλλομαι, quod *induo* signat: ut apud Plutarchum in *Arato*, ὁ δὲ ἐργῖνος ἑπτὰ λαβὼν νεανίσκους ἐσταλμένους ὁδοιπορικῶς, hoc est, *viatoria indutos*. quo vocabulo utitur Budæus in quadam epistola, vir de quo dicere solet Janus Lascaris, quod olim de Tullio dixit Apollonius. Viatoriam vero vestem, *hodæporicam* appellat Herodianus, quam vulgo *robbam curtam* dicimus. Herodianus in quinto, ubi de Macrini fuga, qui posito cultu regio, ἐσθῆτά τε ὁδοιπορικὴν λαβὼν, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀεὶ σκέπων, νύκτωρ τε καὶ μεθ᾽ ἡμέραν ὡδοιπόρει, φθάνων τὴν φήμην τῆς ἑαυτοῦ τύχης. hoc est, *Sumptaque veste viatoria, obtectoque usque capite, noctem diemque iter faciebat, famam suæ fortunæ præveniens*. Sic & Plinius *cubilia viatoria* dixit lib. XXXVII. cap. II. *Et Neronis principis, qui sceptra personis histrionum, & cubilia viatoria unionibus consternebat*. Nos quoque fortassis haud absurde dixerimus cubilia viatoria, lectulos illos, quibus passim in comitatu utimur.

Stolatæ mulieris figura, ex antiquissimis monumentis, quæ etiam hodie Romæ inveniuntur.



Cap. II.

Ait Ulpianus, *Vestimentorum sunt omnia lanea.*) De lanarum generibus ex Plinio pauca subjiciam, quandoquidem melius est a fontibus haurire, quam rivulos consectari.

Hispania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes. Unde apud Martialem lanæ Pollentinæ, lib. XIV. ep. CLVII.

Non tantum pullo lugentes vellere lanas.

Canusium Rutuli, quas Erythras vocant. Canusinæ ruffæ dictæ a Martiale eod. lib. ep. CXXIX.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia ruffis.

Et *canusinatum Syrum* dicit, pro canusina veste ornato, lib. IX. ep. XXIII.

Ut canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Fulvas habet Tarentum, & suæ puliginis. Histriæ Liburniæque pilo propior, quam lanæ, pexis aliena vestibus, & quam sola ars scutulato textu com-

mendat in Luſitania. Scutulatum vero textum A ejuſmodi fere eſt, quale cernitur in aranearum telis. Plinius lib. XI. cap. XXIV. *Quarta arte celant pedicas, ſcutulato rete, ad capiendas muſcas circa graſſantes.* Eſt autem ſcutula a ſcuto dicta. Plin. lib. XVII. cap. XVI. *Ergo amputatis omnibus ramis, ne ſuccum avocent, nitidiſſima in parte, quaque præcipua cernatur hilaritas, exempta ſcutula, cortici, ita ne deſcendat ultra ferrum, imprimitur ex alia cortex par cum ſui germinis mamma.* Per ſcutulam intelligo corticem ad effigiem parvuli ſcuti eximendum ab arbore, & alium in ejus locum cum germine reponendum. At vero mollis erat in agro Mutinenſi, cujus meminit Strabo B in quinto, ἐρέαν δὲ τὴν μὲν μαλακὴν, οἱ περὶ μουτίνην τόποι καὶ τὸν σκουτάναν ποταμὸν φέρουσι, πασῶν πολὺ καλλίστην. τὴν δὲ τραχεῖαν ἡ λιγυστικὴ καὶ ἡ τῶν ἰνσούβρων, ἐξ ἧς τὸ πλέον τῆς οἰκετείας τῶν ἰταλιωτῶν ἀμπέχεται. τὴν δὲ μέσην ἡ περὶ παταούιον, ἐξ ἧς οἱ τάπητες οἱ πολυτελεῖς, καὶ γαύσαποι. Hoc eſt, *Lanam vero mollem Mutinenſis ager, eaque regio quæ ad fluvium Scutanam pertinet, fert omnium longe optimam: hirtam vero Liguſtica & Mediolanenſis, ex qua bona pars Italiæ ſervitiorum veſtitur. Mediocrem autem, ea quæ circa Patavium, ex qua pretioſiſſima tapeta & gauſapinæ fiunt.* Eſt & hirta pilo craſſo, C in tapetis antiquiſſima gratia.

Lanarum colores nativi memorantur quatuor præcipui, etiamſi Plinius dicat, vel nativis nomina deeſſe aliquot modis. Albus in Appulia nobilis, ut ait Martialis lib. XIV. ep. CLV.

Velleribus primis Appulia, Parma ſecundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Niger in Hiſpania & Pollentia, ut diximus, rutilus, qui & ἐρυθρὸς dici poteſt, & a Martiale ruſſus. Fulvus & ſuæ puliginis Tarentinus. Quis vero ſit fulvus color, docet Fronto apud Gellium lib. II. cap. XXVI. his verbis: *Fulvus autem videtur de ruſſo atque viridi mixtus, in aliis plus viridis, in aliis* D *plus ruſſi habere. Sic poeta verborum diligentiſſimus* fulvam aquilam *dixit, &* jaſpidem, fulvos galeros, *&* fulvum aurum, *&* arenam fulvam, *&* fulvum leonem. *ſic Qu. Ennius in Annalibus,* fulvo ære *dixit. Flavus contra videtur ex viridi & ruſſo & albo concretus: ſic* flaventes comæ: *& quod mirari quoſdam video,* frondes olearum *a Virgilio dicuntur* flavæ. *Sic multo ante Pacuvius* aquam flavam *dixit, &* flavum pulverem: *cujus verſus, quoniam ſunt jucundiſſimi, libens commemini,*

Cedo tamen pedem lymphis flavis, flavum ut pulverem. E

Hactenus Gellius. Flaventes comæ dicuntur, quæ ſunt crocei coloris, quod vel Ovidiano verſu probari poteſt, in ſecundo *de Amoribus,* eleg. IV.

Seu flavent: placuit croceis Aurora capillis.

Quando vero in colorum mentionem incidimus, qui multi variique in veſtimentis reperiuntur ſericis juxta ac laneis, addam ex eodem Gellio, quæ præcipue ad noſcendos colores facere videbuntur. Ait Gellius eodem capite: *Non enim hæc ſunt ſola vocabula ruſſum colorem demonſtrantia, quæ tu modo dixiſti, ruſſus & ruber: ſed alia quoque habemus plura, quam quæ dicta abs te Græca ſunt. Fulvus enim & flavus, & rubidus, & phœniceus, & rutilus, & luteus, & ſpadix, appellationes ſunt ruſſi coloris.* Hactenus Gellius. Advertendum tamen ex eodem, quod phœniceus, rutilus & ſpadix ſunt συνώνυμα, & ſignificant exuberantiam ſplendoremque ruboris, quales ſunt fructus palmæ arboris non admodum Sole incocti, unde ſpadicis & phœnicei nomen. Rubidus autem & ruſſus atrore & nigrore multo mixtus. Luteus quoque ruſſus eſt, ſed dilucidior. Viridis vero color appellatur quoque cæruleus, qui a Græcis glaucus dicitur, unde Pallas γλαυκῶπις dicta: a veteribus autem Latinis *cæſia*, quaſi *cælia*, a colore cœli, ut inquit P. Nigidius. Auſonius quoque eidyl. VIII. de Biſſula Latine dixit,

—— Oculos cærula, flava comas.

Hoc eſt, ut vulgo loquimur, quæ habet oculos virides. Illud interim mirari ſubit, quid in cauſa ſit, quod nos Galli ſimul & Germani in puellarum forma oculos cœruleos laudamus: contra vero Romanis ac Græcis puellæ oculis nigris cenſentur. Cerulei coloris veſtis dicitur & *cymatilis,* quia nomen ſortitur ab undis. Apud Ovidium lib. III. *de Arte Am.*

Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.

κῦμα enim fluctus eſt. Nec me latet quoſdam per cymatilem veſtem apud Plautum intelligere undulatam, id eſt, *de camelot*: quod haud ſcio an ridiculum ſit. Quod autem de luteo diximus, Nonius ait, luteum proprie eſſe croceum. Author Virgilius in *Bucolicis,* Eclog. IV.

—— Jam croceo mutavit vellera luto.

Et *Æneid.* VII.

Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Sic & ovi vitellum, luteum dicimus. *Crocota* veſtis dicta Nonio, unde infectores *Crocotarii* apud Plautum. & dicitur *Crocota* a croco, ut opinor, quo vocabulo utuntur & Græci, κροκωτὸς & κροκώτιον, Id eſt, *crocota* & *crocotula,* quæ inter muliebria connumerantur. Quo vocabulo quidam putaverunt rubrum colorem intelligi. Ovidius,

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Vides ut crocum rubrum dicat Ovidius. Oſtrina quoque ab oſtro, quod eſt ſubrubens. Turpilius: *Interea aſpexit virginem vectari, in capite ricinam indutam oſtrinam.* Molochinus in veſte ſimilis flori malvæ, cujus infectores dicuntur *Molochinarii* a Plauto in *Aulularia.* Ferrugineus, eſt color ferro ardenti haud abſimilis, ut quidam putavere, qui & hyacinthinus ex Virgilio; ait enim, *Ferrugineos hyacinthos.* Ex Nonio. Caſtaneus in veſtibus is color, quem ſublata prima ſyllaba, vulgo *tanneum* dicimus, cujus meminit Ovidius *de Arte Amandi.* Neque vero alienum videtur ex Platone in *Timæo* pauca de coloribus addere. Græca non adſcribam, quia ſubtimeo ne Græcarum literarum experti nauſeam moveam: quando fere fit ut facile aſpernemur quæ ignoramus. Marſilius ita vertit: *Quod viſum diſgregat, album appellatur: nigrum vero, quod congregat. Motionem profecto acutiorem, alteriuſque generis ignis, incidentem diſpergentemque viſum uſque ad oculos, orbeſque ipſos oculorum meatuſque vi diverberantem liquefacientemque, ignem eſſe dicimus ex oppoſito obviantem, cujus occurſu lachryma corpus ex igni & aqua mixtum, effunditur. Et uno quidem igne, velut e coruſcatione quadam exiliente, altero vero penetrante, & ab humore extincto, varii creantur ex hujuſmodi mixtione colores: atque ipſam paſſionem, fulgorem coruſcationemque vocamus: quodque id facit, ſplendidum atque coruſcum. Horum medium ignis genus ad oculorum humorem perveniens, illique ſe miſcens, minime quidem coruſcum: ſed ex ipſa ignei radii ad humorem mixtione, ſanguineum creante colorem, rubrum nominamus. Splendidum albumque rubro mixtum, flavum procreat. Quo autem menſuræ modo ſingula ſingulis miſceantur, etiamſi quis noverit, narrare prudentis non eſt: præſertim quum neque neceſſariam, neque veriſimilem de his rationem afferre poſſit. Rubrum cum albo nigroque, purpureum generat. Paulo obſcurior moreus luteoluſque fit color. Fulvum flavi fuſcique temperatione producitur. Fuſcum*

vero, albi & nigri confusione. Pallorem albi flavique copula generat. Splendidum albo adjunctum, obfusumque nigredine, cæruleum efficit. Cæruleum cum albo, glaucum creat. Fulvi nigrique temperie color viridis nascitur. Hactenus Marsilius. Plura de coloribus dicere supersedi, quoniam hac de re multa pollicetur Marcellus Florentinus, quem, etiamsi fato functus est, de coloribus copiosissime simul & doctissime scripsisse arbitror.

CAP. III.

PURPUREUS color in vestimentis laudatissimus antiquis fuit, cujus authorem fuisse ferunt Herculem, ut scripsit Julius Pollux in *Onomastico* ad Commodum Imperatorem, his verbis: Τύριοι λέγουσιν ὡς ἡρακλῆς ἠράσθη νύμφης ἐπιχωρίας. τύρος δ' ἦν τῇ νύμφῃ τοὔνομα. εἵπετο ἄρα τῷ ἡρακλεῖ καὶ κύων, κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον. οἶσθα δὲ ὅτι τοῖς ἥρωσι συνεισίεσαν μέχρι τῆς ἐκκλησίας οἱ κύνες. ὁ τοίνυν ἡράκλειος κύων κατὰ πέτραν ἑρπύσασαν θεασάμενος πορφύραν, προεχούσης αὐτῇ τῆς σαρκὸς ἐνδακὼν, ὁ μὲν τὴν σάρκα ποιεῖται τροφὴν, ὁ δὲ λύθρος ἄρα χείλη τοῦ κυνὸς αἱμάξας ἐφοίνιξεν. ὡς δὲ ἧκεν ὁ ἥρως παρὰ τὴν κόρην, αὕτη θεασαμένη τὰ χείλη τοῦ κυνὸς ἀνθοῦντα ἄνθει βαφῆ, οὐκ ἔφη προσήσεσθαι τοῦ λοιποῦ τὸν ἡρακλέα, εἰ μὴ αὐτῇ κομίσειεν ἐσθῆτα τῶν τοῦ κυνὸς χειλῶν εὐειδεστέραν. ὁ μὲν τοίνυν ἡρακλῆς ἐξεῦρέ τε τὸ ζῶον, καὶ τὸν λύθρον ἀνελέξατο, καὶ τὸ δῶρον ἐκόμισε τῇ κόρῃ πρῶτος γενόμενος εὑρετὴς, τῷ τυρίῳ λόγῳ, τῆς φοινίσσης βαφῆς. Hoc est, *Tyrii ferunt, Herculem captum amore nymphæ indigenæ, quæ Tyrus vocabatur. Sectabatur autem Herculem canis, ut erat mos antiquus. nosti enim quod simul cum heroibus canes in concionem ingrederentur. Canis igitur Herculeus purpuram per scopulum adrepentem conspicatus, ipsius prominentem caruncula mordicus adripuit, & pro cibo usus est, cruorque labra canis colore phœniceo infecit. Ut vero rediit heros ad puellam, ipsa conspicata canis labra insueto colore infecta, negavit sibi quicquam posthac cum illo fore, nisi si vestem canis labris speciosiorem afferret. Sic itaque Hercules concha illa inventa, cruorem collegit, munusque puellæ attulit, primus inventor, ut Tyrii perhibent, Phœniceæ infecturæ.* Hæc fere ad verbum, ut rudiores Græca intelligant. Imperatores Romani privatis purpuræ usum interdixerunt, in titulo, *Quæ res vendi non possunt*, libro quarto Codicis.

Purpuræ autem appellatione, omnis generis purpuram contineri puto. Itaque buccinum & conchylium continebitur, l. *Si cui lana, supra de legat. tertio.* in vulgatis codicibus legitur *fucinum* & *jacinctum*, vel *jacinum*: & in horum interpretatione mirandum in modum hallucinatur Accursius, quum ex Plinio constet buccinum & conchylium inter purpuræ genera adnumerari. Nec admodum placet, quod Nebrissensis *janthinum* legit. Purpuræ usus nobis est ignotus, quod & affirmat Budæus in lib. *de Asse.* Mirum tamen videtur, quum in Carteja Beticæ provinciæ olim murices & purpuras nobiles fuisse constet, ex Strabone in tertio, ἐν δὲ καρτηΐᾳ κήρυκας δέκα κοτύλας καὶ πορφύρας φασίν. Hoc est, *In Carteja ajunt buccinas & murices decem cotylorum capaces.* In Sardinia quoque fuisse constat ex proverbio, βάμμα σαρδωνικὸν, ἀντὶ τοῦ ἐρυθροῦ καὶ φοινικοῦ, *Tinctura Sardonica, pro rubra & purpurea.* Romæ vero purpuræ usum semper fuisse testatur Plin. lib. IX. cap. XXXIX. his verbis: *Purpuræ usum Romæ semper video, sed Romulo in trabea. Nam toga prætexta & latiore clavo Tullium Hostilium e regibus primum usum, Hetruscis devictis, satis constat.*

Purpura erat insigne Romanorum magistratuum, quod & Martialis affirmat, quum ait,

Divisit nostras purpura vestra togas.

Et ab eodem purpura ponitur pro magistratibus,

Purpura te fœlix, te colit omnis honos.

Plinius in decimo cap. XXI. ubi de gallis: *Ut plane dignæ aliti honoris tantum præbeat Romana purpura.* Id est, Romani magistratus. Purpuræ violaceæ pretium in libras denariis centum. Plin. lib. IX. cap. XXXIX. *Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit: Me*, inquit, *juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum vænibat.* Id est, decem aureis solatis. Subdit Plinius, *Successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi.* Id est, mille juliis, vel centum aureis solis. Paulo post, *Dibapha dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio.* Dibaphum appellat Tullius *Epistolarum* secundo, ad Cælium: *Curtius noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur.* Et *ad Atticum: Proinde isti licet faciant quos volent coss. tribunos pleb. etiam, deinde Vatinii strumam, sacerdotii διβάφῳ vestiant.* Id est, veste purpurea, & bis tincta dibapha. Plinius tamen pelagii, id est, purpuræ genus, in libras quinquagenos nummos, & buccini centenos ponit, id est, quinquaginta solidos & centenos. Nummum pro solido nostro accipio ex Budæo. Vestimenta purpura infecta, eo temperamento ut ejus lapilli colorem reddant, qui amethystus appellatur, amethystina dicuntur. Plinius lib. XXXVII. cap. IX. *Indicæ absolutum purpuræ colorem habent, ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aspectu leniter blandum, nec in oculos, ut carbunculi, vibrat:* unde Ovidius, *amethystos purpureos*, lib. III. *de A. A.*

Hic Paphias myrtos, hic purpureos amethystos.

Martialis in primo ep. XCVII.

Amethystinasque mulierum vocat vestes.

Inde *amethystinatus*. Idem in secundo ep. LVII.

Hic, quem videtis gressibus vagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa.

Jam & ille addito Tyrio, Tyriamethystus dictus. Plinius de tingendo amethysto lib. IX. cap. XLI. *Non est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum: rursus absolutus inebriatur Tyrio, ut sit ex utroque nomen improbum, simulque luxuria duplex.* Tyrium accipe pro purpura Tyria. Tyros enim quondam insula a Tyro Phœnicis filio appellata: postea vero Alexandri Magni oppugnantis operibus continenti juncta, nobilis fuit conchylio & purpura. πολὺ γὰρ, ut ait Strabo, ἐξήτασαι πασῶν ἡ τυρία καλλίστη πορφύρα. Hoc est, *Longe enim omnium præstantissima habetur Tyria purpura.* Tyrus quondam Sarra dicta, unde *Sarrana* apud Juvenalem. Dicuntur quoque absolute Tyriæ, vestes purpura Tyria infectæ. Ovidius *de A. A.* lib. II.

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus.

Martialis lib. IV. ep. XXVII.

Hispanas, Tyriasque, coccinasque.

Tyriæ quoque lacernæ. Idem Martialis lib. IX. ep. XXIII.

Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas.

Quarum pretium disce ex eodem, lib. VIII. ep. X.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi.

Et in *Mancinum* lib. IV. ep. LX.

—— Millibus decem dixti
Emptas lacernas, munus esset Pompillæ.

Idem Martialis in *Proculejam*, lib. X. epist. XLI. vestis purpureæ immensum pretium ponit, quam trabeam fuisse puto, vel togam pictam. Ludit in uxorem, quæ divertit a viro, propterea quod Prætor esset renunciatus:

Quid, rogo, quid factum est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? Dicam ego, Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares.

Per Megalensem purpuram intelligit togam pictam, qua ornabantur Prætores celebrandis Megalensibus ludis. Juvenalis enim inter ornamenta Prætorum adnumerat trabeam, Sat. X.

—— quum non essent urbibus illis
Prætexta & trabeæ.

Et Sat. XI. sub finem:

—— Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solenne colunt, similisque triumpho
Prædo caballorum prætor sedet.

Toga enim picta triumphantium erat, ut docebo ex Livio. Quod vero toga picta fuerit Prætorum, docet Lampridius in *Alexandro*, in hæc verba: *Prætextam & pictam togam nusquam, nisi Consul, accepit, & eam quidem quam de Jovis templo alii quoque accipiebant, aut Prætores aut Consules.* Quibus verbis apparet, Prætores & Consules solitos accipere prætextam & togam pictam de templo Jovis, & etiam tunicam, quæ ob id a Juvenale, ut opinor, *tunica Jovis* dicitur. Alio vero tempore Prætores utebantur prætexta. Plutarchus in *Cicerone*, de Cornelio Lentulo, qui quum Prætor esset, magistratu se abdicavit: στρατηγῶν γὰρ ἐτύγχανε, καὶ τὴν περιπόρφυρον ἐν τῇ βουλῇ καταθέμενος, διήλλαξεν ἐσθῆτα τῇ συμφορᾷ πρέπουσαν. Hoc est, *Erat enim Prætor, positaque in Senatu prætexta, fortunæ suæ congruam induit.* Interpres aliter vertit, scilicet *purpuream vestem.* uter veritatis scopum attigerit, doctorum sit judicium. Nihil mihi sumo, nihil interpreti detraho. Latius autem explicabo in prætexta, eam ipsam esse quam Plutarchus identidem περιπόρφυρον appellat. Sed ad Martialem revertamus, qui quum ait, centum millibus, sestertium intellige. quum lacernarum Tyriarum posuerit, *cinq cens francs.* Et sane vestem purpuream emere *cinq mille francs*, immensum videtur, nisi siquis de purpura dibapha intelligat, quæ in libras denariis mille non poterat emi, ut ait Plinius. Atqui fuit tempus quum ipsa purpura ad argentum appensa ei rependebatur, ἰσοστάσιος γὰρ ἦν ἡ πορφύρα πρὸς ἄργυρον ἐξεταζομένη, ut ait Athenæus *Dipnosophistarum* lib. XII. Vel fortasse Megalensis purpura accipienda est ea quæ Prætoribus in ornatum chori in ludis illis partim emebatur, partim conducebatur, partim etiam commodato rogabatur. Cujus meminit Plutarchus in *Lucullo*, ubi loquitur de quodam Prætore de spectaculis ambitiose sollicito, qui quum a Lucullo in chori ornatum chlamydes purpureas peteret, ἀπεκρίνατο, σκεψάμενος ἂν ἔχῃ δώσειν. εἶτα μεθ' ἡμέραν ἠρώτησεν αὐτόν, ὁπόσων δέοιτο. τοῦ δὲ ἑκατὸν ἀρκέσειν φήσαντος, ἐκέλευσε λαβεῖν δὶς τοσαύτας. Hoc est, *Respondit inspecturum si domi haberet; daturumque. Postridie vero interrogavit eum, quot sibi opus esset. Illo autem affirmante, centum sufficere, jussit dare bis totidem.* Hactenus Plutarchus, qui ex Horatio hæc sumpsisse videtur epist. VI. *ad Numitium* lib. I. dum ait,

—— chlamydes Lucullus (ut ajunt)
Si posset centum scenæ præbere rogatus,
Qui possum tot? ait; tamen & quæram, & quot habebo
Mittam. post paulo scribit sibi millia quinque
Esse domi chlamydum: partem, vel tolleret omneis.
Exilis domus est, ubi non & multa supersunt, &c.

Verum quum obfirmate decernere non ausim, uter sensus sit verior: tamen eorum alterum verum esse putabo tantisper, dum quispiam ex eruditorum ordine mihi aliter persuadeat. Porro autem ex Plinio satis constat, immensum purpuræ pretium fuisse, quum ait, lib. IX. cap. XXXVI. *Conchylia quoque & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pene etiam margaritis pretia fecit.* Et cap. sequenti: *Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant. Simili modo & murices. Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi est in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens.* Hactenus Plinius. A conchylio, *conchyliata* vestis. Cicero *in Antonium*: *Conchyliatis Cnei Pompeii peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres.* Et apud Juvenalem, *Conchylia Coa.* Julius Cæsar conchyliatæ vestis usum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies, ademit. Author Tranquillus. Murices quoque purpuræ usum præstant, in Tyro nobiles, ut ait Cælianus. Martialis in primo, *Olidæ vestes murice.* Ovidius lib. III. *de A. A.*

Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Et erat gravis odoris: Martialis,

Quod bis murice vellus inquinatum.

Inde jocus in Philænim, idem lib. IX. ep. LXIII.

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte utitur & die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba:
Delectatur odore, non colore.

Janthina etiamnum vestimenta sunt violacea purpura infecta: ἴον enim Latini violam dicunt. Plinius lib. XXI. cap. VI. *Purpuræ latiore folio statim ab radice carnosa exeunt, solæque Græco nomine a cæteris discernuntur, appellatæ ja, & ab his janthina vestis.* Sic enim legendum ex emendatissimo codice. Qui colora Græcis ἰώδης dicitur: Julius Pollux in decimo, ubi περὶ τῶν ἐν ταῖς κλίναις ἐπόντων. Martialis in secundo, ep. XXXIX.

Coccina famosæ donas & janthina mœchæ.

Id est, vestimenta purpura violacea infecta. Luxuria enim, ut ait Plinius, vestibus provocavit eos flores qui colore commendantur. Hos animadverto tres esse principales: Unum in cocco, qui in rosis micat: gratius nihil traditur aspectu: & in purpura Tyria, dibaphaque Laconica. Alium in amethysto, qui in viola: & ipsum purpureum, quemque janthinum appellamus. Genera enim tractamus, in species multas sese spargentia. Tertius est qui proprie conchylii intelligitur, multis modis: Unus in heliotropio, & in aliquo ex iis plerumque saturatior: alius in malva, ad purpuram inclinans: alius in viola serotina, conchyliorum vegetissima. Sic enim legendum censeo. Nec tamen me fallit ab hyacintho flore, cum loto & croco ab Homero laudato, dici etiamnum hyacinthina ea vestimenta, quæ cum ejus floris colore certant, vel etiam ejusdem nominis lapide. Persius Sat. I.

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est.

Magnum sane discrimen esse inter amethystinum & hyacinthinum, palam fit ex Plinio lib. XXXVII. de hyacinthis: Multum ab eo distat hyacinthus, tamen e vicino descendens. Differentia hæc, quod ille emicans in amethysto fulgor violaceus, dilutus est in hyacintho, primoque aspectu gratus evanescit antequam satiet: adeoque non implet oculos, ut pene non attingat, marcescens celerius nominis sui flore. Quibus verbis videre est, *Janthinum*, id est, violaceum, legendum apud Plinium, non autem *Jacinthinum*. De Jacintho verso in florem Ovidius *Transformationum* decimo. Hactenus de purpura. Nec tamen omiserim adscribere vocabula, quibus Græci, & in his Pollux, vestes purpureas appellant: ea sunt, ἁλουργίς, πορφυρίς, φοινικίς. hoc tamen ultimum potius colorem phœniceum quam purpuram designat. Illud quoque non omittendum, Lacedæmonios in præliis usos veste quam φοινικίδα diximus, quæ quum sanguinei

coloris esset, vulneratos fallebat, si sanguis per eam deflueret. Hæc ex Græcorum commentariis. Quod si ea requiris αὐτοῖς ὀνόμασι, φοινικὶς ἔνδυμα λακωνικὸν, ὁπότε εἰς πόλεμον ἴοιεν, ὁμόχρως αἵματι, ὡς ἂν εἴποτε πληγῆναι συμβαίη, μὴ εἰς φιλοψυχίαν αὐτοὺς ἐμβαίνειν τὸ αἷμα ὁρώμενον. Verba hæc sunt, *Purpura indumentum Laconicon, quum ad bellum proficiscerentur, sanguini concolor, ne si quando vulnerari eos contigisset, sanguinis aspectus metum eis incuteret.* Purpuræ vero appellatione coccum non continebitur, ut placet Ulpiano in leg. *Si cui lana, supra De legatis tertio.* Quod si verum est, non prorsus eadem sentire videbitur Matthæus, de veste qua induerunt perfidi Judæi Servatorem nostrum Jesum Christum, cum Marco & Joanne. ait enim, περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην. Id est, *Circumdederunt ei chlamydem coccinam.* Marcus vero ait, qui Matthæi epitomen scripsit: καὶ ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν. Id est, *Et induunt eum purpura.* Joannes quoque, καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτὸν. Id est, *Et pallio purpureo circumdederunt eum.* Vides ut Marcus & Joannes de purpura conveniunt. Matthæus vero, vel Matthæi potius interpres, de cocco sentit. Quocirca vel interpres in vertendo Matthæo falsus est (quod minime affirmare ausim, si Joannes vertit, ut putant) vel Matthæus ipse coloris potius rationem habuisse videtur quam materiæ. Quandoquidem nemo rerum antiquarum peritus, inficiabitur illam purpuream fuisse, sive chlamys fuerit, sive trabea, sive toga picta: quæ erant antiqua patrum munera, mittebanturque regibus & amicis a P. R. appellatis, ut dicam in Prætexta. Verum hac de re curiosus ad senatum Sorbonicum referat. Coccum igitur a Dioscoride κόκκος βαφικὴ dictum, frutex est fullonius, cui adhærent grana, quibus fit color ille lanarum præcipuus, cujus copia summa in ea parte Hispaniæ quæ Tudertania appellatur, ut est author Strabo in tertio. Sunt qui putant eo abundare Germaniam, esseque id quod *cramesinum* vulgo dicimus, etiamsi Raphael Volaterranus multæ lectionis vir, existimet id esse quod anthillum & anthicellum apud Plinium. Ego nil temere hac de re affirmare ausim, tantum dico a cocco dici Coccina vestimenta ea quæ cocco infecta sunt. Martialis in secundo ep. XXXIX.

Coccina famosæ donas & janthina mœchæ.

Juvenalis sat. III.

——*quem coccina læna*
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo.

Unde Coccinatus. Martialis in primo ep. XCVII.

Qui coccinatos non putat viros esse.

Illud vero hac in parte non omittendum videtur, quod scripsit Plutarchus in *Fabio*, signum scilicet prælii futuri Rom. imperatoribus fuisse tunicam coccinam, extensam supra prætorium: ἅμα δ' ἡμέρα τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν· ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος. Hoc est, *Prima luce pugnæ signum extulit: est autem tunica coccina supra prætorium extensa.* Guarinus, haud scio quam recte, *vestem purpuream* vertit. Vexillum vero erat insigne, quum ad arma concurri oporteret, ut memini me legisse in secundo *Commentariorum* Cæsaris. Antequam vero a cocco & purpura discedo, non injucundum lectori delicato fore arbitror, si ex Plutarcho addam memorabilem purpuræ vim & copiam, quæ, Susis ab Alexandro captis, in ipsius devenit potestatem. Verba Plutarchi subscribam, ea sunt in *Alexandro*: ὅπου φασὶ καὶ πορφύρας ἑρμιονικῆς εὑρεθῆναι τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης μὲν ἐξ ἐτῶν δέκα δεόντων διακοσίων, πρόσφατον δὲ τὸ ἄνθος ἔτι καὶ νεαρὸν φυλαττούσης. αἴτιον δὲ τούτου φασὶν εἶναι τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γενέσθαι τῶν ἁλουργῶν. Hoc est, *Ubi ajunt & purpuræ Hermionicæ inventa quinquaginta millia talenta, repositæ quidem ab annis ferme ducentis, recentemque adhuc coloris florem novumque servantis. Hujusce vero rei causam adferunt, quod infectura purpuræ ex melle facta sit.* Talentum accipe pro pondere. Jam & illud adscribam ex Athenæo, ubi de scena Alexandri, cujus meminit Budæus in lib. *de Asse*: καὶ πρῶτοι μὲν (inquit) πέρσαι πεντακόσιοι μηλοφόροι περὶ αὐτὴν ἐντὸς εἱστήκεσαν, πορφυραῖς καὶ μηλίναις ἐσθῆσιν ἐξησκημένοι. μετὰ δὲ τούτους, τοξόται τὸν ἀριθμὸν χίλιοι, οἱ μὲν φλογινὰ ἐνδεδυκότες, οἱ δὲ ὑσγινοβαφῆ. πολλοὶ δὲ καὶ κυάνεα εἶχον περιβόλαια. Et paulo post: εἶτα μύριοι πέρσαι, τό, τε τὴν πορφύραν ἔχον πλῆθος, οἷς ἀλέξανδρος ἔδωκε φορεῖν τὴν στολὴν ταύτην. Hoc est, *Et primi quidem Persæ quingenti pomigeri intus ad Prætorium adstiterant, purpureis ac melinis vestibus ornati. Post hos vero, mille sagittarii, quorum alii flammea induti, alii hysginea, multi vero & hyanea habebant circunjecta.* Et paulo post: *Præterea Persarum decem millia, & purpuræ jus habens turba, erant circiter quingenti, quibus Alexander gratiam fecit hujusmodi stola uti.* Quod vero apud Athenæum ὑσγινοβαφῆ scriptum est, nos vertimus *hysginea*. Est autem hysginum planta colore flava, & inde ὑσγινοβαφῆ dicta quæ ab ea planta tincta sunt τὰ ὑπ' αὐτοῦ βεβαμμένα. Hoc legisse memini in *scholiis in Nicandrum*, si tibi probatur author. Hysgini vero mentionem facit Plinius lib. XXXV. cap. VI. & Vitruvius in octavo. Quod si verum est, falluntur qui censent apud Plinium libro nono cap. XLI. legendum *hysginum*. Neque enim ipse video quonam pacto ex cocco & Tyrio simul mixtis fieri posset color flavus & hysgineus. Quinetiam operæpretium visum est, memorabilem Sardanapali luxum ex Athenæo subscribere, quem nequissimus ille ad rogum usque finemque vitæ exercens perseveravit: qui quum mori destinasset, præter auri argentique vim incomparabilem, secum pallia, purpuras, stolas innumerabiles in rogo concremavit. Verum non ab re erit, opinor, tragœdiam ipsam ex Athenæo totam perspiciendam proponere. Sardanapalus, quem alii Anacindaraxi filium, alii Anabaxari ajunt, in regia clausus, a nemine præterquam ab eunuchis & uxoribus, videbatur. Quum vero Arbaces Medus suorum unus Satraparum, per eunuchum Paramesum ægre impetrasset ut in regis conspectum admitteretur, illius jussu admissus, videt eum Medus cerussatum, muliebrique cultu & cura ornatum, una cum scortis purpuram carminantem. erat autem lacte candidior. Quum itaque Medus id ægre tulisset, quod talis scilicet ipsis imperaret, bellum adornat: collectisque utrinque copiis, victus tandem fugatusque ab Arbace Sardanapalus mori destinavit. Qui in regia pyram immane quantum altam quum excitasset, in ea ipsa pyra domum ligneam ædificavit: in qua cubilia stravit, ibique decubuit cum uxore. scorta quoque in aliis cubilibus erant. Siquidem tres filios duasque filias, rebus desperatis, Ninum emandaverat, regisque oræ illius fidei commendaverat, datis auri talentis 3000. In domo autem illa lignea circumposuit auri mille myriadas, argenti vero decies mille myriadas talentum: & pallia & purpuras, & stolas omnigenas. mox ignem pyræ summitti jussit, quæ ardebat totos quindecim dies. Lege Græca, & videbis quanta fide verterimus quæ sunt ejusmodi.

CAP. IV.

LINEA] Quod ad linum attinet, linea tunica a Græcis dicitur λινοῦς χιτών, quam Athenien-

ses talarem gestabant. author Pollux. Illud non ineptum fuerit addere, quod de lino asbestino scripsit Plinius lib. XIX. cap. I. *Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur: vinum id vocat, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu, propter brevitatem*, &c. *Vocatur autem a Græcis asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus author est, linteo eo circundatam arborem, surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe.* Porro autem Strabo in decimo scribit in Caristo lapidem nasci, quem tondere solent, & mox nere, ex quo fiunt χειρόμακτρα, id est, *mantilia*, quæ sordida facta, flammis emundari solent, non aliter quam aquis: ἐν δὲ τῇ, inquit, καρίστῳ καὶ ἡ λίθος φύεται, ξαινομένη καὶ ὑφαινομένη. ὥστε τὰ ὑφάσματα χειρόμακτρα γίνεσθαι. ῥυπωθέντα δὲ βάλλεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τὸν ῥύπον τῇ πλύσει παραπλησίως. In Aldinis codicibus quædam vocabula supersunt. tu in hunc modum supra scriptum emenda. Est & bulbi genus lanam ferens, quod in litoribus nascitur. Habet autem lanam sub primis tuniculis, inquit Theophrastus apud Athenæum in secundo, ὑφαίνεται δὲ ἐξ αὐτοῦ καὶ πόδεια καὶ ἄλλα ἱμάτια. Hoc est, *Texuntur autem ex ea fasciæ pedales, & alia vestimenta*, ut & Phænias ait. χειρόμακτρα δὲ καλεῖται, inquit Athenæus in nono, ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο. Id est, *quo manus abstergebant*. Plinius lib. XIX. capite secundo: *Theophrastus author est, esse bulbi genus circa ripas amnium nascens, cujus inter summum corticem eamque partem qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua mapalia vestesque quondam conficiebantur.* Quo loco non *mapalia*, sed *pedalia* legendum puto, ex Theophrasto apud Athenæum supra citato. Sed neque regionem in qua id fiat, neque quicquam diligentius, præterquam eriophoron id appellari. ἐριόξυλον etiamnum appellat Ulpianus in leg. *Si cui lanæ, supra de leg. tertio*. Plinius libro XXIV. cap. XII. *Huic similis est spina illa, quam Græci acanthion vocant, minoribus multo foliis, aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis: qua collecta etiam vestes quædam bombycinis similes fiunt in oriente.* Idem quoque lib. XII. multa refert de arboribus Persicæ insulæ lanigeris: quem, si non est molestum, vide. neque enim in hunc libellum nostrum transcribere est animus. Quin & alia pleraque prudentes scientesque omisimus, ne in immensum iis, quæ Græci vocant ἀπροσδιόνυσα, volumen excresceret. Byssus etiamnum lini species in India nascens. Jam vero & in Ægypto, ex arbore lanicium quoddam fit, ex quo vestem factam, lineam magis dixeris quam laneam. Sola enim crassitudine a linea differt. author Pollux. Plinius vero circa Ælim in Achaja gigni autumat, mulierum maxime deliciis.

CAP. V.

VEL Serica.] Seres gens Indica Stephano *de Urbibus*. Sunt & qui eos inter Scythas adscribant, qui spectant ad orientem æstivum. Vermiculus quidam apud eos est, qui σὴρ appellatur, ac sericum inde appellatum procreat. Quod & sentit Pollux in septimo ad Commodum: cujus verba placitum est subscribere: ἔνιοι δὲ καὶ τοὺς σῆρας ἀπὸ τοιούτων ἑτέρων ζώων ἀθροίζειν φασὶ τὰ ὑφάσματα. Hoc est, *Nonnulli vero & Seras ipsos ab ejusmodi atque aliis animalibus colligere ajunt texturas.* Virgilius,

Ignoti facie, sed noti vellere Seres.

Martialis quoque serica, pro veste serica usus est, lib. IX. ep. XXXVIII.

Nec dentes aliter quam serica nocte reponis.

Apud Tacitum in II. *Ann.* cap. XXXIII. *sirica* scriptum est pro *serica*: *Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone prætura functo: decretumque, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros fœdaret.* Tacitus quoque Imperator, ut Flavius Vopiscus scriptum reliquit, holosericæ vestis usum omnibus viris interdixit. Est autem holoserica vestis, tota ex serico, nulla alia materie: qua primus Romanorum usus est Antoninus Heliogabalus. author Lampridius. Subserica vero est, cujus substamen ex serico est, cujusmodi fortasse videtur id quod *Satin de Bruges*, vulgo dicimus. Holosericæ vestis pretium immensum fuisse conjicio ex Flavio Vopisco in *Aureliano* c. XLV. his verbis: *Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et quum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blateo serico uteretur, Ille respondit*, Absit, ut auro fila pensentur. *Libra enim auri, tunc libra serici fuit.* Hactenus Flavius. Blateum pro purpureo interpretatur Baptista Ægnatius. Neque vero cuipiam mirum videri debet, quandoquidem antea conqueritur Plinius, tam longinquo orbe peti, ut in publico matrona transluceat. Adde quod gens illa, unde sericum petitur, nullum cum cæteris mortalibus habet commercium: quod Stephanus ait, ἀπροσμιγὲς ἀνθρώποις. Nunc passim in Italia, & in ea Lucæ, magna vis & copia, monachorum nescio quorum beneficio, quos refert Procopius, vermiculorum semen, id est, ut ita dicam, ovula, Imperatori Justiniano Constantinopolim ex Serinda Indiæ civitate attulisse: unde toti ferme Europæ copia facta. Est mihi soror Martha nomine, quæ istiusmodi lanicio, velut altera Pallas, summopere delectatur, quæ me istorum vermiculorum naturam docuit. Appetente vere ova piscium ovis haud absimilia, linteolo adhærescentia, radiis solis exponunt, caloreque fovent. Quo fit ut vermiculi excludantur, quos primum lactucis, mox mori foliis enutriunt: quibus jam grandioribus penulas cuique chartaceas, ut ita dicam, vel involucra potius distribuunt. quibus inclusi, mirabili naturæ opere lanicio sese involvunt, cui color partim candidus, partim flavus. Amm. Marcell. l. XXIII. c. VI. aliter sentire videtur, cujus verba libitum est adscribere: *Agunt autem ipsi quietius Seres, armorum semper & præliorum expertes, utque hominibus sedatis & placidis est otium voluptabile, nulli finitimorum molesti. Cæli apud eos jucunda salubrisque temperies, aeris facies munda, leniumque ventorum commodissimus flatus, & abunde sylvæ sublucidæ, a quibus arborum fœtus aquarum asperginibus crebris, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum, ad usus antehac nobilium, nunc etiam infirmorum sine ulla discretione proficiens.* In qua opinione fuisse videtur Virgilius, quum ait *Georg.* II.

Foliis depectant vellera Seres.

Et Plinius in sexto cap. XVII. *Seres lanicio sylvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem.*

Vestis serica olim *medica* dicebatur: author Procopius libro primo *de bello Persico*.

CAP. VI.

VEL bombycina.] Bombyces telas aranearum more texunt, inquit Plinius, ad vestem lu-

xumque fœminarum, quæ bombycina appellantur. Quod & dixisse videtur Pollux in septimo ad Commodum, his verbis, *τὰ δ' ἐκ βομβύκων, σκώληκές εἰσιν οἱ βόμβυκες, ἀφ' ὧν τὰ νήματα ἀνύεται, ὥσπερ ὁ ἀράχνης*. Hoc est, *Bombyces sunt vermes, a quibus, ut araneis, fila pensantur*. Bombycum telam prima retorquere rursusque retexere invenit in Co mulier Pamphile, Platis filia, non defraudanda gloria excogitatæ industriæ, ut denudet fœminam vestis bombycina. Martialis lib. VIII. ep. LXVIII.

Fœmineum lucet sic per bombycina corpus.

Quæ a Co insula, Coa vestis appellatur. Propertius,

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Aut tenues Coa veste movere sinus?

Ovidius lib. II. *de A. A.*

Sive erit in Cois; Coa decere puta.

Viri quoque utebantur, quod probri vice arguit Plinius lib. XI. cap. XXIII. his verbis: *Nec puduit has vestes etiam viros levitate usurpare, propter onera æstiva: in tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes. Assyria tamen bombyce adhuc fœminis cedimus.* Consideranti vero mihi, atque animum convertenti ad ea quæ Plinius de Coa bombyce scriptum reliquit, isti vermiculi, quos apud sororem nutriri vidimus, ii ipsi sunt qui bombyces a Plinio describuntur. Cujus verba, obsecro te candide lector, mecum etiam atque etiam considera. Etenim si verum est, falluntur qui sericum putant esse, quam vulgo *setam* dicimus, quamque conficiunt isti vermiculi, qui passim in Italia & Gallia lanicii causa nutriuntur. Verba Plinii hæc sunt loco cit. *Fieri autem primo papiliones parvos nudosque, mox frigorum impatientia villis inhorrescere, & adversus hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his quoque cogi subigique unguium carminatione: mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine: postea apprehensam corpore, involvi nido volubili: tunc ab homine tolli, fictil busque vasis tepore & furfurum esca nutriri: atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimitti. Quæ vero cœpta sint lanificia, humore lentescere more ceræ, mox in fila tenuari junceo fuso.*

CAP. VII.

NEC est quod mireris, hic Jureconsultum nullam de aurea veste fecisse mentionem. Nam ad ea potius debet adaptari jus, quæ & frequenter & facile, quam ad ea quæ perraro eveniunt. *τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς*, ut ait Theophrastus, *παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται*. Neque enim tam frequens erat usus panni aurei, temporibus illis, quam est hodie, quo vel hippotoxotæ nostrates, nec nisi proscisso utuntur. Sed tamen tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius apud Plinium tradit. Asseveratque idem Plinius, se vidisse Agrippinam Claudii principis uxorem, edente eo navalis prælii spectaculum, assidentem ei indutam paludamento auro textili, sine alia materie. Quod vero de paludamento aureo ait Plinius, Cornelius Tacitus, qui in historia conscribenda Plinium non semel sequutus videtur, non paludamentum dixit, sed chlamydem auratam. Ut autem nihil insit discriminis inter paludamentum & chlamydem, tamen non idem videtur, auratum dicere, & auro textili nulla alia materie. Verba Taciti non gravabor subscribere, quando non parum facere videntur ut mens Plinii apertior fiat & dilucidior. Ea sunt in XII. *Ann.* cap. LVI. *Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Lyrin perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale prælium adornatur: ut quondam Augustus, structo cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis & minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque & undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga perfugia forent: ac tantum spatium amplexus, ad vim remigii, & gubernantium artes, impetus navium, & prælio soliti in ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex queis catapultæ balistæque tenderentur. Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant: ripas & colles ac montium edita in modum theatri multitudo innumera complevit, proximis e municipiis, & alii urbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata præsedere.* Vides ut quod Plinius paludamentum auro textili dixit, Tacitus chlamydem auratam dixerit: sed tamen Plinio testi oculato fides potius habenda. Ovidius quoque pallæ aureæ meminit, *Amor.* lib. I. el. VIII.

Ipse deus vatum palla spectabilis aurea.

Porro autem utebantur auro intexto, invento regum Asiæ in Attalicis maxime: Plinius in octavo, cap. XLVIII. *Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex: unde nomen Attalicis.* Quin & illud adscribendum duxi, quod de Aureliano cap. XLVI. Vopiscus: *habuisse videlicet in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum verteretur, dicens, plus auri esse in rerum natura, quam argenti: sed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Idem Vopiscus author, Tacitum imperatorem auro clavatis vestibus interdixisse. Nam & ipse author Aureliano fuisse perhibetur, ut aurum a vestibus & cameris & pellibus submoveret. Auro clavatæ vestes quæ sint, docet Joannes Baptista Ægnatius vir doctissimus, in *scholiis suis in Lampridium*, & alios. At enim eas esse, quæ clavos aureos haberent, credo ex Festo Pompejo, apud quem legere est, clavata dici vestimenta, clavis intexta, ut calciamenta clavis confixa. Sed quum addit, nos flores appellamus: haud satis quid velit intelligo. Si enim de iis quos *boutons & fers d'or & orfres* dicimus, illi prorsus assentior: de quibus sentire videtur Jureconsultus in l. *Cum aurum. cum l. se supra eodem.* Quemadmodum, inquit, clavi aurei & purpurei, pars sunt vestimentorum: & si non sunt clavi vestimentis consuti, tamen veste legata contineri. Si vero de illis floribus intelligat, qui eorum artificio vestibus inseruntur quos acupictores dicimus, vide tu lector etiam atque etiam, ne te tanti viri authoritas decipiat. *οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ὁ ἀνὴρ, καί περ ὢν ἐλλόγιμος ἐν τοῖς πάνυ.* Hoc est, *Non enim vero est anteponendus vir ille, quanquam alioqui inter primos celebris.* Si quidem Ulpianus ut diversa adscripsit hac ipsa lege insitas picturas, & clavos aureos. quum ait, *Et quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ, clavique qui vestibus insuuntur.* Quintilianus lib. III. *Ut affert lumen clavus purpuræ loco insertæ, ita certe neminem deceat intexta pluribus notis vestis.* Quibus verbis Gellius noster censet elici posse, unicum tantum clavum purpureum adjici tunicæ, quæ ob id dicatur tunica lati clavi & latus clavus; quod haud scio an verum sit. Quod autem ait Ulpianus, *insitæ picturæ*, Inde pictæ vestes dictæ, quas jam apud Homerum fuisse constat. Plinius, unde triumphales natæ. Juvenalis,

Et latum pictæ vestis considerat aurum.

Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen imposuit. Plurimis vero liciis texere, quæ *πολύμιτα* appellant, Alexandria instituit. Martialis lib. XIV. ep. CL.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

CAP. VIII.

PRÆCINGENDI] ut cingulum, ut zona, & quæ præcingendi causa parari solent. Quod vero ad zonam pertinet, illud non omiserim quod Strabo lib. *Geogr.* quarto scriptum reliquit, Gallos olim solitos dare operam ne obesi fierent & ventrosi, punireque juvenem certam zonæ mensuram excedentem. Verba Strabonis subscribam: ἴδιον δὲ καὶ τοῦτο. ἀσκεῖν γὰρ αὐτοὺς, μὴ παχεῖς εἶναι μηδὲ προγάστορας· τὸν δ' ὑπερβαλλόμενον τῶν νέων τὸ τῆς ζώνης μέτρον, ζημιοῦσθαι. Hoc est, *Id quoque eis est proprium, ut sese exerceant, ne obesi ventreque prominulo sint. Siquis autem juvenis modum zonæ præscriptum exuperet, mulcta afficiatur.* Succincti dicuntur milites, quod brevioribus sagis utentes, altius cincti videntur. Accincti quoque gladio. Tacitus in undecimo *Ann.* cap. XVIII. *Feruntque militem, quia extra vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foret, morte punitos.* Nonnunquam vero ignominiæ causa cogebantur milites tunicati & discincti fossam fodere, præsentibus spectantibusque aliis militibus. Qua pœna usum Lucullum in eos milites a quibus in quodam prælio fuga cœpta, author Plutarchus in *Lucullo*, ἀτιμίαν τινὰ τοῖς φεύγουσι νενομισμένην προσέβαλε, κελεύσας ἐν χιτῶσιν ἀζώστοις ὀρύξαι δώδεκα ποδῶν τάφρον, ἐφεστώτων τῶν ἄλλων στρατιωτῶν. Hoc est, *Ignominiam quandam desertoribus usurpatam inflixit, jussis ipsis in tunicis discinctis fossam pedum duodecim fodere, adstantibus atque spectantibus aliis militibus.* Cæsar item Augustus pro delictorum genere, variis ignominiis milites affecit, ut stare per totum diem juberet ante prætorium, interdum discinctos tunicatosque. author Tranquillus. Cæterum hoc in loco, bona tua venia, lector candide, Jureconsultum agam. Adverte tu rabula, quia est de pane lucrando. ait Ulpianus, *præcingendi*, non autem accingendi. Si enim accingendi dixisset, vestimentorum appellatione gladius comprehenderetur, quod nequaquam videtur rationi consentaneum. De armis quæ tegendi causa parari solent, dubium videri potest. movet quæstionem, primum, quod loricam antiqui lineam gestabant, ac ipse Magnus Alexander, qui Asiæ imperium obtinuit, lorica linea usus dicitur, ut memini me legisse apud Plutarchum in *Alexandro*. Et thoracibus lineis antiquos pugnasse testis est Homerus. Deinde quod istiusmodi arma, *tegumenta corporis* appellat Livius, his verbis: *Arma his imperata: galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære hæc, ut tegumenta corporis essent.* Postremo quod hujus legis contextu videtur militaria omnia comprehendere. At enim, *Ut saga & reliqua similia.* Saga enim militum sunt, ut alias dicam. Quare si proponatur Sempronius miles testamento ita cavisse, *Omnia mea vestimenta Cajo Scevæ contubernali meo do, lego*: quæstio est an huic legato, arma quæ tegendi causa parata sunt, quibusque utebatur Sempronius, legato cedant. Respondeo secundum ea quæ proponantur, non cedere. Siquidem alia causa vestimentorum, alia armorum. Vestimenta enim inventa sunt, ut nos a frigoribus calore, & imbre tutarentur: arma vero, ut a telorum impetu. Quum igitur separata sint, eorum separata quoque ratio sit, necesse est. Si mihi non credis, citabo tot jura, glossas singulares & unicas, quot unquam Barbatius in *suis Consiliis*.

CAP. IX.

VELUTI togæ.] Tunicæ toga superimponebatur, vel tunicis potius. Nec mihi velim fidem ut adhibeas, nisi authorem laudarim ἀξιόπιστον, Plutarchum scilicet, qui in *Tiberio* & *Cajo* sic ait: αὐτοῦ δὲ τοῦ Τιβερίου φεύγοντος ἀντελάβετό τις τῶν ἱματίων. ὁ δὲ τὴν τήβεννον, (id est, *togam*) ἀφεὶς, καὶ φεύγων ἐν τοῖς χιτῶσιν ἐσφάλη. Quibus verbis apparet, quum quis Tiberii vestimenta comprehendisset, abjecta toga eum aufugisse, tunicatumque cecidisse. Toga erat Romanorum: Augustus igitur, visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus acclamitans, *En*, ait, *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* Et sane fuit tempus, quum fæx vulgi non temere unquam Romæ toga uteretur, sed sola tunica. Quamobrem plebem Romanam Tacitus *tunicatum populum* appellat: cujus verba extant in *Oratorum dialogo*: *Quod sæpius vulgus imperitum & tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat, & digito demonstrat.* Quod vero τήβεννον Plutarchus dixit, Athenæus τήβενναν dixit in quinto, ubi de Antiocho, πολλάκις δὲ τὴν βασιλικὴν ἀποθέμενος ἐσθῆτα, τήβενναν ἀναλαβὼν, περιῄει κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀρχαιρεσιάζων. Hoc est, *Sæpe etiam & posita veste regia, tebennam indutus circumibat forum comitiis.* Meminit & in decimo, iisdem ferme verbis. Artemidorus in secundo *De somniorum interpretatione*, unde τήβεννος toga dicta sit, obiter docere videtur, quum ait: τὰ δ' αὐτὰ καὶ ἡ ῥωμαϊκὴ ἐσθὴς, ἣν νῦν τήβεννον καλοῦσιν, ἀπὸ Τημένου τοῦ Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλετο τὸν τρόπον, εἰσπλεύσας κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον, καὶ ὑποδεχθεὶς ὑπὸ τῶν ταύτῃ κατοικούντων, ἀφ' οὗ καὶ μαθόντες καὶ οἱ ἐγχώριοι τὸν αὐτὸν ἐσκευάσαντο τρόπον, καὶ ἐκάλουν τὴν ἐσθῆτα τημένιον, ἐπώνυμον Τημένου τοῦ εὑρόντος. ὕστερον δὲ τῷ χρόνῳ παραφθαρὲν τὸ ὄνομα τήβεννος ἐκλήθη. Hoc est, *Itidem vestis Romana, quam nunc togam appellant, a Timeno Arcade, qui primus chlamyda suam ita induit, sinum Jonium navigans: exceptusque ab accolis, & vestis forma ab eo comperta, similem sibi concinnarunt, quam ab authore Timeniam vocarunt. Postea autem tempore, depravato nomine tebennos* (id est, *toga*) *appellata est.* Toga quoque pro pacis artibus. Lentulus *ad Tullium*: *Est enim tua toga omnium armis fœlicior.* Toga enim erat pacis insigne. Tull. *in Pisonem*: *Non dixit hanc togam qua sum amictus, nec arma, scutum, & gladium unius imperatoris: sed quod pacis est insigne & otii toga.* Contra autem arma, tumultus, atque belli. Enimvero antiquitus vel in bello togis utebantur Romani: author Plutarchus in *Coriolano*: ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος, εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους γίνεσθαι, τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων, ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον. Hoc est, *Fuit autem temporibus illis mos Romanis, ut in acie constituti, priusquam clypeos reciperent, togasque præcingerent, testamenta in procinctu facerent, tribusque aut quatuor audientibus, hæredem nuncuparent.* Et hoc erat testamentum, quod *procinctum* appellatur a Justiniano, titulo *De testamentis*. Illi quoque qui magistratum petebant, toga candida utebantur, & ob id *candidati* dicebantur. Extat oratio M. Tullii habita in toga candida. Livius in quarto ab urbe cond. *album vestimentum* vocat, his verbis: *Placet tollendæ ambitionis causa Tribunos legem promulgare, ne cui album vestimentum addere petitionis causa liceret.* Poetæ togulam usurpant pro toga, ni fallor. Martialis lib. IX. ep. CI.

Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque:
Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

Et in septimo ep. X.

Pro togula debes: hoc ad te pertinet, Olle.

A toga fit togatus & togatulus, ut apud Martialem lib. X. epist. LXXIV.

Jam parce lasso Roma gratulatori,
Lasso clienti; quandiu salutator
Anteambulones & togatulos inter,
Centum merebor plumbeos die toto.

Et lib. XI. epist. XXIV.

Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum
Sit major numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?

Quum ait Martialis, centum plumbeos, pro centum quadrantibus accipe, quibus hodieque Romani utuntur, & *quadrins* vocant vulgo, corrupto vocabulo, ut fere fit: ita tamen ut minimum quantum desciverit. quod enim Latini *quadrans* dicebant, hodie Romani dicunt *quatrin*: quorum decem duodecim denariolis, id est, duodeno, permutantur, ut prolixissime docuit Budæus in libro *de Asse*: Budæus inquam ille, qui velut alter Mercurius mira ingenii felicitate dicam, an industria, rem nummariam jam pridem antiquitatis tenebris involutam, vel immersam potius, velut ab inferis revocavit. Quo nomine studiosorum sane nullus, duntaxat eorum a quibus livor abest, quin illi hoc tempore plurimum debeat, & debere fateatur. si qui sint qui invideant,

Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.

Per centum quadrantes sportulam intellige, quæ togatis dabatur a potentioribus, ut deducerentur & reducerentur per urbem incedentes. Martialis lib. XIV. epist. CXXV.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula sæpe toga.

Idem Martialis lib. X. cap. XVIII.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest sterilem quæ curet amicum.
Eheu quam fatuæ sunt tibi, Roma, togæ.

Solebant enim Romani togati potentiores comitari per urbem. Tullius *ad Atticum* primo: *Quum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus*. Quod ipsi Martiali erat permolestum, quippe qui inter cæteras vitæ felicitates, *togam raram* optet. Versus ipsius, quoniam visi sunt jucundissimi, & ad verbum ediscendi, lubentes commeminimus: habentur lib. X. epist. XLVII.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta.
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Convictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis:
Non tristis torus, attamen pudicus:
Somnus qui faciat breves tenebras:
Quod sis, esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Togam raram optat, id est, ne cogatur bene mane togatus circumvolitare limina potentiorum, salutationis defuncturus officio. Nec tanti putat esse sportulam illam, quæ cuique in dies singulos dabatur, centum scilicet quadrantes. Ea summa nummi nostratis valet decem solidos. de qua Juvenalis in prima,

——— *sportula primo*
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.

Et paulo post:

——— *densissima centum*
Quadrantes lectica petit.

Et apud Martialem sexcentis in locis. Fuit tempus quum toga commune vestimentum esset diurnum ac nocturnum, & muliebre & virile. Postea vero mos fuit, ut mulieres adulterii convictæ, virili toga indutæ in publicum procedere cogerentur, ut legi apud Isidorum non omnino pessimum authorem. Cui adstipulari videtur Martialis, quum ait lib. II. epist. XXXIX.

Coccina famosæ donas & janthina mœchæ:
Vis mage quæ meruit mittere? mitte togam.

Et Juvenalis in secunda:

——— *talem*
Non sumet damnata togam.

A toga, *Togatus*. Inde Lucullus Piscinarius, Xerxes *togatus* a Magno Pompejo dictus, ut testatur Plinius; ut vero Plutarchus refert, a Stoico Tuberone, his verbis in *Lucullo*, καὶ διαίτας ἐναλίους κτίζοντα ὁ στωικὸς Τουβέρων θεασάμενος, Ξέρξην ἐκ τηβέννου προσηγόρευσεν. Hoc est, *Et maritimas ædes excitantem conspicatus Tubero Stoicus, Xerxem eum togatum appellavit*. Interpres vertit *Xerxem ex togato homine*, id quam recte, vel mediocriter eruditi judicabunt. A toga quoque dictæ comœdiæ *togatæ*, quæ Romanorum: *palliatæ* vero, quæ Græcorum. Juvenalis sat. I.

Impune ergo mihi recitaverit ille togatas.

Senatoris Romani figura ex antiquis marmoribus desumpta.

CAP. X.

SATURNALIBUS per quinque dies S. P. Q. R. togas reponebant, & synthesibus utebantur, & erant viliores vestes. Martialis in *Apophoretis* sive lib. XIV. epist. CXLI.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Synthesis quoque accipitur pro tota veste in vestiario composita : in leg. *Titia §. Semproniæ, infra*. Synthesis enim Græcum vocabulum *compositionem* notat. Nec hoc loco necessarium puto aliorum deliramenta super hac re referre. A toga Galliæ pars dicta *togata*, quod ejus regionis homines toga passim uterentur. Et est Italiæ pars, quæ intra Padum Rubiconemque ac Apenninum montem est, ut Plinius docet & Ptolemæus. Martialis;

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Dicti quoque Hispani togati & stolati, qui Bæticam incolunt, Latinorumque jus adepti sunt, & in quorum agris coloniæ Romanorum deductæ. Author Strabo in tertio, καὶ δὴ, inquit, τῶν ἰβήρων ὅσοι ταύτης εἰσὶ τῆς ἰδέας, στολάτοι λέγονται καὶ τογάτοι. Hoc est, *Atque adeo Iberorum qui hujus sunt formæ, stolati vocantur & togati*. Togati etiamnum dicuntur pacis amatores. Tullius *pro Sylla: Cui uni togato Senatus supplicationem decrevit*. Toga pura tyrones novæque nuptæ induuntur. Plinius in octavo cap. XLVIII. ubi de C. Cæcilia loquitur: *Ea prima texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura tyrones induuntur novæque nuptæ*. Tullius *ad Atticum: Etsi Ciceroni meo togam puram quum dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem usurus ad Cæsarem*. Et alibi non semel. Toga pura quid sit, si nescis, disce ex Plutarcho in *Antonio*, ἐγγράφων μὲν εἰς ἐφήβους τὸν κλεοπάτρας παῖδα καὶ καίσαρος, τὸ δὲ ἀπόρφυρον καὶ τέλειον ἱμάτιον ἀντύλλῳ τῷ ἐκ φουλβίας περιτιθείς. Hoc est, *Adscribens inter ephebos Cleopatræ filium & Cæsaris: justam vero & sine purpura vestem Antyllo suo ex Fulvia filio imponens*. Hoc ideo verti ad verbum, ut Græcarum literarum rudes intelligerent, eam vestem, quæ *toga pura* a Cicerone dicitur, ἀπόρφυρον, id est, *sine purpura*, & τέλειον, id est, *justam*, dici a Plutarcho. Virilis autem toga sumebatur sedecim annorum ætate, ut conjicere est ex Tranquillo in *Augusto* capit. VIII. *Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam*, &c. ut infra. Nec me fallit alibi a Plutarcho dici ἀνδρεῖον ἱμάτιον, in *Bruto* scilicet, his verbis; οἱ δ' ἄλλοι πρὸς κάσσιον ἀθροισθέντες, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸ καλούμενον ἀνδρεῖον ἱμάτιον ἀναλαμβάνοντα, κατῆγον εἰς ἀγοράν. Hoc est, *Alii Cassio congregati, ejus filium sumentem virilem togam, deducebant ad forum*. Tranquillus in *Augusto* cap. LXVI. *Legata vel partes hæreditatum, & a quibuscunque hæredibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum*. Quod ait *Vel nuptiarum*, pro puellis accipio, quæ, ut inquit Plinius, toga pura eo ipso die induebantur, quæ in novis nuptiis inepte virilis diceretur. Nec tamen te moveat, quod Plutarchus alibi καθαρὰς ἐσθῆτας, καὶ καθαρὸν ἱμάτιον dixerit, id est, si verbum e verbo velis, *puras vestes, & purum pallium*. Ego enim pro candido accipiendum, vel ipsius Plutarchi verbis comprobabo. Plutarchus in *Catone*, ubi ait viros Antiochenses ad excipiendum Pompeii libertum Demetrium, festo cultu ornatos, ἐσθῆτας δὲ, inquit, καθαρὰς ἔνιοι καὶ στεφάνους εἶχον. Id est, *Vestes quoque candidas nonnulli & coronas habebant*. Interpreti condonandum, quod *puras* verterit, verbum e verbo. Ipse enim Plutarchus hanc eandem historiæ partem in *Pompejo* retexens, ἐν ἐσθῆσι λευκαῖς, id est, *in candidis vestibus* ait. Sic & in *Æmilio*, ἐθεῶντο καθαραῖς ἐσθῆσι κεκοσμημένοι, *Spectabant puris vestibus ornati*. Sic meo quidem judicio, toga pura dicebatur, cui nulla purpura prætexta erat. Jacobus tamen Sadoletus, singularis eruditionis antistes, discrimen facere videtur inter togam puram, & togam virilem, quum in libello *De liberis instituendis* ait, *Gerendi mutandique vestitus divisa tempora, quum a prætexta ad togam puram, inde ad togam virilem transitus esset*. Posita vero prætexta, virilem togam sumebant Romani sedecim annorum ætate: ut conjicere est ex Tranquillo in *Augusto* capit. VIII. in hæc verba; *Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit, quadriennio post, virili toga sumpta. Ipse tamen permisit liberis senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere*. author Tranquillus. Porro autem prætexta erat, cui purpura prætexitur, quam Plutarchus in *Sertorio* περιπόρφυρον appellat: οἱ δὲ πατέρες, inquit, ἥδοντο θαυμαστῶς, τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες. Hoc est, *Patres vero mirifice lætabantur, quum prætextis ornatos filios cernerent*. Et in *Romulo*, γέροντα μὲν ἄγουσι δι' ἀγορᾶς εἰς καπιτώλιον ἐν περιπορφύρῳ, βοῦλλαν αὐτῷ παιδικὴν ἅψαντες. Hoc est: *Senem ducunt per forum in Capitolium in prætexta, bulla puerili illius collo apposita*. Interpres *purpura* pro *prætexta* posuit, haud scio quam bene. tuum lector sit judicium. Prætextatos quoque pueros Plutarchus περιπορφύρους appellat, his verbis in *Publicola*: ἐπὶ τούτοις ὁμήρους ἔδωκαν ἐξ εὐπατριδῶν περιπορφύρους δέκα, καὶ παρθένους τοσαύτας. Hoc loco interpres, præter consuetudinem, feliciter vertit, *Horum gratia decem prætextati, totidemque virgines ex patritio genere obsides dati*. Quid autem sit prætexta, rem hactenus paucis cognitam, a nemine certe, quorum scripta legerim, satis explicatam, ego σὺν θεῷ μέντοι aperiam. Prætexta dicebatur ea toga, cujus ora & circuitus purpura prætextus erat: hac de re περιπόρφυρος a Plutarcho dicta, quasi habens in circuitu purpuram intextam. Quemadmodum enim apud Pollucem, περίλευκον dicitur vestis ex purpura vel alio colore, in circuitu album intextum habens: sic περιπόρφυρος, meo quidem judicio, dicitur vestis ἐξ ἄλλου χρώματος, ἐν τῷ περιδρόμῳ ἔχουσα πορφύραν ἐνυφασμένην, & cujus limbus erat purpureus. Quod & velle videtur Macrobius in primo, capite VI. quum ait, *Cum toga cui purpura prætexitur*. Et Livius quartæ Decadis IV. in hæc verba: *Purpura viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis utentur: magistratibus in coloniis municipiisque, togæ prætextæ habendæ jus est: nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui: fœminis duntaxat usum purpuræ interdicemus?* Idem Livius libro secundo tertiæ Decadis: *Hispani lineis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus, constiterant*. Hujus loci me admonuit alter seculi nostri Livius Paulus Æmilius, vir doctrinæ singularis. Postea id legi apud Polybium tertio: quod Livius videtur vertisse ad verbum, ut pleraque ejus, τῶν δ' ἰβήρων λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις κεκοσμημένων κατὰ τὰ πάτρια. Athenæus in sexto χιτῶνας περιπορφύρους appellat: ἁλουργῆ μὲν ἀμπεχόμενοι περιβόλαια, καὶ χιτῶνας ἐνδεδυκότες περιπορφύρους. Hoc est, *Purpureis amicti circumjectis, & tunicas induti prætextas*. Quibus verbis palam fit, prætextam dici togam purpura in circuitu contextam. Neque enim tunicæ illæ miro candore fulgerent, si totæ contextæ purpura fuissent.

Jam & hoc verbum *Prætexo*, video usurpari a probatis authoribus, pro eo quod vulgo dicimus *bordare*, & cooperire *bordum*. Ausonius: *Tu Auguste venerabilis, districtus maximo bello, assultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubii ora prætexitur*. Id est, cooperta & *bordata*. Aldini codices habent *protexitur*; sed magis placet ut *prætexitur* legas. Cicero in

secundo *de Divinatione*: *Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ, primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur*. Ovidius quoque lib. I. *de A. A.* prætexta pro *bordata* usus est isto versu,

Quid referam Bajas, prætextaque littora velis?

Plinius quoque prætexta tuguriorum posuit in XVI. cap. IX. *Cortex e fago, tilia, abiete, picea in magno usu agrestium: vasa, corbesque, ac patentiora quædam, messibus convehendis vindemiisque faciunt, atque prætexta tuguriorum*. Hoc est, ut interpretor, *borda* tecti ipsorum tuguriorum. Virg. tertio *Georg.*

—— tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripam.

Georgius Merula Dionis interpres in *Trajano* prætextam purpuream appellat, in ipso statim principio. Ego omni asseveratione affirmare ausim Georgium non intellexisse, quid esset in Dione περιπορφύρῳ, & vertisse *purpurea*. Et fortasse in Græco codice, quem videre mihi non contigit, scriptum est τηβέννῳ περιπορφύρῳ, id est, *toga prætexta*. Quod si verum est, falsus est ipse, ut alii ferme ad unum omnes, quorum quidem scripta vulgata sunt. Prætextæ apud Hetruscos originem invenere, ut inquit Plinius. Quod & sentire videtur Strabo in quinto, λέγεται καὶ ὁ θριαμβικὸς κόσμος, καὶ ὑπατικὸς, καὶ ἁπλῶς ὁ τῶν ἀρχόντων ἐκ Ταρκυνίων δεῦρο μετενεχθῆναι. Hoc est, *Ajunt autem & triumphalia, & consularia, ac omnium fere magistratuum, ex Tarquiniis huc delata*. Prætexta enim magistratuum erat, ut docuimus ex Livio, qua utebantur Censores, qui erant velut in apice & culmine dignitatis constituti. Athenæus *Dipnosophiston* XIV. καὶ παρὰ ῥωμαίοις οἱ τιμηταὶ (μεγίστη δ' αὕτη ἀρχὴ) τὴν περιπόρφυρον ἐνδεδυκότες. καὶ ἐστεφανωμένοι, πελέκει τὰ ἱερὰ κατέβαλλον. Hoc est, *Apud Romanos & Censores (maximus vero is magistratus est) prætextam induti, coronaque redimiti, securi victimas mactabant*. Cæterum regnante Romulo, quum Capitolio a Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur, matronarum intercursu inter duas acies, prælium sedatum est: quamobrem mulieribus honores a Romanis permulti sunt delati; primum his transeuntibus via cedere, deinde præsente muliere obscœnum nil dicere, nec nudum aspici: præterea ne causam dicerent apud eos judices, qui de cæde sunt constituti: postremo, ut earum pueri bulla aurea ornarentur purpurea prætexta. Plutarchus in *Romulo*, φορεῖν δὲ, inquit, καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὅμοιον πομφόλυγι περιδέρραιόν τι, καὶ περιπόρφυρον. Interpres quum, quid περιπόρφυρον vellet, non satis intelligeret, omisit. Neque vero nescius sum eorum quæ scripta sunt a Macrobio: sed apud me major Plutarchi authoritas. Tu Macrobium vide cap. sexto libri primi. Tullus Hostilius rex Romanorum tertius, primus prætexta usus est. Plinius: *Nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hostilium e regibus primum usum, Hetruscis devictis, satis constat*. Plutarchus in *Romulo* ait ipsum quoque Romulum prætexta usum, his verbis, ἁλουργῆ μὲν ἐνεδύετο χιτῶνα, καὶ τήβεννον ἐφόρει περιπόρφυρον. Hoc est, *Induebatur enim tunica purpurea, gestabatque togam prætextam*. Quare pugnantia dicere videntur Plinius & Plutarchus, diversos, ut opinor, authores sequuti. Etiamsi a Plutarcho stare videatur Livius in primo, his verbis: *Me haud pœnitet eorum sententiæ esse, quibus & apparitores, & hoc genus ab Hetruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga prætexta sumpta est, numerum quoque ipsum dictum placet*. A prætexta, *amicitia prætextata* dicta, jam inde a puero cœpta, apud Martialem. *Prætextati* quoque cognomentum Papyrio inditum, vulgatissimum ex Valerio, Gellio & Macrobio. *Prætextatus* quoque dicitur, qui nondum posita prætexta, togam virilem sumpsit. Tullius in secunda *in Antonium*: *Tenesne memoria prætextatum te decoxisse?* Prætextatum dicit eum qui pupillari ætate esset. Est & qui prætextam inter triumphalia ornamenta adscribat, quum tamen ex Tacito & Plutarcho constet triumphalium veste non contineri. Tacitus in XII. capit. XLI. *Et ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste, transvecti sunt: spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, & perinde fortunam utriusque præsumeret*. Plutarchus in *Mario*, καὶ παρῆλθε μὲν, inquit, εἴτε λαθὼν αὑτὸν, εἴτε τῇ τύχῃ χρώμενος ἀγροικότερον, ἐν τῇ θριαμβικῇ κατασκευῇ. ταχὺ δὲ τὴν βουλὴν ἀχθεσθεῖσαν αἰσθόμενος ἐξανέστη, καὶ μεταλαβὼν τὴν περιπόρφυραν, αὖθις ἦλθε. Hoc est, *Et adfuit, sive sui oblitus, sive fortuna rustice elatus triumphalium veste: mox vero senatum id ægre ferre sentiens, abiit, assumptaque statim prætexta, reversus est*. Lege interpretem, & quam nihil hac in re viderit, intelliges. Tacitus *Histor.* libr. II. capit. LXXXIX. *Ipse Vitellius a Ponte Milvio insigni equo paludatus accinctusque, senatum & populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta, & composito agmine præcessit*. Quibus verbis planum fit, prætextam, saltem temporibus illis, triumphalium non fuisse. Cicero in oratione *pro Cluentio*, togam prætextam adnumerat inter ornamenta senatoria, his verbis: *Senatorem hoc queri non posse, propterea quod ea conditione proposita petere cœpisset, quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset: locus, authoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, provinciæ*. Quod tamen de senatoribus intelligit, qui magistratum adepti sunt. Trabea vero erat triumphantium & toga picta. Plinius, Picta vectes jam apud Homerum fuisse; unde triumphales natæ. Verba autem Homeri, siquis forte requirat, hæc sunt,

Τὴν δ' εὗρ' ἐν μεγάρῳ, ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε,
Δίπλακα μαρμαρέην, πολέας δ' ἐνέπασσεν ἀέθλους
Τρώων θ' ἱπποδάμων, καὶ ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

Pictas vero vestes, ni fallor, ἀνθινὰς appellant, quarum multa mentio apud Athenæum, Strabonem, & alios. Ausonius, *Trabea ut in pace consulum, sic in victoria ducis triumphantis*. Fortasse inde trabeæ consulares dictæ ab Ammiano: quæ tamen palmata quoque dicebatur, credo a victoria. Martialis,

Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Paulus Æmilius in triumpho quem de rege Perse victo duxit, trabea auro depicta ornatus processit. Plutarchus in *Æmilio*, ἀνὴρ καὶ δίχα τοσαύτης ἐξουσίας ἀξιοθέατος, ἁλουργίδα χρυσόπαστον ἀμπεχόμενος. Ausonius, *Palmatam, inquis, tibi misi, in qua D. Constantius parens noster intextus est*. Quibus verbis & superioribus, Ausonius eandem, opinor, consularem vestem, modo trabeam, modo palmatam, modo pictam appellat. Plinius tamen videtur pictam & trabeam, ut diversa, posuisse in octavo. Trabeam Græci ἁλουργίδα vocant. Plutarchus in *Romulo*, αὐτὸς δὲ προυκάθητο μετὰ τῶν ἀρίστων ἁλουργίδι κεκοσμημένος. Hoc est, *Ipse vero præsidebat cum optimatibus trabea ornatus*. Eam fuisse mentem Plutarchi asseverare ausim, quum Romulum trabeatum fuisse constet ex Plinio,

Virgilio, & Ovidio. Interpres aliter vertit, id quam recte, doctorum sit judicium. Hoc loco non omittendum duco quod de toga picta scripsit Festus Pompejus: *Picta quæ nunc toga dicitur, antea purpurea vocitata est, eratque sine pictura. Ejus rei argumentum est pictura in æde Vertumni & Consi. Quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera T. Papyrius Cursor triumphantes ita picti sunt.* Quæ vero essent triumphantium ornamenta, quorum frequens mentio apud Tacitum & Plutarchum, Livius in x. *secundi belli Punici* docet, his verbis. *Ibi Masinissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat.* Addit verbis honorem: *neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse.* Quibus verbis, ni fallor, annumerantur ea quibus ornabantur triumphantes: his ipsis etiam verbis palam fit, quæ sint illa antiqua patrum munera, quorum meminit Tacitus in quarto *Ann.* c. XXVI. *Missusque est e senatoribus qui scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque & socium, atque amicum appellaret.* Togam pictam alibi Livius *purpuream* appellat, in primo *belli Macedonici*: *Dona ampla data, quæ ferrent regi, vasa aurea argenteaque, togaque purpurea, & toga prætexta.* Quare falluntur qui togam prætextam pro purpurea sumpsere. Tullius secunda *in Antonium*: *Sedebat in rostris collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus: ascendis: accedis ad sellam.* Plutarchus in *Antonio* hanc vestem purpuream, vestem triumphalem vocat: Καῖσαρ δὲ κεκοσμημένος ἐσθῆτι θριαμβικῇ, καὶ καθήμενος ὑπὲρ βήματος ἐν ἀγορᾷ τὰς διαθέοντας ἐθεᾶτο. Quin & his Livii verbis adducor ut credam, vestem illam, quam sacri Evangelii scriptores purpuream & purpuram dixerunt, fuisse togam purpuream, quæ & picta dicebatur, in Servatoris nostri ludibrium scilicet, tanquam a S. P. Q. R. missam illi, qui se regem Judæorum diceret, ut mentiebantur Judæi. Trabearum tria sunt genera, ut scribit Suetonius Unum quod diis sacratur, & est totum purpureum. Alterum quod est regum, quod etiam purpureum est, sed albo infectum. Tertium est augurale, purpura & cocco mixtis infectum. In funebri pompa utebantur & equites trabea, si Tacito credimus, qui in tertio *Ann.* cap. II. de funere Germanici sic ait: *Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solennia cremabant.* Et sane fuit tempus quum trabeæ essent equitum, ut conjecto ex Martiale in quinto, epist. XLI. *in Dindymum.*

Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque, & idus, fibulasque censusque,
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo Dindyme: non licet maritorum.

CAP. XI.

PALUDAMENTUM erat imperatorum. Omnia quoque militaria ornamenta dici in libris auguralibus ait Festus. Livius paludamentum pro veste militari, etiam ejus qui non esset imperator, posuit in primo: *Cognitoque super humero fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat.* Paludamentum enim illud erat unius Curiatiorum, quorum nemo, ut arbitror, imperator in Albanis fuit. Unde paludati: Cælius *ad Ciceronem.*

A *Consules autem, quia verentur ne illud senatusconsultum fiat, ut paludati exeant.* Juvenalis in sexta:

Cumque paludatis ducibus, præsente marito
Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis.

Tullius *ad Cassium*: *Pansa noster paludatus ad tertium Calend. Januarii profectus est.* Paludamento quoque utebantur & Augustæ, ut diximus in aureo paludamento Agrippinæ. Quod si in vestimentorum ratione, quæ subinde mutatur, novis rebus antiqua vocabulorum nomina fas sit indere, dicerem id vestimenti genus, cui intexti liliorum flores, quodque induti reges Gallorum depingi solent, id Latine paludamentum dici posse. B Græci alias circunlocutione enuntiant, quemadmodum & Latini. Plutarchus in *Cæsare*, ubi de Pompejo, qui in prælio Pharsalico, ut equitatum, cui maxime confidebat, perterritum pulsumque vidit, se in prætorium recepit, equumque nactus, detracto paludamento aufugit: ἀπεδύσατο μὲν, inquit, τὴν ἐναγώνιον καὶ στρατηγικὴν ἐσθῆτα, φεύγοντι δὲ πρέπουσαν μεταλαβὼν ὑπεξῆλθεν. Hoc est, *Vestem quidem exuit imperatoriam atque militarem: fugientis autem adsumpta, prælio sese subduxit.* Cæsar *belli civilis* tertio: *Pompejus jam, quum circa vallum nostri versarentur, equum nactus, detractis insignibus imperatoriis,* C *decumana porta se ex castris ejecit, protinusque equo citato Larissam contendit.* Plutarchus in *Lucullo* ἐφεστρίδα, ut opinor, pro paludamento posuit, ubi de ornamentis Luculli jamjam prælium inituri adversus Tigranem, θώρακα μὲν, ἔχων σιδηροῦν φολιδωτὸν ἀποστίλβοντα, κροσσωτὴν δὲ ἐφεστρίδα. Hoc est, *Thoracem ferreum habens squamosum & splendidum, ac fimbriatum paludamentum.* Interpres vertit *Punicam ephestrida*: credo quod in suo ipsius exemplari fuerit κροκωτήν: quod tamen haud prorsus displicet. Idem Plutarchus in *Philopœmene* tunicas equestres vocat, quas *Robbes a cheval* dicimus, καὶ χιτώνων ἱππικῶν καὶ στρατιωτικῶν D χλαμύδων διηνθισμένων. Vide reliqua. Idem Plutarchus in *Crasso* φοινικίδα pro paludamento purpureo dixit, λέγεται δὲ, inquiens, ἡμέρας ἐκείνης τὸν κράσσον, οὐχ ὥσπερ ἔθος ἐστὶ ῥωμαίων στρατηγοῖς, ἐν φοινικίδι ἐλθεῖν, ἀλλ᾽ ἐν ἱματίῳ μέλανι. Hoc est, *Fertur eo die Crassum, non purpureo, ut Romanorum imperatorum mos erat, paludamento ad milites processisse, sed pallio nigro.* Paludamentum vero fuisse Imperatorum, planum fit ex Tranquillo in *Cesare* cap. LXIV. *Alexandriæ circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eodem præcipitantibus, quum desiliisset in mare,* E *nando per ducentos passus evasit ad proximam navem: elata læva, ne libelli, quos tenebat, madefierent: paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.* Utebantur & Græci equites eo genere vestis, quam ἐφαπτίδα appellat Athenæus in quinto, his verbis: πάντες οἱ προειρημένοι εἶχον πορφυρᾶς ἐφαπτίδας, πολλοὶ δὲ διαχρύσους καὶ ζωωτάς. Hoc est, *belluatas ephaptidas.* Macedones pro paludamento, chlamyde utebantur. Plutarchus in *Alexandro*, qui quum vidisset Darium a suis interfectum, τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα λύσας ἐπέβαλε τῷ σώματι, καὶ περιέστειλεν. Hoc est, *Sua ipsius soluta chlamyde, mortuo injecit ac circuntexit.* F Simul & Pyrrhus quum quodam in prælio videret se unum ab omnibus Romanis appeti, τὴν χλαμύδα καὶ τὰ ὅπλα παραδοὺς ἑνὶ τῶν ἑταίρων μεγακλεῖ, τοῖς δ᾽ ἐκείνου τρόπον τινὰ καταχρύψας ἑαυτὸν, ἐπῆγε τοῖς ῥωμαίοις. Hoc est, *Chlamyde & armis uni amicorum Megacli traditis, illiusque armis seipsum tanquam occultans, in Romanos impetum fecit.* Interpres vel hæc non intellexit, vel quod magis puto, corruptum Plutarchum habuit. Dion libr. L. chlamydem pro veste militari Romanorum, paludamento fortasse, vel

sagis, posuisse videtur, his verbis, καὶ τὰς χλαμύδας, ὡς καὶ ἐν χερσὶν αὐτοῦ ὄντος τοῦ πολέμου, μετημπίσχοντο. Chlamys inter puerilia hic recensetur ab Ulpiano, qua Numa primus Romanorum regum usus est, quum legationem Isaurorum excepisset, rationemque eorum habitus percepisset author Suidas. Qua coccina usum Imp. Alexandrum testatur Lampridius. Chlamydis effigies & terræ habitabilis eadem fuisse traditur. Strabo II. ἔστι δή τι χλαμυδοειδὲς σχῆμα τῆς οἰκουμένης, *Est certe chlamys effigies quædam terræ habitabilis*. Erat autem Græcorum, & maxime Macedonum. Plutarchus in *Eumene*; ἐξῆν δὲ Εὐμενεῖ καὶ καυσίας ἁλουργεῖς καὶ χλαμύδας διανέμειν, ἥτις ἦν δωρεὰ βασιλικωτάτη παρὰ Μακεδόσιν. Hoc est, *Licebat enim Eumeni causias purpureas & chlamydes dilargiri, quod inter dona regia præcipuum habebatur a Macedonibus*. Causia, ut illud interim scias, erat capitis tegmen, quam Budæus appositissime usurpavit, pro galero Cardinalium coccino. Licet enim uni Romano pontifici, ut quondam Eumeni, causias ἁλουργεῖς, id est, *purpureas*, ut chlamydes coccinas, cæteraque Cardinalium ornamenta arbitratu suo (certe hoc jure utimur) dilargiri, μὴ γὰρ γένοιτο nundinari. Quibus Plutarchi verbis palam fit chlamydes fuisse Macedonum. Ille igitur Magnus Alexander incredibili gaudio elatus est, quum ejus architecti situm Alexandriæ in formam chlamydis descripsere, quem metatus est Dinocrates ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato laciniosam, dextra lævaque anguloso procursu. author Plinius, & Strabo in septimo. Jam vero & Demetrius ille Poliorcetes chlamydem intexendam locavit, in qua, ut ait Plutarchus, erat εἴκασμα τοῦ κόσμου καὶ τῶν κατ' οὐρανὸν φαινομένων, Hoc est, *effigies mundi, & eorum quæ in cælo apparent*. quæ tamen mutatione temporum inchoata relicta est. Athenæus in XII. asseverat perfectas fuisse Demetrii chlamydes, colore nigricante sublucentes, in quibus erat polus depictus, aureas stellas habens, & duodecim signa: αἱ δὲ χλαμύδες, inquit, αὐτοῦ ἦσαν ὀρφνινὸν ἔχουσαι τὸ φέγγος τῆς χρόας. τὸ δὲ πᾶν ὁ πόλος ἐνύφαντο, χρυσοῦς ἀστέρας ἔχων καὶ τὰ δώδεκα ζώδια. Jam nec illud supra fidem esse videtur, quod ait Appianus in eo libro qui *Mithridaticus* inscribitur. Interpretis verba subjiciam, quando Appiani Græci nulla mihi copia: ea sunt ubi de triumpho Pompeii ex Asia agit: *Pompejus ipse curru lapillis auroque splendente ferebatur, chlamydem, ut ajunt, indutus Alexandri qui Macedonibus præfuit, si tamen id credere dignum est*. Putant quippe illam in his, quæ Mithridates ex Cleopatræ rebus in Co reperit, inventam fuisse. Nec id absurdum videri debet, quandoquidem Pompejus quandam similitudinem oris habuisse videtur ad Alexandri imagines. Plutarchus in *Pompejo*: ἦν δέ τις καὶ ἀναστολὴ τῆς κόμης ἀτρέμα, καὶ τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης τοῦ προσώπου ποιοῦσα μᾶλλον λεγομένην ἢ φαινομένην ὁμοιότητα πρὸς τὰς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως εἰκόνας. ᾗ καὶ τοὔνομα πολλῶν ἐν ἀρχῇ συνεπιφερόντων, οὐκ ἔφυγεν ὁ Πομπήιος, ὥστε καὶ χλευάζοντας αὐτὸν ἐνίους ἤδη καλεῖν Ἀλέξανδρον. διὸ καὶ Λεύκιος Φίλιππος ἀνὴρ ὑπατικὸς συνηγορῶν αὐτῷ, μηδὲν ἔφη ποιῶν παράλογον, εἰ Φίλιππος ὢν φιλαλέξανδρός ἐστι. Hoc est, *Capillitium etiam habebat leniter acclive, & oculorum liniamentorum lævorem quendam, creditam magis quam compertam oris Pompeii similitudinem ad Alexandri regis statuas repræsentantem. Quare commoti plerique nomen quoque Alexandri ei tribuerunt, quod Pompejus haudquaquam repudiavit: ut quum per jocum nonnulli eum jam appellarent Alexandrum, Lucius Philippus vir consularis in quadam causa ipsi patrocinans dixerit, se absurdum nihil agere, si quum esset ipse Philippus, Alexandrum complecteretur*. Nec quisquam mirabitur, chlamydem illam tanto tempore durasse, ab Alexandro scilicet ad Pompeii ætatem, modo qui legerit Plinium in octavo, qui ait Servii Tulli prætextas durasse annis quingentis sexaginta, nullasque teredinum injurias sensisse. Ab eo enim ipso tempore, quo Alexander natus est, ad Ciceronis consulatum (quo consule Pompejus, aut paulo post triumphavit) vix anni sunt trecenti viginti, ut ex Eutropio colligere est. Athenienses quoque chlamyde usi sunt in præliis, paludamenti vice. Plutarchus in *Crasso* de Nicia loquens, qui, si bellandum esset adversus Lacedæmonios, ἀποδυόμενος τὴν χλαμύδα, καὶ τῇ πλείωνος ἀπειρίᾳ καὶ θρασύτητι ναῦς καὶ ἄνδρας, καὶ ὅπλα, καὶ στρατηγίαν ἐμπειρίας ἄκρας δεομένην παραδιδούς. Hoc est, *Chlamyda exuens, & Cleoni homini audaci, & rei militaris ignaro classem, viros, arma, atque adeo præfecturam, hominem peritissimum flagitantem, tradens*.

Paludamenti, & sagi, ac caligæ militaris figura, ex antiquissimis marmoribus Romæ inventis.



CAP XII.

AIT Ulpianus, TUNICÆ.) Aulus Gellius lib. VII. *Noctium Atticarum* cap. XII. ait, *antiquitus Romanos primo quidem sine tunicis toga sola amictos*. Quare nec videtur reprehendendus Cato, qui de more majorum solebat statim a prandio ad forum descendere, ac ibi cum amicis deambulare, nullis nec calceis, nec tunica. μετ' ἄριστον δὲ, inquit Plutarchus in *Catone*, πάλιν, ὥσπερ εἰώθει, καταβὰς εἰς ἀγορὰν ἀνυπόδητος καὶ ἀχίτων, περιπατῆσαι μετὰ τῶν συνήθων. Hoc est, *Post prandium autem rursum, ut solebat, in forum sine calceis & tunica descendens, cum familiaribus deambulasse*. Cu-

jus moris non meminisse videtur Plutarchus, indicans eum non servasse decorum prætoriæ dignitatis, quod sine calceis & tunica jus diceret, quum majores non usos tunica satis constet. Neque enim frustra Ennius Carthaginensium juventutem *tunicatam* appellat. *Postea vero*, inquit Gellius ibid. *substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habebant, quod genus Græci dicunt* ἐξωμίδας: qua usum Catonem Majorem, quum brumæ tempore rusticaretur, author Plutarchus: ἐπανελθὼν δὲ, inquit, εἰς τὸ χωρίον, ἂν μὲν ᾖ χειμὼν, ἐξωμίδα λαβὼν· θέρους δὲ γυμνὸς ἐργασάμενος μετὰ τῶν οἰκετῶν. Hoc est, *Reversus autem in agrum, si quidem hyems erat, exomida sumebat: sin autem æstas, nudus cum servis operabatur*. Quando vero in Catonis mentionem incidimus, illud in illo miratur Plutarchus, quod jam senex post consulatum & triumphum adeptum, nulla unquam veste usus sit, quæ centum denariorum pretium excederet. ἐσθῆτα μὲν γὰρ οὐδέποτε φησὶ φορέσαι πολυτελεστέραν ἑκατὸν δραχμῶν. Hoc est, denariorum: queis ad quadrantem respondent Julii, quibus utuntur hodie passim in Italia: qui centum denarii nummo nostrate, viginti Francicis æstimari possunt. Jam & in obsonium ipse Cato in diem triginta asses insumebat, hoc est, triginta *bayochos*: nostro vero more, triginta solidos. Massiliensium quoque frugalitas celebrari solet, quod apud eos mulierum dos maxima centum aureos non excederet, vestimenta ad quinque aureos, quæ tamen summa Catonis pretio centum solidis nostris major est: ἡ γὰρ μεγίστη προὶξ αὐτοῖς ἐστὶν ἑκατὸν χρυσοῖ, καὶ εἰς ἐσθῆτα πέντε, καὶ πέντε εἰς χρυσοῦν κόσμον. πλέον δὲ οὐκ ἔξεστι. Hoc est, *Maxima enim dos eis est aurei centum, quinque in vestes, in mundum aureum totidem: excedere vero non licet*. author Strabo. Straboni tamen refragatur id quod Græci proverbii vice usurpant, εἰς μασσαλίαν πλεύσειας, καὶ εἰς μασσαλίαν ἥκεις. Ajunt enim ipsos Massilienses nimis delicato ac molli muliebrique cultu usos: insuper capillum unguentatum muliebrem in modum religare. unde natum proverbium. Verum illi proverbio non assentior, quum apud me major sit M. Tullii authoritas, qui *pro Flacco* ait, *Massiliæ disciplinam ac gravitatem non solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam jure dicam, quæ tam procul a Græcorum omnium regionibus, disciplinis linguaque divisa, Gallorum gentibus, barbarorum fluctibus alluatur: sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudare facilius possint quam æmulari*. Sed quid opus illis ethnicorum testimonio, quum Lazarus amicus ab Jesu Christo Servatore vocatus hanc unam potissimum sedem delegerit, in qua verissima dei dogmata mortales edoceret, mirificaque, ad revocandam errabundam plebeculam, prodigia ostentaret? Sed ad tunicas revertamur. Manicatis tunicis indui non sine probro solebant, ut author est Gellius, qui eas Græco vocabulo χειριδωτὰς appellat. Politianus in Herodiano, *manuleatas* vertere, Plautum imitatus, maluit, quam cum Cicerone dicere *manicatas*. qui quum in gregem Catilinæ invehitur, sic ait: *Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut barbatos videtis, manicatis & talaribus ac strictis tunicis amictos, non togis*. Virgilius quoque *Æn.* IX. videtur non sine probro dixisse,

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Mulieres tunicis utebantur longe lateque diffusis, ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda: quarum ima erat carni proxima: unde jocus Martialis *in Lesbiam*, lib. XI. ep. XCIX.

De cathedra quoties surgis (jam sæpe notavi)
Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.

A Observavi & apud Ovidium, tunicam in singulari accipi pro tunica illa quæ ima erat, qua hodie linea utimur, ut olim Athenienses talari & linea utebantur, authore Polluce. Ovidius in III. *Amor.*

Sic etiam tunica tangitur illa sua.

Et in eodem,

Illic nec tunicam tibi sit posuisse pudori.

Et alibi,

Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

Tunicam accipe pro ea quæ carni proximior, quam, ut mihi videtur, tunicam lineam vel imam dicere possumus. Sunt qui interulam vocitent. B Athenæus χιτώνιον ἐχέσαρκον appellat in decimotertio, ubi de Phryne scorto nobili, ἐχέσαρκον γὰρ χιτώνιον ἀμπείχετο. Hoc est, *Tunicula carni proxima amiciebatur*: quam camisiam dicimus. Utebantur & tunica, quæ media dici potest: cujusmodi fere est tunica rubra, qua brumali tempore utimur. Erat & alia tunica quæ his superinduebatur: nostri rustici, vocabuli Græci vestigia retinentes, *hocheton* appellant, quasi dicas ὁ χιτὼν: alii *saye*. Neque vero cuipiam mirum videri debet, siquidem olim Druidæ Gallorum sacerdotes, publicis privatisque rationibus, Græcis literis utebantur, ut legimus in sexto C *Commentariorum Cæsaris*. Quin & Ephorus apud Strabonem Gallos φιλέλληνας appellat. Μονοχίτων Græcis is est, quem tunicatum dicimus, id est, sola tunica amictum. Plutarchus in *Antonio*, de Cleopatra loquens, quæ valetudine affecta, in lectulo jacens, ut Augustum adventantem rescivit, tunicata exiliit obviam, seque ad pedes ejus stravit & abjecit; ἡ δὲ, inquit, ἔτυχε μὲν ἐν στιβάδι κατακειμένη ταπεινῶς, εἰσιόντι δ' αὐτῷ μονοχίτων ἀναπηδήσασα προσπίπτει, *Ipsa autem jacebat in lecto sordide: ingredienti vero ipsi unica amicta tunica exiliens accidit*. Idem in *Sylla*; οἱ τοῦ φιμβρίου στρατιῶται μονοχίτωνες ἠσπάζοντο τοὺς ἐκείνου μονοχίτωνας. D Hoc est, *Tunicati*, (& *en hocheton*, ut vulgo loquimur) *salutabant illius tunicatos*. Si interpres Plutarchi aliter vertit, vel fallor, vel falsus est. Athenæus quoque in primo, καὶ ἀνδριάντας αὐτῆς ἐν ἀλεξανδρείᾳ στῆσαι φησὶ, κατὰ πολλὰ μέρη τῆς πόλεως μονοχίτωνας, ῥυτὸν κρατοῦντας ἐν ταῖς χερσίν. Hoc est, *Statuas ipsius in Alexandria collocasse ait, in multis civitatis partibus tunicatas, manibus rhytum tenentes*. Id est, poculi genus. A tunica fit tunicatus. Martialis lib. III. ep. III.

Formosam faciem nigro medicamine velas:
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede Deam verbis tibi dicere nostris,
E *Aut aperi faciem, vel tunicata lava.*

Ovidius *de A. A.* lib. II.

Astiterit tunicata: moves incendia, clama:
Sed timida caveat frigora voce roga.

Tunicata, id est, in camisia. Proinde facetissimus poeta quietem *tunicatam* appellat, id est, liberam ab opera togata, lib. X. ep. LI.

Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abstulit? o soles, o tunicata quies!

Solebant enim, ut diximus, Romani togati deducere & reducere magistratus, & eos qui digniF tate, vel ætate, vel opibus præcellerent, in domum, in forum, in templa, vel alio. Quæ *opera togata* a Martiale lib. III. ep. XLVI. vocitatur,

Exigis a nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.

Et in nono ep. CI.

Denariis tribus invitas, & mane togatum
Observare jubes atria, Basse, tua:
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam,
Ad vetulas tecum plus minus ire decem.

Quare in vita beatiore togam raram optat. domi

enim Romani commorantes, togam reponebant, & viliori veste utebantur: quam non inepte fortasse domesticam dixeris. Tullius in secundo *de Finibus*: *Aut etiam ut vestitum, sic sententiam habeam, aliam domesticam, aliam forensem*. Herodianus lib. VIII. cap. XXI. ἁρπάζουσι τοὺς πρεσβύτας, περιρρήξαντες δὲ ἃς εἶχον περὶ τοῖς σώμασιν ἐσθῆτας λιτὰς, ἅτε οἴκοι διατρίβοντες. Hoc est, *Corripiunt senes, laceratis quibus amiciebantur vestibus, vilioribus sane, utpote qui domi sese continerent*. Et idem Plutarchus in *Sylla* ait, ἐσθῆτα δὲ ἄλλην μὲν οἰκουρῶν, ἄλλην δὲ εἰς ἀγορὰν προερχόμενος. Hoc est, *Vestem aliam, quum domi maneret, aliam quum ad forum descenderet*, vel *procedens*. Tunica lati clavi, insigne erat senatorum, senatumque ab equite distinguebat. Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Annuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis senatum tantum*. Tranquillus in *Augusto* cap. XCIV. *Sumenti virilem togam, tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit*. Fuerunt qui interpretarentur non aliud significare, quam quod is ordo, cujus insigne id esset, quandoque ei subjiceretur, id est, ordo senatorius scilicet. Tunica lati clavi, latus clavus etiamnum appellatur. Martialis *in Gelliam*, lib. V. ep. XVII.

Dum te posse negas nisi lato Gellia clavo
Nubere, nupsisti Gellia cistigero.

Tacitus in Dialogo: *Equidem, ut de me ipse fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est*. Quintilianus undecimo: *Cui lati clavi jus non erit, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant: Nam infra, mulierum est: supra, centurionum*. Lati clavi jus, est dignitas ordinis senatorii. Dicitur & clavus: Tranquillus in *Augusto* capite LXXIII. *Togis neque restrictis neque fusis usus est: clavo nec lato, nec angusto*. Tunica lati clavi, sive latus clavus, antea quidem dicebatur tunica palmata, a latitudine clavorum, quæ nunc a genere picturæ appellatur. Verba sunt Sexti Pompeii in vocabulo *Picta*, paucis additis. Quum vero ait, quæ nunc a genere picturæ appellatur, accipe ab ipsis clavis purpureis, qui tunicis inseruntur, appellari tunicam lati clavi. Quibus clavis purpureis mappæ quoque ad limbum, ut opinor, variari solebant. Et hoc est quod ait Martialis lib. IV. ep. XLV.

Et lato variata mapalia clavo.

Quare quum apud Livium identidem legas tunicam palmatam, accipe pro tunica lati clavi, quam Græci χιτῶνα πλατύσημον appellant. Strabo in tertio; ὅτι δὲ καὶ ἐνδῦσαι λέγονται πρῶτοι τοὺς ἀνθρώπους χιτῶνας πλατυσήμους, *Hos autem primos memoriæ proditum, induisse homines tunicas lati clavi*. Hactenus quæ de lato clavo comminisci potui, hæc sunt: ita tamen ut ingenue fatear, mihi plane non liquere: sicut nec illis majorum gentium scriptoribus, qui ante me natum hac in re hallucinati sunt. Tunica phœnicea signum erat prælii futuri, quam alias coccinam appellat Plutarchus, ut diximus in cocco. Plutarchus in *Bruto*: προὔκειτο μὲν τῷ Βρούτου χάρακι καὶ τῷ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτών. Hoc est, *Ante Bruti & Cassii vallum, prælii signum erat propositum, tunica phœnicea*. Et in *Pompejo*, κατὰ τάχος πρὸ τῆς σκηνῆς ἐκέλευσε προθεῖναι τὸν φοινικοῦν χιτῶνα. τοῦτο γὰρ μάχης Ῥωμαίοις ἐστὶ σύμβολον. Hoc est, *Extemplo ante prætorium jussit proponi tunicam phœniceam: hoc enim Romanis pugnæ signum*. Alibi coccinam appellat Plutarchus, credo quia idem fere color. Quod ait Jureconsultus, tunicæ, hoc ideo quia pluribus tunicis utebantur: & Augustus quaternis interdum tunicis (authore Tranquillo) muniebatur. Quare apud Ovidium *Fastorum* secundo:

Exuerat tunicas, uteri manifesta tumore,
Proditur indicio ponderis ipsa sui.

Et in eodem:

Dat tenues tunicas Getulo murice tinctas:
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.

Tunica quoque apud Celsum pro eo ponitur, quam *taygam* vulgo dicimus, his verbis: *Vel ex ictu aliquo rumpitur tunica, quæ deducere ab inferioribus partibus intestina debuit*. Sunt & tunicæ apud eundem, testiculorum involucra. Sic etiam Persius non ineleganter, cæpe *tunicatum* appellat.

CAP. XIII.

PALLIOLA.) Pallium erat Græcorum. Tullius pro *Rabirio*, Consularis homo soccos habuit & pallium: nec vero id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putavit. Tranquillus in *Augusto* cap. XCVIII. *Sed cæteros continuos dies inter varia munuscula, togas insuper & pallia distribuit, lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur*. Pallium quoque erat philosophorum. Gellius lib. IX. cap. II. *Video* (inquit *Herodes*) *barbam & pallium: philosophum nondum video*. Pallia inter communia vestimenta annumerantur Ulpiano hic, quæ promiscua appellat Tacitus in tertio, *Promiscuas viris & fœminis vestes*.

Palliis etiamnum in lecto utebantur. Ovidius in *Amoribus*,

Nec in lecto pallia nostra sedent?

Martialis lib. I. ep. CX.

Gutta pallia nec fefellit ulla.

Juvenalis in sexta,

——— *tunc corpore sano*
Advocat Archigenen, onerosaque pallia jactat.

Pallia tunicæ imponebantur, ex proverbio, *Tunica pallio proximior*. Quod si verum est, tunicarum muliebrium alæ non erant consutæ, erantque Romanæ φαινομηρίδες, quemadmodum & Spartanæ. Quod & Ovidianis versibus probari potest, quum ait lib. I. *de. A. A.*

Pallia si nimium terræ demissa jacebunt,
Collige, & immunda sedulus effer humo.
Protinus, officii pretium patiente puella,
Contingent oculis crura videnda tuis.

Neque enim efferendo pallio aperirentur crura, si alæ utrinque consutæ essent, etiamsi Plutarchus dicat, ἔτι δὲ μᾶλλον ἡ περὶ τὰς παρθένους φυλακὴ κατέσταλται τῷ Νουμᾷ πρὸς τὸ θῆλυ καὶ κόσμιον. ἡ δὲ τοῦ Λυκούργου παντάπασιν ἀναπεπταμένη καὶ θῆλυς οὖσα, τοῖς ποιηταῖς λόγον παρέσχηκε. φαινομηρίδας τε γὰρ αὐτὰς ἀποκαλοῦσιν, ὡς Ἴβυκος. καὶ ἀνδρομανεῖς ἱστοροῦσιν, ὡς Εὐριπίδης. Et paulo post: τῷ γὰρ ὄντι τοῦ παρθενικοῦ χιτῶνος αἱ πτέρυγες οὐκ ἦσαν ἀνερραμμέναι κάτωθεν. ἀλλ' ἀνεπτύσσοντο, καὶ συνανεγύμνουν ὅλον ἐν τῷ βαδίζειν τὸν μηρόν. Hoc est, *Itemque custodia quæ ad virgines pertinet, a Numa cobibita magis est ad muliebrem cultum & ornatum. Custodia vero Lycurgi plane aperta nimis. Siquidem muliebris quum sit, poetis joci ansam præbuit. φαινομηρίδας enim ipsas appellant*, (id est, quarum aperta sunt femora,) *ut Ibycus*. Et paulo post: *Nimirum pinnæ virginalis tunicæ non erant consutæ, sed explicabantur, aperiebantque totum incedendo femur*. Hactenus Plutarchus. Quibus verbis apparet Spartanas mulieres solitas incedere sola tunica amictas, cujus alæ non erant consutæ. Quod & Romanis observatum arbitror, ex Ovidio: ita tamen, ut tunicis pallia vel stolæ superimponerentur. Neque enim, ut mihi quidem videtur, aliter capi potest sensus Ovidianus: nisi si quis dixerit, quod efferendo pallio, simul & efferebantur tunicæ, quod magis amentis fuisset quam amantis. Cæterum

tunica illa, cujus pinnæ dissolutæ aliquatenus erant, & qua utebantur Spartæ, χιςὸς χιτὼν appellatur a Julio Polluce, in *Onomastico* ad Commodum. A Pallio fit Palliolum, quod laneum erat. Martialis:

Succida palliolo vellera quinque petit.

Mulierum etiam erat. Juvenalis Sat. III.

———— aut quum
Uxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? mulier nempe ipsa videtur,
&c.

Inde Palliolatus. Tranquillus in *Claudio* cap. II. *Ob hanc eandem valetudinem, & gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit.* Martialis lib. IX. ep. XXXIII.

Hanc volo quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

A pallio fit Palliatus, id est, pallio munitus Gellius lib. IX. cap. II. *Adiit nobis præsentibus palliatus quispiam & crinitus.* Erant etiamnum pallia cœnatoria, quorum meminit Martialis libro X. ep. LXXXVII.

Pugnorum reus ebriæque noctis,
Cœnatoria mittat advocato.

Et lib. XI. ep. XXIII.

Ad cœnam venies: sed sic divisa recumbes.
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Et in *Apophoretis*, ubi in lemmate est *Cœnatoria*. ep. CXXXV. subaudiendum pallia. ait enim,

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Interpres fœde lapsus est: lege, ac ridebis. Porro autem palla Gallica ad formam nostri palletoci manicati videtur accessisse, si Martiali credimus lib. I. ep. XCIII.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Quid vero sit palla Gallica, docet Strabo in quinto: ἀντὶ δὲ, inquit, χιτώνων χιςὺς χειριδωτὺς φέρυσι μέχρι αἰδοίων καὶ γλυτῶν. Hoc est, *Tunicarum vice pallas manicatas gestant, ad verenda usque natesque medias pertingentes.* Quæ verba, Martialis versum videntur interpretari. Palla ab Horatio honesta dicta, mulierum erat, ut quidam opinantur. Martialis,

Fascia te tunicæque tegunt, obscuraque palla.

Utebantur & citharœdi. Ovidius lib. XI. *Metam.*

Ille caput flavum lauro Parnaside vinctus,
Verrit humum Tyrio saturata murice palla.

Et tragœdi. Idem Ovidius *Amorum* tertio,

Fronte comæ torva, palla jacebat humi.

Quare falluntur ii qui mulierum tantum fuisse putant, in quibus & noster Sipontinus, vir alioqui de lingua Latina non pessime meritus. Marcus Varro *de lingua Latina*, ait pallam ideo dici, quod foris palam sit. Eratque palla longa ad terram usque promissa, ut apparet in Ovidiano versu. quam ob id appellat Virgilius *Æn.* XI.

Pro longæ tegmine pallæ.

Endromis dicta videtur, quod eo genere vestis ἐν δρόμῳ, (id est, in cursu & palæstra) uterentur, quam pinguem, hirsutamque, & villi longioris fuisse constat ex Martialis lib. IV. ep. XIX.

Hanc ubi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet:
Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromidem.
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis:
Plumea seu laxi partiris pondera follis,
Sive levem cursu vincere quæris Atham:
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua:
Ridebis ventos, hoc munere tectus, & imbres:
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Juvenalis taxat mulieres Romanas, quæ endromide purpurea uterentur, in sexta:

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis nescit?

Quod vero ait Martialis, *sindone*: ut obiter id intelligas, σινδὼν, ut ait Pollux, *est amictus ex lino Ægyptiaco, quod nunc dicrossum appellatur*: dicta, ut opinor, quia primum in Sidone urbe hujusmodi amictus fieri cœpit: ob id *Tyria* a Martiale dicta: erant enim vicinæ urbes Tyrus & Sidon. Hoc eo adjeci, ut intelligeres quæ scripta sunt in *Matthæo*: *Et quum accepisset corpus Joseph, involvit illud sindone munda.* De sindone convenit Matthæus, Marcus & Lucas: verum Johannes ait, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων. Hoc est, *Et obvinxerunt illud othoniis cum aromatibus.* Quod si Polluci credimus, ὀθόνη apud Homerum magis ἐξ ἐρίυ, id est, *ex lana*, quam ἐκ λινυ, id est, *ex lino*, erat. Sindon vero inter linea vestimenta adscribitur ab ipso Polluce. Quare puto Johannem per othonia, lintea intellexisse, recteque vertisse Erasmum, etiamsi aliter sentiat Pollux.

CAP. XII.

QUOD ait Ulpianus, *Ansitaria*, quid velit, ingenue fateor me plane nescire. Consului vetustissimos codices, quorum in altero legi, *Ansitapa*: in altero, *Anticapa*. Quocirca si mihi permittis divinare, vel potius conjectura uti, puto legendum *amphitapa*. Nam amphitapæ dicuntur vestes utrinque villosæ: Lucilius libro primo:

Psilæ atque amphitapæ villis ingentibus molles.

Varro Manio, *Alterum bene acceptum dormire super amphitapa bene molli.* Athenæus ἀμφίταπον dixit in quinto, ταύτας δ' ἀμφίταποι ἁλυργεῖς ὑπέστρωντο τῆ πρώτης ἐρέας. Id est, *Hisce amphitapa substernebantur e molli lana.* Quæ & amphimalla dicuntur. Strabo in quinto, τὴν δὲ μέσην οἱ περὶ παταῦιον, ἐξ ἧς οἱ τάπητες οἱ πολυτελεῖς καὶ γαύσαποι, καὶ τὸ τοιῦτον πᾶν ἀμφίμαλλόν τε καὶ ἑτερόμαλλον. Hoc est, *Mediocrem vero lanam ager Patavinus, ex qua tapeta fiunt laudatissima, & gausapinæ, cæteraque ejusdem generis amphimalla & heteromalla.* Id est, quæ utrinque villosa sunt, vel in altero tantum, cujusmodi fere sunt *mantes* vulgo dictæ, quas Massiliæ fieri vidimus, quæ & amictus & stragulæ vestis usum nautis & navigantibus præstant. Hodie veste serica heteromalla utimur, quam *villosam* & *villutam* vulgo dicimus: quemadmodum & lanea heteromalla, quam *trippam*, nisi fallor, appellamus.

CAP. XV.

AIT Ulpianus, Et SAGA.) Sagum militum erat, quod & inter familiaria adscribitur ab Ulpiano. Tullius, *Itur ad Saga.* Nostri milites g. litera sublata, vocabuli Latini vestigia retinent, *saum* vel *sayon* appellantes id genus vestis, quod armis super induitur: alii *accoustramentum*, ut prætoriani. Cicero *ad Trebatium*: *Quamobrem camino luculento utendum censeo. Idem & Mutio & Manilio placebat, præsertim qui sagis non abundares.* Quod vero ait, *Idem & Mutio*, jocatur Tullius in Trebatium Jureconsultum: quibus moris est aliorum authoritate suam ipsorum comprobare sententiam, Græci unico vocabulo, ut opinor, περιθωρακίδια appellant ea quæ superinduebantur armis. Plutarchus in

Arto-

Artoxerxe, ὡς ἢ μόλις συνεῖδον τὰ περιθωρακίδια φοινικᾶ, λδυκοῖς χρωμένων τ͂ βασιλικῶν ἁπάντων, ἔγνωσαν πολεμίους ὄντας. Lapus feliciter interpretatus est: *Qui ubi vix rubra sagula conspicati sunt, quod regiæ partis omnes albis uterentur, agnoverunt statim hostes esse*. Strabo vocabulo Latino utitur in tertio, ἐν Βαστητανίᾳ ἢ μελανείμονες, τὸ πλέον δ' ἐν σάγοις. Hoc est, *In Bastetania vero nigris vestimentis utuntur ad unum omnes, magnam fere partem in sagis*. Utebantur & Lusitani sagis, ut author est Strabo in tertio: quibus operiebant captivos, ex eorum visceribus vaticinaturi. Quod immanius mihi quidem videtur, quam quod Gallos quondam fecisse ferunt, sontes scilicet ac damnatos diis immortalibus immolasse. Plutarchus in *Galba*, ἐσθῆτα στρατιωτικὴν appellat, quod nos, ut opinor, sagum. Extat lex militaris Caii Gracchi, apud Plutarchum in *Tiberio*, in hæc verba: ἐσθῆτα μὲν κελεύων δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι, καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τ͂ μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τ͂ στρατευομένων. Hoc est, *Sumptu ut publico saga militibus præberentur, nihil hac de re stipendio militari diminuto*. A sago fit Sagulum. Livius in xxx. *Hæc omnia sagulo gregali amictus*. Virgilius *Æn.* VIII.

Virgatis lucent sagulis.

Tacitus *de moribus Germanorum*: *Nudi, aut sagulo leves: nulla cultus jactatio*. Et paulo post: *Tegmen omnibus sagum fibula, aut si desit, spina consertum*. A sago fit sagatus. Martialis l. VI. ep. XI.

Vis te purpureum Marce sagatus amem?

Tranquillus in *Cæsare* dictatore cap. XLVIII. *Convivatum assidue per provincias duobus tricliniis, uno quo sagati, palliative; altero quo togati cum illustrioribus provinciarum discumberent*. Saga Ligustica celebrantur a Strabone in quarto. Tunicæ quoque illic fieri solitæ.

Abolla quoque militum erat, ut Nonio Marcello placet: unde jocus Martialis in Crispinum, qui posita abolla, togam sumpserat, lib. VIII. ep. XLVIII.

Nescit cui Tyriam dederit Crispinus abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.

Et apud Juvenalem non semel.

Jam vero & lænam militarem fuisse Nonio placet, quam Græci χλαῖναν vocitant. Plutarchus in *Numa*: καὶ γὰρ ἃς ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς λαίνας, Ἰόβας φησὶ χλαίνας εἶναι. Hoc est, *Etenim quas gestabant reges lænas, Juba chlænas ait esse*. Palliis superinduebantur hyberno tempore, si Martiali credimus, lib. XIV. ep. CXXXVI.

Tempore brumali non multum levia prosunt:
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Quod & proverbio fit manifestum, ἐν θέρει τ͂ χλαῖναν κατατρίβεις· ἐπὶ τ͂ μὴ καθ' ὥραν τοῖς ἀναγκαίοις χρωμένων. Hoc est, *Æstate lænam deteris. in eos qui non suo tempore rebus necessariis abutuntur*. Utebantur læna in sacrificiis. Tullius in *Bruto*: *Licet aliquid etiam de M. Pompilii ingenio suspicari, qui quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione & seditione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum authoritate, tum oratione sedavit*. Utebantur & cœnatoriis pallii vice. Juvenalis in quinta,

——— *plurima sunt quæ*
Non audent homines pertusa dicere læna.

Martialis, ubi de Lusco conviva furacissimo, l. VIII. ep. LIX.

Et tectus lænis sæpe duabus abit.

Nec tamen me fallit fuisse quoque apud Græcos genus vestis quæ χλανὶς diceretur, ut est apud Herodotum, ubi de Dario. Nec hoc loco omiserim Gallos olim solitos sagis villosis uti, quas lænas appellabant. Strabo in quarto: ἡ δ' ἐρέα, τραχεῖα μὲν, ἀκρόμαλλος δὲ, ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγους ἐξυφαίνουσιν, οὓς λαίνας καλοῦσιν. Hoc est, *Lanea vero hirta, villoso pillo, ex qua saga pexa crebra contexunt, quas lænas appellant*. Valerius χλανίδα amiculum dixit. χλανίδος meminit & Athenæus in quinto: πρῶτοι μὲν οἱ τ͂ ὄχλον ἀνείργοντες σειληνοὶ, πορφυρᾶς χλανίδας, οἱ δὲ φοινικίδας ἠμφιεσμένοι, *Sileni qui primi turbam coercuerunt, pars lænas purpureas, alii paludamentum purpureum induebantur*. Illud fortassis quispiam mirabitur, quod in eodem dixit Athenæus χλαῖναν quam Plato τρίβωνα appellat in *Symposio*. Alcibiades loquitur, ὑπὸ τ͂ τρίβωνα κατακλινεὶς τ͂ τουτουί Hoc est, *Neque ut Alcibiades sub eadem læna una jacuit*. Pellenicæ lænæ celebrantur, quæ antiquis victoribus athletis præmii loco dabantur. author Pollux. Strabo in octavo: ἔστι δὲ καὶ κώμη πελλήνη, ὅθεν καὶ αἱ πελληνικαὶ χλαῖναι, ἃς καὶ ἆθλα ἐτίθεσαν ἐν τοῖς ἀγῶσιν. Hoc est, *Est & vicus Pellene, unde & Pellenicæ lænæ, quas & præmia constituebant in certaminibus ludicris*.

CAP. XVI.

LACERNA quasi lacera, quod capitio minor sit, Sexto Pompejo. Quam militum quoque fuisse constat. Propertius in quarto,

Texitur in castris quarta lacerna tuis.

Ovidius *Fastorum* secundo,

Mittenda est domino (nunc nunc properate puellæ)
Quamprimum nostra facta lacerna manu.

Erant & lacernæ, quibus uterentur Romani, quum spectaculis operam sedentariam præstarent, & togæ superinduebantur ad arcenda frigora. Martialis lib. XIV. ep. CXXXVII.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Quum tegit algentes nostra lacerna togas.

Juvenalis in nona:

——— *pingues aliquando lacernas,*
Munimenta togæ, duri crassique coloris.

Rursus Martialis lib. VIII. ep. XXVIII.

O quantos risus pariter spectata movebit
Trita palatina nostra lacerna toga.

Tranquillus dedit negotium ædilibus, ne paterentur in foro circove quenquam consistere, nisi positis lacernis togatum. Lacernis candidis utebantur in spectaculis, si Martiali credimus: qui ludit in Horatium, qui nigra lacerna spectaculis aderat, lib. IV. ep. II.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis:
Quum plebs, & minor ordo maximusque
Sancto cum duce candidus sederet,
Toto nix cecidit repente cœlo:
Albis spectat Horatius lacernis.

Hactenus Martialis. Plutarchus in *Æmilio*, ubi de triumpho Pauli Æmilii agit: ὁ μὲν δῆμος ἔν τε τοῖς ἱππικοῖς θεάτροις, ἃ κίρκους καλοῦσι, περί τε τ͂ ἀγορὰν ἰκρία πηξάμενοι, καὶ τἆλλα τ͂ πόλεως μέρη καταλαβόντες, ὡς ἕκαστα παρεῖχε τ͂ πομπῆς ἔποψιν, ἐθεῶντο καθαραῖς ἐσθῆσι κεκοσμημένοι. Concedebatur aliquando, honoris ergo, toga uti prætexta spectaculis: ut Senatus populusque Romanus admiratus Catonis fidem & sedulitatem in conservanda Cypria gaza, ultro ei præcipuam detulit præturam, concessitque ut toga prætexta in spectaculis publicis uteretur. Plutarchus in *Catone*, καὶ τὰς θέας αὐτὸν ἐν ἐσθῆτι περιπορφύρῳ θεάσασθαι. *Etiam ludos in toga pretexta ut*

ipſe ſpectaret. Lacernis utebantur & mulieres. Juvenalis in prima:

Ipſe lacernatæ quum ſe jactaret amicæ.

Ipſi in plerisque Italiæ civitatibus matronas vidimus lacernatas, eo ipſo tempore quo per urbem mirifice temperato greſſu incedunt. Fortaſſe vero non inepte dixerim noſtros juris tam divini quam humani doctores (eo enim vocabulo gaudent) lacernatos, quum cappis, quas vocant, pellitis ornati, tyronibus ſuis prolytarum lytarumque inſignia largiuntur: pro ſenſus ratione, an pro cenſu, nihil habeo dicere. Sacerdotes quoque qui Canonici dicuntur, lacernis nigris ornantur, ut cucullo, quum in ædis choro ſedentario divinos Davidis verſus alternis ultro citroque vicibus decantant: tempore vero æſtivo utuntur amictu pelliceo, quem ab amiciendo, opinor, vulgo *aumiciam* vocant. Quinetiam videntur lacernæ eſſe eæ, quibus Cardinales Romæ obequitando, triumphantium more utuntur, ſacerdotii, ut ita dicam, dibaphici jus adepti, cum cucullo & cauſia purpurea, quam nonnulli *cappellum rubrum* vocant. Qui ne nimium hac de re glorientur, ſciant lacernas quoque pauperiorum fuiſſe. Juven. in tertia:

Quid quod materiam præbet cauſasque jocorum
Omnibus hic idem, ſi fœda & ſciſſa lacerna.

Martialis *ad Mamurianum*, lib. I. ep. XCIII.

Cerea ſi pendet lumbis ac trita lacerna.

Nobiliores illuſtrioresque lacernis non utebantur, niſi pluvio tempore, aut in ſpectaculis. Quare Tullius objectat Antonio, quod rediiſſet in urbem cum gallicis & lacerna: in ſecunda *Philippicarum* ſic ait; *Nam quod quærebas quomodo rediiſſem: primum luce, non tenebris: deinde cum calceis & toga, nullis nec gallicis, nec lacerna*. In vulgatis codicibus ſcriptum eſt *caligis*: tu ex Gellio libro XIII. *gallicis* legas: nos *Galozas* dicimus. Erant enim & quædam lacernæ, quibus pluvioſo tempore uterentur. Plinius lib. XVIII. cap. XXV. ubi de Vergiliarum occaſu: *Ergo ex occaſu ejus de hyeme augurantur, quibus eſt cura inſidiandi negotiatoris avaritia. Nubilo occaſu pluvioſam hyemem denuntiant, ſtatimque augentur lacernarum pretia.* Hactenus Plinius. Quæ lacernæ dicebantur & penulæ. A. Gellius lib. XIII. cap. XXI. *T. Ca ritius rhetoricæ diſciplinæ doctor, qui habuit Romæ locum principem declamandi & docendi, ſumma vir authoritate gravitateque, & a D. Adriano ob mores literaſque ſpectatus, quum me præſente (uſus ſum enim eo magiſtro) diſcipulos quoſdam ſuos ſenatores vidiſſet die feriato tunicis & lacernis indutos, & gallicis calceatos, Equidem, inquit, maluiſſem vos togatos eſſe. Pigitum eſt ſaltem cinctos eſſe & penulatos.* Vides ut quos lacernis indutos dixerat, vocat penulatos. Penulam enim abuſive nobiliſſimi Veteres dixere omne quicquid tegit. Penula utebantur arcendis pluviis. Ælius Lampridius in *Alexandro*: *Penulis intra urbem, frigoris cauſa, ut ſenes uterentur, permiſit: quum id veſtimenti genus ſemper itinerarium, aut pluviæ fuiſſet. Matronas tamen intra urbem penulis uti vetuit, in itinere permiſit*. Iuvenalis in quinta;

—— fremeret ſæva quum grandine vernus
Juppiter, & multo ſtillaret penula nimbo.

Quintilianus: *Galba penulam roganti, Non poſſum commodare (inquit) domi maneo. quum cœnaculum perplueret. Idem Galba penulam roganti reſpondit, Si non pluit, non eſt opus tibi: ſi pluit, ipſe utar*. Quod autem viatoria fuerit, Tullius *ad Atticum* XIII. probat: *Sed ego, inquiens, ita egi, ut non ſcinderem penulam*. Proverbii vice uſurpavit Tullius, ut loquimur: *Non ſuſtinuit ut ſcinderem mantellum, quo apud me remaneret*. Et paulo poſt: *Horum ego vix attigi penulam, & tamen remanſerunt*. Idem

A Tullius *pro Milone*: *Quum alter veheretur in rheda penulatus, una ſederet uxor*. Et paulo poſt: *Quid minus promptum ad pugnam, quum penula irretitus, rheda impeditus, uxore pene conſtrictus eſſet*. Erat & penula ſcortea: (ſcorta enim veteres pelles nominabant) cujus meminit Martialis, lib. XIV. ep. CXXX.

Ingrediare viam cœlo licet uſque ſereno,
Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas.

Penula ſcortea utuntur ii qui ſolenne habent viſere edem D. Jacobi Galeci, vel voti vel nummi cauſa: *rodes* vocamus. Utuntur & pegaſarii curſores, qui a Gallia Lugdunenſi, quinto aut ſexto demum die Romam advolant, ſubinde per ſtationes mutatis equis, Græci penulam *φαινόλην* vocant. Paulus *ad Timotheum* ſecunda, *τὸν φαινόλην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρῳάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε*. Id eſt, *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, quum venies, apporta*. Hieronymus in tertio *adverſus Pelagium* dialogo, vertit lacernam ſive penulam, ut inquit Eraſmus in *Annotationibus*: quod cum Gallio convenit, qui ut fere eadem, poſuit lacernam & penulam, ut diximus. Athenæus in tertio, *παῖ λευκὲ δός μοι ἄχρηστον φαινόλην*. Hoc eſt, *Puer candide da mihi inutilem penulam*. Nos vocabuli Græci veſtigia

C ſervamus. *μανδύην* Græci, nos *manteau* dicimus. Pollux in ſeptimo, *ἡ δὲ μανδύη, ὅμοιόν τι τῷ καλουμένῳ φαινόλῃ* Id eſt *Mandya vero ſimile quiddam habet cum ea quæ penula vocatur*. Quod vero Lampridius ſcribit, Alexandrum ſenioribus permiſiſſe, ut intra urbem penulis uterentur, quis forſitan mirabitur, quum orandis cauſis, penula munitos fuiſſe conſtet ipſos etiam oratores, ex Tacito in *Oratorum dialogo*, his verbis: *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe penulas iſtas, quibus aſtricti & veluti incluſi, cum jud cibus fabulamur?* Hactenus Tacitus. Namque ii ſub quorum

D perſona differit Tacitus, ante Alexandrum Imperatorem fato functi ſunt, quin & Tacitus ipſe, ut mihi quidem videtur. Quare in tanta non ſolum rerum ſed etiam authorum diverſitate, eorumque probatiſſimorum, nihil plane decernere auſim. Quæram vero omnia, dubitans plerunque, & mihi ipſe diffidens. Tantum hoc dico, rem ipſam veſtiariam variis temporibus haud prorſus eandem rationem retinere potuiſſe. Penula gauſapina erat crebra & villoſa, qua hyberno tempore & frigido uterentur. Martialis lib. XIV. ep. CXLV.

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta,
Ut me vel media ſumere meſſe velis.

E Quidam his verſiculis putaverunt penulam gauſapinam inter theriſtra, id eſt, æſtiva veſtimenta, annumerari. Verum, ni fallor, falluntur. Senſus enim Martialis eſt, Penulæ dicit talem ineſſe candorem, tantam ineſſe villorum gratiam, ut etiam ſi hyberno uſui ſit adſcripta, tamen quis penulæ ſpecie captus, eam vel media ſumere meſſe velit. Uſque adeone judicio caruere Martialis interpretes? & ille *κέρας ἀμαλθείας* inſcriptus, de quo lactis hauſtum gallinacei ſperare poſſis?

F

CAP. XVIII.

VELUTI STOLÆ) Vides ut Jureconſultus ſtolam annumerat inter ea veſtimenta, quibus vir ſine reprehenſione uti non poteſt: licet aliter obſervetur a Græcis, & Latinorum antiquiſſimis ut diximus in principio hujus opuſculi. Poſtea vero ad matronarum veſtem hoc vocabulum tranſlatum eſt, quæ demiſſa erat ad imos uſque pedes, & cujus extremam partem ambibat inſtita aſſuta, quæ erat faſciola quædam, ſive limbus. Patrum noſtro-

rum memoria, matronæ illuſtriores inſtita utebantur, quos *goddetos* vulgo dicebant. Ovidius,

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris:
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Et alias,

Ecquid ab hac omnes rigida ſubmovimus arte,
Quas ſtola contingi ſumptaque vitta vetat?

Inde ſtolatum, matronale atque honeſtum dicimus. Martialis lib. I. ep. XXXVI.

Quis floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Quod vero inſtita dicatur & limbus, probat Virgilii verſus *Æn.* IV.

Sidoniam picto chlamydem circundata limbo.

Et Ovidius,

——— *quam limbus obibat*
Aureus: ornabant aurata monilia collum.

Sunt qui dicant, limbum muliebrem veſtimentum fuiſſe, citentque Plauti locum, *Textores, limbolarii.* quo non ſatis probatur quod volunt, etiamſi id Marcellus velle videatur. CAIPTIA) Capitium Varroni dictum quod pectus capiat, hoc eſt, comprehendat. Et eſt capitis tegmen, a capite dictum, ut opinor. Quod ſi verum eſt, in mulieribus id capitium dicemus, quod in matronis cappam appellamus, quo undatim criſpo utuntur Pariſinæ. Omiſeram dicere veſtem aliquando poni pro panno, ut apud Marcum Tullium veſtis Melitenſis, quæ fiebat Melitæ, quæ eſt inſula ſatis lato ab Sicilia mari periculoſoque disjuncta, in qua eſt eodem nomine oppidum, quo iſte Verres, inquit Tullius, nunquam acceſſit: quod tamen oppidum iſti in textrinam ad muliebrem veſtem conficiendam fuit. Idem libro IV. *in Verrem*: *Sed tantumne Melitenſium, quaſi etiam amicorum uxores: tantum lectorum, quaſi etiam omnium iſtorum villas ornaturus eſſes?*

CAP. XVIII.

ZONÆ) Hic Jureconſultus inter muliebria abnumerat, Martialis lib. XIV. ep. CLI.

Longa ſatis nunc ſum: dulci ſed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.

Zona quoque erat virorum, in qua ſolebant deferre nummos. Inde præceptum illud Domini apud Matthæum; *Ne poſſideatis aurum, neque argentum, neque æs in zonis veſtris.* Extat Gracchi dictum in oratione quam ad populum in concione habuit: *Itaque Quirites, quum Roma profectus, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Alii vini amphoras, & plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportarunt. Plutar. in *Tiberio*, pro zona βαλάντιον vertit, his verbis: μόνος δὲ τῶν στρατευσαμένων πλῆρες τὸ βαλάντιον εἰσενηνοχὼς, κενὸν ἐξενηνοχέναι. Etiamſi idem Plutarchus alias his verbis utatur, in *Lucullo* ſcilicet: οἱ δ' ἄγοντες αἰσθόμενοι πεντακοσίους χρυσοῦς ὑπεζωσμένον, ἀπέκτειναν. *Quum ſenſiſſent qui eum ducebant, aureis quingentis ſuccinctum, interfecerunt.* Illud vero non omittendum quod ſcripſit Athenæus in primo, reges Perſarum & Ægyptios dare ſolitos reditum tributorum Alexandriæ civitatis uxoribus ſuis in zonas. Tullius: *Solere ajunt barbaros reges Perſarum ac Syrorum, plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere, hoc modo, Hæc civitas mulieri redimicula præbeat, hæc in collum, hæc in crines.* Socrates quoque apud Platonem in *Alcibiade* priore ait: ἐπεί ποτ' ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρὸς ἀξιοπίστου τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθὴν, ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδὸν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός· εἶναι δὲ καὶ ἄλλην, ἣν αὖ καλεῖσθαι καλύπτραν, καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς, εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν τῆς γυναικὸς, καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων. Nam ex viro fide digno quondam audivi, qui ad regem in Aſiam adivit, qui diceret regionem ſe præteriiſſe amplam admodum & uberem, unius fere diei iter, quam incolæ *zonam reginæ* nominant: eſſe autem & aliam quam rurſum vocant *calyptram*: alia præterea multa loca pulchra & fertilia mundo uxoris regis deſtinata, & ea ſortita nomina a muliebri ornamento. Porro autem latis zonis utebantur & mulieres apud Illyrios, quæ præcingunt ventrem latis zonis quando bibunt, & hunc primum mediocriter præſtringunt: quum vero acrius bibunt, magis ſemper cogunt comprimuntque zonam. Verba Athenæi ſubſcriberem, quem laudo authorem, ni verear lecturis ſtomachum facere. Erat & cinctus & cingulum a cingendo, ut inquit Varro, alterum viris, alterum mulieribus attributum: a quo & Cinctura dicitur. Tranquillus in *Cæſare* dictatore cap. XIV. *Uſum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde emanaſſe Syllæ dictum, optimates ſæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent.* De baltheo dubitari poteſt, an veſtimentorum appellatione veniat: & magis eſt ut armorum nomine comprehendatur: quandoquidem baltheum Varro inter arma adſcripſit, dictum quaſi bullarum cingulum. Tacitus quoque *Hiſt.* lib. I. recenſet inter armorum ornamenta, in hæc verba: *Manipuli quoque, & gregarius miles, viatica ſua, & baltheos, phalera ſque, inſignia armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant.* Græci ζωστῆρα appellant. Plutarchus in *Camillo*: ἀποδυσάμενος τὴν μάχαιραν, ἅμα καὶ τὸν ζωστῆρα προσέθηκε τοῖς σταθμοῖς. Hoc eſt, *Gladium una cum baltheo exutum, lancibus appoſuit.*

CAP. XIX.

MITRÆ) Mitra utebantur matronæ. Varro *de lingua Latina*, Mitra & reliqua fere in capite poſtea addita cum vocabulis Græcis. Utebantur & rete, hoc eſt, faſciola qua capillus in capite colligaretur. Erat autem reticulum quod capillum contineret: nos *coefiam* vocamus. Capital quoque a capite dictum, quod ſacerdotulæ, inquit Varro, in capite nunc ſolent habere. Sic rica a ritu, quod Romano ritu ſacrificium fœminæ quum faciunt, capita velant.

CAP. XX.

PILEUS, quod & Pilea dicitur in plurali, ut quidam putant, vel quod ex pilis fieri ſoleret, vel quod pilos capitis tegeret. Græci τὸ πιλίον. Plutarchus in *M. Catone*: τὸ πιλίον ἐκεῖ καὶ τὴν ζώνην ἐπιλελησμένον. Et capitis tegmen fuiſſe patet ex Martiale lib. XIV. ep. CXXXII.

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Et eod. lib. epigr. I.

Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Jovem.

πιλίδιον etiam dicitur a Demoſthene περὶ τῆς παραπρεσβείας: Κἂν πιλίδιον λαβὼν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, περινοστῇς, καὶ ἐμοὶ λοιδορῇ. Mos fuit Romanis, ut eorum ſervi libertatem aſſecuti, pileum capite tonſo geſtarent. Plautus:

Ut ego hodie raſo capite calvus accipiam pileum.

Plut. in *Tito*: οἱ γὰρ ἄνδρες οὗτοι, καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς οἰκέταις ὅταν ἐλευθερῶσι, ξύρεσθαί τε τὰς κεφαλὰς καὶ πιλία φορεῖν, ταῦτα δράσαντες αὐτοὶ θριαμβεύοντι παρείποντο. Hoc eſt, *Viri enim illi (qui mos ſervorum eſt quum libertate donantur) raſis capitibus pileati in triumpho Titum comitabantur.* Hactenus Plutar[illegible]

A *Servi quoque quum pileati vænibant, eorum nomine venditor nihil præstabat, ut Cælius Sabinus scriptum reliquit. Cujus rei causam esse ait, quod ejusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendundo deberent, ut emptores errare & capi non possent: neque lex vendundi operienda esset, sed oculis jam perciperent, quodnam esset mancipiorum genus.* Hæc Gellius *Noctium Att.* lib. VII. cap. V. Tiara erat capitis tegmen regum Orientis. Ovidius in IX. *Metam.* de Mida rege,

Tempora purpureis tentat velare tiaris.

B Plutarchus inter Medicam stolam adnumerat in *Antonio*, qui in publicum filios produxit, ἀλέξανδρον μὲν ἐν ἐσθῆτι μηδικῇ, τιάραν καὶ κίταριν ὀρθὴν ἔχοντα. Hoc est, *Alexandrum Medica veste, tiaram & citarin rectam habente.* Hieron. *ad Fabiolam*: *Quartum genus est vestimenti rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa, ut pars altera ponatur in capite.* Hoc Græci & nostri tiaram, nonnulli galerum vocant. Plutarchus in *Artoxerxe*: ἀποπίπτει δὲ τῆς κεφαλῆς ἡ τιάρα τοῦ κύρου. Hoc est, *Decidit a capite tiara Cyri.* Quo in loco pro galea accipi videtur. Hesychius enim ait, quandoque esse περικράνιον, quod antiqui dicebant veluti σέμμα. author Pollux. Κίταρις, quam nonnulli cidarim vocant, Persarum quoque regum insigne erat, si

C recta gestaretur. Plutar. in *Artoxerxe*: ἀνέδειξε τὸν δαρεῖον βασιλέα πεντηκοστὸν ἔτος γεγονότα, καὶ τὴν καλουμένην κίταριν ὀρθὴν φέρειν ἔδωκε. Id est, *Designavit Darium regem quinquaginta annos natum, permisitque ut eam quæ citaris appellatur, rectam gestaret.* Cidaris quoque capitis ornamentum regum Armeniæ, quod & diadema appellatur. Plutarchus in *Lucullo*: Τιγράνης δ' αὐτὸς ἑαυτὸν γυμνὸν καὶ ἄνοπλον φέρων ὑπέρριψε πομπηΐῳ, καὶ τὸ διάδημα τῆς κεφαλῆς ἀφελόμενος ἔθηκε πρὸ τῶν ποδῶν. Hoc est, *Ipse vero Tigranes nudus & inermis ante Pompejum procidit, sublatumque a capite diadema ante pedes posuit.*

D Quod hic diadema dixit Plutarchus, citarim in *Pompejo* appellat his verbis: καὶ τέλος ὡς πρὸς αὐτὸν ἦλθε τὸν πομπήϊον, ἀφελόμενος τὴν κίταριν, ὥρμησε πρὸ τῶν ποδῶν θεῖναι. Hoc est, *Postremo ut ad ipsum Pompejum venit, sublato e capite citari, ante pedes collocare pergit.* Vides ut quum de eodem Pompejo & Tigrane eadem referat, quod in *Lucullo* diadema dixerit, in *Pompejo* citarim vocet. Quare puto utrunque simul junctum, insigne regium esse, ut de tiara & citari recta diximus ex Plutarcho in *Antonio*. Quin Suidas & Hesychius citarim & tiaram eadem existimasse quosdam scripserunt. Cidaris vero, ut ait Pollux, appellatur & cyrbasia

E & pileus: τὴν δὲ κυρβασίαν, καὶ κίδαριν, καὶ πῖλον καλοῦσι. Ludovicus Cælius in *antiquis suis lectionibus* legit, *Anaxyris*, quam & cyrbasiam dicunt: falsus corrupti exemplaris errore. legendum enim in Polluce: τὴν δὲ, non τὴν καὶ. Salii, authore Dionysio, tunicas versicolores æneis succincti baltheis, togasque annectentes fibulis circunductis purpura, subtegmine puniceo, quas trabeas vocant. Est enim gentilis ea vestis, Romanis valde honorifica, & quos apices vocant, capitibus imponentes pileos altos, in speciem coni eductos, quas

F Græci κυρβασίας appellant. Diadema, ornamentum capitis regum insigne. Tacitus *Ann.* l. VI. c. XLIII. *Surena patrio more Tiridatem insigni regio evinxit.* Paulo post subdit: *Delectum capiendo diademati diem hunc concelebraverant.* Surenæ enim gentilibus jus erat, novo regi primum diadema ponere, ut palam fit ex Plutarcho in *Crasso*, in hæc verba κατὰ γένος μὲν ὢν ἐξ ἀρχῆς ἐκέκτητο βασιλεῖ γενομένῳ πάρθων, ἐπιτιθέναι τὸ διάδημα πρῶτος. Reginæ quoque eo insigni ornabantur, ut docet Plutarchus in *Lucullo*, de Monima Milesia altera Xerxis uxore, cujus magna fama & honor apud Græcos: ὅτι τοῦ βασιλέως πειρῶντος αὐτῆς, καὶ μυρίους πεντακισχιλίους χρυσοῦς προπέμψαντος, ἀντέσχε, μέχρις οὗ γάμων ἐγένοντο συνθῆκαι, καὶ διάδημα πέμψας αὐτῇ, βασίλισσαν ἀνηγόρευσε. Hoc est, *Quod regi ipsam attentanti, præmissisque quindecim aureorum millibus evocanti non paruerit, donec de matrimonio conventum fuerit, missoque diademate reginam salutarit.* Aureum pro centum solidis nostris accipe, ut docuit Budæus ex Tranquillo, & Plutarcho & Tacito. Erat autem diadema, fascia quædam qua caput circunligabant: unde illa, cujus modo mentionem fecimus, Monima, quum a capite diadema abstraxisset, collo aptavit, seque suspendit: περισπάσασα τῆς κεφαλῆς τὸ διάδημα, τῷ τραχήλῳ περιῆψε, καὶ ἀνήρτησεν ἑαυτήν. Et quum corporis gravitate laqueus ille confractus esset, *O execrandum*, inquit, *diadema: neque in tam tristi mihi ministerio profuisti.* A diademate, Metellorum unus dictus diadematus, ut inquit Plutarchus in *Coriolano*: ὅτι πολὺν χρόνον ἕλκος ἔχων, περιενόστει περιδεδεμένος τὸ μέτωπον. *Quod multo tempore circumvagabatur, frontem redimitus.* Quare quidam non indocti apud Plinium VII. *diadematis* legunt, his verbis: *Et hoc dicebat jam Balearicis & Creticis, & diadematis, jam Macedonius ipse.* Etiamsi nonnulli putent legendum, non *diadematis*, sed *Numidicis* ex Plutarcho in *Lucullo*, in ipso statim principio, quum ait, Avunculum Luculli fuisse Metellum eum, qui *Numidicus* est cognominatus. Vitta tegimen capitis matronarum. Tibullus:

Sit modo casta doce: quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Erat quoque Vestalium, qua cum plaga utuntur eæ quæ perpetuam virginitatem deo voverunt, unicum dei filium sponsum agnoscentes. Erat autem plaga, grande tegimen lineum, qua hodie mulieres Romanæ utuntur: cujus diminutivum est plagula, cujus meminit Ulpianus hic. Calanticæ etiam meminit Ulpianus in seq. & erat tegmen muliebre capitis. Cicero: *Tune quum vincirentur pedes fasciis, quum calanticam capiti accommodares?* κυνῆ pileus erat Lacedæmoniorum. Strabo in sexto, ubi de origine Taranti loquitur: συνέκειτο μὲν, inquit, τοῖς ὑακινθίοις ἐν τῷ ἀμυκλαίῳ συντελουμένου τοῦ ἀγῶνος, ἡνίκα τὴν κυνῆν περιθῆται ὁ φάλανθος, ποιεῖσθαι τὴν ἐπίθεσιν. Loquitur de insidiis, quas Lacedæmoniorum Helotes, id est, mancipia, vocati & Partheniæ, popularibus struxerant. *Convenerat*, inquit, *cum Hyacinthinis, ut insultus initium fieret in populares, quando habita in Amyclæo ludorum celebritate, Phalanthus capiti cynam imponeret.* Cynam paulo post idem author, ut opinor, ex Ephoro, pileum Laconicum appellat, licet aliter rem ipsam narret. Cynæ quoque meminit Athenæus lib. XIV. τοῖς δὲ εἵλωσι πᾶν ὑβριστικὸν ἔργον ἐπιτάττουσι πρὸς πᾶσαν ἄγον ἀτιμίαν. κυνῆν τε γὰρ ἕκαστον φορεῖν ἐπανάγκες. Helotibus autem opus omne injuriosum & ignominiosum imperabant. cogebatur enim quisque ferre cynam. Hesychius vero ait petasum esse pileum Arcadicum quibus verbis palam fit, petasum fuisse tegmen capitis: unde *petasati* dicti. Tranquillus in *Augusto* cap. LXXXII. *Domi quoque non nisi petasatus sub dio spatiabatur*, hoc est, velatos capite. Athenæus in V. ἐπὶ δὲ πάντων τούτων ἀνεβεβήκει παιδάρια χιτῶνας ἔχοντα ἡνιοχικὰς, καὶ πετάσους. *In his autem omnibus ibant puelli tunicas rhedariorum habentes & petasos.* Et in XII. ubi de Alexandro: ἐν δὲ τῇ συνουσίᾳ τά τε πέδιλα καὶ τὸν πέτασον, *In convivio vero calceos & petasum.* Marcus Tullianus in epist. *ad Cassium*: *Sed petasati veniunt, comites ad portas expectare dicunt.* Causia etiam capitis erat, quæ purpureæ dabantur a regibus Macedonum, ut diximus. Erat enim Macedonum causia. καυσία πῖλος

μακεδονικὸς παρὰ μενάνδρῳ, Causia apud Menandrum pilous est Macedonicus, ait Pollux in decimo. & tiara, candys, & ἀναξυρίδες, Medorum & Persarum. Erat autem candys tunica, quæ regis erat haliporphyros, aliorum vero purpurea, ut ait Pollux. Atqui Alexander Magnus, uti ferunt, anaxyridas, candyn tiaramque semper repudiavit. Erant autem anaxyrides, feminalia, seu brachæ, ut inquit Suidas, Hesychius, & etiam, ut audio, Eustathius in Homerum *Iliados* secundo. Quod & Strabo dixisse videtur, quum ait in quarto, ubi de cultu Gallorum: σαγοφοροῦσι δὲ καὶ κομοτροφοῦσι, καὶ ἀναξυρίσι χρῶνται περιτεταμέναις. Hoc est, *Sagis utuntur, & comam nutriunt, oblongisque feminalibus*: quas unico vocabulo brachas dicere possumus. Idem Strabo author est ἀναξυρίδας Persarum quoque fuisse, his verbis: ἐσθὴς δὲ τοῖς ἡγεμόσι μὲν ἀναξυρὶς τριπλῆ, χιτὼν δὲ χειριδωτὸς τριπλοῦς, ἕως γόνατος· ὁ ὑπενδύτης μὲν λευκὸς, ἀνθινὸς δὲ ὁ ἐπάνω. ἱμάτιον θέρους μὲν πορφυροῦν ἢ ἀνθινὸν, χειμῶνος δ' ἀνθινόν. τιάραι παραπλήσιαι ταῖς τῶν μάγων, ὑπόδημα κοῖλον, διπλοῦν. τοῖς δὲ πολλοῖς χιτὼν ἕως μεσοκνημίου, καὶ διπλοῦς. ῥάκος δὲ σινδόνιόν τι περὶ τῇ κεφαλῇ. Hoc est, *Persarum principes vestis vice uti bracha tripla duplaque, & manicata tunica ad genua usque promissa: cujus suffultura utique candida, exterior vero pars picta. Eorum pallium æstate purpureum vel varium, hyeme vero pictum: tiaræ haud absimiles eis quas Magi gestant: calciamentum cavum ac duplum. vulgus autem tunicam ad mediam usque tibiam gestant, eamque duplam: fascia vero sindonica caput evinciunt*. Erant autem brachæ Gallorum transalpinorum, Britonumque. Martialis lib. XI. ep. XXI.

Quod veteres brachæ Britonis pauperis.

Quibus & pudenda tegebantur. Juvenalis sat. II.

Mittentur brachæ, cultelli, frena, flagellum.

Tacitus *Hist.* lib. II. cap. XX. *Ornatum ipsius municipia & coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo, brachas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur*. Plutarchus in *Othone*: ἐκεῖνον δὲ κεκίνας, οὔτε σχῆμα δημοτικὸς, ἀλλ' ἐπαχθὴς καὶ ἀλλοκότου σώματος μεγάλου, γαλατικῶς ἀναξυρίσι καὶ χειρίσιν ἐνεσκευασμένος. Quibus verbis eadem fere quæ apud Tacitum, retulisse videtur Plutarchus. Unde brachati dicti Narbonenses, ut ait Plinius. Juven. in octava:

Ut brachatorum pueri, Senonumque minores.

Nunc vero etiam brachatis & transalpinis nationibus. Scitum est illud Tranquilli in *J. Cæsare* cap. LXXX.

Gallos Cæsar in triumphum ducit: Iidem in curia
Galli brachas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

De brachis etiam, ut opinor, dictum proverbialiter, ut de re insolita, ἀμαθὴς ἀναξυρίδα περιθέμενος, πᾶσι ταύτην ἐνδεικνύει. Hoc est, *Imperitus bracham indutus, omnibus eam ostentat*. Neque vero puto ἀναξυρίδα subligaculum fuisse, quod tantum, ut opinor, pudendorum velamen erat: neque femora contegebat, ut brachæ & ἀναξυρίδες, quæ & ob id feminalia dicuntur a probatissimis authoribus. Diodorus in quinto; ἐσθῆσι δὲ χρῶνται καταπληκτικαῖς. χιτῶνας μὲν βαπτοὺς χρώμασι παντοδαποῖς διηνθισμένους, καὶ ἃς ἀναξυρίδας ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. Subligaculi vero meminit Tullius *Officiorum* primo: *Scenicorum quidem mos tantam habuit a vetere disciplina verecundiam, ut in scena sine subligaculo prodeat nemo*. Græci περίζωμα vocant. Plutarchus in *Romulo*; ἐν περιζώματι γυμνοὶ διαθέουσι. Et Athenæus, ni fallor, διαζώσφας appellat in XIV. καὶ αἱ θετταλαὶ αὐταὶ ὀρχηστρίδες, καθάπερ αὐταῖς ἔθος ἐστὶν, ἐν τοῖς διαζώσφαις γυμναὶ ὠρχοῦντο, *Etiam Thessalæ ipsæ saltatrices, ut eis mos est, in diazosphis nudæ saltabant*. quod dictum fortassis est ἀπὸ τῆς ὀσφύος. Quare quod scriptum est in epistola Pauli *ad Ephesios* cap. VI. v. 14. στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, verti potius debuit, *Succincti subligaculo*, vel *succincti*, simpliciter, quam *baltheo*. Nihil enim commune lumbis cum baltheo. Nec te moveat, quod doctissimos movisse videtur; quod scilicet supra mentionem fecit πανοπλίας. Post hæc enim subdit de calciamentis, quæ nec armorum appellatione veniunt, nec vestimentorum, si Jureconsultis credimus.

CAP. XIX.

ARISTO *etiam coactilia vesti cedere ait.*) *Coactilia*, inquit Ægnatius, *Jureconsultis dici videntur pelles, seu lora, quibus involvuntur alliganturve vestimenta, quæ omnia instrumenti viatorii sunt*. Hactenus Ægnatius. Quibus verbis videtur id significari, quod Græci φάσκωλον dicunt: Itali *valize*, nos vero *malle*. Ego antequam hæc Ægnatii verba legissem, aliter sentiebam. siquidem memineram me legisse apud Plinium in octavo, *Lanæ & per se coactæ vestem faciunt*. unde coactilia dicta putabam ea quæ vulgo *feltra* appellamus. Nunc vero tanti viri authoritate permotus subsisto. Cæsar libro tertio *de bello civili*: *Atque omnes fere milites aut ex subcoactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas ac tegmenta fecerant quibus tela vitarent*. Quod si verum tibi lector videbitur, quod nos ante vulgata Ægnatii scholia opinati sumus, ausim & ego opinari bis ad eundem lapidem Ægnatium offendisse. Neque enim pertinaciter in *Pertinace* Capitolini legendum, *tabernam coactiliariam*, ut censet Ægnatius: sed *coctilitiam* potius, id est, eam in qua coquebantur ligna, ne fumum facerent: quorum meminit Ulpianus in l. *Ligni appellatio*, *supra de leg. tertio*, & *de verb. sig.* his verbis: *Sed & titiones, & alia ligna cocta, ne fumum faciant*. Quæ etiam a Martiale ligna *acapna* dicuntur, quæ & forsitan coctilia dicuntur a Trebellio Pollione in *D. Claudio* cap. XIV. in hæc verba: *Ligni quotidiani pondo mille, si est copia: sin minus, quantum fuerit, & coctilium quotidiana batilla quatuor*. Quæ Julius Pollux in decimo ξύλα καύσιμα appellat. Quod vero apud Plinium in octavo, post verba supra scripta, in vulgatis codicibus legitur, *Indumenti usum veniunt*: legendum, *In tomenti usum væneunt*. Cujus loci me admonuit (volo enim suæ cuique industriæ honos reddatur) Christophorus Longolius, vir mecum iisdem Græcarum literarum studiis, veluti sacris, initiatus, eoque nomine mihi amicissimus. Ille enim unus in causa fuit, uti posthabitis rabularum altercationibus, quibus audiendis in suprema Parisiorum curia tempus tereremus, Romam una cum eo ad capiendum ingenii cultum concederem: cujus immaturo interitu Romanæ Græcæque literæ damnum non mediocre fecerunt: cujusque singularem tum doctrinam tum virtutem admirati Romani, eum non petentem civitate donarunt. Laboris enim improbitate, ingeniique fœlicitate eo gradum fecerat, unde, si porro fatorum clementia vitæ diem prorogante adnisus fuisset, pervenire ad summa, & doctissimo cuique in utriusque linguæ facultate æquari potuisset: Latine quidem loquendo nescio an habuisset parem neminem. Quod si quis meum hac in re testimonium elevet, ut hominis Longolii amicissimi, Germani Brixii carmen legat, viri utriusque linguæ studiosissimi, tum vero poetæ fœlicissimi:

Longolio vix dum digreſſo matris ab alvo
Dixerat Aonidum nomine Mercurius,
Creſce infans, tibi ab ingenii linguæque diſertæ
Dotibus, olim ingens, me duce, fama aderit.
Quam primis poſtquam ſibi conciliaſſet in annis
Longolius, fuſo nocte dieque oleo:
Tum deus eloquii veritus, ſi debita fati
Ordine vixiſſet tempora Longolius,
Ne ſibi præriperet linguæ decus: invidus illum
Contactum virga ſuſtulit ante diem.

A

Εἰς τὸν αὐτὸν, τῦ αὐτῦ.

Κείμενος ἐν μυσῶν κόλποις ἀντlώορος ἐντὸς
Τείχυς, λογγόλιον μοῖρ' ὀλοὴ δάμασεν.
Τῷ ῥα ἑῆς πόλιος ςέφανον δωρήσατο ῥώμη,
Ἀςείῳ γέραϊ ξεῖνον ἀμειβομένη,
Εἵνεκα τῶντε λόγων, καὶ λέξιος εἵνεκα κομψῆς,
Εἵνεκα τῆς διδαχῆς, εἵνεκα τῶν χαρίτων.
Δύσμορε λογγόλιος, φατὸν ὥς, θάνες ἐν νεότυτι,
Καίπερ ἐὼν ζωῆς ἄξιος ἀθανάτυ.

Hæc Lazarus Bayſius commentabatur, emendaturus immutaturuſque, ſiquid ſit quod a varietate judiciorum deſideretur.



OCTAVII FERRARII

DE

RE VESTIARIA

LIBRI SEPTEM.

Quatuor poſtremi nunc primum prodeunt: reliqui emendatiores, & auctiores.

Adjectis iconibus, quibus res tota oculis ſubjicitur.

ÆTERNÆ VENETORUM REIPUBLICÆ

OCTAVIUS FERARIUS F.



POPULUS Romanus Quiritium eodem tempore & rerum dominus & togatus esse desiit. Nam postquam fatorum invidia, terrarum, ac maris, nunquam satis libertatis potens, unius parum viri impotentiæ, ac libidini Orbis Imperium, seque, ac fortunas autoravit, pristinum quoque cultum mutavit, bmulque libertatem exuit, & togam: & quod olim non nisi in luctu publico, Urbisque periculo usurpabatur, perpetuo ad saga transit. Quasi eos, qui sponte servitium induerant, ipsius fortunæ rubore in veste ingenuorum conspici puderet. Itaque ex eadem domo rei Romanæ excidio natus adolescens, postquam annona, & donis morientis libertatis reliquias profligasset, ut ejus aliquod inane solatium relinqueret, frustra togarum usum reducere conatus est: nam sero sapiens Martius populus non diu ludibrium illud tulit, & fortunæ suæ intelligens cum servili schema deinceps processit. Ita nullus scriptoribus eorum temporum querendi locus erat, quod cum togæ in desuetudinem abiissent, sublatum omne esset inter ingenuos, atque servos in vestitu discrimen: nam quid eo opus erat,cum omnes privatim aut publice servitutem servirent?

Quanto admirabilior publica res vestra, Principes semper Italiæ Viri, quæ sicut singulari omnium seculorum exemplo int actam per omne ævum libertatem, serviente Orbe servavit: ita eodem vestitu, quam gravi, ac majestatis pleno, tam simplici, & virili pacis, atque ingenuitatis argumento perpetuo usa est. Et cum Latium omne in barbarum, aut hostilem cultum degeneraverit, ac togati quondam populi braccis adstricti, aut sagulis inclusi, certe in re populi placida altius cincti, quos oderunt imitentur: contra magna pars deliciis fracti adeo a gestanda lorica degeneraverint, ut cum sericum oneri sit, cultus vix nuribus decoros sumat, totque novis vestium nominibus fœdati in publico pelluceant; Veneta gravitas prisca morum, atque amictus sanctimonia ad hanc diem egit, ac Majorum cultum per tot secula nulla aut peregrinitate infecit, aut luxu blandiente corrupit.

Et quamvis Romanæ togæ pondus, ac redundantiam, morosamque rugarum contabulationem aspernata sit panno etiam æstivis incommodis velata modestia: decoro tamen fluente ad pedes amictu, non colorem superbia, aut cretæ ambitu notabili, sed maxime civili gaudens omne luxus certamen submovet, quo maxima olim Imperia pessum iere. Ita quamvis sua magistratibus insignia apud vos sint, murexque, & violæ color palmatas vestras, ac triumphales illuminet, reliqua promiscuo amictu agitis, similemque caveæ orchestram, & circumdatam sapienti pallio Imperii majestatem miraretur hospes, nisi nihil admirari a vobis ipsis didicisset.

Ego

Ego Veterum veſtitum, cultumque longa deſuetudine abolitum, etiam apud ſcriptores vix ſui veſtigia retinentem, cum eruditorum oculis ſubjicere conſtituiſſem, auſus ſum id opus Sacrario veſtro ſiſtere, quod apud vos conceptum, atque editum, quodque non exiguam lucem Græcis, ac Latinis ſcriptoribus allaturum ſpes eſſet, quos veſtro accitu, atque invidiæ capaci liberalitate publice interpretabar.

Nec fortaſſe præter rem fuerit principis quondam populi, ſicut bella, opeſque, ita domeſticum cultum, ac paratum propius inſpici, reputantibus quam modicus initio fuerit, atque ipſi naturæ, gentiſque primordiis par, mox luxu victus ſit: donec eo ventum, ut idem corruptus, ac corruptor, moribus, ipſique demum Imperio labem attulerit. Quo magis ſeculo, veſtroque nomini gratulari libet, apud quos cum ex æquo vivat Imperium, amictus ſimplicitas cum morum ſanctitate contendit, imo abſtinentiæ index, ac cuſtos eſt, potens humanum genus emendare, ſicut Venetæ manſuetudinis beneficio Imperio ſubjecta, exemplo, cuncta terrarum refoventur. Valete, bene rem gerite, Vincite
Virtute vera, quod feciſtis antehac.

Patavii in veſtro Athenæo Calend. Decembris Anno CIↃ. IↃC. XLII.

OCTAVIUS FERRARIUS

LECTORI SUO S.



SI majorum gentium Critici, atque harum literarum principes Lipſius, Caſaubonus, Salmaſius fidem ſuam aliquando liberaſſent, & quem toties polliciti fuerant Commentarium *De Re Veſtiaria* non invidiſſent, ſuperſediſſem ipſe labore hoc, atque aliud interim promiſiſſem. Sed quoniam beati illi ante fatis, quam ſtudioſorum voto debitum perſolverunt, quæ diu in hanc rem commentatus ſum non ultra ſupprimere conſtitui, & pro viribus poſteritati conſulere.

Res ea quidem, ſi quæ alia in tota vetuſtate, ut maxime utilis, & jucunda, ita ardua in primis, atque obſcura, nondumque ſatis viris doctiſſimis explicata. Nam quæ ad hunc diem hoc argumento prodiere hiantes deludunt, cumque auctores multum æſtuarint, grandia minati pro Romanis barbaros, ac peregrinos habitus obtrudunt. Lazari Bayfii conatus laudandus eſt, qui tamen ſi nihil aliud ſtatuam nobis pro togata palliatam dedit, traxitque in eundem errorem non paucos vix excuſandos, cum in veteribus nummis, ac lapidibus tot togatæ appareant. Sigonius totus in hoc ſui diſſimilis eſt, credo diſſentiendi ſtudio, & ne fieret acceſſio alterius.

Primus nugari deſit junior Manutius, quem maluerunt recentiores tranſcribere, quam laudare, non multum ſolliciti, ne quis manum injiciat, cum pridem doctorum monumenta juventutis manibus incuria, ac torpor excuſſerit: dum nova ſectamur Veterum incurioſi; jamque idem fatum Manutii ſcripta premit, quod Beroaldis, Politianis,

Domitiis, Vallisque, & reliquis nocuit, qui harum litterarum instauratores Italum nomen ultra Sauromatas porrexerunt; quorum luminibus non tam offecit posterior cura, quam alienos fœtus sibi supponendi mala libido, quibus ubi miram verborum volubilitatem non sine lolligine,& repetitas ad fastidium scriptorum sententias addidere pro suis venditant, atque ambitiosa commentariorum mole scriptores prægravant, lectores absterrent, iisque miraculo sunt, qui libros oculis metiuntur, titulorum periti, quique bibliothecas in ostentationem luxus exornant.

Neque hæc obtrectandi causa dicta velim, sed ut ipse quoque evincerer, quoties culpæ hujus affinis forem. Cæterum Manutium non semel in hoc opere præluxisse initio profiteor, & cum res poposcerit indicabo, nec alium quemquam honore suo fraudare animus est, per quem proficere licuerit. Neque etiam mihi tantum defero, ut magnis nominibus inseri velim, hisque optionem dari: sed id modo, ut quod illi vel altioribus curis districti omiserunt, vel fato intercepti ad exitum perducere nequivere, supplerem ipse, qui sicut non tantum ingenii, at fortasse non minorem curam, certe juvandi litteras studium non impar domo attulissem. Quantum porro illud sit Lector incorruptus judicabit, & quidem minores sincerius. Nobis Hercules! iidem fontes, unde illi arva Musarum irrigarunt, patuere, & quidem pronius, ad quos illi digitum intenderant.

Quid porro hoc argumento præstiterint, qui adhuc vitales auras carpunt, seque ac seculum exornare pergunt, in ipso opere apparebit. Neque ægre laturos summos viros existimo, quod sæpe ab iis modeste dissentiam. Quam sibi veniam in aliis refellendis concedi illi postularunt, haud mihi degenatum iri certus sum. Cæterum nisi ingentia in me merita essent Francisci Putei Venetorum patronorum disertissimi, cujus domus perpetuum Musarum hospitium est, ac commune Prytaneum, hoc illi nomine plurimum deberem, quod non pauca Romani cultus monumenta nondum vetustatis injuria victa transmiserit, quo res ipsa sub aspectum caderet.

Hæc erant, quæ præfari necesse fuit, reliqua scriptorum solemnia, leniendo livori, aut fascino depellendo ne tangam quidem. Ambitiosi simul est, & meticulosi ægros oculos, ac municipalem rubiginem expectare, aut reformidare. Nimis præclare mecum actum crederem, si hæc invidia digna viderentur.

Vive, vale; Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

ULPIANUS D.

DE AURO ET ARGENTO LEGATO.



Estimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, incubandive causa parata sunt: Et quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt institæ, picturæ, clavique, qui vestibus insuuntur. Vestimenta omnia aut virilia sunt, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiarica. Virilia sunt quæ ipsius patrisfamiliæ causa parata sunt, veluti togæ, tunicæ, palliola, vestimenta stragula, amphitapa, & saga, reliquaque similia. Puerilia sunt quæ ad nullum alium usum pertinent nisi puerilem, veluti togæ prætextæ, aliculæ chlamydes, pallia quæ filiis nostris comparamus. Muliebria sunt, quæ matrisfamiliæ causa sunt comparata, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione, veluti stolæ, pallæ, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi, quam ornandi causa sunt comparata, plagulæ, pænulæ. Communia sunt, quibus promiscue utitur mulier cum viro: velut si ejusmodi pænula palliumve est, & reliqua hujusmodi, quibus sine reprehensione vel vir, vel uxor, utatur. Familiarica sunt, quæ ad familiam vestiendam comparata sunt: sicuti saga, tunicæ, pænulæ, lintea, vestimenta stragula, & consimilia.

ODE.

Jactura facta est tum nimium gravis
Antiquitatis quum venerabilis
Mos vestiendi temporum æstu,
Et vitio periit nepotum.

Hi facta majorum inclyta quum parum
Sint æmulati, pensaque gloriæ
Languore inerti negligentes
A studiis abiere honesti.

Hinc exulavit tam Latio toga,
Quam pallium Argis, atque simul decus
Utrinque virtutis recessit
Crimine desipientis ævi.

Mutata vestis, mutat & urbibus
Mores avitos; & ruit in nefas
Gens omne præceps, Barbarorum
Dum capit indecoros amictus.

Frugalitatis lex moderans domos
Hinc spreta; constans posthabita est fides;
Humanitatis nulla, pacisque
Innocuæ fuit inde cura.

Quin fluxit omnem luxus in angulum,
Qui civium rem distrahit artibus
Congestam anhelis, atque turpi
Desidia temerat potentes.

Obducta passim nomine gratiæ
Egerminarunt perfidia, & doli,
Et cœpit illic stare vultu
Barbara sævities superbo.

Ad arma cives mox pepulit furor
Quaqua solutus, dissidiis faces
Subdens cruentas, unde cædes,
Et trepidus metus usque crevit.

Imbellem ab annis, & tremulum patrem
Nati bipennis terruit impia;
Et sæpe pugnarunt propinqui
Sanguinis immemores amandi.

Permissa ferro sæcla malignior
Vis asperavit legibus obrutis,
Astræa, postquam exosa vulgus
Tot scelerum, alma revisit astra.

Nonne ista fraudum tempora nunc forent
Dicenda vere ferrea, ubi minas
Inter frementes cuncta ferri
Arbitrium temere occupavit?

Corrupit eheu consimilis prope
Ferrugo nostri curriculum furens
Ævi, peracri damna ferro,
Glandeve fulminea ferentis.

Occurris at tu luctifico malo
Prisci reducens ingenii typum,
Insubriæ, OCTAVI, feracis
Lux, celebre atque decus Minervæ;

Sub involucro dum modo vestium
Virtutis antiquæ invehis indolem,
Aurique purum reddis ævum,
Quo probitas generosa fulsit,

Scriptis inauras auriflluis tuis
Orbem, atque pulchris divitiis beas,
Quas non habet Pactolus æque,
Nec Tagus Hesperiis in undis;

Ode ad Auctorem.

Tua diserta quum sapientia
Fulgere possit nil pretiosius,
Qua promis apte abstrusa rerum
Seposita peregrinitate.

Fœlix o ætas nupera vestibus
Priscis resumptis, si repetat simul
Mores decentes æquitatis,
Aurea quos coluit vetustas.

Egressus Argo cum juvenum manu
Jason decora, primus Achaica
Contemsit audacter carina
Æquoris imperium tremendi.

Claustris revulsis sæva licet cohors
Erumpat amens Æolio e specu,
Totumque conturbet profundum,
Nil timet undivagus phaselus.

Nam Graja pubes per varios sinus
Excurrit, anceps sive periculum,
Seu dura fortunæ molestæ
Indomito subiens labore.

Ausus præaltos nec potuit virum
Armata messis flectere concita,
Nec semper insomnis Draconis
Faucibus ejaculatus ignis;

Quin ferret auratam Æsonides mari
Ab usque Colchis pellem, & Apollinis
Ornatus alta fronde crines
Exuviis decoraret Argon,

Jo. Jacobi Cruceolani
Mediolanensis.

INDEX
CAPITUM.

LIBER I.

Caput Primum.

LIBER II.

Caput Primum.

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA

LIBER PRIMUS, QUI EST DE TOGA.

CAP. I.

Toga: τήβεννος: περιβόλαιον. Vestimenti genus fuisse rotundum, ac clausum.



TOGA, Romanum tegmen, ipsis Quiritibus longe vetustior scriptoribus perhibetur. Nam circummeasse a Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos auctor est Tertull. *de Pallio*: & cum Suida Artemidorus ejus originem ab Temeno Arcade deducunt, qui ad Jonii maris accolas navigans primus eo modo chlamydem induit, a quo indigenæ edocti eadem ratione habitum suum composuere, vestemque Tebennam corrupta voce a Temeno appellarunt. Verba Artemidori sunt lib. II. cap. III. prout ea viri doctissimi ad Tertullianum emendarunt: Τὰ δ' αὐτὰ καὶ ἡ Ρωμαικὴ ἐσθὴς, ἣν νῦν Τήβεννον καλοῦσιν ἀπὸ Τημένου τοῦ Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλετο τὸν τρόπον εἰσπλεύσας κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον, καὶ ὑποδεχθεὶς ὑπὸ τῶν ταύτῃ κατοικούντων, ἀφ' οὗ μαθόντες καὶ οἱ ἐγχώριοι τὸν αὐτὸν ἐσκεύασαντο τρόπον, καὶ ἐκάλουν τὴν ἐσθῆτα Τημένιον ἐπώνυμον Τημένου τοῦ εὕροντος, ὕστερον δὲ χρόνῳ παραφθαρὲν τὸ ὄνομα Τήβεννος ἐκλήθη. *Eadem significat & vestis Romana, quam nunc* Τήβεννον *vocant a Temeno Arcade, qui primus suam chlamydem hoc modo circumdedit cum per sinum Jonium navigasset, & ab his qui istic habitant susceptus esset, a quo indigenæ edocti eodem modo aptarunt, & vestitum Temenium vocaverunt a Temeno inventore, verum secutis temporibus corrupta voce Tebennus appellatus est.* Ab hoc igitur Temeno Arcade Τημένιον, mox Τήβεννον togam dixere. Hesychius, Τήβεννος εἶδος περιβολαίου παρὰ Ρωμαίοις. Ubi doctissimus Criticorum Περιβόλαιον appellat, quemadmodum Artemidorus voce περιεβάλετο usus est, quod nempe toga, ut dicemus, ita injiceretur sive circumjiceretur, ut totum corpus involveret. Etymologo Τήβεννος dicitur Regium gestamen. Sed si Romani Reges excipiantur, nullus exterorum Tyrannorum toga usus reperietur, nisi ex dono Pop. Romani, aut ejus imitatione. Male itaque ex Polybio apud Athenæum id firmare docti conantur, qui Antiochum Epiphanem memorat deposito Regio cultu amictum toga forum circumire solitum. Πολλάκις δὲ καὶ τὴν βασιλικὴν ἀποθέμενος ἐσθῆτα τήβενναν ἀναλαβὼν περιῄει τὴν ἀγοράν. Id enim & præter morem fuisse notat Polybius, & ad imitationem Romanorum fecisse subjicit, Καὶ καθίσας ἐπὶ τὸν ἐλεφάντινον δίφρον κατὰ τὸ παρὰ Ρωμαίοις ἔθος.

Togam ergo Romanorum gestamen fuisse nemo est qui ignoret: sed quæ ejus forma, quodque a Græcanico pallio discrimen viri doctissimi A delitigant, nec satis rem expediunt. Glossæ Veteres Persii: *Toga est purum pallium forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu.* Manutius in *Quæsitis* Vestimenti genus fuisse censet a summo ad imum clausum nullis manicis, quodque totum corpus tegeret, & involveret. Contra Sigonius in lib. *de Judiciis* Togam apertam fuisse contendit, & quadratam. Quod Athenæus lib. v. narret Romanos in Asia, ut vim Mithridatis effugerent ad Templa confugisse, & quadratis vestimentis abjectis pallia sumpsisse. Ea autem quadrata vestimenta fuisse Togas Cicero indicare videtur *pro Posthumo*: *P. Rutilium facilius*, inquit, *necessitatis excusatio* B *defendet, qui cum a Mithridate Mytilenis oppressus esset, crudelitatem Regis in Togatos vestitus mutatione vitavit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, soccos habuit & pallium.* Ex quo colligit Sigonius quadratam togam fuisse, eandemque apertam ex eo contendit, quod Val. Maximus lib. III. cap. II. de Nasica in Gracchum impetum facturo loquens ait, *eum lævam manum apertæ togæ circumdedisse.*

Nihilominus Togam vestimentum clausum, & rotundum fuisse, quodque uno injectu corpus in- C volveret, multa sunt quæ convincunt. Primum antiquæ statuæ, veteresque nummi talem Togæ formam oculis subjiciunt, quæ licet satis id superque comprobent, argumenta tamen non levia adjiciemus. Quod enim primo loco a Manutio affertur, nullius momenti est, qui existimat ita clausam togam fuisse, ut a summo ad imum nullam scissuram habuerit, & proinde ait, *indecorum visum esse pectus nudum patuisse.* Hoc enim omnino falsum est: Nam licet Togæ, ut dicemus, rotundæ & per imum ambitum essent conclusæ, in superiori tamen ora ad cervices laxe patuisse necesse est, tum ut dextrum brachium exe- D reretur, tum ut clavi in tunica Equitum, & Senatorum apparerent, ut in statuis togatis videre est. Plutarchus etiam in *Coriolano* tradit, consuevisse Magistratum petentes sine interiori tunica in forum opertos toga descendere, ut qui cicatrices haberent signa fortitudinis aperirent; quod fieri minime potuisset, si per totum clausa toga fuisset, & cervicibus adstricta.

Illud ergo potius quod idem Manutius vidit, cum antiquissimi Romanorum, ut tradit Gellius lib. VII. nullis tunicis uterentur, solisque togis amicti incederent, nisi Togæ a pectore ad E ima clausæ fuissent, nihil velando pudori reliquum fuisset: idem dicendum de petitoribus, quos solis togis amictos in campum descendisse tradit ibi Plutarchus, sive ut cicatrices adverso pectore ostenderent, sive ne pecuniam ad suffragia mercanda tunica occultarent, sive ut supplicarent humilius. Et quamvis cum solas togas Romani induerent etiam campestribus velando pudori succincti essent (quod de

Catone tradit Pædianus *pro Scauro*, quem locum infra examinabimus, id factum est, non quod toga aperta esset, sed cum sinistro brachio læva ejus pars subduceretur, ne aliquid Romano pudori deperiret.

Hinc est quod Cæsar infestis conjuratorum pugionibus petitus togæ sinum sinistra manu ad ima crura deduxit, *quo*, ut ait Tranquillus, *honestius caderet:* quod frustra fecisset, si toga fuisset aperta: Obtendit ergo sinum, id est, lævam togæ partem brachio subductam demisit ad pedes, ne dum moribundus prolabitur, tunica, quæ tunc fere ad medium crus pertinebat, nullis etiam tunc fœminalibus, aut braccis, eas partes denundaret, quæ numquam satis obvelantur. Postremo Quintilianus lib. XI. cum cultum Oratoris describit, *Sinistrum brachium eo usque allevandum* docet (nempe sub toga clausa latens, nam dextrum superne exerebatur) *ut quasi normalem angulum faciat, super quod ora ex toga duplex* (id est, hinc inde brachio pendens) *æqualiter sedeat*. Cui hæc non sufficiunt, subjectas Togatorum imagines accurate perlustret, & oculis suis credat. Primum monumentum Romæ extat, idque accurate delineatum transtulit in *Itinerarium suum* Abrahamus Ortelius adjecta Inscriptione:

Q. FURFANIO. C. F. NIGRINO.	FURFANÆ. FLORÆ CONJUGI. SANCTISSIMÆ.
PROC FABRORUM.	
VIXIT. ANN. XXIV. M. VII.	VIXIT. ANN. XXII. M. III.

SEX. FURFANIUS. TYRANNUS.
HER. FUNER. ET. AR. FECIT. III. ID. APRIL.
M. AIMILIO. IT. ET. MUNATIO. PLANCO. COSS.

Quod indicat hoc monumentum positum Anno ab V. C. DCCXII. primis Augusti temporibus, ut appareat qualis togæ gestandæ modus illo ævo fuerit. Altera statua togata visitur in Atrio Palatii Veneti ad partem dextram Horologii, media inter duas palliatas, quarum altera capiti incumbit, altera pedibus subjecta est. Fortasse Ciceronis certe Oratoris, quod libelli in dextra indicant, & libellorum theca ad pedes statuæ. At nummos veteres e Cimeliis Caroli Stephani Littæ Mediolanensis V. C. deprompsimus, cujus præclaro nomine operis vestibulum collustrasse juvat.

CAP. II.

Sigonii opinio refellitur Togam quadratam censentis. Athenæus explicatur.

Ex his quæ supra adduximus satis liquido apparet, Togam vestimentum fuisse clausum, & rotundum. Nam Marcelli Donati opinio censentis partim quadratum esse, partim circulare, ut mitissime dicam, ridicula est. Sed fuisse quadratum ex Athenæi loco laudato Sigonius contendit, quod ante notaverat Victorius lib. XIX. *Variarum*. Ubi Athenæus sævitiam Mithridatis in togatos commemorans, ait Romanos ab ipso oppressos in Asia quam occupavit, aut ad simulachra Deum confugiendo, aut quadratis vestimentis abjectis ad pallia redeundo, antiquasque patrias jam relictas ab ipsis agnoscendo vitam conservasse. Sed diligentius Athenæi locum expendenti mihi manifesto apparet, non modo interpretem Dalechampium, sed summos viros Victorium, ac Sigonium aliquid humani passos esse. Verba Græci scriptoris hæc sunt: Τῶν δ᾽ ἄλλων Ῥωμαίων οἱ μὲν θεῶν ἀγάλμασι προσπεπτώκασι, οἱ

A δὲ λοιποὶ μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια τὰς ἐξ ἀρχῆς πατρίδας πάλιν ὀνομάζουσι. Quæ sic verterunt docti viri. *Romanorum quidem alii ad simulachra Deum confugerunt: alii mutata veste quadrata patriam quam principio gestabant nunc rursus induunt*. Perperam & contraria plane sententia. Sic enim vertenda erant. *Alii quidem ad simulachra Deum confugerunt: alii togam vestimentis quadratis mutantes: sive, deposita toga pallia sumentes priorem quisque patriam fatentur*. Nam μεταμφιέννυμαι, & μεταμφιάομαι est vestibus exutum alias induere, ita μεταμφιᾶσθαι τετράγωνα ἱμάτια est deposita priori veste, id est, toga, quadratum
B pallium induere. Lucian. τὴν πορφυρίδα μεταμφιέσομαι, *relicto pallio philosophico, purpuram induere* Et Socrates lib. III. cap. XXIV. *Hist. Ecclesiast.* οἵ τε τριβωνοφόροι τοὺς τρίβωνας ἀπετίθεντο, καὶ εἰς τὸ κοινὸν σχῆμα μετημφιέννυντο. Loquitur de Philosophis, qui extincto Juliano deposito tribonio communem habitum resumpsere. Ergo μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια est, mutantes togas quadratis palliis, sive quadrata vestimenta resumentes, & ut ita dicam, mutantes rotunda quadratis, sive ut simplicius, quadrata vestimenta induentes. Idque miror a Magno Casaubono prætermissam, cum tamen ultimorum verborum ἐξ πατρίδας vera
C ram interpretationem solus attulerit, *priorem quisque patriam fatentes;* (scilicet vestitu,) nec omiserit notare, τετράγωνα ἱμάτια esse Græcorum, non Romanorum, adductis in id Appiani verbis *Civil.* lib. V. ἀφέλειαν δὲ ἰδιωτικὴν αὖθις ἐξ ἡγεμονίας, καὶ σχῆμα τετράγωνον ἔχων καὶ ὑπόδημα Ἀττικόν. *Simplicitatem vero privati hominis rursum ex ducatu, & habitum quadratum habens, & calceamenta Attica*.

CAP. III.

D *Docti Viri opinio de Vestimentis quadratis expenditur.*

Athenæi locus monet me, ut de vestimentis quadratis aliquid adjiciam: quia quid ea fuerint, inter eruditos minime convenire video. Vir doctissimus in *Notis ad Tertull. Pallium* per hoc recte Togam a Græcorum pallio distinguit, quod illa clausa, & rotunda, hoc apertum, & quadratum fuerit. Vestimentum autem omne apertum quadratum intelligi vult, quod nempe quatuor angulos habuerit. An
E gulos vocat extremam vestis partem ubi aperta est, quæ in acumen desinit, ut scilicet duo anguli in ima ora vestis, duo in summa fuerint, qualia nunc vulgo pallia gestantur. Tale non modo Græcorum pallium fuisse, sed & matronarum palla, virorumque chlamydes, ac Romana paludamenta.

Hanc opinionem nititur convellere Kercoetius, neque tamen quid vestimenta quadrata fuerint exponit. Eidem opinioni ne ipse adhærescam, illud in causa est, quod adduci non possum ut credam, omne pallium, seu vestimentum apertum, fuisse quadratum. Frustra enim quadrati pallii men
F tio apud scriptores extaret, si omne pallium hac forma fuisset. Nam præter Festi locum de Ricinio allatum a Kercoetio: Petronius: *mox incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco apposuit*. Quo loco Interpretes nihil sani afferunt. Si pallium omne tam virorum, quam mulierum quadratum fuit & apertum Enothea more reliquarum quadratum pallium habere debuit, satis ergo fuisset dicere pallio incinctam fuisse, si omne pallium quadratum fuit, quemadmodum & frustra quis toga

rotunda indutus diceretur cum omnes togæ tales essent. Sane pallas, id est, vestem superiorem mulierum, quæ & pallium dicebatur, apertas fuisse, si nihil aliud, vetere statuæ ostendunt. Si ergo omne vestimentum apertum etiam quadratum fuit, pallium muliebre, quod apertum erat, etiam quadratum fuisse necesse est. Duo ergo notasse videtur Petronius, quod pallio cincta esset, cum tamen pallium non cingeretur; deinde, quod quadrato, & fortasse sacrorum quæ parabat peculiari. Sane Veteres omne vestimenti genus pallium dixere, quam apertum, tam clausum, ut toga *pallium rotundum* Isidoro dicatur, nihilominus proprie ac simpliciter communique loquendi usu pallium accipitur pro Græco indumento, ut a toga distinguitur. Hinc *transire a toga ad pallium, & palliatum incedere:* ut quoties quadrati pallii mentio incidit, non prout a pallio rotundo, id est, toga distinguitur accipiendum sit, sed a pallio, quod minime quadratum fuit. Sagum etiam vestimentum apertum fuisse constat, quare horum sententia & quadratum. Atqui Isidorus lib. XIX. cap. XXIII. Linnas Gallorum vestes saga quadra appellat: frustra, si talia omnia saga fuissent. Idem cap. XXIV. *Sagum autem Gallicum nomen est: dictum autem sagum quadrum, eo quod apud eos primum quadratum, vel quadruplex, esset.* Et cap. XXV. *Palla est quadrum pallium muliebris vestis.* Ac ne quis hoc positum ad distinctionem stolæ, sive cycladis putet, quæ rotunda, hæ tunicæ fuere, non pallia. Si ergo omnia pallia aperta quadrata, satis fuisset pallium pallium appellare, illico enim quadratum intelligeretur.

Pallia quæ a nobis gestantur, quadrata esse contendunt, sed si formam eorum attendamus, non tam quadrata, quam semirotunda apparebunt, & si qua parte patent consuantur, rotunda efficientur, ut si quis cycladem muliebrem in anteriori parte discindat, istorum sententia ex rotunda quadratam efficiet, & cum libuerit refinget rotundam. Præterea si omnia pallia fuere quadrata, quod inter vulgare pallium, & philosophicum discrimen fuit? Nam distincta fuisse, non est dubitandum: & præcipuum Philosophiæ insigne cum pera, ac barba pallium olim fuit. Non enim sola materiæ vilitate, aut colore distinguebatur, quod philosophicum tribonium rude, ac detritum palliastrum esset, & ferme pullum, alioqui pauperes ac plebeii, & quicumque exoleto pallio incessisset, pro Philosopho habitus fuisset. Forma ergo, non materiæ vilitas, aut color vestimenta distinguit: atqui forma eadem omnino fuisset, si omnia pallia quadrata fingamus.

CAP. IV.

Nova opinio de vestimentis quadratis affertur. Quod inter vulgare pallium, ac Philosophicum discrimen fuerit?

UT igitur & ipse quod sentio expromam, vestimenta quadrata illa tantum fuere, quæ ex duabus plagulis confecta erant, quarum utraque quadrata erat, hoc est, quatuor angulos habebat, fibula autem in humeris nectabatur, atque ita hinc inde a lateribus aperta, quales Diaconorum sacris operantium vestes visuntur. Tales veterum Carthaginensium tunicar fuisse Tertullianus tradit & *quadrangulas* appellat, non quod in medio apertæ essent, alioqui vel corpus renudassent, vel aliis interioribus tunicis injectæ fuissent, sed quod ex duabus quadratis partibus confectæ, & a lateribus apertæ (non quales ætate Tertulliani gerebantur rotundæ & clausæ) quadrata justitia starent, id est, æquali utriusque plagæ ora, nec cingulo inæqualiter suspensæ, ut recte doctis observatum.

Quare non aliud discrimen inter vulgare pallium ac philosophicum fuisse videtur, quam quod vulgare quadratum fuit, quod ex duabus plagulis confectum fibula in humeris necteretur: at Philosophicum fusius, ac semirotundum ad instar nostri, quod nempe & rejici in humerum poterat, & duplicari totumque corpus involvere, quod a Cynicis fiebat, licet sola materia diversum pallium reliqui Philosophi gestarent, & ideo Juvenalis dixit Cynica dogmata *Stoicis sola tunica distantia.* Nam in pallio conveniebant tunicati Stoici, Cynici ἀχίτονες, ut iidem observarunt. In hoc autem pallio Philosophico opus fibula non fuit, alioqui nec rejici in humerum, nec duplicari potuisset, vulgare pallium quadratum, quod infibulatum, nec rejiciebatur in humerum, nec duplicabatur. Tales, aut non omnino dissimiles lacernæ, ac chlamydes Romanorum fuerunt, quadratæ nempe, & a latere apertæ, licet breviores & ut plurimum non totam partem anteriorem operirent. Et ideo a veteri Interprete Persii lacernæ, ac penulæ pallia dicuntur ad illud, *Scis comitem horridulum trita donare lacerna, Scis*, inquit, *birrum attritum comiti condonare. Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula, pallium cum fimbriis longis.*

Conjecturam nostram, quod vulgare pallium ita quadratum fuerit, ut quatuor in imo angulos habuerit, & propterea ex duabus partibus confectum, quales Diaconorum vestes, illud juvat, quod similia Judæorum, ac Græcorum pallia docti tradiderunt. Atqui pallium Judaicum quatuor in imo angulos habuit. In illis enim ex Dei præcepto fimbrias & vittas hyacinthinas gestabant. *Num.* XV. *Loquere ad filios Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in iis vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini.* Eas fimbrias etiam Christum Dominum gestasse verisimile doctis videtur, *quod venerat legem non solvere, sed adimplere.* Gestari has hodie a Judæis docet Serrarius, cujur narratio nostram de quadratis vestimentis sententiam maxime confirmat: *Exiguam enim vestem habere eos tradit, gentis characterem, & insigne, quæ quadrata sit & dorsum pectusque tegat, a lateribus aperta, ut cilicia quædam esse solent. Ex imis quatuor vesticulæ hujus angulis pendere chordulas totidem, in quarum singulis nodi quinque ad Moysis librorum, ut ajunt, memoriam.* Præterea Epiphanius hæresi XV. cujus locum attulit Kercoetius, ait, *in scribarum pallio quatuor angulos fuisse, a quibus mala Punica penderent*, quæ certe in imis angulis fuere, & non ad cervicem, nam in veste pariter Pontificali in ima ora mala Punica appensa erant. Verba Epiphanii sunt: ῥοΐσκους γὰρ τινὰς ἐπὶ τὰ τέσσαρα πτερύγια τοῦ τρίβωνος ἕκαστος εἶχεν. Ex quo tamen male colligit Kercoetius, ideo pallium illud Græcanici dissimile fuisse, *quod ad latera scissum & apertum fuerit:* nam non aliter quadratum esse potuit, & quatuor angulos habere.

Scio posse hic mihi pallium objici, quod veteres Carthaginenses gestasse auctor est Tertullianus, quod quadrangulum fuisse, & ab utroque laterum regestum idem scribit: Sed non ejusdem formæ fuisse omne quadratum pallium illud argumento est, quod subjicit Tertullianus, id pallium ætate sua penes solos Æsculapii sacerdotes permansisse: *Instar*

Instar ejus hodie Æsculapio jam vestro sacerdotium est. Soli ergo Sacerdotes Aesculapii vetus pallium gestabant id temporis, & tamen etiam ipse Tertullianus & quicumque austeriorem sapientiam sectabantur pallium tunc induebant, & quidem quadrangulum: non igitur ejusdem omnino generis fuere cuncta pallia quadrata. Si enim pallium illud idem cum vetere fuisset, frustra peculiare Asclepiadarum gestamen dixisset Tertullianus. Diversum vetus pallium fuit, quod quomodo fibula in humeris adstrictum ab utroque latere regeri posset, difficile est explicare.

Nec facile expediri potest, quod ajunt, Christi Domini pallium apertum fuisse, & quadratum Philosophici instar, ex cujus quatuor angulis quatuor partes milites fecisse. Nam si pallium illud vulgaris nostri simile fuit, ut quatuor partes fierent decussatim, & per quadras scindi debuit, atque ita laceratum fuisset magis, quam divisum. Quamquam si pallium illud quadratum fuit, ut supra explicavimus, quomodo tamen in quatuor partes dividi potuerit, haud facile dixerim, quæ rant doctiores, nos fortasse aliquid infra cum de tunica inconsutili curatius disputabimus.

Et hæc de vestimentis quadratis paulo uberius dicta sint in re obscurissima, si cui tamen altera opinio magis arridet, eam per me sequatur licet.

CAP. V.

Sigonii sententia rejecta censentis Togam semicircularem, & apertam fuisse.

MARCELLUM Donatum supra reprehendimus, quod Togam partim quadratam, partim circularem statuerit; non minor Sigonii inconstantia, qui postquam vestimentum quadratum esse dixit, semicirculare facit, quod Dionys. Halicarnasseus Togam *ἡμικύκλιον τῷ σχήματι*, *Figura semicircularem fuisse scribat*: atque ex hoc contendit Sigonius apertam fuisse, quod non aliter semicircularis esse posset. Verum non quod aperta esset, sed quod orbem absolutum non faceret, ut muliebres cyclades, ideo semicircularis dicta est, quemadmodum doctissimus Salmasius observat. Tota quidem in imo commissa erat, & clausa, sed circulum integrum, & perfectum non efficiebat, quia laciniosa circa imas oras, non æqualiter; nec perfecte rotunda, ut in statuis togatis videre est. Dici etiam posset, quod licet plane rotunda esset, nihilominus brachio subducta semicircularis efficeretur; ea scilicet parte, qua subducebatur.

Neque tamen ex eo apertam fuisse togam dicendum est, etiamsi Val. Maximus tradat Scipionem Nasicam cum Gracchum interfecturus esset *lævam manum apertæ togæ circumdedisse, sublataque proclamasse*. Nam si quis modum gestandæ togæ, quem infra dabimus, attendat, facile quid sit aperta toga intelliget. Quippe cum læva ejus pars sive lacinia subjecto lævo brachio elevaretur, & contraheretur in sinum, ea parte toga aperta videbatur, quod nempe lacinia hinc inde brachio dependeret, ac veluti divideretur, & aperiretur. Vellejus de eodem loquens lib. II. *Scipio Nasica circumdata lævo brachio togæ lacinia in Gracchum irruit*. Eas ergo laciniæ partes hinc inde pendentes involvit brachio Nasica, ut eo veluti scuto uteretur, quod in repentina pugna usitatum; sive etiam ne fusum, ac fluens vestimentum pugnantem impediret. *Lævam involvere toga*, Quintilianus dixit lib. XI. *idque pene furiosum esse*. Plutarchus in *Graccho* de eodem Nasica: *Lacinia togæ super caput posita in Capitolium ire pergit, alii post eum toga circa brachium involuta secuti sunt*. Idem tradit Appianus l. I. *Civilium*: *καὶ τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου ἐς τὴν κεφαλὴν περιεσύρατο*. Ubi non recte Interpres, *togæ Laciniam rejecit in humerum & caput*. Non enim rejecit Piso laciniam in humerum, sed ab imo contractam sive adductam capiti imposuit, quod ait Plut. loco paulo supra adducto: *τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς*. Cur autem hoc fecerit addit Appianus: *Sive multitudinem ad se hoc signo contrahens, sive pugnæ velut tessera proferens, sive reverentia Deorum sua cœpta obtegens.* Sed verisimilius est id egisse ut levior, & expeditior in ea pugna esset. Idem Appian. lib. II. de Cæsaris interfectoribus: *Percussores autem voluerant aliquid in senatu dicere, sed quum nemo ibi maneret τὰ ἱμάτια ταῖς λαιαῖς ὥσπερ ἀσπίδας περιπλεξάμενοι, togam læva implicantes ad instar clypei gruentos gladios tenentes vociferabantur.*

Contorta toga dixit auctor *ad Herennium* l. IV. *contorta toga cum pluribus aliis ire celeriter cœpit*. Et Pacuvius Hermiona: *Currum liquit, chlamyde contorta astu clupeat brachium.* Liv. lib. XXV. *Paludamento circum lævum brachium intorto, nam ne scuta quædam secum extulerant, in hostes impetum fecit*. Petronius: *Idem ego ex altera parte feci, & intorto circa brachium pallio composui ad præliandum gradum.*

Alia res fuit togam in collum conjicere, quod fiebat cum expeditiores esse vellent. Plutarch. in *Poplicola* de iis qui in domum Aquiliorum venerant ut literas conjurationis deprehenderent. *Reversi domum Aquilii nitebantur literas auferre. Hi vero repugnabant, καὶ τὰ ἱμάτια περιβαλλόντες αὐτῶν τοῖς τραχήλοις, & conjecta in collum toga impulsi, atque impellentes in forum pertraxerunt.*

CAP. VI.

Modus gestandi togam. Quid sinus & umbo? Quintilianus explicatus.

TOGAM vestimentum fuisse clausum, ac rotundum, quodque uno conjectu totum corpus involveret & utrumque brachium operiret, non est dubitandum. Communis autem ejus gestandæ modus fuit, quemadmodum togatæ statuæ demonstrant, ut dextrum brachium, qua parte ad cervices patuisse diximus, exereretur: & ita quidem, ut antiquissimis temporibus manus tantum usque ad cubitum porrigeretur, postea totum brachium humerusque extaret. Sinistrum autem brachium non poterat per eundem hiatum exeri (alioqui toga ex humeris prolapsa ad pedes decidisset) sed sub ipsa toga extensum, extremam ipsius oram, quæ & *lacinia* dicebatur, in rugas, plicasque contractam subducebat ad pectus læva manu extante. Quintilianus lib. XI. *Sinistrum brachium eo usque allevandum est, ut quasi normalem illum angulum efficiat; super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat*. Togæ ora subjecto brachio subducta speciem normæ referebat, sive regulæ, fabrilis nempe instrumenti, ad quod omnia exigunt; *super quod brachium*, ait idem, *ora ex toga duplex æqualiter sedeat*; hoc est, lacinia togæ veluti brachio divisa, æquis partibus contineatur, nec altera longior, aut brevior deformiter cadat. Rugas eas & plicas, tam quæ superne a cervice cadentes exerto brachio dextro colligebantur ad pectus, quam

quæ in ima ora sinistro brachio subductæ contrahebantur, Veteres *sinum togæ* dixere. Vir summus ad Tertullianum *de Pallio*, Sinum in toga nihil aliud fuisse contendit quam laciniam togæ, quæ sub humero dextro missa ad humerum lævum recurrebat; & oblique tamquam baltheus ducebatur. Sed Quintilianus, ut ipse quoque non ignorat, duplicem togæ sinum facit, neque tamen quis alter sinus ille fuerit, explicat. Verba Quintiliani sunt eodem libro: *Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, nunquam certe sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus, nec fluat, nec strangulet.* Sinus igitur duplex fuit: alter inferior, qui nempe ex lacinia togæ sinistro brachio contracta formabatur, ita tamen ut ima ora infra ipsum caderet, qui decentissimus Quintiliano dicitur. De hoc inferiori sinu capiendus est Suetonius in *Cæsare* c. LXXXII. *Ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiori corporis parte velata.* alter de quo diximus, ex lacinia superiori togæ, quæ porrecto brachio dextro dejecta ad pectus, & in rugas complicata, oblique sub dextro brachio ad lævum humerum ad instar balthei currebat. Factum Cæsaris narrat Val. Maximus lib. IV. cap. V. *Ne tribus quidem*, inquit, *& viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur, ab erreri potuit, siquidem utraque togam manu demisit, ut inferior pars corporis tecta collaberetur.* Utraque manu, sinistra scilicet subductum sinum cadere sinens, dextra eundem ad crura deducens. Quod Appianus expressit τὸ ἱμάτιον περικαλύψασθαι, καὶ πεσεῖν εὐσχημόνως. De sinu togæ inferiori capiendus etiam Livius lib. XXI. de legatis Romanorum bellum Carthagini indicentibus: *Tum Romanus sinu ex toga facto. Hic inquit vobis bellum, & pacem portamus: utrum placet sumite: sub hanc vocem haud minus ferociter, Daret utrum vellet succlamatum est, & quum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset: accipere se omnes responderunt.* Quod nihil aliud fuit quam togæ laciniam lævo brachio subductam dextra manu expandere, & veluti gremium formare. τὸν κόλπον ἐπιδείκνυσι ait Appianus rem eandem narrans.

De eodem sinu capiendus Plutarchus in *Romulo*, qui narrat rapiendarum Sabinarum hoc signum constitutum fuisse ἐξαναστάντα τὴν ἁλουργίδα πτύξαι, καὶ περιβαλλέσθαι πάλιν. Sedebat Romulus toga purpurea amictus, ut idem narrat. Signum ergo rei aggrediendæ erat, ut surgens ipse togam purpuream in sinum contraheret, ac rursus demitteret, sive explicaret. At sinus superior, ut dicebamus, ex summa togæ ora fiebat, quæ exerto brachio dejecta ad pectus complicabatur in rugas, atque oblique sub dextro brachio ad lævum humerum ad instar balthei currebat. Qui proprie sinus, & qua parte sinistram pectoris partem cum humero velabat inter ipsum & tunicam multa recondebantur. Plutarchus in *Romulo* tradit, cum ille inter homines apparere desiisset creditum a Patribus discerptum fuisse in Æde Vulcani, artusque laniatos εἰς τὸν κόλπον intra togæ sinum conditos inde elatos. Arma etiam eodem sinu occultata. Suet. *Octavio* cap. XXXV. *Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem tunc quemquam Senatorum, nisi solum, & prætentato sinu.* Ita apud Livium l. XXIII. *Perolla Campanus toga rejecta ab humero latus succinctum gladio nudat.* Dejecta scilicet toga ab humero sinistro latens intra sinum gladium ostendit. Seneca *de clementia* lib. I. cap. IX. *Jam pugiones in sinu amicorum absconderat.*

Cæterum major minorve sinus erat, prout strictior, laxiorve toga esset. Ita Quintilianus antiquissimis Romanorum nullos sinus fuisse tradit, quod brachium toga continerent. subjicit: *Perquam breves post illos fuerunt*: scilicet postquam brachium exeri cœpit, angustis togis, ac corpore adstrictis. At ætate Augusti, & deinceps laxis, fusisque togis majores, & fusiores sinus, altiusque cadentes in usu esse cœperunt, ut in veteribus nummis apparet, ubi videre est longiores, ac breviores sinus, prout laxior, strictiorque toga erat. In nummo Aurelii Divorum Fratrum togæ sinus brevissimus cernitur, vix pectus excedens. At in nummo Titi Vesp. togæ sinus ultra genua cadens: ut & in nummo Plautillæ. Vide Figuram quartam. Tibullus eleg. VII. lib. I.

Tunc procul absitis quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.

In veteribus libris *lapsa* legitur, nec male, nam sinus effluebat, cum pars togæ superior labebatur, sive cadebat in pectus. Magis tamen placet Turnebi conjectura legentis *laxa*. Nam laxa toga sinus laxior effluebat. Quod vero addit: Qui laxius cingebantur, neque togam arcto satis nodo adstringebant, delicatos habitos fuisse, de togæ cinctura falli eum infra ostendemus. Ovidius etiam *de remedio* lib. II.

Nec compone comas cum sis venturus ad illam,
Nec toga sit laxo conspicienda sinu.

Iterum Tibullus eleg. IX.

Nunc si clausa mea est: si copia nulla videndi
Me miserum laxam quid juvat esse togam?

Quare togæ honestiorum non ita laxæ erant, sicut neque nimis angustæ. Sueton. *Augusto* capit. LXXIII. *Togis usus est, neque restrictis, neque fusis: clavo, nec lato, nec angusto.*

At tenuiorum togæ adstrictæ, quæ togulæ Martiali lib. IV. ep. XXV.

Ignosces, togulam, Posthume, pluris emo.

Horatius lib. I. epist. XVIII.

Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est.
Arcta decet sanum comitem toga.

Ubi nugatur Acron: *Habebant*, inquit, *Patres pro qualitate opum togas, quæ erant bis ter ulnarum, id est, quinque.* Innuit enim quod Horatius in *epodis* Od. IV. de Mæna Pompeii liberto:

Videsne sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

De angusta toga alter Horatii locus criticis vexatus lib. I. epist. XIX.

Quid? si quis vultu torvo ferus, & pede nudo
Exiguæque togæ simulet textore Catonem.

Quod satis durum videtur simulare textore Catonem exigua toga, ut sit metonymia, id quod fit, pro eo, qui facit, ut ait Porphyrio, quasi textoris opus esset majores, vel minores togas conficere, atque ita totæ, id est, utraque pars a textore conficeretur. Quod vix fieri potuisse videtur. Quare alii *tesquore* reposuerunt, id est, squalore, & asperitate, quod tesqua, sive tesca loca sint inculta & aspera, ut notat Turnebus lib. XVII. qui tamen Lambino & Veteribus assentitur, qui *textore* defendunt. Quare textoris vox referenda erit non ad togam exiguam, sed ad materiam rudem scilicet crassamque, & vili textura, filoque soloci confectam. Nam Lucanus de ejusdem Catonis toga loquens ait:

—— pretiosaque vestis
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam.

Ubi *more Quiritis* non est more veterum Romanorum, ut volunt Interpretes, nam & posteri Quirites, & ipse Cato, sed Quiris pro quolibet ex populo, id est, plebeja vulgarique toga contecto, & angusta, rudique textura confecta.

Ex togæ quidem redundantia in fortuitas rugas tam in summo, quam in imo contracta sinus efficiebatur. Cæterum quoties illæ rugæ arte cogerentur, & nodo constrictæ, ut de toga Hortensii tradit Macrobius, contabularentur, eum *umbonem* vocatum fuisse idem vir magnus *ad Tertull.* docuit, quem tamen a sinu distinctum fuisse vult, ut inde inciperet sinus, ubi umbo desineret, & ipsum veluti umbonem ambiret. Ea mens Tertulliani est: *Adeo nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet*. Mox: *recognito rursus umbone, & si quid exorbitavit reformato, partem quidem de lævo promittat, ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis retrahat a scapulis, & exclusa dextra in lævam adhuc congerat, cum alio pariter tabulato in terga devoto*. Umbo iste Tertulliani haud dubie a sinu distinctus: centrum nempe & nodus artifex coeuntium plicarum, ut vir ille doctissimus explicat. Cæterum non semper umbonem arte coactum fuisse docet Persius Sat. v. qui de communi toga virilis loquens ait.

—— *totaque impune suburra*
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Quem quidem eumdem cum sinu fuisse crediderim, cum nihil aliud esset, quam fortuitæ rugæ ad instar umbonis protuberantes, eumque sinum fuisse supra ostendimus. Quamquam quæ de forcipibus, nodoque artifice a Tertulliano, & Macrobio produntur mihi ficta videntur, cum nullus alius Veterum hujus rei meminerit. Quidquid sit, in togis communibus si nihil aliud sinus fuit, quam lacinia contracta in rugas, plicasque fortuito congestas, adscribere eos oportebit, quid aliud præterea umbo fuerit, quem nos non aliud fuisse statuimus, quam rugarum in rotundum, & veluti in umbonem contractionem, eundemque sinum fuisse contendimus. Nam doctissimus Manutius errat probe cum scribit: *sinus, qui ætate Quintiliani in usu erant, non attexi, sed insui, vel appendi togis consuevisse*. Primo enim iidem semper sinus in toga fuere; Quintilianus non tradit, sinus Vete-
A rum diversos fuisse, sed apud Veteres nullos fuisse, posterioribus perquam breves, quod nempe brachium veste continebatur, atque ita nullus superior sinus efficiebatur, quem exporrecto brachio factum diximus. Deinde si nihil aliud fuit sinus, quam contractio, & corrugatio togæ ad pectus, quomodo tanquam res diversa adsui, vel appendi togæ potuit?

Cæterum Quintilianus cum duplicem sinum faciat, *inferiorem decentissimum fore* tradit, *si aliquanto supra imam togam fuerit*, id est, si extrema pars togæ cum sinu non involvatur, sed soluta paulo infra rugas cadat. At sinum qui sub humero dex
B tro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus, *nec strangulet*, inquit, id est, non ita cervicibus adstringatur ut præfocet, *nec fluat*, ne nimis laxus sit. Hoc autem ex strictiore, aut laxiore togæ ora, quæ collum ambiebat, petebatur. Addit Quintilianus; *Pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior; nam ita, & sedet melius, & continetur*. Sinus scilicet inferior non injiciatur priori, sed in ipso brachio resideat; alioqui defluet, nec satis contineri poterit. Tum subdit idem, *sinum injiciendum humero cujus extremam oram rejecisse, non indecens esse; neque tamen cum toto jugulo humerum operiendum esse: alioquin fore, ut amictus fiat angustus, &*
C *dignitas, quæ est in latitudine pectoris, perdatur. Hanc autem amictus observationem initio dicendi esset vult, procedente vero actu sinum ab humero recte velut sponte delabi, & cum ad argumenta, ac locos ventum est, rejicere a sinistro togam, dejicere etiam si hæreat sinum, convenire. Cæterum ut lævam involvere toga, & incingi pene furiosum esse, sinum vero in dextrum ab imo rejicere solutum, ac delicatum, ita nihil impedire quominus laxior sinus sinistro brachio subjiciatur*. Hæc ex Quintiliano fusius paulo adduximus, quod totam veteris amictus Oratorii rationem, togæque, ac sinus explicarent, & quod locus is sa-
D ne perobscurus esset, nec illos explicando multum sudans magnus Turnebus hilum profecisset.

Cum hæc publici juris facta essent beneficio patrui mei V. C. venere tandem in manus Doctissimi Rubenii *Electa* multum quæsita, ex quibus Iconismum Statuæ togatæ hac nova editione adjici curavimus, quo res tota clarius sub aspectum caderet, adscriptis etiam denuo Quintiliani verbis, quæ numeris suis ad unam quamque togæ partem responderent.



1. *Sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior.* 2. *Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus, nec strangulet, nec fluat.* 3. *Pars togæ, quæ postea imponitur sit inferior: nam ita, & sedet melius, & continetur.* 4. *Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat.* 5. *Tum sinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejecisse non dedecet.* 6. *Operiri autem humerum cum toto jugulo non oportet: alioqui amictus fiet angustus, & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris perdet.* 7. *Sinistrum brachium eousque allevandum est, ut quasi normalem illum angulum faciat.* 8. *Super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat.*

In numero tamen quinto assentiri Rubenio non possum, qui sinum humero injiciendum eum intelligit, qui a dextro humero in tergum cadit. Nam togæ partem, quæ in tergo erat nemo sinum dixerit, qui tantum ad pectus, neque ille dextro humero injiciebatur, qui exertus, & toga liber. Sinus ergo pars togæ superior, quæ in sinistro humero, qui cum sæpe in pectus deflueret rejiciebatur, & humero restituebatur. Plura de hoc in *epistola ad Cl. Gronovium* disputavimus, quæ ad libri hujus calcem adjecta est.

CAP. VII.

Brachium toga continere. Ciceronis locus explicatus.

QVA parte ad pectus toga patebat dextrum brachium exerebatur. Et Veteres quidem teste A Quintiliano non exerebant, atque ideo tunc aut nulli, aut perbreves sinus fuere: post ea tempora non brachium modo, sed totus humerus exerebatur. Nec aliud intellexisse Plutarchum existimo, cum ait, C. Gracchum primum Romanorum per pulpitum ambulasse, & togam ab humero detraxisse. *ὥς τε καὶ δημηγορεῖν τὸν μὲν ἐν μιᾷ χώρᾳ βεβηκότα κοσμίως. τὸν δὲ Ῥωμαίων πρῶτον ἐπὶ τοῦ βήματος περιπάτῳ τε χρήσασθαι, καὶ περισπάσαι τὸ τήβεννον ἐξ ὤμου.* Fuit tamen tempus cum more Veterum brachium toga contineretur. Cicero *pro Cœlio*: *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus, & ut exercitatione,* B *ludoque campestri tunica uteremur, eademque erat, si statim mereri stipendia cœperamus castrensis ratio, & militaris.* Ad quem locum mire nugantur Interpretes, quos non moror. Postremus enarrator, qui tertium volumen Orationum fuse explicavit, inde peti discrimen inter togam, & pallium putat, quod in toga dextra libera, & expedita esset, pallium autem utramque manum involveret, ita tamen ut dextra cum opus esset posset expediri, idque adductis Tertulliani verbis stabilire nititur. Sed etiam toga ita utrumque brachium cohibebat, ut tamen dextra exeri posset, & pallium, præcipue Cynicum humerum cum brachio excludebat ut toga: commune vero, ut diximus, ita apertum erat, ut fibula cervicibus adstrictum liberum dextræ aditum daret. Solum igitur eo loco Tertullianus togæ operosam molitionem cum pallii simplicitate confert, in quo nullæ ut in toga rugæ, nullus umbo forcipibus cogatur, nulla contabu-

latio, quodque uno circumjectu vestiat, sicque nihil eo expeditius. Discrimen ergo pallii, & togæ aliunde quam a modo exerendi brachium petendum erat; de quo nobis satis supra dictum est.

In eo etiam falsus est Interpres ille, quod tradit, tam togatos, quam palliatos sinistram veste continuisse, idque his Quintiliani verbis confirmat; *Quorum brachium sicut Græcorum veste continebatur.* Fortasse eum Manutii auctoritas decepit, qui etiam videtur existimasse, Quintilianum de sinistra locutum. Nam cum dixisset brachium non per manicas togæ, quæ nullæ erant, emissum, sed rejecta in humerum ima toga expediri solitum subjicit, *per annum sumpta virili toga modestiæ causa in humerum non rejici consuevisse*; atqui non nisi sinistra imam togam in humerum rejectam constat. Cæterum verba Quintiliani, *quorum brachium sicut Græcorum veste continebatur*, de manu dextra intelligenda esse declarant quæ præcedunt. *Itaque etiam gestu necesse est usos esse in principiis eos alio*, nisi dicere velimus sinistra in gestu Veteres initio usos. Quibus etiam intelligimus non totum cum manu brachium compressum, sed saltem manum emissam, alioqui non alius, sed nullus gestus fuisset. Tertio Ciceronianus Interpres labitur, quod cum negare non possit dextram toga cohibitam, ait *nihil aliud hoc fuisse, quam sinu dextram involvere*. Sed quomodo hoc nobis vir doctus persuadebit? Quis Veterum hoc dixit? Artemidori verba non hoc habent: χρὴ γὰρ τὸ ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδι, καὶ τὴν δεξιὰν ἐνειλημμένην ἔχειν. Nihil hic de manu sinu involuta, nihil de toga; de chlamyde loquitur Artemidorus, qua dextram contineri vult, quam etiam toga anno virilitatis cohibitam scimus, sed hoc fuisse sinu dextram involvere negamus. Neque id fieri potuisse videbit quicumque, quæ de sinu togæ disputavimus perceperit. Aliter in pallio, & chlamyde quæ vestimenta aperta fuere. Datum igitur spatium unius anni docet Cicero ad continendum brachium toga, hoc est, ne anno virilis togæ juventus in viros transcripta more cæterorum brachium dextrum exereret, sicque togæ ora superior utrique humero insisteret, nec dextro brachio subjecta ad lævum humerum ad instar balthei recurreret. Hic profecto verborum Ciceronis sensus est. Seneca lib. v. controv. vi. de eo qui raptus fuerat in veste muliebri: *Apud patres nostros qui forensia stipendia auspicabantur nefas putabatur brachium extra togam exerere.* Quæ verba manifeste indicant, Senecæ tempore eum morem cohibendi brachii exolevisse: immo ætate ipsius Ciceronis, ait enim, *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus*. Discimus etiam ex Seneca non totum brachium cum manu cohibitum, sed saltem dextram extra togam missam ad gesticulationem, nam sine gestu eos orasse non est credibile. Quare & Manutium falli necesse est, qui de sinistro brachio intelligit, cum ait, *per annum sumta virili toga, modestiæ causa toga in humerum non rejiciebatur*: quod verbis Ciceronis adductis probare contendit.

Cap. VIII.

Mittere trans pondera dextram. Horatius explicatus. Cur anno tirocinii brachium toga cohibitum?

In petitione honorum brachium quoque toga cohibitum esse docet Horatius lib. i. ep. vi.

Mercemur servum, qui dictet nomina: lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Mirum est quantopere locus hic torserit quotquot Horatium interpretati sunt: Qui cum multum æstuassent, nihil præter ineptias attulere. Alii enim fortasse Acronem secuti *pondera* lapides interpretantur, qui porriguntur per vias, ut sit *trans saxa magni ponderis dextram porrigere ad aliquem civem in via saxis impedita laborantem sublevandum*. Alii *trans pondera*, id est, *trans turbam quæ se objicit, quæque pondus affert transmissæ dextræ*. Alii etiam *gravia munera pondera esse* dixerunt. Postremo *trans pondera, trans plaustra* dixerunt *grandibus saxis, & magnis trabibus onusta manum transmittere*. Turnebus quidem, & Lambinus aliquid de prensatione, quæ in petitione honorum fiebat subodorati sunt, sed quid esset mittere dextram trans pondera, non intellexerunt. Nihil autem aliud fuit, quam toga brachium exerere, hoc est, dextram trans togam brachio atque humero obductam porrigere, quæ quoniam brachium premeret, & oneraret, ideo poetico *pondera* appellat. Quare non sunt audiendi, qui brachium ulterius quam par est e toga protendere, interpretantur. Monet Horatius, emendum esse servum Nomenclatorem, qui quoties quis in aliqua tribu gratiosus occurreret dominum moneat lævum latus fodiendo, ut brachium veste cohibitum exerat sive extra togæ pondera mittat, ad civem eum prensandum.

Sed quare Romanis datum anni spatium ad cohibendum toga brachium? Festivum est, quod ait Ciceronis interpres novissimus: *eo potissimum anno dexteram fuisse veste, & continendo, fulciendoque togæ sinu saltem occupatam, ut ostenderetur nec tum quidem cum incederet, & spatiaretur, manum debere esse otiosam*. Quid enim aliis annis factum est, cum brachium exerebatur? num otiosa tunc manus fuit, cum minime debuit; num sinus tunc, qui non fulciebatur, defluxit? Immo nullus dextræ usus ad fulciendum sinum, qui humero, brachioque sinistro fulciebatur.

Ut igitur caste, ac pudice juventus haberetur, hoc institutum est; lubrico scilicet ætatis flexu, ipsiusque pubertatis initio, cum fere decimo quarto anno id fieret. Ne ergo adolescentes contrectarentur, ut brachium, quod ad cubitum usque, ob truncas tunicas, sive colobia nudum erat, anno tirocinii toga cohiberetur constitutum est. Id esse verissimum ipsum Ciceronem testem dabo, qui mox addit, *& ut exercitatione, ludoque campestri tunica uteremur, eademque erat si statim stipendia mereri cœperamus castrensis ratio, ac militaris*. Nam cum reliqui in exercitatione, ludoque campestri, item castrensi, ac militari nudi exercerentur, solis subligaculis succincti, cur juventus anno togæ virilis domi, ac militiæ tunicata exercebatur? ob modestiam scilicet, ac pudicitiam, ne nuda epheborum corpora spectatorum oculis vorarentur: eandem ob causam brachium eodem anno toga cohibebat, eo scilicet ætatis tempore, quod ut ait orator ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est. Illud modo non satis expeditum esse videtur, etiam si anno primo virilitatis brachium toga contineretur, quid causæ fuisse dicemus, cur reliqui etiam eo anno elapso in petitione honorum toga brachium cohiberent, & ideo eos Horat. ait *trans pondera dextram misisse*. Ad quod non aliud in præsentia occurrit, quam candidatos Plutarchi testimonio sine tunica in Comitium descendere solitos, sive ut adversa vulnera ostenderent, sive ne pecuniam in sinu gestarent, sive ut supplicarent humilius: cum igitur, vel nudi sub toga essent, vel arctis tuniculis, citra humeros desinentibus amicti, nudum brachium minime exerere solitos, sed decoris causa illud toga con-

tinuisse, ut tirones toto eo anno & ubique faciebant, & ideo necesse habuisse, cum prensandum esset, brachium exerere, & ut Flaccus loquitur *tran pondera dextram mittere*. Præcipue autem ut ea modestia favorem populi conciliarent. Figuram A brachii intra togam cohibiti infra habes. Prima visitur in fronte domus Bassianorum, quæ vulgo T. Livii esse creditur ad dextrum Januæ latus. Altera extat in nummo Lepidi.



CAP. IX.

Brachium exerere. Cethegi exerti, ac cinctuti. Horatius, & Lucanus illustrati.

Etsi brachium porrigere extra togam Veteres exerere, & exertum brachium dicerent, *exertos* tamen proprie eos appellarunt, qui sine tunica, nudoque humero, & brachio extra togam porrecto incederent. Hoc Cethegorum peculiare, ac gentile fuisse scriptores docent. Lucan. II.

—— *exertique manus vesana Cethegi.*

Alibi *nudum* appellat. Quo loco recte notavit Sulpitius, *exertum* eum dici, qui habet humerum, & brachium dextrum nudatum. Quod quomodo fieret ex Horatio discere licet:

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget.

Lambinus sequitur Acronem, qui *cinctutos, cinctos, ac militares interpretatur*, sed præter sententiam: cum omnes, qui sacramento dicerent cingerentur, cinctique ideo essent, cur solos Cethegos cinctutos Horatius dixit? Quare quæ de cinctu militari a viro doctissimo afferuntur non faciunt ad hunc locum. Acron tamen M. S. in Bibliotheca Mediolanensi *Cinctutos exertos* recte ex Lucano in- B terpretatur. Ut & alius vetus Interpres ibidem M. S. *Cinctutis, exertis*. Porphyrio maculosus est, sed ex quo quasi per caliginem veram loci hujus sententiam eliciamus: *Omnes enim Cethegi*, inquit, *morem servarunt eundem Romæ inter cetera descriptam comam retulerunt: Nunquam enim tunica usi sunt: Ideo cinctutos eos dixit, quoniam Cinctum est genus tunicæ infra pectus aptatæ*. Locus quidem male affectus, & cui sine ope M. S. sanando non ego sim. Quid enim hic *de coma descripta?* Fortasse legendum est; *Inter cetera dejectam togam tulerunt*; Quod nempe Cethegi sine tunica incederent, ideo sinistro brachio non contraxisse togam, ne cetera C corporis nudarentur, cum solo cinctu velati essent. Quidquid sit, ideo Cethegos exertos dictos intelligimus, quod sine tunica, nudisque humero, & brachio incederent, atque inde cinctutos, quod loco tunicæ cinctum gestarent, hoc est, subligaculum, sive campestre, quod solas partes infra pectus velabat.

Hoc sensu capiendum Horatium vidit Parrhasius, & eum secuti Turnebus, ac Sigonius, nisi quod Sigonius verba Turnebi pro verbis Acronis adducit. Sed in eo falsus est Parrhasius, ut & Sulpitius, cum tradunt, eum morem Cethegorum fuisse, ut seminudi in bellum proficiscerentur; Non enim exerti dicti

sunt, quod seminudi in bello, sed quod domi, & togati exerto nudoque humero, ac brachio essent, quem postea morem etiam in bellis servarunt, ut scilicet sine tunica solo cinctu ac chlamyde exerto gentili more brachio pugnarent. Silius lib VIII.

Ipse humero exertus gentili more parentum.

Nec verum quod ait Turnebus, Cethegos solo campestri cinctos reliquo corpore exerto, & nudo incessisse, nisi toga in urbe tegerentur; Numquam enim exerti esse aut dici poterant, nisi cum togati; Exertum quippe ad togam refertur, extra quam brachium nudum cum humero exerebatur. Alii tamen cinctum non tantum subligaculum dixere, sed vestem quæ ab umbilico ad pedes cadebat, qualis poparum vestis, sive victimariorum in sacrificiis: quæ & limus dicebatur. Servius ad illud poetæ XII.

Alii fontemque ignemque ferebant.
Ornati limo.

Limus, inquit, *vestis, qua usque ad pedes teguntur parum pudenda.* Hyginus *de limit. agrorum* limum cinctum ideo dicit vocatum quod purpuram transversam habeat, habebat enim in extremo purpuram limam. Inde succincti popæ. Suetonius *Calig.* XXXII. *succinctus poparum habitu.*

Cinctum, ac campestre idem facit Ovidius cum *cinctutos Lupercos* appellat, quos nudos solo subligaculo incinctos discurrisse notum. Cur autem ita Cethegi incederent, ea ratio afferri potest, quod cum Romani antiquissimi solam togam sine tunica gestarent, ut diximus, Cethegos severioris vitæ, ac cultus in antiquo habitu perseverasse, eumque morem posteros secutos esse. Neque audiendus Scaliger *in Titium* lib. II. XVII. cinctutos Cethegos Horatio dictos, hoc est, antiquos, quique illis temporibus extabant, quibus equites cincti & seminudi pugnabant. Si enim omnes tunc cincti, cur solos Cethegos Horatius dicit?

Huc etiam Cæsaris verba trahenda sunt lib. VII. *de bello Gallico: Aedui visi ab latere nostris aperto, ii similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt; Ac tametsi dextris humeris exertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat, tamen id ipsum sui fallendi causa milites ab hostibus factum existimabant.* Lipsius *ad Tacitum* negat se intelligere quomodo humeri exeri potuerint: deinde Criticorum more quod non intelligit corrigit, vocemque *humeris* confodit, & *dextris exertis* legit. Quasi vero non semper dextræ exertæ sint, nisi veste involvantur, aut credimus illo ævo chirothecas adhibitas.

In secunda editione, *dextris nudis exertis posuit*; Quod pejus est. Nam dextris nudis, idem est ac dextris exertis. Servius ad illud,

Aurea subnectens exertæ cingula mammæ,

exertæ, inquit, *nudatæ; Nudant enim quam adusserint mammam.* & rursus ad id,

Hasta sub exertam donec perlata papillam,

exertam, ait, *nudam.* Lactantius ad illud Statii,

—— Tum vero erectus uterque
Exertare humeros nudamque lacessere pugnam.

exertare, inquit, *nudare. Ut exsertique manus vesana Cethegi. Nudamque, sine ferro.* Nil opus ergo correctione. Exertis humeris Aedui fuere, id est, nudis, & inermibus, quod insigne pacatis fuisse tradit Cæsar, detracto scilicet tegmine, sive laminis ferreis, quibus humeri in bello operiebantur. Festus brachium exertum *expapillatum* appellat. *Expapillato, exerto quod cum fit papilla nudatur.* A cincto cincticulum, cujus mentio in veste adolescentum apud Plautum *Bacchid.* Act. III. Scen. III.

Inde de hippodromo, & palæstra ubi revenisses domum
Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres,
Cum librum legeres.

CAP. X.

Toga caput involvere. Caput aperire.

LICET e toga brachium exereretur, & summa togæ ora ab dextro humero deflueret: facile tamen fuit cum res posceret eandem dejectæ togæ partem revocare, caputque operire, aut involvere. Et Romanos quidem in Urbe intecto capite incessisse, nullumque pilei, petasi, causiæ, & alius tegminis usum nisi extra Urbem in peregrinatione fuisse satis superque doctissimus Lipsius ostendit, cui assentiendum est, neque attinet rationes ejus hic verbis invertere.

Unum modo refragari huic sententiæ videbatur, qua ratione si nudo capite vulgo incedebant in salutando tamen illud aperiebant, quod Pompejo fecisse Sullam tradit Sallustius, ac Plutarchus, & fieri solitum quoties Cos. vel Prætor occurreret confirmat Seneca; quod licet de militia, atque itinere extra Urbem intelligere, atque interpretari possimus, ubi petasi usus, Lipsii tamen ejusdem sententiam probamus ex Plutarcho in *Causis*, morem fuisse Quiritibus quandoque ad solem, ventumque & alia Cæli incommoda defendenda capiti togam injicere, atque ita in occursu viri honorandi nihil aliud fuisse caput aperire, quam togæ velamen capiti detrahere. Plutarchi verba sunt: Οἱ ῥωμαῖοι τῶν ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις ἀπαντῶντες κἂν τύχωσι ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες ἀποκαλύπτουσι. *Romani si cui obviam facti sunt cui honor habendus sit, & si forte toga caput velatum habeant, id aperiunt.* Nec est cur Interpretem Lipsius tangat, nam velatum esse, & veste caput tectum habere idem plane est. Sed nescio quo pacto Lipsium fugerit alter Plutarchi locus in hanc rem præcipuus. Nam in *Pompejo* cum recenset eximios honores quibus Pompejum Sylla excepit, ait assurrexisse ei advenienti, & caput aperuisse. In Græco est, Καὶ τῆς κεφαλῆς ἀπάγοντος τὸ ἱμάτιον. *Vestem capiti detrahentis.*

Ceterum nullo pacto eidem Lipsio assentiendum est, qui ait hoc factum fuisse laciniam togæ seu κράσπεδον imamque oram in caput rejiciendo: idque veteres lapides ostendere, & fecisse Scipionem Nasicam apud Plutarchum in *Gracchis*: τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *Lacinia togæ capiti imposita.* Hoc nequaquam nobis Lipsius persuaserit. Non enim lacinia togæ, limbusve inferior in caput rejici solebat, sed pars togæ superior ad cervicem, quæ nempe sinistro humero insidebat & dextro dejiciebatur: ea attrahebatur in caput cum sacra fierent, & cum res alia posceret. Nec dubitare potest qui modo veteres lapides, ac numismata viderit.



¶Hoc si non sufficit, id ita factum esse ratio ipsa evincet. Nam de Cæsare scribit Tranquillus, cum se strictis pugionibus a conjuratis peti videret toga caput obvolvisse, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxisse, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Si lacinia, imaque pars togæ, ut credit Lipsius, rejiciebatur in caput, quomodo sinus deduci ad ima crura potuit, qui nihil aliud erat quam lacinia brachio subducta? deinde quomodo inferior corporis pars velata esse potuit extrema ora in caput subducta?

Pars ergo superior togæ ad cervicem ut diximus sinistro humero incumbens trahebatur in caput, eaque obvelatio fuit. Maxime in sacrificiis, cujus rei causa a Plutarcho petenda est. Quare inter omina mortis Adriani illud Spartianus recenset, quod sacrificanti prætexta sponte delapsa caput ei aperuit, ut recte Lipsius corrigit. Nec aliam ob causam apud Livium lib. XXIII. Manitio Prænestinorum Prætori *statua in foro Præneste statua est loricata, amicta toga, velato capite*. Habitu nempe vota concipientis: subjicit enim: *Cum titulo laminæ æneæ inscripto: Manitium pro militibus qui Casilini in præsidio fuerint votum vovisse*.

Non solum autem in sacris, contraque cæli injurias toga caput operiebatur, sed in re crepera, & calamitosa totum involvebatur. Hoc Cæsar, & Pompejus eodem leti genere ad Cereris generum descendentes in ipsa morte usurparunt. De hoc

A Dio tradit, quod simulatque insidias esse, & se neque defendendi sui, neque effugiendi facultatem habere vidit, συνεκαλύψατο. Eodemque plane verbo in morte Cæsaris usus est; Nam ita a conjuratis vulneratum refert, ut præ ipsorum multitudine nec dicere, nec agere quidquam posset ἀλλὰ συγκαλυψάμενον σφαγῆναι πολλοῖς τραύμασι. Quod Suetonius toga caput involvere dicit. Plutarchus de Pompejo: ὁ δὲ ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις τὴν τήβεννον ἐφελκυσάμενος κατὰ τοῦ προσώπου. Et de Cæsare. ἐφελκύσατο κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον.

Illud postremo non omiserim, Tranquillum, ac Dionem dissentire in Cæsaris cæde narranda. Il- B le enim tradit, e conjuratis Cimbrum Tullum, quasi aliquid rogaturum propius accessisse, renuentique & gestu in aliud tempus differenti ab utroque humero togam apprehendisse, ne scilicet Cæsar brachia expedire posset. Atqui Dio narrat quendam specie gratiarum agendarum accessisse, togamque Cæsari ab humero detraxisse, id enim signum inter conjuratos convenerat. Quicquid sit, Cesar tunc utrumque humerum toga opertum habuisse videtur, nisi hoc ultimum Dionis de humero sinistro intelligere malimus, ex quo detracta fuerit toga. Plutarchus ait Metellum (sed Tul- C lium Cimbrum dicere voluit) utraque manu comprehensam togam e collo detraxisse. τὴν τήβεννον αὐτοῦ ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις συλλαβὼν ἀπὸ τοῦ τραχήλου κατῆγεν. Idque signum aggrediendi fuisse, quod signum in conjuratione alias usurpatum. Nam Suetonius narrat, eundem Cæsarem post Quæsturam venisse in suspicionem, quasi cum Crasso Sullaque, & Antonio conspirasset, ut Senatum adorirentur, signum autem cædis fuisse, ut Cæsar togam de humero dejiceret.

Quod ad Scipionem Nasicam attinet, quem dicit Plutarchus vadentem contra Gracchum laciniam togæ capiti imposuisse, alia res fuit. Nam cum D repente in mediam rixam iturus esset, ubi fustibus ac saxis, subselliorumque fragminibus, & ceteris quæ furor ministraret maxime res agebatur, nullo spatio capiendi arma, non solam togæ laciniam, sed totam fere partem inferiorem in rugas contractam, ac complicatam capiti imposuit ad tutelam, & se veluti galea communivit, ut etiam sic subducta toga expeditior in pugna foret; Eadem ratione qui cum eo erant, ex eadem toga clypeum fecerunt, *Alii*, inquit, *post eum toga circa brachium involuta secuti sunt*.

CAP. XI.

E

Caput pallio involvere: Palliolum: Ciceronis Scholiastes notatus: Petronius explicatus.

QUOTIES capite obvoluto Veteres inducuntur, non semper id togæ lacinia factum est; nam in eum usum præcipue palliola fuere, quæ Lipsius in *Amphitheatro* tantum ægrotorum fuisse ostendit. Qui tamen in eo audiendus non est, quod cum ad id confirmandum Suetonii verba in *Claudio* attulisset, *ob hanc eandem valetudinem, & gladiatorio munere quod simul cum fratre me-* F *moriæ matris edebat palliolatus novo more præsedit*. *Novo more*, inquit, *debuisset enim prætextatus*. Falso. Nam idem, & prætextatus fuit, & palliolatus; Palliolum enim nihil aliud nisi caput ad arcendum frigus velabat; Novo igitur more præsedit Claudius caput palliolo tectus, quod sola valetudo excusare poterat.

Palliolis præterea cucullis, & aliis tegminibus qui latere volebant caput obnubebant. Quare non recte Ciceronis *in Pisonem* enarrator verba illa, *Meministi ne, cænatum cum ad te quinta ferme hora cum C. Pisone venissem, nescio quo e gurgustio te prodire*

soleatum? de togæ, palliique Græcanici lacinia in caput rejecta intelligi vult.

Nam de toga id accipi non posse illud argumento est, quod tunc Piso soleatus: numquam autem toga cum soleis gestata, sed cum calceis. Cic. *pro Cœlio: Cur enim balneas publicas potissimum constituerat, in quibus non invenio quæ latebra togatis hominibus esse possit, nam si essent in vestibulo balnearum, non laterent: sin se in intimum conjicere vellent, nec satis commode calceati & vestiti id facere possent, & fortasse non reciperentur.* Sed clarius II. *Philippica: Nam quod quærebas quomodo redissem; primum luce, non tenebris, deinde cum calceis, & toga, nullis nec caligis, nec lacerna.* Martialis lib. I. ep. L.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga.

Val. Maximus lib. IV. cap. VI. *Funerata uxore & in rogum imposita, inter officium ungendi & osculandi stricto ferro incubuit; quem amici sicut erat togatum & calceatum corpori conjugis junxerunt.* Non ergo de togæ lacinia ea verba accipienda sunt, quæ numquam cum soleis gestata.

Multo minus de lacinia Græcanici pallii, non enim extrema ora, sed totum pallium capiti injiciebatur. Talem inducit Mæcenatem Seneca ep. CXIV. *Hunc esse qui in Tribunali, in Rostris in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput exclusis utrimque auribus non aliter quam in Mimo Divite fugitivi solent.* Atqui servos olim in Comœdiis fugitivos cum se ad cursuram expedirent pallium in caput injecisse, ut agiliores essent, notum est. Plautus *Captivis: Num certa res est eodem pacto ut comici servi solent Conjiciam in collum pallium.* Et *Epidico: Age nunc jam orna te Epidice, & palliolum in collum conjice.*

Pessime autem idem enarrator hunc accumbentium ritum fuisse contendit ex Plutarcho in *Pompejo* de Demetrio ejus liberto: Λέγεται ὅτι πολλάκις ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς τοῦ Πομπηΐου προσμένοντος, καὶ δεχομένου τοὺς ἄλλους ἐκεῖνος ἤδη κατέκειτο σοβαρῶς ἔχων δι' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. *Fertur sæpe in conviviis cum Pompejus expectaret, & convivas exciperet accumbere solitus cum magno fastu habens pallium per caput ad aures adductum.* Ubi bonus ille vir: *Nota*, inquit, *particulam* ἤδη *qua notatur Demetrius, non quod accumbens veste caput involveret, sed quod Pompejum ipsum in eo præveniret.* Logi. Quis non videt notatam liberti importunitatem, quod ante dominum discumberet, qui alios convivas expectabat, deinde quod capite obtecto, quod soli ægroti, aut molles faciebant? Itaque & Trimalcio ille apud Petronium mollissimus *pallio coccino adrasum incluserat caput circaque oneratas vestes cervices laticlaviam immiserat mappam*, quod convivis pene risum excussit.

Ceterum quod ad velandum caput attinet alterum Petronii locum nemo interpretum assecutus est. Anicula quæ olus agreste vendebat Encolpium errantem in lupanar perduxit: *At subinde*, inquit, *ut in locum secretiorem pervenimus centonem anus urbana rejecit, & hic inquit debes habitare.* Quid sit centonem rejicere nemo unus aperuit. Quidam malo consilio *Injecit*, legunt, quasi anus injecerit legitimum habitum prostantium in lupanari. Quod nempe Juvenalis tradat Messalinam *veteri centone lupanar intrasse:* quasi quod illa ad dissimulandam personam fecit, omnes centonem eo loco sumerent. Nec melius, qui nescio quæ vela ad fores pendentia commenti sunt; quod ut concedamus, quis unquam ea vela centones esse dixit? Alii sic existimant, quos sequitur Hispanus interpres, aniculam rejecisse centonem, quo caput obnupserat Encolpius, quasi vetula peregrino illuderet, ejus caput aperiens, cum potius velandum fuerat. Ceterum non minus hic Hispanus nugipolyloquides est, quam quos ipse tales concinnat. Qui enim peregrinos omnes operto capite fuisse ostendet? Dein quis ad hanc rem centonis usus præcipue in honestioribus? Cum præterea Encolpius nesciret se in lupanari stare; nequis ideo caput centone operuisse dicat. Quid ergo? paucissimis rem expediam. Anicula ipsa centonem suum, id est, laceras vestes, ac panniceam mille plagis concisam rejecit, & uredine percita se turpi palæstræ renudavit, ut formoso juvene quem de industria in eum locum perduxerat frueretur. Quod non ante fecit, quam in locum secretiorem pervenerat, id est, in cellam meretriciam. Eadem enim ratione Encolpium in lustra rapuerat, qua Ascyltos a patrefamilias deductus fuerat. Quis hujus interpretationis auctor illustrior ipso Petronio? Subjicit enim paulo post. Encolpium *cum tarde, immo pene jam sero intellexisset se in fornicem esse deductum, aniculæ insidias execratum operuisse caput & extra lupanar fugere cœpisse.* Quænam aliæ fuere insidiæ, quam quæ ab anu adolescentis pudori structæ sunt? Sed hæc fusius in *Electis nostris*, quæ propediem Deo dante vulgabuntur.

CAP. XII.

An toga cingeretur? Macrobii sententia rejecta. Cæsaris cinctus.

FRUSTRA viri doctissimi quæsiverunt, an toga cingeretur, nullus enim huic quæstioni locus fuit; Nam cum toga utrumque brachium, aut saltem sinistrum cohiberet, totumque corpus involveret, cingi nulla alia ratione potuit, quin eadem cinctura, aut utrumque, aut saltem lævum brachium colligaretur. quod cum ad imam togæ oram contrahendam sub ipsa toga protenderetur, non nisi solutum, & vinculo expeditum id facere potuit. Deinde quomodo sinus contraheretur in humerum, rejiceretur, revocaretur, si cinctura impedimento fuisset? Atqui Sigonius, togam cingi solitam contendit, & Macrobii verbis nititur qui lib. II. de Cæsare: *Ita* inquit, *toga præcingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet, ut Sylla tamquam providus dixerit Pompejo, cave tibi illum puerum male præcinctum.* Hunc Macrobii locum ante nos suspectum habuit Manutius, atque pro toga *tunica* ponendum esse censet, quod idem narrans Suetonius de tunica intelligat; Ait enim *Cæsarem cultu notabilem fuisse, usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam ut super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura, unde emanasse Sullæ dictum optimates admonentis, ut male præcinctum puerum caverent.* Absit vero ut cum Sigonio credamus, idem sensisse cum Macrobio Suetonium, & non ferendo errore in toga clavum fuisse, nam latum clavum pro tunica Senatoria & lati clavi sumi solitum satis docti ostenderunt.

Aut igitur corruptus Macrobii locus est, & pro toga, tunica reponendum est, quod fidentius ponerem, si quis MS. codex Macrobii ad manus esset in ea Urbe, in qua etiam impressorum incredibilis penuria est: Aut suspicari possumus, ita tempore Macrobii togæ formam immutatam esse, ut a lateribus aperta vel fortasse etiam additis manicis præcingeretur, ut talem Veterum togam fuisse Macrobius crediderit. Certe idem de Hor-

tensio loquens ait fuisse virum mollem, *quique in præcinctu omnem decorem poneret*, mox morosam ejus togæ structuram describit, quasi de togæ cinctura intelligat. Aut demum existimavit Veteres nodum illum in rugarum contabulatione habuisse, quem fortasse togæ cinctum intellexit.

Sed & si de tunica loquutus fuerit Macrobius, neque satis subsistere potest, quod subjicit, ita Cæsarem male præcinctum fuisse, ut laciniam trahendo velut mollis incederet; Id enim fieri non potuit nisi in tunicis longis & talaribus, quæ cum essent in viris probrosæ & infames, non est credendum a Cæsare quamvis molli gestatas, nec alius Veterum id prodidit cum reliqua minute exequeretur. Cum itaque tunicæ viriles teste Quintiliano paulo infra genua caderent, quantumvis laxa cinctura quis præcinctus esset non poterat laciniam trahere. Præter quam quod laciniam trahere mollium fuisse, & effœminatorum unus Veterum quod sciam Macrobius dixit. Scio genus hominum *cum tunicis demissitiis mulierosum* Plauto dici: Sed causa in promptu, quia tales tunicæ mulierum fuere, & eorum qui opus muliebre faciebant: verum aliud est laciniam, sive syrma trahere. Tragœdi longum post se syrma ducebant, & nihil minus quam effœminati audiebant. Sane cum togæ talares essent, evenire poterat, ut si quis eam negligenter componeret, ac suspenderet, toga flueret, ac traheretur, qui tamen non ut molles, sed ut insani ridebantur. Val. Maximus lib. VII. cap. VIII. *Quam certæ, quam etiam notæ insaniæ Tuditanus? Utpote qui populo nummos sparserit, togamque velut Tragicam vestem in foro trahens maximo cum hominum risu conspectus fuerit*. Vere quidem ajebat Cicero apud Macrobium *se in electione partium præcinctura Cæsaris deceptum fuisse*, quod nempe laxior cinctura effœminatum indicaret, & mollem, non quod laciniam traheret; unde Sylla monebat optimates, ne ex laxa præcinctura fractum Cæsaris animum, & nihil ausurum existimarent, nam ipsi multos Marios inesse. Illud igitur de lacinia, quodque Pompejum Sylla monuerit, ut Cæsarem caveret, de suo Macrobius adjecit scriptor non ita accuratus, ut & plagii non semel victus. Cum hæc sub prælo essent, Insubres patriam meam ex negotiis revisi, ibi in Bibliotheca Ambrosiana in tribus Codicibus manu exaratis eandem cum impressa lectionem repperi & in omnibus *toga* constanter retineri, ut omnino deceptum fuisse Macrobium necesse sit.

CAP. XIII.

Cinctus Romanus: Modus cincturæ Cæsaris cur notabilis? Dionis Interpres notatus.

IN cultu Cæsaris, ac laxiore cinctu enarrando nihil dissentit a Tranquillo Dio Cassius, cujus verba afferam, quia male ab Interpretibus accepta sunt. Postquam enim tradidit Cæsarem occasionem de se obtrectatoribus præbuisse, quod grandis jam natu formæ studeret, subdit. Τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει, καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε, καὶ ὑψηλῇ, καὶ ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς Βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους, ὡς καὶ προσήκων σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον ἐχρῆτο. Quæ verba sic reddiderunt Interpretes, *Quippe semper laxiori veste delicate utebatur, & cinctura fluxiore: aliquando etiam veste sublimiori, ac rubea utebatur more Regum, qui Albæ quondam imperaverant, cum a Iulo id ad ipsos pervenisset*. Sed quænam esset ista vestis sublimior vellem mihi dicerent. Pueriliter ὑποδέσει vel pro fluxiore A cinctura, vel pro veste interpretati sunt: quis enim vel leviter litteris Græcis tinctus ignorat, ὑπόδεσιν esse calceationem sive calceatum. Sed verba ipsa Dionis ab interpunctione laborant, & una plus conjunctione abundant, quod tot viros doctos qui Dionem recensuerunt latere potuit. Facile ergo cuivis fuerat ea hoc pacto concinnare: Τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει μετὰ ταῦτα ἐνίοτε, καὶ ὑψηλῇ, καὶ ἐρυθροχρόῳ *Nam veste laxiori semper molliter utebatur: & calceamentis aliquando deinceps etiam altiusculis, ac rubeis*. Melius Xiphilini Interpres, qui de pedum tegmine intellexit, sed perperam *caligas* vertit, cum *calceos* B debuisset; de quo alias fortasse dicemus. De calceatu autem Cæsaris capiendum Dionem observat Casaubonus *ad Suetonii Julium*, quod nos in prima editione effugerat. Par error ejusdem Interpretis, ut obiter dicam, lib. XLIIX. ubi narrat Dio L. Antonium, & Fulviam, milites, qui sibi arbitrium eos cum Cæsare componendi sumpserant, inridere solitos, ac ludibrii causa Senatum caligatum appellasse. διέσκωπτον γοῦν σφᾶς, ἄλλα τε καὶ βουλὴν καλίγαν (Casaub. recte καλιγάταν) ἀπὸ τῆς τῶν στρατιωτικῶν ὑποδημάτων χρήσεως ἐπονομάζοντες. *Ab usu militaris vestimenti*. ait Inter- C pres. Putide. Nemo enim tam puer est qui non videat, *a militaris calceamenti usu*, vertendum esse. Sed hæc præter rem. Quemadmodum hunc Dionis locum a viro magno, non ferendo errore adductum, ut ostenderet caligas etiam Senatorum aliquando fuisse, quod illi aliud agenti excidit. Neque recte Xiphilinus ipse tradit, causam cur Cæsarem Sylla interficere voluerit fuisse, quod suspectam haberet cincturæ laxitatem.

Ceterum hæc cincturæ laxitas non in toga fuit, ut dicebamus, sed in tunica. Nam sola tunica D cingebatur ab omnibus, præterquam a Senatoribus, ac laticlaviis. Nam ut ex Quintiliano docuit etiam Manutius, quibus jus lati clavi erat, ii non cingebantur: *Cui*, inquit Rhetor, *late clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant; Nam infra mulierum est, supra centurionum. Latum clavum habentium modus est, ut sit paulum cinctis submissior*, id est, ut tunica lati clavi, quæ non cingitur, paulo longior sit tunica non habentium jus lati clavi, quæ cingebatur. Egregie igitur doctissimus Salmasius *ad Historiam* E *Augustam* observat, cultum Cæsaris tripliciter fuisse notabilem. Primo, quod cum ceteri tunicis non manicatis uterentur, & colobiis, Cæsar lato clavo sive tunica laticlavia manuleata indueretur, ita ut oræ manicarum fimbriatæ essent, quod mulierum proprium. Deinde quod cum ceteri laticlavii non cingerentur, ipse nihilominus tunicam laticlaviam cingeret. Tertium fuit, quod laxiore cinctura uteretur, sive ut Græci dicunt κακῶς ζωννύμενος esse. Haud inscius sum, non defore, qui aliter explicari posse Quintilianum dicant; *latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis submissior*. F Ita scilicet latum clavum gestatum fuisse, ut infra cincturam caderet, sive esset cinctu inferior, atque hoc modo Suetonii verba de Cæsare accipienda. Verum id nullo modo consistere potest; si enim communis lati clavi usus fuisset, ut inferior zona esset, id tamquam novum ac notabile in Cæsare non observasset Suetonius, quod super latum clavum cingeretur. Latus clavus igitur tam apud Suetonium, quam apud Quintilianum est tunica lati clavi, quam vult cinctis submissiorem Quintilianus, id est, tunicis asemis, & quæ cingebantur: non autem cinctura, nisi quis cincturam pro tunica cincta intelligat, ut paulo

infra Rhetor posteriorem partem togæ vult *altius cadere cinctura*, hoc est, tunicæ longitudine, de quo suo loco. Quod ergo tunicam lati clavi cingeret Cæsar, cultu notabilis fuit cum reliqui laticlavii non cingerentur. Et hoc est, ut docti observant, quod Horatius dixit, *Latum demisit pectore clavum*, hoc est, fluente tunica, & nulla Zona constricta: cujus rei ignoratio viros harum literarum Jurisque Antistites eo adegit ut scriberent, *clavum fuisse plagulam, quæ in pectus demitteretur collo appensam, ut numismata, atque apud veteres puerorum bullæ erant cervicibus suspensæ*. Quæ opinio jam doctis explosa, Nosque de lato clavo infra pauca quædam afferemus.

CAP. XIV.

Expenduntur scriptores, qui togam cingi solitam docere videntur. Cinctus Gabinus.

CETERUM togam cingi solitam Sigonius ex Valerio Maximo confirmari posse credidit lib. III. cap. I. *Æmilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem hostem interemit, civem servavit: cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta, S. C. posita*. Prætextam autem togam fuisse, nemo ignorat. Verum, ut etiam Manutio observatum est, cinctus ille non communis fuit, aut civilis, sed militaris, quem *Gabinum* dixere, cujus origo e militia, & usus initio tantum in militia fuit.

Frontinus etiam cinctus togæ meminit libr. IV. *Piso Titium Præfectum cohortis, quod loco fugitivis cesserat cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus in principiis quotidie stare jussit*. Sed hoc etiam de cintu Gabino intelligendum est; nam cum antiquissimi Romani etiam in prælio togis uterentur, idque fusum, ac laxum vestimentum esset, non aliter quam ritu Gabino succincti pugnarunt. Plutarchus in *Coriolano* tradit, primis temporibus morem fuisse Romanis in acie constitutis, antequam clypeos sumerent, togamque præcingerent, testamenta in procinctu facere, tribusque, aut quatuor audientibus hæredem nuncupare, ἦν δὲ, quit, τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισαμένοις, καὶ μέλλουσι τὰς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον. De eodem cinctu capiendus idem Plutarchus, loquens de Romulo opima Jovi ferente, quamvis vestem solum incinctam dicat, αὐτὸς δὲ τὴν μὲν ἐσθῆτα περιεζώσατο. Festus. *Endo procinctu, in procinctu, significat autem cum ex castris in prælium exitum est procinctos quasi præcinctos, atque expeditos. Nam apud antiquos togis incincti pugnasse dicuntur*. Glossarium; endo procinctu ἐζωσμένοι ἐν πολέμῳ. Igitur apud Frontinum de Titio cohortis præfecto, quem quod locum fugitivis cesserat cincto togæ præciso Piso stare jussit in principiis. Nihil aliud est quam lacinia togæ præcisa quæ subducta, & retroacta reductaque ad pectus in nodum cogebatur. Val. Max. eandem rem narrans lib. II. cap. VII. *His Præfectum ignominiæ generibus affecit, jussit eum toga laciniis abscissis amictum discinctaque tunica nudis pedibus adesse*. Id est, toga ita decurtata ut cingi more militari non posset. Hinc etiam quoties rixa in Urbe oriebatur & ad manus ventum erat toga succingebatur. Idem Plutarchus de seditione Gracchana; ὡς ἂν ταῦτα τοῖς περὶ αὐτὸν ἐξήγγειλεν ὁ Τιβέριος ἔτοι μὲν αὐτὸς τάς τε τηβέννας περιεζώννυντο. *Quod ut circumstantibus aperuit Tiberius, præcingunt hi confestim togas*. mox subdit, *frangentesque apparitorum hastilia, quibus cœtum submovent, arripiunt fragmenta, ut iis repellant vim inferentes*. Duces etiam & Imperato-

A res hoc modo accincti spolia cremabant. Appianus in *Punicis* de Scipione post devictum Annibalem spolia cremante. *Ipse*, inquit, *ut Romanorum mos est* διαζωσάμενος, id est, accinctus *spolia cremavit*, sive incincta toga, quod verbum infra repetit cum diruta Carthagine ab altero Scipione præda cremata est. Et in *Mitrhidaticis* idem a Sylla factitatum prodit, cum esset more Romano διαζωσάμενος. Quod autem toga prius subduceretur, tum cingeretur idem demonstrat libr. II. *Civilium*, loquens de Antonio in Cæsaris funere satagente. His dictis, inquit, quasi fanaticus ἐσθῆτα ἀνεσύρατο καὶ περιζωσάμενος, ut esset expe-
B ditior, subductam togam accingens.

Atqui hic Cinctus Gabinus fuit. Servius ad illud,

Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.

Gabinus, inquit, *cinctus ex toga sic in tergum rejecta ut una* (lege *ima*) *ejus lacinia a tergo rejecta hominem cingat*. Hoc autem vestimenti genere addit uti solitum Consulem bella indicturum, quod cum Gabii Campaniæ civitas sacris operaretur, bellum subito venit, tum cives accinctos togis suis ab agris (lege *aris*) ad bella profectos, &
C adeptos esse victoriam, unde eum morem emanasse. Idem ad illud lib. V.

Urbem designat aratro.

Quem Cato Originalibus dicit morem fuisse. Conditori enim civitates taurum in dextra, vaccam in sinistra jungebant: & cincti ritu Sabino, (lege *Gabino*) *id est, togæ parte capitis* (lege *capita*, vel *capite*) *velati, parte succincti tenebant stivam obliquam ut glebæ omnes intrinsecus caderent*. Togæ parte sive lacinia superiore caput velabant, inferiore lacinia se accingebant. Livius etiam libr. IIX. de Decio se devovente: *Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite manu sub-*
D *ter togam ad mentum exerta super telum subjectum pedibus stantem dicere*. Mox: *Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit, & se in medios hostes immisit*.

Ex his manifestum fit, cinctum Gabinum non aliud fuisse, quam cum togæ lacinia lævo brachio subducta in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus, atque ita in nodum colligabatur, ut togam contraheret, & breviorem, ac strictiorem redderet. Hoc intellexit Isidorus cum ait: *Cinctus Gabinus est, cum ita imponitur toga, ut togæ lacinia, quæ post secus rejicitur, attrahitur ad pe-*
E *ctus, ita ut ex utroque ex humeris picturæ pendeant, ut sacerdotes gentilium faciebant, aut cingebantur prætores*. Locus corruptus. Quid enim *picturæ ex utroque ex humeris?* Puto legendum, *Cinctus Gabinus dicitur, cum ita imponebatur toga, ut togæ lacinia, quæ post rejicitur, attraheretur ad pectus, ita ut ex utroque latere penderet*, nempe togæ lacinia. Quod ad picturas attinet, ab Persii Interprete decipi potuit omnia converrens Isidorus, cujus verba sunt: *Toga est purum pallium forma rotunda, & fusiore atque inundante sinu, & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur: cujus similitudinem in operimentis simulachrorum, vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus*. Porro idem
F Interpres Persii paulo post mutilus est cum ait ad illud *succinctis laribus; Quia Gabino habitu cinctuque Dii Penates formabantur obvoluti toga super humerum sinistrum dextro nudo*. Non enim toga sinistrum humerum involvens cinctus Gabinus erat. Nam communis hic gestandi togam modus. Idem paulo ante adductus: *Toga est purum pallium forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur*. Non erat inquam, Cinctus Gabinus toga sinistrum hume-

rum involvere, sed quem supra posuimus, & infra etiam explicabimus.

Cinctus ergo Gabini origo hæc fuit; Cum toga, ut diximus, longum, ac redundans vestimentum esset, & ideo pugnæ incongruum, repentina, ut notat Servius, apud Gabios hostium incursione, cum non esset tempus deponendi togas, ac sumendi chlamydes, subductam, & retro rejectam togæ laciniam hinc inde revocantes ad pectus se ea incinxerunt, sive succinxerunt, qui cinctus inde Gabinus servatus in sacris, & cum Consul Janum reseraret, aut Imperator in bello prætextam sumeret, quæ hoc ritu incingebatur, aut Prætor mappam Circensibus mitteret; atque hoc habitu statua Lepido posita est, & de hoc cincto togæ præciso intelligendus Frontinus. Hoc etiam sensu capienda Afranii verba apud Nonium: *Equidem prandere stantem nobiscum incinctam togam*, id est, lacinia sua retracta ad pectus constrictam, & colligatam. Nisi quis credat a meretrice in convivio togam more tunicæ zona cinctam, quod aliter fieri non potuit quam si utrumque brachium exereretur, atque ita superior pars ab humeris deflueret. Mihi sufficiat ostendisse togam communi usu non fuisse cingi solitam; imo nec potuisse.

CAP. XV.

Docti viri opinio refutata de cinctu Gabino Catonis cum jus diceret. Tertullianus **de Pallio** ***explicatus.***

TERTULLIANUS *de Pallio* cap. III. ait, Catonem, qui Græcos pellendos Urbe censuerat, Præturæ tempore Græcis in habitu favisse humero exerto. Verba ejus sunt: *Atque adeo ipse qui Græcos pellendos Urbe censebat (literas eorum vocemque senex jam eruditus) idem Cato juridicinæ suæ in tempore humerum exertus non minus palliato habitu Græcis favit.* Hic locus reique vestiariæ imperitia mira vaticinari coegit interpretes. Sunt qui togatos humero exerto esse non posse dicant, sed palliatos, & ideo palliatum Catonem in prætura fuisse, non togatum. Alii Catonem quod Orator esset, & fori habitator habitu Oratorum fuisse in Prætura contendunt, quod Rhetores, & Causidici in gestu faciundo humerum exertum toga haberent. Hos omnes jure refutat vir magnus in suis ad Tertullianum notis, neque tamen ipse meliorem sententiam affert. Vult enim credi a Tertulliano designari tempus quo Magistratum gessit Cato; quod nempe in Magistratu tantum, Prætura scilicet, vel Consulatu, & reliquis, Romani humerum exertum haberent, atque hunc habitum fuisse, quem cinctum Gabinum vocarent. Sic toga incinctos fuisse Consules, vel Prætores, cum in aliquo solemni actu versarentur: cum rem divinam facerent: Janum recluderent: item cum Prætor in ludis mappam mitteret. Cum ergo Cato Prætor humerum exertus, sive nudus esset, hoc cinctu Gabino a Tertulliano dici, Græcis Juridicinæ suæ tempore favisse.

Sed demonstrandum fuerat viro doctissimo, etiam Prætores cum Jus dicerent Cinctu Gabino incinctos fuisse, quod illi difficillimum fore puto. Ut autem hoc ei demus omnes Prætores in Gabino cinctu fuisse cum jus redderent, cur Tertullianus solum Catonem nominavit, cum utique validius futurum fuisset argumentum si dixisset, *Prætores omnes Juridicinæ tempore humerum*

A *exerti habitu palliato Græcis faverunt, immo quotquot Magistratus publica munia obibant.* Hæc nullo pacto possunt consistere. Quid ergo? Nomine Græcorum hic philosophos designari nemo dubitare potest, qui meminerit vetus illud maledictum in Philosophos distringi solitum ὁ γραικὸς ἐπιθέτης Et Græci quos pellendos Urbe Cato censuerat, Philosophi, sive sophistæ fuerunt. Quanquam non Catonem, qui exitu suo Uticam nobilitavit, sed seniorem, Philosophos Urbe pellendos censuisse, & ideo memoria lapsum Tertullianum, & ratio ipsa, & Gasparis Sciopii V. C. autoritas suadet. Confirmat hoc Plinius lib. VII. cap. XXX.
B *Cato Censorius in illa nobili trium sapientiæ procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quam primum legatos eos censuit dimittendos, quoniam illo viro argumentante, quid veri esset haud facile discerni posset. Quanta morum commutatio! Ille semper alioquin universos ex Italia pellendos censuit Græcos: at pronepos ejus Uticensis Cato unum ex Tribunatu militum Philosophum, alterum ex Cypria legatione deportavit. Eandemque linguam ex duobus Catonibus illum abjecisse, hunc importasse memorabile est.* Ita enim locus ille legendus. Cum igitur hic Tertullianus tradit Catonem habitu pal-
C liato favisse Græcis, de pallio Philosophorum haud dubie intellexit, quod ita præcipue a Cynicis gestabatur, ut dextro brachio subjectum in lævum humerum rejiceretur, exerto humero dextro, & plerumque nudo, maxime in Cynicis, qui sine tunicis, aut saltem strictis tuniculis humerum non velantibus induti erant. Vetus Interpres Juvenalis ad illud Sat. XIII. *nec Stoica dogmata legit, A Cynicis tunica distantia*, hæc notat: *Dicit Cynicorum, & Stoicorum dogma convenire, tantum veste distare; Nam Cynica mater hæresis Stoicæ: Cynici absque pallio exerto brachio*; Sed vel nugatur solens Glossator ille, vel pro *pallio*, *tunica* legen-
D dum est, totusque ille locus corrigendus; *Nam Cynica hæresis* (secta) *mater Stoicæ: Cynici absque tunica, ex pallio exerto brachio*. In *Anthologia* lib. II. de philosophis:

Καὶ σόλιον, μάλιον, πωγώνιον, ὤμιον ἔξω.

Et bacillus, villosa vestis, barbula, humerus exertus.

Quare S. Cyprianus *Cynicorum vocat exerti, ac seminudi pectoris inverecundam jactantiam.*

E His nempe Græcis philosophis, quos Urbe pellendos censuerat, Juridicinæ tempore favit Cato exerto & ipse, nudoque humero, non ex Gabino cinctu, sed quia sine tunica erat, idque præter morem ceterorum, & ideo ipsum peculiariter nominat Tertullianus. Id nisi aperte docebimus nulla causa est quin nihil nobis in posterum credatur. Val. Maximus lib. III. cap. VI. *M. autem Cato Prætor M. Scauri, cæterorumque judicia nulla indutus tunica, sed tantummodo prætexta amictus egit.* Asconius Pædianus *in Orationem pro Scauro: Cato*, inquit, *Prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus; In*
F *forum quoque sic descenderat, jusque dicebat, idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt, togatæ sine tunicis.* Sed quod ait Pædianus, id egisse Catonem, quia tempus æstivum erat, præter tolerantiam est magni illius viri, ac Romanorum ultimi. Vera ergo causa a Plutarcho affertur, hoc illum egisse, non quod gloriam ex hac novitate aucuparetur, sed quo assuesceret ob solam turpitudinem erubescere, reliqua indecora contemnere. πολλάκις δὲ, inquit, ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων

εἰς τὸ δημόσιον προῄει μετ᾽ ἄριστον. *Crebro sine calceis, & tunica procedebat a prandio in publicum*. Ob causam quam attulimus. Sed quod magis ad rem nostram pertinet, idem tradit, Catonem prætorem factum creditum esse non tantum majestatis & fastigii recte administrando adjecisse magistratui, quantum detraxisse, ac deformasse; Verba ejus sunt: ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων πολλάκις ἐπὶ τὸ βῆμα προσερχόμενος, καὶ θανατικὰς δίκας ἐπιφανῶν ἀνδρῶν οὕτω βραβεύων. *Quod frequenter sine calceis & tunica* (vetus Interpres perperam habet, *sine toga*) *ad tribunal accederet, & de capite illustrium virorum sententiam ferret*. Tertio ejusdem rei meminit Plutarchus, quod cum Consulatus repulsam tulisset, eaque res non solum ipsis candidatis, sed etiam eorum amicis solita esset per multos dies cum aliquo rubore tristitiam, ac mœrorem afferre, adeo eum casum lente tulerit Cato, ut unctus pila luserit, & a prandio rursus in forum more suo sine calceis, & absque tunica descendens cum familiaribus deambularit. Ac ne quis dicat, præter tunicam superiorem etiam interiorem gestasse Romanos, & propterea nudum humerum habere non potuisse Catonem, non semper hoc verum fuit, & interiores istæ tunicæ, sive subuculæ strictæ erant, & humerum excludebant. Gellius lib. VII. cap. XII. *Viri Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt* (hoc voluit imitari Cato) *postea substrictas, & breves tunicas citra humerum desinentes habebant*. Quales etiam fuisse Cynicorum subuculas, si tamen omnes iis utebantur, existimamus.

Tam Cato igitur in Prætura, sed solus, quam Græci philosophi exerto, nudoque humero fuerunt, & ideo Catonem in Prætura humero exerto non minus quam palliati solerent, Græcis Tertullianus favisse dixit. Recte igitur Baronium in *Exercitationibus* Casaubonus reprehendit, qui Catonem palliatum jus dixisse prodidit, sed nec ipse Tertulliani sensum assecutus est: *Eandem*, inquit, *& Tertullianus significare voluit, cum dixit illum jus dixisse humero exerto, quod non solum de palliatis dicitur, verum etiam de togatis, qui togæ laciniam humero detractam sub brachium conjiciebant*. Atqui omnes ætate Catonis exerto hoc modo brachio erant. Ita de nudo intelligendum, quia sine tunica. Quare frustra etiam a viris doctissimis tres modi afferuntur togæ gerendæ apud Romanos: Antiquissimus, cum toga utrumque humerum tegeret: Recentior, quo toga ab humero dextro retracta, & sub brachium missa in lævum deinde brachium congesta dexteram liberam relinquebat: Tertius, cinctus Gabinus. Nam diligenter veteres statuas togatas inspectanti, nummosque, quorum beatissimum thesaurum suppeditat mihi Paulus Caotorta Veneti Senatus lumen longe clarissimum, non alius quam duplex modus occurrit, antiquissimus, quo brachium toga cohibebatur exerta dextra: & recentior, quo cum brachio humerus exerebatur, nec alio distinguebatur ab hoc cinctus Gabinus (utrobique enim exertus humerus) quam, quod hic toga cingebatur, nequaquam ibi & de his hactenus.

CAP. XVI.

Nullum in toga fibulæ usum fuisse. Panciroli non unus error in re vestiaria perstringitur.

UT toga communi usu non cingebatur, ita neque fibula nectebatur, nullusque in ea fibulæ usus esse potuit, contra quam censuit Pancirolus in libro *rerum deperditarum*. Nam cum vestimenta tantum aperta, ut pallia, & chlamydes, sagaque fibula in humero, vel ad cervices jungerentur, ne scilicet defluerent: toga, quæ erat circumclusa, & humero sinistro inhærebat, ut lævo brachio sustineretur, nullo modo cadere aut defluere poterat, nisi sponte dejiceretur, ita nullus in ea fibulæ usus; nec quisquam Veterum, quod sciam, fibulæ in toga communi mentionem fecit. Quare quam in veteri sepulchro auream repertam tradit ille, non togæ debuit esse, sed chlamydis, aut pallii, si tamen pallium habuit: ut ante aliquot annos cum doctissimo Jo. Rhodio disputavi. Nam togæ usum non plane intellexit Pancirolus; si enim clausum fuisse vestimentum non ignorasset, non fuisse opus fibula intellexisset, quæ duas vestium apertarum partes jungebat. Verum non ita in re vestiaria versatum fuisse senem gravioribus studiis implicitum non est mirum, alioqui non toties duobus illis capitibus lapsus esset. Ut cum ait, *Aliculam chlamydem fuisse pallium, quod pueri usque ad* XIII. *annum gerebant, idque ex Ulpiano colligi, post quod tempus prætextam sumptam:* utrumque falso. Neque Ulpianus hoc dixit; Lege enim *Vestis* XXIII. *D. de auro & arg. leg.* hæc tantum habentur: *Puerilia vestimenta sunt, quæ ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem, veluti togæ prætextæ, aliculæ chlamydes, pallia, quæ filiis nostris comparamus*. Unde nescio quid J C. noster de pallio puerili usque ad XIII. annum sit expiscatus. Cum notum præterea sit a pueris prætextam gestatam usque ad tempus togæ virilis.

Hinc veluti in tenebris micat: Ait togam communem fuisse cœruleam, ut Crinitus manicatam: togam candidam tantum Senatorum fuisse: item tunicam eorundem totam purpuream, cujus latera globulis aureis connexa, qui lati clavi dicti sint: Lacernas sub toga gestatas, quæ pudet recensere, nedum refellere.

Ceterum Dionysius Halicarn. lib. usum fibulæ in toga videtur novisse. Nam cum Saliorum cultum describit, χιτῶνας ποικίλους χαλκίαις μίτραις ἀνεζωσμένοι, καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. Ubi trabeas, quæ togæ erant, fibulatas Saliis assignat. Sed ut solus Dionysius fibulæ in toga meminit, ita solus Veterum togam Saliis adscribit. Apud me potior est Livii auctoritas, qui solas tunicas pictas in Saliis agnoscit. Ait enim: *Salios item duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegumen, cœlestiaque arma, quæ Ancylia nominantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, solemnique saltatu jussit*. Nec aliud quam puniceas tunicas agnoscit Plutarchus in *Numa*: φοινικοῦς, quit, ἐνδεδυμένοι χιτωνίσκους. *Puniceas tuniculas induti*. Cruserius enim non recte Dionysium magis secutus quam sensum verborum, *trabeati* vertit. Trabea enim non nisi toga fuit. Plutarchus tuniculas appellat. Præter tantorum virorum auctoritatem ratio ipsa vincere videtur, sine toga Salios fuisse, nihil enim magis incommodum saltanti, quam vestimentum fusum, ac talare, nihilque

tam ineptum, quam ut ait ille, *togam saltanti personæ inducere*.

Sed etiam si auctoritas Dionysii valeat, & habuerint Salii togas, simul & fibulas; non licet tamen arguere inde in communi toga fibulæ usum. Nam fibulas illas in trabeis Saliorum non est credendum eundem usum præstitisse, quem in vestimentis apertis ad partes divisas connectendas, (nam clausam togam ostendimus) sed potius adhibitas ad ipsam togam contrahendam, atque attollendam, ne scilicet ad pedes fluens saltantes impediret; quales fibulæ fluentia mulierum pepla coercebant. Vel quod verius mihi videtur, apud Dionysium *ἐμπεπορπημένοι τὰς τηβέννας*, non tam est *infibulati togas*, quam *succincti*, ritu scilicet Gabino, de quo supra, quo etiam ritu easdem trabeas succinctas ab equitibus in transvectione gestatas non est dubitandum.

CAP. XVII.

De Togæ materia. Lanarum varia genera. Toga pexa, & detrita.

TOGAS, tunicas, lacernas, & reliqua Quiritium vestimenta ex lana confecta fuisse apparet, quod nusquam vestes nisi a pretio lanæ, aut a colore scriptoribus commendantur. Plinius lib. IIX. cap. XLVII. *Magna*, inquit, *& pecori gratia, vel in placamentis Deum, vel in usu vellerum. Ut boves victum hominibus excolunt, corporum tutela pecori debetur*. Deinde lanarum genera exequitur, omnemque Romanorum cultum inde confectum ostendit. Addit ex Varrone, lanam cum colo, & fuso Tanaquilis in templo Sangi durasse, factamque ab ea togam Regiam undulatam, qua Servius Tullus fuerat usus. Atque inde factum, ut nubentes Virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine. Etiam Martialis sæpe ab lana Tarentina vestimentis commendationem petit, præcipue lib. II. ep. XLIII.

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso.

Ut Plinius Apulam, sive Tarentinam ceteris præfert. Sive Galesi fluvii prope Tarentum aqua pota ovibus pretiosum vellus daret, sive, lana ipsa eodem fluvio lota, quod de aliis fluminibus Veteres crediderunt, summam nobilitatem acciperet. Martialis lib. IV. ep. XXVIII.

Et lotam tepido togam Galeso.

Alia etiam lanarum genera memorat idem poeta, Parmensem, Bæticam, Altinatem. Eodem epigrammate XLIII. lib. II.

Vel quam seposito de grege Parma tulit.

Et lib. VIII. ep. XXVIII. de Partheniana toga:

Dic toga facundi gratum mihi munus amici,
Esse velis cujus fama decusque gregis?
Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi
Bætis in Hesperia te quoque lavit aqua?
An tua multifidum numeravit lana Timavum
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?

Porro de Bætica lana Idem lib. IX. ep. LXII.

In Tartessiacis domus est nobilissima terris,
Qua dives placidum Corduba Bætin amat.
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus.

Scilicet ob rutilum, sive aureum lanæ colorem nativum. Hinc nativi lanarum colores in vestibus servati, & celebrati. Quorum plura genera fuisse idem Plinius ostendit, ut etiam aliquibus nomina desint. *Hispania*, inquit, *nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes, Cani: Asia ru-* A *tili, quas Erythræas vocant: Canusium fulvi: & Tarentum suæ pulliginis*. Hinc tot in lacernis præcipue, aliisque vestibus, (si togam, ac tunicam demas, quæ albæ gestabantur) colores fluxere, ab varietate scilicet lanarum earumque nativo colore, aliquando etiam ab infectu.

Notat præterea Plinius. *Istriæ, ac Liburniæ lanam pilo propiorem, quam lanæ, & ideo pexis vestibus alienam, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania*. Pexas vestes fuisse, in quibus ob villorum densitatem nec stamen, nec trama appareret, aliis animadversum scio. Tales omnes B recentes vestes fuere. Martialis lib. II. ep. LVIII.

Pexatus pulchre rides mea Zoile trita.

Idem lib. II. epigr. XLIV.

Emi seu puerum, togamve pexam.

Et lib. III. ep. XXXVI. tritam pexæ opponit:

Hoc merui Fabriane toga, tritaque, meaque.

Unde in tela aranearum *pexitatem* a Plinio dici villosam quandam in ea, & lanuginosam filorum naturam, quæ in arra earum textura non perinde appareat, ut in densa notavit Turnebus lib. V. C cap. XIV. Nam vestes obsoletæ, ac detritæ his contrariæ, in quibus scilicet vellere attrito, & defloccato, filorum textura apparebat. Idem lib. IV. ep. XXXIII.

Sordida cum tibi sit, verum tamen, Attale, dicit,
Quisquis te niveam dicit habere togam.

Ubi nivea tenuis est, & detrita. lib. IX. ep. L, de toga Partheniana:

Nunc anus, & tremulo accipienda tribuli;
Quam possis niveam dicere jure tua.

Tales togas *decutes*, sive *decotes* Festo dici censet Lipsius in *Electis*. Quia igitur lana illa Istrica, & Liburnica sine villis fuit, & pilo propior, D jure alienam pexis vestibus dixit Plinius, atque ex ea scutulatam vestem confici in Lusitania. Nam cum scutulæ in vestibus quadraturæ essent ad instar plagarum, quibus retia distinguuntur, contextæ, ex lana villosa haud quaquam texi poterant hujusmodi scutulæ, quod villorum densitate textura, & artificium operiebatur, secus in lana minime villosa, & pilo propiore, ut in Liburnica, ubi scutulatus textus non impedientibus villis apparebat. Similem Istricæ, ac Lyburnicæ lanam circa Piscenas provinciæ Narbonensis, in Aegypto provenire subjicit Plinius, ex qua vestis detrita E usu tingitur, rursusque ævo durat. Ubi frustra *tegitur*, vel *pingitur*, inferciunt correctores: Nam *tingitur* rectum est. Vestimenta communi lana confecta usu atrita defloccantur, villosque cum colore amittunt, nec renovari possunt, etiamsi denuo fingantur, nam delapsis villis cum stamine subtemen apparet. At vestes lana Istrica, vel Ægyptia contextæ, quæ pilo propior est, postquam usu obsolevere, colorem quidem amittunt, quem si tingantur, recipiunt denuo, & interpolantur, novæque videntur, nihil enim præter colorem amittunt, quia cum villis careant, & veteres, & recentes filorum texturam ostentant; secus in reliquis pexis, ubi detrita semel fila repa- F rari non possunt. Hic est sensus verborum Plinii. Quare non semper vesti pexæ trita opponitur, id est, vetus, ac detrita, sed recens sine villis, qualis ex lana de qua diximus contexebatur, eaque *rasa* appellabatur; qualisque ut plurimum serica, quæ sine villis, & minime pexa: eaque scutulatæ texturæ aptior, ut ait Plinius; Hincque existimo Juvenalem utrumque conjunxisse Sat. II.

Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Rasæ etiam togæ meminit Martialis lib. II. epist. LXXXV. quam æstati aptiorem fuisse indicat:

Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ,
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri,
Si quereris; rasam tu mihi mitte togam.

Alibi videtur *levem togam* appellare, libr. VII. ep. LXXXVI.

—— Nulla venit a me
Argenti tibi libra pustulati,
Nec levis toga, nec leves lacernæ.

Nisi tenui filo intelligat, & ideo pretiosam. Nam & ab ipsa lana, & a textura togæ aliæ aliis pretiosiores fuerunt. Ovidius *de arte* lib. III.

Sed vitate viros cultum formamque professos
Quique suas ponunt in statione comas.
Nec toga decipiat filo tenuissima.

Qualis illa Martialis lib. X. ep. LXXIII.

Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.

Hoc est, ex lana tenui ac molli textura, quæ tamen vestes mulieribus aptiores visæ. Quo respexit Cicero: *Velis amictos non togis.* & Varro in *Modio. Istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos.* Contra toga pinguis dicebatur quæ crassiori filo compacta erat. Suetonius *Augusto* cap. LXXXII. *Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & subuculæ thorace laneo, & fœminalibus, & tibialibus muniebatur.* Horatius lib. I. Sat. III.

Concha salis puri, & toga quæ defendere frigus
Quamvis crassa queat.

CAP. XVIII.

Lana coacta. Plinius uno capite non semel correctus, & explicatus.

SED quoniam in lanarum mentione versamur, curæ pretium fuerit Pliniani loci eodem capite misere affecti curationem tentare. Postquam lanas recensuisset, ex quibus vestes texebantur, addit; *Lanæ & per se coactæ vestem faciunt, & si addatur acetum etiam ferro resistunt: imo vero etiam ignibus novissimo sui purgamento: quippe alienis polientium extractæ in tormenti usum veniunt, Galliarum ut arbitror invento, certe Gallicis hodie nominibus discernitur.* Nos pene adolescentes, *ahenis polientium extractæ*, legendum videramus, & gavisi sumus cum eandem conjecturam apud doctissimum Gelenium invenimus. Verum tetigit ille vulnus, non sanavit. Sic enim locus ille interpungendus est, *& si addatur acetum, etiam ferro resistunt, imo vero etiam ignibus; novissimo sui purgamento ahenis coquentium extractæ in tomenti usum veniunt.* Quæ enim ratio illa erat, quod ignibus resisterent lanæ, quia extractæ ahenis venirent in usum tomenti? Numquid tomenta igni resistunt? Duplex lanarum qualitas Plinio recensetur; altera, quod coactæ addito aceto, ferro, & ignibus resistant: altera, quod earum purgamentum extractum ahenis coquentium (hoc malui, quam *polientium*, secutus veteres codices) ad culcitas inferciendas adhiberetur. Hoc est venire in usum tomenti; Tomentum quippe culcitæ fartum fuit, ut recte Gelenius; Festus *culcita, quod tomento inculcatur appellata.* Martialis lib. XI. ep. XXI.

Culcita tomento quod viduata suo.

Isid. lib. IX. cap. XXVI. *Culcitæ vocantur quod calcentur, id est, farciantur pluma, sive tomento.* Id inventum Galliarum existimat Plinius, quia tomentum tunc Gallicis nominibus discerneretur. Nam lib. XIX. cap. I. de lino: *Nullum est candidius, lanæve similius: sicut in culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent, Galliarum hoc, & tomen-*

A *ta pariter inventum, Italiæ quidem mos etiam nunc durat in appellatione stramenti.*

Quæ sequuntur verba, eadem prava interpunctione pessime habent. *Nec facile dixerim, qua id ætate cœperit; Antiquis enim torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris gausape;* Quid hoc monstri est? eadem res fuit stramentitius torus, & gausape? Nihil minus. Ait Plinius nescire se quando cœperint tomenta e lana fieri, quia apud antiquos non tomenta sive culcitæ in usu erant, sed torus stramentitius, qualis adhuc in castris ætate Plinii retinebatur. Nihil igitur ad hunc locum gausape. Postquam in urbe in locum B lecti stramentitii tomentum venerat, inrepere tamen in castra culcitæ, sive tomentum non potuit, in quibus veterem e stramento torum non retinere nimis delicatum visum est, & præter disciplinam militarem. Ne longum faciam. Verbum illud *gausape* ad sequentia spectat, quæ sic concinnanda sunt. *Gausapæ patris mei memoria cœpere, amphimalla nostra, sicut etiam villosa ventralia.* Ignorare se dicit Plinius, quando lanæ in usum tomenti venerint, quod apud antiquos e stramento torus esset. Atqui memoria patris sui factum, ut gausapæ in usu esse cœperint, sicut ætate sua, & amphimalla, & ventralia villosa in C usum venerint. Gausapæ vestes villosæ ad instar tapetium. Amphimalla autem, sive ἀμφιμάλλοι χιτῶνες vestes utrinque villosæ; Ventralia demum vestimenta contegendo ventri, quæ fortasse eadem cum semicinctiis. Plinius M. S. in Bibliotheca Ambrosiana eandem prorsus interpunctionem præfert, licet in verbo *gausape* corruptus sit, quod etiam ab altero M. S. deest. Sic enim ibi legitur. *Qualiter jam nunc in castris. Causa patris mei memoria cœpere, amphimalia nostra.*

Nihil igitur gausape ad torum stramentitium, nihil ad tomentum. Ad Plinium intelligendum non parum facit Martialis, qui quid sit tomentum D explicat lib. XIV. *Tomentum Lingonicum* ep. CLIX.

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ
Vellera Lingonicis accipe rasa sagis.

Quo loco intelligimus, quare Plinius putarit inventum tomenti Gallorum esse, & Gallico vocabulo discerni. Nam aliud erat tomentum *Lingonicum*, idque proprie tomentum, quod ex lana Gallicis sagis derasa cogebatur; Aliud minus proprie, quod *Circense* dicebatur, idque ex arundine concisa, juncoque palustri inferciebatur, cujus usus in Circensibus fuit. Idem titulo *Tomentum Circense* epist. CLX.

E *Tomentum concisa palus Circense vocatur,*
Hæc pro Lingonico stramina pauper emit.

Ubi Lingonicum simpliciter pro tomento usurpat. Qualis autem fuerit torus ille Plinii stramentitius ex eodem discas, titulo *Fænum*, epig. CLXII.

Fraudata tumeat facilis tibi culcita pluma
Non venit ad duros pallida cura toros.

Jurisconsultus lib. III. de legatis: *Tomentum cognominabatur Circense ex arundinibus concisis factum, idque stramentum habebatur plebejorum.* Seneca *de vita beata* cap. XXV. *Nihilo miserior ero, si* F *lassa cervix mea in manipulo fæni acquiescat: si super Circense tomentum, per sarcinas veteris lintei effluens incubabo.*

Non eadem tamen ratio conficiendi tomenti Plinio, & Martiali. Ille ex purgamento lanarum coctarum coactum vult; hic ex lana Lingonicis sagis derasa. Etiam ex pilis hircorum confecta tomenta notat Philargyrius ad illud *Georg.* III.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cyniphii tondent hirci, setasque comantes
Usum in castrorum.

In uſum caſtrorum, inquit, *quod inde tomenta fiant, itemque cilicia*. Ut ut ſit, non eſt præter rem quod adjicit Plinius, cum hæc ſcriberet, *tunicam laticlaviam in gauſapæ modum texi primum cœptam*. Reliquas tunicas ante Plinium in gauſapæ modum textas, id eſt, villoſas, & pilis hirtas crediderim, demum etiam laticlaviam, in qua fortaſſe majus artificium fuit, ne ſcilicet clavi purpurei villorum denſitate tegerentur. Sed quid Ventralia eſſe dicemus apud Plinium? *Gauſapæ patris mei memoria cœpere amphimalla noſtra, ſicut villoſa etiam ventralia*. Gloſſæ *Ventrale* Κοιλιόδεσμος ϛολῶδα. Juriſconſultis Zona, crumena, quam & *fundum* & *profundum* vocaverunt, ut Cujacius cap. XXVII. lib. X. *Obſerv.* Ita Alciatus lib. I. *Parerg.* cap. XL. illud Calliſtrati: *Pannicularia bona damnatorum eſſe, quæ damnatus habet, & modici ſunt pretii, promiſcuique uſus, qualis eſt veſtis qua fuerit indutus, aut nummuli inveterales, quos victus ſui cauſa in promptu habuerit. Nec debent*, inquit, *Præſides pati, ut commentarienſes ea pecunia abutantur, ſed debet ſervari ad ea quæ jure Præſidum ſolent erogari, ut puta carciaticum (carceraticum) quibuſdam officialibus inde ſubſcribere*. Illud, inquam, *inveterales* recte corrigit *in ventrali*, intelligitque de his pecuniis quas in ſacciperio habent, quod inſitum ineſt in ſemicinctii plagula, quam ante ventrem gerunt. Itaque horum ſententia ventrale nihil aliud fuit, quam crumena, ſive zona, in qua nummi condebantur. Sed quid opus erat ea villoſa facere? Quare exiſtimaverim fuiſſe potius veſtimentum breve, quod ad inſtar thoracis muniendo ventri tunicæ ſubjiceretur, quod frigoris cauſa ætate Plinii etiam villoſum fieri cœperit; in eo ſicut in zona pecuniam circumlatam.

CAP. XIX.

Veſtis ſerica. Bombyx Coa, & Aſſyria. Plinius defenſus.

TARDE admodum, & non niſi ſub Imperatoribus ſerica veſtis Romanis cognita. Eam a Seribus Indiæ populis unde advehebatur, appellatam convenit. Ovidius *Amorum* lib. I. eleg. XIV.

Quid quod erant tenues, & quos ornare timeres
Vela colorati qualia Seres habent?

De qua tamen duplex Veterum opinio fuit. Alii enim, inter quos Virgilius, ac Plinius, Marcellinus, nec pauci præterea exiſtimarunt, ex arborum lanugine aqua mollitam canitiem ab Indis depecti ſolitam, unde Sericum conficeretur. Plinius: *Seres canitio ſilvarum nobiles perfuſam aqua depectentes frondium canitiem*. Reliqua ſcriptorum loca obvia ſunt. Alii opus id bombycum eſſe tradiderunt, qui foliis involuti fila deducerent ſericumque conficerent. Priores ſecutus Lipſius *ad Tacitum* hoc diſtinxit bombycinum a ſerico, quod bombycinum vermiculorum opus eſſet, quos bombyces dicimus: ſericum autem ex illa Indica lanugine confectum. Nec pauci Lipſium ſequuntur. Verior tamen Salmaſii opinio videtur, qui *ad Tertulliani pallium* ex Servio, & aliis oſtendit, etiam ſericum bombycum opus fuiſſe, & ideo non alia re, quam loco, ſericum a bombycino diverſum, quod nempe bombycinum ab Indis advectum præſtantiſſimum κατ' ἐξοχὴν ſericum diceretur: bombycinum autem appellatum, quod in Inſula Coo conficeretur.

Duplex autem bombycinum ſtatuere videtur Plinius Coum, & Aſſyrium, & hoc quidem pretioſius: ait enim cap. XXIII. lib. XI. loquens de

A Coa bombyce: *Nec puduit has veſtes uſurpare etiam viros levitatem propter æſtivam. In tantum a lorica gerenda diſceſſere mores, ut oneri ſit etiam veſtis. Aſſyria tamen bombyce adhuc fœminis cedimus*. Hic in Plinium inclementius mea quidem ſententia viri doctiſſimi invecti ſunt. Quaſi veſtes Coas ex Aſſyria bombyce confectas crediderit: item ab eadem bombyce Aſſyria, quæ ceram facit, bombycinum texi. Quicunque enim caput illud XXIII. perlegerit, inveniet non a bombycibus, qui ceram faciunt, bombycinum texi, ſed ab alio bombycum genere, de quo Plinius Ariſtotelem ſecutus ait cap. XXII. ejuſdem lib. *Et alia horum origo*
B *e grandiore vermiculo gemina ſui generis protendente cornua, eruca fit, deinde, quod vocatur bombylis, ex eo necydalus, ex hoc in ſex menſibus bombyx*. Duplex ergo Aſſyriorum bombycum ſpecies ſtatuitur Plinio, altera quæ major veſpis, crabronibus, & fucis, nidos e luto, ceraſque facit, altera de qua dictum eſt; atque hi bombyces, non illi, qui ceras faciunt, telas aranearum more texunt, ad veſtem luxumque feminarum, quæ bombycina dicebatur. Hujus veſtis bombycinæ generatim ſumptæ occaſione adjicit Plinius primam, quæ bombycinum texuerit, fuiſſe Pamphilem in
C Inſula Coo, non tamen quod ex Aſſyria bombyce, qui enim id fieri potuit, ſed ex Coa, licet diverſa Coæ bombycis generatio quam ſequenti capite tradit.

Quod ſi crediſſet Plinius, Pamphilem ex bombyce Aſſyria texuiſſe, nullum diſcrimen fuiſſet inter Aſſyriam, & Coam: nam eadem veſtis fuiſſet Aſſyria, quia ex Aſſyria bombyce, & Coa, quia in Inſula Coo, a Coa muliere pertexta: *Prima Pamphile bombycum telas redordiri, rurſumque texere invenit*. Ita veteres codices habere docuit Gelenius non *retorquere*; Ipſe Plinius ubi de Seribus loquitur, idem verbum *redordiendi* uſurpat:
D *Seres canitio ſilvarum nobiles perfuſam aqua depectentes frondium canitiem, unde geminus fœminis noſtris labor redordiendi fila, rurſumque texendi*: quod eleganter poſitum; bombyces dum telam ſuam conficiunt ordiuntur fila, id eſt, ſtamina deducunt, texuntque tramam liciis nectentes, fœminæ ad texendam veſtem iterum ordiuntur fila, iterumque texunt.

Ceterum tam ſerici, quam utriuſque bombycinæ veſtis, hoc proprium fuit, ut quod dixerunt Veteres, corpora denudarent. De ſerico Plinius; *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat*. Et Seneca lib.
E VII. *de Benef.* cap. IX. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi corpus, aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis mulier parum liquido nudam ſe non eſſe jurabit. Hæc ingenti ſumma ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur, ut matronæ ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo quam in publico oſtendant*. Simile eſt illud apud Senecæ patrem in *controverſiis* lib. II. *Infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veſte perſpicua ſit: eo nihil in corpore uxoris ſuæ, plus maritus, quam quilibet alienus, peregrinuſque agnoverit*.

F De Coa, quæ etiam a viris geſtabatur, Horatius lib. I. Sat. II.

—— *Cois tibi pene videre eſt*
Ut nudam.

Multo magis de Aſſyria, quam nondum auſos viros ſua ætate geſtare tradit Plinius. A pretio igitur, aut a ratione texendi diverſitas petenda fuit.

Porro aliquod diſcrimen inter Aſſyriam bombycem, & ſericum Indicum fuiſſe apparet, licet utrumque tranſlucens fœminas denudaret, quod ſi res

si res eadem fuisset, dixisset Plinius, *serico adhuc fœminis cedimus*, quod ab alieno orbe petitum vult, ut fœmina in publico transluceret. Atqui Plinium pro Assyria bombyce intellexisse sericum contendunt, immerito. Nam Plinius sericum non fieri ex bombyce credidit, sed ex pexa arborum lanugine. Præterea ætate Plinii viri Assyria bombyce abstinebant, & tamen ante ejus tempora serica vestis a viris gestata. Tacitus de Tiberii temporibus, *Promiscuas viris, & fœminis vestis*. Et tamen ante decretum fuerat, *Ne vestes serica viros fœdaret*. Ex quo apparet, præstantiorem bombycinam vestem Assyriam fuisse, sive majoris luxus, utpote quam gestare viros puderet, quibus serica usurpata. Quare non est tam absurdum, bombyces etiam in Assyria provenisse, ut in Insula Coo, licet non constet unde hoc Plinus acceperit. Nec ea cum serica, ut dicebam, confundenda est. Certe Assyria eodem tempore & serica Romæ in usu erat, & de utraque distincte meminit Plinius. Quod si ex India advecta fuisset, non eam bombycem appellasset, qui nullum bombycum opus in serico texendo credidit, sed solam lanuginem.

CAP. XX.

Vestes bombycinæ: sericæ: subsericæ: multitia.

BOMBYCINÆ vestis mentio frequentior, quam sericæ apud auctores occurrit, quod rarus sericæ usus, atque ex alieno orbe petitus, commodius bombycina subveheretur. Quamquam si verum est, quod de Cæsare tradit Dio lib. XLIII. ludis theatrum velis sericis contexisse, non tanta debuit tunc esse serici penuria. Scio de subserico Dionem, Tacitum, & reliquos, qui serici meminerint, capiendos doctis viris animadversum, quod apud Spartianum dicatur Heliogabalus *primus Romanorum sericam vestem induisse*, id est, holosericam, *cum ante subserica in usu esset*, in qua stamen ex lino, subtemen sericum erat. De holoserica Vopiscus in *Aureliano* cap. XLV. *Vestem holosericam neque ipse in vestiario habuit, neque alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit, Absit ut auro fila pensentur. Libra enim auri, tunc libra serici fuit.* Distinguit tamen sericum a subserico Lampridius in *Alexandro*: *Vestes sericas ipse raras habuit, holosericas numquam induit, subsericam numquam donavit.* Nisi eandem vestem modo sericam, modo subsericam appellat, ut eam raro adhibuerit Alexander, aliis numquam donaverit: sed fuisse eam vestem in usu promiscuo sub Heliogabalo notaverat: quidquid sit magna serici hujus, sive subserici copia debuit esse, quæ Theatro contegendo satis esset. Sed id verum sericum, sive holosericum, fuisse videtur indicare Dio: τοῦτο δὲ, inquit, *ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου ἐστὶν ἔργον, καὶ παρ᾽ ἐκείνων, καὶ πρὸς ἡμᾶς ἐς τρυφὴν τὴν πάνυ γυναικῶν περιττὴν ἐσπεφοίτηκεν*. *Sericum quo Theatrum Cæsar velavit, fuit textura barbaricæ luxuriæ ad supervacuum luxum Romanarum mulierum advecta.* Idem lib. LIX. de Caligula. *καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ χλαμύδα σηρικὴν ἁλουργῆ ἐπενέδυ*. *Chlamydem sericam purpurei coloris induit.* Et paulo infra. *Ἄλλως δὲ δὴ ἔν τε τῇ σηρικῇ, καὶ ἐν τῇ νικητηρίᾳ σκευῇ ὡς πλήθει ἐδημοσίευεν*. *Ut plurimum in serico vestitu, aut triumphali ornatu in publico versabatur.*

Sed tam subsericæ, quam sericæ vestis, id proprium fuit, quod & bombycinæ, ut translucerent, hominesque nudaret. Juvenal. Sat. II.

Acer, & indomitus libertatisque magister,
Cretice pelluces.

A Lipsius de Coa, sive serica toga intelligi vult. Alii de Coa tantum, nec de serica capi posse Juvenalem, quæ tantum a fœminis tunc gestata, cum Coa etiam viris in usu, ut ait Plinius. Ego de serica, & quidem muliebri locutum poetam censeo. Nam si ætate Plinii, id est, aliquot annis ante Juvenalem Coa vestis viris promiscue gestata, labentibus in deterius moribus, non erat quod poeta cælum terræ misceret, si Creticus veste Coa incessisset. Hoc enim tolerabile jam fecerat usus. Atque hoc tamquam insanum, ac fœdissimum exagitat:

—— Sed Julius ardet,
Æstuo: nudus agas, minus est insania turpis.

B Mox:

Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.

Præterea ait Satyricus futurum fuisse, ut meretrices talem togam recusarent, si damnatæ essent:

—— Est mœcha Fabulla
Damnetur si vis etiam Carfinia, talem
Non sumet damnata togam.

Non ergo vestis illa Coa fuit, quæ multis ante annis meretricibus familiaris. Horatius ubi supra:

—— Cois tibi pene videre est
Ut nudam.

Quare non togam Coam, sive bombycinam damnavit Aquinas poeta, quæ multo ante gestabatur a viris, sed sericam, & muliebrem.

C Et ideo infra eam vestem, *multitia*, appellat, quæ ab eodem fœminis adscribuntur:

Humida suspectis referens multitia rugis.

Quamquam non ignorem, multitiorum virilium mentionem a Vopisco fieri; sed quod additur, *virilium*, denotat proprie multitia muliebria vestimenta fuisse, & secutis temporibus a viris usurpata, ut & vestes holosericæ.

Ejus vocis originem me fateor ignorare. Nam quod alii quasi *multilicia* dicunt, & polymita intelligunt, præter verbi novitatem, apud Juvenalem sermo est de toga, quam albam fuisse constat,

D non filorum varietate intextam. Qui autem multicia a multum iciendo deducunt, quasi vestimenta multum icta, & percussa, præter idem vitium novitatis, potius rei ipsi contrarium adducere videntur; nam vestes multum ictæ, & bene textoris pectine percussæ, densiores sunt, minusque pellucent; quo magis enim trama stamini connectitur, fila spissantur densius, minusque per ea corpora apparent.

In illo quoque hærere me non abnuerim, an de bombycinis togis capiendus Cicero sit, cum de Catilinæ sociis loquitur: *manicatis, ac talaribus tunicis, velis amictos, non togis*. Imo an Varro apud

E Nonium easdem intellexerit, cum ait: *Istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos*. Nam bombycinas non multo ante Plinium a viris usurpatas vidimus: Si laneæ, ut omnia tunc vestimenta, nescio an tales pellucidæ vestes, & ut ait Varro, *vitreæ*, ex lana confici potuerint: nisi sericas fuisse dicamus, & de subsericis intelligamus, qualia Cæsariani Theatri vela fuisse supra tetigimus.

Neque illud omittendum, quomodo hæ vitreæ togæ tunicæ clavos ostentarint, quasi vero communi toga clavi purpurei tegerentur, neque apparerent per densum vestimentum: cum tamen

F certum sit, clavis hisce Curiam ab reliquis ordinibus distinctam, quod fieri non potuisset, si latuissent. Fortasse igitur, cum plures in tunica clavi essent, & in toga communi duo tantum, aut tres apparerent, qua ad pectus toga patebat, & brachium dextrum exeri solitum diximus, togis vitreis, ac pellucidis pectus denudantibus omnes apparuere, & in oculos incurrerunt.

CAP. XXI.

Togæ color. Candidati.

TOGÆ communis colorem album fuiſſe, ſatis doctiſſimus Manutius oſtendit, & eum ſecutus magni nominis Criticus, qui ne Manutium quidem nominat, cui omnia fere in hac diſputatione debet. Neque hic ego congerendo ſcriptorum loca, quibus id probetur, lectoris otio abutar, cum vel mediocriter eruditi id ignorare non poſſint, & facile ſit ipſum Manutium conſulere.

Duo tamen ſunt, quæ huic ſententiæ refragari videntur; Alterum, ſi omnes vulgo alba toga Romani uſi, cur qui honores petebant, candidati dicti? Alterum, quod diebus Feſtis, & lætitiæ cauſa albati Romani incedebant. Nuperus *Milonianæ* enarrator ait, *Magiſtratum petentes nihil habuiſſe in veſtimentis præter album, & ideo candidatos vocatos: quia nempe ſine tunicis eſſent, in quibus clavi purpurei, vel quod tunicæ ipſæ totæ purpureæ eſſent. Ita petitores, vel depoſuiſſe tunicas purpureas, vel ſaltem clavos, & ideo candidatos dictos.* Quæ ratio nihili eſt. Nam tunicas non fuiſſe purpureas, infra vincam: & clavos purpureos in petitione depoſitos, falſum eſt: & ſi verum eſſet, id modo in Senatu, & Equite locum habuiſſet, quid ii, quibus nullum clavi jus fuit? Quid plura? Depoſitas tunicas in petitione conſentiunt auctores, non quod purpureæ, aut purpura illuminatæ, ſed ut aperto pectore, honeſta vulnera petitorem commendarent, Alii ne pecunia occultaretur emendis flagioſe ſuffragiis factum putant, quod refutat Plutarchus in *Coriolano*.

Melius ergo Lipſius, qui inter albam, & candidam togam diſtinguit, quod alba nativo lanæ colore eſſet, candida addita creta fieret. Idque ex Livio, & Iſidoro. Ille lib. IV. *Placet, tollendæ ambitionis cauſa, Tribunos legem promulgare, ne cui album in veſtimentum addere petitionis cauſa liceret.* Iſidorus, *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior.* Etiam Manutius aliud fuiſſe candidum, aliud album docuerat: eſſe autem in colore candido ſplendorem quendam, qui non eſt in albo: itaque candidam nivem proprie dici, pallorem autem album, non candidum, licet aliquando confundantur: ut cum Gellius lib. III. tradit: *Scipionem die dicta, neque barbam deſiſſe radere, neque non candida veſte uti.* ubi *candidum*, pro *albo* uſurpatur. Et Liv. Dec. V. lib. V. *Legati Rhodiorum, cum primo in veſte candida viſi eſſent, quod & gratulantes decebat.* Huic mox opponit ſordidam: *Et ſi ſordidam veſtem habuiſſent, lugentium Perſei caſum præbere ſpeciem poterant.* Infra: *Extemplo veſte ſordida ſumpta, domos principum cum precibus, ac lachrimis circumibant.* Ut & apud Martialem lib. IV. ep. II.

Cum plebs, ac minor ordo, maximuſque
Sancto cum duce candidus ſederet.

Addita ergo creta, ut ait Iſidorus, *candidior toga fiebat.* Illud tamen difficultate non caret, quod in omni togarum lotione adhibebatur creta, nec ars fullonia ſine creta fuit. Titinnius apud Nonium:

Terra hæc eſt, non aqua,
Ubi tu ſolitus argutarier pedibus,
Cretam dum compeſcis, veſtimentaque lavas.

Et Plinius libr. XXXV. cap. XVII. ubi de generibus Cretæ loquitur: *Ergo ordo hic eſt: primum abluitur veſtis Sarda, dein ſulphure ſuffitur; mox deſquamatur Cimolia, quæ eſt coloris veri.* Hæc autem & Sarda cretæ ſpecies fuere. Ex his apparet, omni A togæ adhibitam cretam fuiſſe. Fortaſſe ergo communi togæ abluendæ creta adhibebatur: at togæ petitorum jam lotæ, creta ſuperinducebatur, ut candeſceret magis, ac poliretur. Certe Plinius Cimoliam cretam abluendis veſtibus in uſu fuiſſe ſcribit: Umbricam autem, quæ & ſaxum vocabatur, nonniſi poliendis veſtibus aſſumi ſolitam. Illud etiam addere poſſumus, togas petitorum, ut candidæ fierent, poſtquam Umbrica expolitæ eſſent, prælo ſubjectas fuiſſe, ut niteſcerent, ſplendoremque illum acquirerent, quem coloris candidi proprium eſſe diximus: & ideo togam candidam, λαμπρὰν Polybio dici, cum nempe a prælo, B & a creta ſplendeſceret. Talis toga ſplendens dicitur Senecæ epiſt. V. *Non ſplendeat toga, ne ſordeat quidem.* Quod Lipſius explicat, nitidam, recenter lotam, & pexam. Sed tales erant quæ minime ſorderent, nitidæ ſcilicet, & recenter lotæ. Atqui Seneca non vult ſplendentem, & ſine ſordibus optat. Ergo *ſplendens* eſt a præli preſſura. Ut alibi Lipſius recte illud ejuſdem Senecæ *de tranquillitate* cap. I. *Non ex arcula prolata veſtis, non mille ponderibus, aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa.* Pondera ſcilicet, ac præla veſtem ſplendere cogebant. Huc ſpectat locus Martialis lib. II. ep. XLVI. quem Lipſius adduxit:

C *Sic tua ſuppoſitis pellucent præla lacernis,*
Et micat innumeris arcula ſyntheſibus.

Et Ammianus lib. XXVIII. *Solutis preſſoriis, veſtes luce nitentes arbitra diligenter explorant.* Quod vero Lipſius ſubjicit, ideo ſuppoſitas prælis veſtes, non ſolum ut niterent, ſed etiam ut pexæ eſſent, credibile non eſt. Nam veſtium pexitas non a prælo, ſed a lana recenti, aut ab artificio erat, cum erinacei cute polirentur. De quo jam multa viri docti diſputarunt.

Ceterum quod ait Lipſius, communes togas nativo tantum lanæ colore albas fuiſſe, falſum eſſe D ex Plinio oſtendimus, qui artis fulloniæ cretam præcipuam facit. Quod nec ipſe negare poteſt, nam explicans illud Plauti in *Aulularia*:

Qui veſtitu, & creta ſe occultant, & ſedent quaſi ſint frugi;

homines deſignari ait tenuiores, quibus cum copia mutandæ togæ non eſſet, tamen, ut nitidi apparerent, ſub dies ludorum togulam ſuam incretabant; vel ſervos, qui ut liberos mentirentur, fortaſſe cretam addebant in veſtem, ut in cavea fallerent. Si ergo ſola creta candida veſtis fiebat, & iſti candidati fuere extra honorum petitionem. E Quare, ut diximus, veſtis petitorum candida fuit, Cimolia primum, ut reliquæ veſtes, abluta, deinde Umbrica, ſive ſaxo expolita, tum prælo ſplendere juſſa.

Ceterum Marcilius ad illud Perſii ſat. V.

——— *Quem ducit hiantem*
Cretata ambitio.

notat, ideo cretam togis adhibitam, ut rigidæ eſſent, tabularum, ſive tiliarum capaces, quod eſſe non poteſt; difficilius enim plicæ, ac rugæ in veſte durata, quam in molli & flexibili finguntur. Deinde cum omnes togæ plicas, rugaſque haberent, ſi ad hoc cretabantur, togæ omnes candidæ F fuiſſent. Idem perperam locum Tertulliani accipit: *Rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum cuſtodibus forcipibus aſſignet.* legit, *porpicibus* πορπῖξι, fibulis, quaſi ullus ibi fibulæ uſus eſſe potuerit. Sed de hoc alias.

CAP. XXII.

Albus color lætitiæ causa adhibitus. Albati.

ALTERUM, quo communes togas non fuisse albo colore, ostendi poterat, illud erat, quod Romani diebus festis, ac solemnibus albati incedebant, præcipue die natali; idque non scriptoribus notatum esset, si reliquo tempore in alba veste fuissent. Horatius libr. II. sat. II.

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Ovidius *Trist.* lib. III. eleg. XIII.

Scilicet expectas solitum tibi moris honorem
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?

Et lib. V. El. V. de Natali uxoris:

Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno:
Sumatur fatis discolor alba meis.

Et Persius sat. II.

—— *Quamvis te albata rogarit.*

Ubi vetus Interpres, *Albata autem festiva, aut certe albata pura, & vitiis carens.* Idem ad illud sat. I.

Et natalitia tandem cum sardonyche albus.

Ad hoc recitaturus, inquit, *ornatus, & festivus incedebat; Albus, aut festiva veste indutus, aut recitandi pavore confectus.* Etiam Dio in adventu Teridatis Romæ impletum fuisse tradit forum: mediam ejus partem a plebe albata, & laureata: alteram a militibus armorum nitore fulgentibus.

Lipsius hoc pacto nodum solvit, quod Romani diebus festis, lætisque recentes togas sumerent, & usu nondum sordidas, atque obsoletas. Sed qui fieri potuit, ut cum sæpe festi dies, & publica lætitia occurreret, pauperes, & tenuiores, quibus vix una togula erat, recentes togas sumerent, ac mutarent, ut in adventu Teridatis alba plebs incessit?

Fuit cum existimarem, quod loca, quæ a Lipsio afferuntur, sint Scriptorum Augustæi ævi, quo scilicet jam togæ in desuetudinem abierant, & in locum lacernæ successerant, pulli, aut rufi coloris: diebus festis, ac solemnibus sumptas esse ab omnibus togas, quæ albæ, & ideo albatos dictos, easque fere recentes, quod raro admodum ferrentur. Firmabam conjecturam meam argumento, quo Manutius togas communes albi coloris fuisse ostendit. Arguit Cicero Vatinium, quod in publico epulo Q. Arrii accubuerit cum toga pulla, cum tot hominum millia accumberent, ipse epuli Dominus Q. Arrius albatus esset. Cum ergo ad epulum publicum funebre, non propinqui tantum, aut amici invitarentur, sed populus universus, in quo propemodum ait Manutius innumerabiles erant sic a re domestica imparati, ut vestitum epuli gratia mutare non possent, verisimile non est, albam togam eos pro tempore sumpsisse, ut mox epulo finito aliam induerent. Ita credibile non est, universum populum potuisse ad quodlibet epulum, festasque dapes, recentes togas afferre, quas finito epulo aliis mutarent. Quod si quis contendat, ætate Ciceronis togas in usu promiscuo fuisse, & hac ratione omnes albatos: facile erit reponere, Arrium licet in toga communi, albatum, ad distinctionem Vatinii, qui pullatus.

Hæc olim, nec me hujus sententiæ pœnitet. Simplicius tamen fuerit si dixerimus, diebus festis, ac publica lætitia, togas non novas, aut recentes sumptas (qui enim hoc fieri ab omnibus

A potuit?) sed lotas, & a fullone recentes. Id enim facile fuit etiam tenuioribus togulæ sordes demere, opeque fullonis eandem interpolare, pristinoque candori reddere. Id nunc etiam vulgus usurpat, ut festis diebus interiores lineas recenter lotas induant.

Nec indecorum modo fuit togas sic sæpe lotas diebus festis adhibere, ut etiam inter munera clientibus mitterentur. Martialis lib. X. ep. XI.

Donavi tamen, inquis, amico millia quinque,
Et lotam, ut multum, terque quaterque togam.

Id est, candidam, & pene novam. Et hæc de
B albatis, & candidatis.

CAP. XXIII.

Pullus color in luctu. Atrati. An idem a matronis usurpatus?

ROMANOS in luctu atratos fuisse, hoc est, nigra, sive pulla veste indutos certum est. Veterum testimoniis paginas infercire putidum. *Togæ pullæ* meminit Cicero in *Pisoniana*, *Pullatorum procerum*, Juvenalis sat. III. Tacitus in funere Germanici *atratam plebem* inducit. Propert. lib. IV. el. VII.

C *Denique quis nostro curvum te funere vidit,*
Atram quis lacrhimis incaluisse togam?

Etiam Artemidorus lib. II. cap III. ait, homini ægrotanti alba vestimenta in somnis visa, mortem portendere: quod mortui in albis efferrentur. Nigrum autem pallium salutem significare, quod non mortui, sed qui lugent mortuos, tali vestimento utantur.

De mulieribus ambigitur, cum alii Scriptores, eas deposita purpura, & auro, in veste lugubri fuisse dicant: Halicarnasseus, & eum secutus Suidas, vestem nigram adscribat, & magna pars
D Veterum, Varro apud Nonium *de vita pop. Rom.* Val. Maximus lib. I. cap. I. Appian. lib. III. *Civil.* Atqui Herodianus, Statius, & Plutarchus albam vestem a fœminis in luctu usurpatam tradunt, quorum verba jam a Lipsio *ad Tacitum* allata sunt. Et Lucanus lib. II. de Martia a funere Hortensii Catonem priorem maritum repetente:

Obsita funerea celatur purpura lana.

Id est, pulla. Lipsius ita Veteres in concordiam adduci posse credit, si dicatur, nigras vestes luctus proprias fuisse stante Rep. albas sub Imperatoribus: quod ut non rejecerim, (quamquam fuscæ vestis in luctu matronali meminerit Apule-
E jus) illud nullo pacto admiserim, hanc causam mutationis videri, quod cum veteres matronæ in alba, aut nigra veste præcipue incederent, postquam crescente luxu, Galbanæ, Cerulæ, & Coloriæ invectæ sunt, albam vestem spretam, ut vilem, & luctui tantum reservatam. Hoc falsum est: nam, ut Valerius tradit lib. II. matronæ in veteri Rep. & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt: contra sub Imperatoribus, aut interdicta purpura matronis, aut certis tantum personis permissa. Corruit igitur tota conjectura. Me ejus mutationis causa hactenus latuit. Ceterum mirum est, verba Herodiani de matronis in veste alba
F funus Severi celebrantibus, λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι, Politianum vertisse, *Vestibus albis exilibus indutæ.* Quid enim fuere hæ vestes exiles? cum vestes illæ vulgares, ac comunes essent, sive viliores. Eadem ratione Dio lib. LVI. de Tiberii, & Drusi ejus filii cultu lugubri in funere Augusti. Tiberius, filiusque ejus Drusus, φαιὰν τὴν ἀγοραῖον τρόπον πεποιημένην εἶχον. *pullam togam vulgari* sive *communi more paratam* (non *forensi more*, ut hic Interpres,) *habebant.*

CAP. XXIV.

Togæ mensura. Togæ talares. Quintilianus explicatus.

CUM toga vestimentum laxum esset, ac fusum, pro opibus tamen cujusque laxiorem fuisse, aut angustiorem Horatii Interpretes notarunt, ac illud ep. XVIII lib. I.

—— *Tibi parvula res est.*
Arcta decet sanum comitem toga.

Quare ille opum contemptor Cato, cum arcta toga ab eodem inducitur eod. lib. ep. XIX.

Quid, si quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguæque togæ simulet textore Catonem?

Pro opibus, inquam, & arbitrio cujusque, ne quis Orationum Ciceronis enarratori credat, qui M. Antonium, quod prætextatus decoxisset, arctiorem ceteris togam sumere debuisse scribit, quasi id lex juberet, & non potius necessitas cogeret. Has togas arctas, *togulas* scriptores vocarunt, quales patronorum avaritia clientibus donabat, quarum Cicero, & Martialis meminerunt. Justam autem togæ mensuram sex ulnarum fuisse iidem Horatii Interpretes observant, ubi poeta Menam libertum carpit, quod toga sex ulnarum sacram viam metiretur. Mihi tamen verisimilius est, quod si sex ulnarum togæ mensura fuisset, non id tamquam novum aut insolens Horatius notavisset. Nisi id in liberto non ferendum, quod ingenuos deceret. Ut ut ea res se habeat, antiquitus quidem toga ad calceos usque demittebatur, ut Græcorum pallium teste Quintiliano: idque ut fieret Plotium, Nigidiumque præcipere, qui circa illa tempora de Oratoris gestu scripserunt. Quocirca Plinium refutat idem Quintilianus, qui scripserit solitum tantum Ciceronem id facere velandarum varicum gratia, cum tamen hoc genus amictus in statuis eorum quoque qui post Ciceronem fuerunt, appareret. Id tamen etiam impudentis maledicentiæ, & exhausti pudoris vir Fusius Calenus apud Dionem semper magnis viris iniquum objectavit Ciceroni, quod nempe demissitiis vestibus ad crurum vitia velanda uteretur, lib. XLVI. ὧν οὐδὲ σὺ ἐποίησας, ὁ δεινὸς, ὁ σοφὸς ὁ πολὺ πλείονι τῷ ἐλαίῳ τοῦ οἴνου χρώμενος, ὁ καὶ μέχρι τῶν σφυρῶν τὰ ἐσθῆτα σύρων, οὐμὰ Δί᾽ οὐχ ὥσπερ οἱ ὀρχησαὶ, οἱ τὰς ποικιλίας τῶν ἐνθυμημάτων διδάσκοντές σε τοῖς σχήμασιν, ἀλλ᾽ ἵνα τὰ αἴσχη σου τῶν σκελῶν συγκρύπτῃς. Interpres. *Qui vestem usque ad talos dependentem trahis.* Rectius si togam talarem vertisset, nam Græci, & præcipue Plutarchus ἐσθῆτα pro toga ponere consueverunt. Aetate ergo Ciceronis, & paulo post Togæ talares fuere. Talis est quam dedimus Figura I. quod monumentum positum Lepido, & Munatio Coss. diximus anno morientis Romanæ libertatis supremo.

At Quintiliani ævo eodem teste, non ultra medium crus porrectæ; Ait enim ipsam togam rotundam esse debere, & apte cæsam, aliter enim enim multis modis futuram enormem: Horat. I. *Serm.* Sat. III.

—— *Rideri possit, eo quod*
Rusticius tonso toga defluit.

Mox subjicit Quintil. *Par ejus prior mediis cruribus apte terminatur, posterior eadem portione, altius quam cinctura.* Quæ postrema verba, fateor, me magnopere torserunt. Quomodo enim togæ pars posterior altior quam cinctura esse potuit? Fuit cum existimarem de parte ea loqui Quintilianum, quæ brachio subducta in humerum sinistrum rejiciebatur, & sic ipsa cinctura altior esset, sive de illa, quæ excluso dextro brachio ab humero

A pariter dextro defluebat, & tamen superior cinctura erat. Sed cum Quintilianus dicat, eadem portione, ac priorem, non aliter explicari potest, quam ut mediis cruribus, quemadmodum prior terminetur, & ita quomodo cinctura altior erit? Fortasse Quintilianus ibi pro cinctura tunicam cinctam intellexit: quod nempe tunicæ Zonæ arbitrio, altius, submissius suspenderentur, & propterea vult togæ partem priorem, & posteriorem ita mediis cruribus terminari, ut tamen tunicæ cinctæ ima ora paulo altiores essent. Juvant conB jecturam nostram ejusdem Quintiliani verba paulo supra, ubi tunicæ laticlaviæ longitudinem tradit. *Latum*, inquit, *habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis submissior*, id est, paulo longior tunicis, quæ cingebantur. Nam ut ostendam cum illuc ventum fuerit, & aliquid supra tetigimus, tunica lati clavi non cingebatur. Si ergo ibi *cinctis* ponit, pro habentibus tunicas cinctas, cur non & hic cincturam, pro tunica cincta intelligamus? Si quis tamen priorem interpretationem malit, non repugnem. Utramque trepide, & hæsitanter posui, donec alius meliora promat.

C

CAP. XX.

Togam antiquis temporibus commune vestimentum fuisse tam virorum, quam fœminarum. Recinium. Festus emendatus. Toga meretricum gestamen. Ovidius, & Varro explicati. Plebs infima quandoque togata. Gladiatores in toga producti.

PRIMIS Urbis temporibus tam viros, quam mulieres in toga incessisse, totamque RomaD nam gentem vere togatam fuisse veteres critici adnotarunt. Varro apud Nonium *de Vita Pop. Rom. Præterea quod in lecto togas ante habebant; ante enim olim fuit commune vestimentum, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Ex eo autem quod togas in lectis haberent antiquitus, ut ait Varro, perseverasse in nuptiis eum morem crediderim, ut lectus toga sterneretur. Quod indicat Arnobius lib. II. *Cum in matrimonia convenitis toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis.* Servius I. Aeneidos ad illud, *Gentemque togatam. Bene inquit gentem, quia & sexus omnis, & conditio toga utebatur: togas autem etiam fœminas* E *habuisse Cycladum, & Recini usus ostendit. Recinus autem dicitur, quod post tergum rejicitur, quod vulgo Mavorte dicunt.* Recinum, sive ut Festus Recinium, commune mulierum pallium fuisse, ex his Servii verbis collegisse viros doctissimos, miror; Nam non fuisse commune mulierum pallium, docere eos poterat Nonius, cujus verba ipsi attulerunt. Is *Ricinium* modo *palliolum breve* appellat, modo *pallium, quo mulieres in adversis rebus, & luctibus induebantur. Ricinium quod nunc Mafurtium dicitur palliolum fœmineum breve; Varro* ταφῆ μενίππου. *Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricinio palliolum simplex.* Idem *de Vita* F *Pop. Rom.* lib. I. *Ex quo mulieres in adversis rebus, ac luctibus cum omnem vestitum delicatiorem, ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* Nihil igitur opus distinctione, aut correctione, nam si *palliolum*, in *pallium* mutetur, perit sententia Nonii, qui ricinium palliolum esse dicit, idque Varronis auctoritate confirmat.

Non ergo commune pallium Ricinium fuit. Imo ætate Festi quid ea vox significaret, non plane constabat, ait enim *Recinium omne vestimentum quadratum ii qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt; Alii virilem togam, qua mulieres ute-*

bantur prætextam clavo purpureo. In V. C. est *Vir toga*; Unde *Virilem togam* quidam fecere, male, nec rectius qui *vel togam* reposuerunt; Hoc enim modo idem esset pallium & toga, quadratum, & rotundum. Neque attinet dicere, ideo quadratum, quia apertum: togam autem, quia ut toga rejiceretur, alioqui omnia pallia quæ rejici in humerum poterant, togæ etiam dici potuissent.

Sed non constabat quid esset proprie Recinium, & propterea alii quadratum vestimentum fuisse dixere, alii rotundum: qui duodecim interpretati sunt pallium quadratum explicarunt: contra alii togam muliebrem; Quare legendum, *Alii togam qua mulieres utebantur*. Nec displicet Lipsii conjectura qui *Ver:* legit, id est, *Verrius Flaccus togam esse vult*. In hac opinone fuit Servius, Recinium, fuisse togam, vel togæ simile, nam ex eo, & ex cycladum, quæ rotundæ erant, usu a mulieribus togas olim gestatas contendit. Quod si Recinium commune pallium fuisset, frustra ex usu pallii togæ usum demonstrasset. Fuerit sane Rica eadem cum palliolo, & capitis integumento, dummodo Recinium commune mulierum pallium non fuerit, quod nempe stolæ injiciebatur,

Sed ut, unde Recinii causa digressi sumus, redeamus (nam de Mavortio, sive Mavorte egregie iidem viri doctissimi disputarunt) Toga antiquis temporibus commune viris, ac mulieribus vestimentum fuit. Hoc etiam Asconius Pædianus testatus est *pro Scauro*: *Toga*, inquit, *communis habitus fuit, & marium, & fœminarum: sed prætexta honestiorum, toga viliorum, quod etiam circa fœminas servabatur*. Verum non satis mirari possum, aut intelligere, quomodo prætexta esset honestiorum, toga viliorum. Nam præter magistratus, & Sacerdotes, puerilemque ætatem nulli jus prætextæ fuisse constat, & reliqui etiam honestiores in toga pura incessere. Asconium quidem ætate Tiberii vixisse certum est, & ideo usum prætextæ non ignorasse. Forte igitur hoc ex glossemate est, a quo deceptus Nonius, qui *Prætexta*, inquit, *insigne Romanum, quod supra tunicas honorati quique sumunt*.

Hoc quidem in mulieribus verum esse potuisse credo, ut nempe quo tempore toga communis utrique sexui erat, honestiores matronæ in toga prætexta incederent. Festus, *Togam, qua mulieres utebantur prætextam clavo aureo*. Sed de viris tota vetustas negat. Postquam togam deposuere matronæ, ea solis viris remansit, sed temporum mutatione etiam fœminis probrosis quæque quæstum corpore tolerarent. Has enim togatas incessisse abunde Manutius ostendit, quem non pauci, sed præcipue summus Jurisconsultus in *selectis Antiquitatibus* advocarunt. Acron ad illud *Peccesve togata*: *Matronæ, quæ maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant sublata stola propter ignominiam. Toga autem meretrici apta, ita enim prostare solebant cum togis puellæ, ut discernerentur a matronis*. Quamquam in sacrificiis etiam honestas fœminas togis usas docet Festus in verbo *Armata*. *Armata dicebatur Virgo sacrificans, cui lacinia togæ in humerum erat rejecta*. Ejus abbreviator, *Mutini Sacellum fuit Romæ cui mulieres velatæ togis prætextis solebant sacrificare*. Varro *de L. Latina*: *Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant, & sub caprifico faciunt, & e Caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis*. Sed Varronis locus defectus est. Desideratur enim causa ob quam toga prætexta tunc dabatur matronis. Sed aut me conjectura fallit, aut deest, non tam matronis, quam ancillis in eo sacrificio datam togam prætextam; quod me facile persuasurum iis scio, qui originem Feriarum Caprotinarum non ignorant. Scilicet quod narrat Plutarchus in *Parallelis* ex Aristide Milesio Atepomarum Gallorum Regem adversus Romanos bellum gerentem edixisse tunc belli finem fore, cum uxores, & filias Romani fruendas darent. Ancillæ astu elusam barbarorum procacitatem: missas scilicet in veste matronali, & puellarum nubilium, barbarisque sommo, ac mero victis unam ascensa caprificu signum dedisse invadendi hostes, quibus profligatis diem festum institutum ancillarum, Nonas scilicet Julias, easque ferias Caprotinas dictas, quibus ancillis concessum, ut in veste libera, & prætexta toga quæ puellarum erat incederent. Scio Macrobium dissentire, & non a Gallis, sed a Latinis post bellum Gallicum impudens postulatum factum esse. Verum Plutarcho adstipulatur Ovidius loco perobscuro, & a Criticis vexato, sed cui unius literulæ mutatione, & lucem, & medicinam afferemus. Is est libro II. *de Arte amandi*, ubi præcipit amatori, ut omni ratione amicæ familiam demereat, & munusculis colat:

Sed tamen & servo, levis est impensa, roganti
Porrige fortunæ munera parva suæ.
Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

Interpretum sententias afferre odiosum esset. Qui tamen nunquam expedient cur ancilla pœnas pependerit, & quid Gallica manus sit, ac quomodo cum ceteris cohæreat. Sed mutata voce *quæ* in *qua* loci sententia liquido apparebit. Ait enim donandum aliquid ancillæ ea die, quæ erat festa ancillis. Scilicet Nonis Julii, sive Caprotinis. Dona igitur inquit *ea Luce*, id est, ea die, *qua Gallica manus*, exercitus Gallorum, *decepta veste maritali* habitu matronarum *pependit pœnas* barbaræ libidinis. Nihil jam clarius. Sicut ergo viris die natali, matronis Kalendis Martiis munera mittitabantur, ita ancillis Nonis caprotinis. Et ideo Varro ait iis jus togæ prætextæ fuisse, quia ancillæ & stola matronali, & puellari prætexta Gallos deceperant. Macrobius lib. I. *Sat*. c. II. *Ancilla nomine Tutela sive Philotis pollicita est se cum ceteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram: habituque matrumfamilias & Virginum sumpto hostibus ingestæ sunt*. Quam porro lectionem reposuimus extare in tribus MSS. monuit qui varias lectiones operi adjecit: eamque retentam in nupera editione vidimus.

Ceterum virorum omnis conditio togata. Primores, plebs, etiam populi vilissima pars, quæ in emenda toga sumptum facere posset. Tertullianus *de pallio* cap. IV. *Vespillo, leno, lanista, tecum vestiuntur*. Et in fine operis: *Verum & Cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur*. Quo loco docti immerito *Cerdones* proturbant, ignotasque voces Latio inferciunt. Nam licet Cerdones, & reliquus popellus ob inopiam ferme tunicatus incederet, aut penulatus, præcipue ea tempestate, qua togæ in desuetudinem abierant: nihil tamen præter paupertatem impediebat, quin extremæ sortis homines dummodo ingenui togam gestarent, præsertim in officiis, aut collegiorum sacris, festisque diebus. Cur igitur licet raro, ex societate Cerdonum aliquis post ductam dentibus pellem toga non enitesceret? Numquid Vespillo, Leno, Lanista, cerdone ditiores aut honestiores? Quod ad gladiatores attinet, falso Lipsius existimat eos togatos depugnasse: ex

Suetonio in *Claudio* cap. XXXIV. *Induxit unum ex nomenclatoribus suis sicut erat togatum*. Nam hoc tamquam novum notavit, quod gladiator togatus induceretur. Capitolinus autem in *Pertinace* inter vestimenta Commodi recenset *togam, armaque gladiatoria gemmis, auroque composita*. Et Tertullianus hic *togatos producit gladiatores*. Sed non alio usui fuisse togam credendum est, quam cum gladiatores in pompa ante pugnam incedebant, & spectaculum de se præbebant, sive ut Tertullianus loquitur producebantur, & de hoc Suetonius, & Capitolinus capiendi sunt. Quis enim credat togam fusum, ac prolixum vestimentum pugnæ adhibitum?

CAP. XXVI.

Imperatores togati.

POPULUS Romanus Quiritium omnis jus togæ habuit, diuque etiam plebs ipsa togata incessit. Immo sublata libertate ipsos Imperatores toga usos certum est. Nam præter Cæsarem, qui in toga confossus est, tradit Suetonius Caligulam, cum die muneris essedario Porro ob prosperam pugnam servum suum manumittenti studiosius plausum esset, ita se proripuisse e spectaculis, ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret. Martialis quoque Domitianum *Martem togatum* appellat. Et lib. VII. ep. II.

Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Spartianus de Adriano: *Ipse cum in Italia esset semper togatus processit*. Capitolinus etiam notat Antoninum Philosophum per Brundusium in Italiam venientem togam sumpsisse, & milites togatos esse jussisse. Sic Pertinacem cum peteretur ad necem toga caput operuisse. Lamprid. in *Alexandro*: *In urbe semper togatus fuit, & in Italiæ Urbibus*. Idem. *Veste, ut & pingitur, alba usus est, nec aurata, penulis, togisque communibus*.

Non tamen toga pura,& communi semper usos, sed aliquando toga purpurea & triumphali inde apparet, quod inter reliquos honores hunc Cæsari a Senatu tributum testatur Dio lib. XLIV. Τὰ μὲν γὰρ πρῶτα ἐσθῆσθαι τε αὐτὸν ἀεί, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τὴν στολὴν τὴν ἐπινίκιον ἐνδεδυκότα. *Primum ei datum est ut semper etiam in ipsa Urbe toga triumphali indutus incederet*. Hanc autem fuisse purpuream, & pictam suo loco ostendemus. Male qui, *ut veste triumphali cinctus versaretur*, verterunt. Nihil enim de cinctura apud Dionem extat. Eo tamen honore non semper usum Cæsarem credere par est, quod Dio eodem libro tradit *eum ex S. C. vestem triumphalem omnibus ludis gestasse*. Et lib. LIII. post devictos Astures datam Augusto potestatem Kalendis Januarii singulis coronæ, & vestis triumphalis gestandæ. Sane reliqui Imperatores in civili habitu vulgarique. Quare Tacit. lib. XIII. *Ann.* inter honores, quos sueta adulatione Senatus Neroni ob pulsos Armenia Parthos decreverat eum præcipue recenset, *supplicationes, & diebus supplicationum vestem principi triumphalem*. Capitolinus etiam in *M. Antonino* notavit ipsum & Verum fratrem Ludos ob triumphum decretos spectasse habitu triumphali. Non igitur is in usu communi.

Lampridius tradit, Alexandrum adeo civili ingenio fuisse, ut licet Imperator prætextam, & togam pictam numquam sumeret, nisi cum esset Consul. & infra de eodem: *Hostia cruenta effugit, & ut se civiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam ejus vestem cum qua constiterat, cruentavit*. Quare Commodum perstringit Herodianus lib. I. *Quod pro Romanorum Principum cultu leonis pellem indueret, purpureasque, & auro intextas vestes gestaret*. ἀμφιέννυτό τε ἁλουργεῖς καὶ χρυσοϋφεῖς ἐσθῆτας. Alibi de eodem: ἀντὶ δὲ τῆς ἀπαρύφου καὶ βασιλικῆς πορφύρας pro eleganti vestitu purpuraque Imperatoria arma gladiatoria sumere solitum.

Non nisi igitur mali, superbique principes invidiosum eum habitum usurparunt. Dio Neronem in adventu Teridatis triumphali veste usum tradit lib. LXIII. Sueton. de Caligula cap. LII. *Vestitu calceatuque, & cætero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano semper usus est. Sæpe depictas, gemmatasque indutus pænulas, manuleatus, & armillatus in publicum processit: aliquando sericatus, ac cycladatus, ac modo in crepidis, vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestavit*. Quod etiam Dio tradit libro LIX. Eodem triumphali ornatu usum Domitianum tradit. Idem libro LXVII. sed tantum cum in Senatum veniret. Quod egisse Marium Romanorum primum legimus in epitome Liviana LXVII. Ita Heliogabali habitum, purpura auroque intextum, cultumque barbaricum Herodianus, & reliqui scriptores perstrinxerunt. Et Trebellius de Gallieno: *Cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis, & aureis Romæ visus est, ubi semper togati Principes videbantur: purpuream tunicam, aureatamque virilem eandemque manicatam habuit*. Tandem Vopiscus de Tacito: *Togis, & tunicis iisdem est usus, quibus privatus*.

CAP. XXVII.

Togas in luctu, & calamitate publica depositas. Quæ vestis earum loco sumpta?

VESTES sæpe in luctu publico, ac calamitate mutatas, togasque depositas Dion Cassius testis est non uno in loco. lib. XXXVIII. *Cum eadem denuo evenissent, decreverunt, ut vestes mutarentur*. Mox: *Non tamen aut vestem lugubrem posuerunt, aut ad solemnes cœtus prodierunt*. Quæ esset ista vestis mutatio declarat idem libro XL. *Coss.* τὴν βουλευτικὴν ἐσθῆτα καταθέμενοι, κἀν τῇ ἱππάδι, *Senatoriam vestem deponentes, & in veste equestri Senatum tamquam in magno luctu convocantes*. Rursus lib. LVI. *Sequenti die Senatus habitus, & ad eum*, ἄλλοι τὴν ἱππάδα στολὴν ἐνδεδυκότες συνῆλθον, οἱ δὲ ἄρχοντες τὴν βουλευτικὴν πλὴν τῶν ἱματίων περιπορφύρων. *Reliqui quidem in veste equestri convenerunt, magistratus vero in Senatoria, demptis prætextis*. Cicero in Orat. *post reditum*: *Consul, cum vos vestem mutandam censuissetis, cunctique mutassetis, unguentis oblitus, cum toga prætexta, quam omnes prætores, ædilesque tum abjecerant, irrisit squalorem vestrum*. Ex queis perspicuum est, quod etiam notavit Faber in *Semestribus*, Senatores in luctu latum clavum deposuisse, & in veste equestri, id est, angusticlavia incessisse: Magistratus deposita prætexta in clavo tantum, Equites sine clavo. Nollem tamen vir ille doctissimus adjecisset libro II. cap. X. *Equites angusto clavo, & annulis aureis abjectis trabeatos ne, an penulatos, an tunicatos, ac forsitan etiam atratos prodiisse in publicum*. Nam clavum, & annulos aureos deposuisse certum est; ceterum neque trabeati in luctu, (in funere Germanici id ejus honori datum, ut eadem veste qua transvehebantur uterentur, id est, trabea) & extra luctum etiam penulati, & tunicati, numquam atrati, nam luctus insignia erat annulorum, & clavi depositio.

Sed in plebe, cui nullum purpurei clavi jus fuit, quænam vestis mutatio esset, docti quæsiverunt. Sane omnes aliquando cives vestem mutasse, vel Cicero docere potest in *Sextiana: Quid enim*, inquit, *quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam pro uno cive, & bonos omnes privato consensu, & universum Senatum publico consilio mutasse vestem?* Sunt qui existiment togam pullam pro alba sumptam, ut etiam in privato luctu. Sed dubitare non sinit ejusdem Tullii auctoritas, mutationem vestis factam, positis togis sumendo saga militaria. *Phil.* XIV. *Brutum egressum jam Mutina cognovissem, propter cujus periculum ad saga issemus.* Et alibi: *Consulares togati* (id est, sine prætexta) *esse solent cum civitas est in sagis.* Ipse etiam Dio lib. XLVI. *Igitur neutra conditio approbata est, sed bellum potius iterum Antonio indictum, militesque jussi eum deserere, aliaque dies constituta: saga autem omnes Romani, etiam ii qui non proficiscebantur in bellum, sumpserunt.* Ubi fortasse Dio ad distinctionem lacernarum, quæ in Urbe gestabantur, appellat *τὰς χλαμύδας στρατιωτικάς*. Nam chlamydes, sive lacernæ etiam extra luctum usurpatæ, immo tunc fortasse in locum togarum inductæ. Libera ergo Rep. numquam lacernæ sine togis, nisi in calamitate, & periculo, postquam togæ cum libertate excessere hæc vestis mutatio minime servata, nec ullus scriptor ejus meminit post ea tempora. An vero præter mutationem clavi etiam Senatores saga induerent, non liquet. Videtur id Cicero docere loco laudato: *Consulares togatos esse solere cum civitas esset in sagis*; & *Philippica* VIII. *Equidem P C. quanquam hoc honore usi (consulatu) togati esse solent, quum est in sagis civitas, statui tamen a vobis, ceterisque civibus in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione Reip. non differre vestitu.* Reliqui ergo non Consulares in sagis fuere, vel saltem sine togis. Sed & Consulares sagati. Nonnius in *Sagum. M. Tull. ad Cæsarem Juniorem lib.* I. *Pridie Nonas Februarias cum ad te litteras mane dedissem, descendi ad forum togatus, cum reliqui Consulares sagati vellent descendere.* Togam etiam in deprecatione depositam docet Cicero lib. IV. *ad Atticum: Serranus pertimuit, & Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit, abjecta toga se ad soceri pedes abjecit: ille noctem sibi postulavit.* Si non ponebatur, saltem dejiciebatur humeris. Suet. *Aug.* c. LII. *Dictaturam magnam vi offerente populo, genu nixus dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.*

CAP. XXVIII.

An toga vestis domestica fuerit?

TOGATOS non nisi in publico Romanos fuisse Critici veteres observant. Nonius: *Toga sicut in consuetudine habetur, vestimentum est, quo in foro amicimur.* Et antiquissimo quidem tempore non modo domesticum, ac forense vestimentum toga fuit, sed & diurnum, & nocturnum. Varro *de vita pop. Rom.* apud Nonium: *Prætereo, quod in lecto togas ante habebant, id enim olim fuit commune vestimentum, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Mox alia vestis domestica, alia Forensis. Suetonius *Vitellio* cap. VIII. *Subito militibus e cubiculo raptus, ita ut erat in veste domestica Imperator est consalutatus.* Idem *Augusto* cap. LXXIII. *Forensia autem, & calceos numquam non intra cubiculum habuit ad subitos, repentinosque casus parata.* Ubi Forensia vestimenta sunt quæ in foro, sive foris adhibebantur, ut toga, lacernæ, ac pænulæ; Augustus domi veste domestica

A indutus in cubiculo tamen semper togam, & calceos habuit ad subitos casus, ut si egrediendum esset non nisi cum toga conspiceretur. Idem *Caligula* cap. XVII. *Posteriore epulo Forensia insuper viris, ac pueris, ac fœminis fascias purpuræ, ac conchylii distribuit.* Græci etiam togam stolam Forensem dixerunt. Dio lib. LXI. ubi Neronis insaniam in equos Circenses percenset, tradit ab eo insignes equos victores, & jam senio confectos *στολῇ τε ἀγοραίῳ ὡς ἄνδρας τινὰς κοσμῆσαι*, *stola Forensi*, id est, toga, *non secus ac homines ornatos fuisse.* Lampridius in *Alexandro: Vestes Forenses binas, domesticas singulas.* Quænam igitur vestis B domestica, si toga tantum Forensis? Manutius fuisse lacernam suspicatur; loca tamen scriptorum, quibus id confirmat, nihil aliud ostendunt, quam loco togæ sumptas fuisse lacernas, & sic eas quoque vestimentum Forense fuisse.

Ego crediderim, domi tantum tunicatos fuisse, ita tamen, ut hyeme pluribus tunicis uterentur, quod de Augusto tradit Suetonius; si quis tamen lacernas, etiam domi pellendo frigori adhibitas contendat, non multum repugnaverim: licet, quod sciam, nullus Veterum hoc tradiderit.

C

CAP. XXIX.

Togæ in conviviis adhibitæ. Toga submissa.

LICET toga vestimentum Forense fuerit, conviviis tamen adhibitam maxime publicis, ac solemnibus accepimus. Cicero Vatinium reprehendit, quod in epulo Q. Arrii cum toga pulla accubuerit, cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus albatus esset, id est, in toga alba. Sallustius etiam apud Macrobi- D um Metelli luxum in Hispania carpens inter cetera ait, *togam pictam plerumque amiculo fuisse accumbenti.* Postremo apud Spartianum, *Adrianus ad convivium venientes senatores stans excepit, semperque, aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa.* Togam submissam viri doctissimi, *quæ sub brachium missa esset*, interpretati sunt; Quod cum in convivio exerto brachio opus esset, consuevisse discumbentes togam, quæ in publico utrumque humerum operiebat, ab dextro dejicere, & sub dextro item brachio in lævum humerum congerere: hancque fuisse togam submissam.

E Hoc recte se haberet, si verum esset, in publico utrumque humerum toga obvolutum fuisse: quod ut de antiquissimis temporibus non negarim, ita posteriori ævo fuisse in usu negant statuæ fere omnes togatæ, quas videre potui, negant veteres nummi, qui dextrum cum humero brachium exertum ostendunt. Negat Quintilianus libro XI. *Sinus qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus, nec strangulet, nec fluat.* Non magis ergo in conviviis, quam in publico, submissa toga fuisset, utrobique enim sub dextrum brachium missa, & in lævum humerum re- F currens.

Quare togam submissam nihil aliud, quam demissam fuisse crediderim. Nam cum, ut diximus, ante ita toga gestaretur, ut exerto dextro brachio, sinistro vero togæ subjecto lacinia ejusdem subduceretur, & contraheretur in rugas: sinistrum brachium hoc modo togæ congestu oneratum nulli usui in convivio esse poterat; Quare qui togati accumbebant, submittebant togam, hoc est, partem sinistro brachio contractam defluere ad pedes patiebantur, tum ipsum brachium quod sinui,

ac rugis sustentandis occupabatur per superiorem togæ oram, ut & dextrum exerebant, ita ut toga utrique brachio subjecta, & demissa, & submissa dici posset.

Cum igitur mos esset in convivio togas cœnatoriis mutare, notat Spartianus Hadrianum, vel palliatum, vel togatum accubuisse. Et pallium quidem cum esset apertum, utrumque brachium excludebat: at toga clausa, cum dextrum tantum exereretur, sinistrum contrahendo sinui impeditum esset, ut utrumque expedire posset, debuit sinistrum extrahi, & sic toga utrique brachio submitti, quæ inde submissa dicta est. Quod vero adjiciunt, palliatos omnes brachium exertos fuisse, palliumque, & togam submissam invicem respondere, alias videbimus: & aliquid diximus cum de Catone Juridicinæ tempore Græcis favente disputavimus.

Ceterum Imperatoriæ cœnæ nemini licuisse accumbere, nisi togato, ex Spartiano observatum est in *Severo*: *Habuit etiam aliud omen Imperii, cum rogatus ad cœnam Imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit*. Togam præsidiariam dictam volunt Interpretes, quam Præsidens gestaret, quam vocis notationem, ut feramus, nescio tamen cur potius *Præses*, vel *Præsidens* novo nomine, quam *Cæsar* aut *Imperator* dicatur, & sic ab eo toga potius Cæsaria, & Imperatoria, quam præsidiaria.

CAP. XXX.

Vestis convivalis. Cœnatoria. Synthesis.

HÆC quidem in epulis publicis, & Imperatoriis: domi autem privatis conviviis togas cœnatoriis mutabant, quas & *Syntheses* dixerunt. Harum mentio frequens in antiquis scriptoribus, præcipue apud Martialem, eaque omnibus obvia. Lipsius in *Saturnalibus* synthesim fuisse tantum ditiorum, & lautiorum existimat, & eum secutus commentariorum Martialis consarcinator. Sed qui id probet, non video. Martialem adducit lib. v. ep. LXXIX.

Undecies una surrexit Zoile cœna,
Et mutata tibi est synthesis undecies.

Deinde quod Suetonius tradit, *Neronem plerumque synthesinatum prodiisse in publicum sine cinctu, & discalceatum*. Sed ex neutro fuisse tantum lautiorum intelligas. Zoilum quidem divitem fuisse, & fastosum, quod magnum synthesium numerum haberet, quas subinde ad ostentationem in convivio mutaret: non tamen syntheses tantum a divitibus gestatas: sibi etiam, eodem epigrammate, licet nec diviti, nec lauto fuisse synthesim dicit Martialis, sed unam tantum:

Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, cœno?
Frigus enim magnum synthesis una facit.

Nec quod Nero synthesinatus processerit, ideo vestis pretiosa. Nam & Imperatores togati, & tunicati, ergo utraque vestis tantum lautiorum fuit. Idem Nero discinctus, & discalceatus, ille igitur habitus ditiorum modo fuit. Reprehendit eum Suetonius, quod synthesi, id est, veste convivali sine calceis, & cinctura visus sit, quod postea & alii Principes monstrosi imitati sunt. Certe eum circa habitum fuisse pudendum idem subjicit.

Multo minus scholiastæ ratio valet, qui ex aliis Martialis verbis id confirmat lib. XIV. ep. I.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque Senatus.

Fuisse ergo gestamen equestris ordinis, & Senatorii. Falso. Nam poeta ad indicandam saturna-

A lium licentiam ait, non solum vulgus, sed utrumque ordinem posita toga cum synthesibus, sive cœnatoriis incessisse. Idem eodem lib. ep. CXLI.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Non hic Senatum, aut equites alloquitur, sed Romanos omnes, qui saturnalibus synthesinati, sive in Cœnatoriis, quasi eo tempore esset perpetuum convivium. Quare merito Carisianum reprehendit Martialis, quod saturnalibus togatus inceB deret, lib. VI. ep. XXIV.

Nil lascivius est Carisiano,
Saturnalibus ambulat togatus.

Seneca ep. XVII. *December est mensis cum maxime civitas desudat* (saturnalibus.) *Si te hic haberem libenter tecum conferrem, quid existimares esse faciendum, utrum nihil ex quotidiana consuetudine movendum: an ne dissidere videremur cum publicis moribus, & hilarius cœnandum, & exuendam togam. Nam quod fieri nisi in tumultu, & tristi tempore civitatis non solebat* (cum scilicet ad saga transiretur) *voluptatis causa, ac festorum dierum vestem mutavimus.*

C Fuit ergo synthesis communis convivantium vestis etiam viliorum: cujus usus etiam in municipiis. Idem poeta Hispanus lib. IV. ep. LXV.

Duxit & æstates Synthesis una decem.

Quod tamen poetice dictum.

Potuere quidem esse pretiosiores divitum, & lautiorum, ceterum commune discumbentium vestimentum fuisse apparet.

CAP. XXXI.

Quale vestimentum fuerit Synthesis? Lipsii sententia examinatur.

D SYNTHESIM ad instar pallii fuisse Lipsius existimat, ex Martiale:

Ad mensam venio, sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Et Ovid. *de arte*:

Hæc tamen aspiciam: sed quæ bene pallia celant,
Illa mihi cæci causa timoris erunt.

Mox:

Hoc tu non facies: sed ne fecisse puteris,
Conscia de tergo pallia deme tuo.

E Catullus:

Pertundo tunicamque, palliumque.

Sed in eo fallitur vir doctissimus quod pallium illud, quo apud Petronium Trimalcio, *adrasum incluserat caput*, Synthesim fuisse existimat: nam illud palliolum fuit, quo mulieres, viri etiam languentes, & delicati caput obnubebant, de quo infra. Vestimenta cubitoria appellat Synthesim idem Petronius: *Vestimenta mea cubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donaverat cliens quidam, Tyria sine dubio, sed jam semel lota*. Ubi frustra idem vir doctissimus, *Sed semel lota*, corrigit, quem satis alii refutarunt. Ultimo loco censet, SyntheF sim fuisse lænam, quod etiam non omnino verum est; Nam licet lænam aliquando conviviis adhibitam sciamus, non tamen semper, ut infra ostendam, neque eadem cum Synthesi fuit.

Sed quæ Synthesis forma esset, divinandum est. Ad instar pallii fuisse, ut diximus, censet Lipsius. Atque Xiphilinus tunicam fuisse ostendere videtur; Nam narrans illud, quod de Nerone Suetonius tradit, circa cultum, habitumque adeo pudendum fuisse, *Ut plerumque Synthesim indutus ligato*

ligato circa collum ſudario prodierit in publicum ſine cinctu, & diſcalceatus, ait Xiphilinus lib. LXIII. χιτώνιόν τι ἐνδεδυκὼς ἀνθινὸν, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων. Ubi Syntheſim tuniculam appellat. Sed fortaſſe inuit, Neronem aliquando cum Syntheſi, hic ſola tunicula indutum proceſſiſſe in publicum. Syntheſim enim a tunica diſtinctam fuiſſe certum eſt, alioqui Romani in conviviis, & Saturnalibus tantum tunicati fuiſſent. Idem lib. LXIX. de Cornelio Frontone cauſarum patrono, qui cum aliquando alta nocte a cæna domum rediret, ac intellexiſſet a quodam cui patrocinium promiſerat, Hadrianum jus reddere ἔντε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, ut erat in cænatorio amictu ad tribunal acceſſit.

Non aliud igitur dicere poſſumus, quam fuiſſe ad inſtar pallii, ut vult Lipſius, vel linteam ſindonem, qua involvebantur in convivio reliquis, ut plurimum, depoſitis veſtimentis: licet Martialis, & Ovidius *pallia* appellent communi voce, quæ de omnibus veſtimentis accipitur. Sane in antiquis Tricliniorum figuris homines ſeminudi cubant, ſolo linteo, quod fortaſſe Syntheſis, ſemiamicti. Atque ita ſindonem, qua *indutus ſuper*

A *nudo adoleſcens* ille erat, qui Chriſtum D. a Judæis captum ſequebatur, quaque relicta nudus aufugit, Syntheſim fuiſſe crediderim, vel certe veſtem convivalem; nam ille recens a Cæna Dominica, in qua diſcubuiſſe Chriſtum D. certum eſt, & fortaſſe veſtimenta de more gentis cænatoriis mutaſſe. Quas tamen veſtes non fuiſſe pretioſas (ut volebat ſatis futili conjectura Baronius) oſtendit Caſaubonus exercit. XVI. Fuere & cænatoriæ muliebres. Pomponius *de auro & argento legato: Q. Mutius ait, ſcire ſe quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis uti ſolitum.* Quæ fortaſſe colore a virilibus diſtinctæ. Martial. lib. X. epigr.
B XXIX.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Miſiſti dominæ, Sextiliane, tuæ.
Et quam donabas dictis a Marte Calendis,
De noſtra Praſina eſt ſyntheſis empta toga.

Pretio, quo emere ſolebas togam, quam mihi natali meo mitteres, emiſti viridem cænatoriam amicæ.

Fortaſſe Syntheſis eſt, qua indutum videmus ſenem diſcubiturum in monumento, quod publicavit Urſinus ad Ciacconii Triclinium.



CAP. XXXII.

An extra Urbem togæ uſus fuerit? Togæ etiam in militia.

NON Romæ modo, ſed quacumque Romanum patuit Imperium in pace Quirites togati fuere. Eodem habitu uſi quicumque Romanis legibus gaudebant. Coloniæ item, & municipia. Tacitus *Hiſtor.* lib. II. *Ornatum ipſius municipia, & Coloniæ in ſuperbiam trahebant, quod verſicolore ſagulo, brachas tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.* Manutius negat ſocios Pop. Romani toga uſos eſſe, & tamen honoris cauſa mortuos toga elatos. Verum non ſocios modo,

C ſed Italos pene omnes toga uſos illud argumento eſt, quod ab iis Romani togas acceperint. Immo Arcades ſive Argivos, Lydos quoque toga uſos Tertullianus, & Artemidorus docent. Gentes etiam devictæ ſimul cum ſervitute togam accipiebant. Tacitus in *Agricola* cap. XXI. *Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Inde etiam habitus noſtri honos, & frequens toga.* Dio lib. XLVI. de Gallia togata: *Vocabatur autem altera quidem Gallia togata, quod reliquis videretur eſſe pacatior, quandoque* τῇ ἐσθῆτι τῇ Ῥωμαϊκῇ τῇ ἀστικῇ ἐχρῶντο ἤδη. *jam tum Urbanum Quiritium veſtimentum*

usurparent. Strabo lib. III. de Hispanis. Et qui hanc formam sequuntur Hispani στολάτι λέγονται, ἢ τογάτοι. *Stolati, sive togati dicuntur*. Infra de Celtiberis: *Tertius mediterranea regit, atque continet pacatos jam populos*, καὶ εἰς τὸν ἥμερον, καὶ τὸν Ἰταλικὸν τύπον μετακειμένων ἐν τῇ τηβεννικῇ ἐσθῆτι, *& mansuetis moribus & cum toga formam indutos Italicam*. Quod vero socii Romani nominis, honoris causa efferrentur in toga, cum togæ jus non haberent, ex Juvenale, ut vult Manutius, non deprehenditur. Verba ejus sunt:

Pars magna Italiæ, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

B Ea quidem tempestate tota fere Italia Romanis legibus vivebat, & ideo togata; Livius lib. VI. de Tusculanis: *Intrantibus fines Romanis non demigratum ex propinquis itineris locis; non cultus agrorum intermissos: patentibus portis Urbis togati obviam frequentes Imperatoribus processere*. Et in lib. XXIV. de Pinario Arcis Ennensis Præfecto: *Cum toga signum dedero, tum mihi undique clamore sublato turbam invadite*. Etiam lib. XXIII. de Perolla Campano *cum mirabundus pater quidnam id esset consilii quæreret; toga rejecta ab humero latus succinctum gladio nudat*. Illud tamen eveniebat, ut raro admodum tanquam rure essent, togam induerent, sed sola tunica uterentur. Juvenalis sat. III.

C *—— Clari velamen honoris.*
Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.

Ubi etiam ipsi magistratus sine toga. Senatus ipse in tunicis. Idem ibid.

—— ipsa dierum
Festorum, herboso colitur si quando theatro
Majestas:
Æquales habitus illic, similemque videbis
Orchestram, & populum.

Martial. de vita municipali lib. X. ep. LI.

D *—— O soles! o tunicata quies.*

Cic. *in Rullum* de Capuanis: *Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum?*

Aliquando tamen, sed raro togæ adhibitæ, ut in sacrificiis, & officiis solemnibus. Martialis lib. IV. ep. LXV.

Egisti vitam semper Line municipalem,
Qua nihil omnino dulcius esse potest.
Idibus, & raris togula est excussa Kalendis.

Ubi raras appellat non quod raro Linus in Urbem ventitaret, sed quod Kalendæ, & Idus, quibus municipes ad sacra togati conveniebant, raræ sunt, semel enim tantum in mense veniunt.

E Ideo etiam in toga elati: ut Romæ etiam vilissimi homines. Martial. libr. IX. ep. LVIII.

Nec pallens toga mortui tribulis.

Quærit etiam Manutius, an togæ usus in exercitu fuerit. Et Livius quidem sæpe togarum militarium mentionem facit. Ut lib. XXIX. *stipendium ejus anni duplex, & frumentum sex mensium imperatum, sagaque & togæ exercitui*. Et fine ejusdem libri: *Vestimenta exercitui deerant; id mandatum Octavio, ut cum prætore ageret. Mille ducentæ togæ brevi spatio, & XII. millia tunicarum missa*.

F Idem Dec. V. lib. IV. *C. Sulpicius Pr. sex millia togarum XXX. tunicarum, & equos deportanda in Macedoniam præbendaque arbitratu Consulis legavit*. Et tamen alibi togas in exercitu visas pro re inusitata ponit. Vel ergo, quod idem existimat, non omnibus militibus togæ, sed tantum honestioribus tributæ sunt. Vel fortasse dum stativis in Urbibus, ac municipiis attinentur, toga usi milites sunt, nequaquam in castris. Vel de antiquissimis temporibus Livius capiendus est, quibus etiam togæ in acie, & prælio, ut diximus, & inde ritus

A præcingendi, & in procinctu, cinctusque Gabinus dimanavit.

Milites etiam Prætoriani, quia in Urbe, remoto terrore chlamydum fortasse togati. Saltem cohors quæ more militiæ excubabat, ut vult Lipsius ex Tacito lib. I. *Hist. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet*. In reliquis nullus togæ usus, pacemque toga, bellum sago notari quis nescit.

CAP. XXXIII.

Quando toga in desuetudinem abierit? Ave togatorum. Patroni togati.

Exutam simul a Romanis cum libertate togam, indicat Suetonius, qui cap. XL. de Augusto loquens ait: *Etiam habitum, vestitumque pristinum reducere statuit; ac visa quondam pro concione pullatorum turba indignabundus clamitans, En, ait,*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis togatum consistere. Quæ satis declarant, sub Augusto pene desuetam togam, si officia clientum excipias, & in earum locum lacernas successisse.

Quo tempore ait Lipsius, quique eum sequuntur, togam penes paucos, & quidem honestiores remansisse. Hoc verum est, si loquantur de communi, & continuo togæ usu; Nam si officia respiciamus, quibus clientes *Ave matutinum* patronis, ac magnis amicis portabant, eosque in forum deducebant, ac reducebant, tunc etiam a vulgo, & vilissimis hominibus toga gestabatur.

Quod togati illud officium peragerent, nimis notum est. Martialis lib. XIV. ep. CXXV.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
A trita veniet sportula sæpe toga.

Juvenalis.

Niveos ad fræna Quirites.

Et alibi sæpissime. Ubi Vetus Interpres. *In candidis togis officium facientes*. Et,

Togati ante pedes.

Hinc Martialis togas pro clientibus togatis usurpat, lib. X. ep. XVII.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest sterilem quæ curet amicum,
Eheu quam fatuæ sunt tibi, Roma, togæ!

Seneca epist. IV. *Ut famem sitimque pellas non est necesse superbis adsidere liminibus, nec supercilium grave, & contumeliosam etiam humanitatem pati. Non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat, & expositum: ad supervacua sudatur. Illa sunt quæ togam conterunt, quæ nos senescere sub tentorio cogunt*. Idem *de Vita beata* cap. XXIV. *Quis enim liberalitatem tantum ad togatos vocat?* Ubi togati non sunt liberi, ut censet Lipsius, licet sequatur, *servi liberi ut sint*. Nam ætate Senecæ cum toga fere penes solos clientes remansisset nullum inter servos, & ingenuos in habitu discrimen. Sed togati sunt clientes, ut rectius censet Muretus, qui limina potentiorum observabant ut deducerent, & reducerent. Quod officium diutissime Romæ duravit, etiam postquam Imperium Bizantium translatum. Nam circa urbis Præfectos togati officium præstabant. Marcellinus lib. XV. de Leontio Urbis Præf. qui ad concitatam multitudinem invitis amicis pergebat: *Illuc de industria pergens Præfectus ab omni toga, apparitione que rogabatur enixius, ne in multitudinem se arrogantem immitteret, & minacem*.

Quod etiam tenuiores, atque obscuriores in toga officium illud obirent, ut sportulam lucrarentur, clare idem Juvenalis sat. I.

—— nunc sportula primo
Limine parva sedet turbæ rapienda togatæ.

Mox:

—— Jubet a præcone vocari
Ipsos Trojugenas, nam vexant limen & ipsi.

Ergo præter Trojugenas etiam viliores: Hi nempe quos idem indicat ibid.

Quid facient comites quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis fumusque domi?

Nec multo post:

—— caules miseris, atque ignis emendus.

Alia ad hoc confirmandum attulit Kercoetius in *Mastigophoro* tertio.

Et quoniam magna pars populi Romani in his officiis occupata erat, non in totum togæ usus abolitus est. Mane togati salutatores, iidem ante ambulones Regis, deductio, ac reductio togata, ut tota fere dies usque ad balnearum cœnæque horam a togatis transigeretur. Atque hinc tam frequens apud Martialem & reliquos ejus ævi scriptores togæ mentio. Sed an eodem tempore Oratores, & causarum patroni cum agerent, togati essent, non ita certum est. Quintilianus quidem Oratori suo togam dat, eamque morose usque ad rugas disponit. *Togati etiam Augustorum, & Togati Præfectorum* in antiquis Inscriptionibus, quos advocatos qui apud Augustum, vel apud Præfectos causas agebant, recte docti intellexerunt. Huc spectat etiam Taciti locus si tamen sanus est lib. XI. *Ann.* ubi advocati legem Cinciam deprecantur, quæ pro orando mercedem capere vetabat. *Se modicos Senatores, qui a Rep. nulla nisi pacis emolumenta peterent: cogitare plebem, qua toga enitesceret.* Sic postrema verba corrigit Lipsius, & interpretatur, etiam quemvis e plebe occupatum, ut emergeret se, & nitidiore toga enitesceret. Sed correctionum nimius Lipsius est. In veteri legitur *cogitaret*, quod rectum est. Ipse nempe Claudius, apud quem pro se orant patroni, respiceret plebem, sive plebejos patronos, quibus nullum nisi ex mercede causarum emolumentum. Nam etsi Senatores, ac proceres ob causam orandam pecuniam donumve non acciperent, Claudius cogitaret plebem, quæ non nisi toga, id est, mercede orandi in nomen, ac famam venire poterat. Hoc est *enitescere*, non autem candidiore toga uti. Qui locus indicat, togam advocatorum propriam fuisse. Livius lib. XXII. de C. Terentio Varrone: *Unus inventus est suasor legis C. Terentius Varro, loco non humili solum, sed etiam sordido ortus, patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis, filioque hoc ipso in servili artis ejus ministerio usum. Is juvenis, ut ex eo genere quæstus pecunia a patre relicta animum ad spem liberalioris fortunæ jecit, togaque, & forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus, causisque adversus rem, & famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honorem pervenit.* Quo loco ævum suum respexisse Livius videtur, quo toga ferme apud patronos in foro, nam tempore Varronis omnes cives vulgo togati, etiam plebeii, ac sordidi. Fortasse & Seneca lib. II. *de Ira* in hoc sensu capiendus est. Nam cum dixisset: *Hæc tot millia ad forum prima luce properantia, quam turpes lites, quanto turpiores advocatos habent?* Subjicit paulo post: *Inter istos quos togatos vides nulla pax est: alter in alterius exitium levi compendio ducitur.* Clarius *de constantia* cap. IX. *Ut accusatore submisso, aut criminatione falsa, aut irritatis in nos potentiorum*

A *motibus: quæque alia inter togatos latrocinia sunt.* Quem videtur imitatus D. Cyprianus epist. *ad Donatum*: *Sævit invicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum.*

Apulejus etiam improbos patronos *togatos vulturios* appellat. Nec alia mens Martiali fuisse videtur lib. VII. ep. LI.

Jure mades, varioque togæ limatus in usu
Non lector meus hic, Urbice, sed liber est.

Quod explicant *attrita indutum toga, qua in variis*
B *officiis uteretur.* Sed cum eum jure coctum, sive madentem appellat, in causis, foroque versatum indicat, & tam officiis quam agendis causis exercitum. Idem Quintilianum *gloriam Romanæ togæ* appellat. Eleganter Ovidius *de remedio* lib. I. forum Judiciale appellat castra civilis togæ:

Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes:
Da vacuæ menti quo teneatur opus.
Sunt fora, sunt leges, & quos tuearis, amici;
Vade per urbanæ splendida castra togæ.

Id etiam indicare Juvenalis videtur Sat. VIII.

—— tamen ima plebe Quiritem
C *Facundum invenies, solet hic defendere causas*
Nobilis indocti, veniet de plebe togata,
Qui juris nodos, & legum ænigmata solvat.

Et tamen idem Juvenalis alibi videtur causidico togam adimere, lacernas dare. Sat. VII.

—— purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina.

Hoc est, lacernæ purpureæ, & amethystinæ: nam toga nulla oratoribus purpurea, sed communis: nisi de lato clavo intelligamus, quod fieri non potest, quia non omnes patroni laticlavii, deinde nullus amethystini usus in clavo, ut dicemus. Non nisi ergo de lacernis, aut lænis intel-
D ligere possumus, quæ togæ injiciebantur. Atqui auctor *de causis corruptæ eloquentiæ*, qui eorum temporum æqualis fuit, indignatur, togas ab Oratoribus depositas, & earum loco pænulas sumptas: *Parvum*, inquit, *& ridiculum fortasse videtur, quod dicturus sum: dicam tamen, vel ideo ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas, quibus astricti, & veluti inclusi cum Judicibus fabulamur?* Hæc verba vellem respexissent, qui eum dialogum Quintiliano adscribunt, qui cum Oratoris habitum describit, solam togam agnoscit, non dissimulaturus illud incommodum, si suo tempore Oratoriæ
E majestati offecisset. Ceterum etiam Ausonii ævo causidici togati. *Parentalibus* de Arborio avunculo,

Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosæ,
Te Narbonensis Gallia præposuit.
Ornasti cujus Latio sermone tribunal
Et fora Hiberorum, quæque Novem populis.

Et Symmachi epist. XXXIX. lib. V. *Epictetus togæ forensis honore privatus est.* Paulo ante eum Causidicorum clarissimum appellat. & lib. IX. ep. XXVIII. ait *Cartesium togæ amicum esse*, id est, advocatorum. Ceterum togatos pro Advocatis a Jurisconsultis inferioris ævi accipi doctis adnota-
F tum est, pluraque loca congessit ad *Symmachum* Juretus.

CAP. XXXIV.

Togas Imperatorum ævo non in totum depositas.

Veterem habitum reducere tentavit Augustus, ut vidimus ex Suetonio. Tentasse etiam Domitianum quidam ex illo Martialis colligunt lib. XIV. ep. CXXIV.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Quod tam Domitianus, quam Augustus parentem suum Cœlo adscripserit. Sed non nisi tentasse apparet. Sicut & Adrianum, qui Senatores, & Equites Romanos semper in publico togatos esse jussit, nisi si a cœna reverterentur; nec secus Antoninum, qui etiam milites togatos esse voluit. Tentarunt, inquam, nam id haud quaquam observatum. Apud Gellium Titus Castricius discipulos quosdam suos Senatores objurgat, *quod die feriato lacernis, & tunicis, & Gallicis induti fuissent abjecta toga; Adjicit ejusmodi vestitum de multo jam usu esse ignoscibilem.*

Non omnino tamen sub Imperatoribus, & ab omnibus depositam togam præter clientum officium docet Seneca ep. XVIII. *Si te hic haberem libenter conferrem, quid existimares esse faciendum: utrum nihil ex quotidiana consuetudine movendum: an, ne dissidere videremur cum publicis moribus, & hilarius cœnandum, & exuendum togam.* Igitur extra Saturnalia toga in aliquo usu erat, quam Seneca quærit an exui oporteat Saturnalibus. Idem ep. CXV. *Mirari quidem non debes corrupta excipi non tantum a corona sordidiore, sed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter se isti, non judiciis dissident.* Juvenalis item sat. VIII.

—— Veniet de plebe togata,
Qui juris nodos, qui legum ænigmata solvat.

Ubi plebs togata non est minuta, & sordidior, ut volunt Interpretes, sed quæ Judiciis, eloquentiæ & causis agendis operam dabat, & propterea in toga. Martialis etiam lib. VI. ep. L.

Cum coleret puros pauper Telesinus amicos
Errabat gelida sordidus in togula.

Quæ omnia ostendunt, præter officium salutationis etiam penes aliquos togam remansisse.

In Ludis etiam togam perseverasse docet Lampridius in *Commodo*: *Et contra consuetudinem penulatos jussit spectatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebat.* Quamquam alii ex Dione *non spectatores, sed senatores* legant. Et Martialis lib. XIII. ep. XCVIII.

Delicium parvo donabis Dorcada nato:
Jactatis solet hanc mittere turba togis.

Cujus distichi sententiam hanc esse suspicatur Turnebus, Dorcadam in arenam mitti dato a Quiritibus signo vestis jactatæ sinu. Sed mera suspicio videtur, ad quid enim Dorcas dato signo jactatis togis in arenam missa est? Ovidius de alia re loquitur III. *Amorum* eleg. II.

Favimus ignavo, sed eum revocate Quirites.
Et date jactatis undique signa togis.

In Circo enim jactatis togis ignavi agitatores revocabantur: ut contra sententiam Casauboni, & Bulengeri recte statuit Franc. Bernardinus Ferrarius V. C. in libro *de veterum Acclamationibus.*

Alii Martialem sic accipiunt, quod Dorcadem in arenam missam turba agitare, & venari soleret jactatis togis. Sed quis credat togam venationi adhibitam, aut quis hic modus venandi jactatis togis? Mihi simplicior sensus videtur, Dorcadem, sive damam animal timidum in arenam missum nullo canum terrore, sed sola togarum jactatione agitatum a spectatoribus: vel quod magis arridet, ludicri causa Dorcadem subjecta toga, & jactata in sublime missam, ut ineptorum libris factum scimus.

Ibis ab excusso missus in astra sago.

Sed hæc & nos suspicamur, & meliora ab iis expectamus, qui præ se ceteros fœnum putant. Ut ad togam redeamus, quam sublata libertate

A sensim desiisse in usu esse diximus, licet ab aliquibus retentam: mihi semper illud maxime mirum visum est, sub Severo Imperatore, cujus ætate floruit Tertullianus, quomodo adeo in usu promiscuo toga præcipue Carthagini fuerit, ut reprehensus propterea fuerit a Carthaginiensibus vir ille magnus, quod a toga ad pallium transisset, ut scripta Apologia consilium tueri suum debuerit. Si enim tunc Carthagini quemadmodum Romæ in non frequenti usu toga erat, cur ita civium oculos offendit Tertullianus deposita toga palliatus? Nec credibile est, cum Romæ sublatus usus ejus esset, in colonia retentum, cum florente Rep.
B & promiscuo in Urbe togarum usu, rarus admodum in Coloniis, ac municipiis esset. Videant docti.

CAP. XXXV.

Tunicatus populus. Pullatus circulus.

Postquam togæ in desuetudinem abierunt, in earum locum lacernæ, ac pænulæ successerunt: de quibus infra dicemus: ita ut lacer-
C na, quæ vestimentum militare erat, in habitum pacis transierit, & pænula, quæ viatorium, promiscue gestari cœperit. Quamquam autem varii coloris fuisse lacernas ostendemus, ut plurimum tamen nigræ vulgo, sive pullæ gestabantur. Suetonius loco laudato de Augusto: *Visa quondam pullatorum turba, dedit negotium Ædilibus, ne quem paterentur in foro, aut circo nisi positis lacernis togatum consistere.* Pullatos appellat, qui cum lacernis erant.

Sed viliores ferme hunc in lacernis colorem amabant. Hinc *pullatum circulum* Quintilianus de populi minuti concione; quod de pænulis docti
D interpretari maluerunt, cum tamen pullatos lacernatos dicat Suetonius: & frequentior per ea tempora lacernarum usus, quam pænularum: etsi non ignorem, hoc vestimentum confundi. Ut ut sit, idem populus minutus, & pullatus, & tunicatus dicitur; si autem pullatus a lacernis, vel pænulis dicebatur, quomodo idem tunicatus; nisi eandem rem lacernam, & pænulam cum tunica facere velimus, quod video doctis viris in mentem venisse. Sed hoc minime ferendum est, & opinio de pænula, quod eadem cum tunica, auctori suo displicuit.

E Rectius ergo dixerunt, tunicatum dici de vilissima plebis parte, quæ nempe sola tunica incedebat, sine ulla lacerna, vel penula, ut apud nos etiam vilissimi sine pallio incedunt. Quod ut verum est, ita illud negari non potest, hunc populum tunicatum non potuisse dici pullatum, ut passim a scriptoribus appellatur: Nam tunicas fuisse albas non est dubitandum; Ergo albatus fuerit popellus in tunicis, non pullatus. Et tamen majorem populi partem sellularios opifices, vilissimæque merçis institores tunicatos incessisse credibile est.

F Huic difficultati solvendæ duo sunt, quæ nunc succurrant. Alterum est, tunicas vilissimorum hominum licet albæ initio fuerint, tamen longo usu tantum sordium contraxisse, ut pullæ viderentur, & hinc pullatam turbam dictam. Sane utrumque conjunxit Plinius lib. VII. epist. XVII. *Nonne cum surgis ad agendum, tum maxime tibi ipsi diffidis? tum commutata non dico plurima, sed omnia cupis, utique, si latior scena, & corona diffusior. Nam illos quoque sordidos, pullatosque reveremur*, Alterum est, quod quemadmodum in locum togarum, quæ albæ, alterius coloris vestes, & maxime pullæ

successerunt, ita & fieri potuisse, ut plebs minuta pro tunicis albis, alium colorem usurpare cœperit, pullum nempe ad instar lacernarum, vel pænularum, & ideo pullatam dictam esse.

CAP. XXXVI.

Christi Sacerdotum vestem exteriorem Missarum Sacris adhibitam togam fuisse videri. Pænula: Planeta: Casula.

EXplicatis, quæ ad togam communem pertinebant, non abs re fuerit inquirere, num aliquid in nostro cultu sit, quod Romanam togam referat. Et diligenter scrutantibus nulla togæ species in communi vestitu apparet. Nam quas Doctorum togas dicimus, item queis Veneti cives induuntur, non togæ sunt, sed talares tunicæ apertæ, & manicatæ, quorum nihil in Romana toga fuit. Aliquod modo in sacro amictu togæ vestigium apparet. Vestis nempe superior sacris operantium, quam rudi vocabulo *Planetam*, & *Casulam* appellant, vel toga fuit, vel togæ simillima, ea nempe forma, qua olim in usu erat, nam ætate nostra non parum immutata est. Vetus quippe Planeta totum hominem cooperiebat, atque involvebat, ita ut etiam utrumque brachium cum corpore obvelaret, ut expediri aliter manus non possent, nisi contracta hinc inde subjectis brachiis, & subducta ab inferiori parte in rugas, ac plicas planeta. Quales nunc in antiquis picturis cernuntur, qualesque sunt adhuc Græcorum sacris operantium vestes exteriores, & nos Venetiis vidimus. Paulatim inde a lateribus scindi cœpit, credo, quia nimis onerosa res esset, donec ad hanc formam ventum est, qua utrinque aperta facile brachia excluduntur.

Hanc tamen Baronius non togam, sed pænulam fuisse contendit, ad annum LVIII. ubi loquitur de pænula D. Pauli, quam reliquerat Troade apud Carpum. Et primo quidem inclinat animum, ut credat, Pænulam D. Pauli fuisse non vestimentum quale antiquitus itineris, ac præcipue pluviæ causa sumebatur, sed potius cum antiquis, vel fuisse thecam, & loculos, queis libri continerentur, vel potius volumen, quod Græce φαιλονὴν habeatur. Rationes quibus id firmare contendit, licet liberum judicium relinquat, exigui momenti sunt. *Si enim*, inquit, *vestis itineri apta fuisset, non eam suscepto itinere Paulus reliquisset; Deinde potuit sibi aliam Romæ comparare*. Quæ facile refutaveris: nam & aliam tunc penulam habere potuit Paulus, & sudo tempore, ac minime hyberno iter habere, ut nihil opus pænula esset: & si aliam Romæ potuit comparare, potuit etiam quam Troade reliquerat curare cum libris a Timotheo ad se perferendam. Nec obstat, quod φαιλονὴν in Græco sit, nam φαιλόνης, & φαινόλης pro pænula a Græcis usurpatur, ut docti pridem observarunt.

Verum ista parum ad rem nostram faciunt. Quod addit Baronius, pænulam dici vestem sacram a Græcis, eandemque a Latinis, *Planetam* sive *Casulam*, appellatam, id curatius expendendum est. Pænulam quidem fuisse inter sacras vestes, non negaverim, sed eandem fuisse, ac planetam, hoc est quod fateri non possum. Planeta sic dicta est, ut ipse fatetur Baronius, a πλάνης, quod circum errans totum ambiat corpus, quales esse antiquiores ait idem, quæ in Ecclesiis asservantur, quæ nempe rotundæ, ac per totum clausæ uno circum-

A jectu totum corpus involvebant, &, ut diximus, etiam utrumque brachium ita, ut nisi a lateribus utroque pariter brachio sublevari possent. Quare alii Planetas dictas existimarunt, quod ejus extrema ora hinc inde in brachia, scapulasque rejecta errabunda deflueret. Et ideo plures eandem vestem *Casulam* dixere elegantia, quæ eorum temporum propria fuit. Isidor. lib. XIX. cap. XXVIII. *Casula est cuculla, a casa, quod totum hominem tegat, quasi minor casa; Unde & Cuculla* (hoc ridiculum est) *quasi minor cella*. Adjicit Isidorus Græce Planetas dictas, *quia boris errantibus*
B *evagantur, ut & stellæ Planetæ; quæ vagæ suo errore, motuque discurrunt*. Sed corruptus hic locus est, & pro *boris* legendum est *oris*, id est, limbo, & extrema parte, ut scilicet secundum etymon πλάνης Planeta Græce dicatur, quia ejus oræ errarent, & vagarentur, modo nempe subductæ brachiis, modo defluentes, & numquam stabiles. Sic & sacri glossographi Planetam vestem laxam interpretantur circa humeros, quæ errantibus oris evagatur. Gemma Animæ cap. CCVII. *Casulam* scribit *omnibus aliis vestibus circumjici, quæ Planeta dicatur, quod errabundus limbus ejus utrimque in brachia sublevetur. Hæc in pectore, & inter hume-*
C *ros duplicatur, in utroque brachio triplicatur.*

Ex his apparet Planetam, sive Casulam, quæ olim in usu, vestem fuisse laxam, rotundam, circumclusam, quæ totum corpus involvebat, & utrimque a lateribus in scapulas rejiciebatur. Quæ omnia ostendunt togam fuisse, non pænulam; Nam pænula, ut & lacernæ, chlamydes, saga, & reliqua pallia aperta erant, & fibula, vel in humeris, vel in cervice nectebantur: Casula tota clausa, & toga. Pallia aperta fuisse satis aliis probatum. Pænulam autem etiam pallium fuisse docet Persii vetus Interpres: *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur. Pænula pallium*
D *cum fimbriis longis*. Præterea Planeta vestis laxior, & rotunda; Pænula angusta, & corpori adpressa. Auctor *de causis corruptæ eloquentiæ*: *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas, quibus adstricti, ac velut inclusi cum Judicibus fabulamur?* Et licet inclusi sub pænula essent, non ita tamen, ut brachia exeri non possent, ut in Casula.

CAP. XXXVII.

Modum gestandi Casulam diversum a togæ ge-
E *statu fuisse. Lineus amictus.*

TOgam, & vestem fusiorem fuisse, & circumclusam, totumque corpus involvisse docuimus, idemque antiquorum Planetam præstitisse, ut togam, non pænulam fuisse dicendum sit. Unum tamen discrimen erat, quod in toga dextrum brachium, qua parte patebat ad pectus, exerebatur, sinistrum sub ipsa toga ejusdem reductione extollebatur; Atqui in Planeta utrumque brachium subjectum, ex inferiori parte ipsam contrahendo expediebatur. Quod factum opinor,
F quia modestior, & magis verecundus hic habitus fuit, quodque, ut in antiquis picturis apparet, non omnino exerta nudaque manu, sed veste obvelata res sacræ tangebantur.

Et quoniam non aliter expediri brachia poterant, quam subducta planetæ ora, & in humeros rejecta; hinc factum est, ut inter Missarum solemnia, cum Sacro-sancta Mysteria elevanda, & populo ostendenda erant, quod planeta sic contracta utrumque brachium deprimeret, ac prægravaret, ut difficulter attolli posset, Aræ mini-

ster posteriorem ejus laciniam sublatam sustentaret, quo facilius brachia sacerdos extenderet: quod nunc quoque servatur, licet scissa jam veste, & exclusis brachiis non ita ut olim, opus sit.

Præter Planetam aliud Romanæ togæ vestigium Patavii, ubi hæc commentabar, observavi Lineum nempe amictum superiorem sacerdotum, & Aræ ministrorum, quem *Cottam* vulgo appellant, de quo infra.

Hæc, inquam, linea vestis Patavii (nam alibi manicata in usu est) rotunda est, & clausa, totumque corpus involvens, atque utroque brachio A hinc inde subducta in humeros rejicitur, ut in veteri Planeta factum diximus. Hæc olim opinabamur, cum nondum pænulæ figuram in antiquis monumentis videri contigisset: decepti etiam clarorum virorum auctoritate, qui pænulam vestimentum apertum esse docuerunt. Sed postquam non una pænulæ imago in manus venit mutare opinionem cogimur, vestemque sacrificantium cum Baronio pænulam fuisse fatemur. Ejus imago suo loco reddetur. Hic veteris casulæ sacrificalis effigiem damus, quam Nicolaus Alemannus V. C. ad Procopii Anecdota exhibuit.



CAP. XXXVIII.

Planetam, & Casulam etiam extra sacra in communi vestitu fuisse.

HAud inscius sum, non defuturos qui huic opinioni genuinum frangant, grandeque facinus, & morte piandum dictitent, quod vestem sacrificalem eandem cum veste communi, ac prophana fecerim. Fateor labente ævo quædam in ornatu, cultuque sacrorum immutata esse, quædam etiam ad Judæorum ritus exacta. Primis tamen Ecclesiæ temporibus in communi veste Lithurgiam peractam ausim affirmare. Tunc enim etiam Sacerdotes, & clerici in communi habitu incedere minus invidiosum putarunt. Veteres quidem Christianos veste cum Ethnicis indiscreta usos, satis ostendit Baronius II. *Annalium*. Soli Ascetæ, quique vitam austeriorem profitebantur, pallium gestabant vestem Græcanicam, & Philosophorum propriam, unde tot conviciis proscissi sunt. Quod si sacrorum vestes respiciamus, quæ in veteri Sacerdotio fuerunt, non multum eas a vulgari habitu discrepare videbimus. Vulgo enim B tunc homines in Orbe Romano tunicis saltem duabus induti interiore linea, sive *subucula*, & exteriore ex lana aliave materia, quæ proprie *tunica* dicta, olim quidem sine manicis, quæ *Colobium*, post manicata, quæ *Dalmatica*. Tunicæ quidam togam injiciebant, quidam lacernam, aut pænulam. Hæc omnia in sacrificali vestitu fuere. Tunica enim linea talaris, quam *albam* & *Camisum*, sive *Camisam* dixere: Zona cingendæ tunicæ: mox Dalmatica, quæ postea penes solos Episcopos remansit. Tandem Planeta quam togam, sive togæ simillimam diximus, quam ideo existimo in sacris lacernæ prælatam, quod toga honestiorum esset, & Romæ etiam cum in desuetudinem abiisset in sacris Deorum retenta. Reli- C qua posterioris ævi additamenta fuere. De stola B. Ivo Carnotensis *de rebus Ecclesiasticis*: *Utuntur & stola, quæ alio nomine orarium vocatur: qua vetus sacerdotium non utebatur*. Albinus *de divinis officiis*: *Sunt tamen alia quæ apud illos* (Judæos) *non habebantur, ut stola, sandalia, & sudarium, quod ad tergendum sudorem in manu gestari mos est, quod usitato nomine Fanonem vocamus*. Idem. *Mappula* (nos manipulum dicimus) *quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum, &*

narium detergimus. Eandem mappulam *sudarium* vocat Fortunatus Amalarius.

Scio Veteres ad vestitum Pontificum Hebræorum pleraque exegisse, sed præter tunicam lineam, & quem vocant *amictum*, quem ad instar superhumeralis esse voluerunt, nihil admodum simile reperiemus. Ubi enim apud nostros *tunica hyacinthina, rationale, cydaris, baltheum, lamina in fronte, fœminalia linea, sive braccæ?* Hæ postremæ adeo Romanis incognitæ, ut inter barbara tegmina recenserentur, quemadmodum infra ostendam.

Sed indecorum videtur, ac minime ferendum, vestem prophanam sacris castissimis adscribere. Velim mihi dicant, quod genus vestimenti Pænulam fuisse credant. Vulgare, ac viatorium. Atqui ejus usus inter sacras vestes a Baronio & ab aliis recipitur, & *vestis sacerdotalis* appellatur: Cur pænulam admittunt, togam excludunt, quæ honestior, & omnium nobilissima vestis fuit?

Tantum autem abest ideo non adhibitam sacris togam, quia prophana erat, ut etiam Planeta, sive Casula sacrorum propria, in promiscuo tamen usu fuerit. Jo. Diaconus in *vita S. Gregorii* ait, *Patris ejus indumentum fuit Planeta castanei coloris, & sub Planeta Dalmatica*. Nec mihi recte facere videntur, qui hinc solum arguunt, patrem S. Gregorii fuisse in Clero, quod Planetam, & Dalmaticam gestaret. Nam ut de Dalmatica nihil dicamus, quæ tunica fuit, & quidem antiquitus probrosa: si ideo Gregorii Pater in Clero fuisse creditur, quod Planetam gestabat, illud sequitur etiam extra sacra eam in usu fuisse. De Casula Bonifacius ep. III. cujus locum attulit Cerda in *Adversarii*: *Litteras, & parva munuscula transmitto vobis, id est, Casulam non holosericam, sed caprina lanugine mistam, & villosam ad tergendos pedes dilectionis vestræ*. Quam non modo promiscuus, sed vilis Casulæ usus? hanc tamen a sacrificali distinctam fuisse apparet. Ivo Carnotensis etiam *de rebus Ecclesiasticis*: *His omnibus indumentis superponitur Casula, quæ alio nomine planeta vocatur, quæ quia communis est vestis, charitatem significat*. Concilium Ratisbonense Anno DCCLII. *Presbyteri, vel Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei*. Sed totam nostram conjecturam gravissimo testimonio corroboremus licet Walafridi Strabonis, qui ante octingentos fere annos doctrina, ac sanctitate floruit. Ejus verba sunt cap. XXIV. *de rebus Ecclesiasticis*: *Vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus XXIV. constituit sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi in ecclesia tantum*. Mox: *Addiderunt in vestibus sacris alii alia, vel ad imitationem earum, quibus veteres utebantur sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expressionem*. Amalarius Fortunatus lib. II. ep. XVII. *Stephanus natione Romanus ex patre Jobio constituit sacerdotibus, Levitisque vestibus sacratis in usu quotidiano non uti*.

CAP. XXXIX.

Dalmatica. Lacernum byrrhum. Cardinalium Vestitus. Baronii opinio rejecta.

NOn Planeta modo, & Pænula olim sacri, ac prophani usus fuit, sed & Dalmatica. Eam

A in sacris adhibitam constat, ejusdem etiam extra sacra usus primo quidem promiscuus, deinde in Diaconis, mox in Presbyteris, tandem in solis Episcopis. Walafridus-Strabo cap. laudato: *Et Silvester ordinavit, ut Diaconi Dalmaticis in Ecclesia uterentur. Et primo quidem Sacerdotes Dalmaticis ante Casularum usum induebantur: postea vero cum Casulis uti cœpissent, Dalmaticas Diaconibus concesserunt*. Addit a Romano Pontifice earum usum aliis Episcopis permissum, aliis interdictum: sua vero ætate omnes pene Episcopos, & nonnullos Presbyterorum sub Casulis Dalmaticas gestasse.

B Ergo ante Stephani, & Silvestri tempora Dalmaticæ in promiscuo usu fuere. In actis S. Cypriani: *Idem S. Cyprianus in agrum Sexti perductus, & ibi se lacerno byrrho expoliavit, & genua in terram flexit, & cum se Dalmatica expoliasset in linea remansit*. In quo falluntur, qui putarunt fuisse hunc habitum peculiarem Episcoporum: cum vulgaris esset. Nam byrrhus, sive lacerna communis fuit, Dalmatica item, & tunica linea sive subucula. Nihil igitur peculiare habuit, nisi si forte lacernam magis pretiosam. Multo magis nugantur qui hebetis esse ingenii dicunt, existimare li-
C neam ibi esse tunicam interiorem, sive Camisiam, nam esse lineum amictum Episcoporum, quem alii Ephod appellant. Ipsi multo hebetiores sunt, nam linea illa vere fuit subucula, in qua exspoliatus superioribus vestibus, lacerna nempe, & Dalmatica Cyprianus carnificem operiebatur. Argumenta quæ contra afferuntur, stipulis leviora sunt. Quis enim nescit, lineum amictum sive ephod non sub lacerna, & Dalmatica poni, sed tunicæ, & reliquis vestimentis superinduci?

Neque me multum auctoritas Baronii movet, qui illud *lacernum byrrhum* explicat byrrhum per modum lacernæ compositum, ut fuerit species
D quædam lacernæ. Sed byrrhum idem, ac lacernam fuisse Clarissimus Salmasius docuit. In eo, inquam, non me movet Baronius, quod Cardinalium vestes ad Cypriani cultum exigit. Haud vidi magis. Cyprianus indutus linea, mox Dalmatica, supra lacerna. *Illi*, inquit, *post vestem superinduunt lineam, & desuper solutam tunicam, & tantum humeros, brachiaque tegens lacernum byrrhum*. Nihil tale in Cypriano. Lineam habuit, Dalmaticam, & lacernam. At patres purpurati hodie lineam quidem habent, sed duplicem, interiorem quæ subucula, deinde thoracem, mox
E tunicam talarem, tum alteram lineam, sive Ephod: postremo loco non tunicam solutam, ut tenet Baronius, sed vel togam, vel togæ persimilem vestem, nam fusa est, & syrmate prodiga, totumque hominem involvit. & licet ad pectus aperta, brachio tamen sinistro, ut Veterum toga subducitur, ac contrahitur, & ideo *Cappa* appellatur, vel quod hominem capiat, vel a capite, cum in luctu ea caput involvant, ut in veteri toga; Quod autem humeris superinjicitur *Exomidis* species est, sive *cuculli*, qualis simplicior in Monachorum habitu visitur: Ea autem trunca vestis
F vulgo dicitur.

Sed quid pænulam in sacris fuisse dicemus, cujus mentio in actis Concilii Ephesini, si ea non fuit Planeta? *Misimus tunicam candidam*, & *pænulam castaneam*; Ubi in Græco ut notat Baronius est φαινόλιον. Ea etiam vestis sacra fuit, quæ licet aperta, & fibula nexa, tamen totum hominem cooperiebat. Hæc vulgi voce *Pluviale* dicitur, forte quia ut Pænula olim pluviæ tempore sumebatur, ejusque usus in supplicationibus, & vespertinis precibus. Eaque omnino a Casula, sive Planeta distincta, ut propterea non recte quidam

φαινόλιον Caſulam interpretati ſint, cum Penulam debuiſſent. Quamquam ex eo quod totum hominem involvat, licet aperta, etiam Caſula improprie dici poſſit. Sed de veſte ſacrificali, totiuſque aræ ornatu alias accuratius cum Deo diſputabimus. Interim auctarii loco viri doctiſſimi literas in ea, quæ hactenus diſputata ſunt, adſcribemus.

V. Cl. Joanni Rhodio Joannes Fredericus Gronovius S. P. D.

MIrifice me exhilararunt literæ tuæ, Vir Præſtantiſſime, quas tanto jam tempore ignarus veſtri, rerumque veſtrarum nuper admodum accepi. Atque utinam ſciviſſem Elzevirium aliquid in oras mittere; nihil mihi fuiſſet antiquius, quam ut nuperum illum fætum meæ obſervantiæ obſidem ad vos allegarem. Spero tamen poſtquam aliquandiu vel moratus fuerit in itinere, vel oberraverit, venturum quo eſt deſtinatus. Certe amico permulta exemplaria commiſi in Italiam curanda, quæ ille partim Nuntii Apoſtolici, partim Veneti Legati Coloniæ hominibus tradita mihi adfirmavit. Nos vero quando Veslingii *lapſa externis opobalſama truncis*, quando Argoli Circenſes Panviniani delectabunt? Rara fortuna eſt, hæc ad nos pervenire, eique adſcribo uſuram Commentarii Ferrariani: a quo viro quod me amari ſcribis, id vero mihi gratiſſimum eſt. Nimium qua tum deſidero *Electa* promiſſa: eam ſalivam movet de re veſtiaria ſcriptio, cujus lectione me plurimum profeciſſe dicerem, ſi aliquid in literis profeciſſe me agnoſcere auderem: Toga mihi viſa ſemper unum ex difficillimis Romanæ antiquitatis capitibus, in quo nec alii ſatisfaciebant, nec ipſe unquam ut ſatisfacerem mihi ſperavi fore. Sed ingentem lucem & mihi, & materiæ attulit doctiſſimi Ferrarii induſtria, & ſagacitas: cui dum *φοιτητὴν* me nuper præbui, iterum non ad dies aliquot, ſed menſes capaciſſimo amictui ita ſum involutus, ut ſi Clytæmneſtram domi haberem, Agamemnonis caſum timuiſſem. Aliqua tamen extricare me ſum conatus, & *πτερόεντα ἐνθυμήματα* devinxi verbis in chartam conjectis, quæ pejus, fateor, perire non poterat, tamen perituræ utique, quoniam in noſtro peculio erat, parcere ſupervacuum duxi. Excerpſi ex adverſariis inſignia quædam, & ad te mitto (quando hanc libertatem datis) ut cum illo communices, & judicium ab eo ſcriptum, ſi me amatis, impetres. Cupio autem ſincere, & ſevere tum accipi illa, tum haberi, ut ipſe a malignitate ſum alieniſſimus *ζητησηδίων* loco ſint, non *κυρίων δοξῶν*; Quare & revinci gratiſſimum erit mihi, dummodo eruatur veritas & antiquitas.

I. Communis recentior habitus dextrum humerum una cum brachio exertum habuiſſe haudquaquam videtur. Ideo Quintilianus: *Tum ſinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejeciſſe non dedecet*. Ideo Curius Fortunatianus: *Sinus ab humero poteſt labi*. Quod non poteſt niſi de dextro intelligi: nam ad ſiniſtrum humerum nulla pars ſinus pertinet. Iterum Fabius ſtatim poſt illa verba: *Operiri humerum cum toto jugulo non oportet: alioquin amictus fiet anguſtus*. Non totum jugulum vult una cum humero operiri: vult ergo ipſum humerum operiri: nam pars juguli humero plane nudo operiri nulla poteſt. Præterea Tertullianus ait, *umbonis ambitum, unde ſinus naſcitur, retrahi a ſcapulis*. Eſt ergo in ipſis ſcapulis aliquod tegimen, unde *retrabitur* (non dixit *detrahitur*, ut oſtendat aliquid in humero manere) illud circa umbonem unde naſcitur ſinus. Denique veteres ſtatuæ id liquido oſtendunt. In illa quam vulgavit Rubenius, & obliquo eo ſitu, quo dextrum latus contemplandum præbet, & adverſo opertus humerus brachio exſerto conſpicitur. Eodem habitu utraque imago in nummo M. Aurelii, nec diverſum ſignificant illa Quintiliani: *Sinus qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur velut baltheus, nec ſtrangulet, nec fluat*. Etenim illa vox *Sinus* nec hodie in textu eſt, nec olim, cum ſententiam ſuam his verbis efferret, in mente fuit Quintiliani. Aliud autem eſt, ille veluti baltheus, qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum latus ante pectus ducitur, aliud pars togæ, quæ dextro humero inſidet, ut ſtatim exponemus.

II. Quintilianus: *Siniſtrum brachium eouſque allevandum eſt, ut quaſi normalem illum angulum efficiat*. Quem angulum niſi illum qui fit brachii parte, vel cubito una cum manu allevato? Namque articulus qui medium brachium dividit, & a quo tota pars inde ad carpum cubitus appellatur. Plerumque ut ex ſtatuis nummiſque apparet, manus ſiniſtra erat declivis, & molliter propendens: eouſque ergo id quod elevatur ſiniſtri brachii, allevandum erit, ut articulus ille, quo cubitus a lacerto ſeparatur, ſit norma altitudinis quam capere oportet manum: non elevatur ulterius quam angulus ille demiſſo ſuperiori brachio pertinet. Et ratio præcepti hujus eſt, quia altius elevando brachium obvertatur cubitus, non manus quod pugilum eſt. Hinc inferius, quo & prior animadverſio confirmatur: *Sed hæc amictus obſervatio, dum incipimus: procedente vero actu, jam pene ab initio narrationis, ſinus ab humero recte velut ſponte delabitur: & cum ad argumenta, & locos ventum eſt, rejicere a ſiniſtro togam, dejicere etiam ſi hæreat ſinum conveniet: lævam a faucibus ac ſummo pectore abducere licet. Ardent enim jam omnia: & ut vox vehementior, ac magis varia eſt: ſic amictus quoque habet actum quendam velut præliantem*. Ait, *ſinus ab humero delabitur*, nimirum dextro, ne de ſiniſtro intelligamus, ecce de eo aliud præceptum: *conveniet rejicere a ſiniſtro togam*: & rurſus de dextro, quod ſi non delabatur ſponte ſinus, *ſi hæreat*, tum & conveniet inde *dejicere*. Aliud eſt igitur toga in humero ſiniſtro, quam convenit *rejici* non *dejici*: aliud ſinus, qui debet velut ſponte delabi, & ſi non delabitur *dejici* non tantum *rejici*. Atque ita reſtituendus ex Quintiliano quem fere deſcribit Curius. *Et dejicere ſinum etiam ſi hæreat convenit*. Nam *etiam* quod vulgo eſt, non poteſt referri niſi ad id quod proxime, *togam a ſiniſtro*, itaque ſenſum facit abſurdiſſimum, quaſi ab utroque humero dejici toga, & ita pectus, ac tergum quaſi ad medium uſque nudare delapſa deberet. Tum igitur etiam cum ceſſat illa prior obſervatio, quia actus eſt jam quaſi præliantis, non opus eſt ultra, ut angulus cubiti ſit normalis, ſed licet oblique elevare lævam manum altius, ferendaque ad ſummum pectus, & fauces, & viciſſim inde abducendo illa quoque geſtum facere. Neque enim *lænam* legendum videtur, quaſi hiemantem oratorem formet Fabius.

III. De duplici ſinu nihil mihi lectum apud Veteres, verba autem Quintiliani, unde eum viri docti effingunt, male accepta haud dubito. Nonniſi unus ab illo ſinus agnoſcitur: alterum illud non dicitur quid ſit, ſed quod quaſi ſit, & ſic evolvenda oratio: *ille velut baltheus, qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur*. Quæ enim ſimilitudo eſt inter baltheum, & ſinum, ut hæc vocabula

pro

pro eadem reponantur; aut quomodo sinus potest instar balthei duci? Nec vero *ille velut baltheus* Fabio aliud est, quam *umbo* Persio, Curio Fortunatiano, & Tertulliano: sed hunc umbonem esse sinum æque judico absurdum, quam rugas, & plicas esse sinum. An ἄκρον, seu lingua in mare procurrens potest dici etiam κόλπος, sive sinus mare in terram recipiens? An Trinacriam Insulam a tribus finibus fas est appellatam dicere? Nihilo probius *Umbonem* dicas esse sinum: nam umbo prominens aliquid est, & extans, sinus retractum, & concavum. Quid quod clare Tertullianus, *ex umbonis ambitu sinum nasci*: ergo sinus est aliquid extra umbonem: ergo aliud est, nisi idem est extra se, & idem ex se nascitur.

IV. Apud Tertullianum rugas deducere in tilias non est melius quam deducere in fagos aut quercus. In MS. invenimus *intillis*. Veritas est in promptu: *rugas ab exordio formet, & inde deducat in tabulas*: scribunt compendio *tablas*, ut *siml* pro *simul*, & talia. Hæc lectio nec procul abit a vulgatæ veterum librorum lectionis vestigiis, & sensus non tantum apti, sed & necessarii est. Quomodo enim mox, *deficientibus jam tabulis*, quas factas, aut fuisse numquam didiceramus? Non est idem *rugas ab exordio formare*, & *in tabulas* dilatare, ac *deducere*. Ab exordio, id est, ubi primum incipit fieri, & corrugari baltheus, nempe statim de sub ala, aut de sub dextero brachio rugæ formantur. Ubi nondum tabulas esse quivisse, hoc est, rugas latas, sed breves, ac tantum rugas satis manifestum est. Primum igitur ab exordio balthei formantur rugæ, dein prout ille procedit ad pectus deducuntur in tabulas, fiunt latiores, ita ut asserum, sive tabularum nomen mereri possint.

V. Quintilianus: *Pars togæ quæ postea imponitur sit inferior, nam ita & sedet melius & continetur*. Progreditur hoc ordine: primum vult togam rotundam, & apte cæsam esse: dein docet quousque ante, & post debeat protendi: hinc sinum ejus format, mox aliud quiddam a sinu, quod *veluti baltheum vocat*: huic proxime: *pars togæ quæ postea imponitur*. Cui vero? Nempe ei de quo statim locutus est, velut baltheo. Ergo pars illa non potest esse neque umbo propriissime sic dictus; (nam hic construitur in medio balthei ex ipsis balthei rugis, non imponitur) neque ea pars, quæ in sinistro brachio residet: neque enim potest imponi baltheo, quin totus sinus pereat, & illa cavitas sub imo ventre claudatur: aliasque ob rationes multas. Sed pars illa togæ quæ postea structo nempe baltheo imponitur est pars togæ descendens ante pectus ab humero sinistro: ea enim suffulta baltheo sub sinistrum brachium procurrente, circa sinistrum pectus eidem imponitur, & propendendo modicum sinum efficit: quod tamen *sinum* nemo dixit, ne ambiguum redderet utrum illum sinum, quem in toga agnoscunt Veteres. Atque hoc recte intellexit & notavit etiam Rubenius num. III. in *sua statua togata*.

VI. Quid igitur tandem *sinus*? quid *baltheus*? Censemus sinum proprie esse medium illud inter baltheum, sive umbonem, & laciniam maximam earum sub dextro ventre gestantis. Ab dextro humero descendebat ad ventrem usque flexo quodam canali: ejus ut sic dicam canalis labrum exterius protenditur usque ad illas rugas quæ laciniam separant a sinu, & a quibus colligitur in dextro versus sinistrum ad genua, aut paulo superius ipse sinus: interius labrum statim sub umbone sive baltheo in ambitu ejus interit: nam & sinus sub pectore nascitur ex ambitu balthei, quem supra se habet, infra vero circumscribitur, & finitur rugis quæ distinguunt ab eo infimam laciniam sive oram togæ. Baltheus autem est collectio rugarum circa pectus, sub dextro brachio incipiens, in medio latioribus, & exstantioribus rugis, ut speciem simul tabularum sibi invicem superstructarum simul umbonis referrent in latum infra desinens in sinum, in longum porrecta usque sub sinistrum brachium, ibique velut nodo contracta, sic tamen ut nullum post tergum emineat. Ab illa autem umbilici specie & tubere, quod in medio apparebat, & totus baltheus dicebatur umbo, quod patet ex collatis verbis Fabii, & Curii. Fabius enim: *Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus, nec strangulet, nec fluat*. Curius autem: *Quid in umbone? nec fluxe, nec adstricte*. Quis ausit negare de eadem re eos loqui? Neque sane quidquam aliud Tertulliano est *umbo*, quam Quintiliano *ille velut baltheus*. Porro ab eadem causa pleniori Sinecdoche, *camdidus umbo* pro toga pura apud Persium.

VII. Sed age vestiamus togam, & tum ea quæ dicta sunt, tum pluscula alia parum apud memoratos scriptores intellecta explanabuntur. Illud jam inter doctos consentitur, togam fuisse vestimentum rotundum, & undique clausum, quod immissum supra caput uno injectu totum corpus operiret, laxe patentibus in summo faucibus, ut non caput modo, sed & brachium, humerusque dexter, cum luberet, commode posset exeri. Ea sic vestiebatur ex mente Quintiliani, Curii, ac Tertulliani. In sinistro quidem humero per summam oram proprie sustinebatur, post tergum ad poplites usque dependens, & quia nullas habebat manicas, ima ejus lacinia sinistro cubito suspensa, ac suffulta, collectaque in rugas manum habebat exsertam. Summa autem illa ora, quæ humero sinistro sustentabatur, procurrebat ad dextrum usque humerum, eumque quamvis exserto dextero brachio velans illic sinui, & baltheo sive umboni originem dabat. Sinus ab humero dextro descendedat inflexim ad ima ventris. Nam in communi usu Fabiani ævi non fuisse nudatum dextrum humerum, & ex statuis nummisque apparet, & ex verbis auctorum citatis. Sed antea Quintilianus: *Illud non ferendum, quod quidam rejecta in humerum toga, cum dextra sinum usque ad lumbos reduxerant, sinistra gestum facientes spatiantur, & fabulantur*. Vides sinum reductum ad lumbos, quominus mirere deduci ab dextro humero: quamquam clare in humero sinum locet Fabius, atque eundem retrahi a scapulis Tertullianus tradit. Ergo etiam brachio non tecto, sive exserto sinus summa pars inhærebat humero, & poterat rejici paululum, poterat attrahi ad pectus. Incipiebat igitur sinus ab dextro humero, & ad latus paulatim delabens fiebat laxior magisque cavus, donec ad ipsum ventrem plus in dextrum, quam in sinistrum vergeret, fieret laxissimus, & quasi alveum acciperet. Ab eadem superiore parte, quæ in humero dextro sedebat, interius, & statim sub brachio exoriebatur, & descendebat ille veluti baltheus, cujus collecti circa pectus, & multa contabulatione rugarum, plicarumque constricti ut contineretur, aliquæ extimæ rugæ & plicæ, a quibus nempe incipiebat ambitus in sinum exiens, prehendebantur læva manu superiores,

& plures mittebantur sub sinistrum brachium eminentes, & obstantem ibi duplicatam togam propellentes.

VIII. Hic addidimus duo, quæ ad hoc usque in vestitu togæ nemo, quod sciam, eruditorum observavit: prius manu sinistra comprehensas aliquas extimas plicas umbonis sive balthei: alterum, superiores, & plures sub sinistrum brachium procurrisse, & aliquantulum etiam post tergum prominuisse, sic ut instar parvi gibbi inter brachium, & latus sinistrum facerent. Atque illud quidem didicimus ex Tertulliano, qui nihil aliud significat cum ait, qui artifex *umbonis ambitum ex quo sinus deficientibus jam tabulis in lævum adhuc congerat*: didicimus ex imaginibus quæ visuntur in nummis, veluti illa in Severi, altera in M. Aurelii, Plautillæ, & Titi a Ferrario vulgatis, quæ omnes ita lævam occupant. Sed apud Quintilianum manus sinistra libera videtur relinqui, quemadmodum & alterius imaginis in nummo M. Aurelii: & tum quidquid erat rugarum in umbone, in sinu sub sinistrum brachium condebatur, aut laxior cadebat umbonis ambitus in sinum.

IX. Alterum pariter ex Tertulliano deprehendimus, qui statim subjungit: *in lævum adhuc congerat cum alio pari tabulato in terga devoto*. Ubi *detorto* legere malim, aut quia in MS. erat *devoco devocato*: nam τὸ *at* potest videri hausisse particula *Atque* proxime sequens. Satis evidenter significat, non fuisse duos umbones, ante unum, post unum, quod visum viro incomparabili: unde enim ille posterganeus? neque enim vel imaginando assequi possum quomodo esse potuerit: sed collectionem illam rugarum & plicarum, quæ tota instar baltheo pectus cingit, & in medio instar umbonis habet (a quo medio umbilico totus baltheus *umbo* dicitur, quemadmodum & clypeus ab eadem causa *umbo*: ut in illo *bella umbone propellit*) productum usque sub sinistrum brachium in tergum detorquere, & ibi alium quasi umbonem urgendo partem togæ præterlabentem faceret: idem Macrobius, *nodum lateris* dixisse videtur.

X. Neque enim factum existimo, quæ Tertullianus & Macrobius produnt: sed apud illum certe invidiæ augendæ causa, & oratorio more de quavis toga pronuntiatum; quæ non fiebant nisi in togis morosissimorum.

XI. Antequam hic baltheus Fabii, umbo aliorum (nam ut sæpius dixi idem sunt, erantque semper in vulgari habitu honestiorum, sed non omnes habebant tam morose constructum) sinistrum brachium subiret, partem togæ a sinistro humero descendentem ad pectus excipiebat paululum infra se pendulam, & protentam. Atque hæc est quæ dicitur Quintiliano, *pars togæ quæ postea imponitur*, nempe structo, strictoque baltheo: nec alium designat Tertullianus, cum ait, *partem de lævo promittat*, quod tamen expliceretur planius si legeremus, *partem quidem ei de lævo præmittat*, nempe umboni artifex; visiturque in statuis.

XII. Deficientibus infra pectus per latum tabulis, seu rugis, ac plicis nascebatur sinus attracti, ac revocati ab dextra scapula pars anterior, & maxima, nempe magnum illud ad ventrem cavum, quod deinde aliquot rugis, & plicis ab ima lacinia distinguitur.

XIII. Duabus tamen occasionibus observavi etiam in vulgari hoc amictu baltheum illum dilabi, ac resolvi passos: una si quando accumbendum esset togatis, idque *togam submissam* videtur dixisse Spartianus in *Hadriano*: *Ad convivium Senatores stans excepit, semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa*. Certe ut sub brachium missam intelligamus, proprietas vocis vetat: nemo enim submittere simpliciter pro sub brachium mittere dixit, sed *submittere* & demittere, ut *submittere vultum*, *submittere crinem*. Toga igitur submissa esse videtur baltheo ejus circa pectus resoluto, ac diffluentibus rugis plicisque. Sic commodius liberiusque in cubitum se reponebant, & molle illa tabulati soluta, utique ad cœnandum expeditiores, de amictu minus solliciti erant. Nam idem observatum doctis, mensam Imperatoriam participasse fere togatos ex Spartiani *Severo*: *Habuit etiam aliud omen Imperii, cum rogatus ad cœnam Imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit*. Casaubonus optime: quam præsidens gestaret. Sed obscure, quando enim præsidere dicitur Imperatorem? Docet Sueton. in *Claudio*: *Gladiatorio munere quod simul cum fratre memoriæ matris edebat, palliolatus novo more præsedit*. Et *Domitiano*: *Certamini præsedit crepidatus*. Toga igitur *præsidiaria* quam gestabant præsidentes muneribus, & ludis: nempe quia communi ad quotidiana ipse utebatur Imperator, & requirentibus aliam ista prima obvenit, & in promptu fuit.

XIV. Altera causa laxandi balthei mollities erat. Unde Tibullus I. eleg. VI. *effluit effuso cui toga laxa sinu*. Hoc est, non stricta ad pectus sinu per superioris balthei contractas rugas coercito. Et is habitus monstratur in prima figura col. 621. & 639. ubi nullus plane baltheus, ut alias pectus stringit, nec apparet illa pars quæ baltheo imponitur; illud autem unde formatur baltheus laxo quodam volumine pendet, ac fluit sub dextro latere infra balthei locum. Atque ut omnia fluxa sint, ac soluta, utpote in personis τῶν τρυφώντων, & amantium ne dextra quidem humerus tectus apparet, sed negligenter omnino hæret toga.

XV. Hac mollitie siquis incederet, eum laciniam togæ traxisse non miror ego, immo pene necessarium est. Atque id cum noster Macrobius sive errore memoriæ, quod in tunica notaverunt alii, at sive suos secutus auctores in toga Cæsaris reprehensum narrat: quod *ita toga præcingeretur ut trahendo laciniam velut mollis incederet*. Hoc est, ut male colligeret baltheum, sive umbonem togæ, quam ut strangulare non debere, ita nec fluere præcipiunt Quintilianus, & Curius.

XVI. Illud quoque dignum consideratione, quod ait Fabius: *Par ejus prior mediis curribus optime terminatur, posterior eadem portione altius, quam cinctura*. Vult autem Rhetor, togam ante tunica demissiorem, post eadem, qua ima tunicæ ora, altitudine esse. Scribendum est; *posterior eadem portione altius qua cinctura*. Hoc enim jubent verba κατ' ἔλλειψιν tacita, & intelligenda *mediis curribus optime terminatur*. Posterior pars eadem portione altius mediis curibus optime terminatur, qua portione altius mediis cruribus terminatur cinctura. Dixerat autem prius, *ita cingatur ut tunicæ prioribus oris infra genua paululum: posterioribus ad medios poplites usque perveniant: nam infra mulierum est. supra centurionum*. Ergo & ad medios poplites toga, non inferius nec superius, post tergum provenire debet, nam hactenus altius mediis cruribus optime cinctura terminatur.

Frederico Gronovio V. C. Octavius Ferrarius S. P. D.

MUltum tibi debeo, Vir Doctissime, quod non modo ad nugas meas oculos flexeris, sed etiam dignas putaris, in quibus ingenium exerceres, in his, quas ad Doctissimum Rhodium pridem dedisti. Quibus ego tarde imo pene jam sero longa hac pertinaci valetudine corpus, animumque fractus aliquid levi brachio reponam. Non quod mea tanti faciam, ut mordicus tueri velim, sed si aut brevior aut obscurior fui, quam par erat, emendem, & expleam.

Communi Quiritium habitu dextrum cum brachio humerum exertum non fuisse credis. Sed id nummi veteres, quorum non exigua apud me copia, tum statuæ omnes quas Venetiis vidi, quasque Boissardus dedit, id manifeste evincunt. In nummis præcipue Adlocutiones omnes, Congiaria, Restitutiones provinciarum, quæ plurimæ in Adriani numismatis hunc habitum repræsentant. Illud quidem verum est, non omnes ita exertum humerum ostendere, ut tota etiam dextera scapula usque ad lumbos renudetur, quod in magna tum nummorum, tum statuarum parte videre est. Nulla tamen adhuc visa mihi, quæ totum opertum dextrum humerum habeat, nisi in qua etiam brachium toga contineatur, cujus causam in Commentario attuli. In tota nummaria supellectile argenteos duos observavi, alterum Augusti, in cujus aversa parte C. & L. Cæsares ejus nepotes cum clypeis & hastis puris ab equestri ordine donati, quorum alter brachium toga cohibet, alterum exerit, quod me dubium reddit cur ita factum sit: nam si tyrocinii causa, uterque eodem cultu esse debuisset. Quidquid sit, alter argenteus est M. Antonii, in quo ipse ut Augur velato brachio litem gestans, quum dedi col. 631. Cæterum quotquot vidi vel superiorem tantum humeri partem intactam habent, idque paucissimi, reliquæ omnes figuræ totum cum brachio humerum, & bonam scapularum partem exertam ostendunt.

Negas id Quintiliani ætate factum. Atqui ipse tradit Veteres more Græcorum veste brachium continuisse, ergo ipsius ævo exerebatur. Quo modo autem exeri velato humero commode potuerit, non video, etiam si nullæ statuæ aut nummi id ostenderent. Immo nonnisi exerto humero, ac brachio sinus in toga efficiebatur. *Nam Veteribus*, inquit Rhetor, *nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt. Itaque etiam gestu necesse est illos in principiis usos esse alio, quorum brachium sicut Græcorum veste continebatur*. Sed nos de præsentibus loquimur. Cur nulli aut perbreves Veteribus sinus? quod brachium more Græcorum veste cohibebant: sive non exerebant.

Exerto humero, ac brachio quod tunc fiebat, pars togæ, quæ olim brachium, & humerum velabat delapsa, & brachio subjecta, cadensque in pectus sinum efficiebat. Quid clarius iis verbis? *Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus*. Paulo ante dixerat, *sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior*. Subjicit: *Ille* (id est, sinus) *qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur*. An potest pars togæ esse sub dextro humero, & humerum velare? Nullus cohibito brachio *sinus*, qui exerto fiebat. Cum ergo addit *humero sinum injiciendum*, A de dextro accipi non potest. Ut quid enim injiceretur, si tectus humerus erat? deinde quis credat partem togæ posteriorem ad scapulas sinum appellari? Nec aliter injici poterat, quam reducto intra togam brachio, quod sinum penitus destruxisset. Sinus ergo, hoc est, pars togæ, quæ sinistrum humerum, brachiumque velabat, cum sæpe delaberetur, & humerum renudaret, erat humero injicienda, & sedi suæ reddenda. *At si*, inquit Rhetor, *incipientibus, aut paulum progressis decidat toga, non reponere eam prorsus negligentis aut pigri, aut quomodo debeat amiciri nescientis est*. Quod ait Curius: B *Sinus ab humero potest labi*. Quare & illa, *operiri jugulum cum toto humero non oportet, alioqui amictus fiet angustior*, de sinistro pariter capienda. Vult enim partem togæ, quæ humero labebatur, reduci in humerum eumque velari, sed non cum eo etiam jugulum, ne angustior fieret amictus, & strangularet magis ita conjecta, quam operiret. Quod puto innuisse Tertullianum cum ait, *a scapulis retractum umbonis ambitum:* nam dilapsa in brachium sinistra togæ parte, & renudatis C scapulis, retrahendum posterioris umbonis ambitum, ut sinister humerus iterum operiretur. Vel si aliud intellexit parum ad rem nostram, qui vulgares habitus exequimur, & non quos ille Rhetorice de suo commentus est. Quare non modo pars sinus ad sinistrum humerum pertinebat, sed nihil aliud sinus superior fuit, quam pars togæ, quæ dextro brachio subjecta, ad sinistrum humerum recurrebat, extrema ejus parte ad pectus cadente, quam sinum vult esse decentissimum. Quintilianus, *si aliquando supra imam togam fuerit*, id est, non ultra togæ oram inferiorem protendatur, quod aliquando eveniebat in togis laxis, ac fusis, quarum sinus longius fluebat, contra in angustis brevior etiam D cadebat.

Rubenii librum videre non contigit, etsi magna cura conquisitum, quem si isthinc, aut aliunde opera tua impetrarem, beneficium agnoscerem, ejusque mentionem in secunda editione non inviderem. Porro licet vox *sinus* in verbis illis Quintiliani non extet, *ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur veluti baltheus*, certe intelligitur ex præcedentibus: *sinus decentissimus si aliquando supra imam togam fuerit*. Quid enim illud est per fidem tuam *quod veluti baltheus?* non aliud quam sinus. Superioris sinus duplex pars, altera quæ subjecta humero E brachioque dextro oblique recurrebat ad sinistrum humerum, hominemque cingebat ut baltheus; altera quæ ab ipso baltheo cadebat in pectus, & infra, qui decentissimus sinus erat, si tamen non esset ima togæ ora inferior. Hæc omnia exertum cum brachio humerum fateri cogunt.

De angulo normali satis in Commentario dictum, neque explicationis adhuc pœnitet. Normalem illum angulum non brachii situs ac motus, sed duplex togæ ora brachio subducta efficiebat, ut videre est in ipsa figura. Verba illa *sinus ab humero delabitur* de sinistro accipienda diximus. F Qui enim in dextro esse poterat, si nihil aliud erat quam togæ pars dextro humero subjecta, quæ si reduceretur in humerum, brachiumque retractum operiret, destruebatur sinus, ergo sinus qui procedente actu delabebatur humero sinistro injiciendus. *Cum vero ad argumenta, & locos ventum erit, rejicere a sinistro togam, dejicere etiam si hæreat sinum conveniet*. Quod ita interpretor: sinistro brachio reducere togam a pectore, Quoniam autem pars illa sinus superioris,

quæ, ut diximus, a baltheo cadebat in pectus aliquando a parte togæ inferiori, quæ brachio subducebatur, impediebatur, quominus recte caderet, & ideo hærebat, si hæreret, dejicere conveniebat, hoc est, rejecta in sinistrum parte togæ, quæ contrahebatur sinistro brachio, sinui locus faciendus, ut in pectus descenderet.

Non ausim autem contra omnium librorum fidem lævo consilio *lænam* mutare in *lævam*. Quasi dum inciperet Orator, & procedente actu sinistram summo pectori, & faucibus adpresserit, gestu perabsurdo, quique totam amictus rationem perturbasset; Nec nisi cum arderent omnia licuerit lævam inde abducere. *Lænam* igitur, cum ejus usum anni tempestas daret, & a faucibus, & a summo pectore abducere licebat: de qua veste non pauca diximus, & plura fortasse alias dicemus.

Duplicem togæ sinum cum Quintiliano agnosco, nec alius unquam aliter ejus verba accipit jam toties adducta: *Sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur veluti baltheus, nec strangulet, nec fluat.* Quomodocumque Oratio evolvatur, aliquid reperiendum erit, quod baltheo simile sit, quodque veluti baltheus ducatur. Quid autem nisi sinus? Nam quemadmodum baltheus militaris cingebat pectus, sic sinus ille brachio subjectus ad instar cinguli hominem circumdabat, non quidem recte, ut baltheus, sed obliquo ductu, quia ad sinistrum altior, demissior in dextro erat. Immo Quintilianus duplicem sinum superiorem videtur statuere: alterum, qui cadebat in pectus, pars scilicet togæ, quæ subjecta humero dextro, e baltheo evolvebatur, & reflectebatur, ac descendebat ad inferiora, qui decentissimus tamen si superior ima togæ ora fuisset: alterum, baltheum ipsum, rugas scilicet constrictas, & coactas, quæ de sub sinistro brachio ad sinistrum humerum recurrebant; Non tamen ut duplex sinus fuerit, sed duas partes habuerit; de sinu inferiori mox dicam.

Quod ad *baltheum* pertinet, esto *baltheus* Quintiliani fuerit quod Tertulliano, & Macrobio *umbo* dicitur; Si umbonem in togis communibus intelligamus sinum rugis, ac plicis fortuitis protuberantem, convenimus. Sin vero *nodum illum*, & *artificem contabulationem*, quam Oratorie, ne dicam poetice, confinxit Africanus ille, in communi toga nec fuit, nec erit unquam. Alioquin Quintilianus alias in cultu ordinando morosus non præteriisset, & Veterum aliquis tetigisset, aut nominasset saltem. Nam Rhetor fortasse magis proprie *umbonem* dixisset, quam *baltheum*. Solus Persius poetice *umbonem* dixit, tumentes sinus rugas. Non ergo a sinu distinctum fuisse in vulgari toga contendo, nec aliud fuisse, quam rugas, & plicas utriusque sinus, tam illas quæ de faucibus ad sinistrum brachium cadebant, quam quæ de inferiori toga eodem brachio subducta cogebantur. Quod ex Persio manifestum est. Is enim *candidum umbonem* appellat togæ puræ deposita prætexta.

In prætexta candidus esse non poterat, sed purpureus, sive purpura distinctus. Ergo extrema togæ ora, quæ sola purpura prætexebatur pars umbonis erat, ea scilicet, quæ brachio sinistro ad pectus subducebatur; Nulla in sinu superiore purpura, aut alibi quam in ima ora. Quare si prætextatus quis sinistro brachio A togam demisisset purpureus umbo non fuisset. Quæ clare evincunt umbonem etiam ex rugis inferioris sinus fuisse confectum. In universum ergo brachio intra togam cohibito nulli sinus fuere, nullæ rugæ, quales antiquissimorum togæ: brachio dextro, atque humero exerto togæ pars superior, quæ dextrum humerum, dextramque pectoris partem velasset, si brachium non exereretur a faucibus dejecta cadebat in pectus, nec cadere poterat nisi complicata in rugas, hic *sinus superior* fuit, ad has rugas aliæ accedebant, quas nempe togæ ima ora brachio subducta reddebat, qui *sinus inferior*, B utrarumque rugarum aggestio, ac conglobatio protuberans clypei umboni similis erat, unde *umbo* Persio dictus est. Tertullianus cum Macrobio lascivit, & vaticinatur.

Neque tamen hinc sequitur, promontorium, atque excurrentem in mare linguam sinum esse. Quis sanus id dixerit? Veteres *sinum* dixere quod inter brachia ad summum pectus intercipitur, unde & recessus litorum, in quos se mare insinuat, *sinus* appellarunt; ita & sinum vestium dixere quodcumque partem illam corporis tegeret, tunicæ, togæ, chlamydis; quem- C admodum ergo multa in sinum condebantur, quibus licet ille turgesceret, & inflaretur, non tamen sinus esse desinebat: ita & togæ sinus, quamvis in rugas, & plicas convolutus turgesceret in umbonem, sinus remanebat, & inde etiam umbo dici poterat. Nisi vero apud Horatium *Ferre nuces sinu laxo*, ille sinus non fuit quod nucibus distentus esset, apud Senecam in *Tragœdiis*, *onerato sinu aliquid ferre*, male sinus dicitur, quod intumesceret, aut minus proprie velorum tumentium sinus appellatur. Quid verbis opus est? quis unquam in togis vulgaribus *sinum*, *rugas*, *umbonem* distin- D xit? Quomodo autem Tertullianus togam, ejusque *umbonem* in *tilias*, vel *taleas*, vel *tabulas* distinxerit, atque operose concinnaverit, intelligere, atque explicare non fuit nostri instituti, qui communes togas exequebamur, & utinam in eo viri doctissimi feliciter adlaborarint.

Veniamus ad *sinum inferiorem*, quem licet Veteres non nominaverint, eum tamen Suetonius agnoscit tam clare, ut ne dubitationi quidem locus relinquatur. Ejus verba sunt de Julii Cæsaris nece cap LXXXII. *Utque animadvertit undi-* E *que se strictis pugionibus peti, toga caput obduxit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit*. Partem nempe sinistro brachio subductam ad pedes dejecit. Nam quomodo superior sinus deduci, & velare crura potuit? ergo sinus alius præter superiorem. Livium etiam de inferiori togæ sinu capiendum existimo lib. XXI. *Dum Romanus sinu e toga facto, Hic, inquit, vobis bellum & pacem portamus: utrum placet sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter; Daret utrum vellet, succlamatum est; & cum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt*. Non aliter sinum facere Legatus potuit, quam sub- F ducta jam sinistro brachio togæ parte, dextra manu dextram togæ partem ad pedes fluentem elevare.

Restant illa expendenda. *Pars togæ quæ postea imponitur sit inferior*. Nempe togæ pars sinistro brachio subducta ita aptanda fuit, ut sinum superiorem non obtegeret, aut obrueret, & ideo infra eum aptabatur, sicque hærebat melius. Nam si protuberanti sinui imposita fuisset, facile defluxisset. Postremo: *Illud non ferendum, quod qui-*

dam rejecta in humerum toga, cum dextra sinum usque ad lumbos reduxere sinistra gestum facientes spatiantur. Sinistrum brachium sustinenda toga occupabatur, & ita minus commode ad gestum adhiberi poterat. Quidam ergo, ut eo expedito uterentur in actione, primo togæ partem inferiorem in humerum rejiciebant, deinde ne sinus superior impedire posset eum dextra ad lumbos usque reducebant, & sic libero, atque expedito brachio sinistro gestum faciebant, quod improbat Rhetor. Illa quæ sequuntur: *Itaque ut lævam involvere toga, & incingi pene furiosum est: sinum vero in dextrum humerum ab imo rejicere solutum, ac delicatum, fiunt adhuc pejus aliqua: ita cur laxiorem sinum sinistro brachio non subjiciamus?* Nam toga lævam involvere gestum fuisse se ad prælium componentis, ut & reducto ad tergum sinu eodem se cingere, quod antiquissimi fecerunt, qui inde *præcincti*, *cinctusque Gabinus*, alias notavimus, quare utrumque agere furiosi esse Quintilianus dixit. Cur autem sinum in dextrum humerum ab imo rejicere mollis fuerit, ac delicati non satis percipio, illud tamen indicat non fuisse opertum humerum dextrum sinu, in quem eundem sinum rejicere soluti, ac delicati esset. Subjicit, *non esse indecorum laxiorem sinum subjicere brachio sinistro*, quod sic Orator esset expeditior: *Habet enim*, inquit, *acre quiddam, atque expeditum, & calori, concitationique non inhabile. Cum vero magna pars est exhausta Orationis, utique afflante fortuna pene omnia decent, sudor ipse, & fatigatio, & negligentior amictus, & soluta, ac velut labens undique toga*.

Ceterum lævam manum comprehendendis extremis umbonis plicis fuisse occupatam cuiquam observatum non memini, neque id nummi a me vulgati indicant, in quibus ut in statuis videre est rotundum quid læva gestatum, sive illud volumen, sive aliud fuerit. Quod ad *tabulatum in terga devotum*, ut loquitur Tertullianus, attinet, licet antea præfatus sim nihil illa ad privatum habitum pertinere, cum tamen etiam posterior togæ pars ab humero ad lumbos cadens in rugas, & plicas convolveretur, non ita absurdum videtur etiam illam partem *umbonem posterganeum* ab audaci declamatore dici, sicque summum virum ab ejus mente non longe abisse.

De *toga submissa* non est dubitandum, quin pars sinistro brachio subducta in convivio dejecta sit, & sic sinistrum quoque brachium exertum: nullo periculo ne toga discumbentis ad pedes laberetur. Primo quia si submittere est demittere, toga demittebatur: nam quis credat togatos uno tantum brachio in convivio usos sinistro togæ congerie onerato? quomodo autem baltheus delabi in convivio posset, & resolvi non video, cum semper pars ejus sponte ad pectus, vel infra caderet, prout laxior, vel strictior toga, nisi *nodum illum artificem* Tertulliani comminiscamur. Qua ratione illæ balthei rugæ, ac plicæ in incessu & actione continebantur ne fluerent, in convivio solvebantur?

Mirum etiam est *togam Præsidiariam* dictam, quam Imperator gestaret, cum muneribus præsideret. Quid peculiare habuit ea toga? fane nihil. Cur autem eam mutaret Imperator discubiturus, vel cur potius præsidiaria diceretur, quam forensis, aut senatoria? Præsidiaria est Imperatoria, quod Imperatores Præsides dicerentur jam inde ab Augusto. Sic Plinius lib. VII. cap. XVI. *Augustum Præsidem vocat*. Quare verba illa *ipsius Imperatoris* ex glossa irrepsisse crediderim.

Dixi majores, minoresve sinus juxta togæ mensuram fuisse. Tibullus:

> *Effluit effuso cui toga laxa sinu*.

Macrobius defendi non potest, qui ait *Cæsarem traxisse laciniam quod fluxiore cinctura uteretur*, quæ nulla in toga fuit. Verba illa *Altius quam cinctura*, an sint interpolanda viderint docti: ego ut verum fatear nec correctionem, neque interpretationem satis capio. Sententia videtur. Togam ante ad media crura dimittendam, retro paulo inferius ipsa tunica, quæ ad medios poplites, ut idem sit *altius quam cinctura*, demissius, atque inferius. Quemadmodum supra dixerat de tunica. *Latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis summissior*: id est, tunica quæ cingebatur, ut eadem res sit cinctura, & ii qui cincti sunt.

Hæc strictim, quæ in secunda editione curatius examinabuntur. Vale, Vir doctissime, & me tui observantissimum ama.

V. C. Octavio Ferrario Joannes Fredericus Gronovius S. P. D.

MULTUM debeo tibi, Vir Celeberrime, de copiosis, & humanissimis literis tuis. Non dubitabam ζητηµάτια nostra ingenii tibi in nostrum usum exercendi occasionem fore, si quidem paucas horas tuis studiis decerpi pateretur. Cui desiderio meo quod indulsisti gratias tibi pro eo ac debeo ago maximas; quod ad ipsam rem pertinet, hic tuus est campus in quo exultanti tibi plaudere quam certare paratiores sumus. Ergo & posteriorem partem operis tui mirifice expectamus, nec minus *Electorum* libros, non dubii, quin multa præclara & scitu dignissima tibi simus debituri. Vides quam pauci hodie serio literarium negotium agant, & eo judicio, quo oportet in scriptoribus antiquis, & explanandis, & restituendis versentur. Et tamen verum erat, quando ex illa præstantissimorum ingeniorum, & monumentorum ubertate tam parum nobis reliqui fecit superiorum ætatum incultus, ac fatalis barbaries, nos operam dare, ut quod tamen superest, quam fieri potest, purum, & liquidum haberemus. Quum præsertim frustra aliquid elegantiæ gratiæque in nostris qualibuscumque scriptis fore speremus, nisi Veterum res, mores, sensus, & linguam cognoverimus, neque hæc ipsa, nisi ex probis, & castigatis libris hauriantur, tuto imitari, ac reddere possimus. Quare mihi semper optime sunt visi de communibus studiis mereri, qui scrutari, & tradere antiquitatem, ejusque auctores faciliores, & saniores reddere conarentur. Atqui etsi persæpe in lubrico consistant, persæpe & titubent, & cadant, neque quisquam adeo fuerit ἄστοχος, ut non aut temeritate interdum, aut incuria peccarit: tamen interim & plurima tutis illis, nihilque audentibus invisa eruunt, & plerumque subnascitur alius, qui peccata priora animadvertat. Sic altera parte plurimum boni præstant ipsi, altera sequentibus præstandi ansam præbent. Sed hæc tu domi nosti, neque ego alia de causa ingero, quam ut me consilium tuum magnopere probare, teque ad pergendum hortari agnoscas. In quo etsi nimis levis mea, fateor, est auctoritas: tamen & summis plerumque viris popularis plausus, ut non quæritur, ita nec spernitur, & gratus ac-

cedit. Quid autem (ne nunc quoque non aliquid misceam solennium nugarum) videtur tibi de loco auctoris *ad Herennium* lib. IV. cap. III. *Quod si quis ad Olympicum venerit cursum, & steterit, ut mittatur, impudentesque illos dicat esse, qui currere cœperint, ipse intra carcerem stet, & narret aliis quomodo Ladas, aut Bojus cum Sicyoniis cursitarint.* Turnebus enim inscitum, & nugatorium hic exprimi sensum ait: neque enim cum populis cursitatum, sed cum certatoribus: rescribit autem, *aut Boiscus Sicyonius*. Et habet qui eum sequatur Lambinum, & Gruterum. Quid quæris? tantos viros non vidisse, non *Sicyonios* hic po- A pulos, sed sicyonia ὑποδήματα intelligi: de quibus Lucretius: *pulchra in pedibus sicyonia rident*. Et Cicero in I. *de Orat. calceos sicyonios*. Genus autem loquendi est quale Ciceronis in *Antoniana*: *Cum Gallicis, & Lacerna cucurristi*. Et hujus Cornificii hoc libro propius finem: *venit iste cum sago gladio succinctus*. Sane *Bojus* non videtur Græcum nomen, & forsan melius sit *Bœus*, quod Fulvio Ursino placuit, aut *Bolis*, quod ut nosti est nomen viri Cretensis apud Polybium. De quo ut & de hoc toto arbitrium tuum esto. Vale, vir Clarissime, & me ama. Daventriæ prid. Kal. Majas MDCXLVI.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA

LIBER SECUNDUS,

CAP. I.

De Prætexta.



TOGAM prætextam Etruscæ, ut Plinius censet, originis, ita appellatam satis constat, quod in extrema ora limboque purpuram prætextam sive circumtextam haberet. Græci περιπόρφυρον dixere. Eam puerilis ætatis, sacerdotum, magistratuum, eorum item qui magistri Collegiorum, ac vicorum essent, peculiarem fuisse, viri doctissimi ostenderunt, quos non transcribo. Quintilianus Declamat. CCCXL. *Allego vobis etiam ipsum illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem*. Eandem tam a pueris, quam a puellis gestatam constat, & ab his quidem die nuptiarum depositam, a pueris die Tirocinii, quo scilicet deducti in forum transcribebantur in viros, & pro prætexta, togam puram, id est, sine ulla purpura sumebant. Id decimi quinti anni initio D fiebat. Nam quod alii decimo sexto aut serius factum scribunt, falli eos, ostendit Interpres vetus, Juvenalis nondum editus Bibliothecæ Ambrosianæ, cujus verba sunt: *Prætexta genus erat togæ, qua utebantur pueri adhuc sub disciplina usque ad* XV. *annum: deinde togam virilem accipiebant, unde in Vita Sancti Germani legitur, Cessit prætexta togæ*. Ea vita scripta versibus est ab Erico qui sub Carolo Calvo floruit. *Cedebat prætexta togæ*. Scio Augustum, Ciceronis item filium, & alios serius id egisse, sed recte monet Manutius, hoc magis ab alia causa, quam a lege, aut more. Porro deposita prætexta sumptam esse togam, quæ & *virilis* & *pura*, & *libera* dicebatur, vix quisquam ignorat. E *Virilis* quod qui eam sumerent ex ephebis transcriberentur in viros. *Pura* quod tota alba esset nihil purpuræ admixtum habens. *Libera* quia ephebi tum primum e magisterio excedebant, & ut loquitur Persius *purpuræ custodiam exibant*. Quo tem- B pore bullam auream laribus appensam nihil attinet dicere.

Ab hac toga *prætextata ætas* pro puerili, ita *prætextati*, ac *prætextatæ*, pro pueris, ac puellis. Sed falso hinc quidam *prætextata verba* deduxere, quæ erant obscœna, atque impudica, quæ procul ab prætextata ætate esse par erat: nec rectius Turnebus a prætextatis Comœdiis, quæ lascivæ, ac liberæ; nam veteres Grammatici prætextatas Tragœdias, vel ad instar Tragœdiarum dixerunt, quas haud verisimile est turpiloquio oblitas fuisse. Illud ergo rectius, quod cum nupturæ puellæ prætextam deponerent, ad demulcendum C pudorem, nuptiali licentia Fescennina cantarentur. Festus: *Prætextata verba, quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscœna clamarentur*.

CAP. II.

De Prætexta Sacerdotum.

ETIAM prætextas purpura togas sacris adhibitas indicat Plinius, cum ait, *Purpuram Diis placandis advocari*. Germanicus apud Tacitum, *Vidit se operatum, & sanguine sacro respersa prætexta pulchriorem aliam manibus aviæ Augustæ accepisse*. Ubi tamen Germanicus prætextatus non tantum quia augur, sed ut exercitus Imperator, & Proconsulari potestate. Quare non recte vir doctissimus notat, prætextæ usum in sacris fuisse, ita tamen, ut fuerit tantum sacerdotum. Nam Consules, Prætores, alii magistratus, cum sacra facerent, erant in prætexta, licet non essent sacerdotes. Verba Lampridii in *Alexandro* nihil Lipsium juvant: *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris*. Nam cum supra scripsisset Lampridius, Alexandrum adeo civili ingenio fuisse, ut licet Imperator prætextam, & pictam togam numquam sumeret, nisi cum esset Consul, subdit, adhibitam quidem ab eo prætextam in sacris cum non esset Consul, sed tunc non tamquam Imperatorem, sed ut Pontificem maximum prætextatum fuisse. Quod si idem cum

esset Consul sacrificasset, jure magistratus prætextatus fuisset, etiam citra Pontificatum maximum.

Augures etiam prætexta usos notum est. Cicero *pro Sextio* Lentuli Spintheris filium augurem creatum indicans: *Cui superior*, inquit, *annus idem, & virilem patris, & prætextam populi judicio dedit*. Idem ep. IX. lib. II. *ad Atticum*: *Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant*.

CAP. III.

Prætexta Magistratuum. Varii Interpretum errores in voce περιπόρφυρος explicanda castigantur.

MAgistratus omnes tam Romæ, quam in Coloniis, & Municipiis prætexta usos, immo & Collegiorum, ac Vicorum magistros docuit Manutius, & res omnibus obvia. Livius lib. XXXIV. *Purpura viri utemur: prætextati in magistratibus, in Sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis utentur: Magistratibus in coloniis, municipiisque; hic Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permittemus, nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam, ut eo crementur*. Catullus etiam apud Dionem ait, an eo magistratus creantur ἵνα ἐν τοῖς περιπορφύροις ἱματίοις περινοστῶσιν; *Ut in prætextis obambulent?* Martialis de Trojugenis in magistratu divitum limina ob sportulam vexantibus lib. x. ep. x.

Quid faciet pauper cui non licet esse clienti?
Dimisit nostras purpura vestra togas.

Id est, vos clientes prætextati nos tenuiores togatos ab officio dimisistis. Perperam in vulgatis esse, *divisit*, animadvertit Turnebus lib. XXX. Prætextas etiam intellexit Plutarchus in *Galba*, cum cædem in foro factam memorans ait: ἔτι τῶν νεκρῶν ἀκεφάλων ἐν ταῖς ὑπατικαῖς ἐσθῆσιν ἐρριμμένων ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς. *Cum vero corpora truncata in vestibus consularibus jacerent in foro*. Rectius, *in prætextis*, non enim tantum Consulum fuere, sed & reliquorum Magistratuum. Appianus lib. I. *Civil.* appellat τὴν τῆς ἀρχῆς ἐσθῆτα de Octavii Consulis interitu, vestem nempe Consularem, sive, quod idem est, prætextam. Eadem voce utitur Dio lib. LV. de Magistris Vicorum, & LXV. de Cæcinæ prætexta. Idem Appianus lib. II. de Dolabella Consule substituto. τὴν μὲν ὕπατον ἐσθῆτα ἠμφιέσατο, *Prætextam induit*. Ita variis vocibus eam Græci extulere. Vixque dici potest quantas tenebras ejus ignoratio scriptoribus intulerit. Plutarchus tradit Romulum prætexta usum: Ἀλουργῆ μὲν γὰρ ἐνεδύετο χιτῶνα, καὶ τήβεννον ἐφόρει περιπόρφυρον. Ubi flagitiose olim Interpres vertit. *Purpura enim ornatus incedebat, & toga insuper purpurea*. Nemo tam puer est, ut non videat vertendum fuisse. *Purpuream tunicam induebat, & togam prætextam gestabat*. Nam præter vim Græcæ vocis, togam purpuream, & prætextam diversas fuisse indicat Livius lib. XXI. *Dona ampla data quæ ferrent Regi. Toga purpurea, & palmata tunica, & toga prætexta*. Quamquam de Romuli prætexta malumus Plinio credere, quam Plutarcho toties in historia Romana dormitanti. Ille enim negat Romulum prætexta usum, sed Tullum Hostilium primo eam gestasse, lib. IX. cap. XXIII. *Purpuræ usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea, nam toga prætexta, & latiore clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum Etruscis devictis satis constat*.

Similis error ejusdem Interpretis paulo ante

A Narrat enim Plutarchus, devictis Veiis Romulum triumphasse ducto in triumphum eorum Duce, qui provecta ætate imprudenter & pueriliter rem gessisse visus est. Inde morem mansisse, ut post victorias senem ἐν περιπορφύρῳ per forum in Capitolium ducerent. *Purpura indutum* vertit ille, inepte. Nam in prætexta circumducebatur. Quod enim pueriliter egisse visus erat, in habitu puerili inductus est, appensaque ad collum bulla quod puerile gestamen. Dignus utique Interpres qui seni illi succidaneus daretur, si tamen solus lapsus esset.

Magis mirum est eum a quo Eunapius Sardia-
B nus Latina civitate donatus est virum exacta eruditione in ejusdem vocis explicatione deceptum. In *Juliano*: *Ad quod verbum*, inquit, *repente a sede sua prosiluit Procos.* καὶ τὴν περιπόρφυρον ἀνασείων ἐσθῆτα, τήβεννον αὐτὴν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. *Purpuream-que togam, Romani Trabeam vocant, excutiens*: Duplex error. Nam & toga illa non erat tota purpurea, sed περιπόρφυρος, id est, tantum prætexta, vestis nempe Proconsularis, neque eam vestem Romani trabeam appellant: nec τήβεννος est Trabea, sed simpliciter toga. Ad verbum ergo. *Proconsul a sede sua prosiluit, vestemque prætextam*
C *excutiens, quam Romani togam appellant*. Nullus hic trabeæ locus. Nullus etiam infra in *Proæresio*, ubi Præfectura Prætorii Eunapio dicitur ἀρχὴ βασιλεία ἀπόρφυρος, id est, *imperatoria dignitas sine purpura*. Non quod idem vertit, *purpuræ, trabeæque usu mutilata*. Purpura enim qua carebat Præfectura Prætorii erat laticlavia, de qua mox dicemus.

Ipse Politianus, quod vix credibile est, vim Græcæ vocis non videtur assecutus. Nam quod Herodianus lib. IV. dum ritum, scenamque Consecrationis describit, inter reliqua post Pyrrhicam
D *circumactos*, ait, *currus*, *qui ferrent*, ἠμφιεσμένους τὰς περὶ πορφύραν ἐσθῆτας. *Currus*, inquit ille, *circumaguntur insessi purpuratis rectoribus*. Sed rectores illi non purpurati erant, sed tantum prætextati; scilicet, ut subjicit Herodianus, *referebant personas eorum*, *qui magistratum domi*, *vel foris gessissent*, qui omnes in Prætexta. Rectius tamen in Herodiano quis περιπορφύρους legeret. Xiphilini Interpres de Trajano, qui antequam adipisceretur Imperium visus est in somnis videre senem grandævum ἐν ἱματίῳ, καὶ ἐσθῆτι περιπορφύρῳ, ut Senatus pingi solebat, sibi adstare. Vertit, *in veste purpurea*, cum debuisset, *in Prætexta*, sive ad verbum *in toga prætexta*, & tunica laticlavia. Quid enim pallium, & vestem Xiphi-
E linus conjungeret? Sed pallium ibi toga est, vestis tunica, quæ & ipsa clavis in pectore prætexta erat.

Prætexta igitur Magistratus insigne fuit. De Ædilibus Dio lib. LXXVI. *Antequam legeretur Senatorem illum calvum* περιπόρφυρον ἱμάτιον *habuisse. Tunc omnes in Marcellinum oculos conjecimus: is enim tum Ædilis fuerat*. Cicero ep. XII. lib. II. *ad Q. Fratrem* de Ædilitate Appii Claudii: *Togam sum ejus prætextam, quam erat adeptus Cæsare Consule, magno risu hominum cavillatus. Quod nolit, inquam, renovare honores eosdem, quominus togam prætextam interpolet quotannis, decernendum*
F *nihil censeo*. Quo loco ut doctissimus, ac disertissimus Seb. Corradus ad Ciceronem *de Claris Oratoribus* observat, Appii ambitionem, & avaritiam mordet, quod mallet foris, & in provincia lucrari, quam domi damnum accipere renovandis honoribus, & interpolanda prætexta. Nam qui magistratus inibant, novas prætextas confici curabant, avari, ut Appius, veterem interpolabant, ut nova videretur, ob magnum purpuræ pretium.

Prætores etiam in Prætexta. Appianus lib. II. *Civil. Cinna Prætor affinis Cæsaris præter expectationem progressus in medium*, τήν τε ἐσθῆτα τὴν στρατηγικὴν ἀπεδύσατο. *Prætextam exuit*, quod melius est, quam *Prætoriam purpuram*, nam purpura non tantum Prætoris, sed & reliquorum magistratuum.

Immo & Præfecti Prætorio in prætexta, licet jus clavi non haberent. Dio dat eam Sejano lib. LVIII. Quem τῷ περιπορφύρῳ ἱματίῳ *ornaverant, ad supplicium duxerunt*. Et Juvenalis sat. x. de eodem:

Hujus qui trahitur prætextam sumere mavis
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas?

Dictatorem etiam prætextatum fuisse non est dubitandum. Supremam enim ejus dignitatem, qua cunctos magistratus antistabat, non aliis insignibus, quam securibus ad fasces additis ab aliis distinctam auctores produnt. Ita illud Senecæ de Sylla lib. I. *de Clem.* cap. XII. *Descenderit licet Dictatura sua, & se togæ reddiderit*, non recte Lipsius ita explicat. *Dictator ergo in sago, qui rei gerendæ causa creatus*. Nam intra urbem nec Dictatores, nec Coss. nec alii magistratus in alia veste quam in prætexta fuere: extra Urbem paludati. Quoties ergo Dictatores propter negotia Urbana creati, ii prætexta more reliquorum. Sylla deposita Dictatura, & ejus insigni toga ptætexta, togæ communi, id est, puræ se reddidit, quod ait de se Cæsar apud Lucanum:

Ipse ego privatæ cupidus me reddere vitæ
Plebejaque toga modicum componere civem.

CAP. IV.

An Senatores Prætextati? An Tribuni plebis?

PRætextas etiam Senatorum fuisse, idem Manutius suspicatur inductus verbis Ciceronis II. *Philippica: Nescis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse, te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? Cur non sumus prætextati? Cur honorem Cæsaris tua lege datum deseri patimur?* Quod enim in Senatu Cicero verba faceret, existimati Manutius, cum dixit, *cur prætextiati non sumus?* loquutum de Senatoribus.

Sed non fuisse prætextam Senatorum propriam, illud satis ostendit, quod supra attulimus ex Dione, in luctu Magistratus deposita prætexta in veste Senatoria mansisse. Quidam ergo existimant, id dixisse Ciceronem, quia Augur erat, cumque etiam Antonius eodem sacerdotio præditus esset, habuisse tunc jus prætextæ; Quod ut verum sit, ita opus esset ostendere, Augures nonnisi ludis jus prætextæ habuisse, cum tamen eos perpetuo gestasse prætextam cum reliquis Sacerdotibus credi par sit. Illud propius vero, Antonium cum legem ferret de addendo die quatuor diebus ludorum, tulisse etiam ad populum, ut majorem Cæsaris honorem Senatores prætextati spectarent. Vel certe, quod credit Manutius, forte hoc proprium fuit ludorum Romanorum, ut prætextati Senatores spectarent: nam reliquis ludis non licuisse inde conjicit idem, quod Pompejo Magno ex Mithridatico bello revertenti honoris causa tributum fuerit, ut scenicis ludis prætexta uteretur. Unde id acceperit Manutius, nescio. Dio Cassius hoc non habet, sed decretum fuisse, ut in omnibus festis lauream gestaret, καὶ τὴν στολὴν, τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύειν: *in iisque omnibus paludamentum ferret, vestem autem triumphalem in equestribus certaminibus indueret:* στολὴν ἀρχικὴν rectius *prætextam* verteris, nam cum de habitu urbano loquatur στολὴ ἀρχικὴ est toga prætexta. Paterculus lib. II. *Absente Gn. Pompejo T. Ampius & T. Labienus Tribuni pleb. legem tulerunt, ut is Ludis Circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem prætexta. Id ille non plusquam semel (& hoc sane nimium fuit) usurpare sustinuit.* Non fuisse autem prætextam Senatorum, idem Dio indicat lib. LI. cum ait, inter reliquos honores Augusto decretos fuisse, ut Senatores Actiacæ victoriæ socii ἐν περιπορφύροις ἱματίοις τὴν πομπὴν αὐτῷ συμπέμψαι, *prætextati cum eo triumpharent*. Propertius tamen lib. IV. elegia I. indicare videtur Senatores prætextatos fuisse:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Sed a parte nobiliori totum Senatum prætextum appellavit, quod in eo magistratus omnes prætextati: sive quod est simplicius Senatores prætextati dici poterant, quorum tunica latis clavis purpureis prætexta erat, quamquam proprie hæc vox de toga usurparetur, ut supra diximus cum Xiphilinum explicaremus. Ausonius Edyl. VIII. de toga intelligit:

—— *Roma illa domusque Quirini*
Et toga purpurei rutilans prætexta Senatus.

Nisi dicere malimus, sicut Consul, qui alias tantum prætextatus, in officio solemni annum auspicandi, ut dicemus, in toga triumphali erat, ita Senatores eodem die solemni prætextam sumpsisse. Ibi enim Ausonius solemnia Kalendarum Januarii precatur. Fortasse etiam togas totâs purpureas sumptas innuit, nam infra togam pictam purpuream Consulis appellat prætextam:

Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.

Et alibi de Gratiano:

—— *Dum prætextatus in ostro*
Et sceptro & solio sibi præfert jura magistri.

Ubi Cæsarem in purpura Imperatoria prætextatum appellat. Etiam in *Professoribus* II. videtur Senatoribus togas purpureas dare:

Mille foro dedit hæc juvenes: bis mille Senatus
Adjecit numero purpureisque togis.

Quo loco fortasse respexit solemnitatem Kalendarum. Nam non est credibile senatores omnes eodem habitu atque Imperatorem usos fuisse, id est, purpureo, & triumphali.

Censoribus prætextam abjudicat Manutius, quod Polybius lib. VI. cum ornamenta mortuorum narrat, ait: *Ubi præclarus aliquis ex domesticis obiit, instituunt funeris apparatum & circumfusi qui similes magnitudine, ac statura videntur.* ἐὰν μὲν ὕπατος, ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους λαμβάνουσι: ἐὰν δὲ τιμητὴς πορφυρᾶς. *Si Consul, vel Prætor fuerit, prætextas: si Censor, purpureas.*

Atqui Tribunis idem prætextam adimit, quod Plutarchus, ubi Tribunum plebis magistratum esse negat, hoc utitur argumento, quod prætextam non habuerit. Et tamen Cicero *pro Cluentio* Tribunitiam prætextam innuisse videtur, cum de Quintio Tribuno pleb. loquens ait: *Facite ut non solum mores ejus, & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.* Manutius togam purpuream intelligit, sed quis unquam Tribunis talem togam adscripsit? Alii de tunica intelligi volunt, quod nempe tunicæ Senatorum fuerint purpureæ, hoc nos falsum esse infra vincemus. Quid opus est verbis? Quintilianus de prætexta omnino

omnino capiendum Ciceronem docet. Nam lib. v. *Alia*, inquit, *respondendi patronis ratio, & aliquando tamen eorum non oratio modo, sed vita etiam, vultus, denique incessus, habitus recte incusari solet; ut adversus Quintium Cicero, non hæc solum, sed ipsam etiam prætextam dimissam ad talos insectatus est*. Malumus ergo Romano homini, & antiquiori, Tribunos prætextatos, quam Græco, & non semel aliquid humani passo, credere. Neque tamen ideo Cicero Quintium reprehendit, quod prætexta talari uteretur, nam omnes ea ætate togas talares fuisse supra ostendimus: sed quod cum alii paulo supra imam togæ oram purpuram circumtextam gestarent, superbus ille, & latiorem, & talos ipsos perfundentem induerit. Nec dubie Tribunitiam prætextam intellexit Appianus libr. IV. *Civil.* cum sacram vestem appellat. Ubi Cassius in Oratione ad milites, ait, *Tribunis a Cæsare sacrum magistratum* & τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱεράν, *sacram vestem ademptam fuisse*. Nam paulo infra vestem Proconsulum, id est, prætextam appellat *sacram purparam*. πορφύρα ἱερᾷ περικομῶντες. Ut alibi Cæsaris Pontificis Max. vestem *sacram* appellat, quæ fuit prætexta.

Ceterum usum prætextæ puerilis usque ad extrema Romani Imperii tempora durasse indicat Ausonius in *Professoribus* XIX.

Mox schola & auditor multus prætextaque pubes.

Ubi prætextam pro prætextatam dixit, sicut Edyl. VIII.

—— Roma illa domusque Quirini
Et toga purpurei rutilans prætexta Senati.

Immo Propertius lib. IV. eleg. I.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu
Pellitos habuit rustica corda patres.

Qua licentia Macrobius libr. II. *Sat. verba prætexta* dixit pro *prætextata*.

Ad extremum illud de prætexta non videtur prætereundum, eam a Prætore depositam antequam damnationis sententiam pronunciaret. Val. Maximus lib. IX. cap. XII. narrat Licinium Macrum repetundarum reum, cum vidisset Ciceronem, qui Judicium cogebat prætextam ponentem, ne bona hastæ subjicerentur, interclusis faucibus vitæ suæ finem attulisse: qua cognita re Ciceronem nihil pronunciasse.

Seneca tamen non depositam prætextam, sed perversam indutam indicare videtur *de Ira* libr. I. cap. XVI. *Et si perversa induenda magistratui vestis*. Fortasse ideo deponebatur, ut de more perversa indueretur: Ut placuit Mureto, qui ad Senecam ait a magistratu laturo sententiam depositam prætextam, ut eam perversam indueret, id est, partem ejus floridiorem, ac nitidiorem introrsus verteret. Quod verius quam quod Lipsius existimat deposita prætexta aliam viliorem togam sumptam esse, negatque vestem perversam esse inversam, sed funestam, indecentem, ac servilem. Quasi fuerit aliqua toga servilis, aut perversa vestis aliud significare possit quam inversam. Sed Lipsius cum potest libenter Mureto obloquitur.

CAP. V.

De Trabea. Toga Φοινικοπάρυφος, Halicarnasseus explicatus.

PRÆTEXTÆ Trabeam merito subjiciemus, quia ad instar prætextæ fuit, non in ima solum ora, sed per totum purpuræ fasciis, virgisque latioribus veluti trabibus transversis distincta, unde & *trabeæ* nomen invenit; Non quod

A ex pluribus purpureis pannis assutis constaret, sed, ut Turnebus docuit, intextis, ut nempe subtemen purpureum, stamen album vel coccineum esset. Suetonius in libro de genere vestium apud Servium ad illud:

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino.

Tria trabearum genera statuit; *Diis sacratum, quod erat tantum de purpura: Regium, quod erat purpureum, cui tamen album immixtum: tertium Augurale, de purpura, & cocco*. Eas initio Regum fuisse tradit Plinius, mox peculiares equitum Romanorum fuere; cum scilicet Idibus B Julii transveherentur ex Q. Fabii instituto, ut tradit Val. Max. lib. II. cap. I. Eam transvectionem Dionysius libr. VI. describit. *Ea pompa*, inquit, *quæ post sacrificium procedit ab iis, qui equi publici jus habent, qui secundum tribus, & centurias distributi ordine equis invehuntur tanquam e pugna redeuntes, olea coronati*, καὶ πορφύρας φοινικοπαρύφους ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τὰς καλουμένας τραβέας. Ut vertit Interpres, *togis purpureis phœniceo colore intertextis induti, quæ Trabeæ dicuntur*. Sed περιπορφύρους in Dionysio legendum est. Nam si illæ togæ totæ purpureæ fuerunt, quomodo virgis C discoloribus, sive trabibus purpureis distinctæ erant? Et quid est vestem purpuream phœniceo colore intertextam esse? Vel ergo trabeæ non fuerunt totæ purpureæ, vel nominis notatio pereat necesse est. Sane Suetonius tradit Deorum trabeas fuisse purpureas, sed & idem Regum trabeis, quæ postea ad equites transierunt, albi aliquid intermixtum fuisse prodit. περιπορφύρους, inquam, legendum est: Idem enim infra de Saliis ait. Τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. Prætextis incincti puniceo colore intextis. Nisi malimus φοινικοπαρύφους interpretari, *palmis intextas*, sive quod D idem est *palmatas*: quod Sylburgio placuisse video, quales & triumphantium togæ fuere; Equites in transvectione veluti post victoriam ovantes, & ideo in toga triumphali palmata; Quare ipsa toga triumphalis etiam *trabea* dicta est, de qua infra.

CAP. VI.

Scholiastæ Ciceronis error Trabeam cum Paludamento confundentis.

EX dictis trabeam togam fuisse manifesto appa- ret; Quo magis miror nuperum Orationum Ciceronis interpretem commentariis *in Pisonianam, quo aliquid audacius*, ut ipse loquitur, *& extra communem sensum scriberet*, prodere ausum, paludamentum cum trabea idem vestimentum fuisse. Quod adeo falsum est, ut in eo refellendo verba impendere supervacaneum sit, nisi illud succurreret, posse studiosam juventutem, ex cujus manibus, qui non sunt sociorum, libri excutiuntur, eodem errore prolabi. Ratio ejus est, quod paludamentum vestis militaris, & purpura fuerit. Talem autem fuisse trabeam docere Halicarnasseum loco, quem supra laudavimus. Sed quis non videt (ut Dialecticam omittam) aperte ab Halicarnasseo trabeam togam appellari, & patriam Romanorum vestem, id est, civilem? Nec ideo militaris, quia equites ea usi: non enim in bello, sed in transvectione. Nam quod subjicit idem, *tamquam a pugna redeuntes*, ad veterem morem alludit, quo antiquissimi in togis pugnabant succincti Gabino ritu. Quare non minus labitur, cum ait Virgilium illis verbis:

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.

Trabeam pro paludamento usurpasse. *Quia*, inquit, *trabea non fuit toga picta, & ideo paludamentum*. Id falsum esse infra docebimus. Sed esto, non fuerit toga picta, fuit tamen purpura intexta; Et licet tunc trabea in usu non esset, quæ a Romulo inventa, Virgilius poetica prolepsi usus est. Fuit toga & quidem magistratuum propria, id est, Consulis in officio reserandi templi Jani. Nec officit, quod trabea cingeretur, toga picta flueret, nam & toga communis modo cingebatur cinctu Gabino, modo non, ut supra ostendimus.

Quid autem Dionysio, quid Servio reponet Ciceronianus interpres, qui trabeam togam appellant? Satis fuerit ad indicandam rei vestiariæ peritiam ejus verba attulisse: *Potuit eadem vestis, sive idem paludamentum tunica propter brevitatem (erat enim brevior, & succinctior) & toga (propterea quod subuculæ, sive interulæ imposita hominem totum togæ instar involveret) nominari*. Nullum hic discrimen inter tunicam, togam, & paludamentum; Omnis brevior vestis tunica: omnia, quæ interulæ imponebantur etiam pallia, togæ dici possunt. En cor Zenodoti? Idem etiam trabeam lictorum propriam facit, ad quod adducit Appiani verba in *Libycis*: *Imperatori præeunt lictores φοινικὸς χιτῶνας ἐνδεδυκότες*; Quasi trabeæ fuerint tunicæ.

Cæterum in funere Germanici atratam in municipiis plebem, Equites trabeatos inducit Tacitus, non quod trabea vestis funerum propria fuerit, sed, ut advertit Lipsius, quod ad augendam funeris pompam veste solemni Equites usi sunt. Frustra tamen idem Grammaticorum veterum fidem elevat, dum Equitum modo trabeam fuisse contendit; Nam præterea Regiæ, Consularis, & Auguralis scriptores meminere. Immo toga picta, quæ ab Imperatoribus Consulibus dabatur, trabea dicta est, ut mox ostendam.

CAP. VII.

De purpura, & ejus generibus. Plinius correctus, & explicatus.

UT ea quæ de prætexta ac trabea dicta sunt, quæ de toga triumphali, & lato clavo dicturi sumus, melius intelligantur, non abs re fuerit pauca quædam de purpura leviter perstrinxisse, nam plenos commentarios alii ante nos dederunt. Eleganter Plinius *ad purpuram fasces Romanasque secures viam fecisse* tradit, *eandem fuisse pro majestate pueritiæ: distinxisse ab equite Curiam: Diis placandis advocari solitam: omnem denique vestem illuminasse, atque in triumphali auro misceri consuevisse*. Et purpuræ quidem usum semper Romæ fuisse idem observat, *in trabea sub Romulo, in prætexta, & clavo sub Tullo Hostilio*. Non idem tamen purpuræ genus in usu fuisse docet Cornelius Nepos apud eundem, cujus verba sunt: *Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat*, (id est, x. aureis) *nec multo post rubra Tarentina: huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi*. (id est, c. aureis) *Hac P. Lentulus Spinther Ædilis curulis primus in prætexta usus improbatur, qua purpura quis jam*, inquit Nepos, *non triclinaria facit?* (id est, stragula lectorum tricliniarium) *Spinther*, subjicit Plinius, *Ædilis fuit C. Cicerone Consule, dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur*.

Primis ergo temporibus, Prætextarum, nam illæ ab Regibus invectæ sunt, & clavorum in tunica, purpura violacea fuit, mox rubra Tarentina, sic dicta a loco ubi tingebatur, tandem omnium pretiosissima Tyria successit, quæ a duplici tinctura dibapha dicta; eaque initio ob luxum notata, ut in Spinthere, & in M. Cœlio, de quo extant Ciceronis verba *pro eodem*: *Si quem etiam minimorum horum offendit, si purpuræ genus, si amicorum catervæ*. Purpuræ genus, hoc est, Tyriæ, sive dibaphæ, quæ tunc improbabatur. Hanc vegeti coloris fuisse, florentisque maxime, ac luminosi, contra vulgarem violaceam obtusioris, ac pene fusci, docet Plutarchus in *Catone*, de quo tradit, quod cum in universum contrariam moribus sui temporis insistendam viam sibi videret qui mali erant, & magnam emendationem desiderarent, ἐπεὶ inquit, πορφύραν ἑώρα τὴν καταπικρῶς ἐρυθρὰν, καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένην αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν; *Cum purpuram saturi coloris & acuto rubore splendentem in pretio videret esse, ipse fuscam & obtusam gerebat*. Eandem fuscam, & plebejam appellat Cicero *pro Sextio* de Pisone: *Vestitus asper, nostra hac purpura plebeja, ac pene fusca*. Nostram vocat, quod acuta, & florente delicatiores soli tunc utebantur. Quare Piso, qui gravitatem, & austeritatem affectabat, ea purpura utebatur in prætexta, ac clavo, ne quis somniet, totum Pisonis vestitum fuisse purpureum. Idem Cicero Vatinii prætextam perstrinxit in epistolis *ad Atticum*: *Perinde licet faciant, quos volent Coss. Tribunos plebis etiam, deinde Vatinii strumam διβάφῳ vestiant*.

Post Ciceronis consulatum crescente luxu omnes fere purpuræ commodiores Tyriæ erant, & Laconicæ, hoc est, dibaphæ, & bis tinctæ. Ita tamen ut Laconicæ Tyriis essent deteriores. Ovidius *de remedio*.

Confer Amyclæis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio, turpius illud erit.
Vos quoque formosis vestras conferte puellas,
Incipiet dominæ quisque pudere suæ.

Tyriam Horatius libr. II. Ode XVI. *muricem bis Afrum* appellat; Id est, ut Porphyrio interpretatur, *dibapham pretiosissimam*. Ejus color roseus quodam nigrore delibutus, & ut loquitur Plinius, *nigricantis rosæ colore sublucens*. Sed præstat ejusdem verba libr. XXI. cap. VIII. de purpuræ generibus afferre, etiamsi ab aliis notata fuerint. Ea sunt ut in vulgatis extant: *Et de odoratis coloribus satis dictum, in quibus unguento vicisse naturam gaudens luxuria vestibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur. Hos animadverto tres esse principales, unum cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu, & in purpuras Tyrias dibaphasque & Laconicas. Alium in Amethysto, qui in viola, & ipse in purpureum, quemque janthinum appellavimus. Tertius est qui proprie conchylii intelligitur, multis modis: unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque saturatior: alius in malva ad purpuram inclinans: alius in viola serotina conchyliorum vegetissimus*. Verba illa, *qui in rosis micat, Gratius nihil traditur aspectu, & in purpuras*, vitiosa esse nemo non vidit, & sanare conatus est doctissimus Pintianus locum vitiatissimum, & insanabile cacoethes fatetur; Tum in veteri codice sic legi, *quia rosis migrante gratia nihil trahitur suspectu*, unde minus male scribi posse, *qui rursus migrante gratia trahitur in species, in purpuras*: Baysius: *Et in purpura Tyria, dibaphaque & Laconica*. Neuter satis proficit. Dalechampius in Vet. extare ait, *Gratius nihil aspectu; Trahitur is in purpuras Tyrias dibaphasque Laconicas*. Quæ lectio nobis omnium optima

videtur. Color enim coccineus, sive roseus aspectu gratissimus trahitur in purpuras Tyrias, dibaphasque Laconicas. Quod si quis cum Salmasio *suspectu trahitur* legat, non repugnaverim, licet non tantum purpuræ suspectus, sed etiam aspectus gratissimus fuerit. Nam si solo suspectu Tyriæ gratia stetisset jocus Augusti locum haberet, de quo Macrobius lib. II. *Saturn. Cum de Tyriæ purpuræ, quam emi jusserat, obscuritate quereretur, dicente venditore. Erige altius & suspice, his salibus usus est. Quid? ergo ut me populus Romanus dicat bene cultum in solario ambulaturus sum?* fuisse autem Tyrii colorem nigricantem indicat illud: *De purpuræ obscuritate quereretur*.

Sed in viam redeamus. Ex Plinii verbis tria purpuræ genera ejus interpretes recte statuerunt, singula florum colores provocantia. Primum coccineum, eundemque roseum Tyriarum, ac dibapharum peculiarem, de quo idem Plinius: *Laus ei summa color sanguinis concreti nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens*. Secundum Amethystinum violarum æmulum, coloris nempe violacei saturati. Tertium conchyliatum, cujus colorem in universum ait fuisse Plinius austerum in glauco, & irascenti similem mari, id est, cœruleum: ejus tres species in floribus ponit, in heliotropio ferme saturatiorem, in malvæ flore inclinantem ad purpuram, in viola serotina conchyliorum vegetissimum. Sed plenum purpuræ, ac conchyliorum discrimen, eorumque mixturam, ac temperamentum videre est apud Plinium, qui omnes hos colores in temperatura mixtos fuisse docet: *gemina demonstrata via luxuriæ, ut color alius operiretur alio, suavior ita fieri leniorque dictus. Quare & Amethystinum Tyrio inebriatum, ut esset ex utroque nomen improbum, simulque luxuria duplex, & cum confecere conchylia transire melius in Tyrium putant. Quin & terrena miscere, coccoque tinctum Tyrio tingere ut fieret hysginum*. Hactenus ille. Multa præterea præclare disputavit Salmasius *ad Tertullianum*, cujus analecta non converro. Cæterum coccineum colorem a purpureo distinctum, hoc est, terrestrem purpuram a marina diversam, illamque hac deteriorem aliis adnotatum est. Capitolinus in *Albino* refert epistolam Commodi ad Albinum, in qua hæc scripta sunt: *Sane ut tibi insigne aliquod Imperialis majestatis accedat habebis utendi coccinei pallii facultatem me præsente habiturus & purpuram, sed sine auro*. Et Lampridius in *Diadumeno*: *Hic ubi primum indumenta coccinea, & purpurea, cæteraque castrensia Imperii insignia accepit*. Purpura igitur ex conchis muricibusque: Coccum terrestrem granum erat. Plinius lib. IX. cap. XLI. *Quin & terrena miscere, coccoque tinctum Tyrio tingere ut fieret Hysginum. Coccum Galatiæ rubens granum, ut dicemus in terrestribus aut circa Emeritam Lusitaniæ in maxima laude est. Verum ut simul peragrantur nobilia pigmenta* (id est, tractatio de purpura marina & terrestri conjungatur) *anniculo grano languidus succus: idem a quadrimo evanidus. Ita nec recenti vires neque senescenti*. (succus scilicet ex cocco unius anni expressus languidus erat post quatuor annos evanescens.) Ejusdem meminit idem lib. XVI. cap. VIII. & lib. XXIV. cap. IV. & lib. XXII. cap. II. *Jam vero infici vestes scimus admirabili succo. Atque ut sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ cocci granum Imperatoriis paludamentis dicatum, Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, omnesque alios colores. Nec quærit in profundis murices, seseque objiciendo escam, dum præripit, belluis marinis: intacta etiam anchoris scrutatur vada, ut inveniat per quod facilius matrona adultero placeat, corruptor insidietur nuptæ. Stans & in sicco carpit quod frugi mundos exculpat. His alioqui fulgentibus instrui poterat luxuria, certe innocentius*. Locus non semel ab ætate & a criticis vitiatus. Nam quod in veteribus erat *granis coccum*, *cocci granum* fecerunt; cum coccum & granum eadem res sit. Sed hic coccum pro ipso grani succo accipitur, ut alibi cocco tinctum dixit. Recta igitur lectio *Lusitaniæ granis coccum* (id est, cocceum colorem ex granis) *Imperatoriis paludamentis dicatum*. Majus monstrum alitur illis verbis, *quod frugi mundos exculpat*. Utique postquam criticorum audacia accessit. In veteri proba lectio est si conjunctio dematur. *Quod frugi ac mundus non culpet*. Legendum, *Quod frugi mundus non culpet*. Color coccineus non erat ita invidiosus, ut purpureus, qui tanto periculo parabatur. Erant munditiæ luxuriosæ, aliæ sobriæ, ac temperantes. Colorem, inquit, cocceum homo mundus frugi, sive cum frugalitate nequaquam damnet, minori enim impendio parabatur: culpaturus utique purpuram, quæ de profundo eruebatur. Ita quæ sequuntur correctione non egent. *His* (coloribus) *alioqui fulgentibus* (non minus nitidis, ac purpureis) *instrui poterat luxuria* (non solum frugales munditiæ) *certe innocentius* (sine noxa & periculo vitæ.) Porro illud *objiciendo se se*, quia in Vet. est, *objicientes*, malim legere *objiciens*, quamquam & illud tolerari potest.

Blatteus etiam color pro purpureo apud scriptores inferioris seculi reperitur. Lampridius in *Heliogabalo: Paraverat igitur funes blatta, & serico & cocco intortos, quibus si necesse esset laqueo vitam fineret*. Vopiscus in *Aureliano: Et cum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur*. Et paulo infra: *Idem concessit ut blatteas matronæ tunicas haberent*. Eum colorem a blattis & vermiculis, qui e chermes, ut Arabes vocant, & e cocco sanguinei coloris erumpunt dictum putant apud Turnebum lib. XVIII. cap. XVII. Alii quod blattæ, vel blatteæ proprie sint *bullæ luti ex itineribus*, ut ex Festo scribit Paulus, ita etiam bullas sanguinis concreti vocatas, unde in Glossis blattea θρόμβος αἵματος, hinc blatteum, hoc est, sanguineum pro purpureo. Mihi altera notatio magis arridet, ut a blattis sive vermiculis dictus sit, ut proprie fuerit color coccineus. Distinguit tamen coccum a blatta Lampridius loco supra adducto. Sed fortasse per similitudinem purpura dicta est, ut Plinius ait cocci colorem trahi in purpuras Tyrias, & Laconicas.

Quod pene effugerat, Si Tyrius color aspectu nigricabat, cur Cato in purpura fuscum colorem adamavit, qui pretiosissimus? In purpura, quam Cato & severiores aspernabantur, roseus color vegetus acuto lumine florescebat: contra purpura, qua Cato utebatur, violacea, sive conchyliata minimum rubei coloris, ac luminosi habebat, sed violacei saturati, & propterea obtusi, penequefusci. Tyria aspectu tantum nigrescebat, suspectu refulgens: violacea & aspectu, & suspectu fusca erat: Ut nihil aliud fuerit purpura fusca Catonis, quam minime luminosa.

CAP. VIII.

Toga triumphalis, purpurea, picta, palmata, Capitolina.

VERRIUS Flaccus apud Sextum Pompejum docet, togam triumphalem primo purpuream fuisse, deinde acu pictam: *Picta*, inquit, *toga quæ nunc dicitur, purpurea ante vocitata est, eaque erat sine pictura: ejus rei argumento est pictura in æde Vertumni, & Consi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papyrius Cursor triumphantes ita picti sunt*. Antiquitus igitur toga triumphalis tantum purpurea fuit, post picta in usum venit, de qua Plinius: *Pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ*. Nec aliud fuisse pictam togam docti observant, quam acu elaboratam figurisque Phrygio opere distinctam; nam subjicit Plinius: *Acu facere invenerunt, ideoque Phrygiones appellati sunt*. Quare togæ triumphali purpureæ aurum immixtum esse oportuit, quo Phrygiones eam variis figuris ad instar picturæ acu variabant. Idem Plinius de purpura, *In triumphali auro miscetur*, ἀλουργίδα χρυσόπαστον appellat Dio lib. LXIII.

Hinc præcipua dona, quibus amicos Reges Senatus Romanus colebat, togæ pictæ fuerunt, & tunicæ palmatæ, ut toties Livius, & alii memorarunt. Tunicam palmatam, ut omnes sciunt, sic dictam Festus ait a clavorum magnitudine, quod nempe lato clavo ad instar palmæ manus distincta esset: deinde a genere picturæ, quod palmas intextas haberet, palmatam dictam. Hæc enim verior notatio est, quam quæ affertur a Servio ad lib. XI. *Æneidos*: *Palmatam dici tunicam, quam merebantur qui reportassent de hostibus palmam*. Togam tamen palmatam, ut observat Manutius, pauci dixerunt, eamque a pictis palmis ita dictam non male opinatur. Martialis lib. VII. ep. 11.

I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Suetonius etiam *Claudio*: *Secuti, & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus, & in prætexta: Crassus equo phalerato, & in veste palmata*. Tandem Valerius lib. IX. cap. 1. *Quid sibi voluit Metellus Pius cum palmata veste convivia celebrabat?* Ex hoc factum est, ut postquam procedente tempore Consulibus loco prætextæ toga triumphalis dari cœpit, ea palmata diceretur, ut idem Manutius observat. Ausonius in *gratiarum actione* ad Gratianum pro consulatu: *Dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis: parum est, si qualis ad me trabea mittatur interroges: te coram promi jubes; hæc est picta, ut dicitur vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis*. In quibus illud quoque notandum, eandem vestem modo trabeam, modo togam palmatam dici, quod etiam Sidonius, & Cassiodorus fecere. Mirum est, in his recensendis nuperos Criticos Manutii nomen elato nimis, aut nimis demisso animo præteriisse.

Toga igitur triumphalis, & *picta* dicebatur, quod acu distincta erat, & *palmata* a genere picturæ, hoc est, palmis, licet & talis postea diceretur, quamquam aliis figuris distincta esset, tandem & *Capitolina*, quod talis Jovis erat in Capitolio. Nec triumphantium modo ea toga fuit, sed Consulum, & Prætorum: Consulum quidem quoties magistratum inirent ipsis Kalendis Januariis idque sub Imperatoribus. Nam libera civitate in sola prætexta fuerunt. Quando id cœperit non ita certum. Virgilius per prolepsin fortasse ætatem suam respexit, cum lib. VII. *Æn.* ait:

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.

Ex quo discimus non tantum Kal. Januarii Consules in toga picta fuisse, sed etiam cum Jani templum referarent saltem in trabea. Præterea Gabino ritu succinctos fuisse, Herodianus indicat in usu fuisse sub Commodo. Nam lib. 1. ubi celebritatem Kalendarum Januarii percenset inter reliqua ait, ἀρχαί τε ἐπώνυμοι τότε πρῶτον τὴν ἔνδοξον, καὶ ἐνιαύσιον πορφύραν περιτίθενται. *Consules primum honoratam ac solemnem*, (sive ut Symmachus loquitur, *annalem*) *purpuram induunt*. Hoc enim malumus quam quod Politianus, summi magistratus conspicuam sibi & solemnem purpuram induunt. Nam summi magistratus fuere etiam Dictatores, Prætores, Censores. Sed proprie Consules ἐπώνυμοι, quod nempe anno nomen darent. Quidquid sit, pro purpura posset quis prætextam tantum intelligere, quæ purpuræ nomine etiam ab aliis scriptoribus designatur.

Clarius hujus ritus vestigium sub Alexandro Severo, de quo Lampridius: *Prætextam & pictam togam numquam nisi Consul accepi, & eam quidem quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut Prætores, aut Consules*. Capitolinus de Gordiano: *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio*. Cui enim rei togam pictam privatus homo haberet, nisi ut ea uteretur cum magistratum annumque inchoaret? Crebrior deinde ejus rei usus, ac mentio apud scriptores. Ausonius Edyl. v.

Ut Præfecturam duplicem sellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia Consul

Induerer, fastisque meis prælatus haberer.

Et in *Gratiarum actione*: *In procinctu & maxime dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis. Feliciter, & bono omine. Namque iste habitus ut in pace Consulis est, sic in victoria triumphantis*. Paulo post *pictam* appellat, id est, Phrygionis opere elaboratam: *Hæc plane, hæc est picta ut dicitur vestis, non magis auro suo quam tuis verbis*. In extrema oratione *trabeam* vocat: *Ut trabeam non magis auro suo, quam munere tuo splendidam*. Symmachus etiam *pictæ togæ Consularis* meminit libr. 1. ep. 1. & *Trabeæ annalis* libr. IX. ep. CXVI.

Nec Consulum modo, sed Prætorum toga picta & triumphalis fuit, quoties Ludos ederent. Juvenalis eleganter aulæum appellat:

—— *pictæ Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa togæ.

Vetus Interpres: *In tunica Jovis Mappam mittentem in Circo Consulem describit poeta. Nam tunicam Jovis togam palmatam dixit, Tyria purpura confectam, hoc est, sarrana*. Ubi nisi corruptus est, male togam cum tunica confundit. Quare videtur addenda conjunctio *Et*, inter *Jovis*, & *togam*.

Tunicam palmatam appellat Jovis, quod nempe, ut vidit Lipsius, eadem Jovis simulachrum in Capitolio indutum fuerit. Ita apud Tacitum Tribunis celebraturis ludos Augustales triumphali veste uti permissum. Huc trahendus Martialis jocus lib. X. ep. XLI. *in Proculejam*, quæ marito futuro Prætori repudium dixerat, ne cogeretur suppeditare impensas ad emendam purpuram, qua Megalesia spectacula ederet:

Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares.

A Megalensem purpuram vocat togam triumphalem, qua indutus Prætor Megalesiacæ mappæ spectacula editurus erat. Videntur etiam Prætores non modo in Ludorum editione, sed inter sacrificandum vestem pictam, & triumphalem gestasse. Cujus rei non aliud quod egó sciam vestigium extat quam apud Appianum lib. I. *Civil.* de Asellio Prætore fœneratorum scelere in medio foro obtruncato. *Sic Asellio*, inquit, *Prætor sacrificans*, καὶ ἱερὰν, καὶ ἐπίχρυσον ἐσθῆτα ὡς θυσίᾳ περικείμενος. *Sacram atque auro intextam vestem ut in sacris induB datus*. Miror ab Interprete ὡς ἐν θυσίᾳ omissum, quod tamen indicat cur veste auro intexta sive aurata uteretur. Nam ut prætor solius prætextæ jus habebat. Sacrificantes tamen sola prætexta usos supra ostendimus. Nisi hoc sacri illius peculiare fuit.

Cæterum quæsitum est, utrum hæ figuræ in palmata texerentur, an acu tantum pingerentur. Utrumque factum esse apparet. Quod acu variarentur a Phrygione, docet Plinius loco laudato. Quod texerentur, Festus tunicam palmatam, quæ ut & toga, picta erat, a genere picturæ dictam notat, *quod palmas intextas haberet*. Et Ausonius C *ad Gratianum: Palmatam, inquis, tibi misi in qua D. Constantius parens noster intextus est*. Etiam Polybius lib. VI. eos qui funus comitabantur viri triumphalis ait gestasse ἐσθῆτας διαχρύσους, *vestes auro intextas*, quamquam & *auro distinctas* vertere possumus. Appianus lib. I. *Punicorum* vestem triumphalem describit. Εστάλη δὲ ἐς τὸν πάτριον τρόπον πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων. *Induitur togam purpuream aureis stellis intextam*. Non recte Interpres *amicitur toga clavata purpurea*. Hæ autem vestes triumphales in templo Iovis Capitolini servabantur, & inde cum opus foret depromeD bantur. Lampridius in *Alexandro: Prætextam, & pictam togam nunquam nisi Cos. accepit, & eandem quidem quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut Prætores, aut Cos.* Capitolinus in *Gordiano: Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit: cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio*. Ideo hæc toga *Capitolina palmata* dicitur in epist. Taciti ad Probum, *ut ad Lampridium* notavit Casaubonus.

CAP. IX.

E *Jus togæ triumphalis ad privatos taranslatum. Purpura summa.*

PRÆTER triumphantes, Consulesque, ac Prætores ludorum editione, privatis quandoque hominibus jus togæ pictæ factum accepimus. Paulo enim Æmilio, qui de Perseo triumphavit, hoc indultum est; & Pompejo Magno concessum tradit Dio, ἐπινίκιον ἐνδύνειν ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσι, id est, *vestem triumphalem induere in equestribus certaminibus*. Eundem honorem Catoni ob Regiam Cypri Gazam sancte Romam transvectam oblatum, & ab eo repudiatum tradit F Plutarchus. Idem postea Cæsari delatum, ut omnibus nempe ludis toga triumphali uteretur quemadmodum supra notavimus. Idem Dio lib. XLIV. αὐτὸς δὲ τήν τε στολὴν τὴν ἐπινίκιον ἐν πάσαις πανηγύρεσι κατὰ δόγμα ἐνεδύετο: *Ipse ex S. C. vestem triumphalem omnibus ludis gestavit*. De quo etiam Cicero *Philip*. II. *Sedebat in Rostris collega tuus amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus*. Ubi simpliciter purpuream appellat, quæ etiam picta erat, auroque intexta, ut omnes triumphales. Nam Plutarchus idem narrans appellat *triumphalem*: Dio *Regiam*, quæ profecto eadem fuit. Quamobrem qui hic de purpura Deorum Ciceronem loquutum volunt, non minus risu digni sunt, quam qui olim in purpura sapiens saltavit. Nec in ludis modo, sed etiam in sacrificiis, ut testatur Appianus lib. II. *Civil.* καὶ θύειν μὲν αὐτὸν αἰεὶ θριαμβικῶς ἠμφιεσμένον. *Ut inter sacrificandum triumphali veste uteretur*.

Reliquos Cæsares, atque Imperatores in civili habitu incessisse, id est, in toga communi, supra ostendimus; Ut de Alexandro notet Capitolinus, quod nunquam prætextam sumserit, aut pictam togam, nisi Cos. esset. Inferiori ævo, vestem purpuream, id est, togam, ac paludamentum, Imperatorum fuisse manifestum est. Id a Gallieno ortum videtur, de quo Trebellius: *Cum chlamyde purpurea, geminatisque fibulis, & aureis Romæ visus est, ubi semper togati principes videbantur*. Nisi velimus intelligere, Gallienum notatum, quod chlamyde uteretur, cum alii Principes toga.

Ex eo tempore purpura pro principatus symbolo a scriptoribus passim accipitur. Hinc *sumere purpuram*, pro sumere Imperium: & in tumultuariis Imperatorum creationibus direptam a vexillis purpuram, aut de simulachris Deorum a militibus, cum aliunde non suppeteret, ut ea Imperatorem induerent, *Historiæ Augustæ* Interpretes notarunt. Inde etiam est, quod inter omina Imperii semper aliquid purpureum occurrit, ut in eadem historia passim observare licet. Denique inde Imperatoria *purpura summa* dicta est. Lampridius de Alexandro: *Ulpianum sæpe a militum ira objectu purpuræ summæ defendit*. Malumus enim purpuram summam, Imperatoriam interpretari; quam quod Casaubonus de purpura, quæ in summa, sive extrema veste fuit prætexta. Quasi solo limbo, ac fascia extrema purpurea defensus fuerit Ulpianus, & non totius vestis purpureæ Imperatoriæ objectu, quæ propterea summa dicta est. Quod si de prætexta intelligatur, dura locutio est, dura interpretatio. Eam vero *purpuram principalem, & sacrum muricem, & purpuram veri luminis, & vestem alethinam*, hoc est, veram, verique coloris idem Vir incomparabilis observavit.

CAP. X.

De Vestibus holoveris.

MAGNUS Turnebus *Adv*. I. cap. XIII. existimat, holoberas, sive holoveras vestes fuisse, quæ totæ essent birri, quod nempe birri honestiorum, & palatinorum erant, totique serici, & toti conchyliati, ex Canone XII. Synodi Gangrensis: *Si quis amictu pallii utitur, & eos qui cum reverentia birris utuntur despicit, anathema sit*. Quodque Zonaras, & Balsamo βήρους σηρικὰς ἐσθῆτας exposuere vestes sericas. Esse igitur holoveras vestes credit Turnebus birros totos vere sericos, & totos conchyliatos. *Sunt*, inquit, *holoberæ vestes, birri toti vere serici, & vere conchyliati*. A quo non abeunt Jurisconsulti ad Tit. VIII. lib. XI. Cod. *de vestibus holoberis*; qui nihil aliud esse contendunt, quam togas sericas eadem Zonaræ, & Balsamonis interpretatione inducti.

Et in eo quidem, quod hæ vestes totæ purpureæ essent, recte censuit Turnebus: quod vero totæ sericæ, sive holosericæ, falsam notationem ostendit Salmasius *ad Trebel. Pollionem*. Valido hercule argumento: Nam si holoveræ tota ex serico texta vestimenta erant, nullum fuisset discrimen inter holovera, & holoserica: & nihilominus tantum erat, ut cum promiscuus eo tempore usus esset holosericæ vestis, sola holovera vestimen-

ta privatis interdicta, Principi, ejusque domui dedicarentur. Adeo autem promiscuum, & communem tunc temporis sericorum, & holosericorum usum fuisse, ut etiam mimis, scenicisque mulieribus passim esset permissus, *dum abstinendum sibi esse censerent*, (verba legis sunt) *auratis sericis, & sigillatis, aut quibus alio colori admixtus puri rubor muricis inardescebat*. Ostendit præterea non omnes birros sericos fuisse, quod ex alia etiam viliori materia conficerentur.

Credit ergo vir iste doctissimus, holovera sic dicta, quod essent tota purpurea, ut censebat Turnebus, & verba leg. III. titulo eodem convincunt: *Nec pallia, tunicasque domi quis serico contexat, aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permixtione subtexta sunt: Proferantur ex ædibus, tradanturve tunicæ, aut pallia, ex omni parte texturæ, cruore infecta conchylii*. Eadem paulo infra holovera appellat, id est, in quibus utraque pars texturæ, stamen scilicet, & trama purpura tincta essent. Atque hæc vestimenta propterea holovera dicta esse censet, voce hybrida, sive Græco-Latina, quod tota vera, sive ex vero colore, quod nempe purpureum colorem, per quamdam excellentiam, verum appellabant. Unde *chlamydes veri luminis* Trebellio dicuntur, unde & Græci ἀληθινὸν χρῶμα de purpura dixere.

Hanc opinionem etiam *Adversariorum sacrorum* compilatori placuisse video, nam cap. L. XXI. pro sua venditavit, maluitque servili probro respergi, quam tanto nomine scripta sua collustrare. Sed solemne iis hominibus est alienos sibi fœtus suppositum ire; Quæ quidem tolerabilia essent si hanc licentiam solum inter suos exercerent, nam sociorum omnia communia; Quis ferat cuncta cum pulvisculo converrentes? Sed de his alias.

Cæterum, ut holoverarum notatio a Salmasio allata ingeniosa est, ita fas, jusque sit, quid & nos sentiamus aperire. Nam *holovera*, non semi-Latinam, sed puram vocem Græcam, contractam, mox & corruptam semper credidimus: nec aliud esse, quam ὁλοπόρφυρα, *Holoporphyra*, inducti auctoritate Isidori libr. XIX. cap. XXII. Orig. *Holophora*, vel ut alii habent codices *Olophera*, *Holoporphyra*, *tota ex purpura*, quæ si non verior, at simplicior notatio videtur. Vocem postea depravatam vulgo, & corruptam argumento est, quod in scriptis libris Isidori ipse etiam Salmasius repperit partim *olophora*, partim *olophera*, & *olopheria*, ne quis miretur ex *oloporphyris*, factas esse holofera, holobera, holovera. Papias vetus Grammaticus. *Holophora vestis tota ex purpura; holon enim Grece totum*. Holoporphyra ergo initio dicta, mox holophyra, holophera, & holobera, sive holovera: id est, tota purpurea, quia vere talia erant, quorum scilicet stamen, & trama tota purpurea, hæcque privatis interdicta. Apud Nonium verbo *stola*, Varro περὶ φθορᾶς κόσμου, *mulieres alias cerneres cum stola holoserica*. Recte docti corrigunt *holoporphyro*, nullus enim tunc holoserici usus. De birris autem infra commodius differemus.

CAP. XI.

Togarum diversa genera enumerata magis, quam indicata. Auctorum sententiæ expensæ. Varro explicatus, & correctus.

Et hæc quidem de toga communi, ac triumphali sufficere poterant, nisi alia etiam togarum nomina, ac veluti species apud Plinium occurrerent: & rursus aliqui diversa vestium genera pro togis imperite obtruderent. Verba Plinii sunt lib. VIII. cap. XLVIII. *Lanam*

A *cum colo, & fuso Tanaquilis in templo Sangi durasse prodente se auctor est M. Varro, factamque ab ea togam Regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat usus*. Mox subjicit: *Undulata vestis prima e lautissimis fuit: inde sororiculata defluxit. Togas rasas Phrygianasque D. Augusti novissimis temporibus cœpisse, scribit Fenestella. Crebræ papaveratæ antiquiorem habent originem, jam sub Lucilio poeta in Torquato notatæ*.

In his explicandis facilius fuerit aliorum opinionem refellere, quam novam interpretationem afferre. Nonius. *Undulatum nove positum, purum*. Varro *de Vita Pop. Rom.* lib. I.
B *Et a quibusdam dicitur esse Virginis Fortunæ ab eo quod duabus undulatis togis est opertum, proinde ut olim nostri Reges undulatas & prætextas togas soliti sint habere*. Ubi videtur Nonius *undulatam togam* opponere *prætextæ*. Sed majorum gentium critici ineptiæ Nonium accusant, ipsique existimant, undulatas vestes dictas, quarum textura undas imitaretur, quæ Plauto *cumatilis* dicta: quod in lana texenda an fieri possit ipsi viderint: certe nostræ vestes undulatæ qua ratione fiant, etiam rudes intelligunt. Cum
C præterea togæ essent albæ, ne quis undarum speciem colorum, ac liciorum varietate expressam comminiscatur. Et licet tali toga usus Servius Rex dicatur, & ideo picta fuisse undulatim dici possit, tamen communes hujusmodi vestes fuisse verba Plinii indicant, cum ait vestem undulatam primam fuisse e lautissimis, id est, qua & alii præter Reges lauti homines uterentur, quibus nullum jus pictarum fuit, nisi in triumpho. In veteribus libris pro *undulata* legitur *ungulata*, voce non minus, atque illa, insolenti. Ita duo
D manu exarati in Bibliotheca Ambrosiana constanter habent. Etiam in *soriculata* iidem Critici vaticinantur. Alii enim *soriculatas*, legunt, & sparto, ac lino condensatas interpretantur, nempe a conferendo *sericulatas* dictas. Alii *sororiculatas*, ut est in veteribus libris; Alii *suroreculatas*, quæ perpetuis quibusdam suris, & latioribus virgis regulatæ essent, & eo toto texendi genere confectæ, ut sint a sura, vel a rica, vel regula. Sed quid juvat in tenebris micare? Non exigua Critici laus est, etiam aliqua ignorare. Vel hic succurrant nobis, qui grandia semper minantur. Sane hujusmodi suras, regulas, & figuras in lana texi non potuisse illud argumento est, quod in
E lana tantum Istrica & Liburnica, quæ filo proprior erat quam lanæ, scutulæ texi poterant, in reliquis villi obstabant. Plinius eodem capite: *Istriæ, Liburniæque lino proprior quam lanæ pexis aliena vestibus, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania*. Hæc igitur lana, quæ minime villosa erat, & lino similior, apta texendis scutulis erat, reliquæ ineptæ, in queis villi omnem texturam tegebant.

Quod ad Phryxianas & rasas attinet non ita Turnebi sententia displicet, qui ita dictas censet, quod Phryxæi velleris crispos & eminentes villos imitarentur, quasque cum spissis Seneca conjun-
F git lib. I. *de Ben.* c. III. *Inveniam alium poetam apud quem præcingantur, & spissis, aut Phryxianis prodeant*: Ubi tamen loquitur de tunicis Gratiarum. His oppositæ rasæ fuerunt, id est, minime villosæ: quemadmodum spissis rallæ. Magis, inquam, Turnebi opinio placet quam Popmæ *ad Varronem de lin. Latina* existimantis Phrygianam togam fuisse vestimenti genus distinctum filis aureis, & variis meandris retortum, quale a Virgilio describatur, *Æneid.* IX.

Vobis picta croco & fulgenti murice vestis.

Nam Phrygianas, sive Phryxianas fuisse togas A communes indicat Plinius, cum eas rasis veluti opponit, & in usu esse cœpisse ait temporibus Augusti, cum tot seculis ante togæ pictæ, & a Phrygione elaboratæ in usu essent. Sed locus ille Varronis mire depravatus est: *Stamen a stando, quod eo stat omne in tela velamentum. Subtegmen quod subit stamini. Trama quod tramat frigus id genus vestimenti. Densum a dentibus pectinis quibus feritur.* Hæc est vetus lectio. Turnebus *trameat frigus*, id est, transmeat. Ut Varroni trama sit vestimenti genus rarum. Porro *Phrygum* pro frigus in veteribus legi idem testatur. B Sed nec ullum vestimentum trama dictum est, & in quolibet trama locum habuit, quæ eadem cum subtemine, sine quo nullum vestimentum. Si ergo trama quod frigus tramaret sive tramearet, etiam densa spissaque vestimenta frigus trameasset, in quibus necessario trama erat.

Nemo itaque Scaligero assenserit legenti *quod trameat Phrygionis vestimentum*. *Phrygionia* autem esse quæ Itali *ricamato* appellant. Sed omnia vestimenta, non solum a Phrygione elaborata tramam habebant. Sequitur Scaligerum Pompa paucis mutatis: *Trameat Phrygium cum sit genus vestimenti. Trama enim*, id est, *filum trameat, &* C *currit intra stamen & subtemen cum texitur Phrygium genus vestimenti*. Nihil ineptius dici potest, trama, quæ subtemen erat, trameabat intra stamen & subtemen. Nec rectius Ant. Augustinus: *Trama quod trameat filum*. Et postea: *Genus vestimenti densum*. Nam & trama filum erat. Deinde sequentia non cohærent. Sed denuo tentare hanc aleam, & cum Viris doctis falli quæ invidia est? Totus locus ita legendus & interpungendus videtur: *Trama quod trameat. Phrygium genus vestimenti densum a dentibus pectinis quibus feritur*. Sicut *stamen* a stando, *subtemen* quod sub stamine esset, ita *trama* recte a tremeando, quod inter D stamen tramearet & trajiceretur. Sequitur *Phrygium* esse vestimenti genus densum, densum quidem a dentibus pectinis, id est, bene percussum pectine. *Phrygium* autem quasi *ferigium* quod feriretur dentibus pectinis.

Notationis ineptia mira esset in Varrone, si esset sola. Paulo post ait *tunicam* a tuendo dictam, & innumera his similia. Cui hæc conjectura non placet afferat meliorem.

At Paveratas graviter pressas, & calcatas interpretantur pectineque percussas, id est, eas- E dem cum spissis, ac pavitentibus. Ut crebræ sint quales Sophocli dicuntur σπαθηταὶ ἐσθῆτες, quod notavit Scaliger *ad Cirin Virgilianam*: qui apud Plinium pro *papaveratis*, *Paveratis* legit, ut sint bene percussæ, quomodo *pavera* frumenta multum trita, ut granum deglubatur. Pavera autem a paviendo. Pavire παρὰ τὸ παίειν. Hæc ille. Quæri postremo posset, quænam esset toga Græcanica apud Suetonium in *Domitiano* cap. IV. *Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream*. Sed facile hoc magnus Casaubonus expediet, qui F recte togam Græcanicam ἀναλόγως Chlamydem interpretatur, quod magis placet quam quod alii pallium: nam idem Suetonius de Nerone in re simili: *In veste purpurea distinctaque stellis aureis chlamyde*. Certe crepidæ numquam cum toga sumptæ: ut illa vestis Græcanica aut chlamys fuerit, aut pallium Græcum purpureum. Chlamydem hanc Græcanicam diversam fuisse a castrensi indicat Capitolinus in *Pertinace*: *Purpureasque chlamydes Græcanicas & Castrenses*. Lipsius etiam *ad Tacitum* lib. XIV. chlamydem fuisse credit. Constanter tamen omnes M. S. Codices *togam Germanicam* præferunt. Toga etiam *flammata* apud Martialem iis accedat licet, quæ adhuc ignorantur lib. V. epigr. XX.

Saturnalitiæ ligulam misisse selibræ
Flammatæve togæ scrupula tota decem
Luxuria est:

Nam ut demus Domitiano *Flammatam* togam fuisse rubram: Quis unquam hujus togæ usus fuit præcipue apud clientes, & pauperiores? Nam purpuræ triumphales erant, atque ingentis pretii. At sermo hic munerum saturnalitiorum, quæ quidem avari patroni largiebantur. Et licet purpureæ lacernæ a sumptuosioribus donarentur, togas purpureas donatas inauditum. Deinde quis unquam dixit decem scrupula togæ, quasi toga ut ligula argentea ad pondus daretur; & quæ toga nisi forte aranearum decem scrupula penderet? Neque audiendus nuperus Scholiastes, qui decem scrupulis auri emptam intelligit. Nam nec locus togæ purpureæ, neque ea decem auri scrupulis parari poterat.

Quare corruptum locum suspicamur, sed cui sanando non simus. In M. S. Florentino, quem vidit Cl. & Præstantissimus Gerardus Vossius, legitur *Flammarisvæ togæ*, ut & in veteri editione, quam lectionem amplexus est Scriverius *Flammarisve togæ*. Sed quænam esset ista toga Flammaris, non posuit. Ergo divinandum est.

CAP. XII.

Abollam non fuisse togam, aut vestem Senatoriam. Quid ea fuerit?

NON erat hic Abollæ dicendæ locus, nisi eam quidam Romani cultus partem imperite fecissent, atque invitis Quiritibus civitate donassent. Ptolomæum Regem ab Cajo Cæsare non aliam ob causam perculsum narrat Tranquillus, quam quod *ingressus spectacula convertisset oculos hominum splendore purpureæ Abollæ*. Ubi Beroaldus ex Nonio observat, Abollam fuisse vestem militarem. Eum Torrentius, & Marcellus more suo descripsere. Verba Nonii afferam, quia male affecta leguntur: *Abolla, Vestis militaris*. Varro περὶ φθορᾶς κόσμου. *Toga tracta est, & abolla data est turbam, ubi sera militia munera velli ut præstarem*. Quem locum ita legendum pridem docti viderunt. *Toga detracta est, & abolla data est ad turbam mihi fera militiæ munera belli ut præstarem*. Belli, id est, in bello. Quæ rectius se habebunt *si ad tubam* legamus, & *militiai*, id est, militiæ; Ait enim ille detractam sibi togam vestimentum pacis, & impositam militarem abollam, ut militiæ fera munia fungeretur.

Ex quo manifestum fit, quantopere aberrent qui Abollam Togam interpretati sunt, sive vestem Senatoriam. Sabellicus quidem *ad Suetonium* ait, Festo *Abollam esse vestem senatoriam, dictam quasi Abullam, quod sit undique bullata*. Neque hoc in Festo extat, quod sciam, & notatio inepta est, ac ridicula. Papias etiam: *Abolla, togæ genus, vestis senatoria, amictus duplex*. Quod toga, & vestis Senatoria, fallitur, nam Varro illam togæ opponit, ut eidem togæ sagum opponebatur. Clarissime Martialis lib. VIII. ep. XLVIII.

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus Abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.

Ubi Crispinus deposita abolla induit togam. Hos ni fallor in errorem Juvenalis versus induxit, satyra IV.

——— rapta properabat Abolla
Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.

Loquitur ibi poeta de Pegaso ab Domitiano in Albanum accito, quæ verba non ostendunt abollam fuisse togam, sed potius pallium, quo extra Urbem utebantur. Et fortasse Jurisconsultus ille in pallio Philosophico fuit. Idem enim etiam Abolla dicebatur. Idem Aquinas sat. I.

——— atqui audi facinus majoris Abollæ,
Stoicus occidit Baream, delator amicum,
Discipulumque senex.

Ubi Vet. Interp. *Proverbium quasi majoris togæ, id est, sceleris potioris. Vel per ironiam dixit quasi sanctioris philosophi. Abolla species est majoris vestis, quasi pallii majoris.* Quo loco per *pallium majus* philosophicum intelligitur, quod longius erat, ac fusius. Hinc Cynicos cum abolla induxit Martialis libr. IV. ep. LII. a Beroaldo adductus:

Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati.

Et licet idem Crispino in aula potentissimo purpuream abollam tribuat, non alia ratione vestem pretiosam fuisse credendum est, quam quod erat purpurea.

Neque de nihilo est, quod ait Papias *Abollam fuisse duplicem amictum*, id enim a Servio accepit, qui ad illud Virgilii,

Duplicem ex humeris abjecit amictum.

Duplicem amictum, inquit, *id est, Abollam, quæ duplex est, sicut Chlamys*. Horatius libr. I. ep. XVII.

—— Quem duplici panno patientia velat.

Male autem Servium Marcellus reprehendit, quod Abollam duplicem amictum interpretatus sit: nam Abolla erat Cynicorum, ut diximus, hos, & Stoicos duplici panno velat Horatius, quare Abolla duplex amictus, & ideo pallium, non toga, aut vestis Senatoria. Cum hæc sub prælo essent, venit in manus summi Viri liber *de modo usurarum*, in quo cap. III. notatum inveni Præsides in provinciis, immo & Præfectos Urbis Abollam gestasse, atque in eo habitu judicia exercuisse, atque hinc crimina extra ordinem animadverti solita dici satyrico crimina majoris Abollæ, crimina scilicet extraordinaria, & de quibus debeat cognoscere Judex paludatus, vel chlamydatus, quales erant Præsides, vel Præfecti. Cui opinioni nullo modo assentiri possum. Nam Præsides in provinciis Prætextam gestasse certum est, & inde facile colligas, quod Romani omnes, & magna pars provincialium togati incedebant, & proinde Romanus magistratus in toga prætexta. Hinc coss. qui extra Urbem magistratum inibant eo loco prætextam sumebant quo honorem auspicabantur. Livius lib. XXX. de Flaminio, qui iterum Cos. designatus privatus clam in provinciam abierat: *Magis pro majestate*, inquit, *videlicet Imperii, Arimini quam Romæ magistratum initurum, & in diversorio hospitali, quam apud Penatus suos prætextam sumpturum?* Ab Urbe quidem paludati proficiscebantur, sed in provinciis prætextati publicis muneribus fungebantur; immo etiam in castris & exercitu, nisi pugnandum esset. Tacitus de Germanico pugnaturo adversus Ariminum: *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum, & sanguine sacro respersa prætexta pulchriorem aliam manibus aviæ Augustæ accepisse*. Et lib. III. *Hist. Sed ubi Cæcina prætexta, & lictoribus insignis dimota turba Cos. incessit*. Dio id aperte ponit lib. LIII. ubi Procoss. institutionem sub Augusto narrat. At enim: Καὶ ἔκ τε τῦ κοινῦ τ̃ γερυσίας συλλόγυ πέμπεσαι, μήτε ξίφος παραζωννυμένυς, μήτε στρατιωτικῇ ἐσθῆτι χρωμένυς. *Utque de communi Senatus corpore mitterentur, neque gladio accincti, neque militari habitu utentes*. Solis Augusti legatis datum subdit, ut militari veste, gladioque uterentur. Sed demus Præsides chlamydatos, & paludatos in provinciis judicasse. Quis Urbis Præfectum in ipsa Urbe peregrino, ac militari cultu cognitiones exercuisse tradit? Juvenalis Pegaso Præfecto Abollam tribuit: sed non jura reddenti: sed iter in Albanum facturo; sed Juriconsulto, & fortasse propterea Philosophico habitu gaudenti, vel ex alia causa nobis ignota. Præterea cui non durum videatur, facinus majoris Abollæ interpretar, de quo judicet majorem Abollam indutus? Non secus ac si quis diceret, parricidium fuisse facinus togæ, quod de eo judices togati sententiam ferrent, & deferere agmen crimen paludamenti, quod de eo paludatus judex cognosceret. Facinus ergo majoris Abollæ, quod supra notabamus, est facinus a philosopho, & quidem sanctiorem vitam professo, patratum, qui nempe Abollam gestabat. Egnatius nempe Celer stoicus, qui Baream Soranum amicum, & discipulum delatione oppresserat. Abolla pallium philosophicum, & ideo illud Cynicis Martialis adscribit, licet vestis etiam militaris fuerit, & ab aliis gestata, ut a Ptolomæo, & Crispino: sed pretiosior & purpurea. Philosophica vilior, & fusior ad instar pallii, & ideo Vetus Interpretes majorem Abollam *majus pallium* interpretatur.

CAP. XIII.

Quod vestimenti genus fuerit Læna? Servii opinio rejecta.

SICUT Abollam peregrinitatis notavimus, ita & Lænam Romano cultui se inserentem excludemus. Plutarchus in *Numa* notat, Jubam Regem tradere, lænas quas Reges ferebant, Græcorum χλαίνας esse. Idem sentit Festus, *Læna vestimenti genus habitus duplicis, quidam appellatam existimant Tusce, quidam Græce quod χλαίνην dicunt*. Atqui χλαῖνα, ut Græci notant, ἡρωϊκὸν φόρημα, *Heroum gestamen*. Hoc autem discrimen inter eam, & Chlamydem Macedonicam posuere quod Chlæna vestimentum quadratum esset, Chlamys Macedonica in inferiori parte conclusa.

Lænam igitur sive Chlænam initio Heroes Regesque gestarunt, etiam apud Romanos, ut tradit Plut. Lænam Æneæ assignat poeta *Æn.* IV.

—— Tyrioque ardebat murice Læna
Demissa ex humeris.

Ubi Servius Lænam interpretatur *togam duplicem*. *Est autem proprie*, inquit, *toga duplex: amictus auguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem in qua Flamines sacrificant infibulati.* Alia quædam adjicit de Læna, quæ nihil ad rem. Postremo notat creditum Virgilium latenter indicasse Pontificalem ritum, quod veteri religione præciperetur inaugurato Flamini vestem, quæ Læna dicebatur, a Flaminica texi oportere, qua uteretur Pontifex. Sane hanc Flaminum vestem fuisse indicat Cicero *de Claris Oratoribus*: *M.* inquit, *Popilius cum Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum Læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione, & seditione nunciata, ut erat Læna amictus, ita venit in concionem.*

Sed quod eadem toga fuerit, nullo pacto admitti potest. Primo quia Læna eadem ac Chlæna, hæc autem vestimentum Græcanicum apertum, & quadratum, toga rotundum. Deinde quo modo Æneæ apud Pœnos degenti toga datur, & quidem cum gladio? Immo ex hoc non male Nonius vestem militarem interpretatur. Huc accedit,

cedit, quod Læna, ut inquit idem, ſuper omnia veſtimenta accipiebatur, nec eſt credibile togam, & quidem duplicem ſupra togam ſumptam. Nullaque apud Veteres togæ duplicis mentio, nec ſcio, quo pacto duplex fieri poſſet, aut geſtari, cum ſimplex ſatis oneroſa ſatiſque ſiniſtrum cum brachio humerum premeret. Pallii quidem duplicis, & duplicati Veteres meminerunt, de quo alias. Quare melius Feſtus, qui amictum duplicem interpretatus eſt. Præterea Lænæ uſus in conviviis apud Romanos, in quis depoſitas togas quid attinet dicere? Quod vero reliquis veſtimentis, etiam togæ Læna ſuperinjiceretur, notum fit ex Martiale in *Apophoretis*, epigr. CXXXVI.

Tempore brumali non multum levia proſunt:
Calfaciunt villi pallia veſtra mei.

Quintilianus de habitu Oratoris: *Et cum ad argumenta, ac loca ventum eſt, rejicere a ſiniſtro togam, dejicere, etiam ſi hæreat, conveniet: Lænam faucibus, ac ſummo pectore abducere licet.* Si Læna toga duplex, tribus togis implicitus, & involutus, ac circumclusus orator ille fuiſſet. Calenus etiam apud Dionem Ciceroni objectat tenues Lænulas lib. XLVI. *τίς μὲν γὰρ οὐχ' ὁρᾷ σου τὰ λεπτὰ ταῦτα χλανίδια;* Atqui tunc Cicero in Senatu, & togatus.

Quare lænam pallium fuiſſe non eſt dubitandum apertum, ac breve, ut Græcorum Chlæna, non multum Chlamydi abſimile, quo Reges initio uſi ſunt, deinde & vulgus, idque villoſum, & arcendo frigori adhibitum, togæque ſuperinjectum, in ipſis conviviis uſitatum. Et Heroicum quidem Regiumque geſtamen oſtendimus. Mox vulgo uſurpata, Juvenalis Sat. V.

——*Plurima ſunt, quæ*
Non audeant homines pertuſa dicere læna.

Ea autem ſumpta adverſus frigus, & ideo ſuperinjecta ceteris veſtimentis. Pollux, *Χλαῖνα ἱμάτιον ἐπὶ τῷ χιτῶνι ἔσθ' ὅτε μὲν τοι ἐνδύναιον περιβόλαιον.* Alias autem Chlænas fuiſſe ait *ἁπλοΐδας*, alias *διπλᾶς*, quas Attici *ἁπλιγίδας*, *διπλησίδας*, & *διβόλους* appellabant. *Χλανίς δὲ ἱμάτιον λεπτόν: χλανίδιον.* Fallitur Bayſius, qui veſtem ait, qua milites utebantur per æſtatem. Hinc, & conviviis adhibita, hyeme ſcilicet cum depoſitis togis ſola veſtis cœnatoria non ſufficeret. Perſius ſat. I.

Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna eſt.

Niſi eadem cum Syntheſi fuit. Hæc hyemi, ut pinguior, linea æſtui accommodata. Etiam Juvenalis divitem a cœna redeuntem, *coccina læna* amictum inducit. Martialis de fure conviviorum, & *tectus lænis ſæpe duabus abit.* Ita tamen ut quod de Syntheſi diximus, colore, ac pretio ditiorum, ac pauperum lænæ diſcernerentur. Nam & clientibus cum togulis donatas idem docet, & inter apophoreta numerat lib. XII. ep. XXXVI.

Algentemque togam, brevemque lænam.

Atque hanc etiam veſtem balnearem credendum eſt, de qua Lampridius in *Alexandro*; *Balneari veſte ad Palatium revertens.* Niſi eam fuiſſe lacernam ex ſequentibus colligamus: *Hoc ſolum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat.*

Non enim multum abſimilis Chlamydis, ac lacernæ fuiſſe videtur, cum lacerna etiam reliquis veſtimentis ſuperinjiceretur, etiam arcendo frigori. Et ſi aliquando diſcrimen fuit non aliud crediderim, quod læna gravior fuerit, ac villoſa, totumque hominem involveret licet aperta, id eſt, humeros, & pectus, cum Chlamydes, & lacernæ fere tantum humeros. Quare non recte viri docti obſervant, ideo a Virgilio lænam ex humeris Æneæ demiſſam dici, ut exprimeret morem Romanorum in Chlamyde induenda, quæ ab humeris dependens bonam corporis partem nudam relinqueret; Nam contra non humeros modo, ſed & pectus obvelaſſe docet Quintilianus, cum in agendo a faucibus, & ſummo pectore abduci ſolitam tradit. Quia ergo utrinque hominem tegebat, & niſi quod aperta erat, adinſtar togæ hominem involvebat, ideo fortaſſe *toga duplex*, Servio dicta eſt, & *amictus duplex*, Feſto; Vetus Interp. Juvenalis ad illud, *quem Coccina læna. Purpura*, inquit (lege *purpurea*) *qua divites olim utebantur.* Virgilius *Æneid.* IV.

——*Varioque ardebat murice læna.*

Antiqui Amphimallum lænam appellabant, id eſt, utrimque villoſam. Quod idem atque *ἀμφίβαλον*, ſive *ἀμφίβολον* docti fecerunt, quod utrinque indueret, ſive hominem circumvolveret. Quæ ſequuntur apud Interpretem corruptiſſima ſunt. *Quod Græci coccum, Latini teres Birrum vocarunt.* Fortaſſe: *Quod Græci Coccinum, ſive cocceum dicunt, Latini veteres Birrum vocarunt.* Veſtem enim coccineam, & rubram ab ignis colore *πυῤῥὸν* dixere Latini Græca voce, mox *Birrhum*. Iſidorus lib. XIX. cap. XXIV. *Birrus a Græco vocabulum trahit, illi enim birrum bibrum dicunt*, lege *πυῤῥὸν*, Rufum, rutilum, talis enim ferme lacernarum color, de quibus infra.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA

LIBER TERTIUS,

QUI EST DE TUNICA.

CAP. I.

Tunica. χιτών. Dionis Interpres, & Manutius notati. Maldonati sententia rejecta.



QUOD initio præfatus sum, magnam Manutio injuriam nuperi fecerunt, cujus dissertationem *de Tunica* transcripserunt, eo tamen ne semel quidem laudato. Certo non erimus illorum similes, & a nobis ingenium, aut cultum, fidem nunquam desiderari patiemur.

Tunica, undecunque dicta sit, (malumus enim id ignorare, quam cum Grammaticis ineptire) Græcis χιτὼν dicitur, vestimentum scilicet interius, cui toga, aut pallium, aut alia superior vestis injiceretur. Idque tam virile quam muliebre: quamquam Hesychius virile tantum faciat. χιτὼν, ἐσθὴς, θωρὰξ, ἱμάτιον ἀνδρικὸν, Proprie tamen tunica virorum fuit, stola fœminarum, quo fortasse respexit Hesychius.

Nec alio unquam sensu χιτὼν a Grecis accipitur, quam ut tunicam significet, ut mirum sit quosdam togam interpretatos esse. Mitto Plutarchi Interpretes, qui illud in Catone Uticense ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων πολλάκις ἐπὶ τὸ Βῆμα προερχόμενος, flagitiose verterunt *sæpe nudis pedibus, & sine toga ad rostra veniens*, cum tamen initio ejusdem vitæ eorundem verborum rectum sensum assecuti essent. Miror viros doctissimos etiam curis secundis verba Dionis de Tigrane ad Pompejum veniente perperam de toga accepisse. Quem tradit, quo & reverentia Pompeii, & misericordia dignus videretur, ita se composuisse, ut inter pristinam dignitatem, & præsentem fortunam statum servaret; τὸν μὲν γὰρ χιτῶνα τὸν μεσόλευκον, καὶ τὸν κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον ἐξέδυ. *Togam enim* (verterunt) *semialbam & Candyn purpureum exuerat*. Quis locus togæ in Tigrane, & quis χιτῶνα togam dixit? Tigranes indutus erat tunica, & chlamyde, sive veste superiore Regia purpurea; Nam fuisse ad instar chlamydis militaris testatur Hesychius, licet χιτῶνα generice appellet. Κάνδυς χιτὼν περσικὸς, ὃν ἐν ἐκπορπῶνται οἱ στρατιῶται. *Candys vestis Persica, quam infibulant milites*. Fuisse autem distinctam a tunica præter Dionem hic testatur Xenophon lib. I. *Cyripæd*. Οἱ πορφυροῖ χιτῶνες, καὶ οἱ κάνδυες. Xilander etiam illud Philetæ apud Strabonem lib. III. λευγαλέος δὲ χιτὼν πεπινωμένος *togam sordibus squalidam* interpretatur, cum de tunica intelligendum sit.

Sed ut ad Romanos veniamus, antiquissimi,
A ut supra tetigimus ex Gellio, sine tunica toga sola amicti fuerunt, postea substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habuerunt, tales Romuli ætatis statuas in Capitolio, & in Rostris Camilli togatas sine tunicis fuisse tradit Pædianus supra memoratus. Rem auget Manutius, quod Ennius apud Gellium *tunicatam* non sine probro juventutem Carthaginiensium vocat, insuitatas fuisse tunicas Ennii ætate credit, id est, inter secundum & tertium Punicum bellum. Adjicit, Cincinnatum cum ei Senatus aranti, aut fodienti Dictaturam detulisset, togam e tugurio, ne nudus, & respersus pulvere man-
B data senatus audiret, proferri jussisse eaque simul abstерso pulvere, ac sudore velatum processisse; Nulla tunicæ mentione apud Livium qui rem narrat, qua pulverem, & sudorem abstergi potius decebat, quam toga. Quare mirari se ait, cur scripserit Plutarchus in *Coriolano*, eos qui magistratum petebant descendere solitos in forum togatos sine tunica, vel ut supplicarent humilius, vel ut vulnera adverso pectore excepta ostenderent, cum multis post Coriolanum annis ignota fuerit tunica. Sed nullo modo audiendus est vir doctissimus, quem ratio hic lon-
C ge fugit. Credimus quidem Pædiano, immo & Plinio, togatas Romuli ætate statuas in Capitolio sine tunicis fuisse, & Camilli in Rostris: sed usque ad Ennii ætatem, vel ultra ignotum tunicarum usum, nullus nobis persuadebit. Qui enim poterit? Nam ut bello Punico secundo crebram tunicarum mentionem missam faciam apud Livium, cujus loca non bene memor attulit Manutius in extrema disputatione *de toga*, ubi tunicæ non semel ad exercitum missæ dicuntur. Numa apud Livium lib. I. ab urbe *Saliis tunicæ pictæ insigne dat, & super tunicam æneum pectori tegumen*. Plinius lib. IX. cap. XXXIX. *La-*
D *to clavo primum Romæ usum Tullum Regem scribit devictis Etruscis*. Atqui latum clavum fuisse tunicam fatetur Manutius, & ea reliquos Reges deinceps usos non it inficias. Ita *latos clavos audita Caudina pace depositos*, auctor Livius est lib. IX.

Immo non ultra Romuli ætatem ignotus tunicarum usus videtur. Nam Plinius lib. XXXIV. cum de statuis loquitur cap. V. & VI. *Primas*, inquit, *putarem has, & Attii Navii positas ætate Tarquinii Prisci, nisi Regum antecedentium essent in Capitolio. Ex his Romuli est sine tunica, sicut Camilli in Rostris*. Unius ergo Romuli statua sine tunica, nec attinuisset rem singularem no-
E tare, si reliquorum Regum tales fuissent. In Camillo debuit esse aliquid peculiare. Sive ipse solus ætate sua antiqui cultus imitator sine tunica incessit, quemadmodum post Cato fecit: sive eodem habitu statuam illi Quirites posuerunt, quo

Romulo locaverant, tamquam alteri Urbis parenti, ac conditori.

Ennius apud Gellium non ideo tunicatam juventutem Carthaginensium probri causa dixit, quod tunc insuetatæ Romanis tunicæ: sed ut aliis observatum, quod solis tunicis induti incederent Pœni nullo pallio, aut alia exteriori veste. Nam quod de Cincinnato Manutius addit, nullius momenti est. Tunicatum enim fuisse credibile est in opere rustico, nec diversum tradit Livius, faciliusque illi fuit toga laxo & fluido vestimento sudorem ac pulverem abstergere, quam tunica pressa, corporique adstricta. Et ut nudus fuerit in agro colendo, non tamen inde colligas, reliquos etiam Urbanos sine tunica egisse.

Videntur igitur tunicæ antiquis Reip. temporibus in usu fuisse, saltem post Romuli ætatem. Ita quidem, ut una tantum tunica sub toga indueretur, post, ut notat Manutius, duæ pluresve in usu venerunt. Varro apud Nonium: *Postquam duas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam, & intusium.* Quorum verborum sensum esse assentimur Manutio, cum binas tunicas Romæ gestare cœperunt, Subuculæ, & Intusii orta esse nomina, ut ab inferiore superior tunica distingueretur, & subucula esset interior viri tunica, intusium interior tunica mulieris, superior vero in viris tunica diceretur, fæminarum stola. De subucula Horatius lib. I. epist. I.

—— *Si forte subucula pexæ*
Trita subest tunicæ.

Et Suet. de Augusto in *eod.* cap. LXXXII. *Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & subuculæ thorace laneo muniebatur.* De Intusio Nonius: *Indusium est vestimentum, quod corpori intra plurimas vestes adhæret, quasi intusium.* Fuisse autem fœminarum interiorem tunicam ex eo colligit Manutius, quod Varro cum palla muliebri vestimento conjungit. Frustra igitur Lambinus ad illud Plauti in *Aulularia, Ne inter tunicas habeas*, quærit cur *inter tunicas* dixerit, & non *inter tunicam*, unam enim tunicam, inquit, gerebant, non duas: deinde satis frivolas rationes affert: sive numerum multitudinis pro singulari usurpaverit, sive avarus ille senex putaret servum plures tunicas gestare, ut supra non duas manus tantum, sed plures in eo quærebat. Atqui servus alter *Amphitruone* ait, *Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.* Duas igitur & plures tunicas gerebant, præcipue ditiores. Cynicus apud Lucianum divitum ornatum cynædorum similem ait, nec discerni posse, aut colore vestium, aut mollitie, aut τῷ πλήθει τ̃ χιτωνίσκων, *multitudine tunicularum.*

Quoniam autem idem mos apud Judæos vigebat, Christus Dominus severius vitæ institutum formans vetuit discipulos duas gestare tunicas, *Math.* cap. X. *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta.* Ut nunquam satis mirari potuerim doctissimum Maldonatum ita hæc interpretatum esse. Non quidem prohiberi duabus simul, si necessitas, & frigus postulet, tunicis indui, sed plures habere tunicas, quam in præsentem necessitatem requirerentur, ut solent divites, & harum rerum solliciti habere unam in præsentem usum, alteram in futurum. Hæc vix digna sunt quæ refutentur. Nam si cogente frigore permisit Christus D. ut duas tunicas induerent, æstate unica contenti fuerint; quid altera factum est? habere eam in futurum vetabantur, eam igitur vendere, aut donare cogebantur, (Luc. III. *qui habet duas tunicas det non habenti*) quam rursus instante bruma compararent. Sed fortasse durum videbatur illi, qui Christi socius esset, ita ab antiqua disciplina deflectere, ut plures tunicas, & cum subucula thoracem gossipio fartum, interdum pellibus suffultum gestaret.

At ratio quam affert magis mira est: *Nam & Christum*, inquit, *duabus simul tunicis indutum fuisse ex Joannis* XIX. *manifestum est.* Haud vidi magis. *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo non scindamus eam, sed sortiamur de ea.* Ubi hic duæ tunicæ? Quid plura? totum hoc commentum revincit Marcus cap. VI. *Ne induerentur duabus tunicis.* Quod ita idem interpretatur, id est, ne duas tunicas haberent, quæ diversis temporibus induerentur. Sed piget his diutius immorari.

Cum igitur duæ minimum tunicæ essent, altera interior, altera exterior dicebatur. Prioris meminit Val. Maximus lib. VII. cap. IV. *Interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi quid ita sparsum & incertum militiæ genus sequeretur: absiste, inquit, istud quærere: nam si hujus consilii mei interiorem tunicam consciam esse sensero, continuo eam cremari jubebo.* Plutarchus rem eandem narrans χιτωνίσκον appellat, ut reliqui Græci scriptores. Appianus lib. I. *Civil.* de Sylla, qui in concione Lucretium Offellum suo jussu necatum professus adjecit fabulam: *Rusticus cum inter arandum moleste ferret infestantes se pediculos, semel atque iterum aratione intermissa*, τὸν χιτωνίσκον ἐκάθηρεν *tuniculam sive interulam purgavit.* Ælian. lib. XIII. cap. XXXVII. Gelon cum sibi parari insidias intellexisset sumptis armis in concionem processit, suisque meritis commemoratis arma exuit, & inquit, ἐν χιτωνίσκῳ adsum. Quamquam & pro tunica illud intelligi posit, subjicit enim a Syracusiis ipsi positam statuam ἐν ἀζώςῳ χιτῶνι, *in discincta tunica*, in memoriam scilicet ejus facti, quo inermis & discinctus in concionem processerat. Dio lib. LXXVII. de militibus Cilonem e balneo ad necem ducentibus: illum cum soleis, nam captus erat in balneis, καὶ χιτωνίσκον ἐνδεδυμένον *interula amictum.* Breves autem illas & substrictas tuniculas citra humerum desinentes, quas antiquissimis Romanorum gestatas tradit Gellius, Græce ἐξωμίδας dictas idem notat, quod nempe humeros minime velarent. Festus *Exomides vestimentum Comicum exertis humeris* interpretatur. Alii etiam de Cynico pallio acceperunt, quod nempe dextrum humerum excluderet.

CAP. II.

Tunicas in petitione honorum depositas. An Cynici tunicas gestarint? ὀθόνη. ῥάκος.

Candidatos cum prensarent sine tunicis sola toga amictos fuisse, tradit Plutarchus in *Coriolano: Mos*, inquit, *erat petentibus Consulatum, ut rogarent, & prensarent cives togis amicti in Comitiis sine tunica*, ἐν ἱματίῳ. ubi non recte Interpres, *In Veste.* Nam & tunica vestis erat. Et Plutarchus & Græci omnes frequenter togam ἱμάτιον appellant. Idem in *Camillo* tradit, Faliscos obsessos a Camillo, adeo obsidionem contempsisse, ut præter stationes in muris dispositas, togati per urbem reliqui obser-

ſarentur ἐν ἱματίοις *in togis*. Ibi etiam Interpres, *in veſtibus*. Voluerunt enim habitu pacis denotare, ſe belli minas inſuper habere. Cur autem tunicæ a candidatis deponerentur, cauſas affert Plutarchus ibi. Sive quo magis ea ſpecie humiliores eſſent ad ſupplicandum; ſive, ut qui cicatrices haberent ſubjicerent oculis ſigna fortitudinis. Deinde refellit eorum opinionem, qui id actum crediderunt, ne pecunia tunicis occultaretur ad emenda ſuffragia: *Non enim*, inquit, *ſuſpicione largitionis, & ambitus* ἄζωστον ἐβούλοντο προϊέναι, καὶ ἀχίτωνα. Interpres: *Nec vero ob plebis ſuſpicionem ita recinctos, & abſque intima tunica ſupplices ire cogebantur*. Mira Latinarum & Græcarum litterarum peritia. ἄζωστον, *diſcinctum, ſine Zona*. Nec ſolum ſine intima tunica, ſed omnino ſine tunicis; Zonam autem cum tunica jungit, quod illa ſola cingeretur, non toga, ut diximus.

Duæ igitur ſaltem tunicæ in uſu fuere: exterior, quæ ſimpliciter *tunica*; & interula, ſive ſubucula. Quamquam quoſdam unica tunica contentos, præcipue qui ſeverius educabantur, docet Varro apud Nonium: *Mihi puero modica unica fuit tunica, & toga, ſine faſciis calceamenta* Hinc Cynici, qui in cultu aſperitatem affectabant, etiam ſine tunica inceſſere, ut docti pridem *ad Tertuliani pallium* monuerunt, inde illud Satyrici explicantes,

—— & Stoica dogmata tantum
A Cynicis tunica diſtantia.

Quod nempe Stoici more ceterorum geſtarent cum pallio tunicas, quibus Cynici carebant. Etſi autem ἀχίτωνες Cynici fuerint, interulam tamen geſtaſſe iidem viri doctiſſimi credi volunt, eamque interulam, ſive ſubuculam lineam fuiſſe, quæ Græcis ὀθόνη, & ſindon dicatur; Quod nempe Crates a Laertio inducatur amictus ſindone, & a Luciano Protheus cum pallio, & interula. Sed hoc fortaſſe in illis peculiare fuit, in Protheo quidem, qui conſcenſurus pyram othonion induit, ne depoſito pallio nudus conſpiceretur: At Crates ob id ab Athenienſibus reprehenſus eſt, quod in ſindone præter morem incederet. Ut ut ſit, interulam ab Cynicis non eſſe geſtatam, duo ſunt quæ mihi perſuadent. Alterum quod cauſa duplicandi pallii Cynicis, ſive aliter geſtandi quam mos communis eſſet, non alia fuit, quam ut eſſet loco tunicæ, eaque tamquam ſupervacua deponeretur, quare ſe totos pallio involvebant, ne nudi conſpicerentur, utque alienis oculis parcerent, qui pudori ſuo minime parcebant: quo non opus fuiſſet, ſi in locum tunicæ veniſſet interula ſtrictior quidem & brevior, ſed quæ ſaltem verecundiæ conſuleret. Cum igitur ſibi ita pallium injicerent, ut ſolum brachium dextrum cum bona humeri parte exererent (quare illis faviſſe dicitur Cato a Tertulliano, cum ſine tunica in forum proceſſit) ideo exerto, ac ſeminudo pectore Cynici a Cypriano inducuntur, quod non fuiſſet, ſi illud ſindone obvelaſſent. Lucianus de Cynico; *Quid tu tandem barbam quidem habes, & comam, tunicam non habes*, καὶ γυμνοδερκῇ, *& nudus conſpiceris?*

Ac ne quis dicat, pallium duplicatum a Cynicis & corpori circumjectum non ad velamen, ſed arcendo frigori, hoc ab eorum hominum tolerantia alienum eſt, qui ad majorem patientiam oſtentandam grave pallium æſtate, hyeme leve geſtabant. Sic Crates a Philemone Comico apud Laertium inducitur æſtate craſſo pallio indutus, hyeme detrito, & levi.

Καὶ τοῦ θέρους μὲν εἶχεν ἱμάτιον δασύ,
Ἵν' ἐγκρατὴς ᾖ, τοῦ δὲ χειμῶνος ῥάκος.

Ubi ῥάκος non pannum, ſed detritum pallium vertendum erat. Heſychius, Ῥάκος διεῤῥωγὸς ἱμάτιον. Ῥάκη ἀποσκορακίσματα, καὶ ἀποσπάσματα. Ῥακέαζει, ἱμάτια ξυραίνει.

Alterum quod vetat credere fuiſſe a Cynicis geſtatas interulas, ac ſindones eſt, quod hæ lineæ erant, ac molles, tenueſque, & ab Homero ſolis mulieribus attributæ, nimiæ profecto in Cynicis delitiæ, cultus aſperitate in oſtentationem gaudentibus. Tales autem fuiſſe ὀθόνας, & ὀθόνια declarant veteres Grammatici: Ὀθόνη σινδών, ζώνη, τελαμών: γυναικεῖον ὀθόνιον λεπτόν, καὶ πᾶν τὸ ἰσχυὸν μὴ λινοῦν ᾖ. Ὀθόνια λινᾶ ἱμάτια, Quæ omnia indicant & veſtes tenues fuiſſe, & lineas, & mulierum proprias.

Quare præter pallium nudos inceſſiſſe Cynicos, eamque nuditatem pallii involucro texiſſe vero ſimilius eſt, quam levibus, ac tenuibus tuniculis, qui nihil magis in veſtitu quam mollitiem aſpernabantur. Lucianus. *In arido præterea ſolo cubans* ὡς ἄσιλω πάμπολλον περὶ τὸ τριβώνιον φέρειν: οὐ μέν τοι, καὶ τοῦτο λεπτὸν, οὐδὲ μαλακὸν, οὐδὲ ἀνθηρόν. *Adeo ut plurimum etiam ſordium tritum iſtud pallium referat, alioqui nec ipſum vel tenui filo, vel molle, vel floridum*. Si quis tamen ὀθόνια cum Heſychio Zonas, & faſcias interpretetur, eas Cynicis tribuat per me licebit, dummodo non ſubuculas, aut interulas.

CAP. III.

Tunicæ Lineæ. Paragaudes.

QUANDO primum apud Veteres tunicæ lineæ interiores in uſu eſſe cœperint, haud facile dixerim; Nam apud Romanos non niſi ſero id factum inde colligas, quod nulla fere mentio linearum apud antiquiſſimos; quique interulam, & tunicam diſtinxere, hoc ſolum diſcrimen poſuerunt, quod altera interior indueretur, altera ſuperaria eſſet, additurí utique alteram lineam, laneam fuiſſe alteram. Deinde quia balnearum uſum præcipuum fuiſſe ſcriptores tradiderunt, quod cum laneis veſtibus etiam interioribus uterentur facile erat ſordes contrahere, quæ balneis frequentibus depellendæ. Præterea Plinius cum veſtium mentionem faceret, eas cum de lanis ageret, executus eſt, corporumque tutelam pecori adſcribit, & cum de lino agit, nullum lineæ veſtis uſum agnoviſſe videtur, præcipue in viris, nam ex Varrone ſcribit in Serranorum familia gentilitium fuiſſe fœminas linea veſte non uti. Plautus etiam non ſemel mulieribus linea veſtimenta adſcribit, viris numquam. Nonius: *Tunicare pro veſtire*. Varro λογομαχία. *Hæc lanigeras detonderi docuit, tunicareque hominum*. Martialis, qui omne veſtimentorum genus tetigit, nihil de lineis. Horatius ſubuculam tritam tunicæ pexæ opponit, quod in linea veſte eſſe non poteſt. Ovidius de veſtis muliebris coloribus in III. *de Arte*;

Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraque fugit hiems.
Lana tot aut plures ſuccos bibit, elige certos,
Nam non conveniens omnibus unus erit.

Et de medicamine faciei,

Vellere ſæpe eadem Tyrio medicantur aheno.

Quare non ita valido argumento Caſaubonus *Exercitat.* XVI. Euthymii opinionem refutat, qui tradit Chriſtum Dominum geſtaſse pallium,

tunicam, & tunicam inconsutilem, ex eo quod qui duas tunicas gestabant, interiorem lineam habebant, exteriorem laneam, & tamen inconsutilis lanea erat. Nam quidquid sit de duabus tunicis, de quibus non est hic locus. Nullus aut rarus linearum usus apud Hebræos, quemadmodum apud Romanos, præcipue in Christo Domino, & Apostolis qui nullam hujusmodi in cultu molliciem agnoverunt.

Ex Suetonio tamen colligi videtur, subuculas fuisse lineas, qui scribit Augustum hyeme, *quaternis cum pingui toga tunicis, ac subuculæ thorace laneo muniri solitum*. Nam si laneæ tunicæ fuerunt, quid opus erat subuculæ thoracem laneum dicere? Sed male veterem lectionem, quam Beroaldus agnoscit, nuper sollicitarunt, in qua scriptum, & *subucula, & thorace laneo*. Thorax tunc non nisi inter munimenta pectoris ad ictus repellendos, & ex ære, ferro, & corio, ut lorica. Hoc ergo peculiare in Augusto notavit Tranquillus, quod thorace laneo uteretur præter subuculam, & tunicas. Frustra Torrentius subuculæ thoracem explicat, quia subucula pectus tegebat, quod ut verum sit, tamen a thorace distincta.

Non nisi sero igitur lini usus in tunica interiore, quo tempore lineæ tunicæ promiscue usurpatæ, nec minima pars luxus addita iis purpura, atque auro. Lampridius in *Alexandro*: *Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri*, (id est, sine auro ac purpura) *dicens, si lintei idcirco sunt, ut nihil asperum habebant, quid opus est purpura? in linteam autem aurum mitti etiam dementiam judicabat, cum asperitati adderetur rigor*. Nolebat Alexander lineis purpuram, vel aurum addi, quod tunc solemne erat; nam ut tunicis laneis, & subsericis, ita proprie lineis interulis aureæ fasciæ limbique ac segmenta addebantur, quas *paragaudas* dixere, ut nos magnus Casaubonus docuit, sive ea vox Parthorum, sive Syrorum fuit. Vopiscus in *Aureliano*: *Cum darentur tunicæ subsericæ, lineæ paragaudæ*; Ubi paragaudas a vestibus, quibus adsuebantur, separari potuisse idem observat, & modo singulas modo binas, ternas, ac quaternas, ac quinas adsutas, sicque monolores, dilores, ac pentelores dictas, quod lorum, fasciam, ac segmentum auratum significet. Plura etiam de Paragaudis adjecit doctissimus Salmasius *ad Historiæ Augustæ scriptores*, quæ operæ sit legisse.

CAP. IV.

Ministros conviviorum in tunica & ferme linea solitos ministrare.

TRADIT Lampridius, Constantinum adeo in nullo pretio Eunuchos habuisse, ut & chlamyde uti vetuerit. Quo loco militia submotos Eunuchos censuit Casaubonus. Hæc opinio displicuit viro doctissimo qui Casauboni vestigia legit. Ipse existimat, Eunuchos postquam domesticarum necessitatum ministerio deputati a Constantino fuerunt, chlamyde uti vetitos, quod regii ministri sola tunica uterentur. Id de omnibus servis ac ministris Regiis intelligendum, adduci non possum ut credam: sed de iis tantum, qui mensæ infervirent, ministrarentque & solius convivii tempore. Nam si etiam servis privatis jus chlamydum fuit, earum usum regiis ademptum quis credat? Chlamyde autem servos usos declarant verba lib. I. cod. Theod. de habitu quo uti oportet intra Urbem: *Servos sane omnium, quorum tamen dominos sollicitudine militiæ constat non teneri, aut birris, aut cucullis uti permittimus*. Birros autem, lacernas & chlamydes idem fere vestimentum fuisse, iidem viri doctissimi satis ostenderunt.

Soli ergo mensæ infervientes, vereque ministri in sola tunica fuere, ut expeditiores essent. Spectant Ammiani verba ab iisdem adducta. *Quo tit itaque subtabidus nusquam reperto paludamento tunica auro distincta, ut Regius minister indutus a calce in pubem in pædagogiani pueri speciem*. Vox enim minister rem totam declarat, quod in convivio aurata tunica ministrarent. Lampridius in *Alexandro*: *Auratam vestem ministrorum nullus vel in publico convivio habuit*, in quo locus auratæ tunicæ. Ita & cum Imperatores auratas paragaudas privatis interdixere, ministrisque permiserunt, de conviviorum ministris intelligendum est. Cod. *de vest. holov.* leg. II. *Nemo vir auratas in tunicis aut lineis habeat paragaudas: nisi hi tantummodo quibus hoc propter imperiale ministerium concessum est*.

Nam & in conviviis privatis ministri tantum tunicati. Apulejus lib. II. de convivio Byrrhenæ: *Puellæ scitulæ ministrantes, pueri calamistrati pulchre indusiati, gemmas formatas in pocula vini vetusti frequenter offerentes*. Seneca *de brevitate vitæ* cap. XII. *Cum videam quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant*. Horatius lib. II. satyra VIII.

Præcincti ut recte pueri comptique ministrent.

Constantinus igitur cum chlamydes Eunuchis ademit, quorum immensa, & absurda potestas sub aliis Imperatoribus fuerat, omni jure mulctavit, & infra servorum conditionem dejectos soli conviviorum ministerio addixit. Hinc etiam Christus Dominus pedes Apostolorum ante convivium loturus posuit pallium, quia ut Nonnus interpretatur servile opus facturus erat. Servorum enim erat sine pallio, aut alia veste exteriori, tunicatos, & cinctos, vel etiam linteo succinctos ministrare. Suet. de Caligula cap. XXVI. *Senatores summis honoribus functos cœnanti sibi modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est*. Casaubonus in *Exercitationibus* attulit etiam locum Philonis in hanc rem, qui Essenorum convivia describens observat mancipiorum usum ab ipsis repudiatum; nam liberorum opera utentes cavisse, ne ullam habitus servilis speciem inter ministrandum præberent, & propterea discinctos, ac demissis tunicis in cœnationem solitos ingredi. Positum autem a Christo pallium vestem exteriorem idem observat, quod brachia includeret, & ideo inepta ad ministeria quæ liberum brachiorum motum requirunt.

Etiam sub Flaviorum Imperio ministri Regii aliquid peculiare in cultu habuerunt. Suetonius in *Domitiano* cap. XII. *Generum fratris indigne ferens & ipsum albatos ministros habere proclamavit* οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Quo loco Torrentius, ut sæpe solet, nihil præter ea, quæ notaverat Beroaldus, affert. *Album colorem in lætitia usurpatum, in sacrificiis, conviviis, & spectaculis*, quod si verum est, ut non neamus, quid peculiare habuerunt Regii servi albati, si plerique omnes in conviviis, & sacrificiis pariter albati? Id tamen solis Imperatoris ministris concessum, Domitiani querela indicat qui apud Sabinum ministros albatos videat. Manutius de togis intelligit: Sed nullus togarum usus in convivio, & si fuisset, reliquorum etiam togæ albæ. Lipsius ait de tunicis, vel pœnulis intelligendum, sed cave de

pœnulis capias, quæ conviviis, ac ministerio impropriæ: multo minus eum colorem fuisse libertatis, nam cui bono in servis, cumque tota libertas interierat?

Vel ergo privatorum servi in tunicis pullis ministrarunt, quem vestis servilis colorem Plautus, & Artemidorus indicare videntur, Regii albati; Vel si etiam reliquorum servorum albæ tunicæ quod conviviorum lætitia verisimilius facit, præcipue si in linea interula, fortasse regiorum ministrorum tunicæ albatæ, id est, candidatæ, quales petitorum togæ, & creta candefactæ: cujus tamen moris non aliud vestigium extat. Vel quod quibusdam visum est, non tantum albæ erant illæ tunicæ, sed auro distinctæ, ut paulo ante diximus. Sed si omnium ministrorum tunicæ albæ erant, cur istæ non potius auratæ appellatæ sunt quam albatæ? Nondum enim tunicis ministrantium additum aurum existimo, sed longo post tempore, cum scilicet paragaudes institutæ. Nisi quis Senecæ etiam ætate tunicas auratas fuisse arguat ex ejus verbis *de Tranquillitate* cap. I. *Præstringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius quam intra privatum larem vestita, & auro culta mancipia, & agmen servorum nitentium*. Si tamen aurum illud tunicis intextum, & non per armillas, annulos, & alia ornamenta pædagogiis datum. Plinius de auro. A *Honestius viri pædagogiis id damus*. Videant docti. Ceterum idem Seneca libro *de brevitate vitæ* cap. VII. etiam alios colores in ministris conviviorum agnoscit: *Qui vinctorum suorum greges in ætatum, & colorum paria diducit*. Ubi vinctorum greges non sunt servi in ergastulis, nullus enim ibi locus colorum aut ætatis, ubi nequam mancipia suppliciis & squalore obsita; Nec quod voluit Lipsius secreti illi per nationes, & colores, ut orientales & fusci in tali villa, & agro: qui frigidiore cælo editi, & ideo albi in alio loco, atque agro haberentur, quæ sunt somnia vigilantium. Sed vincti simpliciter *servi* in B ætates & colores distincti. Idem Seneca ep. XCV. *Agmina exoletorum per colores nationesque distincta*. Ut non displiceat ejusdem Lipsii conjectura legentis *victorum*, id est, exoletorum. Etiam apud Petronium: *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus cerasino succinctus cingulo*. Lecticarios etiam, cursores, & id genus homines peculiari pænularum colore distinctos infra dicemus. Morem autem per varios colores excolendi servitia, quas *Livreas* appellant a Circi factionibus & coloribus profluxisse credimus.

Ministrantium ornatum, cultumque ex antiqua tabula, quam Ursinus in appendice *ad Ciacconii triclinium* dedit, hic habes.



CAP. V.

Linea Vestis sacrificantium. Camisia. Camisium. Cotta.

In sacris olim Ægyptiis præcipuus lineæ vestis usus. Hinc *linigera turba*, & *liniger grex* apud Poetas, & *lineus amictus Isiacorum* apud Suetonium. In nostris quoque sacris suus lineæ vesti honos. Nam præter amictum lineum superiorem, quo in sacra Psalmodia sacerdotes, atque ipsis sacris ministri utuntur, prima vestium sacrificalium linea tunica talaris induitur, quam vulgo *Camisiam*, sive *Camisium* appellant.

C Ex quo etiam, quod supra notavimus, comprobatur, sacerdotes olim in sacris communi, & promiscuo habitu usos. Communis enim vestitus antiquorum tunica linea interior, altera superior lanea, interdum serica, tum toga vel in ejus locum birrhus, sive lacerna. De toga opinionem nostram attulimus; Restat ut de tunicis videamus. Et licet illud discrimen esse videatur, quod olim saltem duabus tunicis communiter utebantur, nostri autem sacerdotes in una tantum linea faciunt; Id tamen inde ortum, quod honori Episcoporum datum est, ut soli duas tunicas in sacris gestent, quemadmodum in veteri instrumento Pontifex præter tunicam lineam, etiam hyacinthina induebatur, reliqui sacrifici minores linea tantum amiciebantur.

A Sic & nostris ritibus Episcopi præter Camisiam talarem, tunicam superiorem induunt, quæ primo de more κολοβὸς erat, id est, sine manicis, mox in Dalmaticam conversa est, ut Alcuinus *de Div. officiis*. Et Ivo Carnotensis de rebus Ecclesiasticis: *Notandum vero*, inquit, *quod minoribus Sacerdotibus neque duplex tunica datur, neque humerale, neque rationale, neque lamina aurea, sed tantum poderis, & mitra, & Zona qua stringatur tunica byssina. Novi quoque testamenti sacerdotes non omnibus illis utuntur indumentis, quia nec duabus tunicis, nec rationali præter solos Pontifices*.

B Hæc tunica linea ποδήρις *Poderis* quod talaris esset dicebatur, & *Alba* a colore. *Fuisse autem strictam, & corpori adhærentem* tradit D. Hieronymus ad Fabiolam, *eamque similem militum Camisiis, quæ sic aptæ membris, & adstrictæ corpori, ut nihil militares exercitationes impedirent*. Rabanus Maurus: *Secundum indumentum est linea tunica, quæ Græce dicitur Poderis*. Hesychius: Ποδήρης τὸ μέχρι τῶν ποδῶν ἱμάτιον. Hanc Isidorus *Camisiam vulgo dici* ait, quod nempe similis, vel eadem olim omnino fuit cum tunicis lineis interioribus, quas Camisias appellamus. *Camisias autem* C idem Isidorus inde dictas tradit, *quod in his dormimus in Camis, id est, in stratis nostris*. Quid autem essent Camæ alibi explicat loco corrupto: *Cama est brevis, & circa terram, Græce enim Cami breve dicunt*. Lege. *Cama est brevis lectus & circa terram, Græce enim χαμαὶ humi dicunt*. Græci enim Camas, sive potius Cameunas dixerunt strata humilia, & lectulos humi propiores, quod homines veluti χαμαὶ jacerent. Hesychius: χαμεύνη ςιβὰς, καὶ ἡ ταπεινὴ κλινίς: καὶ χαμεύνης ὁ χαμαὶ κοιμώμενος. *Torus, & humilis lectus, & Chameunes, qui humi jacet*. Proprie autem Hesychio dicitur ςιβὰς: nam eodem interprete ςιβὰς ἀπὸ ῥα- D βδων καὶ χλωρῶν χόρτων ςρῶσις, καὶ φύλλων, ἢ χαμαικοίτη. *Stratum e frondibus, viridique gramine, ac foliis constructum, & lectus humi positus*. Inde stibadium tricliniare, de quo aliis dictum. Quia autem id stratum pauperum erat, idem Hesychius χαμεύνιον κλινίδιον πένιχρον interpretatur *lectulum paupertinum*.

A Camis igitur Camisias dictas vult Isidorus. Earum mentio apud Anastasium in *vita Benedicti III. Camisias albas sigillatas bolosericas cum chrysoclavo*. Casaubonus ad illud Lampridii in *Alexandro: In linea autem aurum mitti etiam dementiam judicabat, cum asperitati adderetur rigor*, jure, E inquit, damnatas ab Alexandro lineas auro clavatas, propter asperitatem & rigorem: & propterea se valde mirari cur apud Anastasium legantur Camisiæ auro clavatæ, has autem non ad usum comparatas, sed ad ornatum ædium sacrarum. Verum nihil aliud illæ Camisiæ fuerunt quam lineæ tunicæ sacrificantium, & ad usum sacrorum, non ad ornatum templorum. In quibus auri rigor, & asperitas non erat gestantibus incommoda, cum super alias vestes nempe communes injicerentur, secus tempore Alexandri, cum lineæ nudis carnibus admoverentur, quas auri rigor, & asperitas F lædebat. Et quemadmodum olim, ut diximus, epularum ministri in tunicis tantum, & ferme lineis, sic etiam in sacro convivio, Altaris ministri, sive Diaconi in tunicis, quas & nunc *tunicas* appellant, inserviunt, turba minor sacricolarum in tunica linea. Et olim quidem talaris erat & manuleata, ut & sacerdotum quales in antiquis picturis cernuntur, post brevior in usu esse cœpit, nec tamen eadem forma ubique. Plerumque manicata est, scissis tamen & laxe fluentibus manicis, alibi stricta corpori, & brachiis pressa, quales Cardinalium, & Clericorum Augustinianorum, alibi etiam ad instar involucris tonsorum, quæ totum corpus involvit, & hinc inde brachiis in humeros rejicitur, ut veteres casulæ, sive Planetæ, quæ forma Patavii visitur. Hanc Itali *Cottam* appellant corrupta voce, ut ego existimo a *Crocota*, quæ Veteribus vestis fuit mollis, ac tenuis, sive ut Græci putant a croci colore, quod comprobare Plautus videtur, qui *infectores crocotularios* memorat: sive ut aliis visum, quod plus subteminis, sive tramæ (Græcis κρόκη dicitur) ea vestis quam staminis haberet, & ideo mollior, ac tenuior, sive utrumque, quod ferme hæ vestes molliorum croco inficerentur. Undecunque dicta fuerit Crocota, ea propria olim mulierum fuit, ut notum est. Plautus inter luxum sequioris sexus recenset. Cicero *de Arusp. responsis: Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciolis factus est repente popularis*. Quare & Gallis matris Deum effæminatissimis crocotulas tribuit Apulejus: *Variis coloribus indusiati, & deformiter quisque formati, facie cœnoso pigmento delita, & oculis obunctis graphice prodeunt, mitellis, & crocotis, & carbasinis, & bombycinis intecti*. MS. codex, *injecti*.

Lineum ergo amictum sacris operantium quod tenuis esset, ac mollis ad instar crocotarum, crocotam vocarunt, & contracta voce *cottam*; Quæ tamen vox non ita antiqua videtur, ut pro veste sacrorum ministrorum accipiatur; Nam scriptores Etrusci *Cottam* pro muliebri ferme veste, interdum pro virili usurpant, nonnumquam pro veste quæ armis injicitur. Sane Venetiis adhuc in usu est, nam muliebres tunicas *cottulas* appellant. Sed de his alibi accuratius.

CAP. VI.

Tunica superior. Ejus mensura. Talaris probrosa. Propertius, Juvenalis, Cicero explicati.

Interulæ, sive subuculæ superior tunica imponebatur, quæ & *superaria* inde dicta. Ejus mensura vulgo erat, ut paulo infra genua caderet, ut docet Quintilianus lib. XI. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant, nam infra mulierum est, supra Centurionum*. Qui ergo in longis, ac demissis tunicis solebant, quod id fœminarum proprium esset, ii tamquam molles male audiebant. Horatius lib. I. sat. II.

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscœnum subductis usque facetus.

Et Propertius lib. IV. eleg. II.

Suppetat, hoc pisces calamo prædabor: & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.

Ex quo colligit Turnebus lib. XI. cap. XXIII. elegantiæ, cultusque studiosos, demissas, longasque tunicas gestasse. Quod si verum esset, non eas Horatius, non reliqui scriptores tantopere damnassent, tanquam parum virorum proprias. Non ea est Propertii mens. Vertumnus Deus narrat ibi suam naturam cunctis figuris opportunam, seque in quam libuisset verti. Sic fœminam, virum, messorem, & militem fieri, venatorem, aurigam, desultorem, posse etiam piscatorem esse, mox & institorem. *Suppetat, hoc pisces calamo prædabor*: Post autem fiam institor. *Et mundus demissis institor in tunicis*. Sensus est: si velim ex piscatore fieri institor, mutan-

dum mihi ſchema, & altius ſubductæ ſordenteſque tunicæ, quales ſunt piſcatorum, more reliquorum demittendæ, & quidem mundæ. Piſcatoribus enim qui ſæpe ſe in aquam demittebant, ſuccinctæ altius, & ad inguen ſubductæ tunicæ, ne fluctibus madeſcerent; quare Vertumnus ait ſi ex piſcatore inſtitor fieri velim, patiar tunicas more aliorum cadere dempto ſqualore. Nec demiſſæ hic valet talares, ut apud Horatium, ſed longiores, quam ut a piſcatoribus ferrentur.

Juvenalis etiam tunicas medio crure tenus demittere tantum virorum docet fuiſſe, cujus verba afferemus, quia Interpretes non ceperunt, & peſſime acceperunt:

Nam ſi docta nimis cupit, & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas ſuccingere debet:
Cædere Silvano porcum: quadrante lavari.

Mitto Veteres, qui ajunt omnia facere debere mulierem, quæ fieri ſolent a poetis, & viris literatis, qui cum loca ſolitaria quærant, Silvano nemorum Deo ſacrificant. Etiam qui notas breviores in hunc poetam vulgavit: *Sumat*, inquit, *hunc Oratoris, vel Peripatetici habitum.* Quaſi vero Oratores tantum, & Philoſophi tunicas crure tenus geſtarent, Silvano facerent, & quadrante lavarentur. Logi. Perſtringit ibi Satyricus mulieres, quæ literas callere videri volebant doctius, quam ut probas deceret:

Laudat Virgilium, perituræ ignoſcit Eliſæ,
Committit vates, & comparat inde Maronem.
Atque alia parte in trutina ſuſpendit Homerum

Et paulo infra:

Non habeat matrona tibi, quæ juncta recumbit.
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema.

Et cetera in eundem ſenſum,

Si ergo, inquit, mulier vult literas tractare, de ſcriptoribus judicium ferre, philoſophari, & reliqua quæ ſunt virorum propria, etiam virili habitu incedat, quæque ſunt virorum munia tantum peragat. Primum eſt, *medio crure tenus tunicas ſuccingat*, cum mulieres ſtolis talaribus uterentur. Alterum *cædere Silvano porcum:* Id enim tantum viris licitum, quod veluti per caliginem Britanicus vidit, nam quod Silvano porcum cæderet ut Epicuræa, gerræ ſunt. Soli viri Silvano ſacrificabant, qui genius virorum, ut Juno fœminarum. In Vet. Inſcriptione: *Silvano Aug.* hoc eſt, *Auguſti*, Non quod ſcioli *Auguſto*, vel *Auguſtiſſimo*. Nam *Silvano* Auguſti genio, tutelæ, defenſori. In iiſdem plerumque jungitur cum Hercule. *Herculi Silvano*. Item cum Marte, cum quo eundem plerique fecerunt. Ita *Herculi Auguſti*, id eſt, defenſori, & cuſtodi. Cædat ergo, inquit Satyricus, Silvano porcum, ut viri ſolent, quæ virorum officia occupat. Clare id Vetus Interpres: *Crure tenus. Id eſt, accipere debet virilem habitum & cingi ut vir.* Mox: *Cædere Silvano: Silvano mulieres non licet ſacrificare.* Quo reſpicere nuperi debuerunt. Gloſſæ item veteres MS. in Mediolani Bibliotheca: *Sacrificare Silvano quod virorum: Quadrante lavari, ſicut vir balneari.* Aliæ: *Sicut mulieres viri facundiam affectabant deberent tunicam ſuam ſicut viri in altum ſuccingere. Viri quando ingredi volebant thermas ære lavabantur, id eſt, pecuniam dabant cuſtodibus: fæminæ ſe ipſas pro pretio.* Aliæ demum vetuſtiſſimæ: *Cædere Silvano: Effici viri: Silvano mares, fæminæ Cereri ſacrificabant; Nam mulieres neque ad tonſores, neque ad balneas publicas eunt.* Poſtremum eſt: *Quadrante lavetur.* Ut Stoica, ajunt, quadrante lavetur. Nam Horatius de Stoico: *Dum tu quadrante lavatum Rex ibis.* Ineptiſſime. Non enim ſoli Stoici, ſed viri omnes quadrante lavabantur, id eſt, pro mercede balneatori quadrantem ſolvebant, & ideo Seneca Balneum appellat rem quadrantariam, ut ſciunt etiam qui nondum quadrante lavantur. Scivit & Mercurialis in *Arte Gymnaſtica*: ſed Balnei pretium in immenſum auxit, cum ex uno centum quadrantes fecit, ait enim conqueri Martialem quod ſibi balnea tanti conſtarent:

Balnea poſt decimam laſſo, centumque petuntur
Quadrantes:

Quaſi Martialis ibi de pretio balnei loquatur, & non de ſportula, quæ centum quadrantes laſſis clientibus poſt balneas loco rectæ dabat. Quadrans pretium balnei, ſed virorum tantum: nam fœminas gratis laviſſe ſi nihil aliud, hic unus Juvenalis locus ſatis oſtenderet: cum inter ea quæ virorum tantum eſſent, lavari quadrante ponit. Eædem gloſſæ Veteres: *Quadrante lavari, ſicut vir balneari.* Aliæ: *Quadrante, virorum pretium, fœminæ vero gratis.* Nec mirum fœminas nihil pro balneo dediſſe, nam hoc & impuberibus præſtabatur. Idem poeta:

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Vetus Interpres: *Infantes: Quia pueri non dant balneaticum.* Mulieres tamen balneatori mercedem ſolviſſe indicare videtur Cicero *pro Cœlio: Niſi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* Scio quemadmodum hunc locum docti explicuerint, præcipue Manutius: Quod nempe Clodia pro quadrante corporis ſui copiam balneatori faceret. Sed ut laſcivia perdita fuerit, omnique probro reſperſa & in mediaſtini, ac balneatoris amplexus ruerit, id tamen feciſſe ad redimendum quadrantem, potentem alioqui, & auri largam in amatores ſuos, nemo ſanus crediderit. Vix hoc de lupis diobolaribus & meretricum mendicabulis credatur. Quid ergo? Quadrantariam Clodiam dictam ex Plutarcho notum, quod ex ejus amatoribus quidam perfacetus quadrantes argenteorum loco in loculos miſerat. Hæc igitur quadrantis mercede quadrantaria facta erat, & ſic balneatori familiaris quæſtus, ac mercimonii ſimilitudine; Ille quadrantem a viris pro balneo exigebat, hæc quadrante merces ſuas permutabat: ille quadrantarius, hæc quadrantaria: & ex quæſtus communione, mercediſque ſimilitudine familiaritas. Altera interpretatio vix quadrante digna eſt, & ipſas balneas refrigerare poteſt.

Ut ad tunicas longas redeamus, cum illæ eſſent mulierum propriæ, in viris probro habitæ. Cicero *in Catilin. Quos videtis manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Etiam D. Auguſtinus in III. *de Doctrina Chriſtiana: Talares, ac manicatas tunicas habere olim apud Romanos flagitium.* Confirmat Servius ad illud *Æn.* IX.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Tunicæ, inquit, *veſtræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat dicens, manicatis, & talaribus tunicis.* Idem ad illud *Æn.* VIII.

—— Diſcinctos Mulciber Afros:

Vel habitum, inquit *eorum oſtendit, qui uſque in talos fluebat, quod Plautus ridet in Pœnulo, Quænam illæc avis eſt? Cum Afrum vidiſſet veſtem dimiſſam trahentem, neque enim utuntur hodieque Zonis.* Aliis etiam locis oſtendit Plautus, probroſas fuiſſe tunicas longas, & puerorum meritoriorum proprias, quæ jam ab aliis ſunt adducta. *Pœnulo* Act. V. Sc. V.

Quis hic homo est cum tunicis longis quasi puer cauponius?
Mox:
Sane genus hoc mulierosum est tunicis demissitiis. Temporum mutatione tunicas talares in usum communem venisse, & cum togis etiam gestatas nemo in antiquis monumentis versatus dubitare potest. Hujusmodi statuas togatas cum tunica talari non paucas attulit Jan. Boissardus.

CAP. VII.

De Cinctu.

SED quoniam tunicæ ferme longiores, aut breviores erant cincturæ arbitrio, de ea hic pauca afferemus. Et Romanos quidem exceptis laticlaviis cingi solitos certum est. Nam laticlavios sine cinctu fuisse ex Quintiliano acute colligit Manutius quique eum secuti sunt. Locus est supra laudatus, lib. XI. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant, nam infra mulierum est, supra Centurionum. Latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis submissior.* Quæ verba supra expendimus, cum de cinctu Cæsaris loqueremur, quem tradit Suetonius *supra latum clavum cingi solitum*, quod præter morem fuisse ostendit, alioqui id tamquam notabile non tradidisset.

Omnes igitur, præter laticlavios, tunicam cingebant, & prout libebat, contrahebant, aut demittebant. Ita Centurionum, & militum omnium tunicæ breviores, & intra genua subductæ. Hinc apud Petronium: *Statores altius cincti*, & apud Horatium lib. I. Sat. V.

Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Præcinctis, unum.

Id est, fortioribus, & expeditioribus. Idem lib. II. Sat. VIII.

His ubi sublatis, puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit.

Non fortis, ac strenuus, ut explicat Turneb. libr. XV. cap. XXIII. sed agilis atque expeditus. Contra *discincti* pro imbellibus, & effœminatis. Servius ad illud *Æn.* I.

Illi se prædæ accingunt.

Accinctos, inquit, *industrios dicimus, ut Horatius,*
Altius ac nos præcincti:

sicut contra negligentes discinctos vocamus, ut discinctos Mulciber Afros. Magno scilicet probro habitum discinctum incessisse. Dio libr. LXIII. postquam multa Neronis infanda percensuit, adjicit. Quibus ipsis in rebus ita faciebat contra jus fasque ὥςε καὶ ἀζώςυς χιτῶνας, ut etiam tunicas discinctas publice indueretur. Et alia quæ nemo ignorat. Sicut quæ de Mæcenate discincto scriptoribus traduntur. Seneca epist. XLIII. *Alte cinctum putes dixisse: habebat enim ingenium, & grande, & virile, nisi illud ipse discinxisset.* Quod etiam in Cæsare fefellit, qui etsi fluxiore cinctura, grandi tamen & virili ingenio fuit, quod Sullam non latuit, qui male cinctum cavendum monuit. Mæcenatis Epicedium, quo solutas tunicas excusat, a Turnebo allatum, quia mirifice totam rem illustrat, afferemus:

Quod discinctus eras animo quoque carpitur unum;
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo,
Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit.
Invide quid tandem tunicæ nocuere solutæ;
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

Tunicarum igitur solutarum, & discinctarum laxi ac ventosi sinus, & ideo mollium atque effæminatorum. Plutarchus in *Apophthegm.* tradit Xerxem Babyloniis iratum quod defecissent, quum illos recepisset, ne arma ferrent, imperasse: sed canerent, lenocinia, ac cauponas exercerent, καὶ φορεῖν κολπωτὺς χιτῶνας, *& sinuosas tunicas gestarent*, quales erant mulierum.

Quamquam & aliquos in ipso cinctu elegantiam affectasse innuit Ovidius in III. *de Arte:*

Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo.
Nec brevis in rugas cingula pressa suas.

Qui scilicet tunicæ rugas morose collectas & dispositas cingula constringerent. Cujus vocis usus nescio an alibi reperiatur præter eundem Ovidium in primo *de Remedio*, sed in re diversa:

Ut nova velocem cingula lædat equum.

Ceterum cum tunica cincta esset in sinum pecuniam reconditam docet Plutarchus in *Coriolano*, cum ait, *Candidatos sine tunicis in forum descendere solitos, ne pecunias emendis suffragiis in sinu gestarent.* Tum etiam quod nullas tum braccas, aut peras gestarent, quibus nummos crederent, ut necesse esset, vel in sinu, vel in zonis circumferre. Ovidius *Amorum* lib. I.

Quid puerum Veneris pretio prostare jubetis,
Quo pretium condat non habet ille sinum?

Seneca in *Epistolis*: *Sinum laxa, merum lucrum est.* Horat. lib. II. Sat. III.

Ferre sinu laxo donare & ludere vidi.

Ubi recte notavit Turnebus, *sinum laxum illius dici solitum, qui sinum non adstringeret, & ideo quæ in eo gerit effluere, & excidere sinit, quales discincti, & nepotes.*

CAP. VIII.

Tunicæ Manuleatæ. Colobiæ.

SICUT longæ tunicæ, ac talares, ita & manuleatæ infames olim fuere. Gellius lib. VII. cap. XII. *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & usque in primores manus, ac prope digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Hac antiquitate inductus P. Africanus P. Sulpitio Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus.* Quod ergo hæ tunicæ talares, & manuleatæ fœminarum propriæ essent, in iisdem etiam pueros meritorios consuevisse, ex eodem Gellii loco colligit recte Lipsius lib. IV. *Antiquarum.* Verba enim Scipionis in Sulpitium sunt: *Qui in conviviis cum amatore cum chiridota tunica accubuerit, eum ne quisquam dubitet quin fecerit, quod cinædi solent?* Plaut. *Pœnulo* ubi sup.

Quis est hic cum tunicis longis quasi puer cauponius?

Seneca in *Epistolis*: *Mirum est aliquid fortiter dici ab homine mollitiem professo; ita enim plerique judicant. Apud me vero Epicurus est & fortis, licet manuleatus sit.* Addit Gellius: *Virgilius quoque tunicas hujuscemodi quasi fœmineas, ac probrosas criminatur.*

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Ubi Servius: *Tunicæ vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat dicens manicatis, ac talaribus tunicis. Nam colobiis utebantur antiqui.* Locus Ciceronis est Orat. II. *in Catilinam*: *Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Curtius etiam libr. III. mollitiem luxumque Persarum describens ait, *Illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas*, quæ in militaribus viris turpiores.

Dio etiam lib. LXXVIII. narrat Caracallam imparem militaribus laboribus, cum nec æstum, nec arma ferre posset, induere solitum τὺς χειριδωτὺς χιτῶνας *tunicas manicatas* ad loricæ formam confe-

ctas. Idem lib. LXXII. de Commodo: *Solebat antequam veniret in Theatrum amictus eſſe tunica χειριδωτῷ, manuleata, ſerica alba, auro interſtincta, ingreſſurus autem Theatrum induebatur purpurea auro inſperſa, chlamydeque ſimili more Græco.* Suet. cap. LII. cum Caligulæ habitum perſtringit ut parum civilem ac virilem inter reliqua ait, *manuleatus, & armillatus in publicum proceſſit.*

Colobia tunicas ſine manicis dictas Veteribus docti adnotarunt, quaſi truncas, ac mutilas. Gloſſæ: Κολοβὸς ὁ κωνδός. Curtax. Κολοβὸς ὁ μέρος τοῦ σώματος ἀφειρημένος. Mutilus, truncus. Κολόβιον *Colobium, ſubicula.* lege *ſubucula.* Iſidorus: *Colobium dictum quia longum eſt, & ſine manicis; Antiqui enim hoc magis utebantur.* Quod de longo ponit præter rem eſt, nam manuleatæ, non truncæ longæ fuerunt. Idem: *Levitonarium eſt Colobium ſine manicis, quali monachi Ægyptii utuntur.* Ægyptiorum Colobia deſcribit Caſſianus lib. I. cap. V. *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus.* Et cap. XI. *Nam neque caligis nos, neque Colobiis, ſeu unica tunica eſſe contentos hiemis permittit aſperitas.*

Veterum ergo Romanorum tunicæ colobia fuere, manicis ſcilicet carentes, quod non ita intelligendum eſt, ut totis brachiis renudatis incederent, ſed quod manicæ ad cubitum tantum pertinerent, & non cum brachiis magnam quoque manus partem cooperirent. Quas tunicas eleganter Tertullianus *de Pallio, nec manibus arctas* appellat, *nec brachiis parcas.* Male enim eum locum docti ſollicitant.

Quæ cum ita ſint, merito quis Plutarchum miretur, quod tradat Catonem Cenſorium (ſi Interpreti credimus,) poſtquam in foro amicis operam dediſſet, domum reverſum hyeme tunica ſine manicis, æſtate nudum cum ſervis labore certaſſe.

Quaſi non & reliqui in talibus tunicis ſolerent Sed nimirum Interpres hoc de ſuo commentus eſt. Nam in Græco eſt, ἐξωμίδα λαβών. Erat quidem, ut diximus, Exomis tunica ſine manicis, ſed a communi tunica diſtinguebatur, quod hæc dimidiatas manicas cubito tenus habebat: ut in veteribus ſtatuis tunicatis videre eſt. Exomis prorſus manicis carebat, ut etiam humeros renudaret, quales antiquiſſimorum Romanorum tunicas deſcribit Gellius. Hoc itaque ad Catonis tolerantiam ſpectabat, quod pro tunica exomide utebatur, prorſus ad exemplum ſervorum ſuorum, nam Exomides ſerviles veſtes fuiſſe diximus; Cato eadem cum ſervis veſte utebatur in opere ruſtico, & quod ſequitur, ἐσθίει τὸν αὐτὸν ἄρτον ὁμοῦ καθήμενος, καὶ πίνει τὸν αὐτὸν οἶνον.

Quamquam Exomidem ex altera parte manuleatam fuiſſe teſtetur Pollux. Ἐξωμὶς, καὶ περίβλεμα ἦν, καὶ χιτὼν ἑτερομάσχαλος. Gravius ejuſdem Interpretis peccatum eſt in *Othonis vita.* Scribit Plutarchus ibi Cæcinam partium Vitellianarum ducem gravem habitu cultuque Italicis Urbibus fuiſſe quod γαλατικῶς ἀναξυρίσι, καὶ χειρίσιν ἐνεσκευασμένος ſigna duceſque Romanos alloqueretur. *Gallicis,* inquit Interpres, *ſubligaculis, theciſque ornatus.* Quæ malum iſtæ thecæ? Etiam qui vix a limine Græcas litteras ſalutarit braccis, & manicis ornatum interpretabitur. Sed qui locus hic manicis? Manicæ olim, ut dictum, tunicarum longarum & muliebrium fuere, quarum nullus in viro & milite locus. Nec credibile ducem impudicorum habitu prætervectum. Cum Urbes, & municipia non mollitiem ejus, ſed ſuperbiam notarent. Tacitus lib. II. *Hiſt.* eadem narrans. *Ornatum,* inquit, *ipſius municipia, & coloniæ in ſuperbiam trahebant, quod verſicolore ſagulo bracchas barbarum tegmen indutus togatos alloqueretur.* Nec dubitandum eſt eas manicas in ſagulo fuiſſe, quæ quoniam ut brachæ inuſitatæ Romanis erant, & hoſtilis cultus, id ſuperbo, & contemtori animo adſcribebant. Sed de ſago infra.

CAP. IX.

Dalmaticæ. Non unus Baronii error notatus.

COLOBIUM, ſive communis tunica, etiam penes Chriſtianos fuit, & quidem in ſacris, ut & reliquæ veſtes communes, geſtata ad uſque Silveſtri Pontificis tempora, cujus inſtituto in locum colobiorum *Dalmaticæ* venerunt, id eſt, tunicæ manuleatæ, quas ita appellatas, quod in Dalmatia primo confectæ ſint, & illinc Romam allatæ, notum eſt. *Chiridota Dalmatarum* appellat Capitolinus in *Pertinace,* cum tradit in auctione rerum Commodi repertas fuiſſe *Lacernas, & Chiridotas Dalmatarum.* Alcuinus *de divinis officiis: Dalmatica ob hoc dicitur. quod in Dalmatia ſit reperta. Uſus autem Dalmaticarum a B. Silveſtro Papa inſtitutus eſt, nam antea Colobiis utebantur; Colobium vero eſt veſtis ſine manicis. Cum ergo nuditas brachiorum culparetur a B. Silveſtro Dalmaticarum repertus eſt uſus.* Deſcribit deinde Alcuinus Dalmaticam, aitque fuiſſe veſtimentum ad inſtar Crucis, habuiſſe in ſiniſtra parte fimbrias, fuiſſe inconſutilem, ac large manuleatam: additque cauſas myſticas, quas hic attingere non eſt opus: ſicut & illud, habuiſſe lineas coccineas, vel ut alii purpureos tramites, vel clavos pariter purpureos, ut tunicæ ſenatorum, primo a Sacerdotibus geſtatas, dein Diaconis conceſſas, poſt ſolos Epiſcopos Dalmaticarum jus habuiſſe, quæ alias cum Deo exequemur. Et licet Dalmaticæ a Colobiis diſtinguerentur, tamen pro eadem re aliquando ſumptas notavit Salmaſius ex Niceta *Theſauri Orthodoxi* lib. I. cap. III. *Dalmaticæ, quæ nunc Colobia dicuntur, purpuraque prætexuntur.*

Ut ad rem noſtram veniamus, Dalmaticæ, id eſt, tunicæ manuleatæ pro colobiis in uſum venerunt, & tamen olim infames, ut diximus, fuere. Quare Principes Dalmaticatos in publico conſpectos pro magno dedecore ſcriptores poſuere. Lampridius in *Commodo: Dalmaticatus in publicum proceſſit, atque ita ſignum quadrigis emittendis dedit.* Idem in *Heliogabalo: Dalmaticatus in publico poſt cœnam ſæpe viſus eſt Gurgitem Fabium, & Scipionem ſe appellans, quod cum ea veſte eſſet, cum qua Fabius & Cornelius a parentibus ad corrigendos mores adoleſcentes eſſent producti.* Atque ita ut Caſaubonus ad hunc locum recte notat, veſtis illa, quæ olim fuerat mollium & delicatorum, poſtea graviſſimorum ſanctiſſimorumque Epiſcoporum fuit geſtamen. Nam quod Cerda inde Dalmaticam Regium veſtimentum fuiſſe dicit, & illi Socienus KercKoetius non fuiſſe notatos, quod Dalmaticati eſſent exiſtimat, ſed quod in ſolis Dalmaticis, ne refutandi quidem ſunt.

Nec ob aliam cauſam Dalmaticæ probroſæ, quam quia manuleatæ: quas tamen mulierum virorumque effœminatorum fuiſſe oſtendimus: & ideo chiridotas Dalmatarum vocat Capitolinus. Καρπωτοὶ etiam dicebantur, ut aliis notatum, quod κάρπον manus obvelabant, quæ vox adhuc Venetiis perſeverat, ubi muliebres tunicæ *Carpette* vocantur.

Manuleatas Baſſiani tunicas cum Helagabalo faceret deſcribit Herodianus lib. V. προῄει τε σχήματι Βαρβάρῳ, χιτῶνας χρυσοϋφεῖ, καὶ ἁλουργεῖς χειριδωτοὺς

A καὶ ποδήρους ἀνεζωσμένος. Ubi recte Politianus *tunicas manuleatas, & ad pedes usque demissas* interpretatur, eumque cultum tanquam mulierculis quam viris congruentiorem Mœsa avia Antonino exprobravit. Idem paulo infra tales chiridotas talares ab iis gestatas narrat, qui in ejusdem Dei sacrificio exta victimarum lancibus aureis gestabant.

Quod ad Dalmaticas sacrorum attinet, nollem Baronium virum præstantissimum in iis explicandis toties lapsum esse, notumque fecisse, quam negligenter in re vestiaria versatus esset; Qui ut excusandus sit, quod in vetere prophano cultu indagando operam ponere non curaverit, ita sacræ B historiæ conditor sacrorum vestem, & paratum sine culpa ignorare non potuit. Piget referre, quam falsa, & tanto viro indigna de Dalmatica prodiderit in *Martyrologio* ad diem Pridie Kal. Junii.

Primo ait *Reges Dalmatica aliquando usos*. Sed præter Commodum, & Heliogabalum, qui ea abusi sunt, nullus sanus, aut honestus Princeps eam gestasse legitur, & ideo illi a scriptoribus notati. Frustra itaque nostris Diaconis decus ex eo acquirit Baronius, quod in Regiis vestimentis incedant, cum non modo Regiæ, ut diximus, non fuerint, sed & probro habitæ. Dein *meminisse* C ait *Capitolinum Dalmaticarum, quibus utebatur Pertinax*. Falso. Nam meminit Dalmaticarum, quæ Commodi fuerant, cujus rerum auctio sub Pertinace. Non enim severi, & antiqui moris Princeps se ea veste dehonestasset, quam in duobus lasciviæ, atque impudentiæ monstris populus Romanus damnaverat.

Sed quod vix ferendum est, cum Dalmaticam fuisse tunicam manicatam ex Dione in *Commodo* agnoscat, subjicit, qualis fuerit Dalmatica describi ab Ammiano libr. XIV. cap. IX. *Post hæc indumentum regale quærebatur, & ministris fucandæ purpuræ tortis, confessisque pectoralem tunicularn* D *sine manicis textam Maras quidam nomine inductus est, ut appellant Christiani Diaconus*. Atqui tunica hæc trunca & sine manicis, Dalmatica manuleata: Subdit eam persimilem chlamydi figura fuisse tradere Marcellinum. Nihil minus: nam tantum purpura infectam scribit; tantum enim a chlamyde distabat Dalmatica, quantum a pallio tunica.

Sed levem conjecturam leviori argumento sustentat, quod illa dicitur tunicula, & tunicæ Diaconorum Italis *tuniculæ* dicuntur, sive *tuni-* E *cellæ*. Nam sicut illa non fuit Dalmatica, quippe quæ carebat manicis, ita vestes Diaconorum neque ipsæ proprie Dalmaticæ sunt, sed potius colobia, qualesque Veterum tunicæ, quare manicæ ad manus non pertinebant & ideo tuniculæ appellantur: nec sunt istæ talares, ut omnes tunc Dalmaticæ. Quidquid sit, si istæ Dalmaticæ sunt, illa Ammiani nequaquam fuit.

Non contentus *Annalium* scriptor Dalmaticam eandem cum Colobio, & chlamyde fecisse, cum toga quoque & quidem triumphali confundit. Quem Bulengerus sarcinator, non scriptor secutus est. Quid cogitabat cum hæc scriberet vir F summus? Ait, palmatam Consularem apud Ausonium in *gratiarum actione* litteris inscribi solitam, talem plane esse Dalmaticam Diaconorum, quod Ammianus tuniculam appellat, qua & Imperator indui posset; Colligit deinde, & ministrorum cultum Regiis indumentis invidiose contendit. *Ex his perpende*, inquit, *quanto Augustius atque Magnificentius legali veteri cultu novi testamenti ministerium apparetur, cum antiquis Levitis, nec linea uti stola concessum esset*. Sed quid palmata toga cum Dalmatica, quid Ausonio cum Ammiano? Quid Regibus cum Diaconis? Palmatam fuisse togam apud Ausonium & nemo ignorat, & ipse testatur. Ea non litteris inscribi solita, sed variis figuris intexi. Verba Gratiani fuerant cum trabeam mitteret: *Palmatam tibi misi; in qua Divus Constantius parens noster intextus est*. Quæ verba Ausonius ipsa trabea pluris æstimat. *Hæc plane, inquit, hæc est Picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis*. Non quod ipsa verba inscripta essent, ut credidit Baronius. Sequitur enim: *Constantius in argumento vestis intexitur. Gratianus in muneris honore sentitur*. Porro Ammianus tuniculam appellat *Regale indumentum*, non a forma, sed quod esset tota purpurea, qui tunc color solis Principibus reservatus. Sed jam me satias istorum capit. Potius igitur Diaconi posthac augustissimo sacrorum ministerio, quam Regio indumento jactare se poterunt.

CAP. X.

De Tunicæ colore. Non fuisse purpuream. Manutii opinio rejecta.

TOGAS communes albas fuisse, supra ostendimus, talis & tunicarum color. Nam, ut cetera omittantur, illud satis firmum argumentum est, quod attulit Lipsius ex Cicerone, qui Verri objicit, quod in officina sedere solitus sit cum pallio, & tunica pulla. Firmum, inquam, argumentum, nam cetera quæ affert, parum juvant; Ex Vopisco in *Aureliano*: *Sciendum tamen congiaria illum ter dedisse, donasse etiam populo Romano tunicas albas manicatas ex diversis provinciis*. Nam contra si omnes tunc albæ tunicæ fuerunt, satis fuisset dicere, donasse eum tunicas, & hinc videtur posse colligi, non fuisse tunc vulgares tunicas albi coloris. Quod verum est, nam tempore Aureliani peregrini vestitus donabantur populo, ut Caracallæ, Dalmaticæ, Birri Atrebatici, atque ita & tunicæ manicatæ albæ, cum vulgares sine manicis essent. Alterum quod ex Juvenale adducit Lipsius infirmum est:

Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.

Loquitur ibi poeta de vita rustica, quæ in pagis & oppidis agebatur, ubi ait togas non fuisse in usu, atque ita Ædiles satis habuisse, si in tunicis albis conspicerentur, quod indicare videtur reliquis albas tunicas non fuisse, si id tantum Ædilium gestamen fuit. Falsum tamen est, nam omnes in tunicis albis; Idem ibi:

Æquales habitus illic, similemque videbis
Orchestram.

Sed Ædilium tunicæ, vel candidæ fuere, ut de toga petitorum diximus, vel quod verius, recens lotæ.

Obstat modo auctoritas Manutii, qui tunicas totas fuisse purpureas contendit, inductus verbis Ciceronis in *Sextiana*, qui Pisonem Consulem perstringens ejus habitum denotat: *Vestitus*, inquit, *aspere nostra hac purpura plebeja, ac pene fusca*. Dubitat ibi Manutius, utrum de toga loquatur Cicero, an de tunica, eoque flectit, ut existimet de tunica sermonem habere. Quoniam ait *purpura nostra*, id enim ad prætextam referri non posse, quia tunc Cicero in magistratu non erat, & propterea minime prætextatus, cum prætera prætexta non esset tota purpurea. Itaque ad tunicam laticlaviam referendum, quam hinc totam purpuream esse credit, quaque Cicero ut senator indutus erat.

Hæc ratio quam nullius momenti sit, inde apparet, quod si tunica tota purpurea fuit, cur clavi ex purpura inditi, ut ab reliquis ordinibus senatum distinguerent? Quomodo extra reliquam purpuram ea signa eminebant? Non de alia igitur purpura Cicero capiendus est, quam quæ prætextæ in extrema ora, tunicæque Senatorum, & equitum, ad pectus per clavos latiores, & angustiores indebatur. Plebejam Cicero, ac pene fuscam appellat, quod ea ipse cum vulgo senatorum & equitum utebatur, cujus libra, ut supra notavimus, centum denariis venibat, cum Tyria non nisi a potentioribus ac delicatioribus emeretur, & quidem vix mille denariis. Plutarchus tradit, Catonem purpura fusca usum, cum videret saturo rubore ardentem esse tunc in pretio. Etsi igitur non esset Cicero prætextatus, purpuram tamen in clavis tunicæ Senatoriæ gestabat, sed communem & minime pretiosam, quam ideo plebejam vocat, ac pene fuscam. Atque ita purpuram simpliciter appellavit, quæ in prætexta, & lato clavo Pisonis erat. Similiter Juvenalis purpuram pro prætexta dixit, Sat. XI.

Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit.

Id est, prætexta. Alterum Manutii argumentum de purpura Quinctii Tribuni plebis satis supra expendimus, cum de prætexta ageremus.

CAP. XI.

Tunica palmata. Russa. Galbina.

At tunicam triumphantium totam, ut & togam, purpuream fuisse palmis, vel acu pictis, vel intextis distinctam, & elaboratam ostendimus, cum de toga picta verba fecimus. *Ubi palmatam tunicam* ex Festo docuimus dictam, *quod clavis latioribus ad instar palmæ manus distingueretur, sive ab intextis palmis victoriæ insignibus.* Ita ut auro intexeretur, & pingeretur, ut toga triumphalis. Dio lib. IX. Caligulæ triumphali pompa per pontem Bajanum vecto dat *χιτῶνα χρυσόπαστον*.

Quod ad communes tunicas attinet processu temporis in locum tunicarum albarum Russæ sive Russatæ venere, maxime apud milites. Trebellius in *Claudio: Tunicas Russas militares annuas.* Isidorus *Russatas* vocat: *Russata, quam Græci Phœniceam vocant, nos coccinam, reperta est a Lacedæmoniis ad cælandum coloris similitudine sanguinem, quoties quis in acie vulneraretur, ne contemplatione adversario animus augesceret.* Subjicit, ea usos milites sub Coss. unde & Russatos dictos; Sed fallitur solens, nam nec milites sub Coss. Russati, & is color in Circi factionibus.

Has autem tunicas Russas non fuisse purpureas, omnino doctis viris assentiendum est, quod soli Imperatores tunicas, & paludamenta purpurea gestarent. Itaque verba Vopisci in *Aureliano: Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, cum ante non nisi rectas purpureas accepissent.* Rectas purpureas tunicas simpliciter rubras, vel russas, aut rufas cum iisdem intelligimus. Fuere & *Galbinæ tunicæ* a viridi sive aureo colore dictæ, de quibus Turnebus lib. XVII. cap. VIII. Qui tamen libro sequenti cap. XIX. tunicas russas non recte interpretatur eas esse quæ Græcis *φοινικίδες*, adducitque locum Plutarchi in *Bruto: Jussit corpus operiri τῇ πολυτελεστάτῃ τῶν ἑαυτοῦ φοινικίδων*, ibi enim de paludamento loquitur Plutarchus, de quo infra.

Puniceas etiam tunicas lictoribus tribuit in triumpho Appianus in *Punicis: Ipsum Imperatorem præcedunt lictores φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες.* Ubi

A perperam Interpres vertit *Paludati*, quasi tunica paludamentum fuerit. Paulo post idem in reliqua pompa fuisse tradit Pantominum, qui *ποδήρη πορφύραν* indutus esset, hoc est, talarem tunicam purpuream, ut effœminatum saltatorem decebat.

CAP. XII.

De Tunicæ ornamentis. Latus clavus. Doctissimorum virorum sententia explosa. Quintilianus explicatus.

B PRÆCIPUA tunicæ ornamenta clavi purpurei fuere, sed Equestris tantum, & Senatoriæ, illius angustiores, hujus latiores, unde ad discrimen ordinum lati clavi, & angusti dicti. Ita Romanorum tunicæ vulgo & laneæ fuerunt, & albæ, sed Senatorum, & Equitum per clavos purpureos majores, ac minores a reliquis distinctæ. Quid essent hi clavi, & quomodo gestarentur, non esset operæ referre, nisi viderem viros præstantissimos dubitasse, alios etiam minorum gentium penitus ignorasse. Magnus enim Scaliger *ad Varronem* non fuisse clavos partem tunicæ existi-
C mat, sed de collo suspensos, & ad libitum sublatos, ut amuleta, & numismata, quæ in pectus demittuntur. Jurisconsultorum Princeps Scaligerum sequutus est, latumque clavum & angustum nihil aliud fuisse docet, quam purpuræ clavum vesti non consutum, sed supra eam in pectus demissum, Senatorum latiorem, Equitum arctiorem. Uterque tamen a Manutio discere potuisset, clavos fuisse purpuræ fragmenta, quæ tunicis insuerentur, ut inde etiam detrahi, & resui possent, non autem intexerentur, aut de collo penderent. Quomodo enim ignorare potuerunt Ulpiani verba
D *de auro & argento legato? Vestimentorum sunt omnia lanea vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, incubandive causa parata sunt, & quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ, picturæ, clavique, qui vestibus insuuntur.* Quintilianus autem lib. VIII. cap. V. clavos vestibus insutos docet. *Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita certe neminem decet intertexta pluribus notis vestis.*

Haud inscius sum, tantos viros Horatii verbis in hanc sententiam concessisse, lib. I. Sat. VI.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
E *Pellibus, & latum demisit pectore clavum.*

Sed supra ex Quintiliano ostendimus, Senatores, quibus lati clavi jus erat, tunicam laticlaviam cingere non consuevisse; *Cui lati clavi jus non erit ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paululum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis submissior.* Ex quibus apparet, tunicam laticlaviam, quæ ipsa *latus clavus* dicebatur non cingi solitam. Atque ita clavi purpurei cum Zona non constringerentur cadebant in pectus, sive ut Horatius loquitur, pecto-
F re demittebantur. Recte Acron: *Purpuram dicit, quæ in pectore extenditur senatorum.* Secus in Equitibus, qui cum tunicam cingerent, angusti clavi non descendebant in pectus, sed in sinu, quem Zona succincta efficiebat, supra ipsam Zonam conspiciebantur. Qui vero ex Equitibus in senatum allegebantur, solvebant tunicas & latiores clavos demittebant, atque in pectus fluere sinebant. Ex his etiam facile intelligimus, quid sibi velit idem Horatius cum ait libr. II. Sat VII.

——— *clavum mutabat in horas.*

Nam *clavus* ibi est tunica laticlavia, quam Priscus ille inæqualis, & inconstans sæpissime mutabat. Quemadmodum & clavus pro eadem sumitur apud eundem Horatium:

—— *sumere depositum clavum.*

Acron *Colobiona vocat, id est, ipsam tunicam.* Ita & Suetonius loco toties adducto latum clavum pro tunica usurpavit: *Usum ferunt lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur:* ist est, tunica laticlavia manicata, quam contra morem Cæsar cingebat.

Lati ergo clavi purpurei tunicis Senatorum assuebantur: unde *latum clavum tribuere & adimere*, pro Senatorem facere, & Senatu movere scriptores usurpant. Ut mirum sit, cur Lambinus, qui quid essent clavi non ignoravit, *id insigne majorum magistratuum fuisse* scribat, *ut Ædilium, Prætorum, Consulum*, nam & minorum, & omnium senatorum fuit, etiam si nondum in magistratu essent.

Nec aliud hi clavi fuere, quam purpuræ segmenta, sive frusta purpurea, ut sunt capita clavorum rotunda, unde & nomen traxere, eaque in pectore ipsius tunicæ assuebantur. Fuisse autem plures clavos, patet ex Varrone lib. VIII. *de L. L.* qui clavos *plagulas* appellat, quod iis tunica, ut rete plagis distingueretur: Et Quintiliano ante laudato: *Ut purpuræ rectæ descendant levis cura est: notatur interim negligentia.* Ex quibus verbis viri doctissimi etiam quadratos fuisse clavos credi volunt, nam si rotundi essent, inquiunt, quoquomodo descenderent recti essent, Non ita recte; Nam clavi sive rotundi, sive quadrati cum recte tunicæ insuerentur, recti semper erant, nec poterant aliter; Verum inter se non recte cadere poterant, quoties tunica cingebatur: nam ea cincta cum pars superior attraheretur ne longius descenderet, sinusque in quo clavi erant subduceretur, quos purpuras appellat Quintilianus, nisi æqualiter sinus subductus fuisset, purpurei clavi non recti descendissent: quare subjicit Rhetor, ita subducendum sinum, ut purpuræ rectæ cadant; loquitur autem ibi de angusto clavo, qui ab Equitibus cingebatur, cum latus in Senatoribus sine cinctura descenderet.

Ad pectus tunicæ clavos assutos diximus; Non defuere tamen nuperi qui ad Ciceronis *Cœlianam* notarunt, clavos tota tunica dispersos fuisse, aut saltem tunicæ marginem prætexuisse, & ideo imperite Limbos dixere. Utuntur Ovidii testimonio in *Tristibus:*

Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Et Statii *Silvarum:*

Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Quare & humeris clavos inditos. Sed, ut dicebamus, latus clavus pro ipsa tunica accipiebatur, in qua clavi purpurei: &, *induitur humeris cum lato purpura clavo*, idem est atque, induitur tunica lato clavo purpureo distincta: qui clavi purpurei, quoniam in pectore erant, *Tyrios sinus* vocat Statius, non quod in humeris purpura esset, sed quod tunica laticlavia, ut & communes tunicæ, humeris dependeret. Sicut autem latus clavus sumebatur pro ipsa tunica, ita contra ἁπλῶς tunica pro lato clavo. Plinius: *Annuli distinxerunt alterum ordinem* (Equestrem) *a plebe, sicut tunica ab annulis* (Equitibus) *Senatum tantum.* Hinc etiam Senatoria vestis latus clavus dicebatur. Spartianus *Caracalla: Sub veste Senatoria loricam habens cum armatis militibus Curiam ingressus est.* Hoc idem narrans in *vita Getæ* ait: *Ipse autem tantum timuit, ut loricam sub lato habens clavo etiam Curiam sit ingressus.* Non aliud ergo Senatoria vestis fuit quam latus clavus, sive laticlavium. Dio lib. LXXIV. appellat ornatum Senatorium sive simpliciter ornatum. *Nos inquit* (Senatores) *ἐν κόσμῳ aderamus.* Appianus & reliqui Græci στολὴν βουλευτικήν. Suet. *Claudio* cap. XXIV. *Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum Senatorem nisi civis Romani abnepotem, etiam Libertini filio attribuit.* Idem *Tib.* cap. XXXV. *Senatori latum clavum ademit.*

Latum clavum *stlatariam purpuram* poetice appellat Juvenalis Sat. VII.

Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.

Ubi Stlatariam Interpretes pro lato clavo accipiunt, quod Veteres Festo, & Quintiliano auctoribus *stlatum* pro lato, *stlitem* pro lite dicerent. Quod si verum, nulli tunc Causidici in pretio, nisi qui & Senatores, quibusque lati clavi jus. Nisi malimus de lacernis Causidicorum interpretari:

—— *purpura vendit*
Causidicum, vendunt Amethystina.

Nam lacernas in causis agendis adhibitas, testatur idem Satyra XVI.

———— *jam facundo ponente lacernas*
Cæditio.

Immo & pænulas apud auctorem Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ. Improbum autem illum colorem etiam in lacernis a ditioribus usurpatum nemo nescit. Nisi rectius sit dicere, magnam etiam Equitum partem per ea tempora latum clavum usurpasse. Turnebus lib. XIX. cap. ult. quod *Stlata* in veteri lexico navis Piratica dicitur, dubitat num stlataria purpura sit piratica, & latrocinans, cujus splendore decepti fallantur, & spolientur venditores divitem censentes, qui eam gestat, sive potius clientes Causidicum inde doctum, & magni nominis existimantes. Vetus Interpres stlatariam illecebrosam explicat: reliqua adeo corrupta sunt ut frustra sit huc afferre. Nescio quid tamen de navi ponit, ex Ennio:

Et melior navis, quam quæ stlataria portat.

Papias: *Stlata genus navigii a latitudine dictum: inde stlataria purpura dicitur, id est, marina: vel navis piratica*, quæ Turnebi conjecturam juvant. Idem Juvenalis latum clavum vocat purpuram majorem Sat. I.

—— *quid confert purpura major*
Optandum?

Ubi Vetus Interp. *laticlaviam* explicat.

CAP. XIII.

Laticlavii etiam Senatorum filii. Dionis Interpres notatus.

INTER reliqua ostenta, quibus Augusto Imperium prænunciatum est, id quoque recenset Tranquillus: *Sumenti togam virilem, tunicam laticlavii resutam ex utraque parte ad pedes decidisse: fuisse qui interpretarentur, non aliud significare, quam ut is ordo, cujus insigne id esset, quandoque ei subjiceretur:* nempe senatorius, cui tunica laticlavia. Atqui id Dio, si Interpreti credimus, de toga accepit, quem jure reprehendit Torrentius, quod χιτὼν togam verterit, in quo etiam Leunclavius lapsus est. Narrat enim Dio lib. XLIV. Octavium cum ex ephebis excessisset, *ἐσθῆτα τὴν ἀνδρικὴν togam virilem induisse*; Mox subdit *ὁ χιτὼν περιερράγη τε ἑκατέρωθεν ἀπὸ τῶν ἐπωμίδων.* Id per se non modo ullum indicium boni ominis attulisse, sed etiam præsentibus fuisse molestum,

ὅτι ἐν τῇ πρώτῃ τῆς ἀνδρικῆς χιτῶνος ἐνδύσει συνεβεβήκει. *Quod in assumptione prima tunicæ virilis accidisset*. Sed si culpandus Interpres, quod pro tunica togam verterit, non expers culpæ videri posset Dio, qui togam virilem tunicam appellavit. Quod ne credamus, credere debemus generica voce χιτῶνα pro toga usurpasse. Non enim ut inter togam puerilem, sive prætextam, & virilem sive puram, ita inter tunicam virorum, ac puerorum aliquod fuisse discrimen videtur. Rectius tamen erit, si dicamus tunicam virilem fuisse Laticlaviam, quæ simul cum virili toga sumebatur. Nullus enim quod ego sciam togam χιτῶνα appellavit.

Sed illud difficultate non caret, quod ait Tranquillus, *tunicam lati clavi ad pedes decidisse*. Cur enim Augustus Tirocinii die latum clavum sumpsit, si nondum senator? Scio eum postquam rerum potitus est, ut tradit idem auctor, liberis senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, ac latum clavum induere, & Curiæ interesse permisisse, quod ante ipsum Augustum in usu non fuisse demonstrat. Cur ergo ipsi latus clavus virili togæ inducitur? An hoc illi Jul. Cæsar peculiariter indulsit, ut suspicatur Casaubonus? Sed Dio id non omisisset, cum subjicit, ob hoc ostentum Cæsarem in magnam de Octavio spem adductum esse, ideo & ad patricios reduxisse, & ad gerendum magistratum erudiisse. Nam quod Casaubonus existimat, etiam ante Augustum licentia temporum id in more fuisse, idque ex Suetonii verbis colligi de Cæsare, usum lato clavo ad manus fimbriato; nequaquam ea verba indicant, Cæsarem a puero laticlavium, sed tantum quod præter morem, cum esset vir, super latum clavum cingeretur. Forte Suetonius tunicam lati clavi appellavit tunicam superiorem, cui nempe legitimo tempore latus clavus assueretur, quæ fortasse ideo virilis tunica Dioni dicitur, quod nempe paulo diversa a communi simul cum toga sumeretur. Cui hæc conjectura non placet, illam Casauboni per me sequatur licet. Quidam tamen nolebant cum toga virili latum clavum sumere. Suet. in *Vespas.* cap. II. *Sumpta toga virili latum clavum, quidquid fratre adepto diu aversatus est, nec ut tandem appeteret compelli nisi a matre potuit*.

CAP. XIV.

Angustus clavus. Angusticlavii.

Ut latiores clavi purpurei in tunicis Senatorum assuebantur, ita minores sive arctiores Equitum tunicas illuminabant, unde ipsi Angusticlavii dicti, quod ex Bucanano notavit Turnebus lib. I. cap. II. ad quod illud Paterculi de Mœcenate adducit: *Quippe vixit angusto clavo pene contentus, nec majora consequi non potuit, sed non tam optavit*. Ex quo etiam Statium corrigit lib. VI. *Silvarum*:

Hic parvus inter pignora Curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ.

Id est, angusto clavo. Cum in vulgatis legeretur *raro lumine*. Lampridius in *Alex. Severo*: *Tum satis esse constituit, ut equites Romani a senatoribus clavi qualitate discernerentur*. Equestrem purpuram eleganter Statius *pauperem clavum* appellat in V. *Silv.* ad Crispinum:

—— non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, & priscæ Lucis egentem
Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus
Turmali, Trabeaque Remi, & paupere clavo
Augustam sedem & Latii penetrale Senatus
Advena pulsasti.

Prout idem Turnebus lib. XII. c. VI. in veteribus extare docuit. Pro quo inepti reposuerant *trabeque & remis*. Ait enim Crispinum non obscuro loco ortum, nec ex equestri dignitate Romanum Senatum intrasse. *Sanguine turmali*, quia equitum turmæ erant: *Trabea Remi*, quod Romulus, & Remus trabeati: unde *Quirinus trabeatus* Ovidio dicitur. Tandem *paupere clavo*, id est, angusto.

Eandem postea correctionem posuit Lipsius *ad Tacitum* lib. III. *Ann.* oblitus eam se apud Turnebum legisse. nam si meminisset, qua erat ingenuitate, auctorem laudasset.

Hinc laticlavii & angusticlavii fluxere. Suet. *Augustum* tradit *singulis alis binos plerumque laticlavios præposuisse*. Alibi patrem suum *Tribunum angusticlavium* vocat, nec semel has voces usurpat. Quinam hi essent, docti dubitarunt. Sed facile fuerit dicere laticlavios Tribunos fuisse Senatorum filios, quibus ab instituto Augusti tam domi, quam militiæ jus lati clavi fuit: Angusticlavios autem equitum liberos. Clare id idem Tranquillus: *Liberis Senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, & latum clavum induere, & Curiæ interesse permisit, militiamque auspicantibus non Tribunatum modo legionum, sed & Præfecturas Alarum dedit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios præposuit singulis alis*. Hi laticlavii sunt, quos supra Senatorum filios militiam auspicantes dixerat. Quare non ita recte idem Turnebus, cum Suetonius scribit, *Neronem vapulasse a quodam laticlavio*, non de Tribuno, sed de Senatore intelligendum existimat, quod eum Dio Senatorem appellat. In qua etiam sententia Torrentius est, quod Tacitus ait Sen atorii ordinis fuisse, sed qui nondum honorem ullum cepisset. Nam Tribunus laticlavius etiam Senator, cui nempe tanquam filio Senatoris jus Curiæ, & insigne lati clavi erat.

Ceterum Equites insigniores, qui & *Illustres* dicti, jus lati clavi, non secus ac Senatores, habuisse, ex Dione notavit Lipsius *ad Tacitum*. Qui Dio lib. LIX. scribit, Cajum, cum ordo Equestris ad paucos redigeretur, primores ex omni imperio etiam extra Italiam, qui genere, & opibus excellerent, in eum allegisse, & quibusdam eorum etiam ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ *Senatoria veste*, priusquam magistratum ullum cœpissent uti concessisse in spem dignitatis. Nam antea non nisi iis, qui Senatoria stirpe essent, id permissum.

Id tamen non diu obtinuisse illud declarat, quod Præfecti Prætorio, qui ferme ex equitibus legebantur, laticlavii jus non habuere. Quare id tamquam singulare in Plantiano notavit Herodianus, quod ἠμφίεσο τὴν πλατύσημον ἐσθῆτα, *latum clavum gestaret*. Hinc Commodus apud Lampridium, cum Paterno Præfecturam Prætorii adimere vellet, laticlavium creavit: *Paternum autem hujus cædis auctorem per lati clavi honorem a Præfecturæ administratione submovit.* Capitolinus in *Pertinace: Doluit palam Marcus, quod cum Senator esset, Præfectus Prætorio fieri a se non posset*. Clarissime Lampridius in *Alexandro*: *Præfectis Prætorio suis Senatoriam addidit dignitatem, ut viri Clarissimi, & essent, & dicerentur, quod antea vel raro fuerat, eo usque ut si quis Imperatorum successorem Prætorii dare vellet, laticlavium eidem per libertum submitteret, ut in multorum vita Marius Maximus dixit*. Cur autem id fecerit Alexander, rationem affert: *ne quis scilicet non Senator de Senatore judicaret*. Videtur tamen usque ad extrema Im-

perii tempora Præfectura Prætorii purpuræ inſigni caruiſſe. Nam Eunapius in Proæreſio Prætorio. *Ad Præfecti*, inquit, *Prætorii munus evectus eſt*. ἡ δὲ ἀρχὴ Βασιλεία ἐςὶν ἀπόρφυρος. *Imperatoria dignitas ſine purpura*, niſi de purpura Imperatoria intelligamus.

Non ſolum autem Equites Illuſtres, ſed & eorum filios jus lati clavi habuiſſe, doctis viris aſſentimur, qui id Ovidii teſtimonio confirmant: lib. IV. *Triſt*. el. X.

Interea tacito paſſu labentibus annis
Liberior fratri ſumpta mihique toga eſt,
Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Qui ubi ad ætatem Senatoriam pervenerant, ſi nolebant, aut non poterant, in ampliſſimum ordinem adſcribi, anguſtum clavum reſumebant. Idem poeta:

Curia reſtabat, clavi menſura coacta eſt.
Majus erat noſtris viribus illud onus.

Veſtis equeſtris mentio habetur apud Dionem lib. LXXIV. de Severo Urbem ingrediente: *Severus in urbem venit, cumque ſediſſet in equo uſque ad portas urbis*, καὶ ἐν ἐσθῆτι ἱππικῇ *ingreſſus, in veſte equeſtris*, hoc eſt, militari, ſive Imperatorio paludamento, ne quis in anguſto clavo ingreſſum crederet. Sequitur enim, ipſum ab ipſa porta veſtem urbanam induiſſe, id eſt, togam, τὴν πολιτικὴν ἀλλαξάμενος. Hoc eſt, ad verbum: *uſque ad portas equo vectus ac paludatus, inde ſumpta toga pedibus inceſſit.*

Cap. XV.

Tunicæ Aſemæ. Clavi mappis & linteis aſſuti. Alia tunicæ ornamenta.

Tunicæ a clavis laticlaviæ & anguſticlaviæ dictæ. At quæ clavis carebant, *Aſemæ* appellatæ, quod σημεῖον clavus veſtis, σημειωταὶ, clavatæ veſtes dicerentur, ut Caſaubono recte viſum eſt. Qui illud Strabonis lib. II. de Balearibus. *Hi primi hominum feruntur geſtaſſe* χιτῶνας πλατυσήμους: *tunicas lati clavi* explicat, non ut Xylander *late prætextas*. Lampridius in *Alexandro*, *Chlamydes hirtas, Severi & tunicas aſemas*. Vocat tunicas aſemas, non quidem quod omnino clavis carerent, ſed quod exigua admodum purpuræ ſigna haberent. Spartianus in *Severo*: *Hic tamen exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet: & cum hirta chlamyde humeros velaret*. Nam licet lati clavi Senatorum eſſent, alii tamen latiore, alii anguſtiore utebantur. Suet. de Aug. *Uſus eſt togis neque reſtrictis, neque fuſis: clavo nec lato, nec anguſto*. Latos autem clavos, ſive tunicas laticlavias a Senatoribus depoſitas in luctu, & ab equitibus anguſticlavias, ita tamen, ut ſine clavo equites, ſenatores in clavo equeſtri apparerent, diximus cum de veſtis mutatione egimus.

Nec veſtibus modo clavi purpurei latiores inditi, ſed & ſupellectili lectorum, ac menſarum, ut *ad Lamprid*. notavit Caſaubonus. Hinc *laticlavia mappa* Petronio, *& lato variata mappa clavo* Martiali: *pura, & clavata lintea* Lampridio: *lintea item toralia duos clavos latiſſimos habentia* Ammiano.

Præter clavos fuiſſe & alia in potentiorum tunicis ornamenta docet Suetonius, cum Cæſarem tradit *uſum lato clavo ad manus fimbriato*. nam fimbriæ illæ non aliud, quam ornamenta tunicæ manuleatæ fuere. Juvenalis etiam de Graccho retiarium in arena agente ait:

A *Credamus tunicæ de faucibus aurea cum ſe*
Porrigat & longo jactetur ſpira galero.

Quo loco male Interpretes Senatoriam tunicam clavis aureis diſtinctam intelligi volunt. Nam in tunica ſenatoria nulli aurei clavi fuere, ſed tantum in triumphali. Et clavi in pectore, non in faucibus. Interpres vetus corruptiſſimus eſt. Ait enim, *Tunicam de faucibus quidam veſtem gladiatoriam dicunt, quam fibulam pugnaturis mordet a faucibus*. Quæ puto legenda: *quam fibula mordetæ faucibus pugnaturi*. Mox in extremo ait: *Qui munera edebant*, B *habebant ut extremas partes tunicæ ad guttur ornarent, quo famam haberent*. Sed tunc Gracchus non edebat munus, ſed pugnabat in munere. Illud ergo potius, nobiliores & potentiores in tunicis ad guttur aurea ſegmenta geſtaſſe; & ideo ait Poeta Gracchum in arena pugnantem eſſe nobiliſſimum credamus tunicæ ad fauces ornatæ. Nam quod de galero addit, ſic vetus Interpres explicat: *pilo quem habent Retiarii*, ubi deleta nota legendum eſt *pileo*. nam Retiarii ſine galea, & ſolo pileo tecti pugnarunt. Ceterum tunicæ palmatæ, quam totam purpuream fuiſſe diximus, & pictam, clavi aurei indebantur. Halicarn. lib. III. C χιτῶνα τι πορφυρῶν χρυσόσημον. *Tunicam purpuream auro clavatam*. Tunicam etiam auro intextam luxu perdito principes uſurparunt. Dio de Commodo lib. LXXII. *Solebat antequam veniret in Theatrum induere tunicam* χειριδωτὸν, σηρικὸν, λευκὸν, διάχρυσον, *manicatam, ſericam, albam, auro interſtinctam. Ingreſſus vero Theatrum induebatur purpuream* χρυσῷ καταπαστον *auro inſperſam*. Lampridius de Heliogabalo: *Uſus eſt aurea omni tunica, uſus & purpura, uſus eſt de gemmis Perſica*. De eodem Herodianus lib. V. *Veſtitum uſurpans pretioſiſſimum*, διότε πορφύρας χρυσοῦ ὑφάσμασι, *purpura intextum atque auro*.

D

Cap. XVI.

De Tunica Chriſti Domini inconſutili. Doctiſſimi viri opinio rejecta.

Exactis quæ ad Veterum tunicas pertinebant, Chriſti Domini tunicam ſuper omnes exuvias ac peplos ſuperque omnes apices ac tutulos auguſtam veſtem intactam prætermiſiſſe nefas eſſet, cum quænam illa & qualis fuerit, adhuc quæri videam, & viri præſtantes artifices illi manus nuper admoverint, atque ex inconſutili conE ſutam concinnaverint. *Johannis* XIX. hæc habentur: *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam*: Ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι᾽ ὅλου. *Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinvicem, non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit.*

Vir doctiſſimus *ad Vopiſcum*, tam veteres, quam recentiores omnes in illa inconſutili tunica explicanda tota regione aberraviſſe pronunciare audet, & quomodo vox ἄῤῥαφος capienda eſſet ignoraviſF ſe. Putaſſe enim omnes, peculiare artificium, & texturæ ſpeciem non vulgarem in tunica Domini notari a D. Joanne. Ita omnes hactenus deſudaſſe quærendo, & inveſtigando, quanam ratione tale contexi veſtimentum potuerit, quod ſuturam non haberet, quoniam per artem hujuſmodi veſtis in tela fieri non potuerit. Ipſe novam & mirabilem explicationem affert, mordicuſque retinet: Ex tunicis alias apertas ſive σχιστὰς: alias ἀῤῥάφους fuiſſe, quæ ex toto tectæ, ac concluſæ nulla parte ſutiles ſciſſileſque eſſent, ut

ſunt camiſiæ & interulæ noſtræ laneæ, vel lineæ. Tunicas apertas ex utraque parte in humeris fibulis ſtringi conſueviſſe: quas fibulas ῥαφὰς & ῥαφίδας dicerent, id eſt, ſuturas. Ita ſutum pro fibulatum, & reſutum pro refibulatum, a Latinis dici. Nam Suetonius in *Auguſto*: *Sumenti virilem togam tunica lati clavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidit*. Quoniam igitur tunica Domini non eſſet de eo tunicarum genere, quæ ῥαφὰς, id eſt, fibulas haberent, aut ſuturas, Græce ἄῤῥαφον dici, Latine *inconſutilem*. Tales autem tunicas laneas noſtras, ſive lineas, quæ licet conſutæ ſarcinatricis acu dicantur, nihil tamen prohibere, quin inconſutiles ſint: nam acum ſarcinatricis idem facere, quod pecten textoris, quod nempe & acu texere Veteres dixerunt. Ita hanc tunicam Domini fuiſſe ex eo veſtium genere, quæ ut apud nos ex variis pannis ſectis conſuuntur, cum tunicæ reliquæ, & colobia non fuerentur, ſed tantum duæ plagulæ in humero ac latere fibulis committerentur. Hinc tunicam Domini a militibus non fuiſſe diviſam, quia ſi diviſiſſent perdidiſſent, cum nulli uſui futura fuiſſet, pallium contra quod fibulis commiſſum erat, licet ſic diviſum, alicui uſui eſſe poſſet.

Hæc quam breviſſime, ſed candide, & cum ſi de retulimus, ut nova hæc opinio curatius expenderetur, cui aſſenſionem præbere multa ſunt quæ vetant. Primo illud omnibus durum merito videbitur, vocatam fuiſſe inconſutilem, quia eſſet conſuta, & ita omnia veſtimenta conſuta dicenda inconſutilia. Demus enim fibulas ῥαφὰς dictas eſſe, & ſuturas, quanquam improprie, quod ſuturæ loco eſſent, quid ſequetur? Tunicas apertas etiam conſutas fuiſſe, quia habebant fibulas; contra tunicas clauſas non fuiſſe conſutas, quia carebant fibulis, id eſt, ſuturis, licet acu eſſent conſutæ. Et ſi, inquam, fibulæ ſuturæ dictæ ſint, non video, cur tunica Auguſti refibulata potius fuerit, quam reſuta; nec ſcio quis fibularum in tunicis virilibus & colobiis Romanorum mentionem fecerit. Paucas admodum ſtatuas togatas, in queis una fibula tunicam jungit, videre eſt, in reliquis nullæ fibulæ apparent. Sed omnes tunicas ſuperiores σχιςὰς & apertas fuiſſe concedamus, fibuliſque nexas, quod non ita facile fuerit oſtendere. At ſaltem ſubuculas ſive interulas tam apud Græcos, quam apud Romanos conſutas acu fuiſſe credendum eſt, nulliſque fibulis conſtrictas, quod corpori preſſæ & ad frigus arcendum, velandumque corpus eſſent clauſæ. Atque ita omnes interulas, & ſubuculas inconſutiles fuiſſe neceſſe eſt; Et ideo quid opus erat talem Chriſti tunicam deſcribere, cum tunicæ ſive interulæ communes tales eſſent? Atqui Joannes tanquam rem peculiarem in ea tunica notavit, quod eſſet inconſutilis, ſive inconſuta: & ideo modum quo texta erat poſuit, non utique facturus, ſi tales omnium interulæ fuiſſent, quemadmodum pallii texturam non addidit. Fuiſſe autem ἄῤῥαφον aperte tradit, & quod ſequitur, *deſuper contextam per totum*, id eſt, non acu, aut ſutura junctam.

Præterea veriſimile eſt, ne dicam certum, etiam veſtimenta aperta, præcipue Græcorum pallium, licet in humero fibula necterentur, ſaltem aliqua in parte conſuta fuiſſe, qualia noſtra pallia conficiuntur. Et ita Chriſti Domini pallium, ſive illud commune Græcorum, & Judæorum fuerit, ſive Tribonium, in quo nullus fibulæ uſus eſſe potuit, ſi debuit in quatuor partes dividi, non potuit non eſſe conſutum, alioqui ſciſſum fuiſſet, ac laceratum: quod ne in tunica eveniret, eam dividere noluerunt. Niſi quis dicat, pallium Domini quatuor plagulis conſtitiſſe multiplici fibularum ſerie connexis, quod mihi nunquam perſuaſerit. Conſutum ergo pallium illud fuit, & tantum in anteriori parte apertum, ut vel in humeris fibula necteretur, vel a dextro brachio in ſiniſtrum humerum rejiceretur.

Quidquid ſit, ratio illa nihili eſt, tunicam conſutam non fuiſſe diviſam, quod cum eſſet acu conſuta nulli uſui futura erat ſi reſueretur. Id enim falſum. Nam quemadmodum diviſo pallio in quatuor partes, certe partes illæ pallii vicem præſtare non potuerunt, alterius minoris tamen veſtimenti; nam aut palliolum ex iis confici potuit, aut tunicula, aut manicæ, thoraxve. Eodem modo, ſi tunica illa conſuta fuiſſet diviſa, ac reſuta, tunicæ quidem uſum præſtare non potuit, ex partibus tamen ſic diviſis quid vetuit thoracem confici, manicas, orarium? Quod manifeſtum eſt in camiſiis noſtris, & interulis lineis, nam ſi quis reſuat, & ſcindat, non tamen penitus peribunt, ſed & linteola, & ſudaria, & pedules, & alia minora nihilominus conficientur. Secus in tunica inconſutili, ſive inconſuta: quæ ſi diviſa, ideo tota peritura erat, quod nullas ſuturas haberet, ſed per totum contexta eſſet.

Nam de duabus Chriſti Domini tunicis iiſdem aſſentiri non poſſum, qui ſuſpicantur diviſum pallium in duas plagulas, tunicam ſuperariam in alias duas: ſic factas quatuor partes veſtimentorum. Qui enim credam, Chriſtum duas tunicas geſtaſſe, qui earum uſu Apoſtolis interdixit? Præterea aliquod diſcrimen inter utramque tunicam Evangeliſtæ poſuiſſent, qui unius tantum mentionem fecerunt. Merito ergo poſtea hæc opinio auctori ſuo diſplicuit,

Hæc omnia cogunt nos cum vulgo credere, tunicam illam inconſutilem vere fuiſſe conſutam, id eſt, ſarcinatoris acu minime, nullaque in parte conſutam, ſed adinſtar ſubucularum, & tibialium, quæ apud nos ſerica, vel lanea tota ſimul texuntur non quidem pectine, & in tela, ſed per acus longiores reticulatim conficiuntur. Quod artificium ſi tunc incognitum, ſaltem ſine acu ſolis manibus ſurſum verſus contextam, qualia nunc reticula, & muliebres calanticæ fiunt, & ideo dici ἄνωθεν *deſuper*, id eſt, ſurſum verſus contextam, & per totum, id eſt, in orbem, & totam ſimul, ſine ulla ſciſſura, quæ acu committenda eſſet. Ita non fuiſſe a militibus diviſam; quia hujus generis veſtimenta ſi dividantur, ut ſunt tibialia, ſubuculæ, ac reticula, nulli alii omnino uſui eſſe poſſunt. tota enim pereunt, cum ſubuculæ lineæ, ut dicebamus, conſutæ, qualem volunt fuiſſe tunicam illam, ſi ſcindantur, aut reſuantur, nihilominus alium uſum præſtare poſſint. Obturbant tamen D. D. Chryſoſtomi verba Homil. LXXXIV. *in Joannem*: Τινὲς αὐτὸ τὸ εἶδος τοῦ χιτονίσκου φασὶ τὸν Εὐαγγελιςὴν ἱςορεῖν. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν Παλαιςίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες οὕτως ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια. δηλῶν ὁ Ἰωάννης ὅτι τοιοῦτος τῆς ὁ χιτωνίσκος φασὶν ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντός. Quæ ſic verti debebant, *Alii genus quoddam tunicæ ab Euangeliſta notari dicunt. Siquidem in Palæſtina duos pannos committentes ita veſtes contexunt: quod ſignificans Joannes ait deſuper contexta*. Quæ verba ait Magnus Caſaubonus in *Exercitationibus* neſcire ſe, an alii intelligant; ſe quidem vix ſatis aſſequi. Neque ipſe quid ſibi ea velint capere poſſum. Qui enim illa duorum pannorum commiſſura per texturam confici potuit? Theophylactus, ut notat idem ibi, more ſuo Chryſoſtomi verba deſcribens quædam de ſuo adjecit: Ἐν Παλαιςίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες, ἤτοι δύο πανία, ὑφαίνουσι ἱμάτια, ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι

τῷ συνφασμῷ. *In Palæſtina duos pannos committentes texunt veſtimenta, pro ſutura utentes contextura.* Quam texendi rationem ideo fortaſſe non aſſequimur, quia intercidit: vel eam nobis explicent, qui nihil ignorant.

Illud ſequitur, cur Joannes dixerit, ἐν τῷ ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *deſuper contexta per totum.* Ideo factum dicunt, quod in ſuperioribus tunicæ partibus eæ ῥαφαὶ, vel fibulæ locum magis haberent. Quæram ego de reliquis partibus, quas non conſutas, ſed apertas a lateribus, vel in pectore fuiſſe volunt, num fibulis ſtrictæ fuerint? Quod ſi verum eſt, cur tantum in ſuperiori parte hoc factum indicavit Joannes, cum in reliquis ita etiam ſe haberent, ut tam in humeris, quam hinc inde a lateribus fibulatæ eſſent? Deſuper ergo contextam rectius explicarunt, quod ſurſum verſum texerentur; quales fuere *veſtes rectæ, quas patres*, ut ait Feſtus, *liberis ſuis conficiendas curabant ominis cauſa, ſic dictas, quod in altitudinem ſurſum verſus, & a ſtantibus texerentur.* Quem morem apud Palæſtinos viguiſſe ex Theophylacto docti viri oſtenderunt. Euthymius tradit, hanc tunicam fuiſſe a ſuperioribus partibus contextam, *veluti ſunt*, inquit, *apud nos capitis aut pedum hiemalia integumenta:* nempe reticulatim facta. Perperam enim Caſaubonus de veſtimentis e lana coacta confectis, ea enim proprie non texebantur.

Miror autem ab iiſdem viris doctiſſimis proditum, *putaſſe omnes veteres ac recentiores, peculiare artificium, & texturæ ſpeciem non vulgarem in Domini tunica notari a D. Joanne.* Nam non modo id non exiſtimavit Baronius, ſed etiam eos erroris accuſavit, qui id putarunt. Non enim credibile eſſe, ejus generis veſtibus Dominum uſum eſſe, qui Joannis ſanctitatem commendans dixerat: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Sed præſtat Iſidorum Peluſiotam audire lib. I. epiſt. LXXIV. Τίς δὲ ἀγνοεῖ τὴν εὐτέλειαν τῆς ἐσθῆτος ἐκείνης, ἧπερ οἱ πτοχοὶ κέχρηνται τῶν γαλιλαίων, καθ' οὓς καὶ μάλιστα τὸ τοιοῦτο φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον, ὡς αἱ στηθοδεσμίδες ἀνάχρυσον ὑφαινόμενον. *Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat, ut qua Galilæorum pauperes utantur? Apud eos enim maxime hujuſmodi veſtis genus fieri ſolet, ut pectoralia, ſurſum verſus contextum.* Quod perſuadet facilem factu fuiſſe, & ſine ullo pectine, aut textoris opera manibus ad inſtar reticulorum confectam. Ut mirum etiam ſit, Bulengerum exiſtimaſſe pretioſam fuiſſe, & quidem ex eo, quod illam dividere milites noluerint. D. Chryſoſt. loco adducto: *Quod mihi dicere videtur*, inquit, *ut veſtimentorum vilitatem oſtenderet. nam quemadmodum in aliis omnibus, ita in habitu vilem ſpeciem præferebat.*

CAP. XVII.

De Tunica Muliebri. Stola. Inſtitæ. Segmenta. Plinius explicatus.

TOGAM antiquiſſimis temporibus commune virorum, & feminarum geſtamen fuiſſe, ſupra oſtendimus. Mox toga penes viros remanſit ſolaſque feminas, quæ ſe viris vulgarent: de quibus multa docti, præcipue Manutius. Ita penes matronas feminaſque honeſtas, atque ingenuas tunica, quam & *ſtolam* dixerunt, & *pallium* ſive *palla* remanſit. Utramque uno verſu complexus eſt Horatius lib. I. Sat. II.

Ad talos ſtola demiſſa & circumdata palla.

Stola igitur matronarum tunica proprie dicta, licet apud Græcos, & barbaros pro communi ve-

A ſte, & maxime virili accipiatur. Cicero *Philippica* II. *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim ſtolam reddidiſti.* Eodem plane ſenſu ille apud Petronium: *Quid ille alter, qui die togæ virilis ſtolam tanquam togam ſumpſit?* Ita enim locus ille legendus eſt. Sic Caligula Liviam *Ulyſſem ſtolatum* appellabat. Seneca *de beata vita* cap. XIII. de Epicuro: *Hoc tale eſt, quale vir fortis ſtola indutus.* Valer. Maximus lib. II. cap. I. *Sed quo matronale decus verecundiæ munimento tutius eſſet, in jus vocant: matronam corpus ejus attingere non permiſerunt, ut inviolata manus alienæ tactu ſtola relinqueretur.* Et lib. V. cap. II. de matre &

B uxore Coriolani: *In quarum honorem Senatus matronarum ordinem benigniſſimis decretis adornavit. Sanxit namque, uti feminis ſemita viri cederent, confeſſus plus ſalutis Reip. in ſtola, quam in armis fuiſſe.* Quæ ſequuntur corrupta ſunt: *Vetuſtiſque aurium inſignibus novum vittæ diſcrimen adjecit.* Lipſius ad Taciti lib. III. *Annal.* legit *crinium inſignibus:* quod non probat Colerus, qui mavult *inaurium.* Sed quid vitta, quæ erat faſciola, cum inauribus? Quis matronas inauribus a ceteris diſtinctas, ſicut ſtola, & vitta diſtinguebantur, notavit? Non diſplicet ergo Lipſii conjectura,

C modo veteribus libris nitatur; ſcilicet cum matronæ a Libertinis crinium ſertis diſcernerentur, quas ſolæ habere poterant, novum diſcrimen a Senatu adjectum, ſcilicet vittæ, ſive faſciolæ, quibus & ſtola ſemper, præcipue a poetis, matronæ denotantur. Sertis autem crinibus, id eſt, crinium ſertis nubentes ornari ſolitas ex Feſto notum. Quo ornatu non tantum a virginibus diſtinctæ, ut vult Lipſius, ſed a libertinis ac meretricibus, quibus nullus vittæ ſtolæque jus fuit.

De ſtola etiam Vitruvius lib. I. cap. I. loquens de Caryatidibus: *Itaque oppido capto viris inter-*

D *fectis, matronas eorum in ſervitutem abduxerunt. Nec ſunt paſſi ſtolas, neque ornatus matronales deponere.* Martialis etiam ſtolam ſimpliciter poſuit pro matrona lib. X. ep. V.

Quiſquis ſtolæve purpuræve contemptor.

Stolam autem ad talos, ut loquitur Flaccus, demiſſam, & inſtita ad oram ornatam docuit Turnebus lib. XXIX. & ex eo plures. Ubi duo inſignia in cultu matronarum notat, vittas, queis crines ligabantur, & talarem tunicam adſuta inſtita cultam. Secus in Libertinis, quæque viris morigerabantur. Tibul. eleg. VI.

—— quamvis non vitta ligatos

E *Impediat crines, nec ſtola longa pedes.*

Ovidius lib. I. *de A. A.*

Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Et *de Triſtib.* II.

Ecquid ab hac omnes rigidas ſubmovimus arte,
Quas ſtola contingi, vittaque ſumpta vetat?

De inſtita Horatius lib. I. Sat. II.

Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte.

Ubi Acron: *Quia matronæ ſtola utuntur demiſſa*

F *uſque ad imos pedes, cujus imam partem ambit inſtita ſubſuta.* Quod inſtita ſubſueretur. Fallitur Acron, veſtis enim inſtitæ ſubſuebatur, quæ imam ſtolæ oram prætexebat. Rectius Porphyrio: *Matronas ſignificat. Hæ enim ſtola utuntur ad imos pedes demiſſa, cujus imam partem ambit inſtita aſſuta.*

Ovidius in III. *de Arte:*

Quid de veſte loquar? non tam ſegmenta requiro,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Alibi, nempe lib. II. *Institam* simpliciter ponit pro veste matronali:

En iterum testor, nihil hic nisi lege remissum.
Luditur in nostris instita nulla jocis.

Quibus addendus Juvenalis de Graccho nupturiente, Sat. II.

Segmenta, & longos habitus, & flamea sumit.

Ubi Vetus Interpres: *Segmenta; Profusas vestes. Et longos. Fimbriarum.* (Lege, *fimbriatas*) *sive vittatas vestes, quibus matronæ novæ nuptæ cooperiuntur.* Et ad Satyr. VI. *Segmenta dicit vittam pendentem de vestibus intextam auro.*

Recte autem Ovidius segmenta cum veste purpurea conjunxit. Fuisse enim fascias, sive virgas purpureas, & aureas, quæ vesti ad ornamentum insuerentur, notum est, idque solis matronis concessum. Valerius Maximus lib. II. *Ceterum ut non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt.* Idem: *Permisit utique ejus purpurea veste, & aureis uti segmentis.* Hinc vestis segmentata Isidoro lib. XIX. *Zonis quibusdam, & quasi præcisamentis ornata.* Servius ad illud *colloque monile: Ornamentum gutturis, quod & segmentum dicunt*, ut Juvenalis, *segmenta & longos habitus. Licet segmentatas vestes dicamus*, ut Ipse: *Et segmentatis dormiscet parvula cunis.* Stola inquam tota purpurea fuit, ne quem decipiat Lambinus, qui ad illud Horatii, *mirator cunni Cupiennius albi: Albati*, inquit, *quia matronæ albatæ, id est, stola amictæ in publicum prodibant.* Quod ante Lambinum Turnebo placuisse video, ex cujus *Adversariis* ille plurima converrit. *Ex albo*, inquit lib. XI. cap. VI. *Horatius ingenuam intelligit. Ingenuæ autem mulieres albatæ erant, Libertinæ atratæ, nobiliores purpuratæ.* Quod scilicet Artemidorus dicat, *si in somnis Chlamys alba appareat, qui eam viderit, ducturus sit ingenuam, si atra libertinam, si purpurea nobilem.* Nam ut concedamus ingenuas in veste alba, Libertinas in atra incessisse, quod falsum est, quis enim hunc colorem Libertinis adscripsit? verum in veste ingenuarum, quæ libertatem adeptæ erant? Nobiliores ait Artemidorus purpuram indutas: at istæ erant matronæ, non ergo albatæ. Horatium vero sectatores matronarum perstringere apparet. Sed fortasse Porphyrionem uterque secutus est, qui ait: *Alibi* (lege *albi*) *autem non pro candido videtur mihi dixisse, cum utique possint & vulgares mulieres, etiam meretrices candidæ esse, sed ad vestem albam, qua matronæ maxime utuntur relatum est.* Verum matronas numquam nisi in luctu veste alba usas ostendimus: & si stola alba fuisset, quæ tamen erat purpurea, an sequitur etiam albam eam partem fuisse, qua mulieres sunt, quæque stola velatur? Igitur matronalis locus *albus* dicitur Horatio, quod mundior, puriorque esset, quam publicarum libidinum receptacula, quæ fuit Britannici opinio: aut quod verius existimo, *albus*, id est, vetulus ac canescens, quod scilicet ille matronarum sectator, veluti sepulchrorum incola vetularum noctibus testamenta matronarum captaret.

Quare eximius matronarum Romanarum cultus fuit: quibus purpurea vestis aureis segmentis ornata. Et usque ad Imperatores eo habitu insignes fuisse constat. Cæsarem modum purpuræ usurpandæ statuisse, nonnisi certis personis, & per certos dies ejus usu permisso: eum deinde a Nerone omnino sublatum, post ab Aureliano concessum, ad Vopiscum Clariss. Salmasius adnotavit.

A Ingenuarum ergo, & honestarum matronarum propria stola fuit, tunica scilicet manicata, sive manuleata ad plantas fluens, purpura, segmentis sive limbis aureis ornata, eademque multis rugis, ac plicis constricta. Martialis lib. III. ep. XCIII.

Cum tibi trecenti Consules, Vetustina,
Et tres capilli, quatuorve sint dentes,
Rugosiorem cum geras stola frontem.

Tunica, inquam, fuit, ut Isidorum falli necesse sit, qui *stolam esse* scribit *matronale operimentum, quod cooperto capite, & scapula, a dextro latere in* B *lævum humerum mittitur.* Nam id proprium fuit pallæ, sive pallii muliebris. Quare subjicit: *Eadem & Recinium Latino nomine appellatum, eo quod dimidia ejus pars retro rejiciatur.* Recinium autem de pallio dictum, sive pallium fuisse, notum est. Ita autem demissa ad pedes stola totum corpus operiebat, ut nihil, quemadmodum ait Horatius, præter faciem appareret. Quare mirum est Bayfium credidisse tunicarum muliebrium alas non fuisse consutas, sed more Spartanarum ad femora apertas, & φαινομηρίδες. Cum tamen id aperte neget Plutarchus in Lycurgo, cum ait at- C tentiorem curam circa Virgines a Numa adhibitam quam a Lycurgo, cujus institutione cum virgines nudis femoribus incederent, locum sermonibus præbuisse poetis, qui eas φαινομηρίδες a nudis femoribus appellarunt, quod virginalis tunicæ alæ consutæ non erant ab inferiori parte, sed aperiebantur, simulque nudabant totum femur in incessu. Quem locum ipse Bayfius adducit. Nititur autem eo argumento tales fuisse tunicas Romanarum mulierum, quod Ovidius lib. I. *de A. A.* ait:

Pallia si nimium terræ demissa jacebunt
Collige, & immunda sedulus effer humo.
D *Protinus, officii pretium patiente puella,*
Contingent oculis crura videnda tuis.

Neque enim elato pallio potuisse crura apparere, si integra tunica fuisset, alis utrimque consutis. Sed hoc innuit nequitiæ magister, amantem, dum lapsam pallii oram tollit, posse etiam permittente puella nonnihil stolæ subducere, atque crurum aspectu beari.

Similis locus est *Amorum* III.

Sed nimium demissa jacent tua pallia terræ;
Collige, vel digitis en ego tollo meis.
E *Invida vestis eras, quæ tum bona crura tegebas,*
Quoque magis spectes, invida vestis eras.

Loquitur enim de puellis sedentibus in spectaculis, cumque in sedendo tunica contraheretur, ut aliquid crurum appareret, si nimis pallium sive palla dimitteretur aspectum crurum invidebat. qui igitur pallium tollebat, eadem opera crurum aspectu fruebatur.

Frustra autem *Philippicarum* nuperus Interpres Stolam Senatorii tantum ordinis putavit, adductus verbis Plinii, quæ nec ipse, nec alius quod sciam assecutus est, lib. XXXIII. cap. III. de au- F ro. *Habeant fœminæ in armis, digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ per latera, & inserta margaritarum pondera e collo dominarum pendeant: etiamne pedibus induitur, atque inter stolam plebemque hunc medium fœminarum equestrem ordinem facit?* Conqueritur Plinius ibi, aurum pedibus etiam, & cruribus addi. Petronius: *Jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus Parium marmor exstinxerat.* Seneca: *Crura distincto religavit auro.*

Eas aureas compedes non a matronis, ſed a libertinis geſtatas, illud argumento eſt, quod matronæ fluente ſtola velatæ, non crura modo, ſed & pedes veſte contectos habebant, & omnia, ut ait Horatius, præter faciem veſte tegebant: ita nullus auri ad oſtentationem parati uſus in parte, quæ latebat. At Libertinæ, quibusque Venus non impermiſſa, cum altius tunicas ſuccingerent, ut ex Ovidio & aliis ſcriptoribus liquet, crura, pedesque aureis circulis cultos oſtentabant; quæ periſcelides a plebe mulierum ob earum pretium non geſtabantur: atque ita quemadmodum in viris aurum in annulis diſtinguebat a Curia, & a plebejo ordine equites, atque medium ordinem faciebat; ita in mulieribus aurum periſcelio, compedeque geſtatum diſtinguebat libertinas a ſtola, id eſt, matronis honeſtis, & a plebe inope, ſicque veluti medium quendam equeſtrem fœminarum ordinem faciebat. Non alius ejus loci Pliniani ſenſus eſſe videtur: quem alium enim potiorem Plinio interpretem dabimus ipſo Plinio? Is cap. v. ait: *Argentum ſuccedit ex re aliquando & auro, luxu fœminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Ubi innuit argenteas compedes a plebe geſtatas, cum jam aureæ faſtidiri cœpiſſent. Fruſtra docti calceorum ornatum explicant, quem aureum in fœminis equeſtris ordinis fuiſſe falſo ex Plinio colligunt. Quaſi equeſtris ordinis matronæ non & ipſæ ſtolatæ. Vel ſi alius ſenſus eſt, haud illum nobis invideant, quos nihil effugit. Apud Macrobium mentio eſt libertinarum, quæ longa veſte uterentur, cap. VI. *Sat.* I. *Lectiſternium que ex collata ſtipe faciendum ita, ut libertinæ quoque, quæ longa veſte uterentur in eam rem pecuniam ſubminiſtrarent.* Quod de Libertinis intelligendum exiſtimo, quæ patronis nupſiſſent, & ideo tanquam juſtæ matres familias factæ longa veſte, id eſt, ſtola matronali uterentur. Ceterum ut virilis tunica, ita & ſtola cingebatur. Id veteres ſtatuæ oſtendunt, & Scriptores teſtantur. Ovid. *Amorum* libro I. Eleg. V.

Ecce Corinna venit tunica velata recincta,
Candida dividua colla tegente coma.

Recincta eſt diſcincta, ſive ſoluta. Idem lib. III. Eleg. I.

Per me decepto didicit cuſtode Corinna
Liminis obſtricti ſollicitare forem.
Delabique toro tunica velata ſoluta.

Quamquam in aliis extet *recincta*. Erat autem tunc Corinna in interiore tunica, quæ ut primo cum de lecto ſurgerent induebatur, nec cingebatur. Idem in lib. I. *de Arte* de Ariadna:

Utque erat e ſomno tunica velata recincta,
Nuda pedem, croceas irreligata comas.

At ſuperior tunica ſive ſtola zona cingebatur. Idem *Amorum* lib. I. el. VII. ubi a ſe pulſatam amicam conqueritur:

Nonne ſatis fuerat timidæ inclamaſſe puellæ,
Nec nimium rigidas inſonuiſſe minas?
Aut tunicam ſumma deducere turpiter ora
Ut mediam mediæ zona tuliſſet opem.

Sed locus corruptus eſt, quem viri doctiſſimi ita corrigunt:

Aut tunicam ſumma deducere turpiter ora
Ad mediam, mediæ zona tuliſſet opem.

Satis fuiſſe diſcindere tunicam ab ſumma ora, ſive ab extremitate ſuperiori uſque ad mediam, ubi zona cingebatur, quæ zona impediiſſet, quominus tunica uſque ad imam oram laceraretur. Zonæ etiam muliebris meminit Martialis in *Apophoretis* ep. CLI.

Longa ſatis nunc ſum; dulci ſed pondere venter
Si tumeat, fiam tum tibi Zona brevis.

Porro tunicas muliebres non talares modo, ſed etiam manicatas ſive manuleatas fuiſſe, ſatis notum: unde tales tunicas in viris probroſas diximus. Eas manicas interdum luxus muliebris non conſutas, ſed fibulis nexas cogitavit, quod tradit Ælianus *Variæ hiſt.* lib. I. cap XVII. *Tunicarum vero inquit eam partem, quæ eſt ab humeris uſque ad manus non conſuebant, ſed continuis fibulis aureis atque argenteis conſtrinxere.* Talis tunicæ icona dedit Rubenius in *Elect.*



CAP. XVIII.

Pallium muliebre. Palla. Citharœdicus ornatus. Palla Gallica.

TUNICÆ, ſive ſtolæ mulieres honeſtæ injiciebant pallium, quod *palla* dicebatur. Virg. *Æneid.* I.

—— *Pallam ſignis auroque rigentem.*

Servius: *Significat autem tunicæ pallium, quod ſecundum Varronem palla dicta eſt ab irrugatione, & mobilitate, quæ circa finem hujuſmodi veſtium,* ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Illæ autem rugæ efficiebantur, quod cum pars ejus in humerum ſiniſtrum rejiceretur, & ſiniſtro brachio pars altera ſubduceretur, in rugas contrahebatur. *Rigentem autem duram propter aurum, ſicut & novas veſtes videmus.* Idem ad illud *Æn.* XI.

—— *Pro longæ tegmine pallæ:*

Palla, inquit, *proprie est vestis muliebris deducta usque ad vestigia*. Isidorus *quadrum pallium* interpretatur: quod de suo adjecit, quemadmodum quod *affixis in ordinem gemmis distincta esset*. Id enim Servius non habet, a quo ille ad verbum accepit. Recte autem illud, *dictam pallam* ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *quod rugis vibrantibus sinuata crispetur*. Ita Nonius: *Palla est honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium*. Horatius matronarum habitum describens Sat. II. lib. I.

Ad talos stola demissa, & circundata palla.

Et Ovid. lib. III. *Amorum*, El. XIII.

Virginei crines auro gemmaque premuntur,
Et tegit auratos palla superba pedes.

Idem pallium simpliciter appellat, *de Arte* libro I.

Pallia, si terræ nimium demissa jacebunt,
Collige, & immunda sedulus effer humo.

Et lib. III. *Amorum*, El. II.

Sed nimium demissa jacent tua pallia terræ,
Collige, vel digitis en ego tollo meis.

Tam palla igitur, quam stola, ita mulierum peculiares fuere, matrisque familiæ causa comparatæ, ut iis viri non facile uti possent sine vituperatione, ut loquitur Ulpianus lib. XXXII. D. *de auro arg. leg.* Ubi *pallæ*, non *pallia* legendum esse, etsi ita extet in Pandectis Florentinis, idque tueatur Faber *Semest.* lib. I. cap. XV. ex eo apparet, quod pallia inter communia viris & fœminis vestimenta a Jurisconsulto infra recensentur, cum pallæ muliebria tantum fuerint: *Communia sunt quibus promiscue utitur mulier cum viro, velut si ejusmodi penula palliumve est*. Livius lib. XXVII. narrat, Ptolomæo Ægypti Regi dono a Senatu missam *tunicam & togam purpuream, Cleopatræ Reginæ pallam pictam cum amiculo*.

Porro pallam eandem cum peplo Servius facit ad illud *Æn.* I.

—— *peplumque ferebant.*

Peplum proprie est palla picta fœminea Minervæ consecrata. Ut Plautus: *Nunquam ad Civitatem venio nisi cum infertur peplus*. Et paulo ante: *Cum Diomedes auxilio Minervæ plurimos Trojanorum fudisset, Helenus vates monuit, ut Minervæ numen exoraretur, & cum precibus Deæ ponerent vestem, quam Regina speciosissimam habebat, id est, peplum: unde post Minervæ palla peplum appellata est*. Juvenalis etiam Troadibus pallam tribuit:

—— *scissaque Polyxena palla,*

Ovidius etiam Dianæ *Met.* lib. III. cum se lotura exueret:

Altera depositæ subjecit brachia pallæ.

Et Ocyroe in equam conversæ lib. II.

—— *Longæ pars maxima pallæ*
Cauda fit.

Palla inde ad Citharœdos, Tragœdos, & saltatores translata est. De Citharœdo Cornificius lib. IV. *Uti citharœdus cum procedit optime vestitus, palla inaurata indutus cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta*. Et Lucianus *adversus indoctum* tradit citharœdum imperitum venisse Delphos veste auro insigni, & descendisse in certamen purpura auro contexta. Ovidius II. *Fastor.* de Arione:

Induerat Tyrio distinctam murice pallam.

Propter quam causam ipse Apollo palla indutus a Poetis producitur. Idem *Amorum* lib. I. El. VIII.

Ipse Deus vatum palla spectabilis aurea
Tractat inauratæ consona fila lyræ.

Et Tibullus lib. III. Eleg. IV. de Phœbo:

Ima videbatur talis illudere palla,
Namque hæc in nitido corpore vestis erat,
Artis opus raræ fulgens testudine & auro
Pendebat læva garrula parte lyra.

Sic Virgilius de Orpheo, *Æn.* VI.

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos.

Longa vestis est palla, ut apud Propertium:

Pythius in longa carmina veste sonat.

De Tragœdis Ovidius *Amorum* libro II. Eleg. XVIII.

Sceptra tamen sumpsi curaque Tragœdia nostra
Crevit, & huic operi quamlibet aptus eram.
Risit amor pallamque meam pictosque cothurnos,
Sceptraque privata tam cito sumpta manu.

Et lib. III. Eleg. I.

Venit & ingenti violenta Tragœdia passu,
Fronte comæ torva, palla jacebat humi.

De saltatorum palla animadvertit Turneb. lib. XX. ex Plauto *Menæchmis*:

Sed obsecro hercle salta sic cum palla postea.

Quia autem saltatores molles & effœminati, ideo infra ait Pœniculus: *Non ego te indutum foras Exire vidi palla?* ME. *Væ capiti tuo. Omnes cinædos esse censes, tu quia es: Tun' me indutum fuisse palla prædicas?*

Eadem fabula, cum Menæchmus induisset pallam, quam uxori surripuerat, ait ad parasitum: *Dic mihi nunquam tu vidisti tabulam pictam in pariete, Ubi Aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum? Age me aspice, ecquid assimulo similiter.*

Porro mihi mirum videtur, cum palla vestitus exterior muliebris esset, eamque Menæchmus parasito per jocum olfaciendam dedisset, illum aspernatum dicere: *Summum me olfactare oportet vestimentum muliebre. Nam & istoc loco spurcatur nasus odore illucibili*. Nam si de tunica aut subucula loqueretur credibilius esset. Sed jocus parasiticus est. Horatius *de Arte Poet.*

Post hæc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus.

Hanc autem pallam longo syrmate humum verrisse, illa indicant,

Traxitque vagus per pulpita vestem.

Suetonius etiam de Caligula cap. LIV. *Tres Consulares secunda vigilia in Palatium accitos, multaque & extrema metuentes super pulpitum collocavit, deinde repente magno tibiarum, & scabellorum crepitu cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit.*

Quod sane mirum videri potest, saltatores longis ac fluentibus tunica, pallaque velatos, cum habiliores succincti, & tunicati tantum futuri fuissent. Sed de habitu citharœdorum infra, cum de chlamyde agemus. Palla etiam inter virilia vestimenta, sed barbarica. Curtius lib. III. *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur: Purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres adornabant.*





Martialis lib. I. ep. XCIII.

Dimidiasque nates in Gallica palla tegit.

Quo fortasse respexit Strabo lib. v. de habitu Gallorum; οἱ γὰρ Κέλται ἀντὶ χιτωνίων χιστὰς χειριδωτὰς φέρουσι μέχρι αἰδοίων, καὶ γλουτῶν. Interpres magis sensum secutus quam verba *pallas* vertit, cum *tunicas apertas manuleatas* debuisset, quæ tamen Gallis pallæ fuere ad pudenda pertinentes.

C A P. XIX.

De Amiculo.

PRÆTER pallam etiam amiculum muliebre vestimentum fuit; licet commune cum viris. Quod genus vestimenti a circumjectu dictum Festus interpretatur. Idque in viris non dissimile fuisse videtur chlamydi, sive paludamento. Nam Curtius lib. III. de Dario fugiente: *Insignibus quoque Imperii, ne fugam proderent, indecore abjectis.* Subjicit paulo post: *Unus namque e captivis spadonibus amiculum quod Darius, ne cultu proderetur, abjecerat in manibus ejus, qui repertum ferebat, agnovit.* Alibi ait, *Alexandrum amiculo, cui adsueverat ipse, solum, in quo corpus Cyri jacebat, velavisse.* Et lib. VI. *Philotas obsoleto amiculo velatus inducitur.* Idem Philippo Medico tribuitur. Nec aliter unquam vestem superiorem militarem Curtius appellat. Val. Maximus lib. V. c. II. *Darius privatæ adhuc fortunæ amiculo Sylosontis Samii delectatus, curiosiore contemplatione fecit, ut ultro sibi, & quidem a cupido daretur.* Quam rem narrans Ælia-

A nus *Variæ* lib. IV. ait ortum inde adagium, ἡ Συλόσωντος χλαμύς. *Sylosontis chlamys.*

Fuisse tamen vestem muliebrem apparet. Curtius lib. v. *Fœminarum convivia ineuntium in principio modestus est habitus: dein summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem prophanant.* Isidorus lib. XIX. c. XXV. censet fuisse pallium meretricium lineum. Sed fallitur. nam & honestarum matronarum gestamen fuit. Livius lib. XXVII. narrat missam a Senatu Cleopatræ Reginæ *pallam pictam cum amiculo purpureo.* Et lib. XXXIV. *Fœminis dumtaxat purpuræ usum interdicemus, & cum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matremfa-*
B *milias tuam purpureum amiculum habere non sines?*

Fuit quidem & meretricum, sed in Comœdia palliata. Nam Romæ prostibularum togam gestamen fuisse diximus. Plautus *Cistellaria* Act. I. Sc. I.

Gy. *Amiculum hoc sustolle saltem.* Sil. *sine trahi, cum egomet trahor.*

Ubi Lambinus amiculum parvum amictum interpretatur. Sed si parvus, quomodo trahebatur, humumque verrebat, nisi sustolleretur? Etiam *Pœnulo* Act. I. Sc. II. ait Agorastocles ad meretricem: *Age, sustolle hoc amiculum.* Fuisse quidem a palla diversum ex Livio didicimus, sed quodnam discri-
C men adhuc quærimus, nisi quod brevius palla fuerit, ita tamen, ut si pars ejus lævo brachio, aut humero non sustineretur, flueret, & traheretur.

CAP. XX.

Varia muliebrium vestimentorum nomina ex Plauto recensentur.

MULIEBRIS luxus censuram agit senex ille Plautinus in *Epidico*, qui jure intolerabilior videri potest in illa paupertate, nondum subacta Asia, nondum orbis spoliis, ac peregrinis deliciis fera bellicosa Martis gente emollita. Quæ hic inserere placuit magis, quia ad institutum argumentum pertinent, quam quod addi posse aliquid iis quæ a viris doctissimis allata sunt speremus: licet non pauca sint de quibus merito dubitemus. Verba ergo Latinæ Sirenis sunt *Epid.* Act. II. Scena II.

EP. *Sed vestita, aurata, ornata ut lepide! ut concinne! ut nove!*
PE. *Quid erat induta? an regillam induculam? an mendiculam?*
An impluviatam? ut istæ faciunt vestimentis nomina.
EP. *Utin' impluvium induta eat!* PE. *Quid autem istuc mirabile est?*
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias?
At tributus cum imperatus est, potesse pendi negant:
Illis, quibus tributus major penditur, pendi potest.
Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova?
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium,
Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Supparum, aut subminiam, ricam, basilicum, aut exoticum,
Cumatile, aut plumatile, cerinum, aut melinum, gerræ maximæ.
Cani quoque etiam ademptum est nomen EP. *Qui?* PE. *Vocant Laconicum.*
Hæc vocabula auctiones subigunt ut faciant viri.

Sed in plerisque standum est fide Nonii, qui fatali more vaticinatur. *Regillam* vestem diminutive a Regia dictam prodit, ut & basilica, & pro *inducula tuniculam* legit. Sed quænam vestis ista Regia Romæ, aut cujus formæ? Nam quod Lambinus eandem cum trabea facit, qua Reges & Reginæ utebantur, nullus Veterum trabeam fœminis adscripsit, & qui poterat, cum toga esset, eaque tantum meretricum. Heic autem Plautum etiam matronarum luxum perstringere certum est. Regillæ meminit Varro apud eundem Nonium Papia papæ:

Collum procerum fictum levi marmore
Regillam tunicam diffingitur purpura.

Si tamen locus ille mendo vacat. Certe Latinitas non constat. Sed *Regilla* haud dubie tunica est, quæ & recta, quod sursum versus a stantibus texeretur, de qua Festus: *Regillis, tunicis albis, & reticulis luteis, utrisque rectis textis sursum versum a stantibus pridie nuptiarum virgines diem indutæ cubitum ibant ominis causa, ut etiam in togis virilibus dandis observari solet.* Cur autem *mendicula* in hoc censu, & fastu, quam inde dictam, quod mendicis conveniret? Nam quod quidam *meddiculam* a voce *Meddix*, quæ magistratum teste Festo apud Oscos significat, dictum volunt, eadem somnia sunt. Præstat igitur aliqua ignorare, quam toties argutari.

Sequitur *impluviata*: quam a colore sic dictam idem Nonius existimat. *Impluviatus color quasi fumato stillicidio implutus, qui est Mutinensis quem* A *nunc dicimus.* Sed quid sit *stillicidium fumatum*, & *qui Mutinensis color*, frustra quærimus. Turnebus lib. XIV. c. XIX. a forma ita dictam interpretatur, scilicet a similitudine impluvii. Ut enim vites impluviatæ, sic & vestem a forma impluviorum dictam, quæ esset quaternata, id est, quatuor quadrata lateribus undique corpus ambiret, quæ est figura impluviorum in cavædiis. Quam interpretationem quidam perperam Grutero adscripserunt. Sed num tunica, aut pallium hac forma compacta usui esse posset, videant docti.

De Ralla, quæ eadem, & rara Ovidio dicitur, item de spissa nulla difficultas esse videtur: ut a ra- B tione texturæ altera rara fuerit, altera densius texta. Glossæ tamen veteres Rallam pro rasa accipiunt. *Ralla* ξυστήρ. ξυστὸς *Rasus*. Ita Ralla erit eadem ac rasa; spissa autem pexa, sive Phrygiana.

Linteolum cæsicium Nonius explicat *purum & candidum, a cædendo, quod ita ad candorem perveniat, vel quod oras circumcisas habeat.* Sed undicunque dictum sit, cujusve hoc Linteolum fuerit, hoc quoque ignoramus.

Indusium sive *intusium* fuisse tunicam interiorem, supra ostendimus. Sed quid tunica indusiata non facile dixerim. Et tamen pro ipso indusio ponit C non solum Nonius heic, sed ipse Varro lib. IV. *de L.L. Alterius generis item duo, unum quod foris, ac palam, pulla: alterum quod intus, a quo intusium, id quod Plautus dicit Intusiatam, patagiatam.*

Patagium aureum clavum interpretatur Nonius, *qui pretiosis vestibus immitti solet. Unde vestis patagiata.* Porro patagiatum ἀπὸ τοῦ πατάσσω, παταγεῖον, clavus qui in materiam incuditur, ut docti monuerunt. Ut proprie *clavus* sit purpureus, *patagium* aureus. Tertullianus de pavone, *Omni patagio inauratior.* Festus: *Patagium est, quod ad summam tunicam assui solet, quæ patagiata dicitur: & patagiarii, qui ejusmodi opera faciunt.* Ad quem D locum non est audiendus Scaliger, qui verba Livii lib. IV. sollicitat: *Placet tollendæ ambitionis causa Tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret.* Legit enim *clavum*, quem errorem ex corrupta scriptura *clabum* manasse ait. Sed cur clavi petitionis causa addebantur vestimentis? Quis nescit vetitam ibi togam candidam, quæ petitorum propria, sive cretatam ambitionem interdictam? Multo minus patagium dictum, quod quibusdam quasi maculis & nævis inspersum esset: quia patagus genus morbi, quo qui moriuntur, hujusmodi rotundis maculis fœdantur. Cum potius a similitudine clavorum E morbum eum ita dictum appareat, ἀπὸ τοῦ πατάσσω, ut paulo ante notabamus.

Caltulam, & crocotulam (explicat Nonius) *utrumque a generibus florum translatum, a calta, & a croco.* Virgil. in *Bucol.*

Pinguia luteola pingit vaccinia calta.

Dein adducit locum Plauti. Item Novius Pedio: *Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium.* Nævius Lycurgo. *Pallis, patagiis, crocotis, malaciis mortualibus.* Sed *castulam* Varro *de vita Pop. Rom.* lib. I. *palliolum breve voluit haberi. Castula est palliolum præcinctui, quo nudæ infra papillas præcinguntur, quo mulieres nunc eo magis utun-* F *tur, postquam subuculis desierunt.* Quare aut apud Plautum *Castula*, aut apud Varronem *Caltula* legendum est. Si *Castula*, notatio perit, ut a flore dicta sit. Locus Nævii & ipse depravatus est. Quid enim est *malaciis mortualibus*? Olim Beroaldus *ad Apulejum* legit *malacis*, qui a præceptore suo Baptista Pio accepit in hunc Plauti locum. Recte. nam *malacum pallium* apud Plautum *Bacchidibus* pro molli & delicato. Nisi quis legere malit *mollicinis*. Nam ibidem apud Nonium Novius

Pedio. *Mollicinam, crocatam, chiridotam, ricam, ricinium*. *Mortualibus* autem fortasse intelligit *ricam*, & *ricinium*, quæ in funere a matronis adhibita supra notavimus, & loco Novii cum crocota, & chiridota conjunguntur.

Quod ad crocotam attinet, aliqua a nobis dicta sunt lib. III. cap. V. hujus Commentarii, quæ inde petantur. Diximus muliebre gestamen fuisse, & quod sequitur mollium atque effœminatorum. Apulejus lib. XI. *Simiam pileo textili, crocotisque Phrygiis catamiti pastoris specie*. Ita apud Aristophanem ridet Hercules Bacchum crocotæ Leoninam superinduisse. Ridet inquam,

Ορῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.

Ubi Scholiastes, *Crocotam Bacchicum gestamen, & muliebre indumentum* interpretatur. Ita Lucianus Baccho Silenum inducit vehentem asino ἐν κροκωτῷ *in Crocota*. Inde Crocota saltatorum, ac pantomimorum propria, ut viri docti monuerunt. Ita Duris Samius apud Athenæum lib. IV. inducit Polysperchonta peritia rei militaris & auctoritate inter Macedonas præcipuum saltantem ἐνδυόμενον αὐτὸν κροκωτὸν, *Crocota indutum*. Sic Lucianus de Historia, *Herculem apud Omphalem* ἐν κροκωτῷ καὶ πορφυρίδι pensa trahentem inducit. Atheniensibus etiam bacchanalia agitantibus κροκωτοὶ adscribuntur a Philostrato lib. IV. cap. VII. & quoniam, ut alibi diximus, *Crocotam* appellatam Græci tradunt, quod croceo colore esset infecta; unde *infectores Crocotarii* apud Plautum: hinc Turnebus illud Virgilii lib. IX. de Teucris:

Vobis picta croco, & splendenti murice vestis,

de *Crocota* interpretatur, quæ effœminatorum, & semivirorum propria. Crocotam etiam intellexit Ovidius lib. III. *de Arte*:

Illa crocum simulat, croceo velatur amictu,
Roscida Luciferos cum Dea jungit equos.

Pergamus in Plauto: *Supparum* Nonius interpretatur *Linteum femorale usque ad talos pendens, dictum quod subtus appareat*. Novius Pedio. *Supparum purum, bellientem interim, escam meram*. (*Velientem interim Oscam meram* Lipsius corrigit) Afranius epistola: *Tace puella, non sum supparo, si induta sum*. Varro Eumenid. *Hic indutus supparum, coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit*. Festus *vestimentum puellarum lineum* interpretatur, *quod ea subucula diceretur*. At Varro lib. IV. *de L. L.* a subucula distinguit, & ab eo deducit quod est supra. *Alterum genus inquit, quod subtus est: a quo supparus*. Quod verisimilius est. Si enim interior vestis fuisset, quomodo ille apud Afranium negaret se puellam esse, etsi supparo indutus, si vestis illa latuisset? Non fuisse autem tantum puellarum, indicare videtur Lucanus lib. II. de Marcia Catonis matrimonium repetente.

—— *Humerisque hærentia primis*
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

Ubi & vestem superiorem fuisse apparet, & primis humeris hæsisse. Cur autem dicatur nudatos lacertos cinxisse, ea fortasse causa est, quod Marcia recens a funere Hortensii mariti nudis ad planctum pectore & lacertis veniebat. Subjicit enim:

Sicut erat mœsti servans lugubria cultus.

Porro eleganter Tertullianus *adversus Gentes* vexillorum vela transversis hastulis alligata *suppara* vocat, & *stolas crucium* appellat.

Ceterum *subminiam* vocem nihili scioli intruserunt, & vel a *minio*, vel a *minuendo* interpretati sunt, cum apud Nonium disertim scriptum sit *subnimium*, nihilque certius doctorum virorum conjectura, allusum esse ad vocem præcedentem supparum, quæ est quasi subparum, atque ita oppositam per jocum vocem *subnimium*. Quemadmodum paulo ante tunicam *mendiculam Regillæ* opposuerat; & in voce *impluvii*, ac *fundi* luserat.

A De Rica hæc Nonius: *Rica est quod nos sudarium dicimus*. Serenus *opusculo*. lib. I. *Aut zonulam, aut avem, aut ricam*. Avem Pius interpretatur gruem, qui color in veste fœminea. Ovidius lib. III. *de Arte*:

Albentesve rosas Threiciamve gruem.

Sed durum videtur vestem coloris gruini avem appellatam. Novius Pedio: *Mollicinam crocotam, chiridotam, ricam, ricinium*. Lucil. *Sat.* lib. II. *Ricini aurati, ricæ, & oraria mitræ*. Turpilius

B Etera: *Ducit me secum, postquam ad ædem venimus veneratur Deos. interea aspexit virginem injectam in capite riculam indutam ostrinam*. Pius in libris suis pro *Injectam*, *Instantem* repperit, & pro *Ostrina*, *Mustelinam*. Varro *Prometheo* lib. I. *Aliæ mitram ricinam, aut mitram Melitensem*. Festus *Vestimentum quadratum & fimbriatum* interpretatur, *quo flaminicæ pro palliolo utebantur*. Varro lib. IV. *de L. L.* a *ritu* dictam vult, *quod Romano ritu sacrificium fœminæ cum faciunt capita velant*. De recineo autem sive recinio non pauca a nobis in superioribus disputata sunt.

C *Basilicum & Exoticum* alteram *Regiam*, alteram *peregrinam* vestem Nonius explicat, ut vox ipsa declarat. Sed quænam ea, pari cum ceteris fato ignoratur.

Cumatilis color eidem dicitur, *aut marinus aut cæruleus. Tractum a Græco, quasi fluctuum similis. Fluctus enim Græce* κύματα *dicuntur*. Titinius Setina: *Et quem color cumatilis deceat*. Gruterus tamen existimat non ita vocatam esse hanc vestem ob colorem, sed ob texturam repræsentantem fluctus, quæ & *undulata* Varroni dicta apud Nonium. Sed cum *de toga undulata* quærebamus, quam fuisse albam constat, quomodo undarum textura in ve-

D stimento albo exprimi posset dubitavimus. nam quo nunc vestes aqua respersæ ac prælo subjectæ undarum speciem exprimunt, nescio an Veteribus notum artificium fuerit. Certe undulatas vestes describit Ovidius:

Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.
Crediderim nymphas hac ego veste tegi.

At *plumatile*, aut *clavatum*, *aut ex plumis factum*, eidem dicitur. An vestis confici possit ex plumis haud scio. Verisimilius est clavis distinctam fuisse opere Phrygionis, qui plumarum formam referrent. Unde opus plumarum, de quo

E viri docti dicere occuparunt. *Cerinum a ceræ colore dictum* idem observat, cumque in veteribus libris *garinum* legatur, recte Turnebus existimat esse pro *carinum* a Siculo καρὸς pro κηρὸς, quod est *cerini coloris*. Unde *carinarios* Plautus in *Aulularia* appellat, qui eo colore vestes inficerent.

Melinum omisit Nonius. Lambinus a *melle*, hoc est, *mellei coloris vestem*, tunc liquida duplicando. Alii *melinum colorem*, qui mali Cydonii pallorem imitetur. Alii *candidum* ex Plinio a Melo insula, ubi optimus habetur.

Tandem Plautus ait *cani ademptum nomen esse, cum genus vestis Laconicum diceretur*. Nam cum a-

F liqui canes Lacones, & Laconici dicerentur, ea vox ad vestes transiit, quæ Laconicæ dictæ.

Atque ita uno veluti fasce tot luxuriæ muliebris nomina in illa horrida antiquitate dedimus, quot fortasse non fuere, cum eadem luxuria frænos abrupisset.

CAP. XXI.

Alia in Plauto, quæ ad muliebrem mundum pertinent, expenduntur.

NON minor fœminei luxus insania ab eodem traducitur in *Aulularia* Act. III. Sc. V. his verbis:

Sed hoc etiam pulchrum est, præquam ubi sumptus petunt.
Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murrobathrarii,
Propolæ, linteones, calceolarii.
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii astant, astant molochinarii,
Petunt fullones, sarcinatores petunt,
Strophiarii astant, astant semizonarii,
Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.
Trecenti cum stant phylacistæ in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur
Aes. Jamque hosce absolutos censeas,
Cum incedunt infectores crocotarii,
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.

In quibus utinam non toties divinandum esset. Quid enim ipso statim initio hic *caupones* faciunt? Lambinus non esse eos qui vinum vendunt, sed qui rem quamlibet quam emerunt pluris revendunt. Sed hi paulo post *propolæ* appellantur. Turnebus caupones dictos a copiis, ut sint mercatores, & institores patagiorum. Sed cur soli patagiorum mercatores caupones dicti? Veteres editiones habent *ciniflones*. Verum hi potius in familia erant calefaciendis calamistris, & rutilandis crinibus destinati.

De *patagio* atque *indusio* supra dictum est. *Flammeum* velum fuisse, quo novæ nuptæ caput nubebant: unde & nuptiæ appellatæ notum est. Inde Flammearii. Alii tamen quod flammeo, sive rubro colore vestes tingerent dictos putant. Sicut *violarios* qui violæ, *cerinarios* qui ceræ colore vestes tingerent. Sed mirum est artificium, quod fuit unius infectoris, ita inter plures dispertitum: nisi ista ad augendam luxus invidiam conficta sunt. Cur autem *carinarii* pro *cerinarii* dicti, supra ex Turnebo rationem attulimus. *Manulearios*, qui tunicarum manicas, sive tunicas manuleatas, quarum mentio apud Plautum alibi, conficerent, dictos existimant: si tamen hoc a sarcinatoribus diversum artificium fuit.

At *murrobathrarii* mire Criticos sollicitant. Ita enim in veteribus libris extare monuit Camerarius. Quod ita interpretatur Turnebus *ad Theophrastum de Odoribus*: *myrobathrarios* fuisse, qui calciamenta muliebria, ut bene olerent, unguentis, & gratis odoribus, ac suffimentis imbuebant. Sed quis credat artifices fuisse, qui hoc tantum facerent? Quasi ipsæ mulieres hoc ministerio defungi non possent, ut unguenta quæ corpori infunderent, etiam calceis illinerent. Si tamen eo luxus provenerat, ut res tam pretiosa etiam solo subjiceretur. Mutavit postea sententiam in *Adversariis*, & *aromatarias* legendum suspicatur: sicut Lambino placet legere *malobathrarii*, a *malobathro* preciosissimo, ut fuerint unguentarii. Mihi simplicior notatio videtur, quæ ab eodem Lambino adducitur *myrobrecharii*, quæ vox significat eos, qui unguento perfundunt, & madefaciunt. Ut sint simpliciter unguentarii.

A Nec felicius idem Turnebus lib. I. *Adv.* cap. I. vocem *propolæ* interpretatus est, quem sequitur Lambinus: & *propalæ* legendum censet. Eos scilicet qui merces palam, & veluti ante palum, sive de palo pendentes vendunt. Quæ enim merces non palam vendebantur? Rectius Scaliger *Propolam* ex Græco πολεῖν, sed præpositione Latina, quæ propterea producitur, ut in *Prologo*. Dictum autem quod primus vendat merces, quas in portu primum anticipat, & ut Persius ait,

Primus tollit piper e sitiente camelo.

Lucilius:

B *Sicuti cum ficus primos propola recentes*
Attulit, & pretio ingenti dat primitum paucos.

Quæ verba egregie declarant, quid essent propolæ.

Inter *linteones*, & *lintearios* hoc discrimen docti posuere, quod illi lintea texerent, hi venderent.

Sed cur solos *sutores* sedentarios appellaverit, cum tamen omnes quos recensuit, & qui sequuntur artifices sellularii sint, incertum est. Ipse tamen etiam contra librorum fidem *segmentarii* legere ausim, id est, aureorum segmentorum confectores, de quibus supra dictum est. Monet Lambinus in libris veteribus extare *sedentarii sutates*:
C unde quibusdam placere *sutantes*, id est, multum suentes, quod verbi monstrum est. Bapt. Pius *sedentarios* fuisse dicit, qui sedes & cathedras matronarum molli strato coopertas conficerent. Quod fortasse minus ineptum est, quam quod *sutelates* legit, id est, *sutelæ* textores: *sutelam* autem fuisse tenuem & subtilem telam, ex Nonio: unde & strophæ sutelæ dictæ sint.

Diabathrarii quid essent declarat Festus, cum ait *diabathra genus fuisse solearum Græcanicarum, quarum confectores diabathrarii*. Nevius apud Varronem *de L.L.* lib. VI. *Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus Equivoco*. Sed cur id opus non
D fuit sutorum, aut calceolariorum, quos supra posuerat, aut soleariorum, qui mox sequuntur?

Molochinarios Nonius interpretatur *infectores molochini coloris, quem similem fuisse flori malvæ*. Cæcilius: *Carbasina, ampelina, molochina*. Ita color is inter purpureos a Plinio recensetur. Sed cur hoc opus unius infectoris non fuit?

Sarcinatoris inepta notatio apud Nonium, *dictum scilicet a sarcina, quia plurimum vestium sumat*. Quasi vero non etiam una vestis, vestisque pars farciatur. Male etiam cum sutore confundit, nam licet farcire sit suere, ut indicat Lucilius:
E *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime*. *Sutoris* tamen vox proprie de eo qui calceos suit.

Strophium idem recte interpretatur *brevem fasciam, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet*. Hinc *strophiarii*. Catullus:

Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tenui strophio lactantes vincta papillas.

Cicero *de Arusp. resp. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciolis, a strophio, a psaltrio, a flagitio, a stupro est factus repente popularis.*

At *semizonarios* dictos existimat Turnebus, qui *semizonas* conficerent, quæ *semicinctia* dicerentur.
F Sed cum zona esset fascia, qua tunica cingeretur, ut dictum supra, aliquid minus, & brevius fuerit semizona necesse est: non ergo eadem cum semicinctio, quod, ut idem fatetur, partem hominis anteriorem a cingulo, & lumbis ad pedes usque præcingebat. Itaque *semizonarii* simpliciter semizonarum confectores: quamquam haud scio, cur qui zonas conficerent, iidem non & semizonas darent.

Limbolarios, sive ut Nonius *Limborarios*, qui limbos, & institas conficerent, sive limbo vestes ipsas

ipsas prætexerent, ac pingerent, *Arcularios*, qui arculas, & scriniola conficerent, ac venderent, *Crocotarios*, qui croco tunicas inficerent, dictos constat. Atque ita omnes isti nugivendi, qui toties crucem Criticis, sicut illi maritis, fixerunt, qualitercumque absoluti sunt.

Sed quoniam in hoc sumus, ut non sine rubore fateri cogamur, quam plurima esse, quæ in his literis ignorentur, Ovidii locum de cultu muliebri adscribam deploratæ obscuritatis. In III. *de Arte:*

Conveniunt tenues scapulis ameletides altis
Angustum circa fascia pectus eat.

In manu exaratis, ut & in antiquis editionibus extare *analectides* monuit me Nicolaus Heinsius magni parentis magna proles, cui cum alia plurima, tum accuratissimam Ovidii editionem posteritas debebit. Turnebus lib.IV.cap.XXII. *Ometides* legendum esse affirmat, ut sint scapulares, vel humerales fasciæ. Nam si, quod veteres interpretes ponunt, analectides pulvini essent ad constipandas puellarum scapulas, altiores illæ extitissent, magisque vitium apparuisset. Quare ad dissimulandam scapularum altitudinem tenuibus fasciis utendum erat. Scaliger propius veterem scripturam *omaletides* reponit. Sed vox utraque nusquam quod sciam audita. Itaque contenti simus hoc Catone.

CAP. XXII.

De Variis coloribus muliebris cultus.

MATRONAS in Tyria aureis institis segmentata incessisse supra notavimus. At libertinæ, & quæcumque apud Ædiles licentiam stupri vulgaverant, quibus purpura interdictum, aliæ aliis vestium coloribus gaudebant. Varios enumerat peccandi magister libr. III. *de Arte:*

Cum tot prodierint pretio leviore colores,
Quis furor est census corpore ferre suos?

Dixerat enim se non loqui de purpura dibapha matronarum, qui, quia preciosissima, integra patrimonia uno cultu gestata, indicat. Subjicit:

Aeris ecce color tum cum sine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.
Ecce tibi similis qui quondam Phryxon, & Hellen
Diceris Inois eripuisse dolis.
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.
Crediderim Nymphas hac ego veste tegi.
Ille crocum simulat, croceo velatur amictu,
Roscida luciferos cum Dea jungit equos.
Hic Paphias myrtos, hic purpureos amethystos,
Albentesve rosas, Threiciamve gruem.
Nec glandes Amarylli tuæ, nec amygdala desunt,
Et sua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraque fugit hiems:
Lana tot aut plures succos bibet: elige certos.
Nam non conveniens omnibus omnis erit.

Recenset deinde quis color in cultu quamque deceat. Primus ergo aeris color cum sudum est cœlum, qui & *cæruleus, & hyacinthinus*, vulgo *cœlestis* dicitur. Quidam *Cæsium* eundem fecere, sed fuisse diversos ex Cicerone docuit Thylesius, qui in primo *de natura Deorum Cæsios* oculos Minervæ, cœruleos esse Neptuni dicit. Quod autem cæsium a cædo, ut qui cæsius sit cædem quodammo do oculis minari videatur, ejus opinioni subscribere non possim, nisi alter dilutior, alter pressior fuerit, uterque a cœlo dictus. Quemadmodum in eo fallitur, quod cœruleum eundem cum Veneto facit, cum hic Ovidius eum ab aerio distinguat, & fuerit proprie glaucus, qui ad viridem magis vergit, sed prasino dilutiorem. Doctissimus Alciatus lib.II. *Parergon* cap.I. *Cæsium* magis fulvo hærere arbitratur, quod Catullus *Cæsium* Leonem dicat, & Terentius *cæsiam* virginem, id est, coloris lentiginei, ut Servius interpretatur, vel oculis felis, ut Donatus, ita ut Fronto apud Gellium cum Cæsiam quasi Cæliam dictam notat, de colore Cœli intellexerit, cum nubibus sole percussis aer nec serenus, nec limpidus est, & in glaucum vertitur.

Alter color apud Ovidium est *aureus*, referens scilicet arietem, quo Phryxus cum sorore novercæ insidias per freta fugit. Qui vero *undas imitatur glaucus* sive *viridis*, *Venetus*, *& thalassicus*, quem etiam *ferrugineum* Plautus appellat. *Hyalum* etiam intelligi existimant, quod dicat Nymphas ea veste tegi, cum Virgilius in *Georg.*IV.

—— *Milesia vellera Nymphæ*
Carpebant, hyali saturo fucata colore.

Quoniam autem eum colorem ab undis vocari tradat poeta, nonnulli existimant *Cumatilem* sive *undulatum* denotare; quam vocem ex Plauto supra exposuimus.

Sequitur *croceus* quem Auroræ adscribit. Inde *myrteus*, post *Amethystinus* a gemma purpuræ violaceæ. *Roseus* ab albente rosa, ut distinguatur a sanguinea, qui color purpuræ tantum matronis concessæ. Tum *gruinus* ab ave, *amygdalinus* sive *castanius* a castaneis, *cerinus* a cera, cujus supra meminimus.

Sed & alii colores in vestibus earum, quæ corporis sui usuram non inviderent: præcipue *galbeus* sive *galbinus*, quem viridem interpretatur Turnebus lib.XVII.cap.VIII. Nam in veteri lexico *Galbus* est χλωρὸς, hoc est, *viridis*, sive luteus. Juvenal. Sat.II.

Cœrulea indutus scutulata & galbina rasa.

Ita enim Vetus Interpres, pro eo quod est in vulgatis *galbana:* explicat *polita, tenuiter rasa*. Veget. in *Veterinaria* lib.III. cap.II. *Florem eryngii* ait *esse galbinei coloris*, id est, ut idem Turnebus, coloris cœrulei dilutioris pallescentis: quamquam alii aureum colorem interpretentur, eumque intellexisse Ovidium, cum de colore arietis Phryxi loqueretur. Et quoniam is color fœminarum dedecere viros videbatur, Martialis de Zoilo lib.III. ep.LXXXII.

Jacet occupato galbinatus in lecto.

Et lib.I. ep.XCVII.

Amator ille tristium lacernarum,
Et bæticatus, atque leucophæatus;
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes,
Nativa laudat, habeat & licet semper
Fuscos colores; galbinos habeat mores.

Id est, molles & effœminatos.

Porro illud Juvenalis *Cœrulea indutus scutulata* duo summi viri Turnebus, ac Scaliger ita interpretantur. Scutulæ esse formam quadratam oblongiorem, quales quadræ in tela araneorum cernuntur. Nam cum in ambitum araneæ plurimos orbes multis filis circinent, a centro transversa subtemina quoquoversum distendunt, quæ orbes secantia multas scutulas reddunt: unde scutulatum araneorum rete Plinio dicitur. Eam autem esse formam scutulæ confirmat Turnebus auctoritate Censorini cap. XXII. *Heteromecos quadrangulum nec latera habet paria, nec angulos rectos simile scutulæ.*

Adjicit Scaliger *ad Varronem* vestes *scutulatas*, & *virgatas* quales Gallorum easdem fuisse. Diodorus enim ait Gallos gestare saga ῥαβδωτὰ πλινθίοις πολυανθέσι, καὶ πυκνοῖς διαλημμένα, *scutulata, & reticulatim distincta*. *Virgata* Propertio ac Virgilio, Polluci ῥαβδοειδῆ. *Scutulatus* ergo *virgatus* macularum instar cancellatim & reticulatim distinctus.

Fuerunt & vestes versicolores, quæ & variæ & floridæ appellatæ, eæque mulierum propriæ. Quærit Plutarchus in *Problematis Græcis* cur apud Coos Sacerdos Herculis γυναικείαν ἐνδεδυμένος ἐσθῆτα *fœmineam vestem indutus* rem divinam faciat, & allata fabula subjicit, quia Hercules Alciopi filiam uxorem ducens ἀνέλαβε στολὴν ἀνθινὴν *induit floridam vestem:* hinc factum ut ejus sacerdos, & sponsi muliebri veste induantur. Artemidorus lib. II. cap. III. γυναικὶ δὲ ποικίλη, καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει. *Mulieri florida & varia vestis conducit, maxime meretrici, & opulentæ: illa enim ob quæstum, hæc ob delitias floridis vestibus utitur.* Clemens Alexan. lib. II. *Pædag.* cap. X. αἱ δὲ τοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαι ἐσθῆτες, Βακχικοῖς, καὶ τελεστικοῖς καταλειπτέαι λήροις.

A viris etiam aliquando usurpatæ maxime in pompa ac triumpho. Dio lib. LIX. de Caligula sine victoria triumphante. Comitabantur eum amici ejus, & socii ἐν ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς, *in vestibus floridis.* Et lib. LXXIV. de ingressu Severi in Urbem. Nam urbe tota floribus, & laureis coronata, καὶ ἱματίοις ποικίλοις ornata.

Sed de coloreis vestibus, & quas *oxypæderotinas* Vopiscus appellat fuse ad eundem Vopiscum viri doctissimi disputarunt.

CAP. XXIII.

De Veste Ancillari, & Meretricia. Juvenalis, & Ovidius explicati.

ULPIANUS D. *de injuriis: Si quis Virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur: multominus si meretricia veste fœminæ non matrisfamilias vestitæ essent.* Ad quem locum Jurisconsultorum summi observarunt, quod pridem Manutius docuerat, matronas a meretricibus habitu discretas, quod illæ stola, id est, tunica talari assuta instita, & palla uterentur; At prostibulæ brevibus tunicis ad instar virilium, & toga uti cogerentur. Sed quæ vestis ancillaris esset, non est proditum. Verum cum matronæ stola, & palla uterentur, facile est credere utramque ancillis interdictam, atque ita tunica breviori ad medium crus pertinente nulla instita adsuta usas esse ancillas, qualem tunicam meretriciam fuisse diximus: hoc tamen a lupis distinctas ancillas, quod hæ togatæ, illæ tunicatæ tantum. An vero aliud fuerit discrimen, doctis quærendum relinquimus. Faber vestem ancillarem atram, & sordidam interpretatur: sed talis etiam viliorum fœminarum ingenuarum esse potuit. An vero quæ corpus vulgabant, quibus interdictus stolæ usus erat, gemmas atque aurum gestare possent, quæri potest. Negat Apulejus lib. II. *Met.* de Byrrhæna: *Aurum in gemmis, & in tunicis, ibi inflexum, hic intextum matronam profecto confitebantur.* Et Horat. lib. I. Sat. II.

Nec magis huic (matronæ) *inter niveos viridesque lapillos,*
Sit licet hoc Cherinte tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius, atque etiam melius persæpe togatæ.

Et Juvenalis Sat. VI.

Nil non permittit mulier, sibi turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Et tamen ille paulo post etiam deterioris conditionis mulieribus aurum assignat, ubi ait matronas siderali scientiæ impense addictas, Augures, Aruspices, magnique nominis Chaldæos consulere solitas. At tenuiores in circo a plebeiis sortilegis ac divinatoribus responsa futurorum petere consuevisse:

A *Si mediocris erit spatium lustrabit utrumque*
Metarum, & sortes ducet, frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum poppysma roganti.
Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum
Consulit ante phalas, delphinorumque columnas.

Hic certe diversam a matronis inducit, quæ nudis cervicibus longum aurum sive monile gestabat, & ideo ad Circi spinam inter plebejos vates plebeii fati arcana rimabatur. Quod quia vix credibile viris doctis visum est, ad correctionem confugerunt, & satis audacter,

B *Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum,*

reposuerunt contra receptam veterum editorum & manu exaratorum lectionem. Ego nescio ac Latinum sit gestare aurum nullis cervicibus, pro nullum aurum cervicibus ostendere. Illud ausim affirmare, nihil opus esse correctione, immo verbis illis vitæ liberioris mulieres denotari. Nam cum matronæ ita stola talari, & manuleata opertæ essent, ut nihil præter faciem appareret. Horatius lib. I. Sat. II.

Matronæ præter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.

C contra secunda classis, libertinarum dico, quæque licentiam stupri vulgaverant, non cervice modo, sed humeris atque lacertis conspicuis, ac seminudis erant. Ovidius *de Arte* lib. III.

Pars humeri tamen ima tui, pars summa lacerti
Nuda sit a læva conspicienda manu.
Hoc vos præcipue niveæ decet: hoc ubi vidi,
Oscula ferre humero qua patet usque libet.

Ab his autem præceptis longe magistrum matronas submovisse, quid attinet inculcare?

Non cervix igitur solum nuda, sed & ima pars humeri, & quæ conjungitur prima lacertis in amatorum oculos incurrebat. Lacertus enim pars bra-
D chii humero proxima. Idem *Amorum* lib. I. el. VII.

Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos.

Nuda ergo cervice monile suspendebant, quibus stolæ cuncta operientis jus non erat. Sed quid opus conjectura? Clare idem Ovidius puellis aurum & gemmas tribuit, in queis tuta Venus, concessaque furta. Nam *de remedio Amoris* lib. I. sic canit:

Proderit & subito cum se non finxerit ulli
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sibi.

Atqui paulo post subjicit:

E *Thais in arte mea est, lascivia libera nostra est,*
Nil mihi cum nupta, Thais in arte mea est.

Sed quod magis mirum jure videbitur, iisdem etiam purpuram, & quidem Tyriam adsignat, vestemque auratam *de Arte* lib. II.

Sed te, cuicumque est retinendæ cura puellæ,
Attonitum forma fac putet esse sua.
Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus,
Sive erit in Cois, Coa decere puta.
Aurata est: ipso tibi sit pretiosior auro
Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba.

F Et tamen de vestibus scripturus Tyrias excipit tamquam matronarum. lib. III. *de Arte:*

Quid de veste loquar? non jam segmenta requiro,
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Fortasse igitur non fuit meretricibus purpuræ usus simpliciter interdictus, sed in stola, id est, tunica talari, sed sine aureis segmentis, sed sine vitta, qua coma ligabatur, quæ insignia matronarum semper apud Ovidium conjunguntur, numquam auri, ac gemmarum mentio, quibus a scor-

tis distinguerentur. Aut quod verisimilius est, verbo docet artem fallendi liberiores amicas, re ipsa matronis ac nuptis idem lenocinium conciliat. Certe nihil melius in præsentia succurrit.

Plautus etiam auratam meretricem inducit *Epidico* Act.II. Sc.II. *Sed vestita, aurata, ornata ut lepide! ut concinne! ut nove!*

Interim eorum error castigandus, qui lacernam vestimentum muliebre putant inducti verbis Juvenalis:

Ipse lacernatæ cum se jactaret amicæ.

Quis enim paulo in literis versatus ignorat Satyricum ibi de Sporo loqui, quem uxoris loco habuit Nero, quemque ob hoc poeta lacernatam amicam vocat, quod lacerna virorum tantum esset; quod idem est, ac si quis nunc amicam braccatam vocaret. Recte Vetus Interpres. *Lacernatæ. Satyrice*, inquit, *habitu virili fœminam describit.* Non quidem fœminam, sed qui loco mulieris esset. Fortasse quis id ex Horatio firmari posse putet *Serm.* libr.II. Sat.VII. *Sub clara nuda lacerna*, ut quidem nuperi ediderunt, & inepte interpretati sunt *sub linea veste tam tenui, ut meretrix quasi nuda videretur.* Sed omnino contra veteres libros scriptos & impressos, qui habent *sub clara nuda lucerna.* Nec attinet hunc morem prostandi sub lucerna satis aliis notatum retexere; Juvenal. de Messalina a lupanari ad pulvinar transeunte.

—— *turpis fumoque lucernæ.*

Et Martialis lib.XI. ep.CIV.

—— *Ludere teste lucerna.*

CAP. XXIV.

Vestis servilis. Lipsii sententia rejecta. Interpres Juvenalis correctus: Fabri opinio expensa.

SERVOS, & ingenuos non eodem habitu cultuque usos cum togati Quirites fuerunt palam est, quod nonnisi Romano civi togæ jus esset. Suetonius Præfatione libri *de claris Rhetoribus* exemplum controversiæ affert: *Venalitii cum Brundusii gregem venalium e navi educerent formoso & pretioso puero, quod portitores verebantur, bullam & prætextam togam imposuere, facile fallaciam celarunt. Romam venitur, res cognita est: puer petitur, quod domini voluntate fuerit liber in libertatem.* Ubi ad fallendos portitores sive publicanos portorium exigentes puer venalitius ingenuorum habitu bulla & toga prætexta ornatur. Idem Thema in Declamationibus Quintiliani a Pithœo editis: *Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Mango novitium puerum per publica rostra jecit prætextatum dicitur ille liber.* Ubi *per publicanos trajecit* recte a Rubenio emendatum est *Elect.* lib.I. cap. XVI. At postquam togæ depositæ sunt, tunc nullum in habitu discrimen inter servos & ingenuos fuisse, quod sola toga faciebat, notavit Lipsius ex Appiano lib. II. *bellorum civilium*: Cujus verba sunt. *Nam urbana multitudo jam mixta est omnigenis exteris: & Libertini æquo jure degunt cum aliis civibus.* καὶ ὁ δοῦλος ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος. (χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς, ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσιν ἐστὶν ἐπίκοινος.) *Et servus cultu eodem utitur quo dominus, exceptaque Senatoria veste, ceterarum usus est promiscuus.* Ubi Senatoria vestis est laticlavia. Falso tamen illud adjicit Lipsius, tunicam communem vestem servorum Romæ fuisse. nam tam liberi, quam servi, Romæ tunicati. Nec Sosias apud Plautum id confirmat:

Imo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.

Nam & Sosias, & Amphitruo & Græci omnes quemadmodum Romani tunicati. Atqui Lipsius de sola tunica intellexit: sed & sola tunica homi-

A nes ingenui Romæ incesserunt, viliores nempe, & quibus togæ emendæ facultas non erat.

Hinc *tunicatus populus*, & *tunicata plebs*. At in municipiis, & in agro omnes etiam ditiores tunicati tantum. Præterea servi Romæ non tantum tunicati, sed & lacernati, birrosque, ac cucullos induti: & apud Græcos non solum tunicati, sed & palliolati. Hinc apud Plautum servi cum se ad cursuram instituunt, *palliolum in collum jaciunt.*

Vetus Interpres Juvenalis nondum editus in Bibliotheca Ambrosiana ad illud:

—— *recitaverit ille togatas.*

B *Hoc autem distabat*, inquit, *inter servos, & dominos, quia servi non utebantur colobiis nigris, sed albis.* Quæ si vera essent, quæcunque a nobis & ab aliis de tunica disputata sunt, destruerent. Nam ingenuos toga, & tunica alba usos diximus: hic nigra ingenuorum colobia ponit, alba servorum. Cum hæsitarem, & reliquos versarem Scholiastes, qui non pauci ibi extant, quosque publicari rei literariæ intersit, incidi in antiquissimum codicem, ex quo ille alter ab oscitante librario descriptus videbatur, qui omnem plane dubitationem sustulit. Ita enim ibi scriptum repperi. *Quia servi non utebantur colobiis, & nigris calceis, sed albis.* C Omissa vox, *calceis*, tantas turbas dedit. Indicare videtur vetus ille Interpres, præter togam etiam hoc discrimen fuisse inter servos & liberos, quod servi non uterentur colobiis, sed tunicis manicatis, calceisque albis. Quod ad calceos attinet etiam albos a liberis gestatos constat, saltem inferiori ævo; sed forte ibi Scholiastes de gypsatis servorum pedibus intellexit, quos *albos* Juvenalis appellat, sive gypsati erant, sive albis pedulibus vestiti. Calceos quidem nigros ingenuorum & nobilium fuisse quid attinet ostendere, & crambem apponere? Servius etiam colobia servis adimit, & D præterea calceos, ad *Æn.*I. ubi togam commune vestimentum fuisse omni conditioni ac sexui tradit antiquissimo tempore. *Quia sexus omnis & conditio toga utebatur: sed servi nec colobia, nec calceos habebant.* Fortasse quia colobia tunicæ erant, quibus brachia ad cubitum usque tegebantur: servorum autem exomides, quæ totum brachium excludebant; & calceos nigros intellexit, quibus carerent servi, ut ille Scholiastes Juvenalis, qui potuit totum hoc a Servio accepisse.

Quidquid sit de colobiis ingenuorum propriis, quæ etiam a servis post gestata indicat querela Appiani, depositis togis nullum fuisse inter ingenuos E & servos discrimen, sublato togarum usu, sublata etiam omnino videtur differentia in vestitu libero, ac servili. Tunica utriusque communis. Utrique penulati, lacernati, cucullos induti, ut infra dicemus. Penulatos, & cucullatos incessisse servos demonstrat Lipsius, quique eum describunt.

Fuisse tamen aliquod discrimen etiam sub Imperatoribus, indicat Tacitus, qui non semel meminit vestis servilis: *Q. Volusio P. Cepione Coss. otium foris fœda domi lascivia, qua Nero itinera Urbis & lupanaria & diverticula veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat;* Et Lampridius narrat, *Alexandrum Severum servos suos semper cum servili veste habuisse:* & *Aurelianum* Vopiscus *servis* F *suis vestes easdem Imperatorem, & privatum dedisse.* Faber Alexandri & Aureliani servos minime albatos fuisse intelligit, de quo supra a nobis dictum est. Neque tamen in hoc illi assentiri possum, omneis servos atratos fuisse, etsi Marcellinus *atratum culinæ ministerium* appellet: nec est mirum inter fumum & caliginem versantibus.

Et quandiu in usu togæ fuerunt, ingenui nonnisi albati. Hinc Olymp. villicus apud Plaut. liber-

tate donatus *canditatus* incedit. Sed postquam desiere vestiri togæ, nullum prursus in colore discrimen. Pænulati omnes, ac lacernati, at hæ vestes ferme pulli coloris fuere. Suetonius de Augusto: *Visa quondam pro concione pullatorum turba;* Quinam hi pullati? Cives lacernas induti; *Negotium dedit Ædilibus ne quem posthac paterentur in foro, circove nisi positis lacernis togatum consistere.* Hinc pullata multitudo, & pullatus circulus. Quod si servi tantum tunicati dicantur fuisse, etiam liberi ut populi fæx in sola tunica, quod paulo ante diximus.

Quare neque in eo audiendus Faber est, quod *servum pro libero se gerentem* apud Ulpianum interpretatur candidatum, & togatum. nam Ulpiani ætate togæ ex usu communi abierant. Multo minus servos libertate donatos lacernam candidam induisse: nam eas fusci coloris fuisse præcipue Romæ, cum in Gallia rufæ essent, in confesso est. Fuere & albæ eæ præcipue quæ togæ superinduebantur: sed fuscarum usus frequentior. Quare atra lacerna non tantum servorum fuit, quod ille credit, sed & ingenuorum, ut Suetonii verba ante laudata convincunt. nec contrarium innuit Flaccus Sat.VII. lib.II.

Tu cum projectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna:
Non es quod simulas?

Ut lateret ille, insignia dignitatis, nempe annulum deposuerat, & libertatis, nempe togam, quæ Romanus habitus poetæ dicitur, & tunc in usu erat saltem apud digniores, & sic in servili habitu, nempe sine toga, quæ ingenuorum, præterea caput lacerna involutus ut lateret. Hoc enim indicat, *caput obscurante lacerna*, non quod servorum lacerna atra esset.

Quod vero subjicit, *cucullum peculiarem servorum fuisse*, neque hoc præter culpam est. nam & & ingenuorum fuit, ut Martialis verba ab eo mutile adducta indicant, lib.X. ep.LXXVI.

Pullo Mævius alget in cucullo:

Qui tamen ingenuus erat. Idem poeta lib.XI. ep. XCVIII.

Non te cucullis asseret caput tectum.

Loquitur cum homine libero, qui nulla ratione poterat basiatores effugere. Juvenalis.

Contentus illic Veneto, duroque cucullo.

Quæ cum ita sint, illud potius statuendum, quod neque ipsi Fabro displicet, nulla lege, aut constitutione post togas servilem habitum a liberali distinctum, sed ita more receptum, ut materia & colore ferme viliores servorum vestes essent: quod tamen neque ab omnibus servatum, nec satis unquam ingenuos a servis distinxit. Idque indicant Seneca, & Lampridius ab eodem laudati. Ille *de Clementia: In Senatu dicta est aliquando sententia, ut servos a liberis cultus distingueret; Deinde apparuit, quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos cœpissent.* Et Lampridius tradit, *Alexandrum in animo habuisse omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut a vestitu dignoscerentur, & omnibus servis, ut in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne servi ingenuis miscerentur: sed hoc Ulpiano, Pauloque displicuisse dicentibus, plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad injurias.* Nihilominus paulo ante Lampridius retulerat, servos suos Alexandrum semper cum servili veste habuisse. Id quod hoc loco, quemadmodum apud Tacitum, de vili, & obsoleta intelligendum, cum nullum post togas in libero, ac servili vestitu discrimen fuisse appareat. Quotiescumque igitur libera republica, & togatis Quiritibus occurrit aliquem servilem habitum induisse, intellligendum est eum togam, & dignitatis insignia deposuisse sumpta lacerna vel penula, & cucullo quæ vestimenta ingenuis, ac servis communia. Sic Appianus lib.II. tradit instante bello civili Antonium & Curionem ad Cæsarem in castra noctu contendisse vehiculo meritorio θεραπόντων ἐσθῆτας ἐνδύντες *tectos servili habitu*. Eodem libro narrat Cæsarem, cum ipse destinasset latenter ad arcessendam classem trajicere, sumpsisse ἐσθῆτα ἰδιώτου, quod infra explicat ἐγκεκαλυμμένος, quod non est *stragulis tectus* ut vertit Interpres, sed *obvoluto capite* sive *cucullo tecto*. Mox enim, cum se ad confirmandos nautas proderet ἀποκαλυψάμενος, id est, *caput aperiens*. Idem lib.III. ait adductum Crassum ad Cæsarem ἐν σχήματι οἰκέτου, id est, sine toga, atque ordinis insignibus. Ita cum tradit Dio lib.LX. servos Saturnalibus τὸ δεσποτῶν σχῆμα *dominorum habitu indutos* festum celebrare, de toga intelligendum est; cum contra ipsi domini per eos dies positis togis in cœnatoriis incederent. Postquam autem togarum usus sublatus est, non aliud, ut dicebamus, in vestitu inter servos atque heros discrimen, quam a colore, ac vilitate tunicæ, lacernæ, ac penulæ. Ut vestes istæ ferme pullæ & fuscæ essent, & crassiori lana, ac soloci filo contextæ, licet quominus pretiosiores gestarent nulla lex prohiberet.

Quidam etiam birrum servilem vestem fuisse putarunt, quod lex I. Cod. Theod. de habitu quo uti oportet intra Urbem: *Servos sane, quorum tamen dominos sollicitudine militiæ constat non teneri, aut birris uti permittimus, aut cucullis.* Quos merito reprehendit Salmasius *ad Tertullianum de Pallio*, birrosque & lacernas idem fere vestimenti genus fuisse ostendit. Nam Chlamydem & birrum non eandem vestem fuisse, eadem lex innuit, quæ servis militaribus birros non permittit, quibus Chlamys concessa erat. Sed de his in altera hujus Operis parte cum Deo disputabimus.

OCTAVII FERRARII
DE
RE VESTIARIA
PARS ALTERA.
LIBRI QUATUOR.

CHRISTINÆ
AUGUSTÆ
OCTAVIUS FERRARIUS
BENE REM GERERE.



UOD nuper Domina Germaniæ peplum non tam regio murice, quam tuæ ac paternæ imaginis fulgore irradians, totque victoriis intextum ac pictum armatæ Palladis ſacrario ſuſpenſum non averſo lumine adſpexeris, ſed inuſitatis munificentiæ exemplis exceperis; auſus ſum novam telam, veterum mortalium habitum cultumque ſacri gynæcei textrinis inferre, novoque artificio pacatam Minervam advocare. Huic ego telæ, AUGUSTA, quæ mea tenuitas eſt, & improſperæ valetudinis injuria, ſolidos decem annos impendi: & nunc vereor ne Trojæ fatum labor iſte ſortiatur, aut pro elephanto muſculus exiſtat. Utcumque ſit, Ithaci matrona longo regulorum procatu claritudinem nacta vix annis viginti fallax penſum abſolvit, cum quod die confecerat opus nocte demum detexeret, ac pari conjugis erroribus mora, nec diſſimili ingenio turbam injurioſam eluderet. Ipſe nocturnam operam addere non ſemel coactus ſum, ac bona fide lucubrare, ut longa vetuſtate obrutum artificium in lucem evocarem. Immo geminato labore alienum opus, aut infectum, aut adverſa Minerva inceptum retexere, implexaque aut inciſa licia, nec cohærentem ſtamini tramam novo pectine noviſque radiis redordiri.

Poſtquam igitur nativo colore ac vellere communes populis tunicas, atque hinc rerum dominam togam, illinc ſapientiæ velamen pallium, ſexuſque alterius ſtolas, ac pallas pudoris & frigoris munimenta, ſimpliciſſimos mortalium cultus, paciſque habitus contexui, ac ſuam cuique formam, & geſtandi modos aptavi; horrentia ſaga, cruoreque infectas chlamydes cognata armis tegmina Martiſque ſpolia ſub adſpectum dedi. Facto inde gradu honoris inſignia, ordinum diſcrimen prætextas, palmatas, ac trabeas, nec uno aheno incocta paludamenta, Imperatorium coccum, ac veluti privatarum comes totum auguſtale

veſtiarium, ac triumphali auro immixtam purpuram veſtram populis adorandam expoſui. Quin, ne quid argumento deeſſet, hac quoque parte fractos ſeculi mores notare, ac veluti luxui patrocinari coactus ſum: ab orbe ultimo petitam frondium canitiem, Coaſque, & Aſſyrias bombyces, vermium ſalivam, ac fœturam improbam, veſteſque renudandis matronis inventas, etiam maribus expetitas, ventum textilem, ac ſericas nebulas prodendo.

Una laboris merces grandeque pretium, hæc qualiacumque non diſplicuiſſe tibi, Auguſta, quæ ab rerum maximarum molimine, imperiique curis non pateris modo te avocari, ſed jubes, ultroque ad iſta deſcendis. Quippe literis non tam regiæ manus, quam inauditæ clementiæ non una nota inſignibus nuper mandaſti, ut ſi quid librorum viri eruditionis gloria præſtantes publici juris facerent, aut jejunitas mea extunderet, ne cunctarer iſtuc tranſmittere. Quid ipſe præſtare poſſim jam vides: ſolam enim mihi te religioſius venerandi audaciam relictam eſſe. At viri magni aliquid te dignum concipient, quos nominis tui gloria ac liberalitas accendit. Nexile enim aurum, quo plumbea dicta atque humiles ſonos rependiſti, ſicut quorundam oculos turbavit, palloremque ſuum in homines transfudit, ita multorum ſtudia arrexit, ut quod in me fortuna fuit, ipſi virtute promereant.

Neque tamen præter rem feciſſe videbor, quod levidenſe contextum ſoloci filo deductum obtulerim tibi, quæ utriuſque Minervæ numen occupaſti: neque indecorum mihi opificio manus admoviſſe, quando, te literas ac bella eadem felicitate tractante, reliquum eſt, ut lanam ac calathos reſpiciant viri. Ipſe certe ſi vita ſuppetat eam aliquando telam daturus ſum, quæ ſi non Dædala, at fida manu te tibi reddat, tuoſque ac giganteos patris triumphos exequatur. Tu nova quotidie argumenta ſuppeditabis. Vale, teque fatis ad ſumma vocantibus præbe.

Patavii Kal. Februariis MDCLIV.

BENEVOLE LECTOR.



Arde immo pene jam ſero vetus nomen expungo, atque olim cœpti voluminis alteram partem repræſento. Præter virium tenuitatem, totque annos morbis atque ærumnis vitæ exemptos; vitamque ipſam non ſemel extremis metis admotam, quæ tædio ac deſperatione ſæpe opus manibus excuſſerunt, operis ipſius magnitudo ac difficultas, quæ ſummos viros hactenus abſterruit, ægre molientem ad hanc uſque diem delaſſavit. Nam in prioribus libris ipſoque argumenti veſtibulo habui interdum quos ſequerer, in his aucta licet cura intimos materiæ ſinus ac receſſus tentans vix a quibus diſſentirem inveni. Adeo cuncta aut intentata, nulliuſque trita ſolo, aut profundo vetuſtatis demerſa eruenda fuere, genuſque omne ſcriptorum utriuſque linguæ, ne quid effugeret, ærumnabili labore non ſemel excutiendum fuit. Præter hæc ea quoque diem proferendi cauſa erat, quod viros doctiſſimos aliquid contra jam edita parturire audieram, aut quia vere id agerent, aut quia ita credi quorundam intererat.

Itaque menſes aliquot editionem ſuſtinui, ut eadem opera illis reponerem, atque iſta publicarem. Non enim deerant, qui ſe modeſte licet ac molliter perſtrictos inique ferrent. Inter quos qui nuper deceſſit Claudius Salmaſius, vir in omni literarum genere eminentiſſimus, ac ſine controverſia hujus ævi ſummus. Sed quæſita meritis ſuperbia immodicus ſui æſtimator, aliorum contemptor, omniſque ſententiæ, cujus ipſe auctor non eſſet, inimicus. Itaque dum a ſe vel petita venia & cum honore diſſentientes traducit, & carpit, rurſuſque æquo jure revincitur, totaque vita hunc funem contentionis ducens aut pulſatur, aut verberat, male dicendo, & quod conſequitur male audiendo, ſenex factus in ipſo opere recriminandi conſumptus eſt.

Non pauca quidem in ſuperioribus libris fuere, quibus eum in hoc argumento lapſum non ſemel indicavi: atque in alia omnia interim diſcedere coactus ſum: integra tanti nominis reverentia, ut non modo non ægre laturum, ſed paratam mihi apud ipſum gratiam ſperarem. Res ſecus accidit. Nam inter tot majoris momenti ab eo perperam animadverſa, aut explicata, quæ aut dare, aut defendere debuerat, unum leve admodum & dicis cauſa poſitum arripuit in obſervationibus ad Jus Atticum, & Romanum, *ut me viris*

doctissimis, quos capite VI. *maledicentissime insectatur, accenseret. Nam cum adversus Petavium raræ eruditionis virum, quod emendationem Aratæi versus ab se olim proditam minime probaret, invectus esset, eumque male sanum, impurum, virulentum, omniumque hominum impudentissimum, atque iniquissimum, ac nullo judicio præditum appellasset (tantum crimen est Critici correctionem præ vulgata lectione aspernari) eandem amaritudinem in Italum auctorem libri* De re Vestiaria *effudit, non aliam ob causam, quam quod audaculus ille Salmasii notationem, atque expositionem super vestibus boloveris, quam ipse certissimam & optimam judicat, probam esse negaverit. Dii vestram fidem! At semper Italus ille credidit, licere cuique præsertim in re literaria sententiam suam in nullius invidiam expromere. Cur enim Gallo homini liceat boloveras vestes esse totas veras, sive purpureas dicere: Italo fas non sit eam vocem ab holoporphyris contractam arbitrari, cum utriusque notationis idem sit sensus? Sed ipse dixit. Digito compesce labellum. Si quis contra mutire ausus fuerit, imperioso ejusdem decreto numerum Criticorum augebit, qui glandes inventis frugibus præferunt. Quis autem Salmasium Dictatorem nobis dixit? Quis tyrannicam potestatem solis maledictis fultam in liberos homines exercere permisit? Operæ pretium est paucis repetere, quæ de vestibus boloveris supra notavimus Lib.*II. *Cap.*IX. *ut quam nullam causam habuerit excandescendi Salmasius facile appareat. Nam cum ejusdem honorificentissime appellati opinionem ac notationem de boloveris non modo non improbassem, ut etiam ingeniosam esse affirmarem, subjeci jus fasque esse quid & nos sentiremus aperire. Non enim eam vocem semi-Latinam, sed puram Græcam, contractam, mox & corruptam ex Holoporphyris videri, quod apud Isidorum* Olophera, *sive* Olofera, Holoporphyra *explicaretur: idemque Papias exprimeret, nempe* Holophoram *vestem totam ex purpura: hancque si non veriorem, at simpliciorem notationem esse. Quid pote modestius? At ille tanquam acerbissime proscriptus quæsitam non semel ab Italo occasionem carpendi Salmasii* & δίκαια, κἄδικα *indignatur. Bene se habet, quod quædam juste reprehensa fatetur: quæ autem inique, cur non repercussit, aut cur certaminis gloriam invidit?*

Ceterum ibi non aliud ad confirmandam opinionem suam attulit, quam aliquot scriptorum loca, qui boloverarum mentionem fecerunt, quæ nihil eum juvant; non enim de voce, sed de vocis origine ambigitur. Neque hactenus me illius notationis pœnituit, boloveras esse holoporphyras, quam viris doctissimis approbatam scimus. Nam ut demus colorem purpureum totum verum dictum esse, non solum colorem, sed etiam vestes totas veras dictas, durius certe videri debet etiam modice eruditis, quam boloveras esse ex holoporphyris conflatas. Quæ non ita mordicus unquam tueri cogitavimus, ut si quis alteram sequatur cœlum terræ misceamus, quasi in ea vocula Græciæ salutem sitam existimemus.

Ceterum in sequentibus libris, quos multis ante obitum Salmasii mensibus impressos typis, sculptoris ægre æreas tabulas molientis tarditate editionem morante innumeri cives, & exteri viderunt, vix ullum caput exibit, in quo diversa ab eo sentire non adigar, quanquam dissimulato nomine sola operis indicatura, ne a vetere instituto abscederem. Quid opus est verbis? Eum qui de pallio tam multa in Tertullianum *commentatus est, quale pallium esset, quique illud gestandi modus ignorasse, tam liquido apparebit, quam meridie lucet. Sed de his nimis fortasse multa, animo certe meo haudquaquam grata adversus utcumque de nobis, at de literis optime meritum, & jam tum compositum. Itaque plura adscribere parcam, ne videar cum larvis luctari. Cum propterea querelæ ne tum quidem gratæ sint, cum sunt necessariæ. Vale mi Lector, & fave.*

INDEX CAPITUM.

LIBER I.

CAPUT PRIMUM.

Index Capitum.

LIBER II.

Caput Primum.

LIBER III.

Caput Primum.

LIBER IV.

Caput Primum.

OCTA-

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA PARS SECUNDA.

LIBER PRIMUS,

QUI EST DE LACERNIS.

Cap. I.

Lacernarum usus quando primum Romæ incœperit? Cicero & Seneca explicati. Hujus vetus lectio defensa contra Lipsii non unam correctionem.



SERO admodum, nec nisi extremis Reipublicæ temporibus, Lacernarum usum in Urbem inductum illud argumento est, quod nomen ipsum incognitum, nec ulla mentio pro urbano habitu apud eorum temporum scriptores. Primus Cicero, quod ego sciam, *Philippica* secunda objectat Antonio, quod in Urbem venisset cum caligis & lacerna: *Nam quod quærebas quomodo redissem, primum luce, non tenebris, deinde cum calceis & toga, nullis nec caligis, nec lacerna*. Neque tamen ideo a Cicerone notatum Antonium credendum, quod in itinere toga & calceis usus non sit. id enim præter morem omnium, qui penulati, & soleati iter faciebant, in Urbis ingressu togam, & calceos sumebant; quod de se Cicero testatur: sed quod pro penula lacernam, & caligas militare indumentum, ac calceamentum sumpsisset, & ad augendam rei invidiam eo habitu non modo in itinere, sed quum peteret Consulatum, per Galliæ Municipia, ac Colonias incessisset, in quibus more Romano homines togati versarentur. Nam paulo infra ait: *Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi, quam quod qui Consulatum peteres, is per Municipia & Colonias Galliæ cum caligis & lacerna cucurristi.* Scio quosdam *cum Gallicis* reposuisse auctoritate Gellii lib. XIII. sed si Gallicæ eædem, ac soleæ, sive crepidæ fuerunt, quarum usus in itinere depositis urbanis calceis, non video cur notari potuerit Antonius, si communi pedum tegmine itineris causa usus sit, sed quod militare calceamentum cum militari veste induerit. Verum ista non sunt hujus loci.

Ignotus igitur, ac probrosus ætate Ciceronis in Urbe Lacernarum usus. nec injuria, quod vestimentum militare esset, ac castrense, idemque quod chlamys. Propertius lib. III. Eleg. X.

Tu tamen injecta tectus vesane Lacerna
Potabis galea fessas Araxis aquam.

Et lib. IV. Eleg. III.

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

Ovidius II. *Fastorum* de Lucretia inter ancillas lucubrante, marito in castris Ardeam obsidente:

A *Mittenda est domino, nunc nunc properate puellæ,*
Quam primum nostra facta lacerna manu.

Gallus etiam Asinius elegia elegantissima, quam unicam edidit Manutius.

Quin etiam argento puroque intexit in auro,
Altera jam castris parta lacerna meis.

Ubi legendum *intexitur auro*. Sed nescio an aliud in tota antiquitate vestigium extet lacernæ acu pictæ, & phrygionis opere elaboratæ. Et cui usui fuerit hæc lacerna veluti triumphalis, cum Gallus non Imperator esset, sed sub Ventidio militaret.

Lacernæ militaris meminit & Paterculus lib. II. B de Cassio loquens: *Existimans hostes esse, qui irruerent lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto præbuit*. At infra de Augusto cum Lepidum exercitu exuit: *Quippe cum inermis & lacernatus esset præter nomen nihil trahens ingressus castra Lepidi, evitatis, quæ jussu hominis pravissimi tela in eum jacta erant, cum lacerna ejus perforata esset lancea*.

Dio Cassius lib. XLVI. narrat cum M. Antonio bellum indictum esset, vulgo depositis togis sumptas lacernas sive chlamydes militares. τάς τε χλαμύδας τὰς στρατιωτικὰς πάντες καὶ οἱ μὴ ἐκστρατεύσαντες ἠμπέχοντο. Ubi an recte Interpres *Saga* verterit, C infra videbimus.

Paulatim deinde per bella Triumvirorum civilia, quum togæ deponi cœpissent, in earum locum lacernæ successerunt, quod viris doctis pridem adnotatum est. Et quia ut diximus initio vestimentum militare tantum fuit, quod & chlamys dicebatur, propterea Seneca non uno in loco cives chlamydatos appellat, qui lacernam induti essent. *De beata vita* cap. II. *Quæramus quid optime factum sit, non quid usitatissimum: quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. Vulgus autem tam* D *chlamydatos, quam coronam voco. Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt aspicio, oculis de homine non credo*. Doctissimus Lipsius legit: *Vulgus autem tam candidatos, quam coloratos voco*: atque hunc locum a se eximie emendatum prædicat. Sed hercules haud vidi magis! *Candidatos* autem honestiores intelligi ait, *coloratos* pullatam multitudinem.

Sed si candidatos intelligit cretatis, ac splendentibus togis, quales erant petitorum, indutos, ætate Senecæ sublatis Comitiis nulli petitores candidati; sin albatos, sive albis togis simpliciter amictos intelligit, & rarus admodum eodem ævo nisi per officia togarum usus, & albam togam parare etiam tenuiori facile erat. Quidquid ergo Li-

psius jactitet etiam cum supercilio nunquam futurum ut vulgatam lectionem explicent omnes XV. viri fatalium librorum, ipse licet in illud Collegium non allectus, & Sibyllinorum ignarus veterem lectionem tueri, atque explicare ausim. Nam lacernatos invidiose appellat chlamydatos, quod, ut diximus, lacerna initio non aliud fuerit quam chlamys. Licet autem commune vestimentum esset, ut & toga, honestiores tamen a vulgo lacernarum colore distinguebantur. Nam, ut infra dicemus, erant purpureæ, pretiosisque coloribus imbutæ: eas potentiores ac ditiores gestabant, viliores aut sine lacernis, aut iis pullis & paupere colore tinctis utebantur. Quare non sine stomacho chlamydatos appellat lacernas improbi coloris, & nonnisi olim militaris, indutos. Atque ideo subjicit; *non enim colorem vestium aspicio*, quo scilicet Romæ vulgus a nobilioribus distinguebatur. Vulgus autem coronam appellat, sive quod idem est circulum pullatum apud Quintilianum. Idem *de Ira* lib. I. cap. XII. *Quum hoc dicis Theophraste quæris invidiam præceptis fortioribus, & relicto judice ad coronam venis, Quia unusquisque in ejusmodi suorum casibus irascitur: putas judicaturos homines id fieri debere, quod faciunt*. Corona ibi est vulgus. Item lib. II. cap. VII. *Et judex damnaturus quæ fecit eligitur, & corona pro mala causa bona patroni voce corrupta*. Atqui, inquit Lipsius, idem Seneca *virtutem coloratam* appellat, id est, sole fuscatam, ut coloratos Indos, ac Seres poetæ vocant. Vere nemo tamen aliquem coloratum Latine dixerit pullis vestibus indutum, cum id potius de vestibus aut alia re colore infecta dicendum sit.

Non contentus Lipsius probam lectionem semel sollicitasse, eodem libro cap. XXV. iterum pro chlamydato candidatum obtrudit: *Pone me*, inquit, *in instrumentis splendentibus, & delicato apparatu, nihilo me feliciorem credam quod mihi molle erit amiculum, quod purpura convivis meis substernetur. Nihilo miserior ero, si lassa cervix mea in manipulo feni acquiescet, si super Circense tomentum per suturas veteris lintei effluens incubabo. Quid ergo est? Malo quid mihi animi sit ostendere prætextatus, & chlamydatus, quam nudis scapulis, & fœtentibus*. Hic quoque *prætextatus*, & *candidatus* legit. Sed libri veteres in vulgata lectione constantes sunt. Cum præterea etiam pauper non magno pretio candidatus esse possit. Neque audiendus Muretus, qui *Canusinatus* legit. nam is color ferme penularum, quarum tunc aut nullus aut rarus usus in Urbe. Multo minus facit ad rem *Gausapatus*, & *Petasatus*; & quidquid denique Critica libido impingit. Prætextatus prætexta indutus, quæ vestis magistratuum. Chlamydatus lacerna vestitus, sed quæ aut cocco, aut murice, aut alio pretioso colore tincta esset. Quemadmodum autem malle se ait domum omni cultu instructam, quam pontem, ita pretiosas vestes, quam centunculum. Quid porro sint *scapulæ fœtentes*, a doctis viris quæsitum est. Fortasse a tomenti Circensis de concisa palude confecti, cui pauperes incubabant, ingrato ac turpi odore. Nec displicet quod se in libris reperisse tradit Lipsius: *quam nudis scapulis, aut semitectis*.

CAP. II.

Lacernarum notatio incerta. Quod vestimenti genus esset? Μανδύας. Εφεστρίς. *Herodiani Interpres notatus.*

PRIMUS igitur Lacernarum usus in militia, sed quando cœperit haud mihi compertum: cum præter Propertium, Ovidium, ac Paterculum nullus veterum scriptorum earum mentionem fecerit in cultu militari, ut vox sub ipsum Reipublicæ interitum nata videatur. Sed undenam, quæque ejus notatio, multo mihi ignotius. Persii interpres vetus ad Satyram I. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur*. Eadem Isidorus lib. XIX. cap. XXIV. qui adjicit: *Unde & in distinguenda Castrensi, Urbanaque turba, hos togatos, illos lacernatos vocabant. Inde autem lacernæ, quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis, ut sunt penularum*. Ut lacernam quasi laceram dictam putet: quod & Paulus Festi abbreviator innuere perobscure videtur. *Lacerare, comminuere, dividere. Lacerna quod minus capitio est*. Sed notatio inepta, illudque de fimbriis laxioribus, & minus laxis Grammaticorum est commentum, quidve capitium illud sit, quo minor est Lacerna, ne Oedipus quidem divinaverit: nec tanti est hisce diutius immorari.

Undecunque igitur nomen acceperit Lacerna, vestimentum militare initio fuit. Propterea Græcis scriptoribus Μανδύας, Χλαμύς, & Εφεστρίς dicitur. Artemidorus lib. II. cap. III. χλαμὺς δὲ ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βίῤῥιον καλοῦσι. Hesychio Μανδύας est εἶδος ἱματίου περσῶν πολεμικὸν *Vestimentum militare Persicum*. Suidas vestimentum *Loricion* interpretatur. Pollux lib. VII. cap. XIII. ἡ δὲ μανδύη ὅμοιόν τι τῇ καλουμένῃ φαινόλῃ, *Vestimentum simile penulæ*. Male Interpres *Sagulum* vertit. Ejus mentio apud Xiphilinum *Domitiano*: *Bello navali facto, in quo non solum omnes qui pugnaverunt fere mortui sunt, sed etiam multi ex spectatoribus, propterea quod maximo imbre, & vehementi tempestate repente commota, nemini permisit abire e spectaculo, & quamquam ipse*, Μανδύας ἀλλαττόμενος, *Lacernam mutavit, tamen ceteros mutare non est passus*. Ibi μανδύας Lacerna est, non pænula. Idem vestimenti genus Εφεστρὶς, militare scilicet, sive chlamys. Hesychius. Εφεστρὶς, χλανίς. Εφεστρίδες τὰ ἐπιβλήματα, quod reliquis vestimentis injicerentur. Suidas Vestimentum Romanum, quod & μανδύας & Βῆῤῥον vocetur. Athenæus etiam lib. III. καὶ τὴν ἐφεστρίδα τὴν ἄχρηστον. *Lacernam quam nondum indui*. Herodianus lib. VII. de militibus Maximini, qui in Senatum explorandi causa ingressi sunt, ὅπλων μὲν γυμνοὶ, ἐν λιταῖς δὲ ἐσθῆσι καὶ ἐφεστρίσιν. Interpretum quotquot fuerunt doctissimus, *Inermes videlicet, tantumque subarmalibus, & sagis induti*. Quid essent subarmalia notum est. Sed non habent hic locum. Vertendum erat. *Sine armis vulgari vestitu, solasque chlamydes induti*. Alibi Herodianus λιτὰς ἐσθῆτας appellat vestes communes sive vulgares loquens de matronis in Apotheosi Severi, quas ait sine auro atque ullo muliebri mundo fuisse: ἀλλὰ λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννυμένας, *vulgari veste alba indutas*, non exili, ut idem summus interpres vertit. Nam cum Senatores in pullis lacernis essent, matronæ albas vestes gestabant, pallam scilicet, & stolam, sed vulgarem, ac communem, non purpura, & auro de more pretiosam. Ut ad milites revertamur, ii in veste vulgari, id est, tunica Quiritibus communi solas chlamydes militares induti. Ita paulo post: ἔχοντας δὲ τὰς χεῖρας ὑποκαθη-

μένας ταῖς ἐφεςρίσι, id est, *habentes manus sub chlamydibus*.

Perperam etiam viri doctissimi pro quovis vestimenti genere Ephestrida sumi crediderunt ex eodem Herodiano, qui eas Senatoribus tribuit in funere Severi. *ἐν μὲν λαιῷ μέρει πᾶσα ἡ σύγκλητος μελαίναις ἐφεςρίσι χρώμενοι*. Ibi enim Senatores depositis luctus causa togis, in pullis lacernis sive penulis, nam hæc vox de utroque vestimento usurpatur, quod non multum dissimile esset, ut dicemus. Non igitur pro quovis vestimenti genere accipitur. Itaque non atris vestibus, sed *pullis lacernis*, aut *penulis* vertendum erat. De chlamyde & Byrro erit infra dicendi locus.

CAP. III.

Quale vestimenti genus Lacerna fuerit?

LACERNAM a castris & militia in Urbem licentia bellorum civilium traductam, & promiscuo Quiritium cultu assumptam diximus. Ea A fuit amiculum sive pallium laneum, apertum, quod ipsi quandoque togæ, & hac deposita ferme loco ipsius togæ injiciebatur tunicæ, nectebaturque fibula vel in humero, vel ad pectus, nativo ipsius lanæ colore, aut varia infectura. Et quemadmodum Græcanico pallio brevior, atque angustior lacerna fuit, ita facile crediderim, postquam a militia in urbanum habitum concesserit, laxiorem ipsa chlamyde longioremque confici cœptam: quandoquidem arcendo frigori, immo & pluviæ, toti denique corpori tegendo assumebatur, cum chlamys, ut in antiquis monumentis apparet, vix partem corporis tegeret, nec fere ad genua pertingeret. B Subjectas figuras lacernatas ex columna Trajana depromptas Roma misit Vir incomparabilis Cassianus a Puteo, cui bonam partem monumentorum veterum, quæ hoc opere edita sunt, non ipse solum, sed posteritas acceptum feret. Sed ut rem totam distincte, ac particulatim exequamur, primo de lacernarum materia verba faciemus, tum de ejus ornamentis ac colore breviter disseremus.



CAP. IV.

Lacernarum usus, & materia.

QUIRITIUM vestes omnes ex lana confectas, togas, tunicas, pallas, stolas alias ostendimus: idem de lacernis dicendum. Mart. lib. II. epig. XLVI.

Sic tua suppositis perlucent præla lacernis,
Sic micat innumeris arcula synthesibus:
Atque unam vestire tribum tua vellera possunt.

C Scilicet fere arcendi frigoris causa sumebantur, & togis superinduebantur. Juvenal. Sat. IX.

——— pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri, crassique coloris
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus.

Viliori nempe materia, hoc est, crassiore lana, & male textas, quales in Gallia conficiebantur. Martialis lib. VI. ep. XI.

—— Me pinguis Gallia vestit.

lib. IV. ep. XIX.

Accipe Sequanicæ pinguem textricis alumnam.

Colore autem pullo, vel rufo. Ex quibus patet, ut togas, ita & lacernas non eadem materia confectas, sed lana pretiosiore, aut viliore contextas, & quidem etiam viliore textura. Vetus Interpres Juvenalis: *Pingues lacernas: pingues ut ostendat grossas, ac per hoc pluviales, quæ muniant a pluvia, non quæ ornent. Male percussas, male textas. Gallum autem textorem Venetum* interpretatus, *Venetumque cucullum* intelligit, ex eodem Poeta:

Atque ibi contentus Veneto, duroque cucullo.

Lacernæ igitur arcendo frigori, immo & pluviæ, cum nondum penulæ in Urbem receptæ essent. Et vel tunicis, vel etiam ipsi togæ injiciebantur. Mart. lib. VIII. Ep. XXVIII. ubi togam sibi a Parthenio Domitiani cubiculario donatam commendat, sic colligit:

O quantos risus pariter spectata movebit
Trita Palatina nostra lacerna toga!

Futuram enim rem ridiculam, si novæ pexæque togæ vilis & longo usu detrita lacerna superinduetur. Idem lib. XIV. ep. CXXXVII.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Ex quo apparet, non nisi albas lacernas togæ inditas, cum reliquæ ferme pullæ essent: quod videretur indecorum & ridiculum, albæ niveæque togæ atri coloris vestimentum inducere: quod tamen nunc passim faciunt id genus hominum, qui habitu picas imitantur. Quo spectat jocus ejusdem Poetæ lib. IV. ep. II. in Horatium, qui cum solus nigris lacernis munus spectaret, Cæsare, & reliquis albatis, nivem Cœlo repente demissam, sicque & ipsum Horatium albis lacernis spectasse.

CAP. V.

Lacernas pluviæ causa in Urbe gestatas. Plinius emendatus, & explicatus.

LACERNAS munimenta togæ, & togæ ipsius succedaneas, non modo arcendo frigori, sed & defendendo imbri gestatas, ex Plinio discimus lib. XVIII. cap. XXV. *Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad III. Idus Novembris, ut diximus, servant, quoniam id sidus etiam vestis institoris est, & est in cœlo notatu facillimum. Ergo ex occasu ejus de hieme augurantur, quibus est cura insidiandi negotiatoris avaritiæ. Nubilo occasu pluviosam hiemem denuntiat, statimque augent lacernarum pretia: sereno asperam, & reliquarum pretium accendunt.* Lævinus Torrentius ad Suetonium legit: *Quoniam id sidus etiam vestis institor est.* sic enim in scriptis libris extare, & in veteribus editis. Atque ita sidus illud, quo exoriente æstas, occidente hiems ostenditur, quia utroque tempore vestem mutamus, veluti *institor*, inquit, a Plinio dicitur. Ante Torrentium Sipontinus aliam causam attulit, cur Vergiliarum sidus *institor vestis* dicatur, quod nempe ut pluris minorisve vendatur vestis efficiat. Neuter ad Plinii mentem, cujus vulgata lectio non movenda, quam etiam præfert vetus Veneta editio optima, cujus ope innumeras e Plinio mendas sustulimus. Sidus, inquit, Vergiliarum non tantum est agricolæ, sive ab agricola observatur pro tempore sementis faciendæ, sed etiam est sidus vestium institoris, sive ab institore vestis observatur. Quod sequentia explicant, quæ non recte intelligi possunt, nisi illud ponatur quid esset *Negotiator*, quidque *Institor*. Negotiatores enim erant mercatores locupletiores, qualem *negotiatorem magnarium* Apulejus lib. I. appellat: hi mercaturam amplam, sive negotiationem exercebant, qualis *negotiatio Sagaria* Leg. LII. *π. quidem D. pro socio*. Item *negotiatio lignaria* apud Capitolinum. Ab his negotiatoribus Institores mercium partem emebant, quas minutim, & carius distraherent. Nam proprie Institor παλιγκάπηλος. Labeo: *Etiam eos Institores dicendos placuit, quibus Vestiarii & Lintearii dant vestem circumferendam, & distrahendam.* Ergo Institores, ex occasu Vergiliarum qualis futura esset hiems conjecturam facientes, negotiatoris avaritiæ insidiabantur, nam si nubilus occasus fuisset, quod pluviosa hiems immineret, plus lacernarum, quam reliquæ vestis emebant, earumque pretium augebant: sin vero serenus fuisset occasus, augurantes futuram frigore infestam, alias vestes, ut chlænas, endromides, Gausapinas emebant, quarum pretium intendebant. Hoc autem erat insidiari negotiatoris avaritiæ: lucrum nempe, quod ipse facere debuerat, avertere, & ex siderum conjectura negotiatoris avaritiam ferire, eas vestes tantum emendo, quas carius distracturi erant. Porro aliquem lacernarum usum etiam domi fuisse arcendo frigori, indicare videtur Propertius lib. V. Eleg. IX.

Imperat, & totas iterum mutare lacernas:
Terque meum tetigit sulphuris igne caput.

CAP. VI.

De Lacernis, & reliquis vestimentis Gausapinis.

EX his apparet, antequam pænulæ inducerentur, lacernas, & frigori arcendo, & pluviæ causa gestatas: quod ex pinguiori, ac crassiori materia confectas fuisse declarat. Eas ferme gausapinas fuisse existimo, de quibus non ab instituto alienum fuerit pauca præmisisse. In prima operis hujus parte Plinii locum lib. VIII. cap XLIX. ex veteri codice emendavimus, eorum errore perstricto qui Gausape stramentum militare prava loci illius interpunctione tradiderunt: *Antiquis thorus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris gausape. Patris mei memoria cœpere Amphimalla nostra.* Legendum ex Veteri monuimus: *Gausape patris mei memoria, cœpere amphimalla nostra.* Gausape, sive gausapina vestimenta ætate patris sui inducta, amphimalla se vivente cœpisse tradit. Certe Ovidii ætate, quæ & Plinii parenti eadem esse potuit, non incognita fuisse gausapa illa docent in *Amoribus*:

Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba.

Ex quo Scaliger *in Titium* cap. XXIII. colligit lacernas tam viriles quam muliebres gausapinas fieri solitas. Sed lacernam fuisse tantum vestimentum virile alias ostendimus. Ergo hæc gausapa vel fuere penulæ gausapinæ, quæ utrique sexui communes, vel tunicæ, non lacernæ, quæ nunquam alteri sexui permissæ. Ceterum etiam Varronem fecisse gausapinarum mentionem testantur Charisius, & Priscianus, ut observatum est doctissimo Vossio lib. I. *de Analogia* cap. XXXV. Meminere etiam Lucilius, Horatius, & Persius, ut de Martiali sileam.

Gausapa igitur sive Gausape, & Gausapum, nam hæc tria Grammatica agnoscunt, fuit vestimentum ex pingui, ac densa lana compactum, tunica, lacerna, penula, ex una tantum parte villosum: nam quod utrinque villos habebat ex eo *Amphimallum* Græce dictum est, eamque Græcam vocem fatetur Varro lib. IV. *de L. L.* Ut falli necesse sit qui *Gausape*, *amphimallum* verterunt, quos

Plinius redarguit, qui *Gausapina* ante ætatem suam in usu fuisse docet, *Amphimalla* memoria sua inducta.

CAP. VII.

Gausape quadratum. Martialis explicatus.

NEc lanea modo vestimenta, sed etiam linea, quæ villos haberent, *Gausapa* dicta, eaque tegendis mensis adhibita, quæ & mantilia. Martialis lib. XIV. ep. CXXXVIII.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Scilicet solæ citreæ mensæ, & pretiosiores mantili tegebantur, ne fœdarentur, aut maculas traherent: at viliores orbes, sive mensæ, nam omnes tunc rotundæ, sine integumento erant, & ideo in iis circuli non semel spectabantur, hoc est, maculæ rotundæ, non quidem lagenis impressæ, ut censet Scaliger, nam in abaco vasa vinaria prostabant, sed ii circuli lancium, ac patinarum positu ferme fiebant, ut Turnebus docuit.

Quod autem omnes mensæ tum rotundæ erant, ita & mantile sive Gausape pariter rotundum fuit. Ad cujus distinctionem, Gausape quod lectis pro stragulo injiciebatur Gausape quadratum dicitur eidem Poetæ epigr. CLII. lib. XIV.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

Lodices, hoc est, stragula leviora mittet tibi Verona, densa ac villosa Gausapa Patavium suppeditabit. Talis enim lana Patavina. Idem de tunicis Patavinis, eod. lib. epigr. CXLIII.

Vellera cum sumant Patavina multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potes.

Strabo lib. V. *Lanam mollem, & omnium longe optimam producunt loca circa Mutinam, & Scutanam flumen. Asperam Ligures & Symbri, ex qua plerique Itali familiæ vestimenta conficiunt.* Τὴν δὲ μέσην οἱ περὶ Παταύιον, ἐξ ἧς οἱ τάπητες οἱ πολυτελεῖς, καὶ γαυσάπαι, καὶ τὸ τοιοῦτον εἶδος πᾶν, ἀμφιμαλλόν τε, καὶ ἑτερόμαλλον. *Lanam mediam inter asperam, & mollem Patavina regio, ex qua fiunt pretiosi tapetes, gausapa, aliaque id genus, vel ex una tantum parte, vel utrinque villosa.* Gausapa scilicet quadrata sternendis lectis. At apud divites erant stragula Gausapina purpurea. Martialis Ep. CXLVII. ejusd. lib.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.
Quid prodest, si te congelat uxor anus?

Vocat cubicularia, ut distinguat a tricliniaribus, quæ ferme leviora, licet & ipsa purpurea.

Quadratum ergo Gausape ut distingueretur a rotundo, quo mensæ sternebantur; immo & Gausape easdem mensas tergebant, quod villosum erat, & quidem luxuriæ causa purpureum. Lucilius apud Priscianum lib. VII.

Purpureo tersit tunc lautas Gausape mensas.

Quod expressit Horatius lib. II. Sat. VIII.

His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam præterfit.

Gausape Acron *mappam villosam* interpretatur. Apparet tamen mensam illam non fuisse Gausape instratam. Quid enim opus fuisset detergere?

Ceterum mantilia, sive mappas villosas in usu fuisse apud Veteres docet Servius ad illud *Æneid.* I.

—— Tonsisque ferunt mantilia villis.

Et ideo *tonsis* interpretatur vel *minutis*, vel *compositis*, ut *tonsa coma pressa corona. Constat enim*, inquit, *majores mappas habuisse villosas.*

CAP. VII.

Gausape Balanatum. Gausapatus. Persius, Seneca, Petronius explicati.

UT ad Gausape, sive vestem Gausapinam revertamur, quam densam fuisse diximus, & ex una parte villosam, frigorisque causa sumptam, eam peregrinam fuisse, immo & barbaricam certum est, nec nisi sub Augusto Romæ cognitam. Glossæ Veteres. *Gausapa* Βαρβαρικὸν παλλίον. Et alibi: *Gausarus*. Ἐνδρομίς. Lege, *Gausapus*, vel *Gausapum*, *Endromis*. Messala de statuis Antonii: *Armenii Regis spolia, Gausapæ.* Persius Sat. VI.

Jam chlamydes Regum, jam lutea gausapa captis.

Parthorum Regis statuam gausapatam, & pellitam spectare hic licet olim a Cavallerio editam.



Idem, quod villosum vestimentum id esset, audaci translatione barbam densam, & hircinam, *balanatum gausape* appellat Sat. VI.

Tucum maxillis balanatum gausape pectas.

Neque enim Casauboni interpretatio placere potest, qui balanatum gausape intelligit comam & cæsariem prolixam, maxillas autem interpretatur

κτένα ὀδοντωτὸν dentatum pectinem. Sugillat hic Persius, quos & Juvenalis perstringit, tristes nempe, obscœnos, fictosque Curios, qui ad captandam severitatis famam propexam barbam alebant, sed plantaria, & infernas partes vellere non erubescebant. Intonsa erant barba, brachia, ac crura fruticante pilo silvescebant, in reliquis locis fœdam silicem runcabant. Duplici igitur nomine insectatur hunc poeta, quod barbam pasceret, reliquum corpus lævigaret, quodque hirtam illam ac veluti muscarium balano, sive unguento perfunderet. Nec de coma capiendum Persium maxillæ vox declarat: quam si quis cum Casaubono pro pectine accipiat, Persius diceret comam pectere pectine. Interpres Vetus: *Tu cum maxillis balanatum. Balanum genus unguenti, unde Horatius. Pressa tuis balanus capillis. Et hoc dicit cum barbam nutrias, & unguento madidam pectas, quare inguina tua psilothro denudas? Item Gausape dixit propexam barbam. Id est, cum pexa barba delecteris, quam in maxillis tuis velut gausape habeas unguentatam, & defricatam balano, cur pubem vulsam habes?* Sed hæc prætereuntes.

Gausapæ etiam meminit Seneca epist. LIII. *Memor artificii mei veteris mitto me in mare quomodo Psichrolutam decet, gausapatus*. Lipsius notat, qui in Gymnasiis exercebantur, itemque balneis, eos fere lodicula, aut gausapina leviter obvolutos fuisse, & circa verendas maxime partes, ut Petronianus Trimalcio coccinea gausapa involutus. Gausapam autem ad manum fuisse, quia & nautis earum usus. Sed gausapa in gymnasiis, & balneis, nec lodiculæ fuere, nec leviter tegebant, neque verendas modo partes, sed arcendo frigori totum corpus villosæ, ac crassæ involvebant, neque Seneca in mare descensurus gausapam sumpsit a nautis. Quare enim sumeret? Navigabat Seneca, & quidem ob frigus gausapa involutus. Exorta tempestate, cum maris cæcos volventis fluctus jactationem ferre non posset, gubernatorem coegit, ut se in aliquo littore exponeret, neque expectavit ut navis ripæ appelleret, sed moræ impatiens se in aquam demisit, tanta festinatione, ut ne vestimenta quidem deponeret, sed ut erat gausapatus in mare desiliit: *Cujus ut viciniam*, inquit, *attigimus non expecto ut quid quam ex præceptis Virgilii fiat: obvertant pelago proras, aut anchora de prora jaciatur, sed memor artificii mei veteris mitto me in mare, quomodo Psichrolutam decet, gausapatus*. *Psichrolutam* autem, qui in balneis frigida magis Laconum more delectaretur, quam calida, recte docti interpretantur. Talis enim Seneca erat. Epistola LXXXIII. *Ille tantus Psichrolutes qui Kal. Januarii in Euripum saltabam*. Quod igitur frigida delectaretur descendit in mare, cum expectare littus potuisset, & quidem gausapatus, quod brevis aqua esset nec gausapam madefacere posset. nam in balneis nudi erant, præcipue cum in piscinam descenderent, in qua natabant. At hic crura modo, pedesque vadis merserat Sequitur enim. *Dum per aspera erepo*. Erat namque littus importuosum, & asperis cautibus inæquale, ut non tam ire, quam repere cogeretur. Quare licet libri manu exarati habeant *eripior*, quod ad servos, & nautas, qui herum exportarent, referri posse censet Lipsius, nihil mutandum. Nam per aspera repere, est difficulter per scrupos, & glareas pedes ferre. Itaque nihil gausapa ad Psichrolutam, nec balnei, aut exercitationis causa a Seneca sumpta, sed frigoris.

Ita apud Petronium Trimalcio *coccina gausapina involutus* traditur. quod de lacerna, aut gausapa simpliciter intelligendum. Alibi apud eundem: *Ultimo cinædus supervenit, myrtea subornatus gausapina cinguloque succinctus*. Ubi gausapina tunica est. non enim lacerna, aut pallium, quæque vestes exteriores brachia premebant cingi poterant.

Meminit & gausapæ Martialis lib. XIV. epigr. XXIX.

In Pompejano spectabo Theatro.
Nam ventus populo vela negare solet.

Lipsius *de Amphitheatro*, titulum invertit, & *Causia* legit, *pileumque Thessalicum* interpretatur. Sed omnes editiones *Gausapa* constanter retinent. Itaque malim lacernam gausapinam interpretari, cum cucullo adversus solem, & pluviam, quibus arcendis vela extendebantur. Ait enim in Pompejano Theatro sessurum se cum lacerna gausapina, cujus cucullus veli vicem præstet adversus cœli, solisque injurias.

CAP. IX.

De Læna, & reliquis vestimentis villosis. Amictus duplex.

NON modo igitur lodices, stragula, & mappæ, sed omnia vestimenta quæ villos haberent Gausapa, sive gausapæ, & gausapina dicta sunt, lænæ, chlænæ, tunicæ, lacernæ, penulæ. De quibus singillatim dicendum est.

Et Lænam quidem non fuisse togam alias docuimus, sed indumentum apertum, densum, ac villosum: quod tunicæ, aut etiam togæ superindueretur, & quidem olim peculiari ritu a Flaminibus in sacrificiis adhibitam, Ciceronis ac Servii testimonio comprobavimus, mox promiscuo usu, & cum toga, & sine eadem gestatam. Varro lib. IV. *de L. L. Lænam* dictam existimat quod de lana multa esset, sed credibilius est, quod & Festus existimat, Græcam vocem esse, a chlæna Græcorum dictam auctoritate Plutarchi in *Numa*. Vere quidem multa lana, eaque densa conficiebatur. Nam idem Varro ait fuisse adinstar duarum togarum. ex quo Servius *duplicem togam* dixit, Festus *duplicem amictum*; Quod intelligendum de crassa, ac densa materia, quæ æque gravis esset, ac duæ togæ, aut duæ aliæ vestes.

Nam quod aliqui duplicem amictum interpretati sunt, qui totum hominem utrimque operiret, cum simplex unam tantum corporis partem; id repugnat primo vocis amictus notationi, quem recte Varro dictum putat quasi *Amjectum*, sive *amphijectum*, id est, circumjectum. Deinde si adinstar duarum togarum erat, toga etiam simplex totum corpus involvebat, ut & ipsa hac notatione amictus duplex dici possit. Servius ad illud, *duplicem ex humeris rejecit amictum*, interpretatur *Abollam, quæ duplex*, inquit, *ut chlamys*. Atque chlamydes fere omnes non totum corpus involvebant. Adjicit Servius illud Horatii.

Quem duplici panno sapientia velat.

Sed de pallii duplicatione infra commodius dicemus. Quare verisimilius est, *Lænam*, duplicem amictum dictam quasi duplicem pannum, sive quod densa, crassaque esset ac villosa, sive fortasse quod ad arcendum frigus duplici panno conferta, quales hibernæ vestes altero panno subsutæ, aut pellibus suffultæ. Cumque lacerna gausapina pariter densa esset, & villosa, & togæ frigoris causa superinjiceretur, facile apparet lacer-

nam gausapinam, & lænam aut idem vestimentum fuisse, aut non multum dissimile.

Porro præcipuus lænæ usus in conviviis fuit, quod scilicet a balneis redeuntes lænam gestarent, ne corpus calore solutum frigoris inclementia læderet, atque ideo eadem ferme veste discumberent, atque eadem ab amicorum cœna domum redirent. Juvenalis Sat. v.

—— plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.

Loquitur de paupere superbi divitis convivio injuriosum cibum edente. Ita tamen ut vestis balnearis æstate lacerna esset, hieme læna. Lampridius in *Severo*: *Thermis & suis, & veterum frequenter cum populo usus est, & æstate maxime balneari veste ad Palatium revertens*. Quæ autem ista vestis balnearis? Subjicit idem: *Hoc solum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipebat*. Martialis lænam cum cœnatoriis conjunxit. Nam lib. xiv. cum notasset cœnatoria non nisi conviviis adhibita, hæc subjicit ep. cxxxvi.

Tempore brumali non multum levia prosunt:
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Ut clarum sit, lænam in convivio hieme adhibitam, æstate syntheses, quæ ex lino, ac leviore materia erant. Ut quod aliis visum est legere placeat.

Tempore brumali non multum linea prosunt.

Idem Martialis de fure conviviorum subsessore, lib. viii. ep lix.

Et tectus Lænis sæpe duabus abest.

Persius Sat. i.

—— Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrant:
Heic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna est.

Juvenalis Sat. iii. de divite a cœna redeunte:

—— cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum logissimus ordo.

CAP. X.

De Chlæna. χλαῖναι ἁπλοΐδες, καὶ διπλαί. Εντυπάς. Homerus atque Hesychius explicatus. χλανὶς, χλανίδιον.

PLUTARCHUS in *Numa* ex Juba notavit *Lænam* Latinorum esse Græcorum *Chlænam*. Idque vestimenti genus antiquissimum, & E Heroicum fuisse constat. Item fuisse vestem duplicem, quæ tunicæ superindueretur, præsertim hieme ad propulsandum frigus. Hesychius: *χλαῖνα χλαμὺς, ἢ ἱμάτιον χειμερινὸν ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, ὅ ἐστι θερμαίνειν*. Eustathius ait esse *μανδυοειδὲς, καὶ χιτῶνος παχύτερον πρόβλημα*. Quod autem tunicæ injiceretur ex Homero clarum est, ubi Heroes primo Chlænas, mox & tunicas exuunt. Idem *διπλῆν duplicem* appellat, & arcendo frigori, ventoque adhibitam docet. Præter duplices sive *ἀμφιμίτους*, etiam Chlænæ simplices fuere, quas idem vates *ἁπλοΐδας* sive *μονομίτους* appellat. *Iliad.* Ω.

F *Ενθεν δώδεκα μὲν περικαλλέας ἔξελε πέπλους*
Δώδεκα δ' ἁπλοΐδας χλαίνας.

Ex quo Pollux lib. vii. cap. xiii. *Εἰσὶ δὲ χλαῖναι αἱ μὲν ἁπλοΐδες, αἱ δὲ διπλαῖ*, laudatque Homerum. Quæ loca licet omnibus obvia eo retuli, ut intelligeremus quid duplex vestimentum esset, duplex læna, duplexve amictus, crassius scilicet indumentum, ac duplici filo contextum sive *ἀμφίμιτον*: non quod totum hominem utrimque velaret, nam & chlæna simplex totum corpus ope-

A riebat: & simplices quidem sine villis, duplices villosæ fuisse videntur. nam Homerus *Odysseæ* K. *χλαίνας οὔλας* appellat, *Chlænas villosas*:

Αμφὶ δὲ δ' ἄρα χλαίνας οὔλας βάλον ἠδὲ χιτῶνας.

Alibi etiam non semel chlænas villosas appellat, quæ lectis injiciebantur.

Apud eundem eodem libro Priamus lugens Hectora inducitur *Εντυπὰς ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος*. Ubi multa Græci Interpretes. Mihi placet Hesychii explicatio. *Εντετυπωμένος τῷ ἱματίῳ* Nam qui pallio se strictim involvit, illud ita corpori applicat, & adstringit, ut ipsius corporis typus, sive B figura exprimatur, magisque appareat, quam cum laxe fluit, caditque. Subjicit doctissimus Grammaticus: *Εγκεκαλυμμένος τὸ πρόσωπον τῷ ἱματίῳ τὴν χεῖρα ἔχων πρὸ τοῦ προσώπου*. Quod in luctu faciem injecta chlæna obvelarent. quod dum fieret, pallium, sive chlæna corpori adstringebatur, manusque ori opponebatur. Inepte Latinus Interpres togam Priamo dat, eumque toga involutim tectum induit. Nec minore ineptia Circem, veluti aliquod Romanum scortum, togatam inducit *Odys.* K. quasi *ἀργύφεον φᾶρος μέγα* toga sit, non pallium, sive stola candida tenuis, C & decora. Nec absimile schema Telemachi in convivio Menelai parentem lugentis *Odys.*

Χλαῖναν πορφυρέην ἄντ' ὀφθαλμοῖιν ἀνασχὼν
Αμφοτέρῃσι χερσί.

Nisi hoc ideo factum a Telemacho putemus, ut convivas lugens lateret.

Nec chlænas modo induendi, atque amiciendi, sed & insternendi, & incubandi causa sumptas, ex eodem vate apparet eodem libro ultimo *Iliados*, ubi Achilles jubet Priamo lectum sterni, stragulaque purpurea injici:

Χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι.

Et *Odys.* tertio, Nestor vetat a se discedere Te-
D lemachum, qui in navibus pernoctare volebat. Sibi enim esse molliter dormiendi copiam, & hospitibus. non enim esse pauperem se.

Ωι οὔτε χλαῖναι δὲ καὶ ῥήγεα πόλλ' ἐνὶ οἴκῳ.
Cui neque chlænæ neque operimenta multa in domo.

Theocritus etiam chlænæ, quæ lecto insternebatur, meminit Idyllio xviii.

Ζᾶνος τοι θυγάτηρ ὑπὸ τὰν μίαν ᾤχετο χλαῖναν.
Nam filia Jovis tecum unum subit stragulum.

Ita & Romæ cubicularia gausapina in eundem usum fuere. Martialis lib. xiv. ep. cxlvii.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis;
E *Quid prodest, si te congelat uxor anus?*

Atqui chlæna tenuior, ac mollior *χλανὶς* dicta, & *χλανίδιον*. Quod Grammatici veteres *ἱμάτιον λεπτὸν* interpretantur, nostri *Lænulam* Quale vestimenti genus Ciceroni gestatum exprobrat Calenus apud Dionem lib. xlvi. *τίς μὲν γὰρ οὐχ ὁρᾷ σοῦ τὰ λεπτὰ ταῦτα χλανίδια;* si tamen aliquid Græculo illi credendum est. Sane ut par summorum Oratorum fatum videatur etiam Demostheni. *Κόμψη χλανὶς, καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι* vitio dati teste Gellio lib. i. cap. v. Menander apud Athenæum lib. iv. inducit Etesippum hominem luxu perditum
F sic cum uxore loquentem:

Καίτοι νέος ποτ' ἐγενόμην κἀγὼ γύναι,
Αλλ' οὐκ ἐλούμην πεντάκις τῆς ἡμέρας,
Τότ' ἀλλὰ νῦν· οὐδὲ χλανίδ' εἶχον ἀλλὰ νῦν.

Quamvis juvenis aliquando uxor fuerim. Non tamen quinquies lavi quotidie illa ætate; sed nunc. Nec tum lænulam habui, sed nunc. Male Interpres: *Chlamydem*: quam gestare non erat indecorum; at lænula, sive chlænula probro habebatur.

Philostratus de Isæo, quem ait adolescentiæ

tempus voluptatibus impendisse. ϗ λεπτὰ ἠμπίσχετο, hoc est, χλανίδια, *tenuia vestimenta*.

Porro inter χλαῖναν & χλανίδα hoc fuisse discrimen notat Ammonius ex Tryphone, quod chlænæ vestimenta essent crassa, quæ & lectis injicerentur, chlænulæ molliores. Chlænæ & gestarentur, & insternerentur lectis; chlænulæ amictui tantum adhiberentur. At inter chlænam, & chlamydem hoc esse discrimen, quod chlæna Heroum gestamen fuerit, chlamys Macedonicum; illam quadrangulum pallium fuisse, hanc in inferiori parte conclusam.

CAP. XI.

De Endromide. Quæsitum de voce Trechedipna *apud Juvenalem. Ejus Interpres emendatus.*

CHLÆNÆ Endromidem adjiciemus, quia veteres Glossæ laudatæ *Gausapum endromidem* dicunt, tum quia non dissimile admodum vestimentum fuisse videtur. Nam pingue, densumque, ac villosum fuit, cujus in palæstra præcipuus usus. Dictam endromidem Bayfius, & alii existimant, quod eo genere vestis ἐν δρόμῳ in cursu sive stadio, ac palæstra uterentur. Quos jure Mercerus reprehendit *ad Tertullianum de Pallio*. Non enim quod cursui apta esset, quid enim currenti magis incommodum? sed quod post cursum, & quodlibet certamen usui esset, ne frigus madidos sudore artus penetraret. Fuisse autem hirsutam, villosam, & pinguem. Verba Tertulliani sunt de Cleomacho, qui ex pugile turpiore palæstra intercutitus factus erat: *Utique sicut vestigia cæstuum viria occupavit, ita endromidis solocem aliqua multitia synthesi extrusit*. Ubi *synthesi* lineo, mollique pallio endromida hirsutam, pinguem que, & soloci filo contextam opponit. Porro *solox pallium* idem Mercerus ex vet. Gloss. τὸ παχὺ crassum, & pingue interpretatur. Primus autem Cl. & Optimus Vir Gaspar Scioppius quid solox filum esset docuit *ad Symmachum epist.* I. & in *Verisimilibus* lib. I. cap. II. Verba Symmachi erant: *Quare elaboratam solatii filo accipe cantilenam:* feliciter emendavit *soloci filo*. Cujus vocis notationem a Græco fonte deduxit Salmasius, *ad eundem Tertullianum*.

Pingue igitur, crassumque, & soloci filo contextum vestimenti genus fuit endromis, idque Athletarum peculiare, Obvium est Martialis Epigramma XIX. lib. VI.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet:
Sordida, sed gelido non adspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis.
Plumea seu laxi partiris pondera follis,
Sive levem cursu vincere quæris Atham,
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua:
Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.
Non sic in Tyria sindone tutus eris.

Alibi etiam pauperis munus idem esse ait, sed non usum pauperis, cum a divitibus in Gymnasiis adhiberetur. Sumptam autem præcipue ad pellendum frigus Juvenalis docet, Sat. III.

—— *igniculum brumæ si tempore poscas*
Accipit endromiden.

Vet. Interpres: *Endromidem lodicem qua se cooperiat*. Nam quemadmodum Gausape, chlæna, sic

A & endromis qua amiciendo, qua insternendo adhibebatur.

Idem cum mulieres perstringit, quæ cum viris in palæstra exercebantur, ait Sat. VI.

Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma
Quis nescit?

Ubi non recte Tyrias molliores explicari videmus. Nam omnes omnino endromides pingues, crassæque erant, quippe arcendo frigori. Sed divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpura suebant, quales purpureas Homericorum Heroum chlænas fuisse scimus, qualem & Petronii coccinam gausapinam, & apud eundem Juvenalem coccinam lænam.

B Ceterum Græcis endromidas non pro vestibus, sed pro calceis accipi docti pridem observarunt ex Polluce lib. III. cap. ultimo: *Endromidas* appellant *cursorum calceamenta*. Hinc Vir doctus illud Juvenalis Sat. III.

Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine.

Trechedipna, Galliculas interpretatur parasitorum ad cœnam currentium. Quod Vet. Interp. habeat: *Trechedipna vestimenta parasitica, ut Galliculas Grajas currentium ad cœnam*. Sed in veteribus constanter est *Rechedinna*, quam & V. Interp. tuetur, neque tamen satis explicat. Verba ejus

C afferam, ut meliora reddam: *Rechedipna vestimenta parasitica, ut caligulas Grajas currentium ad cœnam. Niceteria. Vestes peregrinas victis convenientes; Vel Rechedipna est ipse, qui cœnam facit, ut sit ordo. O Quirine ille tuus rusticus rechedipna sumit, & fert niceteria collo ceromatico, & est sensus. En tibi o Romule rustici tui in omnem diffundi luxum jam didicerunt, & palæstris frui, & syllateriis. Nam & niceteria syllateria sunt, quæ ob victoriam fiebant, & de collo pendentia gestabantur.* Infra. *Niceteria vestes peregrinas victis* (Pithœus *victoribus*) *convenientes*. Lege: *Vitiis convenientes*, quod

D tunc Græcanicis vitiis corrupti Quirites essent. Illud autem *Syllateriis* recte idem Pithœus *phylacteriis* emendat, nam paulo ante *fracteriis*. Licet inepte Interpres, quod niceteria collo gestarentur ideo phylacteria credidit, sive amuleta victoriæ causa sumpta, quæ collo gestabantur, & hodie gestantur.

Sed quod ad Trechedipna attinet, licet Græci Trechedipnos appellarint parasitos, vestes tamen aut caligas ita appellatas non memini: neque apud Juvenalem ulla convivii mentio, sed palæstræ, ac ceromatis. & ideo V. Interpres ait; *Ecce in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, & palæstris*

E *uti & fracteriis, ut athletæ ad vincendum* Quare Turnebus lib. III. cap. XVII. *Trechedipna Gymnicas interpretatur, & Endromidem* intelligit, quod Juvenalis alibi endromidem, & ceroma conjunxerit. Inde autem dicta censet, quod Romani adeo Gymnasticis exercitationibus dediti fuerint, ut ad eas tanquam ad cœnam currerent. Quæ notatio ut placere non potest, nec tamen melior succurrit; ita Trechedipna malim vestes Gymnasticas, quam calceos parasiticos interpretari. Nam quod Rutgersius in *Variis Lectionibus* vestes peculiaribus familiarum coloribus distinctas

F intelligit, quas *Livreas* appellant, nimis argutatur.

CAP.

CAP. XII.

Tunicæ, ac Lacernæ Gausapinæ.

HÆC Gausapinorum vestimentorum causa dicta sunt. Sed & tunicæ, lacernæ, penulæ gausapinæ fuerunt. De penulis Gausapinis infra dicemus. Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. ait *ætate sua tunicam Laticlavi cœpisse texi in modum gausape*. quod indicat, & alias tunicas ascemas, & vulgares gausapinas fuisse. cum enim laticlavia aliis tunicis superindueretur, ex usu vitæ magis fuit interiores tunicas, & corpori propiores hirtas fuisse, & villosas, quam exteriores quæ ornando magis, quam tuendo corpori sumebantur. Fuere & ventralia gausapina, de quibus intelligendus Plinius eodem loco, cum ait *ætate sua in usum venisse ventralia villosa*. De quibus suus erit dicendi locus.

De lacernis gausapinis Martialis l. VI. ep. LIX.

Et dolet & queritur sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas.
Optat & obscuras luces, ventosque, nivesque:
Odit & hibernos, si tepuere, dies.
Quid fecere mali nostræ tibi, sæva, lacernæ,
Tollere de scapulis quas levis aura potest?
Quanto simplicius, quanto est humanius illud,
Mense vel Augusto sumere gausapinas?

Quod de penulis viri docti interpretantur non alio sane argumento, quam quod pænularum gausapinarum alibi meminerit Martialis. Non tamen hoc obstat, quin & lacernæ gausapinæ fuerint. Primo quia ætate Martialis nondum penulæ in promiscuo usu urbano fuere, sed tantum in itinere sumptæ: & gausapinæ quidem cum sudum erat, scorteæ pluviæ causa. Præterea jocose queritur Martialis lacernas suas tenues, ac detritas veluti per injuriam a lacernis gausapinis expelli, dicturus alioqui penulas suas leves a gausapinis Baccaræ pænulis extrudi. Quod comprobat alias lacernas hibernas fuisse, gausapinas nempe villosas, & hirsutas arcendo frigori, quæ togæ & tunicæ injicerentur, alias leviores, & æstivas quæ soli tunicæ loco togarum inductæ. Baccara igitur ut plures lacernas gausapinas, quarum non nisi hyeme usus, ostentaret, optabat frigus, ventosque, ac nives. At poeta, cui artis malo genio detritæ, levesque lacernæ erant, crudeliter illum facere dicit, qui male vestitis hiemem imprecetur, humanius, ac simplicius facturum si ipse vel media æstate gausapinas sumat, luxumque in nullius injuriam ostentet. Legendum ergo ut habent veteres editiones:

Quid fecere mali nostræ tibi, sæve, lacernæ?

Ut Baccara nomen viri sit, non fœminæ. Nullum enim mulieribus lacernarum usum fuisse, alias ostendimus.

CAP. XIII.

Lacernæ æstivæ. Tritæ, ac leviores, Juvenalis, & Martialis explicati.

EX his manifestum est Lacernas alias crassas fuisse densoque filo contextas, hirtas & villosas, quæ & gausapinæ dictæ, quæ ferme albæ erant, & ut loquitur Juvenalis, duri, crassique coloris, & arcendo frigori togis superinduebantur, & tunicis: leviores alias, ac tenuiores æstate gestatas, superbi ferme coloris, & improbi. Tales Crispino lacernas objectat Juvenalis Sat.

A I. idque inter causas cur satyram scribere cogeretur ponit, quod Crispinus Ægyptiæ plebis pars, Tyrias lacernas gestaret:

Crispinus Tyrias humero revocante lacernas.

Quem locum Veteribus intactum sic Nuperi interpretantur, *humero revocante lacernas, quæ mollitie, vel pondere defluxere*. Sed nec mollitie, nec pondere fluere lacernæ poterant, quæ in humero fibula nectebantur. Addunt: *Vel quæ rejectæ sunt in humeros*. Plautus:

Suam qui undantem chlamydem quassando facit.

At qui undantem vestem facit, non qui in humerum rejicit, vel humero revocat, sed potius qui B explicat, & vento reflandam, atque implendam aperit.

Magnus Ægyptii vernæ luxus fuit, qui lacernas Tyrias, id est, dibaphas gestaret, sed major, & non ferendus, quod plures in die lacernas mutaret, easque Tyrias. Hoc est, humerum revocare lacernas, quemadmodum Zoilus apud Martialem toties in hora syntheses mutabat. Sicut autem togas & tunicas alias pexas fuisse diximus, alias usu detritas, idem de lacernis dicendum. Martial. lib. I. ep. XCIII.

Cerea si pendet lumbis, & trita lacerna.

C Ubi *cerea* est amisso candore flavescens, & colore ceram referens, ut Turnebus: quod ante Domitius adnotaverat. Idem lib. VIII. ep. XXVIII.

O quantos pariter risus spectata movebit
Trita Palatina nostra lacerna toga!

Item aliæ longiores, breviores aliæ fuere. Idem in superiori epigrammate: *Cerea si pendet lumbis*. Id est, non ultra lumbos cadit, quemadmodum & tunica ejusdem Mamuriani, lib. I. ep. XCIII.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Et lib. II. ep. XLVI.

Tu spectas hiemem succincti lentus amici.

Id est, breves & tritas lacernas induti. Non quod D lacernæ succingerentur, sed quod tunica succincta brevior esset soluta, ita & breviores lacernas indutum succinctum appellat.

CAP. XIV.

De Amphimallis. Amphitapæ. Isidorus correctus.

QUOD ad lacernas, ac reliqua vestimenta gausapina attinet his contenti esse poteramus, nisi gausapina cum Amphimallis a viris doctis perperam confundi videremus. *Amphimalla* E enim ex Polluce lib. VII. vestimenta utrimque villosa recte explicarunt; nollem tamen adjecissent talia esse gausapa villosa apud Martialem, & Gausapinas pænulas. Nam diversa a Gausapis Amphimalla fuisse vel unus Plinius docuerit lib. VIII. cap. XLVI. cum ait, *Gausape patris sui memoria cœpisse, Amphimalla autem ætate sua venisse in usum*. Non aliud ergo discrimen, quam quod gausapa ex una tantum parte villosa essent, Amphimalla, ut & ipsa vox declarat, utrimque villos haberent.

Eadem prorsus ratione, qua Ammonius inter F Tapetes, & Amphitapetes discrimen posuit. *Τάπητες καὶ ἀμφιτάπητες διαφέρουσι. Τάπητες μὲν γάρ εἰσιν οἱ ἐκ τοῦ ἑτέρου μέρους μαλακὸν ἔχοντες. Ἀμφιτάπητες δὲ οἱ ἐξ ἀμφοτέρων.* Ubi *μαλακὸν* pro molli villo, sive pilorum mollitie posuit. Ut eadem res plane fuerit Gausapæ & Tapetes, Amphimalla & Amphitapetes, sive Amphitapæ. Illa ex una parte, hæc utrimque villos habentia: Hesychius: *Ἀμφιτάπης χίτων ἑκατέρωθεν ἔχων μάλλους.* *Amphitapas* vestes teste Nonio Latini dixere. Lucilius Sat. I. lib. I.

Psilæ, atque amphitapæ villis ingentibus molles.

Quæ voces apud Isidorum corruptæ leguntur lib. XIX. cap. XXVI. *Habet enim Sipla & Amphitaba.* Additque de more ineptam notationem *Sipla quasi simplex*. Sed ψιλὴ μαλλῶν τάπης est tapes villis nudus, sive glaber. Alium Lucilii versum adducit Nonius:

Pluma, atque amphitapæ & aliud quid
Deliciarum.

Item Varro Manio: *Alterum bene acceptum dormire super Amphitapa bene molli.* Ulpianus etiam D. *de auro argento legato*, *Amphitapa inter vestimenta virilia* recensuit.

Ergo Amphitapæ sive Amphimalla utrimque villosa. Pollux lib. VIII. τὸ ἀμφίμαλλον χιτῶνα δασὺν, καὶ χιτῶνα μαλλοῖς δασὺν, καὶ ἀμφίμιτον. Ælianus *Variæ historiæ* lib. III. cap. XL. Ἐσθὴς δ' ἦν τοῖς Σιληνοῖς ἀμφίμαλλοι χιτῶνες. Subjicit hoc vestitu referri vitium sationem, & vinearum palmitumque hirsutam densitatem. Glossæ Isidori: *Amphibulum birrum, villosum.* Lege. *Amphibalum, sive Amphimallum, birrum villosum.* Male qui birrum utrimque villosum corrigunt. Nam Amphimallos birrus est lacerna utrimque villosa.

CAP. XV.

Lacernarum Forma.

ET hæc de Lacernarum materia satis dicta sint. Earum formam nobis antiqua monumenta repræsentant. Ut lacerna pallium fuerit Græcanico brevius, ac strictius; chlamyde laxius, ac fusius. Alias nullum inter Græcorum pallium, lacernam, & chlamydem discrimen fuisset. Nam licet initio, ut ante diximus, lacerna nihil aliud fuit, quam vestis militaris, hoc est, ipsa chlamys, credibile tamen est postquam in usum urbanum concessit, & decoris causa quod togæ loco sumeretur, & quia ad propulsandum frigus, latiorem longioremque chlamyde fieri cœptam, ut chlamys vix ad genua pertineret, & fere posteriorem corporis partem valeret, lacerna totum corpus tegeret, & infra genua caderet: Alioqui Martialis Mamurianum non notasset quod trita lacerna lumbis penderet, id est, non ultra lumbos caderet.

Fuisse autem pallium Græcanico brevius, & strictius præter veteres figuras ex eo apparet, quod cum Romæ multi palliati Græco ritu essent, multi etiam in provinciis lacernati, cum omnes tunicati essent, hoc unum discrimen debuit esse inter Romanum, & peregrinum vestitum. Præterea lacernam vestem fuisse strictam, & angustam docet Artemidorus lib. II. cap. III. cum ait si quis in somnis videat chlamydem, quam alii Μανδύην, alii ἐφεστρίδα, alii Βήριον vocant, portendere angustias, & litigantibus damnationem διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα, quod corpus circum amplectatur, & stringat. Idemque penulam simile vestimenti genus significare.

CAP. XVI.

De Fibulis. An insigne Tribunitium fuerint? Martialis locus expensus.

QUONIAM autem pallia aperta, & reliqua amicula, quæ tunicæ injiciebantur ne humeris deflucrent, fibula nectebantur: qualiter chlamydes veteres nummi, ac statuæ referunt, ita & lacernas fibula junctas credi par est, licet in nummis & statuis lacernam adhuc requiramus. nec mirum cum duraturæ in sæcula effigies præstantissimo pacis, aut militiæ cultu formarentur, toga scilicet, chlamyde sive paludamento. Nec amicula modo, sed & tunicas fibulis nexas scimus: quas nempe χιτῶς & χιζομένας dixere. Pollux lib. VIII. ὁ χιτὸς χιτὼν περόναις κατὰ τοὺς ὤμους διῇρτο. In quibus fibulæ loco futuræ erant. Porro in togis nullum fibulæ locum fuisse olim vicimus. Fuisse in lacernis eo credimus, quia chlamydes cum fibula, quodque alioqui nisi fibulatæ essent humeris fluxissent, quam quod apud scriptores fibulæ mentio in lacernis occurrat. Aut certe loco fibulæ futuram fuisse necesse est, ut in Figura videre licet. Nam quod illud Ammiani lib. XIV. *sudant sub ponderibus lacernarum, quas in colli exserta singulis ipsis adnectant*, Marcellus Donatus *Fibulis ipsis* legat, vox *ipsis* redundet necesse est, deinde quid erit *colli exserta*. Sed locus ille, licet Cl. Valesius medicinam facere conetur, depositus est, & ne ab Apolline quidem sanandus. Meminit & fibularum Martialis lib. V. ep. XLII.

Spadone cum sis eviratior fluxo
Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque, & Idus, Fibulasque, censusque.

Sermo est de molli, atque evirato, cui cum quadringenta essent insignia equestria, has prærogativas jactabat. Theatra, & gradus, jus sedendi in XIV. Edicta de separandis equitum subselliis: Trabeas & Idus Julias, quibus trabeati transvehebantur, ut omnibus notum. Sed quid sint hic fibulæ, non est facile statuere. Domitius vestem Theatralem intelligit. Sed qualis ista? & quis fibulam vestem dixit? Alii fibulam insigne nobilitatis, & Tribunatus fuisse ajunt. Quod nullo vetustatis testimonio confirmatur. Et quærendum primo fuit, quænam ista fibula. non togæ, aut tunicæ, non lacernæ. nam promiscuus in lacernis etiam eorum, qui non essent equites, fibulæ usus. Sed Tribunorum aureas fuisse contendunt, laudantque Alexandrum ab Alexandro quasi ejus auctoritas tanti esse debeat, ut pro Veterum testimonio stare possit. Saniores Plinium advocant qui lib. XXXIII. cap. III. conqueritur auri luxum adeo in militia quoque dura illa, atque horrida adolevisse, *ut M. Bruti in Philippicis campis Epistolæ repertæ sint frementes fibulas Tribunitias ex auro geri.* Quæ quidem ex opposito sententiam Alexandri oppugnant. Si enim extrema Rep. fremebat Brutus aureas fibulas gestari: non ergo illæ insigne Tribunatus fuere. Cum præterea non constet ex Martiale Didymum fuisse Tribunum.

Brodæus hic censet fibulas Trabearum fuisse. Sed cum Trabeæ togæ fuerint, nullus in toga fibulæ usus. Quamquam non ita præter rem fuerit aliquem fibulæ locum in Trabea dare, ad eam nempe cum in equis transveherentur contrahendam. Cum Dionysius in trabeis Saliorum fibulam agnoscat lib. II. τὰς τηβέννας ἐμπεπορπημένοι. Etsi alias, nec recte, togam Saliis a Dionysio dari diximus, & trabeas in transvectione Gabino cinctu non fibula suspensas diximus.

Verisimilius est, fibulas aureas militari luxu ætate Bruti a Tribunis usurpatas invaluisse per bella civilia, ut postea Tribunitium insigne fuerint. Didymum autem Tribunum fuisse honorarium, ut & Martialis lib. III. ep. XCV.

——— Vidit me Roma Tribunum.

Sed adhuc incertum, fibula ea aurea in chlamyde fuerit, an lacernis, an in baltheo militari.

Quidquid sit, non parum falli eos necesse est, qui tradunt Tribunos primum vetusto more aureas

fibulas gestasse, deinde pueros, mox cives, postea milites gregarios, demum iis donatos Equites a Senatoribus clavi qualitate distinctos. De Tribunis falsum, ex Plinio ostendimus. Quod pueri, & cives, id longe a vero abit. Apulejus notat puerum ephebica chlamyde indutum sinistrum tegente humerum. Sed nulla ibi fibula. Quæ si adfuisset, utrumque humerum chlamys operuisset. Solus Aurelianus earum usum manipularibus indulsit. Et equestri ordini donatas, nullus quod sciam tradidit. Nam Livius loquitur de equitibus in exercitu: quos ex equestri ordine non omnes fuisse nemo ignorat.

CAP. XVII.

Fibulæ Vestiariæ figura. Quintilianus explicatus. Pollionis locus expensus.

VARIAS fibulæ Vestiariæ figuras attulit doctissimus Jo. Rhodius in libro *de Acia*, quem operæ pretium fuerit consulere. Major earum pars adinstar arcus fuit, ut fibula oblonga fuerit & incurva, acus recta, nervum in arcu exprimens. Quare facile fuerit intelligere cur apud Quintilianum lib. VI. cap. III. Junius homo longus, niger, macerque & pandus appellaretur *fibula ferrea*. nam quod pandus esset, sive incurvus figuram fibulæ, quod macer tenuitatem, quod niger ferri colorem exprimebat.

In Lentulo, cui Spinther cognomentum inditum est, diversa res fuit. nam quod Spintheri histrioni simillimus esset ita appellatus est. Plinius lib. VII. cap. XII. *Ejusdem familiæ Scipioni cognomen Salutio mimus dedit, sicut Spinther secundarum, tertiarumque Pamphilus collegio Lentuli, & Metelli Consulum*. Nam cum Spintheri secundarum partium in comœdia simillimus esset Scipio Lentulus, Spinther inde dictus est, quemadmodum Metellus, quod similis esset Pamphilo tertiarum partium, Pamphilus dictus est. *In quo perquam importune*, subjicit Plinium, *fortuitum hoc quoque fuit duorum simul Consulum in scena imagines cerni*. Veteres libri habent *Spinter Secundanus, Retiariusque*, quæ res impulit doctissimum Barbarum, ut de gladiatoribus Plinium interpretaretur, neque animadvertit nullum fuisse in scena gladiatoribus locum. Secundarius & Tertiarius est, quod nuperi reposuerunt secundarum, & tertiarum partium histrio in comœdia: nec erat cur vetus lectio moveretur. Ceterum spintherem fibulam in humeris, aut armillam veteres Grammatici in Plauti *Menæchmis* interpretantur. Festus: *Armillæ genus, quod mulieres gestare solebant in brachio sinistro*. Quod autem eæ armillæ annulis jungerentur, inde Tiberianos spinthrias infando opere tres invicem colligatos Josephus Scaliger dictos recte putavit.

Quod autem ad vestiarias fibulas attinet, in antiquis monumentis fere omnes orbiculari figura apparent in medio ad instar bullarum protuberantes, ut scilicet in interiori parte duobus uncinulis utraque vestis pars necteretur. Sive duo semicirculi, aut virgulæ incurvæ vestimentis hinc inde aptarentur, quæ committerentur, & injecta acu jungerentur. Philostratus in *Vita Apollonii* lib. I. *Puellæ ambos oculos, marito alterum effodit acubus ad id facinus usa, quibus vestimentorum fibulas nectebat*. Ita Oedipum sibi fibulis oculos cruentasse ex Tragicis docti adnotarunt. De fibula insignis est Trebellii Pollionis locus in *Zenobia*: *Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo gemmis dependentibus per ultimam fimbriam, media cochlide veluti fibula muliebri adstricta, brachio sæpe nudo*. Vulgatæ editiones habent, *media in Cyclade*. Ex manu

A exaratis, & veteribus libris duo summi viri *Cochlide* reposuerunt, quod & Ægnatius agnoscit. Id ut rectum sit, ita minime expeditum videtur quid sit ibi *limbus*. Vir doctissimus non posse pro vestis extremitate accipi observat, sed pro veste ipsa quæ limbum purpureum haberet: quam vestem non fuisse cycladem rotundam, & clausam ex eo conjicit quod indecorum videatur ad milites Zenobiam cum veste muliebri processisse, cum & galeata esset. Sed hercules major luxus, & notabilior in gemmis quam in veste militaris fœminæ, quæ sexus propria, & muliebriter culta. Atqui in cyclade, quæ clausa, & rotunda, nullus fibulæ lo-
B cus. Quare existimat fuisse sagum vel Imperatoriam chlamydem, quæ cochlide pro fibula nexa. Porro mediam interpretatur fimbriam quæ in medio fibula clauderetur. Sed numquam fimbria nisi pro extrema vestium parte accipitur, & si sagum, vel chlamys in medio pectore clausa, quomodo brachium exeri potuit? Quare verisimile mihi videtur vestem muliebrem fuisse cycladem scilicet rotundam, & clausam, quæ ne longius flueret, ac pedes more matronali perfunderet, fibula in pectore constricta revocaretur, & suspenderetur: qualis apud Poetam Pentesilea,

C *Aurea subnectens exertæ cingula mammæ*.

Posse autem vocem *muliebri* abesse crederem. nam glossema olet, & non extare in Regio codice Casaubonus notat. Sed nimis fortasse minuta ista sunt, atque anxia, quare alio orationem vertamus.

CAP. XVIII.

De Fibula Theatrali. Martialis explicatus.

ET quoniam in Fibulæ mentione versamur,
D pauca de Fibula Theatrali adjecisse non omnino præter rem fuerit. Ejus usum apud Veteres fuisse, ut Cantores, & quicumque in Theatro voce placebant, a Venere arcerentur omnes sciunt. Sed qualis ea fuerit, non ita compertum est. Communior sententia est, cui Doctissimus Rhodius adstipulatur, fuisse annulum æreum, vel argenteum quo trajiciebatur cuticula, eam partem operiens quam exerceri nolebant. Non quidem, ut falso creditum est, quibusdam totum membrum unde procreamur transfigens: sed tantum cutem glandis velamen. Quo modo & pueros custoditos scimus, ne pubescens ætas in virilita-
E tem præcipitaretur. Plinius lib. XXXIII. *Jam vero & pædagogia ad transitum virilitatis custodiuntur argento*. Quare Romanæ matronæ cantorum concubitus summopere appetebant, magnoque redimebant. Juvenalis Sat. VI.

Solvitur his magno Comœdi fibula, sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent.

Hi namque homines, cum majori pretio gratificarentur matronis, quam vocem venderent, patiebantur se refibulari, etiamsi vox deterior fieret.
F Martialis lib. XIV. ep. CCXV.

Dic mihi simpliciter comœdis & citharœdis
Fibula quid præstat? carius ut ——

Quidam tamen fibulam non annulum, sed thecam & vaginam fuisse dixerunt, moti auctoritate Martialis, qui lib. XI. ep. LXXVI. memorat Cæliam, cum promiscue lavaretur, adduxisse nihilominus servum, qui ænea theca virorum partes tegebat, quam infra appellat fibulam:

Ergo, ne videaris invidere,
Servo, Cælia, fibulam remitte.

Salse hoc idem in alia matrona perstringit lib. VII. ep. XXXV. cui ait quoties calidis aquis foveretur præsto fuisse servum succinctum inguina nigra aluta: subjicit.

Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus,
Judæum nulla sub cute pondus habet.

Cur servus tuus fibulam habet, cum nec ego, nec servus meus, nec quicumque in balneo est, eam habeat? quam Judæum pondus appellat, quod circumcisi ad velandam gentis infamiam membrum tegerent, quod præcidebant. Præterea epigram. LXXXII. ejusdem libri,

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit Comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in uno)
Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ.
Dum ludit media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula: Verpus erat.

Quo loco notant Interpretes duo fibularum genera fuisse: Indumentum quo comprimebantur simul, & tegebantur verenda, tum filum æneum, argenteumque præputio trajectum. Utrumque falsum. Nam neque filum fuisse Celsus indicat, qui a filo fibulam distinguit, & filo exempto fibulam inditam docet: neque vestimentum fuit, quomodo enim eo comprimi, & coerceri pudenda potuere? Annulus ergo fuit promiscuus ex ære, in pædagogiis ad luxum argenteus: isque ne facile solvi posset a fabro igne glutinabatur, & ab eodem cum opus esset refibulabatur, sive solvebatur. Quid ergo theca illa & aluta, fibulaque penem vestiens apud Martialem fuit? Nempe subligaculum, & vagina quædam, cujus usus non ad custodiendam vocem. qui enim fieri poterat, si tam facile removebatur, & sponte cadebat? sed honestatis causa adhibebatur, præcipue a Judæis, ad celandam præcisionem, qui tamen non infibulati, nec enim poterant, cum pellicula carerent, quæ trajiciebatur, quod Josepho Scaligero negotium facessebat: sed quia ferme, qui infibulati erant, etiam thecam hujusmodi, & alutam gestabant, sive ut laterent, sive ne nimio motu, atque incussu annulus cutem læderet, sive aliam ob causam, propterea improprie eam Martialis fibulam appellavit, quæ fibula non erat, sed potius fibulæ ipsius tutamen, certe nullus in ea fibulæ usus, qui erat Venerem arcere: atqui hujusmodi theca, sive vagina ex aluta, & removeri facile poterat, & sponte labebatur. Cum præterea Celsus fibulam meliorem dixerit quo levior: ad hæc quæ ad celandum inventa adeo gravis, ut *Judæum pondus* Martialis appellaverit, quo recutitorum inguina trahebantur. Hæc igitur vel subligaculum fuit, vel non multum subligaculo dissimilis, aut campestri. Sed in viam redeamus.

CAP. XIX.

De Fimbriis.

GRAMMATICI veteres Lacernam pallium fimbriatum esse dixerunt; Penulam autem pallium cum fimbriis longis. Sed vereor ne id suo Marte commenti sint, cum in antiquis monumentis quæ lacernas, ac penulas præferunt nusquam hujusmodi fimbriæ breves aut longæ appareant. Et tamen Isidorus ideo lacernas dictas putat, quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis ut sunt penularum, ut lacernæ quasi laceræ dictæ sint. Somnia. Nam quæ sunt ista fim-A briarum capita? Et quomodo minus laxa quam in penulis? Utut sit, Veteres teste Varrone *Fibrum dicebant extremum, unde fibræ jecoris, & viscerum extremitates: ita a fibro fimbrias in sagis extremitates esse dictas* subjicit. Nonius etiam fimbriam extremitatem vestium explicat: *Fimbria sunt omnis extremitas*. Nævius *Lycurgo*: *Ut videam Vulcani opera hæc flammis fieri flora*. Gotofredus: *Fimbriis fieri florida*. Sed lacunam doctissimus Mercerus deprehendit, & defectum, quod Nævii locus ad aliam notam pertinet, nempe *Flora*. cujus exemplum e Nævii *Lycurgo* petit, exemplum fimbria-B rum librarii incuria omissum sit. Isidorus: *Fimbriæ vocatæ ora vestimentorum, hoc est, fines, ex Græco vocabulum trahentes. Græci enim terminum ὅρον vocant*. Ubi non unde fimbriæ, sed oræ vestimentorum dictæ sint indicatur.

Quod si fimbriæ non aliud quam vestium extremitates fuere, ineptum esset aliquod vestimentum fimbriatum appellare, cum omnia extremitates habeant. Sed fimbriarum tanquam ornamentorum scriptores meminerunt. Marcellinus lib. XIV. *Ut longiores fimbriæ tunicæ perspicua luceant varietate liciorum effigiatæ in species animalium multiformes*. Suetonius in *Cæsare* cap. XLV. *Et cultu nota-C bilem ferunt. usum enim lato clavo ad manus fimbriato*. Ad quem locum Beroaldus & Sabellicus viri ætatis suæ doctissimi quid essent fimbriæ ex Plinio docuerunt, qui *fimbriata urticæ folia esse* tradit, & alibi *fimbriatam avellanæ nucis barbam*, multifariam scilicet in ora recisam. Fimbriæ ergo in extrema vestimentorum parte fila fuerunt, floccique dependentes, quas non *Frangias* appellamus; item ipsa vestium extremitas, minutim concisa capitibus in acutum desinentibus adinstar pinnarum, quos ideo *merlos* dicimus. Cicero *in Pisonem: Madentes cincinnorum fimbriæ*. Capilli enim ferro D vibrati & in cincinnos torti in extremitate cum solvuntur fimbrias referunt.

Porro Cæsaris Dictatoris latum clavum ad manus fimbriatum dupliciter Casaubonus interpretatur. Tunicam laticlaviam manicas ad manus usque habentem, easque fimbriatas; vel tunicam simpliciter ἀνάκωλον, id est, ea longitudine, ut brachia tegeret. Quod quomodo fieri potuerit, non satis scio. Tunica enim ἀνάκωλος Plutarcho dicitur brevissima tunica. cumque communes tunicæ brachia ad manus usque non tegerent, multo minus breviores & angustæ. Duplex igitur Cæsaris luxus notatur, quod manuleatam & chiridotam E tunicam laticlaviam gestaret, quodque eæ manicæ fimbriatæ essent: quale ornamentum minime viros deceret.

Nec vestibus modo, sed & stragulis mappisque fimbriæ addebantur. Plinius inter signa letalia recenset *fimbriarum curam, & stragulæ vestis plicaturas*. Petronius Trimalcionem discumbere commodum incipientem describens: *Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque onerosas veste cervices laticlaviam immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus*. Tale & linteum, quo atriensem accinctum describit Phædrus in *Fabulis*:

F *Ex alte cinctis unus atriensibus,*
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta cirris dependentibus.

Malo enim cirros, sive fimbrias ad linteum Pelusium referre, quo tunica destricta, quam cum doctissimo viro ad ipsam tunicam. nam linteum illud sindon fuit, sive mappa, qua ministri conviviorum accingebantur, quæ adinstar Petronianæ fimbriata. Porro *cirratas militares* apud Capitolinum malo cum eodem *fimbriatas* interpretari, quam hirtas, aut villosas.

Ceterum fimbria Græcis est *πέζα*, *κράσπεδον*, *θύσανος*, *κροσσός*. Quamquam *πέζα*, & *κράσπεδον* omnem vestium extremitatem significet, limbum scilicet, oram, laciniam, institam. Theocritus Idyllio II. *τῶ ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις*. *θύσανος* καὶ *κροσσὸς* proprie fimbriam, qualiter Homerus *αἰγίδα θυσανοέσσαν* appellat, & Plutarchus Luculli *κροσσωτὴν ἐφεστρίδα* *chlamydem fimbriatam*. Hanc distinctionem agnoscit Pollux lib. VII. Scribit enim *κράσπεδα* dici *τὰς τελευταίας ὄχθας τοῦ ἱματίου*: *θυσάνους* vero *τοὺς λεγομένους κροσσούς*. Hesychius *Κροσσοὺς τὰ κάτω τῶν ἱματίων τὰ ῥαμματώδη*, villos scilicet sive floccos, & fimbrias. Ita Suidæ *κροσσὸς* est *μαλλός*. Quare Marci cap. VI. *καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται*, malim interpretari limbum, & laciniam pallii, quam fimbriam. Ita & Plutarchus in *Gracchо* de Scipione Nasica: *Τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς*, *Togæ laciniam capiti imponens*.

CAP. XX.

An Lacernæ cucullum habuerint? Martialis explicatus.

ROMANOS, cum togati essent, nudo capite incessisse ostendimus: penulam cucullum habuisse dicturi sumus: an lacernati tecto capite fuerint disquirendum est. Lacernas pileum annexum habuisse indicare videtur Martialis lib. XIV. ep. CXXXII.

Si possem totas cuperem misisse lacernas,
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Domitius & reliqui notant pileum libertatis insigne Saturnalibus gestatum, quibus cum & lacernæ gestarentur, a paupere causam reddi cur lacernas non mitteret simul cum pileo, quod pauperi facilius esset pileum donare, quam lacernas. Sed lacernæ cum pileo Saturnalibus minime gestatæ, cum syntheses, sive cœnatoria tantum induerentur, ut ex Martiale notissimum est. Idem Domitius *ad Statium*, & cum eo Brodæus in *Miscellaneis* aliam afferunt interpretationem, pilea scilicet ex attritis lacernis confici solita teste Statio *Silv.* lib. IV. cap. IX.

—— usque adeo ne defuerunt
Cæsis pilea suta de lacernis?

Mihi tamen verisimilius videtur hic pileum sumi pro cucullo, qui cum opus esset simul cum lacernis tegendo capiti sumebatur, ut pauper, qui totas lacernas mittere non poterat, solum cucullum miserit. Nam ut demus, pauperiores pilea ex lacernis confecisse, pilea tamen, quæ a libertis, & in Saturnalibus ab ingenuis gestabantur ex lana coacta confecta fuisse credere debemus, aliter ægre pluvia arceri potuisset. Statius autem eo loco vilissima, & pauperrimorum Saturnalitia dona per jocum recenset: qualia Martialis inter Apophoreta non adscriberet. Neque pileum ex lacerna confectum proprie quis lacernæ partem diceret.

Quod igitur cuculli cum lacernis sumerentur, pauper qui lacernam mittere non poterat solum cucullum donat. Idem ep. CXXXIX.

Jungere nescisti nobis, o stulte, lacernas:
Indueras albas, exue Callaicas.

Mirum est nullum Interpretum veram sententiam assecutum esse. Alii enim togas tinctas rufo colore, cum parum eum retinerent, superinductas lacernas infecisse: quasi togæ communes alio colore, quam albo essent, aut cucullum haberent. Alii pallia cucullata dixerunt, quasi lacernis pallia imponerentur: Alii demum contrario sensu albas lacernas cucullis Liburnicis superinductas, cum cuculli lacernis ipsis injicerentur.

Sed cucullus capitis tegmen fuit, ut & partem humerorum velaret, quales a sacris hominibus hodie gestari videmus. Ii cum lacernis sumebantur, vel pluviæ arcendæ, cum nondum penulæ in usu intra urbem essent, vel latendi causa, ita tamen ut separari a lacernis possent, atque amoveri. Unde ait Martialis ubi supra:

Si possem totas cuperem misisse lacernas,
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Porro cuculli Liburnici dicti sunt, quod Liburnica lana conficerentur: de qua Plinius lib. VIII. Illos igitur non bene cum lacernis albis junctos tradit Martialis, quod colorem male retinentes eundem lacernis affricarent, ut pro albis Callaicæ exuerentur. Callaicas autem ab auri colore rutilas dici quidam existimant, alii Callainas, idest, cœruleas a gemmæ colore instar sapphiri.

Cucullus igitur capitis, atque humerorum tegmen densum, ac villosum ad frigus atque imbrem arcendum sumebatur, & ipsi lacernæ, cum opus esset, injiciebatur. Juvenalis Sat. III. de Curio Dentato:

Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negabit
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam,
Contentus illic Veneto duroque cucullo.

Vet. Interpres, *duroque aut crasso habitu, aut quales cucullos habent Perusini. Veneto a colore, aut a provincia*. Quod autem vile tegumen esset, & præcipue ad latendum, propterea noctu sumebatur in discursationibus, & ad dissimulandam personam. Idem Poeta de Messalina petente lupanar:

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero.

Ubi alia res fuit cucullus, alia galerus, quamvis utrumque capitis tegmen. Nam galerus est capillamentum adscititium, quod & galericulum. Rotundum muliebre capitis tegumentum in modum galeæ factum Vetus Scholiastes interpretatur, quo utebantur meretrices. Quod vero adjicit, ideo flavum sumptum, quia nigro crine matronæ utebantur, Grammatici deliramentum est. Quis enim credat matronas omnes nigro, meretrices flavo crine fuisse? & tamen huc Servius tantus vir misere impegit. Nam ad illud *Æneid.* V.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Nunquam matronis, ait, *flava coma dabatur, sed nigra*, mox Juvenalis versum adducit. Quasi Elisæ, quod futura impudica esset, flavi crines initio provenissent. Tum in contrariam labitur sententiam: *Aut Flavum*, inquit, *quia in Catone legitur de matronarum crinibus: Flavo cinere unctitabant ut rutilæ essent*. Sed credibile est flavum crinem a poeta Elisæ datum ad augendam ejus pulchritudinem, & Messalinam, cum nigris capillis esset, flavum galerum sumpsisse, sive ne dignosceretur, sive ut formosior amantibus videretur.

CAP. XXI.

Lacerna pro Cucullo. Item birrhus pro eodem. Bardocucullus. Juvenalis explicatus.

CUCULLUM ferme latendi causa sumptum diximus. Capitolinus in *Vero*: *Vagabatur nocte per tabernas, & lupanaria obtecto capite cucullione vulgari viatorio*. Juvenalis Sat. VI.

Illa jubet juvenem sumpto properare cucullo.

Ne scilicet dignosceretur in itinere, cum matronæ fucum factum properaret. Quia autem, ut diximus, simul cum lacerna sumebatur, ideo lacerna pro cucullo, & capitis tegumento sumitur apud Horatium lib. II. Sat. VII. A

Turpis odoratum caput obscurante lacerna.

Et quia lacerna, & birrhus, ut dicemus, eadem res fuit, inde birrhus pro pileo sive cucullo. Juvenalis Sat. VII.

—— quo te nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?

Vet. Interpres *Birrhum Gallicum* explicat. nam apud Santonas Galliæ oppidum conficiebantur. Fulgentius lib. III. *adversus Monimum: Itaque cum Arrianus quidam aliquando in Africa cum Catholico de his verbis Joannis disputaret accepto de capite Catholici pileo, & manu tenens interrogabat. Hic Birrhus, sic enim appellabat, est ne in me, an apud te?* Inde birretum profluxit. Porro idem vetus Juvenalis Scholiastes *Santonicum cucullum* explicat *galerum fuscum & horridum Ardeliunculum, quales sunt latrunculatorum, aut ex lucerna turpi intinctum*. Quod quid sit, divinare non possum, nec Rutgersio assentiri, qui *Albelionem* legit. Illud certum est bardocucullum hic a Juvenale notari. Martialis lib. XIV. ep. CXXVIII. B

Gallia Santonico vestit te bardocucullo
Cercopithecorum penula nuper erat.

Quo vilissimum tegumenti genus fuisse apparet, ut per ludibrium eam simiorum penulam fuisse dicat. Quod lib. I. ep. LIV. confirmat: C

Sic interpositus vitio contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Ubi placet quod docti reposuerunt, *villo contaminat uncto*. Nam lacernis urbanis purpureis Gallicum cucullum villosum, & unctum opponit.

Sed incerta nominis notatio. Turnebus, & alii a Bardeis Illyrii populis deducunt ex Vetere Glossario. Quod si placet, dicendum est, vestem in Illyrico inventam post apud Gallos texi, atque in usu haberi cœptam. Nam qui a Bardis Gallorum vatibus, aut a bardis fatuis & stolidis originem trahunt, næ illi parum a bardis absunt. Huc quidam trahunt illud Martialis libro IV. epist. IV. D

Lassi Bardiacus quod evocati.

Ut sit Bardiacus, sive ut alii habent *Bardaicus* cucullus, sive sagum militare ex pilis caprarum, quo milites in castris utebantur, quod sentit Domitius. Non tamen gravem bardiacio dorem, quod pili hircini male oleant, sed ex sudore, & sordibus manipularis defatigati.

Eadem vox apud Juvenalem extat Sat. XVI. E

Bardaicus Judex datur hæc punire volenti,
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ.

Veteres Interpretes, quos sequitur Vir Doctissimus *ad Historiam Augustam*, calceum bardaicum intelligunt. Sed verior Britannici interpretatio de sago, sive cucullo bardaico, idque ex sententia poetæ. Datur Judex Bardaicus grandisque calceus, id est, caliga, vel campagus, & grandes suræ, per quæ omnia describitur Tribunus, vel Centurio. Vet. Interpres: *Bardaicus Judex Centurio, qui quasi apud illos militavit habentibus stationem apud Bardos. est autem gens Galliæ, vel qualis fuit Bardus*. Corrupte. Rutgersius legit *qui Oasi inter illos militavit*, sed reliqua repugnant. nam Oasis in Ægypto. Turnebus militarem Gallicum interpretatur; sive a Bardis Galliæ, sive a Bardis Illyrii. Simplicior sententia est *Bardaicus Judex*, id est, bardocucullo vestitus, sive ille ex crassiore lana, sive ex caprarum pilis, & cilicio confectus. Qualem propterea Centurio- F

nem fortasse hirsutum capellam audacter appellat idem poeta alibi, non tam quod capillis ac barba promissa, sed quod sago hirsuto atque villoso indueretur. Gemina Claudiani sententia lib. I. *in Rufinum:*

Mœrent captivæ pellito Judice leges.

Bardaici cuculli meminit & Capitolinus in *Pertinace: Auctio rerum Commodi in his insignior fuit. Vestis subtegmine serico aureis filis insignior per tunicas, penulasque, lacernas, & chiridotas Dalmatarum, & cirratas militares, purpureasque chlamydes Græcanicas, atque castrenses: & cucculli Bardaici, & toga, armaque gladiatoria gemmis auroque composita*. Casaubonus corrigit *Vestes s. s. a. f. insigni opere tunicas*, &c. quo loco intelligendum putat Salmasius *vendidit*. Sed cuculli Bardaici & toga armaque in recto casu sunt, nec ad *vendidit* referri possunt. Ego nihil mutandum censerem. Vestis insignior fuit subtegmine serico aureis filis per tunicas, penulasque, &c. quod omnes hæ vestes recensitæ aurea trama & serico stamine (hoc enim subtegmen hic significare Salmasio assentior) contextæ essent. Tum sic interpunge. *Chlamydes Græcanicas, atque Castrenses. Cuculli Bardaici.* & reliqua. Quid enim insigne in his vestibus fuisset, nisi quod contra morem Romanum auro, & serico confectæ erant? Ita Caligulam tradit Tranquillus solitum pictas gemmatasque penulas gestare. Quod autem hæ vestes partim in quarto casu legantur, partim in recto non aliam causam afferre scio, quam culpam ejus, qui incuriose has vitas consarcinavit. Non recte autem idem Casaubonus in sententiam Fabri concedit existimantis mendum esse in voce *toga*, & reponentis *sagum*, quod nullus in gladiatorio vestitu togæ locus. Falso. Nam gladiatores togati per pompam incedebant, cum in arenam inducebantur.

CAP. XXII.

Cucullus Monachorum. Ejus figura. Cadurcum. Juvenalis explicatus.

NON bardocucullus modo, sed quicumque cucullus vilissimum tegmen fuit. Martialis lib. X. cap. LXXVI.

Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

Quam causam fuisse puto, ut Faber servilem vestem crediderit, quem satis antea refutavimus. Vere etiam servi cucullati. Sed & liberi, ut ex allatis poetarum locis, & aliis pluribus liquet. Martialis de Mannejo, qui non modo ingenuus, sed etiam pro equite se venditabat. lib. V. Epist. XIV.

Illic cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno.

De servis Columella lib. I. cap. VIII. *Cultam vestitamque familiam magis utiliter, quam delicate habeat, munitam diligenter a vento, frigore, pluviaque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis* (id est, tunicis scorteis manuleatis) *centonibus confectis, vel sagis cucullis*, ubi malim *cucullatis*. Propter eandem causam antiquis Ascetis, ac Monachis cucullus adhibitus arcendo scilicet frigori, cœlique injuriis. Aliam affert D. Hieronymus: *Sedentes autem cucullis capita sua velent, ne alter alterum aspiciat manducantem*. Nunc Monachi Capitium a tegendo capite vocant: sed Capitium, teste Varrone, alia res Veteribus fuit. Scotorum doctissimus non illepide in genus quoddam hominum ludit, quod sexus ignoratione barbare, ac præpostere cucullam appellent, & sic veluti naturam invertant. Sed ut

arbitror istis Latinitatis osoribus cuculla est contracte vestis cucullata, sive habens cucullum, quasi Benedictinorum.

Nec eadem apud omnes nunc cuculli forma, aliis acuminata, aliis rotunda. Mirorque tantum otii viris gravibus, & vanitatis contemptum professis superesse, ut longis, atque aculeatis commentationibus disputaverint Divi Francisci cucullus acuminatusne fuerit, an rotundus: quasi in hoc Christianæ Reipub. salus niteretur. Sane Veterum cuculli oblongi, & in acumen desinentes. Nam per similitudinem cucullos appellaverunt chartæ involucra, quibus thus, piper, & alia odoramenta tegebantur. Martial. lib. III. epist. 11.

Cujus vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare.
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro:
Vel thuris, piperisque sis cucullus.

Eorum autem forma etiam hodie oblonga, & in acutum involuta.

Porro cucullum Græcæ notationis esse facile doctissimo Salmasio assentior. Nam Κόκκος est Galea, vel Galerus. Hesychius: Κόκκος περικεφαλαία λόφος. Unde Cucus, & per diminutionem cucullus, unde & cucullio, cujus mentio apud Capitolinum in *Vero*. Figuram cuculli infra, cum de pænulis agemus, dabimus. Vetus Juvenalis Interpres ad Sat. VII. notat cucullum album cadurcum appellatum:

Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci.

Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum propter hiemes & nives comparatum, alii tabernaculum, aut tentorium, quibus merces suas protegere consueverunt. Sed hic pro vili merce tam cadurcum, quam teges ponitur. Sententia autem poetæ est, de mercede, sive minervali Grammatici præmordere aliquid pueri custodem, quin & dispensatorem eandem delibare. Hortatur porro Grammaticum, ut patiatur detrahi potius aliquid, quam totum perire: quemadmodum mercium vilissimarum institor patitur aliquid de solito pretio imminui potius, quam nihil vendere. Hoc intellexit idem Vet. Interpres: *Institor hibernæ tegetis. Negotiator, qui pro qualitate temporis mercem suam distrahit. nam cum illa sint vestimenta, vel stragula hiberna, institor mitiori hieme patitur vilius distrahi ac aliquid de pretio perire potius, quam non vendere: ita & præceptor de minervali pretio aliquid decimari, quam ut totum pereat.*

Cadurcum igitur vestis stragula sive lodix ad frigus arcendum densa scilicet, & villosa. Idem Interpres ad illud Sat. VI.

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Cadurcum membrum, quo fœminæ sunt, explicat, vel membri velamen, vel institam, qua lecti intenduntur. Affert carmen Sulpitiæ:

Ne me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Caleno concubantem proferat.

Sed de lodice, & stragulis, non de institis, loquitur Sulpitia. Ne scilicet, inquit, remotis cadurcis fasciis sive stragulis nudus concubitus appareat. Etiam Isidori Glossæ, *Cadurdum, sive Cadurcum membrum fœminæ, & cadurda labra pudendi muliebris, sive spondam lecti* interpretantur. quod a veteri Interprete Isidorus accepit. Sed non aliud cadurca fuere, quam lodices & stragula, & culcitæ ex lino Cadurcensi, quæ apud Juvenalem pro lecto sumuntur. Nam cum in Sacris Isidis per novem dies fœminæ secubarent, si per eos dies mariti matrimonii jus usurparent a sacerdotibus petenda erat concubitus venia, magnaque pœna debebatur violato lecto, sive cadurco. Miror autem viros doctos prodidisse horum carminum sententiam a nemine recte explicatam. Nam Britannicus Interpretum Juvenalis doctissimus ante multos annos *violatum cadurcum*, non servatam castitatem interpretatus est lecti conjugalis, per novem dies, quibus sacra Isidis peragebantur. Idque ex Propertio:

Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis,
Cinthia jam noctes est operata decem.

Cadurcum autem lectum ex lino Cadurcensi. Plinius enim lib. XX. *Nullum est candidius linum, lanæve similius: sic culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent Galliarum.*

CAP. XXIII.

De Colore Lacernarum. Martialis non uno in loco explicatus.

LACERNAS pulli coloris fuisse credit Manutius in *Quæsitis*. Nam Suetonius cap. XL. tradit Augustum *visa pro concione pullatorum turba indignabundum exclamasse: En*

Romanos rerum dominos gentemque togatam!

Negotiumque Ædilibus dedisse, ne quem postea paterentur in foro, circoque, nisi positis lacernis, togatum consistere. Et cap. XLIV. *Sanxit ne quis pullatorum in media cavea sederet.* Non omnes tamen lacernas fuisse pulli coloris nemo potest dubitare, qui & albas, & Bæticas, & coccineas, & Tyrias apud Martialem, & alios legerit. Solæ tenuiorum, ac pauperum lacernæ pullæ fuerunt: has solas vetuit Augustus, cum alterius coloris in promiscuo usu essent.

Jocum Martialis supra retulimus in Horatium, qui cum solus nigris lacernis spectaret, omni populo cum Cæsare, ac Senatu albato, commodum cœlo nix decidit, atque ita etiam Horatius albis lacernis spectavit. Alibi de lacernis:

Indueras albas, exue Callaicas.

Coccineæ, etiam & Tyriæ sive dibaphæ in promiscuo usu sub Imperatoribus fuerunt etiam vilissimorum hominum, & peregrinorum. Juvenalis Sat. I.

Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi,
Crispinus Tyrias humero revocante lacernas.

Id est, dibaphas, & bis tinctas, & ideo pretiosiores. Idem alibi indignatur Græcorum fæcem conchyliatam incedere, Sat. III.

Horum ego non fugiam conchylia?

Id est, lacernas conchyliatas. Vet. Interpres *Vestem fucatam*. Mox subjicit, *& togæ erubescendæ fucatos habitus*. Sed fallitur. nulla enim in togis communibus purpura. Quæ sequuntur etiam corrupta sunt. *In capitium purpuram, quasi conchylia signant.* Georgius Valla, qui veterem interpretem Probum vocat, & ex eo pleraque sumpsit, usus fortasse meliori libro sic legit: *Conchylia, capitia purpurea ita flagrantia, ut conchylia ipsa videri possint*: ubi capitia sunt lacernæ cum cucullo sive capitio. Martialis lib. II. ep. LVII.

Hic quem videtis gressibus vagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa,
Quem non lacernis Publius meus vincit.

Et lib. V. epist. VIII.

Dum laudat modo Phasis in Theatro,
Phasis purpureis ruber lacernis.

Et lib. IX. epist. XXIII.

Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas.

A lib. x. epist. LXXXVII. appellat *municipes Cadmi*, id est, Tyrias, & inter dona natalitia mitti solitas docet lib. XIII. ep. LXXXVII.

Sanguine de nostro tinctas ingrata lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Hinc ingens earum pretium. Idem lib. IV. epist. LXI.

Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ.

Et lib. VIII. ep. X.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi.

Utrobique ducentis & quinquaginta florenis stetere lacernæ.

B Seneca etiam lacernas purpureas intellexit ep. LXII. *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror.* Id est, relictis lacernatis. Et epist. LXXVI. *Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis quam ex illis, quibus sceptrum, & chlamydem in scena fabulæ assignant.*

Nec purpureas modo, sed variis coloribus infectas lacernas in usu fuisse docet Martialis lib. I. ep. XCVII.

Amator ille tristium lacernarum
Et Bæticatus, ac Leucophæatus,
C *Qui coccinatos non putat viros esse,*
Amethystinasque mulierum vocat vestes;
Nativa laudat: habeat & licet semper
Fuscos colores: Galbanos habet mores.

Nativa iste laudabat, id est, nativos lanæ colores, qualis lanæ Bæticæ, cujus color natura subrutilus.

Idem lib. XIV. ep. CXXIII.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

Natura igitur, non arte & infectura color ille lacernarum erat. *Leucophæatum* colorem ex λευκῷ albo & φαιῷ subnigro mixtum recte interpretatur D Merula, nugator alioqui homo, & impudenti maledicentia Domitii obtrectator.

Tristes igitur lacernas appellat poeta nativi, ac subfusci coloris: quales a viris severis gestabantur, quos puderet induere colores improbos & fœminarum proprios. Cur autem Galbanos mores dicat non satis scio, & aliquid latere debet. Nam quod Turnebus, & Lipsius putant dictos molles & effœminatos, quia hic color fœminarum ex Juvenale Sat. II.

Cærulea indutus scutulata, & Galbana rasa.

E Cur non potius Tyrios mores & Amethystinos dixit, qui colores pretiosiores, & fœminis magis convenientes? cum Galbeus color eorundem interpretatione vilis fuerit, herbaceus scilicet, & ideo exigui pretii. Multo minus audiendi, qui Galbanos mores dicunt instar Galbæ Imperatoris. Quis enim Galbam hoc crimine unquam notavit? cum potius nimius illi rigor, & severitas objecta sit. nam quod in mares pronior fuerit, nihil ad mollitiem, nec id unius Galbæ vitium.

CAP. XXIV.

F *Lacernæ Coccineæ. Coccina. Martialis, & Quintilianus explicati.*

LACERNÆ igitur purpureæ Tyriæ scilicet, Amethystinæ, item coccineæ in usu fuerunt apud ditiores, ac lautiores. Idem Martialis lib. II. ep. XXIX.

Quæque Tyron toties epotavere lacernæ.

Id est, non semel sed sæpius purpura infectæ:

Et toga non tactas vincere jussa nives.

Ubi apparet etiam purpureas togæ albæ superindutas.

Et epigram. XLIII. ejusdem lib.

Misit Agenoridæ Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina nostra tribus.

Ex quibus constat inferioris pretii fuisse lacernas cocco, quam purpura infectas. Nam coccineas & pauperiores gestabant, & quidem vix tribus nummis taxatas, ut jocatur Martialis hic invidiose. Coccinearum, quæ & simpliciter *Coccina* dicebantur, meminit idem lib. XIV. ep. CXXXI.

Si Veneto Prasinoque faves, qui coccina sumis?
Ne fias ista transfuga forte vide.

Qui enim Circi factionibus favebant, factionum colores vestimentis præferebant, & Venetorum studiosi cœruleas, Prasinorum virides gestabant.

Quamvis autem inferioris pretii coccineæ purpureis, nihilominus & coccineæ, sive *Coccina* in pretio. Juvenalis:

—— *Cavet hunc quem coccina læna*
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo.

Et Martialis lib. V. ep. XXXV.

Cum sibi redire de patruelibus fundis
Ducenta clamet coccinatus Euclides.

Et lib. X. ep. LXXVI.

Cocco mulio fulget Incitatus.

Et lib. V. ep. XXIII. jocatur in Bassum, quem ait indutum fuisse herbarum colores, virides scilicet, galbeos, & similes, dum promiscue in Theatro sederetur: at postquam Domitianus legem Rosciam revocaverit, ut Equites tantum in Quatuordecim sederent, Bassum, ut videretur Eques, purpuream, aut coccineam lacernam gestasse:

Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
Aut m us ante omnes Codrus haberet equum.

Posset videlicet Eques esse quicumque coccinam, aut purpuream haberet lacernam. Alio loco ait a Zoilo fingi morbum, ut occasionem haberet ostentandi coccina stragula. Demum lib. II. ep. XXXIX.

Coccina famosæ donas & Janthina mœchæ.

Cur ergo poeta lacernas suas coccinas, sive coccina opponit purpureis, & vix tribus nummis vendi posse ait? Quidam Ironice locutum putant. Sed nullus hic Ironiæ locus. Lacernæ tunc omnes commodiorum fere purpureæ erant, aut coccineæ: ut propterea & coccina dicerentur. Martialis lacernæ, ut poetam decebat, longo usu obsoletæ erant, ac detritæ. Alibi,

Quare ergo babes tam malas lacernas?

Et ideo licet coccineas vix tribus nummis æstimari potuisse dicit: potuere etiam alterius vilioris coloris esse, ut rufli, & subrutili, & improprie coccinas appellare.

Quod autem lacernæ vulgo coccinæ essent, testatur Quintilianus lib XII. cap. X. loco insigni, sed perobscuro, quem totum adscribam, ut facilius intelligatur: *Falluntur enim*, inquit, *plurimum, qui vitiosum, & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris si leviter excutiantur flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit, magis existimant populare, atque plausibile.* Mox subjicit: *Ubi vero quid exquisitius dictum accedit auribus imperitorum, qualecumque id quod modo se ipsi posse desperent, habet admirationem. Neque immerito, nam ne illud quidem facile est. Sed evanescit hæc atque emoriuntur comparatione meliorum, ut lana tincta fuco citra purpuram, placet: at si contuleris etiam lacernæ, conspectu melioris obruatur*, ut Ovidius ait. *Si vero judicium his corruptis acrius*

acrius adhibeas, ut buccinis purpuram, jam illud quod fefellerat exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili fœditate pallescat. Ait magnus Rhetor corruptum, & vitiosum dicendi genus imperitorum auribus esse plausibile. Sed si cum recto, & meliore comparetur, non secus evanescere, quam lanam fuco tinctam, si aut cum lacernæ cocco, aut cum Tyria purpura componatur. Fucus enim erat herba marina rubens, qua lana inficiebatur. Plin. l. XXVI. c. X. *Præcipue vero liberat eo malo phycos thalassio, id est, fucus marinus lactucæ similis, qui conchyliis substernitur ..... Tria autem genera ejus; latum, & alterum longius quadantenus rubens; tertium crispis foliis, quo in Creta vestes tinguntur.* Servius autem ad illud:

Spiramenta linunt, fucoque & floribus oras:

Genus est herbæ, unde tinguntur vestes. Quadantenus igitur rubebat fucus, eoque viliorum lana tingebatur. Sed quia ad purpuræ colorem accedebat, sive mentiebatur, inde mentitus ille color pro fraude accipi cœpit. Hinc *facere fucum mulieri* apud Terentium, quod *fraudem, & insidias, sub quibus occultatur veritas*, Donatus interpretatur. *Sine fuco*, id est, simpliciter & aperte, & *merx sine fuco* apud Horatium. Idem Quintil. l. II. c. XV. *Mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiantur.* Inde unguenta, & medicamina, quibus nativum ruborem fœminæ mentiuntur, fucus dictus est. Hinc vitia corporis fuco occultare. Et *fucare formam*, & similia.

Lana igitur, inquit Rhetor, *fuco tincta citra purpuram*, (id est, minime comparata ad vestes purpureas,) *placet: quod si contuleris lacernæ*, (id est, si cum lacernis, quæ vulgo cocco tingebantur, comparetur) *conspectu melioris obruitur*, nec placere potest; multo minus, si cum *buccini purpura* (ita enim legendum est) componatur: tunc enim mentitus ille color fœde pallescebat. Nam purpura, sive murex marinus cocco pretiosior: buccinum autem præstantissimum, auctore Plinio, licet eodem teste solum damnaretur, quod fucum remitteret, id est, tincturam, & ideo pelagio admiscebatur. Recta igitur lectio est, rectaque sententia: *Si vero judicium his corruptis* (fucatis) *adhibeas, ut buccini purpuram* (cum fuco conferas) *jam illud quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili fœditate pallescat.* Quamquam fucum postea pro omni tinctura etiam purpuræ scriptoribus usurpatum satis constat.

Licet autem in usu Tyriæ essent, ac coccineæ, reprehensi tamen qui eas gestarent. Mart. loco laudato:

Qui coccinatos non putat viros esse
Amethystinasque mulierum vocat vestes.

Sen. Ep. CXIV. *Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut intervellunt, qui labra pressius tondent, & abradunt, qui lacernas coloris improbi sumunt. Improbum colorem* recte Lipsius interpretatur purpureum, vel coccineum: quod insolens is color tempore Senecæ. Immo & Martialis lib. V. ep. VIII.

Illas purpureas & arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

Recte, inquam, Lipsius, quem immerito reprehendit Ramiresius: nec recte interpretatur Masambertius colorem improbum, id est, iteratum. Nam improbus color qui viris modestis, ac probis haud probabatur.

Cum tamen ut diximus in promiscuo usu essent. Et videntur Tiberii ævo cœpisse, quod non tam lege, quam exemplo ejus coercitum. Dio l. LVII. *Nam cum multi vestem purpuream* (intellige lacernam) *gestarent, quamquam vetitum, nec reprehendit, nec mulctavit quemquam: sed pluvio tempore in ludis φαιὰν μανδύλω ἐπενέδυ, atque sic effecit, ne quis alius vestem inconcessam sumere auderet.* Ubi male Interpres, & Lipsius *penulam* verterunt. Nam μάνδυη proprie lacerna. & sic eam Artemidorus appellat, & a penula distinguit. Nec ætate Tiberii penulæ in usu Urbano fuere, & ut fuerint, non in tantum luxus excesserat, ut purpureæ penulæ tunc gestarentur.

CAP. XXV.

Causarum patroni in Lacernis purpureis. Vestis prælo splendens. Canusinus color.

ÆTATE Juvenalis, hoc est, sub Domitiano, ac Nerva, & fortasse Trajano causarum patroni in lacernis purpureis. Sat. VII.

Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Causidicum vendunt Amethystina, convenit illis
Et strepitu, & facie majoris vivere census.

Ubi de lacernis loquitur poeta, non de lato clavo. Alioqui omnes causidicos Senatores fuisse oportet, & laticlavios. Lacernæ ergo purpureæ clientes alliciebant: nam lacernas in causis adhibitas alias docuimus ex eodem poeta:

—— *Jam facundo ponente lacernas*
Cæditio.

Quamquam non ita compertum mihi sit, fuerit ne ille Cæditius patronus, an Judex: & si patronus fuit, quia illum facundum appellat, cur posuerit lacernas: non quod defatigatus esset expectando, non enim mora æstum affert: neque dicendo delassatus, nondum enim causa cœpta erat. Fortasse quia dicturi lacernas deponebant, in quo tamen hæsito, cum Auctor *Dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ* etiam penulas in agendo adhibitas dicat. Videant ergo eruditi.

Præter purpureas, coccinasque lacernas, quas lautiores & delicatiores gestabant, variis passim coloribus in usu fuisse indicat illud Mart. supra allatum:

Indutus fueras herbarum Basse colores.

Et lib. II. ep. XLVI.

Florida per varios ut pingitur Hybla colores,
Cum breve Sicaniæ ver populantur apes:
Sic tua suppositis perlucent præla lacernis.

Quæ nempe prælis subjiciebantur, ut splenderent. Seneca *de Tranquillitate* cap. I. *Non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus, aut tormentis splendere cogentibus pressa.* Idem togam prælo pressam perlucentem appellat Epist. CXIV. *Qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam:* id est, prælo splendentem, non sericam, aut bombycinam, ut interpretatur Lipsius. Nam aliud est hominem pellucere, aliud ipsam vestem. Homo per vestem sericam, ac bombycinam pellucebat, ut Creticus apud Juvenalem. At vestes prælo pressæ splendebant ipsæ, quamvis densæ, & ex lana. Prælorum meminit Ammianus lib. XIV. ac pressoria vocat: *Solitis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorant.* Recte Lipsius *solutis*.

Vulgo tamen lacernæ fuscæ, aut pullæ usurpatæ: unde pullatus circulus, & pullata plebs. Præcipue autem ex lana Canusina fiebant, cujus nativus color turbato mulso similis, ut ait Mart. l. XIV. ep. CXXVII.

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit, gaude: non cito fiet anus.

Nam licet docti ibi Canusinas penulas interpretentur, potest etiam illud de lacernis accipi. Nam hinc Canusini Birri dicti sunt, qui lacernæ fuerunt, non penulæ. Vopiscus in *Carino*: *Donati sunt ab Atrebatis Birri petiti: donati Birri Canusini.* Porro fuscus color, non niger est, sed ex fulvo, rufoque mixtus, quem castaneum, & subnigrum appellant, Veneti roanum obscurum, Insubres tanetum, quasi castaneum. Præter Canusinas fuscas fuere & rufæ tam lacernæ, quam penulæ. Idem ibid. ep. CXXIX.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

A Lacernæ Canusinæ fuscæ magis in usu Romæ erant, in Gallia rufæ; licet hoc colore Romæ etiam pueri & milites gauderent. Fuere quidem pænulæ Canusinæ, de quibus infra. Lanam enim Canusinam pænulis utilem Plinius commendat l. VIII. cap. XVLI.

CAP. XXVI.

De Birrhis. Atrebatici unde dicti? Alii aliis pretiosiores.

SED quia temporum successu ferme lacernæ rufi coloris vulgo usurpantur, inde simpliciter *Birrhi* dictæ sunt. Isidorus l. XIX. c. XXIV. *Birrus a Græco vocabulum trahit, illi enim birrum birrum dicunt.* B lege πυῤῥόν. Nam πυῤῥὸς rufus, rutilus Plato in *Timæo*: πυῤῥὸν δὲ ξανθοῦ τε, καὶ φαιοῦ κράσει γίνεται. φαιὸν δὲ λευκοῦ τε καὶ μέλανος. Servius ad illud *Æn.* II.

—— *primoque in limine Pyrrhus*:

Pyrrhus, inquit, *a colore comæ dictus: qui Latine byrrus dicitur*. Quidam πυῤῥὸν fulvum interpretati sunt, ut ex flavi ac fusci commixtione conficeretur. Sed rectius est H. Stephani sententia rufum interpretari, cum Plinio, qui illud Aristotelis de regibus apum, ὁ μὲν βελτίων πυῤῥὸς, ὁ δ' ἕτερος μέλας, καὶ ποικιλώτερος, vertit *melior rufus quam niger, variusque*. Festus: *Burannica potio appellatur lacte commixtum sapa a rufo colore, quem burrum vocant. Burrum* C *dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum, unde rustici burram appellant bucculam quę rostrum habet rufum*. Glossæ Isidori. *Birrus, rufus*.

Πυῤῥὸς igitur sive rufus color lacernis Birri, sive Birrhi nomen dedit, ut pluribus docuit ad illud Vopisci in *Carino* Cl. Salmasius: *Donati sunt ab Atrebatis birri petiti: donati birri Canusini*. Horum color, ut paulo ante notavimus, turbato mulso similis, flavo scilicet, & subnigro temperatus.

Fuisse autem Birrhos lacernas, non penulas, docet Artemidorus lib. II. cap. III. Χλαμὺς δὲ ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βήριον καλοῦσι. Vet. D Interpres ad illud Persii Sat. I.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

Scis birrum, inquit, *attritum comiti condonare*. Et Suidas in voce Ατραβατικὸς, qui chlamydes appellat: ἐν δὲ ταῖς κοιναῖς συνόδοις χλαμύδας ἐνεδύοντο ξηραμπελίνας, ἃς ἐκάλουν Ατραβατικὰς ἀπὸ τοῦ χρώματος. τὸ γὰρ μέλαν ἄτρον καλοῦσι. Inepte Atrebaticas ab atro colore dictas putat. nam Atrebaticę a populis Atrebatibus dictæ. Vopiscus in *Carino*: *Donati sunt ab Atrebatibus birri petiti*. Appellat autem Chlamydas *Xerampelinas*, quod eo colore essent, qui est foliorum vitis arescentium, rufus scilicet ex flavo, & fusco temperatus. Nam quiatrum colo- E rem, sive pulliginem interpretantur, cum Suida decipiuntur. Xerampelinarum meminit Juvenalis Sat. VI.

Et Xerampelinas veteres donaverit ipsi.

Vet. Interpres. *Vestes ampelini coloris, qui inter coccinum, & muricem medius est*, quod scilicet coccineus color clare rubesceret, muricis pressior esset, ac subobscurus, ut *Xerampelinus* sit rufus ex flavo & fusco temperatus.

Birri igitur lacernæ fuerunt rufi coloris. & quemadmodum lacernæ materia, & colore aliæ aliis pretiosiores, ita & birri. Quare falli eos necesse est qui vestem semper pretiosam dixerunt, meritoque Zo- F naram, & Balsamonem reprehendit Salmasius, quod ad Canones Βήρυς σιρικὰς ἐσθῆτας exposuerunt, sericas vestes. nam licet fuerint lacernæ & birri serici, non tamen omnes tales fuerunt. Nec est quod Turnebum sententię pœniteat, qui lib. XVIII. cap. XXVI. ait se olim credidisse *birrum* crassum vestimentum fuisse, sed mutasse sententiam, fortasse quia Birrum apud Zonaram, & Balsamonem repererat. nam lib. XXII. c. XXX. ait birros, non esse beros, quod in Gallia sericum non texeretur: ita & Pithœus diversos birros a beris censet, sed eadem res fuerunt, & alii ex lana, alii serici.

Neque verba Concilii Gangrensis Can. XII. ostendunt birros vestes pretiosas fuisse. *Si quis amictu palii utitur, & eos qui cum reverentia birris utuntur despicit, anathema sit*. Birrus enim sive lacerna communis vestis erat: Christiani securiores, ut idem vir doctissimus *ad Tertullianum de Pallio* observat, cum tribonium gestarent reprehendebant eos, qui in communi veste erant, id est, birro, sive lacerna: hos canon anathemate ferit. Ludovicus Cerda aliam affert rationem, quod birri monachis essent interdicti, sed non propterea erant pretiosi. nam cum habitu secernerentur monachi a ceteris hominibus, etiam iis vestes vulgares interdictæ. Isidorus in Regula: *Linteo non oportet monachum uti: orarium, planetas, birros, non est fas induere*. hæc autem communia vestimenta erant, neque tamen pretiosa. Vere & birri fuerunt, quorum materia, & color in pretio. Ita Cassianus l. I. cap. VII. *birrorum pretia simul, ambitionemque declinant*. Novit hanc differentiam Augustinus sermone LI. *de diversis*: *Nemo clericorum det birrum, vel tunicam lineam, seu aliquid nisi in commune. Offeratur mihi birrum pretiosum, forte decet Episcopum*. Ubi vulgare permissum, sed in commune pretiosum repudiatum.

Alia Veterum testimonia de birro attulit Salmasius *ad Tertull.* ex queis illud notabile in actis S. Cypriani *exuit lacernum birrum*, quod idem est, ac lacerna rufa. Non recte enim Baronius lacernum birrum interpretatur birrum in modum lacernæ factum.

Nec propterea quod vestis Episcoporum ferme dicatur, ideo pretiosior. nam tunc Episcopi in communi vestitu in quo etiam diu sacra peregerunt. Vulgaris ergo ferme vestis fuit, & ideo servis etiam concessa. Lex I. C. Theodosiani de habitu, quo uti oportet intra Urbem: *Servo sane, quorum tamen dominos sollicitudine militiæ constat non teneri, aut birris uti permittimus, aut cucullis*. Neque propterea vestis servilis, ut alias indicavimus. Quæ lex præterea declarat chlamydem & birrum non omnino eandem vestem fuisse. nam chlamys permittitur servis militaribus, birrus nequaquam. Vere inter chlamydem, & lacernam aliquod discrimen fuisse notavimus. Immo inter birrum & lacernam videtur distinguere Sulpitius Severus *Dialog.* lib. I. c. XIV. *Hæc charis viduis & familiaribus mandat tributa Virginibus, illa ut birrum rigentem, hæc ut fluentem, texat lacernam*. Ut scilicet omnes birri fuerint lacernæ; non contra, cum & alio colore, quam rufo conficerentur. Fortasse etiam longiores & laxius fluentes lacernæ, quam birri. Vet. Interpres Juvenalis *Santonicum cucullum, birrum Gallicum* explicat, & ideo rigentem, & breviorem. Adderem fortasse birrum fuisse lacernam cum cucullo, nisi lex Theodosiana birros a cucullis distingueret.

CAP. XXVII.

An Lacerna vestis servilis fuerit? Martialis explicatus.

QUIDQUID sit, nec birrus, nec lacerna vestis solum servilis fuit, ut contra doctissimorum opinionem alias disputavimus. Quos nihil juvant Horatii verba lib. II. Sat. VII.

Tu, cum projectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu prodis ex Judice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna.
Non es quod simulas?

Non quia lacerna caput tegebat servus credebatur, quod Fabrum secutus *Pisonianę* nuperus enarrator statuit, verum quod insignia, & dignitatis nempe annulum, & ingenuitatis scilicet togam deposuerat. Caput autem lacerna, sive cucullo viliori, & coloris atri involverat: quod tegmen, omnibus commu-

ne, & ferme a servis gestabatur. Fuisse autem cucullum, quo abditus mœcharetur, testatur & Acron: *Invehitur in equitem Romanum, qui deposito habitu ne cognoscatur exit de adulterio obtecto capite.*

Ex quo apparet lacernas cum cucullo sumptas communes servorum & ingenuorum, nisi quod, ut alias diximus, serviles viliori materia, & colore erant, ac ferme cucullatæ.

Non es quod simulas?

Simulabat servum deposita ingenuorum veste, & vere fœdum voluptatis mancipium erat.

Sed & Martialem in partes vocant, ut ostendant lacernas fuisse vestimentum servile. l. XII. ep. XXVI.

Nec venit albatis clamator verna lacernis:
Accedit gelidam servus ad auriculam.

Sed haud vidi magis. Conqueritur ibi poeta Urbis proceres, ac Senatores salutationis matutinæ officium morose peragere per totam Urbem discursantes; se autem videri desidiosum, quod non terat tot limina, nec tantum vagetur per Urbem; sed illis pro præmio officii Consulatus esse, Proconsulatus, & Preturas, sibi nihil expectandum cum fracto calceo, decidente pluvia non habeat lacernas quis imbrem propulset:

Sed tu purpureis, ut des nova nomina Fastis,
Aut Numidum gentes, Cappadocumque petas.
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum,
Quid petitur? rupta cum pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamator verna lacernis:
Accedit gelidam servus ad auriculam.
Et rogat ut cœnes secum Lætorius inquit,
Viginti nummis non ego malo famem?

Hæc attuli, ut sani homines intelligerent, numquid ex his lacernas vestem servilem fuisse deprehendi possit. Recte viri docti pridem emendarunt:

Nec venit allatis clamatus verna lacernis.

Ut sit sensus. Cum decidit imber, non præsto est vocatus verna, qui alias afferat lacernas, quibus imbre madidas mutem. Sed Raderus omnes codices *Clamator* habere ait, cum lepidam interpretationem subjicit, *clamatorem* esse convivii vocatorem, quasi opus clamore esset ad vocandos convivas, aut unquam vocatores clamatores dicti sint. Immo subjicit Martialis accessisse servulum, & clam in auriculam vocationem ad convivium insusurrasse. Etsi igitur omnes libri veteres repugnent, optima emendatio est: *clamatus verna lacenis*. Nam clamatus est vocatus Martiali lib. I. ep. LI.

Vocabitur venator & veniet tibi
Conviva clamatus prope.

Et Ovidio II. *Met.*

Aspicit hanc, visamque vocat, clamata refugit.

CAP. XXVIII.

De Caracallis. Quale vestimenti genus fuerint?

LACERNIS Caracallas subjicienius, quia eam vestem ad instar lacernæ factam tradit Xiphinus ex Dione lib. LXXXVIII. Ἀλλὰ καὶ τίνα ἰδίαν ἔνδυσιν βαρβαρικῶς πως κατακόπτων, καὶ συῤῥάπτων ἐν μανδύης τρόπον προσεξεῦρε, καὶ αὐτός τε συνεχέστατα αὐτὴν ἐνέδυσεν, ὥστε καὶ Καράκαλλος διὰ τοῦτ' ἐπικληθῆναι, καὶ τοὺς στρατιώτας μάλιστα ἀμφιέννυσθαι ἐκέλευσεν. *Sed etiam proprium genus indumenti in modum lacernæ* (male Interpres *penulæ*) *excogitavit. Id barbarum, discissumque & consutum erat ex multis partibus, eoque indutus erat semper, ex quo & Caracallus cognominatus est, jussitque milites eodem genere vestis uti.*

Id vestimenti genus Gallicum fuisse recte Salmasius *ad Spartianum* observat ex Victore: *Cum*

A *Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque caracallas fecisset, coegisset que plebem ad se salutandum indutam talibus introire, de nomine hujus vestis Caracalla dictus est.* Quod igitur Caracallas e Gallia petierit, easque gestaret ipse, & milites, moxque cives induere coegerit Caracallus inde dictus est. Sed, ut idem vir doctissimus ex Spartiano observat, eas talares fecit, cum antea non essent: *Ipse Caracalli nomen*, inquit Spartianus, *a vestimento, quod populo dederat, demisso usque ad talos, quod antea non fuerat, unde hodieque dicuntur Antoninianæ Caracallæ ejusmodi, in usu maxime Romanæ plebis frequentatæ.*

B Talares igitur caracallas Antoninus fecit, cum antea non essent, & sicut ille a veste Caracalla dictus est, ita caracallæ talares ab eo Antoninianæ dictæ sunt.

Sed quomodo id vestimenti genus scissum, & ex multis partibus confectum esset ignoramus, cum & ipsam vestem ignoremus. Casaubonus *ad Spartianum* existimat plerasque omnes Veterum vestes textura solum confici solitas sine opera sutoris, sive sarcitoris, & ut loquuntur Euangelistæ ὑφαντοὺς δι' ὅλου: at istas caracallas more hodiernarum vestium confectas a pluribus pannis scissis primo,
C deinde consutis. Sed non credibile mihi videtur Veterum vestes totas sola textura confectas, sine ulla sutoris opera, præcipue togas & tunicas, cyclades, & reliqua vestimenta clausa. Quod id fieri non posse videatur in tela (nam tunicæ Christi Domini peculiare artificium diximus, quæ ideo inconsutilis dicta) cum præterea suturæ in toga, & tunica Veteres meminerint. Quod si vestimenta aperta pallia, lacernæ, textricis opera confecta, mox fibulis jungebantur, cum caracallæ lacernæ, sive ad instar lacernarum essent: quod opus fuit variis pannis scissis, & consutis ad instar nostrarum vestium? Artificium igitur illud barbaricum fuit, sicut &
D vestis, quæ scissa, & ad instar centonis ex multis pannis consuta. Ceterum caracallas a clericis gestatas easque palliola fuisse cum cucullo, idem Salmasius observat: quem operæ pretium fuerit consuluisse. Meminit & Pallladius in *Lausiaca* cap. CXVII. αὕτη ἡ ἀνδρεία παιδισκάριον καρακάλλιον λαμβάνουσα. *Induta servi caracallion.*

CAP. XXIX

Lacernas honoris specie depositas.

E LACERNAM fuisse vestimentum virile docet Ulpianus, cum inter ea recenset, quæ solis viris permissa erant, & nos ante confirmavimus. Porro lacernas honoris specie depositas unus, quod sciam, Suetonius indicat, in *Claudio* cap. v. *Cum interim quamquam hoc modo agenti nunquam aut officium hominum, aut reverentia publica defuit Equester ordo bis patronum eum perferendæ pro se legationis elegit. Quin & spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solebant.* Ex quo apparet quemadmodum in deprecando, ut alias diximus, togæ deponebantur, ita & honoris causa depositas lacernas. Ita
F & Tertullianus *de Oratione*, Christianorum morem, ac superstitionem castigat, qui inter orandum penulas deponebant Ethnicorum imitatione: *Quibus merito vanitas exprobranda est, siquidem sine ullius, aut Domini aut Apostolici præcepti auctoritate fiunt: hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata, & coacta, & curiosi potius quam rationalis officii, certe vel eo coercenda, quod gentibus adæquent. Ut est quorundam positis pænulis orationem facere. sic adeunt ad Idola nationes.*

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA PARS SECUNDA.

LIBER SECUNDUS,

QUI EST DE PÆNULIS.

CAP. I.

Pænulæ notatio quæsita.

LACERNAM, & pænulam licet non idem vestimentum fuerit, plerumque tamen a scriptoribus confundi docti adnotarunt: sed diversum plane indumentum forma, atque usu fuisse ostensuri sumus, si prius nominis notationem quæsiverimus. Quidam a Græco originem duxere Φαινόλις, sive Dorice Φαινόλα. Et Casaubonus quidem *ad Spartianum* sic dictam putat, quod vestis adstricta esset, & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret, quæque ὅλον τὸ σῶμα φαίνει: quales vestes strictiores, per quas corpori adpressas membra apparerent. Quæ notatio viro doctissimo haud probatur, qui nuper de pænula scripsit. Sed firmatur auctoritate Artemidori, qui inter vestes accenset, quæ θλίψιν, καὶ στε[illegible]αν in somnis significant, angustias scilicet, ac pressuras: διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα. ex hoc enim quod membra pressim constringeret, angustias ac pressuras significabat. Quod si falsa Casauboni notatio est, non ita tamen vera videtur auctoris illius etymologia ex veteribus Grammaticis. Dicta nempe Φαινόλις quod tota conspiciatur ὅτι ὅλη φαίνεται. Nam omnes vestes exteriores, quæque tunicæ superinduebantur, & ut Varro ait foris ac palam vestiebant, pallia, lacernæ, chlamydes, saga hac ratione penulæ dici possent; nam totæ apparebant. Quæ ratio etiam Casauboni notationem eludit, nam & lacernæ, & chlamydes ita corpori adpressæ erant, ut membra exprimerent: & ideo Artemidorus inter illas enumerat, quæ pressuram, & angustias significant. Multo minus audiendi, quibus ὁ φαινόλις χιτὼν, translucens, & pellucida tunica. nam nihil minus de vestimenti genere crasso, duroque, quodque itineris, & pluviæ causa sumebatur, dici poterat, quam quod transluceret, aut pelluceret.

H. Stephanus existimat Græcam vocem a Latina factam, ut tenuis in adspiratam sit mutata, & a penula φαινόλις, vel φενόλις dicta. Quod mihi maxime affine vero videtur. Nam apud Athenæum l. III. Ulpianum Cynulcus perstringit, quod vocem novam & insolentem invexerit: οὐ σὺ εἶ, inquit, ὁ καὶ τὸ καινὸν, καὶ οὐδέπω τὸ ἄχρηστον φενόλην (εἴρηται γὰρ, ὦ βέλτιστε: καὶ ὁ φαινώλης,) εἰπών; Παῖ δοῦκε δός μοι τὸ ἄχρηστον φενόλην. Vertit Casaubonus; *Nonne tu is es, qui novum, & quo usus nondum eram φαινόλην (reperitur enim vir optime penula dicta ὁ φαινόλης) dixisti ὁ φενόλης* In quo quidem Dalechampium arguit, qui existimavit notari vocis ὁ A φενόλης insolentem usum pro φαινόλης. Nam in Græco contextu scribitur per αι. Ceterum quod ipse subjicit, cum Ulpianus Latine penulam a puero petiisset, eamque Græce φαινόλην dixisset, quasi reformidans ingenium Ulpiani, excusationem adjecisse, eam vocem extare apud scriptores, non videtur Athenæi mentem assecutus. Cur enim Ulpianus Latine penulam petens ἄχρηστον dixisset? Sed cum fere ab omnibus diceretur ἡ φαίνολης, & Cynulcus dixisset τὴν φαίνολην, subjecit, Εἴρηται γὰρ, καὶ ὁ φαινόλης. Nam virili genere extulerat. Vere quidem notari insolentiæ vocem ἄχρηστον a Cynulco idem observat, non quod φαινόλην dixisset, quæ B vox jam in usu erat, sed obiter ostendit utroque genere elatam. Hoc sonant verba illa. Dicitur enim & ὁ φαινόλης nobiliori genere. Vocem autem e Latina factam videri illud ostendit, quod infra *Canusinam* Latina pariter voce appellat. Loqui enim illum de Romana penula declarat, quod statim sequitur. In balneum vero cum te conferres, non ne interroganti quo ires respondisti. Ego quidem ἀπολούμενος ἐπείγομαι; eo porro die pulchram illam Canusinam fures surripuerunt, magno risu in balneis oborto, ἀχρήστου ζητουμένου φαινόλου *cum nova & nondum usu detrita penula quæreretur*. Nam vestis Canusina est penu-C la: cujus Martialis, & alii meminere. Antiquiorem quidem Ulpiano eam vocem apparet, etiam ex loco D. Pauli *Epistola* II. *ad Timotheum*: Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον. Sed pro φαινόλην φαιλονην habet. Et quid hoc fuerit ambigitur, & si vestis fuit, nihil tamen inde trahi, Græcæne, an Latinæ originis fuerit. Nec mirum propterea est ullum Romanæ historiæ Græcum scriptorem, quod sciam, ea voce usum, quod scilicet non Græca esset, sed a Latina facta, verum vel μανδύαν, vel ἐφεστρίδα posuisse. Hinc etiam factum, ut qui ea voce usi sunt, D modo φελόνην, ac φελώνην dixerint, modo φενόλην, ac φαινώλην, ut apud Latinos pænula, & penula, variasque interpretationes addiderint. Hesychius. φαινόλας τὸ ὕφασμα. Ρ[illegible]θων ἔχοισα. καινὸν φαινόλαν. Ut eum locum ex Polluce viri docti emendarunt, & Φαιλόνης εἰλητάριον μεμβράινον ἢ γλωσσόκομον. A quo Suidas, φαιλώνης εἰλιτὸν τομάριον, μεμβράινον. ἢ γλωσσόκομον. ἢ χιτώνιον. Et paulo post: φαινόλης χιτωνίσκος. οἱ δὲ παλαιοὶ ἐφεστρίδα. καὶ χιτὼν ἱερατικός. ἢ φαινόλης ὀσπατεῖον. Sive ergo a Pænula φαινόλης deducatur, sive contra Latinæ voci Græca originem dedit, utriusque notatio incerta, nec tanti est in E ea pervestiganda desudare. Ita & quando primum apud Romanos in usu esse cœperit, haud mihi compertum. Tertullianus inventum Lacedæmoniorum scribit in *Apologetico: Et ne voluptas impudica frigeret Lacedæmonii penulam ludis excogitarunt.* Quod si verum est, utique & vox Græcæ originis

fuerit. Sed cum nullus veterum Græcorum, aut Latinorum hoc tradat, maxime in gente severa, & frigoris tolerantissima, suspicor aut deceptum Tertullianum, aut pænulam pro endromide posuisse, quam inventum Lacedæmoniorum ex Martiale notum, usuſque maxime in palæſtra fuit. Neque tamen ſummo Viro qui nuper Tertullianum edidit aſſentiri poſſum legenti, *Primi Lacedæmonii odium penulæ ludis excogitarunt*. Quod ſcilicet Lacedæmonii gens dura & bellicoſa ad militares potius expeditiones hieme obeundas, quam ad ludos & Theatra pęnulas graves, ac prę pondere odioſas excogitaſſe, Itaque hoc ridiculi cauſa a Tertulliano poſitum. Sed non conveniunt ſententiæ huic Tertulliani verba, qui credidit a Lacedæmoniis primum inventam pænulam, & quidem ne ludis voluptas impudica frigeret. In quo eum aliud cogitaſſe omni pignore contenderim.

CAP. II.

Pænulam itinerarium veſtimentum fuiſſe, & pluviæ tempore ſumptum. Quando primum illud intra Urbem uſurpatum ſit?

DIVERSUM omnino veſtimenti genus fuiſſe a lacerna pænulam ſcriptores produnt. Artemidorus lib. II. cap. III. Ubi chlamydem, quam alii μανδύλω, alii ἐφεςρίδα, alii βίῤῥον vocant, ſignificare ait vexationem, & anguſtias, & litigantibus damnationem, propterea quod corpus circum amplectatur. Subjicit: τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὁ λεγομένος φαινόλης. *Idem ſignificat & quæ vocatur penula*. Athenæus loco laudato, cum penulæ mentionem feciſſet, paulo infra ἐφεςρίδα, id eſt, lacernam ponit. Sic Latini poetæ, ſic quicumque Romani veſtitus meminere.

Fuiſſe autem veſtimentum itinerarium quod ſupra tunicam acciperetur, & pluviæ cauſa adhibitum nemo ignorat. Nonius: *Penula eſt veſtis, quam ſupra tunicam accipimus*. *Pomponius Panuceatis*. *Penulam in caput induce, ne te noſcat*. non enim in caput induci potuiſſet, niſi veſtimentum exterius fuiſſet. Varro: *Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, pænula in imbri*. Lucilius:

Penula ſi quæris, cantherius, ſervus, ſegeſtre
Utilior mihi, quam ſapiens.

Cicero *ad Atticum* lib. XIII. Epiſt. XXXIII. *De Varrone loquebamur: Lupus in fabula. Venit ad me & quidem id temporis, ut retinendus eſſet. Sed ego ita egi, ut non ſcinderem pænulam, memini enim tui, & multi erant noſque imparati*. Paulo poſt: *Cajus Capito cum C. Carinate*. Et *pro Milone*: *Quid minus promptum ad pugnam, quam pænula irretitus, rheda impeditus, uxore pene conſtrictus?* Unde & muliones in penula, quæ inde mulionia. Idem *pro Sextio*: *Senſit ruſticulus non incautus ſuum ſanguinem quæri: mulioniam pænulam arripuit, cum qua primum Romam ad comitia venerat*. Seneca Epiſt. LXXXVII. de itinere ſuo: *Culcita in terra jacet, ego in culcita. Ex duabus penulis altera ſtragulum, altera opertorium facta eſt*. Ita tamen, ut non niſi extra Urbem & pluviæ cauſa adhiberentur penulæ.

Sed quandonam primum intra Urbem earum uſus cœperit, non conſtat. Si Dioni credimus lib. LVII. Tiberio imperitante. Tradit enim cum multi veſtem purpuream licet interdictam geſtarent, Tiberium neque id reprehendiſſe, neque mulctaſſe, tantum ludis, cum plueret φαιὰν μανδύλω indutum effeciſſe, ne quis alius veſtem in-

A conceſſam uſurparet. Interpres cum Lipſio μανδύλω penulam reddidit. ſed fuiſſe lacernam docti pridem obſervarunt. Veſtes purpureæ, quæ geſtabantur contra morem, fuere lacernæ. nullæ enim pænulæ purpureæ fuerunt. has ut tolleret Tiberius, ipſe lacernam fuſcam ſive pullam induit. Nam pluvio tempore lacernas intra Urbem geſtatas diximus.

Sub Flaviis pænulæ intra Urbem geſtatæ videntur, ſed pluviæ tantum cauſa. Juvenalis Sat. V. de ſalutatore, qui etiam fædis imbre diebus Ave matutinum portabat:

B *Scilicet hoc fuerat, propter quod ſæpe relicta*
Conjuge per montem adverſum gelidaſque cucurri
Eſquilias, fremeret læva cum grandine vernus
Juppiter, & multo ſtillaret penula nimbo.

Hoc etiam docet jocus Galbæ apud Quintilianum, qui pænulam roganti, *Non poſſum commodare*, inquit, *domi maneo: cum Cænaculum ejus perplueret*. Et paulo infra: *Non pluit, non eſt opus tibi: ſi pluit ipſe utar*. Quæ ſatis indicant, non niſi pluvio tempore pænulas geſtatas. Paulatim tamen in promiſcuo uſu, etiam cum ſudum eſſet, eſſe cœperunt, & quod maxime mirum eſt, etiam ab oratoribus cum cauſas agerent adhibitæ. Au-C ctor Dialogi *de cauſis corruptæ eloquentiæ*: *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe pænulas iſtas quibus adſtricti, & veluti incluſi cum judicibus fabulamur*. Quæ verba non eſſe Quintilianum ejus libelli auctorem indicant. Nam cum is lib. XII. Oratoris habitum moroſe diſponeret, nuſquam lacernæ meminit, ne dicam pænulæ, numquam profecto diſſimulaturus tam grande eloquentiæ incommodum, atque actionis oratoriæ dehoneſtamentum, quod ſua ætate patroni pænulis involuti, ac circumſtricti ægre manum in agendo expedirent. Mihi tamen veriſimile fit id a paucis admodum uſurpatum, nec diu obtinuiſſe, cum ſe-D quenti ſeculo cauſarum patroni *Togati* appellati ſint, quod cum toga deſiiſſet ipſi inter orandum eam retinerent. Niſi dicere velimus, ab auctore illo pænulas pro lacernis ad majorem invidiam appellatas.

CAP. III.

An Senatores ſub Hadriano pænulati? A. Gellius explicatus.

FUISSE tamen pænulas ſub Hadriano etiam a Senatoribus geſtatas quidam ex Gellio tra-E diderunt lib. XIII. cap. XXI. *T. Caſtritius Rhetoricæ diſciplinæ doctor a D. Adriano ob mores, & literas ſpectatus, cum me præſente diſcipulos quoſdam ſuos Senatores vidiſſet die feriato tunicis, & lacernis indutos, & gallicis calceatos, Equidem, inquit, maluiſſem vos togatos eſſe. Pigitum ſaltem eſt cinctos eſſe, & pænulatos*. Quæ ſi vera ſunt quomodo multis poſt annis, ut tradit Lampridius, primus Alexander Severus Senatoribus conceſsit, ut frigoris cauſa pænulis uterentur, cum id veſtimenti genus ſemper itinerarium, aut pluviæ fuiſſet. Deinde quis alius auctor pænulas lacernis honeſtiores facit? Sed pace doctiſsimorum virorum F dixerim, nemo hactenus Gellii mentem aſſecutus eſt. Non enim Caſtritius Senatores reprehendit, quod eſſent lacernis induti: qua enim fronte id poterat, cum inde ab Auguſti ævo in promiſcuo uſu eſſent, ſive ſuperinducerentur togis, ſive tantum tunicis? Martialis lib. IV. epiſt. II. narrat Horatium quendam ſolum inter omnes nigris lacernis munus ſpectaſſe:

Cum plebs & minor ordo, maximuſque
Sancto cum duce candidus ſederet.

Id eſt, in lacernis albis, quæ in ſpectaculis adhibebantur. Idem lib. XIV. epiſt. CXXXVII.

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Cum tegit algentes noſtra lacerna togas.

Præterea paulo infra ipſe Caſtritius fatetur *hujuſmodi veſtitum de multo jam uſu ignoſcibilem eſſe*. Lacernas nempe. Non hoc ergo reprehendebat Rhetor. Sed quod cum lacernis gallicis eſſent calceati, cum calceos geſtare debuiſſent. Subjicit enim: *Sed ſi hic veſter hujuſcemodi veſtitus, de multo jam uſu ignoſcibilis eſt, ſoleatos tamen vos Populi Romani Senatores per Urbis vias ingredi nequaquam decorum eſt, non hercle vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine objectavit*. (Antonium intelligit.) Hoc autem calceos a caligis, gallicis, crepidis, ſoleiſque diverſos fuiſſe notum eſt, quod calcei totum pedem & dimidium fere crus veſtirent, caligæ ſoleæque, ac gallicæ pedis plantam tegerent. Ita cum togæ geſtari deſiiſſent & in earum locum ſucceſſere lacernæ, calceos nihilominus retentos apparet ex hoc loco, quod indecorum videretur ita nudis pedibus incedere per Urbem: deinde quod cum calcei Senatorum lunati eſſent, id inſigne in ſolea ſpectari non poterat. At extra Urbem depoſitis calceis, ſoleæ adhibitæ. Martialis de vita ruſtica, lib. I. epiſt. L.

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

Reprehendit igitur Caſtritius Senatores, quod contra morem, & decus magni ordinis pro calceis gallicas geſtarent: *Soleatos tamen vos Populi Romani Senatores per Urbis vias ingredi nequaquam decorum eſt*. Quod autem gallicæ ſoleæ eſſent idem oſtendit: *Plerique tamen*, inquit, *ex iis, qui audierant, requirebant cur ſoleatos dixiſſet, qui gallicas, non ſoleas haberent. Sed Caſtritius ſcite, atque incorrupte locutus eſt. Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cetera prope nuda, & teretibus habenis vincta ſunt, ſoleas dixerunt, nonnunquam Græca voce crepidulas. Gallicas autem verbum eſſe opinor novum non diu ante ætatem M Ciceronis uſurpari cœptum. Itaque ab eo poſitum eſt in ſecunda Antonianarum. Cum gallicis inquit & lacerna cucurriſti.*

Nondum tamen difficultas omnis exhauſta eſt. Cur enim dixit Caſtritius: *Pigitum eſt cinctos ſaltem eſſe, & penulatos*. Quaſi honeſtius penularum geſtamen eſſet, quam lacernarum, contra veterum ſcriptorum fidem. Sed neque hoc viri eruditi ceperunt. Non eſt hæc Caſtritii ſententia. Sed quando mallent gallicis, quam calceis uti, rectius atque honeſtius ipſos facturos fuiſſe, ſi etiam cincti, & penulati eſſent. Nam cum pænula veſtis viatoria eſſet, & ſoleæ cum ea geſtarentur, non cum lacernis, aut toga, magis decorum futurum fuiſſe dixit, ſi pænulati inceſſiſſent, quaſi iter paulo poſt facturi. Quemadmodum indecens nunc videretur, ſi quis ocreas, & calcaria cum longa veſte per urbem geſtaret, nequaquam ſi accinctus, & penulatus. Ideo autem cinctos dixit, non ſolum quia omnes iter facturi præcipue in equo altius cincti, ſed cum tunicæ ſenatorum, ut alias diximus, ſive laticlaviæ ſub toga & lacerna non cingerentur, iter facturi præcipue equo neceſſe habebant longiores tunicas cingulo ſuſpendere: & ideo cincturam cum pænula conjunxit, non quod pænula cingeretur, ut quibuſdam viſum eſt, & infra refellemus.

Non igitur ante Severi Alexandri ætatem Senatores intra Urbem niſi pluviæ cauſa penulati. Id primum illis Alexander conceſſit, ut ſupra poſuimus. In vulgatis eſt: *Pœnulis intra Urbem frigoris cauſa, ut ſene uterentur permiſit*. Recte Lipſius pro *Senibus*, *Senatores* ſubjecit, ut ante Lipſium Britanicus *ad Juvenalis Sat.* V.

CAP. IV.

An Senatores in funere Principum pænulati?

SENATORES in funere Cæſarum pænula uſos ſcribit Lampridius in *Commodo*: *Ipſe autem*, inquit, *prodigium non leve ſibi fecit. Nam cum in gladiatoris occiſi vulnere manum miſiſſet, ad caput ſibi deterſit, & contra conſuetudinem pænulatos juſſit ſpectatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidens*. Omnino cum Caſaubono legendum. *Pænulatos juſſit Senatores, non togatos*. Nec enim ſpectatores in muneribus togati omnes, nec pænulati· qui enim id fieri poterat in minuto, ac tunicato populo, cui nec togæ erant, nec pænulæ, nec lacernæ? Sed Senatores, cum in ſpectaculis togati eſſent, juſsit eos pænulatos convenire: quo habitu non niſi funera Principum frequentabant. Id tradit Dio lib. LXXII rem eandem narrans: *His perfectis rebus*, inquit, *magnum nobis ſolatium dedit, quod cum eſſet rurſus gladiatorum more pugnaturus nos* (ſcilicet Senatores, nam & ipſe ſenator erat, & de periculo in quo omnes fuerant Senatores paulo ante narraverat) ἐν τε τῇ στολῇ ἱππάδι, καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θεατρὸν εἰσελθεῖν. *Equeſtri veſte & lacernis indutos venire in theatrum. Quo habitu nunquam ante Theatrum ingredi conſueveramus, niſi princeps e vita deceſſiſſet*. Sed cum μανδύλω καὶ ἐφεστρίδα proprie lacernam appellaverint Græci ſcriptores, ut diximus, Salmaſio aſſentimur, qui Lampridium *penulas* pro *lacernis* poſuiſſe cenſet. Neque tamen omnino verum eſt μανδύας & ἱππάδα στολὴν ἐκ παραλλήλε poſita eſſe, & μανδύαν, id eſt, lacernam equitum veſtem fuiſſe; nec equitum tantum, ſed & popularium, quod toga per ea tempora in ſolis Senatoribus ſubſtitiſſet. Nam ſi lacerna popularis etiam fuit, quomodo veſtis equeſtris hic dicitur? Veſtis equeſtris, ut alias docuimus, fuit tunica equitum anguſticlavia: quam depoſito lato clavo Senatores in luctu ſumebant. Nam duo luctus inſignia Patres uſurpabant, tunicam equeſtrem, & lacernas pullas. De lacernis pullis in funere Herodianus de funere Severi: πᾶσα ἡ Σύγκλιτος μελαίναις ἐφεστρίσι χρώμενος. *Senatus omnis in pullis lacernis*. Nunquam igitur ante Alexandri tempora, niſi pluviæ, aut itineris cauſa, Senatores pænulati, ſed togati, maxime in publico conventu: tantum in funeribus, ac gladiatoriis muneribus, quæ mortui Principis cauſa edebantur, in equeſtri veſte, & lacernis pullis, licet Lampridius ex Dione pænulas verterit: quæ quidem non omnes albæ. nam & fuſcæ fuerunt, qui color aptus funeribus: ſed quia ut diximus μανδύη Græcis eſt lacerna, non recte pænulas repoſuit.

CAP. V.

An Imperatores pænulati?

IN eo etiam diversus a Dione Lampridius, quod Dio ait hoc factum, cum ipse Commodus gladiatorum more pugnaturus esset. hoc est enim μονομαχῆσαι. At Lampridius ad munus gladiatorium, cui ipse in vestimentis pullis præsedit, id est, in tunicis & togis, aliquando etiam lacernis, ut de Tiberio idem Dio scribit pulla lacerna purpureas vestes redarguente. Nunquam autem Imperatores in pænulis. Spartianus in *Adriano*: *Tribunus plebis factus est, in quo magistratu ad perpetuam Tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quod pænulas amiserit, quibus uti Tribuni plebis pluviæ tempore solebant, Imperatores autem nunquam: unde hodieque Imperatores sine pænulis a togatis videntur*. Adrianus Tribunus plebis factus pro Imperii omine accepit, quod pænulas amisisset, quibus Imperatores perpetua Tribunitia potestate præditi nunquam utebantur: Tribuni pluvio tempore gestabant. Ideo autem Imperatores pænulis non utebantur, non quod vestis esset peregrina & exotica; nam longo usu jam inde a vetere Rep. facta erat Romana; sed quod vilis, ac viatoria, & ad servos usque dimissa, dedecere Imperatoriam majestatem videretur, quos togam modo puram, modo prætextam, interdum purpuream, ac pictam gestasse notavimus. Quod etiam ætate sua servatum tradidit Spartianus, ut Principes sine pænulis a togatis viderentur. Togatos Casaubonus salutatores interpretatur, quod officium illud matutinum in togis perageretur. Videre autem Imperatorem pro salutare a scriptoribus ejus ævi usurpatum. Quæ omnia vera esse fatemur. Sed non hic locus togatorum, aut salutatorum. Ut enim idem Casaubonus subjicit, non loquitur hic Spartianus de salutatorum veste, sed ipsius Imperatoris. Quare legendum existimat: *Sine pænulis togati, vel attogati videntur*. Simplicius erit si legatur *sine pænulis, ac togati videntur*. Nam Imperatores non modo in salutationis officio, sed ubique sine pænulis videbantur, & præterea togati. Quasi nunquam viderentur Imperatores nisi cum Ave matutinum illis portaretur. Et si aliquando pænulas gestassent, domi certe sumptas nemo dixerit, cum arcendo frigori, & plures tunicas, togasque & si placet lacernas induere possent: pænulæ domi, ne a privatis quidem gestarentur, nisi si cui, ut Galbæ illi, cœnaculum perplueret. Quid ergo opus erat tempus tantum salutationis a Spartiano notari, quo Imperatores sine pænulis viserentur, cum diserte tradat nunquam ab iis gestatas? Recta igitur emendatio est, quam nullus salutator, aut togatus loco movebit: *Sine pænulis, ac togati videntur*. Quod scilicet prodente hæc Spartiano Imperatores nunquam uterentur pænulis, & togati incederent. Nam vidari, est in publicum procedere, & palam adspici.

Nec dicere attinet illud sine pænulis redundare, quod qui togati sunt utique pænulati non sunt. Nam contra potest aliquis esse sine pænulis, & tamen non togatus, lacernatus, paludatus, chlamydatus. Innuit ergo Spartianus, cum pænulis Principes abstinerent, nihilominus togam retinuisse, & togatos intra Urbem visos esse.

Non ita facile tamen animum inducent, ut credant viri docti, nunquam pænulas ab Imperatore gestatas, quod tradit Dio Tiberium pænula usum. Sed μανδύλην ibi lacernam esse, non pænulam, dictum est: & si semel redarguendo purpuream vestium usu induerit, non efficit Principem pænulas in usu habuisse. Præterea Alexander Severus auctore Lampridio usus est togis, ac pænulis communibus. Verum non gestatas intra Urbem pænulas a Principibus, in itinere pluviæ causa adhibitas credimus, quas Lampridius intellexit. Idem affirmandum de altero scriptoris ejusdem loco, quem supra adduximus. Concessum ab Alexandro, ut senatores pænulas frigoris causa haberent: & tamen ajunt, Tribuni qui Senatores erant multo ante sub Adriano ferebant pænulas. Sed quis non videt Tribunos, & Senatores reliquos pluviæ tempore, ut ait Spartianus, induisse pænulas: at Alexandrum permisisse, ut die sereno frigoris causa a Senatoribus gestarentur, quibus ante illud tempus impermissum. Nam Gellii locum satis ante examinavimus. Neque tamen verum est, has pænulas fuisse lacernas. nam lacernarum promiscuus usus quolibet tempore. At pænulas pluvio tantum tempore a senatoribus adhibitas tradit Spartianus. non ergo fuere lacernæ, quarum usus nullo tempore interdictus. Ita quibus pænulis communibus usus dicitur Alexander, pænulæ fuere, non lacernæ: præterea quas donare Macrinus rosei coloris populo voluerat in honorem filii, pænulæ fuere, non lacernæ. non enim credibile scriptores, & si parum curiosos, tamen diversa vestimenta confundere voluisse. Solus Lampridius Græcam apud Dionem vocem μανδύλην pænulam interpretatus est, quæ erat lacerna. Et si daremus recte interpretatum esse, & senatores illos in funere pænulatos fuisse, parum referret; & nihilominus verum esset, quod tradit idem, senatores ante Alexandri ævum nunquam pænulis nisi pluviæ causa usos.

CAP. VI.

De Materia Pænularum. Pænulæ scorteæ, Gausapinæ, Canusinæ.

PÆNULARUM usum indicavimus, restat ut materiam, formam, ac colorem demonstremus. Pænulas duplicis generis fuisse, alias scorteas, alias laneas, & gausapinas pervulgatum est. De scorteis Martialis lib. XIV. ep. CXXX.

Ingrediare viam cœlo licet usque sereno:
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Seneca in *quæst. naturalibus* lib. IV. cap. VI. *Hi cum signum dedissent adesse jam grandinem, quid expectas, ut homines ad pænulas discurrerent, aut scorteas?* Hæ pænulæ ex pelle confectæ. Quia, ut ait Festus, *omnia ex pellibus facta scortea appellabantur. unde & meretrices scorta dictæ, quod tanquam pelliculæ subigantur*. Scorteæ etiam meminit Nonius *de Impropriis* loco corrupto: *Pænulam abusive omne quicquid tegit nobilissimi Veteres transtulerunt. Varro Manio: & cum corrigia disrupta tenet aridum reliquum pedem pænula scortea pertegere*. Ita Vetus editio. Sunt qui legant: *& cum corrigia disrupta tonat aridum*. Fortasse: *Cum corrigia disrupta tonat horridum*. Nam quod aliqui legunt, *Tentet aridum reliquum pedem pænula scortea pertegere*: id est, tentet pænulam, qua indutus est, ad pedes dimittere; ne videlicet calceus detritus appareat, parum proficiunt. nam talaris pænula non fuit, nec pedes stantis pertegere potuit. Sed hæc non sunt tanti.

Non solum autem ex pelle, sed etiam ex lana pænulæ conficiebantur: eæque duplicis generis fuere. Nam aut brevi villo, quæ & Canusinæ: aut villosæ, quæ gausapinæ dictæ. Illæ pluviæ

tempore adhibitæ etiam intra Urbem, cum fere scorteæ tantum in itinere: gausapinæ per hiemem causa frigoris sumptæ. De primis Plinius lib. VIII. cap. LXVIII. initio: *Lana autem laudatissima Appula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur: tertium locum Milesiæ oves obtinent. Appulæ breves villo, nec nisi pænulis celebres: circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent.* Non nisi autem pænulis celebrem hujusmodi lanam tradit, propter villi brevitatem. nam villosæ vestes potius imbrem trahunt, quam excutiunt. Istæ igitur pluviæ tempore adhibitæ a Canusio Canusinæ appellatæ, quarum duplex color, de quo infra dicemus.

Sed alteræ gausapinæ fuerunt longiori scilicet villo, eæque etiam cum sudum esset frigoris causa intra urbem adhibitæ, quamquam & lacernas gausapinas in usu fuisse dixerimus. Martialis eod. lib. ep. CXLV.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta,
Ut me vel media sumere messe velis.

De hac capiendus Horatius lib. I. Ep. XI.

Incolumi Rhodos, & Mitylene pulchra facit, quod
Pænula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tyberis, Sextili mense caminus.

Pænula scilicet gausapina inepta solstitio æstivo. Nisi quis malit quamlibet pænulam, quæ æstate A non necessaria cum minimum pluat. Acron de gausapina interpretatur. *Nihil frigiditatis in æstate affert, quia spissa & crassa est. Campestre nihil caliditatis in hieme, quia tenue est.*

CAP. VII.

Pænularum Figura.

LACERNAS pænulis breviores fuisse, cetera similes veterum Grammaticorum testimonio viri docti tradiderunt. Sed solus, quod ego sciam, Persii Interpres ait lacernam fuisse pal-B lium fimbriatum, Pænulam pallium cum fimbriis longis. Quod Grammatici illius commentum existimo. Quis enim Veterum in pænula aut lacerna fimbriarum meminit? Deinde potest vestimentum aliquod alio brevius esse, licet longiores fimbrias habeat. Verisimilius est, pænulas lacernis breviore fuisse, vestimentum scilicet viatorium, equitanti accommodatum, lecticariis, cursoribus, & id genus hominibus aptum. Quidquid sit magnum in eo, totumque discrimen erat, quod lacernæ apertæ & quæ fibula nectebantur; pænulæ clausæ fuerunt, rotundæ, quæque togæ instar corpori injicerentur, illudque ambirent, nisi quod strictiores erant, ac breviores, præterea cum in toga dextrum brachium per summam oram exereretur, pænula utroque brachio subducebatur.



Id mihi


Id mihi diu iggnoratum est, donec adjectas al-
A teram Mercurii alteram militis pænulati effigies Roma transmisit nunquam nobis, populisque nepotum silendus Eques Cassianus a Puteo, in Romana luce totius antiquitatis assertor felicissimus, idemque fugientium literarum Stator, quem unum comitatis, ac magnificentiæ simulacrum exteræ quoque gentes colunt, magna pars propter hunc unum Urbem invisunt. Absque eo foret adhuc pænulam ignoraremus.

Fuisse autem vestimentum clausum, ac strictum nemo potest ignorare. Cicero *pro Milone: Quid minus promptum ad pugnam, cum pænula irretitus, rheda impeditus, uxore pene constrictus esset?* Ac
B præter Artemidori verba non semel allata, auctor libri *de causis corruptæ eloquentiæ: Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas, quibus adstricti, & veluti inclusi cum judicibus fabulamur?*

Veteris pænulæ vestigium in veste sacrificantium adhuc retinemus, licet illi ætas paulatim aliquid detraxerit. Nam antiquorum sacrificalem vestem, quam planetam, sive casulam dixere, fuisse clausam, longamque, ut utroque brachio subduceretur alias docuimus: licet similitudine decepti, cum nondum pænulam videre contigisset,
C eam togam, sive togæ simillimam fuisse diximus. Pænula igitur est non toga, brevior scilicet toga, & angustior, præterea utroque brachio subducta, cum in toga alterum exereretur. Recte itaque eam pænulam fuisse Baronius, & Jo. Baptista Donius censuerunt. Multa autem de planeta, ac casula tunc observavimus, quæ inde lector petat. Cur autem in sacris pænula adhibita docti quæsiverunt, quibus assentimur ideo factum, quod olim in promiscua veste sacra peragerentur: ea autem ferme pænula fuit, cum paulatim & togæ & lacernæ gestari desiissent.

D Cum autem clausum vestimentum pænula esset, quod ita corpori injiciebatur, ut utrumque brachium premeret, sequitur nullo modo cingi potuisse, quod Vir Doctissimus credidit, qui pænulas omnes cinctas fuisse tradit ex Gellio: *Pigitum saltem vos pænulatos, cinctosque esse*. Sed cincturam ibi ad tunicam, non ad pænulam referendam diximus. Nam cum Senatores solutis tunicis incederent, credibile est iter facturos longiores tunicas cingulo suspendisse, ne longitudo illa expeditis, & equitaturis incommoda esset. Nam præter Senatores reliqui omnes tam sub toga, quam sub lacerna, ac pænula tunicas cincti. Falluntur igi-
E tur qui hinc mollitiem objectam a Castritio putant Senatoribus, quod lacernas pro pænula, quodque tunicas discinctas gestarent. Nam nulla in lacernis lascivia, & omnes Senatores discincti fuerunt.

Atqui apud Petronium: *supervenit cinædus myrtea subornatus gausapina, cinguloque succinctus*. Sed ibi gausapina tunica est, ut Donius recte observat, coloris myrtei: exoleti in tunica succincti, conviviis scilicet adhibiti. Seneca *de brevitate vitæ: Cum videam quam solliciti argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant*. Etsi gausapina illa pænula fuit, cingulo tunicam succinctus erat. Alii pænularum nomine tunicas venisse observant. Falso. Nam tunicatus populus non quod lacernatus esset, aut pænulatus dictus, sed quod in sola tunica. Et licet in veteri Glossario *Scortea* explicetur δερματοχίτων, non tamen pænula scortea tunica fuit. nam & tunica scortea esse potuit, sive ex corio, loroque confecta, unde & loricia, & lorica tunica ex loris. Ita & lacerna sive pænula loricia. Falsum item milites, & populum tunicis lineis superinduisse pænulam, quæ fuit tunica superior. nam tunicæ manicas cubito tenus habebant, ex quis brachia exerebantur, & ideo cingi poterant, at pænula utrumque brachium premebat, & ipsi tunicæ superinjiciebatur. Neque Hieronymus tunicam pro pænula dixit *ad Julianum: Jam dimisso synthemate equus publicus sternebatur, & nobilem juvenem punicea indutum tunica baltheus ambiebat.* Cur enim tunicam eam pænulam fuisse dicamus? Sed quid opus est verbis? Si quis pænulati figuram adspiciat, facile intelliget nullo modo pænulas cingi potuisse, alioqui utrumque brachium, quod pænulæ subjectum, eodem cingulo constrictum, & colligatum fuisset. Porro in Figura XVIII. cucullus pænulæ appensus apparet, & quidem acuminatus, sicut & in subjecta Icuncula, ut opinor Ægyptiaca, quam habuimus beneficio splendidissimi Equitis Joannis de Lazara, qui singulari comitate, harumque literarum cultu, & totius antiquitatis peritia, sed præcipue instructissimo Numismatum Museo non vetustissimam modo familiam urbemque hanc, sed totam Italiam collustrat.



At pænulæ puerilis effigiem exhibet duplex marmor Patavinum editum a Cl. Equite Sertorio Orsato.



CAP. I.

De Colore Pænularum. Canusinæ, Fuscæ, ac Rufæ.

DUPLICEM pænulam fuisse diximus, scorteam, & laneam. Scorteam nativo colore pellis fuisse, non est dubitandum. Pænula lnea, alia villosa, sive gausapina, alia brevibus villis, aut rasa, eaque Canusina dicta. Pænulas Gausapinas fuisse albas Martialis demonstrat lib. XIV. ep. CXLV.

Is mihi candor inest villorum gratia tanta,
Ut me vel media sumere messe velis.

Canusinas duplicis coloris fuisse idem docet, ut de lacernis supra notavimus. Fuscas, & rufas. Fuscarum colorem turbato mulso similem fuisse testatur ibid. ep. CXXVII.

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit, gaude, non cito fiet anus.

Hinc passim Canusinæ fuscæ a vulgo Romæ gestatæ [a] præter pueros, & milites, qui exemplo Gallorum magis rufo colore, quam fusco in pænulis gaudebant. Martialis ibid. ep. CXXIX.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris militibusque color.

Ergo cum fuscis pænulis vulgo uterentur, pueri, & milites rufum colorem prætulerunt, qui color vulgo in Gallia usurpabatur. Ex hoc Lipsius Canusinam pænulam servorum, & militum peculiarem fuisse credidit, & pueros servos intellexit. Sed

A pueri ingenui sunt, quorum pænulæ, cum viriles fuscæ essent & tristiores, lætiore colore, rufo scilicet tinctæ. Male autem intellectus Senecæ locus doctissimo viro imposuit. Is est lib. III. *de Benef.* cap. XXVIII. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? Quo te pænulati isti, in militum quidem non vulgarem cultum subornati, quo, inquam, te isti efferant?* Ubi pænulam militum vestem fuisse ait Lipsius, & quidem honestiorum colore rufo. Et primo *Electorum* capite eandem servorum, & militum peculiare facit. Sed Romæ servi, aut sine pænulis in sola tunica, aut pænulas fuscas olim induti. Nam præter pueros & milites vulgus in fuscis pænulis, teste Martiali. Crescente mox luxu ditiores servis suis pænulas Canusinas rufas induxere, præcipue lecticariis. Martialis lib. IX. ep. XXIII.

B

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Et quia is color militibus usurpatus, ideo Seneca dixit *lecticarios in militarem cultum subornatos*. Suetonius tanquam Neronis profusione dignum tradit cap. XXX. *Eum nunquam carrucis minus mille fecisse iter, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Magnæ autem id lautitiæ fuit, etiam propter lanæ nobilitatem, quam a marito emi sibi postulat sumptuosa uxor apud Juvenalem Sat. VI.

Interea calet, & regnat, poscitque maritum
Pastores, & ovem Canusinam, ulmosque Falernas.

Ut luxus non vulgaris argumentum fuerit servorum pænulas ex nobilissima lana scilicet Canusina confectas: quales ab ingenuis vulgo gerebantur, præ-

terea rufo colore, ut militari cultu mancipia incederent.

Non ergo pænula militum vestis peculiaris fuit, sed communis & paganorum. Ut minus audiendi sint, qui *ad Spartianum* observant, cum lacerna militum esset & diceretur, postquam ea ab Urbanis usurpari cœperit, ad habitus distinctionem pænulas militum dictas esse. Nam semper pænula commune vestimentum fuit Quiritium, & militum, omnis sexus, omnis ætatis. Meminere & pænulæ militaris scriptores, sed non tanquam id peculiare vestimentum militiæ esset. Suetonius *Nerone* cap. XLIX. *Irrumpenti Centurioni & pænula ad vulnus apposita*. Idem *Galba* cap. VI. *Postridie quam ad legiones venit, solenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, ut manus pænulis continerent*. Seneca *de Benef.* cap. XXIV. lib. V. *Meministi quoque sub quadam arbore minimum umbræ spargente; cum velles residere ferventissimo sole, quemdam ex commilitonibus pænulam suam substravisse*.

Quæ verba solum declarant etiam milites pænulam habuisse. Et cur non haberent tegmen illud, ac munimentum adversus pulvias, cœlique injurias? Tertullianus etiam meminit pænulæ militaris *de Corona militis* cap. I. *Ibidem gravissimas pænulas posuit, revelari auspicatus, speculatoriam morosissimam pedibus absolvit*. Ubi *relevari* legendum esse, quemadmodum a Cl. Rigaltio editum est, facile intelliget, qui gravissimas pænulas cogitabit. Illud etiam observabit, licet militibus communes pænulæ essent, videri tamen magis speculatorum proprias, ut qui Imperatorum mandata perferrent, supplicia exigerent, & ideo perpetuo in itinere essent. Neque illud prætereundum est, pænulas eas de more rufo colore fuisse, sive ut ipse loquitur russo. Nam verbis illis, *gravissimas pænulas posuit, relevari auspicatus, morosissimam speculatoriam pedibus absolvit, gladium reddidit*, illa ex opposito respondent. *Nunc russatus sanguine suo* (non pænulæ colore) *spe calceatus*, & quæ subjiciuntur. Ita pænulæ illæ aut de more rufæ, aut certe russo, sive rubro colore fuerunt.

Quod vero subjicit Lipsius, viles servorum in pullis vestibus fuisse, verum est, si tunicam intelligit. Nam Martialis, cujus locum adducit, loquitur de pueris, qui mensæ ministrabant, qui sine pænula, sed tunicati tantum, ut notum est, & viliores quidem tunicæ ex lana Pollentina, quæ pulli coloris. Martialis lib. XIV. ep. CLVIII.

Lana quidem tristis (id est, pulla) *sed tonsis apta ministris,*
Quales non primo de grege mensa vocat.

Pretiosiores ministri, & de grege primo tunicis albis, mox & auratis succincti, iidemque intonsi, & muliebriter culti; at secundarii, & viliores, tonsique, & inculti viliori lana, ac colore tunicas induti. Quod autem Lipsius servos viliores cucullis usos ex Martiali contendit, lib. X. ep. LXXVI.

Pullo Mævius alget in cucullo.

vix venia dignus est. Ibi enim de ingenuo loquitur, & cucullus quoque commune tegmen fuit. Postremo, neque illud verum est, etiam pænulas purpureas fuisse ex Dionis loco supra laudato de Tiberio, qui μανδύαν pullam gestavit ad tollendum usum purpurearum. nam Mandyam esse lacernam, non pænulam, doctis observatum est: lacernam, inquam, non pænulam, neque togam purpuream, ut Xiphilini Interpres convertit.

Narrat quidem Lampridius Macrinum destinasse dare populo pænulas coloris rosei in honorem Antonini filii, quæ vocarentur Antoninianæ. Quas miror cur in lacernas docti convertant. nam vere pænulas donare decreverat roseo colore insignes, cum lacernæ omnium colorum vulgo usurparentur, ut esset aliquod discrimen inter pænulas servorum, & ingenuorum, cum Canusinæ rufæ etiam in lecticariis viluissent. Quod autem auctor Libri *de utraque pænula* pullum pænularum peculiarem colorem fuisse ex Suetonio contendit: *Visa quondam pro concione pullatorum turba*, non animadvertit, ibi de lacernis loqui Suetonium. Subjicit enim: *Vetuit quemquam nisi positis lacernis in circo consistere:* quæ & ipsæ vulgo pullæ erant.

CAP. IX.

Pænulæ inter vestes muliebres. Eæ virilibus pretiosiores.

ILLUD etiam discrimen inter lacernas, & pænulas fuit, quod lacerna vestimentum virile tantum fuit, ut supra ostendimus, pænula commune etiam mulieribus. D. *de auro, argento, mundo legato: Communia sunt quibus promiscue utitur mulier cum viro: veluti pænula, palliumve est, & reliqua hujusmodi, quibus sine reprehensione vel vir, vel uxor utatur*. Lampridius tradit ab Alexandro interdictas matronis pænulas: *Matronas tamen intra Urbem pænulis uti vetuit, in itinere permisit*. Quas pænulas colore, & ornatu virilibus pretiosiores fuisse, credi par est. Nam Pollio in *Quieti vita* cap. XIV. *Alexandrum*, inquit, *Magnum viri in annulis argento, mulieres in reticulis, & in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt, eousque ut tunicæ, & limbi, & pænulæ matronales in familia ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monstrent*. Ergo hæ pænulæ acu pictæ, & variatæ fuerunt. Quales & Caligulæ de quo Suetonius cap. LII. *Vestitu, calceatuque & cætero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano semper usus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus pænulas*.

OCTAVII FERRARII DE RE VESTIARIA PARS SECUNDA.

LIBER TERTIUS, QUI EST DE MILITARI.

Cap. I.

Diverſæ Chlamydis ſpecies. Chlamys puerilis. Alicula. Velius Longus correctus. Martialis explicatus.



VESTIMENTA militaria apud Græcos, & Romanos fuere, Chlamys, Sagum, Paludamentum. Nam tunica communis etiam paganis fuit. Quæ licet diverſa nomine, re tamen eadem indumenta, aut non multum diverſa fuerunt. Chlamydem Græcæ originis eſſe, nec aliud quam περιβόλαιον, hoc eſt, veſtimentum quod tunicæ ſuperindueretur, & quidem fere militare, ſcriptores conſentiunt. Ut quemadmodum toga pacis, ita chlamys belli inſigne eſſet. Philoſtratus lib. v. cap. XIV. χλαμύδος ἠράσθη, καὶ στρατιώτου βίον. *Chlamydem, & militarem vitam adamavit.* An vero quemadmodum χλαῖνα, quod hieme frigus arceret, παρὰ τὸ χλιαίνειν χλαῖνα dicta ſit, Grammatici viderint.

Porro diverſæ chlamydis ſpecies apud ſcriptores occurrunt. *Puerilis*, *Muliebris*, ac *Virilis*. Rurſus hæc *vulgaris*, & *Imperatoria*, de quibus ſingillatim aliqua nobis adnotanda ſunt. Ulpianus D. *auro arg. leg. Puerilia veſtimenta eſſe* ait, *quæ ad nullum alium uſum pertinent niſi puerilem, veluti togæ prætextæ, Aliculæ chlamydes, pallia, quæ filiis noſtris comparamus.* Juriſconſulti non infimæ notæ, qui quid eſſent *Aliculæ* non intellexerunt, *Alicubi*, aut *Caligulæ* repoſuerunt voces nihili. Doctiſſimus Hottomannus legendum putat *Aliculæ*, & manicatas tunicas intelligit, quæ pueris decoræ, grandioribus autem minus honeſtæ erant apud Romanos auctore Gellio. Sane Heſychius Ἀλλὶξ χιτὼν χειριδωτός explicat, tunica manicata. Quod verum eſſet, ſi hujuſmodi tunicas chiridotas, ſive manuleatas pueris decoras aliquis Veterum notaſſet, aut rationem Hottomannus attuliſſet, cur hæ tunicæ decoræ pueris, grandiori ætati probroſæ eſſent. Cum apud Gellium Scipio Sulpitium Gallum amare perſtringat, quod in convivio adoleſcentulus cum amatore cum chiridota tunica inferior accubuerit. Ut nonniſi pueri meritorii ea tunica uterentur. Cujacius *Obſervationum* lib. x. XVIII. Aliculas breves togas interpretatur, quod Martialis lib. XII. ep. LXXXII. ait:

Brumæ diebus, feriſque Saturni
Mittebat Umber Aliculam mihi pauper.

Id autem alibi ab eo ſic explicatum:

Brevis gelidæ miſſa eſt toga tempore brumæ.

Sed tam Aliculæ, quam togæ, & alia veſtimenta mittebantur Saturni diebus, quas togas patronorum avaritia (qui munuſculis clientes colebant) ut ſumptui parceret, breviores, & ſtrictiores faciebat, ut idem vates non ſemel notavit. Sed cur aut unde iſtæ breves togæ Aliculæ dictæ ſunt? Aliculæ notationem ſolus, quod ego ſciam, Veterum poſuit Velius Longus *de Orthographia*. Cujus integrum locum afferam, quia ſatis obſcurus eſt, & corruptus: *Et de hac litera quæritur, quæ ſecum his aut inſeruit vocibus, aut præpoſuit, inſeruit, ut in his vehemens, reprehendit, cum elegantiores & vementer dicant. In reprehendit ſecundum primam poſitionem: prendo enim dicimus, non prehendo: at præpoſuit, ut cum dicas hoſtis, harena, halicam, etiam haliculam cum ab alendo poſſit alica dici, & aliculam exiſtiment dictam, quod alas nobis injecta contineat.* Hactenus ille. Qui de aſpiratione loquitur, ſive ut ipſe credit litera *H.* Cum igitur ponenda eſſet nota aſpirationis H. incuria librariorum *hac* ſcriptum eſt. Ait autem hanc literam partim ſe inſeruiſſe quibuſdam vocibus, partim præpoſuiſſe. Inſeruiſſe, ut in *vehemens*, & *reprehendo*, quum tamen elegantiores etiam veementer dicerent, quod ibi ſine aſpiratione ſcribendum eſt. Inſeruiſſe etiam ſe in verbo *reprehendit* ſecundum primam poſitionem, ſcilicet *prendo* (cum poſt additum ſit *Re*) *prendo* enim, inquit, dicimus, non *prehendo*. Subjicit præpoſuiſſe ſe vocibus, ut *hoſtis*, *harena*, *halica*, *halicula*. Sententia veteris Grammatici eſt, *H.* literam velut in alienam poſſeſſionem irrupiſſe, & minime neceſſario præpoſitam vocibus, quæ ea carere poterant. Affert inter alia exemplum *Alicæ*, & *Aliculæ*, quarum ſi altera ab alendo, altera ab ali deducatur, quid opus aſpiratione? Subjicit enim: *Hortus quoque non deſiderabat aſpirationem, quod ibi herbæ oriantur.*

Totus igitur ille locus ita conſtituendus eſt: *Et de H. litera queritur, quæ ſe cum his aut inſeruit vocibus, aut præpoſuit. Inſeruit in his, vehemens, reprehendit, cum elegantiores & veementer dicant: in reprehendit ſecundum primam poſitionem: prendo enim dicimus non prehendo. At præpoſuit, ut cum dicas Hoſtis, Harena, Halica, Halicula: cum ab alendo poſſit Alica dici, & Aliculam exiſtiment dictam, quod alas nobis injecta contineat.* Hæc ille. Verum neque *Arena*, neque *Alica*, neque *Alicula* aſpirationem retinuere.

Ut in viam redeamus, ſi *Alicula* dicta eſt, *quod alas nobis injecta contineat*, Alicula utique toga eſſe non poteſt, quod opinatur Cujacius, quæ rotunda, & clauſa alas habere non potuit; igitur *Alicula* chlamys, & quidem puerilis, & inter veſti-

men ta puerilia a Jurisconsulto recensita. Infantes enim olim, ac pusiones, aut nudi, aut chlamydula semitecti incedebant. Herodianus lib. I. narrat Commodum, quum familiarium nomina, quos neci destinaverat, libello inscripsisset, eum libellum a puerulo, quem habebat in delitiis foras elatum totum negotium aperuisse: *Erat autem*, inquit, *puerulus adhuc infans ex iis, qui vestitu cætero nudi, sed auro, gemmisque ornati solent delicatioribus oblectamento esse*.

Reliqui ferme chlamydula humeris injecta seminudi. Talem Mercurium suum describit Martianus initio operis: *Ac jam pubescentes genæ seminudum incedere, chlamydeque indutum parva, invelatumque cætera humerorum cacumen obnubere sine magno risus Cypridis non sinebant*. Apulejus lib. X. *Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamyde sinistrum tegebat humerum*. Chlamydis puerilis meminit Suetonius *Tiberio* cap. VI. *Munera quibus a Pompeja Sexti Pompeii sorore in Sicilia donatus est, chlamys, & fibula, item bullæ aureæ durant, ostenduntúrque adhuc Baiis*. Subjectam Mercurii chlamydati effigiem a Joanne Galvano accepimus, quo eloquentia, ac nobili reorum patrocinio nullus mortalium magis propitium Mercurium nactus est, nemo Themidis sacrario propius admotus, nemo vetustatis cymeliis publico bono instructior.



Quanquam haud verisimile est, præcipue apud Romanos majores pueros ita incessisse ea ætate, qua maxime velari corpora oportet, cum ob hanc causam etiam post togam virilem per annum exercita-

A tione campestri tunicati essent. Sed infantes, puerique minusculi chlamydulam induti, quam, quia veluti alas haberet, *Aliculam* dixerunt.

Hinc jocus Martialis Interpretibus non intellectus lib. XII. ep. LXXXII.

Brumæ diebus, feriisque Saturni
Mittebat Umber aliculam mihi pauper:
Nunc mittit alicam, factus est enim dives.

Ajunt ex Plinio *Aliculam* majoris pretii fuisse, quam *Alicam*. Sed nihil horum apud Plinium. nam lib. XVII. cap. XI. ait: *Alicæ tria genera fuisse minimum, ac secundarium; grandissimum aphærema appellari*. Aliculam pretiosiorem fuisse

B nec apud Plinium, nec apud alios facile reperias. Jocus poetæ non ita frigidus, ut isti volunt, in ipsa voce est. Nam *Alica* potionem e rea, ut notum est, significat, *Alicula* vestem sive parvam chlamydem. Ergo Umber, cum esset pauper, mittebat *Aliculam*, id est, vestem, Martiali: at dives factus mittit *Alicam*, hoc est, potionem. Cum autem *Alica* major esse videatur *Alicula*, argute carpit avaritiam Umbri, qui factus dives pro veste potionem miserit. Missam autem Alicam a pauperioribus docet idem XIII. VI.

C *Nos Alicam, mulsum poterit tibi mittere dives.*
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Ceterum quemadmodum nullus *Aliculam* pro *Alica* sive potione accepit, sic contra nemo Latinorum *Alicam* pro veste posuit. Græci quidem ἄλλικα chlamydem dixere. Hesychius Ἄλλικα χλαμύδα, ἐμπόρπημα, ὁ δὲ πορπίδα χλαμύδος ἀλληλοχείρου. Idem paulo post Alicam tunicam chiridotam interpretatur.

Porro ephebos etiam in chlamydibus, & quidem veluti peculiari habitu fuisse apud exteros Plutarchus docet in *Catone Minore*, quum describit pompam Antiochiensium, qui Demetrio Pom-

D peii liberto apud herum gratioso ad se adventanti obviam effusi erant: Ἐν οἷς ἔφηβοι μὲν χωρὶς ἐν χλαμύσι, καὶ παῖδες ἑτέρωθι κοσμίως εἱστήκεσαν. *Ephebi in chlamydibus. pueri in alio ornatu separatim consistebant*. Artemidorus lib. I. cap. LVI. Ἐφηβεύειν id est, *Epheborum habitum gestare, si servus sibi videatur liber erit, quandoquidem solis liberis id lege permissum est. Omnibus autem artificibus manuariis, & Rhetoribus otium & cessationem in annum significat. Oportet enim ephebum, sive Tyronem* τῇ χλαμύδι τὴν δεξιὰν ἐν ειλημένην ἔχειν. *Chlamyde dextram involutam habere*. Ubi observandum, quemadmodum Romani anno Tyrocinii brachio

E togam cohibebant, ut supra adnotatum est, ita Græcos per annum dextram chlamyde involutam habuisse. χλαμύδιον sive chlamydulam Plutarchus dat Faustulo nutricio Romuli ac Remi jam viro. Quum scilicet ut capto Remo opem ferret scaphulam infantis crepundia Numitori detulit. οὐκ ἔλαθε τὴν σκάφην τῷ χλαμυδίῳ περικαλύπτων. *Apparuit scapha, quam chlamydula tectam habebat*. Sed chlamydion pro simplici chlamyde ab eodem in *Amorbus*, & in *Philopœmene* usurpatur. Et aut illa lacerna fuit, aut quid simile. nam Romæ secutis temporibus militum modo chlamydes fuere.

F

CAP. II.

Chlamys muliebris. Dionis Interpres notatus.

Etsi chlamys proprie vestimentum virile fuit, non semel tamen muliebris chlamydis mentio apud scriptores occurrit. Poeta de Didone:

Sidonio pictam chlamydem circumdata limbo.

Agrippina etiam in spectaculo navalis prælii aurata chlamyde induta apud Tacitum lib. XIII. &

Dionem lib. LX. quam Plinius *paludamentum* appellat. Idem Dio lib. LXII. Bunduicæ Britannicæ habitum describens: *χιτῶνά τε παμποίκιλον ἐνεκεκόλπωτο, καὶ χλαμύδα ἐν αὐτῷ παχεῖαν ἐνεπεπόρπητο*. Interpres. *Induebatur tunica variis coloribus distincta: sinuosa per fibulas insuper crassa chlamyde cincta*. Sed qui chlamyde cingi potuit? Rectius verteris. *Tunicam variegatam in sinum colligens, & in ipso* (sinu) *crassam chlamydem infibulata*.

CAP. III.

Chlamys militaris. Eadem cum Sago.

CHLAMYDEM fuisse vestimentum militare, quod tunicæ, loricæ, ac reliquæ armaturæ imponeretur apud Græcos, certum est & indubitatum. Plautus Comœdia palliata. *Rudente* Act. II. Scena II.

——— Ecquem adolescentem huc,
Dum hic astatis strenua facie, rubicundum, fortem, qui tres
Duceret chlamydatos cum machæriis vidistis venire?

Ubi chlamydati sunt milites, quos secum Pleusidippus duxerat adversus lenonem. Et *Pseudolo*, quum sycophantam ornaturi essent militarem in modum:

Etiam opu'st chlamyde, & machæra, & petaso.
Quem Ballio primum videns:
Quis hic, inquit, homo chlamydatus est?

Ubi notant Interpretes, *chlamydem* viatoriam vestem esse, & *chlamydatos* qui peregre advenirent. Quod ut verum sit, nam in itinere pro pallio chlamydem brevius vestimentum sumptum constat: sic Charinus apud eundem in exilium iturus posito pallio sumit chlamydem. Eo tamen loco *chlamys* non tam peregrinum, quam militem, militisve servum demonstrat.

An vero chlamys etiam apud Romanos vestis militaris fuerit, dubitari potest. Nam Latini scriptores raro, aut nunquam in vestimentis militaribus chlamydis meminerunt, sed tantum Sagi, ac Paludamenti. Verum nihil aliud sagum, sive ut Veteres loquebantur sagus, fuit quam chlamys. Indumentum scilicet sive *περιβόλαιον*, quod tunicæ imponebatur, & fibula ut chlamys in humeris nectebatur. Auctor Etymologici: *χλαμὺς τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδές, τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον Σάγος· ἱμάτιον ὅπερ φοροῦσιν οἱ κηροφόροι*.

Præterea cum inter bella civilia mutatio vestis fieret, depositis togis saga sumebantur. Hinc *ire ad saga*, & *esse in sagis* apud Ciceronem & alios. Greci scriptores sumere chlamydes dixerunt. Dio lib. XLVI. *τάς τε χλαμύδας τὰς στρατιωτικὰς πάντες καὶ οἱ μὴ ἐκστρατεύσαντες ἠμπίσχοντο*. *Chlamydes autem militares* (sive saga) *etiam ii, qui non proficiscebantur in bellum, sumpserunt*.

CAP. IV.

Chlamydem & Paludamentum idem vestimentum fuisse. Cicero explicatus.

NEC chlamys modo, ac sagum eadem res fuit, sed chlamys, ac paludamentum. ex quo illud sequitur, etiam sagum, & paludamentum idem indumentum fuisse. Nonius. *Paudatum est vestis, quæ nunc chlamys dicitur*. Nam licet paludamentum peculiaris Imperatorum vestitus

A fuisse videatur, sagum, sive chlamys militum, nihilominus etiam Imperatores chlamyde sagoque usos apparet. Et de Græcis quidem Ducibus, atque Imperatoribus non est dubitandum, quin chlamyde in bello usi sint. Plutarchus in *Quæst. Convivalibus* lib. Problem. IV. de Pericle: *ὁ μὲν Περικλῆς ὁσάκις ἔμελλε στρατηγὸς ἀναλαμβάνειν τὴν χλαμύδα*. Idem in *ejus vita* narrat quemadmodum classem in hostem educturus, cum subita solis defectione consternatus esset gubernator triremis, sublatam chlamydem ori ejus opposuerit, rogi- B tans num illud dirum quid, aut horrendum videretur. Illo abnuente, quid igitur, inquit, interest, nisi quod majus chlamyde est, quod nunc tenebras agit. Idem Plutarchus de Alcibiade, *τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα περιελίξας*. Idem Philopœmenis chlamydem, sive chlamydulam tenuem, & detritam memorat, propter quam ab hospita unus ex famulis creditus est: atque eundem in carcere, cum illi venenum carnifex attulisset, chlamyde obvolutum refert. Ælianus quoque *Variæ Hist.* lib XIV. cap. X. memorat dictum Demadis, qui ambitu Phocioni prælatus fuerat. Accedens enim ad Phocionem *χρηστόν μοι* C *ἔφη τὴν ῥυπαρὰν χλαμύδα ἣν εἰώθεις φορεῖν περὶ τὴν στρατηγίαν*.

Romanos etiam Imperatores chlamyde usos constat. Dio lib. LX. de Claudio: *Αὐτὸς μὲν οὖν ὁπλομαχίας ἀγῶνα ἐν τῷ στρατοπέδῳ χλαμύδα ἐνδὺς ἔθηκε*. Xiphilinus de Severo lib. LXXV. Sed ut vidit suos omnes fugere *τὴν χλαμύδα περιρρηξάμενος*, *discissa chlamyde districtoque gladio in fugentes insiliit*. Idem lib. LXXVII. de Caracalla protegente Cilonem adversus militarem seditionem: *Καὶ τῇ χλαμύδι (τὴν γὰρ στρατιωτικὴν ἐσθῆτα εἶχε) περιβαλόντα αὐτόν*. *Ipsum Cilonem chla-* D *mydis objectu tegens: nam tum ei vestis militaris erat*. Herodianus de eodem Antonino lib. IV. ait eum sæpe Romana chlamyde deposita Germanorum indumenta sumpsisse, hoc est, chlamydes argento variegatas. Subjicit enim: *ἔν τε χλαμύσιν ἀργύρῳ πεποικιλμέναις ἑωρᾶτο*. Apud eundem milites facturi Gordianum Imperatorem chlamydem purpuream ei circumponunt. Et alibi Macrinum abjecta Regia chlamyde latuisse scribit.

An vero veteres Romani Duces, atque Imperatores libera civitate chlamyde usi sint, non ita certum est. Imo Cicero negare videtur, qui in Ora- E tione *pro Rabirio Posthumo*, ut eum defendat, quod Alexandriæ palliatus incesserit, hæc habet: *Aut pallium sumendum Alexandriæ, ut & Romæ togato esse liceret: aut omnes fortunæ abjiciendæ, si togam retinuisset. Deliciarum causa, & voluptatis non modo cives Romanos, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores summo loco natos non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe videmus. Chlamydatum illum L. Syllam Imperatorem: L. vero Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque devicit, non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capito-* F *lio statuam videtis*. Ex quibus verbis Valtrinius *de re militari* lib. III. cap. XIII. credit paludamentum, ac chlamydem diversum vestimentum fuisse, alioqui frustra Cicero tanquam rem insolentem notasset Imperatorem chlamydatum. Verum locus iste Ciceronis omnino corruptus est, ac mutilus. Quomodo enim illa cohærent, *Chlamydatum illum L. Syllam*, cum iis quæ sequuntur? Et hercle in veteribus libris variant. Sed ad intelligendum Ciceronem non parum conferet Val. Maximus lib. III. cap. VI. cui titulus est: *Qui ex illustribus in veste, aut in cætero cultu licentius, quam mos patrius permittebat, indulserunt: Lucius quoque Sylla,* inquit,

cum Imperator esset chlamydato sibi,& crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit. Fortasse igitur Ciceronis locum aut hæc aut similia verba supplerint. *Chlamydatum illum L. Syllam Imperatorem Urbs eadem vidit*.

Quidquid sit, non notabile visum est in Sylla, & Scipione, quod chlamydati essent, qui enim poterat, cum ea vestis militaris & Imperatoria esset, ac paludamentum diceretur? Verum quum in urbibus, atque oppidis non Imperatores modo, sed reliqui cives ea tempestate togati incederent, Sylla contra consuetudinem id sibi indulsit, ut cum chlamyde, & crepidis incederet. L. vero Scipio statuam sibi chlamydatam, & crepidatam poni voluit, cum nonnisi togatæ ponerentur, ea scilicet specie, qua triumphabant: nam triumphantes in toga & quidem picta fuisse nemo ignorat. Idem Valerius de Scipione: *L. vero Scipionis statuam chlamydatam, & crepidatam in Capitolio cernimus, quo habitu videlicet, quia aliquando usus erat effigiem suam formatam poni voluit*. Licentius igitur, quam patrius mos permitteret, id sibi indulsit Scipio, ut statua cum chlamyde sibi poneretur, cum statuæ togatæ ponerentur. Præterea cum crepidis, quæ Græcum pedum tegmen erant: si tamen tegmen dicendum est, quo sola pedis inferior pars muniebatur, reliqua intecta, ut suo loco dicemus. Nam quod Livius ait P. Scipionem notatum fuisse, quod palliatus cum crepidis apud Siciliam in Gymnasio inambularet, Tacitus idem memorans ait, ipsum intectis pedibus incessisse. Ex quo apparet, Romanum calceamentum etiam militare pedem totum texisse, de quo infra.

Plinius etiam, ut supra indicavimus paludamentum cum chlamyde confundit. Nam quod Tacitus lib. XII. narrat de Claudio edente Naumachiam: *Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina aurata chlamyde*; & Dio confirmat: ὁ δὲ Κλαύδιος, ὅ τε Νέρων στρατιωτικῶς ἐστάλισαν, ἥτε Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Plinius sic retulit: *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis edente eo navalis prælii spectaculum adsidentem ei indutam paludamento auro texxtili, sine alia materia*.

CAP. V.

Sagum pro Paludamento, & contra scriptoribus positum. Appiani & Plutarchi Interpretes notati.

QUEMADMODUM Sagum & Chlamys, Chlamys & Paludamentum, ita Paludamentum & Sagum pro eodem vestimento ponitur. Sallustius lib. II. *Histor*. apud Nonium: *Occurrere duci, & prælium accendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent*. Tunc autem Metellus Imperator. Horatius lib. *Epodon* ode IX. de M. Antonio Imperatore:

Terra, marique victus hostis Punico
Lugubre mutavit sagum.

Ubi Porphyrion: *Hoc est, deposuit coccineam chlamydem Antonius, qua scilicet Imperator utebatur, & accepit lugubrem, id est, nigram, & utrum ob luctum victarum partium hoc facit, an ut in fuga lateat*. Hirtius de bello Africano: *Cum Scipio sagulo purpureo ante Jubæ Regis adventum uti solitus esset*. Ita Senatus Romanus Masanissæ Regi munera mittit apud Livium lib. XXX. *Sagula purpurea duo fibulis aureis, & lato clavo tunicis*.

Ut sagum pro paludamento, ita hoc pro illo usurpatum invenio. Livius lib. I. de Horatii sorore: *Cognitoque super humeros fratres paludamento, quod ipsa confecerat*. At Curiatius miles manipularis erat. Lictores etiam paludati, id est, cum sagulis. Idem lib. XLI. *C. Claudius Cos. veritus, ne forte ea res provinciam, exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, nocte profectus præceps in provinciam obiit*. Et alibi: *At lictores cum sagis*. Cicero *in Pisonem*: *Togulæ lictoribus ad portam præsto fuerunt, quibus illi acceptis sagula rejecerunt*. Male tamen illud Appiani in *Punicis* huc docti trahunt de triumpho Scipionis: Αὐτοῦ δὲ ἡγοῦντο τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι, φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες. Male, inquam, *Paludatos lictores* Interpretes vertunt. nam ibi lictores tunicas purpureas, non paludamenta induunt. Quemadmodum & illud Plutarchi in *Marcello*: Προὐκεῖτο μὲν ὁ φοινικοῦς χιτών, ὅσπερ εἴωθεν μάχης ἐσομένης σύμβολον. Perperam *purpureum paludamentum* interpretantur. Tunica enim ibi purpurea, non paludamentum in signum pugnæ proponitur.

CAP. VI.

Paludamentum Vestis Imperatoria.

LICET hæc a scriptoribus confundantur, cum, ut diximus, forma idem vestimentum fuerit paludamentum, chlamys, & sagum: qui tamen proprie locuti sunt paludamentum Imperatoris chlamydem dixerunt, sagum militum. Varro *de lingua Latina* lib. VI. *Paludata a paludamentis; sunt hæc insignia, & ornamenta militaria. ideo ad bellum cum exit Imperator, ac lictores vestem mutant, & signa incinuerunt, Paludatus dicitur. proficisci; quæ propterea quod conspiciuntur, & fiunt palam Paludamenta dicta*. De notatione videant docti, ac rideant. Cicero *in Pisonem*: *An cum proficiscebamini paludati in provincias, vel emptas, vel ereptas*. Et epist. ad Cassium: *Pansa noster paludatus ad III. Kal. profectus est*. Livius passim. lib. XXI. *Ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda paludatus inde in provinciam iret*. Plinius in *Panegyrico*: *Gestus Consulatus non hoc Urbis otio, & intimo sinu pacis, sed juxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat moris palumento mutare prætextam*: id est, deposita prætexta sumere paludamentum, & proficisci in hostes. Juvenalis Sat. VI.

Cumque paludatis præsente marito
Ipsa loqui.

V. Interpres: *Euntibus ad militiam, chlamydatis scilicet*. Sallustius: *togam paludamento mutavit*.

Duces ergo, atque Imperatores paludati proficiscebantur in hostem, cum e bello reverterentur, posito paludamento togati Urbem ingrediebantur. Quare ut novum, ac Tyrannicum in Vitellio notavit Suetonius cap. XI. *Quod Urbem ad classicum introierit paludatus, ferroque succinctus inter signa, atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis*. Xiphilinus lib. LXXXIV. de Severo ingrediente primo Urbem cum Imperator factus esset narrat, *quum usque ad portas Urbis in equo sedisset*, καὶ ἐν ἐσθῆτι ἱππικῇ, ἐντεῦθεν δὲ τήν τε πολιτικὴν ἀλλαξάμενος. Ubi pro veste equestri & Urbana rectius erit, *paludamentum*, & *togam* interpretari. Nunquam igitur intra urbem Duces paludati. Atqui si Dionis Interpreti credimus, inter reliquos honores Pompejo absenti decretos ille etiam fuit, ut diebus festis paludamentum laureatus gestaret, vestem triumphalem in equestribus certaminibus. Verba Dionis sunt: Δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν κατὰ πάσας ἀεὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν

στολὴν, τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν. Atqui *στολὴ ἀρχικὴ* est vestis consularis sive prætexta, non paludamentum. Dio autem paludamentum modo vertit *ἱμάτιον* purpureum, ut lib. XLII. de Cæsare, qui apud Ægyptum in mare deciderat, & cum gravaretur paludamento, cumque, quod esset purpureum, Ægyptiorum jaculis impeteretur, illud abjecit: quanquam Suetonius mordicus illud tenuisse dicit, ne spolio potiretur hostis. Partim *χλαμύδα στρατιωτικὴν* vocat, ut lib. XLIX. de Poliæno, qui, ut in fuga lateret, *χλαμύδα τὴν στρατιωτικὴν* abjecit: partim simpliciter *Φοίνικα*, ut lib. XLVI. de prodigiis, quæ Pansæ Cos. initio belli evenerunt: *Καί τις ἐν τούτῳ φοίνικα αὐτῷ προσφέρων*, *in effuso cruore lapsus τὸ φοίνικα ἐμίανεν*. Ubi *τὸ φοίνικα* vertendum est *paludamentum*. Ergo *στολὴ ἀρχικὴ* non est paludamentum, quod olim credebamus, sed est vestis magistratuum, sive prætexta, qua S. C. uti poterat Pompejus, etiamsi in magistratu non esset, sicut Triumphali in certaminibus equorum, hoc est, Circensibus. Eum tamen, quæ fuit viri moderatio, semel tantum hoc honore usum, idem Dio tradit.

CAP. VII.

De Sago.

SAGUM non tantum pro veste militari, sed pro quovis tegumento usurpatum, notavit Casaubonus *ad Capitolinum* de L. Veri equo Volucre, *quem sagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad se adduci jubebat*. Ubi ex artis Veterinariæ magistris equos sagis coopertos fuisse demonstrat. Nos vestem militarem exsequimur.

Quemadmodum ergo paludmentum proprie loquendo fuit vestis Imperatoria in bello, ita sagum, sive chlamys, vestis militaris, quia tamen omnes milites non tam gregales, & manipulares, quam ordinum duces, Centuriones, & Tribuni utebantur. Suetonius *Vitellio* cap. XI. *Urbem denique ad classicum introiit paludatus, ferroque succinctus inter signa, atque vexilla, sagulatis comitibus*. Capitolinus in *Marco Philosopho*: *Per Brundusium veniens in Italiam togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse jussit, nec usquam fuerunt sagati sub eo milites*. De Centurionibus Suetonius *Augusto* XXVI. *Cum quidem cunctante Senatu Cornelius Centurio princeps legationis, rejecto sagulo ostendens gladii capulum, non dubitasset in Curia dicere. Hic faciet, si vos non feceritis*. Livius lib. VII. *Hæc omnia Tribunus sagulo gregali amictus, Centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustravit*. Ubi tamen apparet, fuisse aliquod discrimen inter saga Tribunorum, Centurionumque, & manipularium militum, quod infra expendemus.

Milites ergo in bello sagati. Suetonius *Julio* cap. XLVIII. *Convivatum assidue per provincias duobus tricliniis, uno quo sagati, palliative, altero quo togati cum illustribus provinciarum discumberent*. Torerntius cum Turnebo *Sagatos* Gallos interpretatur, quod Galli sagum gestarent; sed simplicius fuerit, sagatos milites dicere, qui in comitatu Cæsaris. Quod & Casaubono placet, qui *palliatos* etiam interpretatur Græcos, qui in ministerio & Comitatu Cæsaris, ut medicos & eruditos. Sed cum Suetonius loquatur de provinciis per quas convivaretur Cæsar, pallium autem commune fere gentium gestamen, palliati fuerunt provinciales, ad quos Cæsar divertebat. Vere & Galli Sagati. Strabo de Belgis lib. IV. *Σαγηφοροῦσι δὲ καὶ κομωτρεφοῦσι*. de quibus infra aliquid dicemus. Ceterum rebus turbidis, magnoque Reip. discrimine positis togis sumpta in urbe saga, alias docuimus. Quibus adjice Livii Epitomen LXXII. *Italico bello, saga populus sumpsit*. Sequenti libro: *Ob eam victoriam Romæ, saga posita sunt*. De eadem re Paterculus lib. II. *Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur*.

CAP. VIII.

Chlamydis, Sagi, Paludamenti forma. Valtrinii non unus error in Re Vestiaria.

CHLAMYDEM, Sagum, Paludamentum, idem vestimentum fuisse, aut non admodum dissimile, ex forma etiam apparebit, quam veteres statuæ repræsentant; & ratio ipsa confirmat, quod scilicet indumentum esset apertum, idque tunicæ superindueretur, & fibula necteretur. Chlamys quidem duplicis generis fuit, Macedonica, & Vulgaris. Macedonicam in extrema parte clausam testatur Ammonius. *Εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται*. At vulgaris tota aperta. Macrobius: *Veteres omnem habitabilem terram extentæ chlamydi similem esse dixerunt*. Hinc facile fuit, in re subita chlamydem pro clypeo sinistro brachio involvere; quod fecisse Alcibiadem in rebus extremis diximus. In prima tabula Adrianus cum chlamyde. In altera diversis nummis milites chlamydati, sive sagati, Imperator paludatus. Ita tamen, ut breviores chlamydes, longius, ac fusius paludamentum.

Et


Fig. 1



Fig. 2.

Et quia aperta erat, ideo in humeris, vel ad cervicem fibula nectebatur, ut ex Veterum monumentis apparet. Ovidius lib. XIV. *Metamorph.*

Phœniceam fulvo chlamydem comprensus ab auro.
Et paulo infra de eodem Pico in avem converso:

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem
Fibula, quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.

Statius:
Emicat, & torto chlamydem diffibulat auro.
Codicis lib. XI. Tit. XI. lib. I. *Fibulis quoque in chlamydibus bis utantur, quæ solo auro, & arte pretiosæ sunt.*

Sagum item vestimentum apertum & infibulatum, quodque reliquis vestimentis superindueretur. Silius lib. XVII.

—— Humeris imponit honorem
Fulgentis saguli.
Cæsar lib. I. *Sinistras sagis involvunt.* Inde etiam patet, apertum fuisse, quod eo extenso homines per ludibrium in sublime jactabantur. quod a Nerone factitatum tradit Suetonius, & Martialis lib. I.

Ibis ab excusso missus in astra sago.
Suetonius *Othone* cap. II. *Ferebatur, & vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obviorum,*

A *vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare.* Plinius lib. XVI. de Visco: *Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce demetit, candido id excipitur sago.* Quod autem fibulam haberet, Varro apud Nonium: *Quum neque aptam mollis humeris fibulam sagus ferret.*

At sagulum brevius sagum fuit. Tacitus *de moribus Germanorum: Nudi, aut sagulo leves.* Neque tamen audiendus Valtrinius *de re militari*, qui contendit sagum fuisse vestimentum talare: quod Trebellius in *Saturnino*: *Hujus*, inquit, *insigne est, quod in convivio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis jussit, hieme gravi-* B *bus, æstate perlucidis.* Hoc enim solum indicat saga fuisse tunicis longiora, non autem talaria. Nam cum tunicæ militum breviores essent, & fere tantum ad genua pertingerent, cum paganorum ad medium crus descenderent, cum jacerent milites in lectulis tricliniaribus periculum erat ob brevitatem tunicarum, ne ea renudarentur, quæ melius est tegi: itaque jussit Saturninus discumbere cum sagis, quibus inferiora velarentur. Casaubonus existimat depositas a militibus in convivio braccas: sed mihi verisimilius videtur, eas nondum receptas in communem usum, cur enim di- C scubituri braccas ponerent, quasi illuc ituri quo saturi solent?

Sed non semel peccat in re Vestiaria idem Valtrinius vir alioqui doctus. Scribit ab Imperatore ad sagum paludamentum addi solitum. quod cum

idem vestimentum fuerit, duo palumenta gestassent Imperatores. Subjicit talare fuisse, quod supra arguimus. Id dextro brachio exerto in sinistro humero nodo alligari solitum. quod falsum veteres statuæ demonstrant. Hinc veluti solutis frenis in avia & absurda abripitur. Trabeam cum paludamento confundit, id est, pallium cum toga; latos clavos, & angustos a Tribunis ad sagum additos fuisse, qui tamen soli tunicæ indebantur. milites frigoris causa sago pænulam superinduisse, & alia non docto solum viro, sed ipsis tyronibus, quique literas vix attigerunt, indigna.

Paludamentum etiam apertum fuisse, illud Livii de Graccho demonstrat: *Paludamentum brachio involvens*. Etiam fibulatum veteres statuæ indicant: sicuti Imperatorium vulgari laxius fuisse, & fusius, tum supra allata numismata, tum Figura proxime sequens.



CAP. IX.

De Sago Gallico. Non fuisse fibulatum. Plutarchi Interpres notatus.

NON omnia tamen saga fibulata fuisse, declarant verba Claudii ad Regillianum apud Trebellium: *Arcus Sarmaticos, & duo saga ad me velim mittas: sed fibulatoria, cum ipse miserim de nostris*. Sed quinam populi gestarent saga minime fibulata, non ita certum est. Viri docti talia fuisse Gallorum sagula existimant ex Polyæno: Ἱματίῳ τε χρῆσθαι σισύρᾳ γαλατικῇ. καὶ πρῶτος ἐνεπορπήσατο σισύραν μέλαιναν. Sed si Romanorum sagum fibulatum fuit ex Varrone: Hispanorum ex Appiano, ut infra dicturi sumus: Illyricorum, ut ex Claudii verbis intelligimus: Germanorum ex Tacito, qui ait *spina sagulum infibulare solitos*: Gallorum ex Polyæno; vix invenire erit, apud quas gentes sagum non infibularetur. Mihi Gallorum saga sine fibula fuisse videntur. In quo etiam falli Torrentium apparet, qui *ad Suetonium* tradit sagum a Gallis ad Romanos venisse: nam Gallicum sagum, quantum conjectura assequi possum, a Romano diversum. Hoc apertum, & fibulatum: at Gallicum adinstar tunicæ, & quidem manicatum, qualia nostra saga sunt, & *Saji* appellantur. Tacitus lib. II. *Hist.* de Cecinna: *Ornatum ipsius municipia, & coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo, braccas tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur*. Si Romanum sagum id fuisset, hoc est, Imperatorium paludamentum, non fuisset mirum, aut insolens, si Romano militari habitu municipia, & togatos homines adiisset. Sed totus ducis cultus Gallicus fuit: braccæ, sive femoralia, & sagum manicatum. Plutarchus in *Othone* rem eandem narrans: Γαλατικῶς ἀναξυρίσι, καὶ χειρίσιν ἐνεσκευασμένος σημείοις, καὶ ἄρχουσι Ρωμαϊκοῖς διαλεγόμενος. Vetus Interpres *Gallicis subligaculis, thecisque* ornatum Cecinnam producit. Rectius Cruserius *manicas* vertit. Sed quænam illæ? nempe sagi. nam in tunica infames, ac probrosæ fuerunt. Quare Cecinna barbaro cultu incessit braccis, & versicolore sagulo, quod Gallorum proprium, & quidem manuleatum. Præter saga Celtas gestasse loco tunicæ vestes scissas & manuleatas usque ad pudenda tradit Strabo lib. IV. de habitu Gallorum: Οἱ γὰρ Κέλται ἀντὶ χιτωνίων σχιστοὺς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων καὶ γλουτῶν.

Ideo autem hæc aperta, & manuleata vestimenta gerebant, quod cum braccati essent inferiora corporis velabantur: at reliquæ gentes, quibus nullus braccarum usus, ob id clausas, & longiores tunicas habebant.


Si ergo Gallicum sagum manicatum, & adinstar tuniculæ nullus in eo fibulæ usus, quæ ad vestes stringendas, ne humeris defluerent, inventa est. Quare apud Polyænum Sisyra non tam fuerit commune Gallorum sagum, quam chlæna, vestisque villosa, & fere ex pellibus caprarum confecta, quæ cum esset aperta, & reliquis vestimentis superindueretur, opus fibula erat quæ illam necteret in humeris & colligaret. Σισύρα veteribus Grammaticis dicitur χλαίνης εἶδος εὐτελοῦς. Οἱ δὲ ἐξωμίς, ἢ ἁπλοΐς τὸ τοιοῦτον. τινὲς δὲ ἱμάτιον τραχύ. περιβόλαιον ἀγροικικόν. δηλικὸν παλαιόν. ἢ χιτὼν δερμάτινος. Sed ferme pro crasso vilique stragulo, quod torale crassum & villosum interpretatur Budæus. Marcellinus de Juliano lib. XVI. *Nocte dimidiata semper exurgens non e plumis, vel stragulis sericis, ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete, & sisyra, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat*. Ad quem locum multa doctissimus Lindenbrogius de sisyra adnotavit, quæ operæ sit videre. Talis cum esset sisyra, non est credibile fuisse commune Gallorum sagum, quod virgatum, & intercurrente purpura distinctum Veteres prodiderunt. qui autem in veste hirta, ac villosa hoc fieri potuerit, non video. Quidquid sit, etiamsi Gallicum sagum more tunicæ indueretur, cum ad pectus apertum esset, fortasse opus ei fibula, qua clauderetur. Nam

Diodorus de Gallis: ἐπιπορπῦνται σάγυς ῥαβδωτύς. Atque ita quærendum adhuc apud quas gentes sagum non infibularetur. Nisi quis inde arguat Romanum sagum fibula caruisse, quod nullus Veterum præter Varronem fibulæ in sago meminerit. Imo verba ipsa Varronis contrarium ostendere videantur non fuisse scilicet sagum fibulatum: *Quum neque aptam mollis humeris fibulam sagus ferret*. Et Claudius Regelliano; *dua saga velim mittas, sed fibulatoria, cum miserim de nostris*, id est, Romanis: Non igitur ea fibulatoria.

Ceterum Isidorus lib. XIX. cap. XXIV. ait Sagum Gallicum nomen esse: dictum autem sagum quadrum. eo quod apud eos primum quadratum, sive quadruplex fuerit. Unde hæc acceperit Isidorus haud scio. nusquam enim apud Veteres sagi hujus quadri, aut quadruplicis mentio. Nam quod sagum cum diploide confundit, id est, cum pallio Græcanico, illudque Horatii,

Contra quem duplici panno patientia velat.

de sago, & veste militari interpretatur, solens vaticinatur.



C A P. X.

Sagum Hispanicum, & Germanicum.

NON Gallorum modo, sed Hispanorum, & Germanorum sagum gestamen fuisse constat. Saguli Hispanici meminit Val. Maximus lib. III. cap. II. de Pireso Celtibero: *Nec erubit gladium ei suum & sagulum utroque exercitu spectante tradere*. Et lib. V. cap. I. exemplo XI. & ultimo Punici sagi mentionem facit. Strabo lib. III. de Lusitanis: Μελανείμονες ἅπαντες, τὸ πλέον ἐν σάγοις, ἐν οἷσπερ καὶ στιβαδοκοιτοῦσι. Appianus *Ibericis*: Χρῶνται διπλοῖς ἱματίοις παχέσιν, ἀντὶ χλαμύδων, αὐτὰ περιπορπώμενοι, καὶ τοῦτο σάγον ἡγοῦνται. *Utuntur autem duplicibus vestimentis crassis, chlamydum vice, & infibulantes, ea saga appellant*. Et paulo infra: ἐνεπορπήσατο σάγον Ἰβηρικῶς. *Sagum Hispanico ritu infibulavit*. Sed qualis esset iste Ibericus infibulandi ritus, sicut quomodo hæc saga a chlamyde communi differrent, haud facile dixerim. Nisi illa duplicia, & utramque corporis partem tegentia, ac crassa; hæc levior, & humeros fere operiens. Illud sane constat, & apertum sagum fuisse, & fibulatum.

Germanos quoque sagum gestasse tradit Tacitus, idque quandoque spina fibulæ vicem nexum. Porro hæc saga argento variegata fuisse, ex Herodiano ostendimus. Qui ait Caracallam sæpe Romana chlamyde deposita Germanorum indumenta sumpsisse. Ἐντε χλαμύσιν ἀργύρῳ πεποικιλμέναις ἑωρᾶτο. Sagum Germanicum ex Cluverio viro incomparabili huc transferri curavimus.

C A P. XI.

Sagochlamys. Chlamys Dardanica Mantuelis.

SAGUM, & chlamydem diversa fuisse vestimenta merito quis arguerit, quod Trebellius inter dona dari jussa Claudio recenset sagochlamydes. *Sagochlamydes*, inquit, *annuas duas*. Casaubonus interdum ex duplici genere vestium unum confectum fuisse demonstrat, quod utriusque figuram participaret. Sic *chlamydem mantuelem* idem auctor nominat: sic *tunicam palliolatam* Vopiscus in *Bonoso* recenset. Si ergo sagochlamys ex chlamyde & sago composita, quod discrimen inter utramque vestem fuit? Quidam existimant inter sagum, & chlamydem eandem differentiam fuisse, quæ inter chlænam, & chlamydem, quas Grammatici Græci figura diversas tradiderunt, quod chlæna quadratum pallium esset, chlamys autem in inferiori parte committeretur. Sed nonnisi chlamys Macedonica, ut iidem tradunt, clausa erat in infima ora; & Romanorum, & reliquarum gentium chlamydes totæ apertæ, ut vetera monumenta demonstrant. Sed esto fuerint chlamydes omnes in inferiori parte commissæ. Velim mihi dicerent, quæ forma sagochlamydis. Si tota clausa, nihil ex sago habuerit, quod apertum: si solum in parte inferiori, tantum chlamys fuerit. Ita res magis implicatur, & obscura fit.

Fortasse igitur sagochlamys ex vulgari chlamyde, & sago Gallico composita fuit, ita ut adinstar tunicæ, ut de Gallorum sago diximus, indueretur, & manicas haberet, ceterum ad latera hinc inde pendulas alas adinstar chlamydis haberet. Cui hæc conjectura non placet, is de suo meliorem expromat, & magnam gratiam inibit.

Eadem sive major difficultas in verbis quæ sequuntur proxime apud Trebellium: *Chlamydem Dardanicam mantuelem unam*. Si enim mantuelis a manto, ut docti viri censent, mantum autem ἀπὸ τῆς μανδύης, & μανδύη eadem, ac lacerna, cum chlamys, & lacerna idem, aut non multum dissimile vestimentum fuerit, quid diversum inveniemus, ex quo nova hæc vestis conflata sit? Nisi dicamus Mandyan etiam pro pænula accipi solere: pænulam autem diversam a chlamyde, & lacerna do-

culmus, ita ut hæc vestis mixta fuerit ex chlamyde, & pænula. Nec aliud in re tam antiqua, & obscura expedire in promptu est.

CAP. XII.

Sagi, Chlamydis, & Paludamenti materia.

SICUT forma, ita eadem materia fuit chlamydis, sagi, ac paludamenti, nempe lana; ex qua etiam togæ & tunicæ, omnisque Quiritium vestitus conficiebatur. Nam cum sericum nondum in usu urbano esset, nedum militari, linum etiam aut incognitum, aut processu temporis solis interioribus tunicis adhibitum, una vestimentorum materia lana fuit.

Sed sicuti togæ & tunicæ ex lana aliæ aliis pretiosiores fuere ipsius lanæ pretio, eadem ratione & chlamydes sagaque, & paludamenta majoris minorisve pretii. Saga scilicet gregalium, & manipularium militum crassiora, ac viliora fuere ipsa lanæ ignobilitate: at Centurionum, ac Tribunorum majoris pretii, ac nobilioris texturæ. Livius lib. VII. *Tribunus sagulo gregali, amictus centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustravit.* Cum enim idem color vestimentorum militarium esset, præter Imperatorium paludamentum quod purpureum non aliud videtur discrimen fuisse, quam quod Tribunorum, ac Centurionum sagula ex pretiosiore, gregalium ex viliori lana conficerentur: & illorum nobilior, horum vulgaris textura esset: illorum pexa, ac mollior lana, horum crassior, hirta, ac villosa, interdum longo usu detrita. Ita apud Plutarchum Philopœmen tali indutus chlamyde pro servo habitus est. Hinc sagum pro veste viliori, ac crassiori, quam Martialis opponit lacernis purpureis potentiorum lib. VI. ep. XI.

Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?

Ubi pingue, crassumque sagum, quod ferme in Gallia conficiebatur, Tyriis lacernis opponitur. Idem lib. VIII. ep. LVIII.

Cum tibi tam crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
Possum te Sagarum jure vocare meo.

Seneca epist. XVIII. *Grabbatus ille verus sit, & sagum, & panis durus, ac sordidus.* Paulo ante dixerat: *Interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac vilissimo cibo dura atque horrida veste dicas tibi. Hoc est quod timebatur.* Insignis sed misere corruptus Strabonis locus est lib. IV. de Belgis, & eorum vestitu: ἡ δὲ ἐρέα, τραχεῖα μὲν, ἀκρόμαλλος δὲ, ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγους ἐξυφαίνουσιν, οὓς λαίνας καλοῦσιν. οἱ μέν τοι Ρωμαῖοι, καὶ ἐν τοῖς προσβορωτάτοις τοῖς ὑποδυφθέρας τρέφουσιν ποίμνας, ἱκανῶς, ἀστείας ἐρέας Quæ sic vertit Interpres: *Lana eorum aspera est, sed ipsam proxime pellem detonsa: ex ea densa Saga texunt, quas lænas vocant. Sane & Romani in maxime Septentrionalibus locis degentes, laneas infra dyphtheras gerunt vestes, sive lænas satis elegantes.* Nec mirum infeliciter admodum in hoc loco versatum, quem summus vir Casaubonus difficilem fatetur, & de quo neutram in partem affirmare audet. Sed omnino vera est, atque optima ejus interpunctio, quam hæsitanter ponit. Nimirum, οὓς λαίνας καλοῦσιν οἱ Ρωμαῖοι. οἱ μέν τοι καὶ, &c. Non alia enim sententia esse potest, quam apud Belgas lanam asperam esse, & brevem, ex qua saga conficiuntur, quas lænas Romani vocant. At

A eos (Belgas) qui ad Septentriones magis vergunt habere lanam longiorem, & eximiam. Ἀκρόμαλλος dicitur Interpreti, ad cutem detonsa lana. sed omnes lanæ ita tondebantur. Ἀκρόμαλλος, est brevis, cui opponitur Βαθύμαλλος, & Δασύμαλλος longa, & densa. Omnia autem alia vidit hic Intrepres. Nam quis illa intelligat? Sane Romani in maxime Septentrionalibus locis degentes laneas infra dyphtheras gerunt vestes, sive lænas prorsus elegantes. Prorsus ineptissime. Optime vir idem Incomparabilis ὑποδυφθέρας oves pellitas interpretatur, quas Belgæ alebant, unde lanam bonam consequerentur. B Eas enim oves pellitas, vel tectas Latini dicebant. Varro *de re Rustica* lib. II. cap. II. *Pleraque similiter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, ut sunt Tarentinæ, & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur.* Horatius *Carm.* lib. II. od. VI.

Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen.

Ita ἀστεῖον appellari a Strabone, quod in suo genere eximium est. Totus igitur ille locus ex Casauboni interpretatione ita vertendus est: *Lana aspera, & brevis villi, ex qua crassa saga texunt, quas Lænas* C *Romani vocant. Qui vero ad Septentriones tendunt greges pellitos alunt valde eximia lana vestitos.* Lana aspera densis, ac vilioribus vestibus adhibita, qualia lænæ, saga, & hujusmodi. Idem Strabo lib. V. scribit lanam mollem, & omnium longe optimam provenire in Italia circa Mutinam & flumen Scutanam. τὴν δὲ τραχεῖαν ἡ λιγυστικὴ, ἡ τῶν Ινσούβρων. ἐξ ἧς τὸ πλέον τῆς οἰκίας τῶν Ιταλιωτῶν ἀμπέχεται. *Asperam Ligures, & Insubres præbent, ex qua plerique Itali familiæ vestimenta conficiunt.* At servi in sagis, ac centonibus, ut ex Columella docuimus. Subjicit Strabo eodem lib. IV. Iisdem Belgis tam copiosos fuisse pecorum, & porcorum greges, ut sago- D rum, & salsamentorum copiam non Romæ tantum suppeditarent, sed & plerisque Italiæ partibus. Et paulo infra sagorum, & tunicarum Lingusticarum meminit. Saga igitur, ut dicebamus, Tribunorum & Centurionum ex pretiosa lana fuerunt, eaque pexa, ac recentia: at gregalia ex densa, hirtaque, & ferme usu detrita. Xiphilinus lib. LXVI. *attritum sagulum dat Vitellio in rebus extremis,* si Interpreti credimus. *Vitellius sordido, laceroque sagulo amictus, se abdit in obscurum locum.* Sed in Græco est. χιτωνίσκον τε ῥακώδη ῥυπαρὸν ἐνέδυ. *Lacera sordidaque tunicula amictus.*

E Par error in eadem re ejusdem Interpretis. Nam libri LXXIV. initio, ubi de Prætorianis Pertinacis interfectoribus a Severo exauctoratis loquitur: *Hi inviti abjectis armis, equisque dimissis, ac discinctis sagis dispersi sunt.* Græca sic habent: ἔντε τοῖς χιτῶσι ἄζωστοι. Ad verbum *tunicati, & discincti*: id est, sine sagis, & baltheo. Saga enim non cingebantur baltheo. qui enim poterant? sed tunicæ, cum sacramentum dicerent: in exauctoratione, & baltheum illis, & vestis militaris ignominiæ causa adimebatur. Chlamydes etiam, & Paludamenta ex F lana pretiosiori, aut viliori fuerunt, pexa, aut hirta. Spartianus de Severo: *Hic tam exiguis vestibus usus est, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret.* Quas Severi chlamydes hirtas, & tunica asemas ab Alexandro in usum revocatas tradit Lampridius in *ejus Vita.*

Communes igitur chlamydes, saga, & paludamenta ex lana conficiebantur. Dio lib. LIX. scribit Cajum Cæsarem, quum per pontem triumphali pompa incederet, quem inter Bajas, & Puteolos struxerat, indutum fuisse thorace Alexandri Magni, & chlamyde serica. Quod novum ac no-

tabile in monstroso, prodigo, atque effœminato Principe fuit. Idem Commodum tunica, & chlamyde serica purpurea auro inspersa usum scribit. A

CAP. XIII.

Chlamys & Paludamentum auratum. Lacerna aurata. Habitus Citharœdorum.

FUERE & chlamydes auratæ, maxime apud barbaros. Spartianus in *Adriano*: *Cum a Pharasmane ingentia dona accepisset, atque inter hæc auratas quoque chlamydes, trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit ad ejus munera deridenda*. Porro noxios in tunicis auratis, & chlamydibus purpureis in Amphitheatrum inductos aliis observatum est. Auratæ chlamydis meminit & Virgilius lib. v. *Æneid.* B

Victori chlamydem auratam quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

At Romæ Agrippina in Naumachię spectaculo auratam chlamydem induta, ut tradit Tacitus lib. XII. *Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina aurata chlamyde*. Dio lib. LX. Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Chlamys διάχρυσος est auro distincta, sive aurum distinctum habens: atqui Plinius totam auream facit: *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis edente eo Navalis prælii spectaculum adsidentem ei indutam paludamento auro textili sine alia materia*. Quod profecto mirum. Quomodo enim aurum sine alia materia texi potuerit difficile dictu est. Etiam Caligula teste Suetonio per pontem Bajanum *aurea chlamyde incessit*. Eam Dio lib. LIX. chlamydem fuisse ait σηρικὴν ἁλουργῆ πολὺ μὲν χρυσίον, πολλοὺς δὲ καὶ λίθους Ἰνδικοὺς ἔχουσαν. *Sericam purpuream, multo auro, multisque gemmis Indicis ornatam.* Etiam lacerna, quam non multum dissimilem chlamydi notavimus, lacerna, inquam, aurata Citharœdorum peculiaris fuit; quorum habitus cultusque notabilis. Juvenalis Sat. x. C D

Et quibus aurata mos est fulgere lacerna.

Auctor librorum *ad Herennium* dat iisdem pallam auratam & chlamydem purpuream: *Uti Citharœdus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata*. Pallam purpuream dat Ovidius Arioni *Fastorum* II.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam, E

Ita Citharœdorum habitus fuit tunica talaris, & chlamys. Quæ tunica etiam palla dicta videtur, licet pallam proprie fuisse fœminarum pallium dixerimus in verbis paulo ante positis *palla inaurata indutus cum chlamyde*. Nam si palla ibi pallium esset, quomodo chlamys supra pallium sumeretur? Quod autem ea tunica talaris esset, ideo cum stola Orpheum inducit Varro *de re rustica* lib. III. cap. XIII. *Quintus Orphea vocari jussit, qui cum eo venisset cum stola, & cithara, & cantare esset jussus*. Ea tunica talaris discincta, quam ὀρθοστάδιον Græci dixere. Dio lib. LXIII. de Neronis habitu Citharœdico, Nam cum statuisset ad citharam canere, non sustinuit a Corbulone videri τὸ ὀρθοστάδιον ἔχων. Aliqui hanc tunicam rectam credunt, qualem cum pura toga Tyroni novæ nuptæ indui tradit Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. Sed rectas tunicas dici tradit Festus, quæ a stantibus sursum versus texerentur. Simplicior notatio est, quod cum non cingerentur starent rectæ, sive non interruptæ vinculo descenderent. Pollux: χιτὼν ὀρθοστάδιος οὐ ζωννύμενος. Discincta F

tunica, & fluens: ut mirum sit Bathyllum Citharœdum ab Apulejo lib. II. *Florid.* induci cum tunica cincta: *Eique prorsus Citharœdicus status, Deam conspiciens canenti similis, tunicam picturis variegatam ad pedes dejectus ipsos, Græcanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium adusque articulos palmarum*. Tunicam etiam talarem manicatam tribuit Tragœdis Lucianus in *Jove Tragœdo*: καὶ τοὺς ἐμβάτας, καὶ τοὺς ποδήρεις χιτῶνας, καὶ χλαμύδας, καὶ χειρίδας. Ubi Interpres χειρίδας *chirothecas* imperite vertit, cum *Manicas* vertendum sit. *Cothurnos, tunicas talares manuleatas, & chlamydes*. Idem *Icaromenippo* iisdem dat τὴν χρυσόπαστον στολὴν, *Stolam, sive simpliciter vestem auro sparsam, sive intextam*.

Præter tunicam talarem, & orthostadion fuit etiam Citharœdis chlamys, sive lacerna purpura, auroque distincta. Lucianus *adversus Indoctum*, tradit Evangelum Citharœdum venisse Delphos, ut in agone certaret: habuisse ἐσθῆτα χρυσόπαστον, & coronam auream gemmis distinctam. mox subjicit: καὶ ἡ πορφύρα δὲ ἐνέπρεπε τῆς ἐσθῆτος, ἡ μεταξὺ τοῦ χρυσοῦ διεφαίνετο. *Ipsa purpura quæ auro intexta visebatur, commendabat hunc cultum mirifice*. Nec tunica solum talaris fuit, sed & chlamys longum syrma trahens. Horatius *de Arte Poet.*

— *Traxitque vagus per pulpita vestem.*

Habes hic Neronis nummum habitu citharœdico.



CAP. XIV.

Tunicæ militaris color. Tertullianus explicatus.

ANTEQUAM chlamydis, sagi, ac paludamenti colorem indagemus, præstat colorem tunicæ militaris exquirere. Togas, tunicasque Urbanorum albas fuisse ostendimus, nativo scilicet lanæ colore, mox & fullonis arte. Ita militares tunicas pariter fuisse albas credendum est. Non enim est verisimile Quirites ad bellum ituros tota vestimenta mutasse, & pro alba russam, aut alterius coloris induisse. Qui autem iste color? Et quis veterum scriptorum ejus mentionem fecit? Valerius Maximus lib. II. cap. I. tradit Lacedæmonios ad dissimulandum, & occultandum vulnerum cruorem puniceis tunicis in prælio usos. Ælianus lib. VI. cap. VI. φοινικίδα appellat. Quod si Romanis idem mos fuisset, non dissimulasset Valerius, & a proximo exemplum petiisset. Isidorus lib. XIX cap. XXII. scribit Romanos milites sub Consulibus tunica russata usos, inde &

russatos vocatos esse. Verum quantum Grammatico illi credendum sit, toties in hoc opere præfati sumus. Et nullus Veterum tunicæ russatæ meminit sub Coss. & russati modo dicebantur agitatores in Circo, non milites, a colore factionis. Juvenalis:

Præmium russati pone Lacertæ.

Subjicit melior ille vir, quam Criticus: *Solebat enim pridie quam dimicandum esset, ante principia poni, quasi admonitio & indicium futuræ pugnæ.* Quod ut verum sit, num propterea illa milites utebantur sub Consulibus? Quare miratus sum viros doctos sola Isidori auctoritate subnixos illud Martialis lib. XIV. ep. CXXIX.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

partim intellexisse de tunicis rufsis Canusinis, quæ servis & militibus in usu fuerint, partim de pænulis; quum nullo pacto de tunicis Martialis loquatur, sed tantum de pænulis, ut titulus indicat. Cum præterea discrimen fuerit inter colorem rufum, & russum: ibi autem Martialis de pænulis rufis loquitur.

Tunicarum etiam punicearum in Saliis sacerdotibus tanquam rei novæ, & notabilis meminit Plutarchus in *Numa*.

Atqui *tunicæ russæ militaris* mentionem fecit Trebellius in *Claudio*. Verum id extremis Romani Imperii temporibus contigit, cum in reliquis etiam vestimentis magna mutatio facta est. Quanquam neque id satis probari potest, tunicas militum promiscuas fuisse russas; sed tantum Tribunorum & Ducum. Nam inter dona, quæ Claudio Tribuno Martiæ V. legionis dari jubet Valerianus, sunt etiam tunicæ militares russæ, duæ tantum, in ejus scilicet usum. Apud Vopiscum etiam Valerianus jubet dari Probo electo Tribuno *tunicas russulas duas*. Idemque apud eundem jubet dari Aureliano *tunicas ducales russas quatuor*. Sane sub Severo, non longo tempore ante Valerianum, milites in tunica communi, hoc est, alba. Quod patet ex Tertulliani verbis *de Corona militis*, quibus vir summus, qui nuper eum edidit, usus est, ut contrarium ostenderet. Loquitur ibi Africanus de milite, qui quod laureatus ut ceteri congiarium capere recusasset prius exauctoratus supplicio destinatus est. Adempta autem illi est, dum exauctoratur, pænula, & cum gladio caliga speculatoria: *Gravissimas pænulas posuit relevari auspicatus: speculatoriam morosissimam pedibus absolvit terræ Sanctæ insistere cupiens.* Subjicit: *Et nunc russatus sanguine suo, spe calceatus.* Ex his & Pamelius, & vir ille doctissimus, hoc in loco, in quo ab eo dissentimus, non nominandus, contendit tunicas militum russatas fuisse. Sed quis non videt verba hæc, *nunc russatus sanguine suo*, respondere, atque opponi illis, *gravissimas pænulas posuit*, ut & sequentia primis: *speculatoriam pedibus absolvit, spe calceatus: gladium reddidit succinctus acutiore* (gladio) *Verbo Dei: Laurea de manu claruit, martyrii candida laurea melius coronatur.* Certe illi tunica relicta est, quæ si fuisset russata, non subjecisset Tertullianus, *nunc russatus sanguine suo*. nam & tunica russatus fuisset. Sed pænula russa adempta illi: non alia re russatus erat, quam sanguine suo. Russa, inquam, pænula fuit, non tunica. Neque tamen iis assentior, qui russatas illas militares apud Trebellium pænulas interpretantur, & tunicas cum pænulis confundunt. Ceterum viri ejusdem doctissimi, & cui plurimum Tertullianus debet, optima videtur correctio ex veteribus libris: *Nunc russatus sanguinis sui spe*. nondum enim miles russatus erat, sed

A tantum martyrii spe, calceatus autem de Evangelii paratura. Quid enim *spe calceatus? Succinctus acutiore Dei*, scilicet gladio. Ita totus ille locus interpungendus est. Quemadmodum quod in vulgatis extat. *Gravissimas pænulas posuit revelari auspicatus*, recte idem posuit *relevari*. quod ad gravissimas pænulas referendum est. Sed hæc non sunt hujus loci.

CAP. XV.

Chlamydis, Sagi, & Paludamenti color.

B UT tunica militaris alba fuit, ita chlamydes & saga nullo ad scititio, sed nativo lanæ colore fuisse credimus. Quum Imperatores, Ducesque hoc uno a militibus distinguerentur, quod paludamentum purpureum, sive coccinum gestarent.

Et communes quidem Græcorum chlamydes albas fuisse tradit Pollux lib. VII. cap. XIII. licet Plutarchus in *Philopœmene* ejus exercitus ornatum militarem describens ait chlamydes fuisse floridas: στρατιωτικῶν χλαμύδων διηνθισμένων. *Chlamydum militarium variis coloribus pictarum*. At Ro-
C manorum nativo lanæ colore. Porro chlamys sive paludamentum Imperatorium purpureum, sive ex cocco. Plinius lib. XXII. cap. I. *Atque ut sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ cocci granum Imperatoriis dicatum paludamentis*. Dio lib. XLII. de Cæsare, qui in Ægypto subita hostium eruptione prægravante scapha in mare desilierat: ait ipsum magnum vitæ periculum adiisse, cum & veste gravaretur, & jaculis hostium unus impeteretur, quod eum ex purpura (nempe paludamento) Imperatorem esse cognoscerent. Quod narrans Appianus libr. II. *Civil.* ait τὴν πορφύραν ἀπέῤῥιψε, hoc est, purpureum paludamentum.

D Ipse Cæsar de se *Comment.* VII. *Accelerat Cæsar, ut prælio intersit, ejus adventu ex colore vestis cognito.* Horatius de Antonio fugiente, ac victo, *Epod.* od. IX.

Terra marique victus hostis Punico
Lugubre mutavit sagum.

Idem Dio lib. XLVI. paludamentum simpliciter Φοίνικα appellat, de ostentis quæ Pansæ Cos. oblata sunt ante prælium, quod illi supremum fuit: *Cum quis illi paludamentum attulisset in effuso cruore* (sacrificii) *lapsus vestem maculavit*. Καί τις ἐν τού-
E τῳ Φοίνικα αὐτῷ προσφέρων. Ita Appianus *de bello Punico* narrat Senatum Romanum Phamææ, ob strenuam operam bello Punico navatam, donasse purpuram, & auream fibulam. Φαμαίαν τε ἐτίμησαν ἁλουργίδι, καὶ ἐπιπορπήματι χρυσῷ. *Purpureo paludamento, quod fibula aurea nectebatur*. Non *purpura, & bulla aurea*, quod docto Interpreti visum est.

Idem in *Parthicis* memorans prodigia, quæ Crassi necem præcessere, illud primo posuit, atratum eum, non purpuratum ad milites processisse: οὐκ ἐν φοινικίδι, ἀλλ' ἐν ἱματίῳ μέλανι. Quæ omnino verba etiam apud Plutarchum in *Crasso*
F habentur. Idem Appianus alibi de M. Antonio, qui eodem Parthico bello Romanis ducibus fatali allocuturus milites pullum paludamentum petierat, quo esset miserabilior, sed dissuadentibus amicis ἐν τῇ στρατηγίδι φοινικίδι processit. Valerius Maximus idem narrans de Crasso ait Imperatorium paludamentum aut purpureum fuisse aut album. lib. I. cap. VI. *Pullum ei traditum est paludamentum, cum in prælium exeuntibus album aut purpureum dari soleret*. Hirtius *de bello Afri,*

A *cano: Cum Scipio sagulo purpureo ante Jubæ Regis adventum uti solitus esset, dicitur Juba cum eo egisse, non oportere illum uti vestitu, atque ipse uteretur. Itaque factum est, ut Scipio ad album sese vestimentum transferret.* Appianus *de bellis Hispanis: Mandatumque erat, si quid tumultus ab hostibus oriretur, signum extollerent, interdiu* φοινικίδα ἐπὶ δόρατος *paludamentum ex hasta suspensum*, non pannum rubrum, ut reddit Interpres. Et lib. v. *Civilium* narrat Sextum Pompeii filium belli successibus inflatum τὴν συνήθη τοῖς αὐτοκράτορσιν χλαμύδα ἐκ φοινικῆς ἐς κυανῆν μεταλλάξαι. *Imperatorium paludamentum purpureum in cœruleum mutasse, quasi a* B *Neptuno adoptatus esset.*

Hinc paludamentum chlamydem purpuream Græci scriptores verterunt. Dio lib. LXV. narrans Vitellii æstum atque agitationem animi sub adventum Flaviani exercitus: *Interdum*, ait, τὴν χλαμύδα τὴν πορφυρᾶν ἐφόρει, *gladioque cingebatur, interdum vestem pullam sumebat.* Regiam chlamydem appellat Herodianus lib. II. de Severo, quem scribit in prælio adversus Albinum, & fugisse, ἀπορρίψαντα δὲ τὴν χλαμύδα τὴν βασιλικήν. Nam Regum chlamydes purpureæ. Seneca Ep. LXXVI. C *Felix est non magis, quam ex illis, quibus sceptrum, & chlamydem in scena fabulæ assignat.* Alibi Herodianus: Ῥωμαϊκὴν χλαμύδα de Caracalla, qui ea deposita Germanorum cultu incedebat, præcipue sagulis argento variegatis. Nec multo post tradit eundem aperto Alexandri Magni conditorio χλαμύδα ἣν ἔφερεν ἁλουργῆ corpori ipsius imposuisse.

Si ergo Imperatorum Romanorum chlamys purpurea fuit, cur Dio Commodi habitum motans ait ipsum ingressum esse theatrum purpurea tunica indutum auro inspersa, accepta simili chlamyde more Græco? εἰσιὼν χιτῶνα ὁλοπόρφυρον χρυσῷ καταπάστον χλαμύδα τε ὁμοίαν τῷ Ἑλληνικὸν τρόπον λαμβάνων. Herodianus lib. I. idem narrans: ἀμ- D φιέννυτό τε ἁλουργεῖς, καὶ χρυσοϋφεῖς ἐσθῆτας: *Deposito Romano, ac Principali cultu.* Non ergo chlamys purpurea, sed tunica, chlamysque serica purpurea auro inspersa, sive variegata probro data est. Cum Romana e lana esset, cocco, sive purpura infecta sine auri mixtura. Hæ chlamydes Græcanicæ dictæ. Capitolinus in *Pertinace* recensens auctionem vestimentorum Commodi enumerat *purpureas chlamydes Græcanicas, atque castrenses.* Græcanicæ scilicet auro distinctæ, castrenses purpureæ. Talis Neronis e Græcia revertentis triumphantis more, *In veste purpurea*, ait Suetonius, *distinctaque stellis aureis chlamyde.* E

CAP. XVI.

Galli Sagi color.

SICUT Romanum sagum nativo lanæ colore, Imperatorium purpureum, vel cocco infectum, ita Gallicum intexta purpura distinctum. Virgilius lib. VIII. de Gallis:

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur. F

Ubi Servius *auream vestem barbam* interpretatur, *& sagula virgata, quæ habent in virgarum morem deductas vias. Et bene*, inquit, *adlusit ad Gallicam linguam, per quam virga purpura dicitur. Virgatis ergo, ac si diceret purpuratis, quæ sagula virgata, etiam trabeata dicta sunt.* Trebellius in *Gallieno: Perdita Gallia arrisisse, & dixisse perhibetur: Non sine trabeatis sagis tuta Resp. est?* Malumus enim cum Casaubono *trabeata saga* ex Diodoro ῥαβδωτοὺς σάγους interpretari, quam *Atrebatica* substituere. Ut enim togæ a transversis purpuræ discurrentis lineis, sive trabibus trabeæ dictæ sunt, sic a virgis purpureis trabeata Gallorum sagula. Turnebus tamen lib. II. cap. XIV. simpliciter virgatum ῥαβδωτὸν intelligit, quod virgas quasdam in longum, aut latum varia serie, ac colore porrectas haberet, ut in concharum genere sunt virgulatæ, id est, ῥαβδωταί. Val. Flaccus II. *Argon.* Thracum mulieribus virgatas vestes tribuit, nec purpureas, inquit ille, intellexit, sed barbarorum ritu discolores, & veluti virgatis segmentis contextas:

Jam veniet durata gelu, sed me quoque pulsam
Fama viro, nostrosque thoros virgata tenebit.

Eadem saga scutulata notavit Scaliger dicta, macularum instar cancellatim, & reticulatim distincta. Scutulas enim esse τὰ πλίνθια, nimirum quadra similia retium maculis, quas Græci vocant τοὺς βρόχους. Gallos enim Diodorus ait saga gestasse, ῥαβδωτὰ πλινθίοις πολυανθέσι, καὶ πυκνοῖς διαλημμένα. *Scutulata, & reticulatim distincta.* Etiam colorata Saracenorum sagula fuisse tradit Ammianus lib. XIV.

CAP. XVII.

De subarmali.

INTER vestimenta militaria fuere subarmales, sive subarmalia, quorum mentio apud Spartianum in *Severo: Quum Romam Severus venisset Prætorianos cum subarmalibus inermes sibi jussit occurrere.* Trebellius in *Claudio: Subarmale unum cum purpura Maura.* Demum Vopiscus in *Aureliano: Togam pictam, subarmale profundum, sellam eboratam.* Sed quænam eæ vestes fuerint, & in quem usum, non ita compertum est. Turnebus lib. XVIII. cap. XIX. existimat fuisse crassum sagulum, quod sub armis induebatur, ut eorum durities minus corpus offenderet, sed profundo excepta tegumento mollius corpori insideret, & tolerabilius. Atque ita ab armis subarmale dictum, quod scilicet sub armis gestaretur.

Hæc opinio displicuit Casaubono *ad Spartianum*, quod scilicet pacis, & pomparum hæ vestes essent. Nam Herodianus eandem rem narrans de Severo lib. II. scribit ab eo dictum propositum, ut Prætoriani relictis apud castra armis exirent pacis habitu, eoque cultu, quo procedere in pompam consuevissent sacrificante, aut diem festum celebrante Imperatore. Mox subjicit, eos relictis armis processisse ἐν μόναις ταῖς πομπικαῖς ἐσθῆσιν, *in pomparum habitu.* Atque ita existimat Casaubonus non ab armis quibus pugnamus, sed ἀπὸ τῶν ὠμοπλατῶν subarmale dictum, quod scilicet sub armis fibula necteretur, vel sub armos rejiceretur. Fuisse autem togas militares, vel saga.

Mihi tamen Turnebi notatio non displicet. Scilicet ab armis, quibus pugnamus, subarmale dictum, quod armis ipsis subjiceretur. Nec obstat, eandem vestem fuisse etiam pomparum propriam. Nam cum Prætoriani in comitatu Imperatoris armati incederent, in pompa per dies festos ac ludos inermes procedebant; ut tamen a reliquis civibus discernerentur, subarmale tanquam vestem militarem retinebant. Fuisse enim id militare indumentum ex Herodiano fatetur Casaubonus. Nam Severus in oratione, qua ipsos exauctoravit, ait: *Jubeo vos discinctos, ac vestimentis militaribus exutos inermes discedere.* Nec aliud subarmale fuisse crediderim, quam sagum: quod tamen more tunicæ indueretur, ut scilicet commode subjici armis posset. nam chlamys, quæ fibula nectebatur, cum brachia velaret armis subjici non

poterat. Atqui, inquit summus vir, subarmali purpura interdum addebatur. Hoc tamen non in omnibus Prætorianis, sed in ducibus usurpatum, quos etiam subarmalia habuisse, & ad manipularium distinctionem purpura distincta credi par est: quæ minime obstant, cur armis non subjicerentur, & iis depositis gestarentur in pompa. Ita & commodior interpretatio erit, subarmale profundum fuisse crassum sagulum, ac densiori lana confectum, quo scilicet melius arma corpori

A insiderent, quam ποδῆρες, & infra genua dimissum. Cui tamen altera opinio magis arriserit, is eam per me sequatur licet.

Ceterum non ita recte Politianus, quod supra tetigimus, illud Herodiani lib. VII. *ἐν λιταῖς δὲ ἐσθῆσι, καὶ ἐφεστρίσιν*, vertit, *subarmalibus, & sagis induti*. Nam milites illi in veste vulgari, tunica scilicet & lacerna, sive chlamyde fuerunt. Quod si subarmale sagum fuit, aut quid simile, duplici sago, aut sago, & chlamyde induti fuissent.

OCTAVII FERRARII
DE
RE VESTIARIA
PARS SECUNDA.
LIBER QUARTUS,
QUI EST DE PALLIO.

CAP. I.

Pallium Græcorum indumentum. Comœdiæ palliatæ, togatæ, prætextatæ. Prolegomena in Terentium *expenduntur*.



UT Toga Romanorum, ita Pallium Græcorum gestamen fuisse, certum est. Et cum tunica utrique genti communis esset, cui aut toga, aut pallium superinduebatur, diversa indumenti exterioris forma Romanum, Græcumque habitum distinctum fuisse, apud omnes in confesso est. Hinc Comœdiæ palliatæ, & togatæ. In Prolegomenis ad Terentium, sive ea Donati, sive Cornuti, sive Asperi fuere, *Comœdiæ formæ sunt tres. Palliatæ Græcum habitum ferentes. Togatæ juxta formam personarum habitum togatum desiderantes*. Post pauca subjicitur: *Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt*. Causa porro non una satis frivola adducitur, sive quod cum insaniam simulavit, tectus esse voluit, sive ob singularem sapientiam, demum *quod Ithacæ habitatores, sicut Locri palliati essent*. Quasi vero solus Ulysses, solique Ithacenses, & non Græci omnes, palliati.

Sed nimirum illa Prolegomena, ut non unius scriptoris esse apparet, sed ex variis auctoribus adinstar centonis consarcinata, ita quædam bona habent, quædam secus, ut facile observabit, cui otium fuerit ea contendere. Nam quæ de Achille, & Neoptolemo, qui cum diademate inducerentur, quis non videt eas non fuisse Comœdiæ personas, sed Tragœdiæ? Item quæ de personarum Comicarum amictu, quam sunt suspectæ fidei! Cur enim senes tantum in candi-

B do vestitu, cum is promiscuus habitus esset? Cur purpureus color diviti, pauperi phœniceus, quasi non & hic magno pretio staret? Quis puellarum habitus peregrinus? Cur leno pallio versicolore inducitur? Meretrici ob avaritiam pallium luteum datur, cum in Togatis Comœdiis communi scortorum habitu, id est, togatæ essent? quid autem luteus color ad avaritiam? Hæc sunt posterioris ævi Grammaticorum insomnia. Præterea quis syrmati locus in comœdia, quod ab scenica luxuria institutum ibi dicitur, cum fuerit Tragœdorum proprium. His adjice, quæ proxime sequuntur: *Aulæa in scena*

C *in terra sterni solita, quod pictus ornatus erat ex Attalica Regia Romam usque perlatus, pro quibus siparia ætas posterior acceperit*. Atqui nec aulæa humi strata, nec siparia certum est; sed scenæ obtendi solita. Quæ satis declarant multa a sciolis, atque ineptis hominibus in ea Prolegomena fuisse intrusa.

Sed ut a diverticulo res repetatur, Græcæ Comœdiæ palliatæ, Latinæ togatæ dictæ sunt. Vetus Interpres Juvenalis ad illud: *Recitaverit ille togatas*. *Togatæ sunt Comœdiæ Latinæ, palliatæ, eæ, quales Afranius fecit*. Verum Afranium dedisse togatas notum est. Itaque verba illa, *quales A-*

D *franius fecit*, retrahenda sunt, & *togatis* subjicienda. Togatarum aliæ nobiliores, quæ prætextatæ, in quibus scilicet Magistratus inducti, qui in prætextis, fortasse etiam pueri, & puellæ prætextatæ. Minus nobiles, in quibus censet Scaliger lib. I. *Poetices* cap. VII. Senatores privatos cum togis introductos. Sed cur soli Senatores togati, cum gens universa togata esset? Subjicit idem. Ultimum genus fuisse, quod capiebat humilem fortunam negotiorum popularium cum tunicis tantum, eas autem non tunicatas dictas, sed ab habitaculis Tabernarias appellatas, quod cum tabernis scenæ disponerentur. Sed si nullus in illis togæ usus, cur inter togatas recensentur? Auctor Prolegomenon

Te

Terentii Tabernarias fuisse palliatas tradit. *Palliatæ Græcum habitum ferentes, quas nonnulli Tabernarias vocant*. Sed paulo ante, si tamen unus auctor est, *Tabernarias* ab humilitate argumenti, & styli dictas putat. Quod palliatæ fuerint, non minus falsum est, quam notatio *Planipedum*, quæ ibidem adducitur: *Quod non ea negotia contineat, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano, & humili loco*. Quis enim ignorat infimam plebem, ac minutum populum in cænaculis habitasse? Duplicis ergo tantum generis fuisse videntur Comœdiæ Latinæ, Prætextatæ, in queis Magistratus, Togatæ in quibus viliores personæ inductæ. Harum solum meminit Horatius *de Arte Poet*.

Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

Ubi *prætextæ* sunt *prætextatæ*. Neque tamen audiendi sunt, qui apud Acronem Prætextatam Tragœdiam dixerunt, Comœdiam togatam: multo minus, qui ibidem Togatas fuisse, in quibus Græca argumenta, Prætextas, in quibus Latina. Nam, ut diximus, cum Latinæ essent, omnes erant togatæ, sed hæ viliorum, Prætextatæ nobiliorum, Magistratuum. Sed vix videtur potuisse dari Comœdiam, in qua soli magistratus introducerentur. Ut probabilius sit, dictas prætextatas ab argumenti gravitate, atque honestate, nulla jocorum licentia, atque obscœnitate, quæ Magistratuum, & pueritiæ sanctitatem dedeceret. Quamquam contra a verborum prætextatorum licentia quis dictas suspicari possit. Sed tales togatæ omnes, viliorum scilicet personarum, lenonum, meretricum, nepotum, quibus vitæ licentiæ congruens lascivior oratio. At Prætextatas serias totas, ac graves, omnique turpitudine vacuas fuisse credere par est. Hisce affines fuisse videntur Trabeatæ, quod novum genus Togatarum edidisse dicitur a Suetonio *de claris Grammaticis* Melissus, qui fuit ab Augusto Præfectus bibliothecæ in porticu Octaviæ. Sed undenam Trabeatæ, haud facile dixerim. Cum enim Trabeæ olim Regum fuerint, iis pulsis penes Equites in solemni transvectione remanserint, inde a triumphantibus usurpatæ, nescio quis earum usus in Comœdiis esse potuerit. Diomedes lib III. Togatas nomen genericum facit ad *prætextatas*, & *tabernarias*. Nihilominus *togatas* pro *tabernariis* usurpari non communi tantum errore, sed poetarum auctoritate. Nam Horatius:

Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

Prætextatas in quibus Imperatorum negotia agebantur & publica, & Reges Romani, vel duces personarum dignitate, & sublimitate Tragœdiis persimiles, quod eæ personæ prætexta utantur. Secundam speciem *tabernarias* fuisse, in quibus non magistratus, Regesque, sed humiles homines, & privatæ domus inducuntur, & quod olim tabulis tegerentur *tabernariæ* dicebantur. Ubi videtur indicare *tabernarias* dictas, quod in iis introducerentur homines in tabernis habitantes, ita enim domos vocatas, quæ tabulis tegerentur. Verisimilius est *tabernarias* dictas, quod opifices, institores, ac sellularii, qui in tabernis degerent, inducerentur.

Ceterum togatarum auctores ab Acrone hi recensentur: Ælius Lamia, Antonius Rufus, Melissus, Afranius, Pomponius. Qui omnes magno literarum damno præter Afranii fragmenta interciderunt. Primum autem Stephanionem togatas saltare instituisse, auctor est Plinius lib. VII. cap. XLVIII *Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit*. Sed legendum est *togatas*, ut & Salbellicus monuit, & de pantomimo intelligendum.

CAP. III.

Pallium Græce ἱμάτιον, Φᾶρος.

UT igitur *ad pallium* propius accedamus, cujus contemplationi extremam operis hujus curam dicavimus, id vestimenti genus, quod tunicæ injiciebatur, totumque corpus circumjectu suo involvebat, Græci variis nominibus extulerunt. Præcipue tamen *ἱμάτιον* Attice *θοιμάτιον* & *φᾶρος* dixere. Quanquam utraque vox large accepta omne vestimenti genus significet, quod Budæo adnotatum. Neque tamen ut pro tegmine capitis accipiatur, ut Hen. Stephano visum; Quod Plutarchus in *Pompejo* tradat Syllam advenienti Pompejo honoris causa assurgere solitum, *καὶ ἀπάγοντος τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον*. Et alibi de Demetrio Pompeii liberto, cujus tanta importunitas, ut ante herum discumberet, *ἔχων δι' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον*. Nam & hic, & alibi non de capitis tegmine, pileo, aut palliolo intelligendum, sed de togæ extrema parte, sive lacinia, quam capiti injectam interdum arcendo soli, aut imbri, item in re subita, ac calamitosa, alias docuimus. Ita quod tradit Plutarchus in *Apophthegmatis* Scipionem minorem, cum in Ægyptum venisset, navique egressus *ἐβάδιζε κατὰ τῆς κεφαλῆς ἔχων τὸ ἱμάτιον ἠξίουν ἀποκαλύψασθαι*. Quod toga caput tectum haberet, intelligendum est, non pænula: quod vertit Interpres.

Ἱμάτιον etiam pro stragula veste sumi Budæus observat ex Athenæo lib. XII. *Κατεσκεύαστο ὁ οἶκος πολυτελῶς, καὶ μεγαλοπρεπῶς ἱματίοις τε καὶ ὀθονίοις πομποτελέσιν*. Sed quod etiam apud Matthæum pro stragula veste *ἱμάτιον* sumatur, non facile persuaserit. Nam cap. IX. *οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ*. Ibi *ἱμάτιον* non pro stragula, sed pro qualibet veste accipiendum est, quemadmodum Lucæ V. & Marci II. accipitur. Subjicit idem vir doctissimus, *ἱμάτιον* alias significare pallium, hoc est, tribonium, quod supra tunicam induitur. Quod neque ex toto verum est. non enim quodcumque tunicæ induebatur tribonium erat; sed pallium detritum, ac vile, pauperum ferme, ac Philosophorum, ut infra dicturi sumus.

Licet ergo *ἱμάτιον* quodlibet vestis genus etiam stragulæ significaret, proprie tamen id modo indumentum, quod tunicæ superinduebatur. Demosthenes: *Ὦ σε μὲ θοιμάτιον προέσθαι, καὶ μικροῦ γυμνὸν ἐν χιτωνίσκῳ γενέσθαι φεύγοντα*. Plutarchus in *Lycurgo* de disciplina adolescentium: *Γενόμενοι δὲ δωδεκαετεῖς, ἄνευ χιτῶνος ἤδη διετέλουν ἓν ἱμάτιον εἰς τὸν ἐνιαυτὸν λαμβάνοντες*. *Emenso autem duodecimo ætatis anno sine tunica jam degebant, unum pallium in annum accipientes*. Ibidem in *Præceptis connubialibus* XI. de Borea, & Sole ex certamine hominem despoliantibus: *Flante Borea viator ἱμάτιον corpori vehementius adpressit: at sole ardente καὶ τὸν χιτῶνα τῷ ἱματίῳ προσαπεδύσατο. Una cum pallio etiam tunicam exuit*. Ælianus *Variæ* lib. I. cap. XVI. de Apollodoro, qui Socrati morituro *attulit tunicam pretiosa lana, pulchreque contextam, simile item pallium & rogavit ἐνδύντα αὐτὸν τὸν χιτῶνα, καὶ θοιμάτιον περιβαλλόμενον bibere cicutam*.

Quamquam *ἱμάτιον* etiam pro pallio muliebri idem Plutarchus posuit eodem libro *Præceptorum connubialium* XXXII. *Θεανὼ παρέφηνε τὴν χεῖρα περιβαλλομένη τὸ ἱμάτιον*. *Theano dum pallium imponit, manum, & cubiti partem renudaverat*. Non recte Interpres. *Vestem induens*. Quare idem in *Lycurgo* ad distinctionem pallium virile appellat, quo de more Lacænæ cum nuberent amiciebantur:

ἱματίῳ δὲ ἀνδρείῳ, καὶ ὑποδήμασιν ἐνσκευάσασα. Immo & pro tunica ab eodem ponitur *de Claris mulieribus*. Laudans enim mulieres Chias narrat Chios a Coronensibus bello victos deditionem fecisse ea conditione, ut urbe egrederentur, χλαῖναν μίαν ἕκαστον καὶ ἱμάτιον *Chlænam modo & tunicam habentes*, reprehensos a mulieribus, quæ dicerent, ὅτι χλαῖνα μὲν ἐστὶ τὸ ξυστὸν, χιτὼν δὲ ἡ ἀσπὶς, quod hasta pro chlamyde, clypeus pro tunica viris fortibus esset.

Φᾶρος etiam appellarunt Græci indumentum exterius quod tunicæ imponebatur, tam virile, quam muliebre. Homerus Ὀδ. Ο. Χιτῶνα δῦνεν, καὶ μέγα φᾶρος ἐπὶ στιβαροῖς βάλετ' ὤμοις. *Tunicam induit, & magnum pallium humeris injecit*. Ubi notat Eustathius proprie de tunica dici indui, quæ vestis interior, at de pallio, quod exterius, injici, sive imponi. Ἔοικε γὰρ μανδυοειδές τι νῦν τὸ φᾶρος εἶναι, καὶ οὐ δυτὸν ἀλλὰ ἀναπτόν. *Quod non indueretur, sed imponeretur, sive circumponeretur*. Pro pallio fœmineo Ὀδ. ε. ἀργύφεον φᾶρος μέγα ἕννυτο νύμφη. *Argenteum sive candidum pallium magnum induit Dea*. Interpres *stolam* vertit, sed stola tunica fuit, non pallium. Quamquam fuisse eam tunicam ex iis, quæ sequuntur conjicere licet. Quod scilicet auream zonam lumbis circomposuit. Quomodo enim pallium zona cingi potuit? Sed fuisse pallium, sive peplum muliebre apparet Ὀδ. θ. de Penelope: πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῆσι κακκεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα. *Purpureum magnum pallium prehensum manibus gravibus in caput traxit, obtexitque pulchram faciem*. Quomodo enim tunica trahi in caput, osque obnubere poterat? Quare credere licet φᾶρος generice pro quavis veste usurpatum. Pro pallio virili passim Homerus. Ὀδ. δ' de filia Nestoris postquam Telemachum hospitem lavacro foverat. Ἀμφὶ δέ μιν φᾶρος καλὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα. *Circumposuit autem pallium pulchrum, & tunicam*. Philippus in *Anthologia* lib. I. cap. I. de Xerxe, qui cum Leonidæ corpus mortuum aspexisset honoris causa, ἐχλαίνου φάρει πορφυρέῳ. *Involvit pallio purpureo*. Hæc tamen vox nonnisi apud poetas reperitur, & inter poetica vocabula a Polluce recensetur lib. VII. cap. XII. λώπη δὲ, καὶ ῥάκη, καὶ φᾶρος, καὶ ἱμάτια, καὶ λῶπος ποιητικά. Hesychius φᾶρος, ἱμάτιον, περιβόλαιον interpretatur. Omne enim vestimenti genus exterius quod tunicæ impositum corpus circumiret, atque involveret Græcis περιβόλαιον, περιβολὴ, περίβλημα: item ἀναβολὴ, ἀναβόλαιον, ἐπίβλημα dicebatur. Quod Latini Amictum, quod *Am*, sive ἀμφὶ, circa corpus injiceretur. Plutarchus *Præceptis connubialibus* XI. vestem, quæ tunicæ superinduitur, modo ἱμάτιον, modo περιβολὴν appellat.

CAP. III.

Pallium. Ejus notatio. Vestis stragula Romanorum: Amictus Græcorum. Pallium Proconsulare.

QUOD Greci ἱμάτιον, & φᾶρος Latini Pallium dixere, a pellibus deducit Isidorus, quod *super indumenta*, inquit, *pellicia Veteres induebantur*. Satis inepte. Nam commune pallium ex lana fuit, sicut reliqua vestimenta. Illud etiam ineptius, pallium esse, quo administrantium scapulæ conteguntur, ut dum ministrat expeditius discurrant. Haud vidi magis! Cur enim non expeditiores in tunica, in qua sola olim ministros fuisse docuimus? Locus Plauti nihil ad rem. *Si quid facturus es, appende in humeris pallium, & pergat quantum valet tuorum pedum pernicitas*: de quo infra. Rectius ergo idem pallium a palla derivari ait. Quæ inde dicta, teste Varrone, quod *palam, & foris esset*. Alibi *ab irrugatione, & mobilitate, quæ circa finem hujusmodi vestium*, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Nam vere in Romano cultu, non alius pallii usus. quam in fæminis, quarum habitus exterior palla dicebatur: quæ nihil aliud fuit quam pallium, apertum scilicet, quodque corpori circumjectum illud vestiret. Pallam præterea citharœdorum, & tragœdorum fuisse alias demonstravimus; item vestimentum virile, sed peregrinum, quæ heic non reponam. Latinam tamen *Pallii* vocem inferiores Græci suam fecerunt. Hesychius Τριβώνιον πάλλιον, & alibi. ῥήγεα πάλλια βαπτά. Glossæ. Pallium, πάλλιον, Gausapa, πάλλια βαρβαρικά.

Ceterum quemadmodum ἱμάτιον pro veste stragula Græcis usurpatum notavimus, ita & *pallium* apud Latinos. Ovidius *Amorum* lib. I. El. II.

Hæc tamen aspiciam, sed quæ bene pallia celant:
Illa mihi cæci causa timoris erunt.

Et paulo infra;

Sæpe mihi, dominæque meæ properata voluptas
Veste sub injecta dulce peregit opus.
Hoc tu non facies, sed ne fecisse puteris
Conscia de tergo pallia deme tuo.

Propertius lib. IV. Eleg. III.

At mihi cum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto consídere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aves.

Et Juvenalis Sat. VI.

— *Tunc corpore sano*
Advocat Archigenem, onerosaque pallia jactat.

Ubi vetus Interpres. *Simulat ægritudinem socrus, ut habeat facultatem ad se filia veniendi, causa adulterii*. Item Martialis lib. I. *de catella Publii* ep. CX.

Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit ulla:
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi rogat, & monet levari.

Proprie tamen *Pallium* nonnisi Græcanicum indumentum fuit, ut toga Romanorum. Suetonius *Augusto* cap. XCVIII. *Sed & ceteros continuos dies inter varia munuscula, togas insuper, ac pallia distribuit, lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur*. Id est, Græci cum toga, Romani cum pallio incederent. Idem *Claudio* cap. XV. *Peregrinitatis reum orta inter advocatos contentione, togatumne, an palliatum dicere causam oporteret, mutare habitum sæpius jussit*. Quod scilicet nullus gestandi togam jus haberet, nisi civis Romanus. Val. Maximus lib. II. cap. II. inter cetera Romanæ gravitatis indicia illud ponit, quod Græcis numquam nisi Latine responsa darent: immo eosdem etiam in ipsa Græcia per interpretem loqui cogerent. Quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur: *Nec illis*, inquit, *deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur*. Plinius lib. IV. Epist. XI. de Luciano qui exul in Sicilia profitebatur; *Idem cum Græco pallio amictus intrasset (carent enim togæ jure, quibus aqua, & igni interdictum est) postquam se composuit, circumspexitque habitum suum, Latine, inquit, declamaturus sum*. Plautus licet in Comœdia palliata seculi sui morem respexerit, cum in *Curculione* Philosophos perstringit, qui in Græco pallio:

Tum isti Græci palliati, capite operto, qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis.
Constant, conferunt sermones inter sese drapetæ,
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis.

Quare Appianus lib. v. *Civil.* pallium appellat *στολὴν ἑλληνικὴν*, *vestem Græcanicam*. Ceterum licet Ulpianus *pallium* inter communia vestimenta recenseat (quo loco fallitur Bayfius, qui communia vestimenta interpretatur, quæ *promiscuæ vestes* Tacito dicuntur, nam Tacitus ibi promiscuas vestes sericas appellat, quæ cum propriæ fæminarum etiam a viris usurparentur) licet, inquam, Jurisconsultus *pallium* inter communia vestimenta connumeret, nullus tamen Romæ pallii usus in viris, etiam postquam togæ depositæ sunt. Ut propterea veteres illi duces notati sint, quod aliquando in provinciis deposita toga pallium induerint, Scipio in Sicilia, Germanicus in Ægypto. Ita Rabirio obiectum est, *quod homo Consularis soccos habuerit, & pallium*. At inferiori ævo aliquis pallii usus ipsis Imperatoribus fuisse videtur. Nam apud Vopiscum jubet Valerianus dari Aureliano inter reliqua, *tunicas ducales russas quatuor, pallia Proconsularia duo*. Ibidem jubet idem Probo dari *pallia Gallica fibulata duo*. Et in Epistola Commodi ad Albinum: *Sane ut tibi insigne aliquot Imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præsente*. Sed quodnam fuerit hoc pallium non ita certum est: Nam Procoss. domi in prætexta, in exercitu paludamentum habuere. quod cum esset, aut album, aut coccineum, nihil novi largitus est Albino Commodus, qui & antea jus paludamenti coccinei habebat. Nisi dicere velimus sub Imperatoribus privatis ducibus, Legatis nempe, & Proconsulibus ademptum jus coccinei paludamenti, solisque Imperatoribus servatum.

CAP. IV.

Pallium commune. Ejus figura.

QUI de re Vestiaria scripserunt, pallium Græcum gestamen esse, sed & Philosophorum habitum fuisse observant, ex Gellio lib. IX. cap. II. *Video*, inquit Herodes, *barbam & pallium, philosophum nondum video*. Sed si omnes Romæ Græci, & quicumque jus togæ non habebant palliati erant, illud sequitur, aut omnes Romæ peregrinos pro philosophis habitos, aut aliquod discrimen inter vulgare pallium, & philosophicum fuisse. Videndum ergo prius, quale fuerit commune pallium, ut inde philosophorum habitus, cultusque noscatur.

Et pallium quidem fuisse vestimentum apertum, quod tunicæ imponeretur, laxum, atque ad pedes fusum, nullus dubitat. Tota difficultas in eo vertitur, num etiam omne pallium, immo vestimenta omnia aperta quadrata fuerint, sive quadrangula, quod doctis viris visum est. Quia scilicet Athenæus tradit Romanos in Asia, ut Mithridatis iram effugerent, depositis togis quadrata vestimenta sumpsisse. Et Appianus lib v. *Civil.* narrat Antonium in Ægypto pallium Græcanicum quadratum sumpsisse. Sed, ut in superioribus libris adnotavimus, quominus huic opinioni assentiamur, non una ratione ducimur. Nam si omnia vestimenta aperta eadem & quadrata fuere, cur quædam quadrata a scriptoribus peculiariter notantur? Vetula apud Petronium *quadrato pallio incincta*, hoc est, pallio in nodum coacto succincta ut toga Gabino ritu cingebatur. Festus *ricinium, & ricam quadratum pallium fœmineum fuisse* dicit, cum tamen omne pallium apertum esset. Quid autem proprie ricinium esset, ne ipse quidem Festus intellexit, qui modo pallium fuisse, modo togam dicit: sed qui fieri potuit ut idem pallium rotundum sit, & quadratum, non intelligo. Verba Festi sunt: *Ricinium omne vestimentum quadratum ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt: vel togam quam mulieres utebantur*. Toga rotunda, pallium quadratum. Neque audiendi sunt, qui flammeum cum ricinio confundunt. Nam *flammeum* velum fuit amiciendo capiti, quod perpetuo a Flaminia gestatum, boni ominis causa ad nuptias translatum est, ut idem testatur. Hoc pallium, illud palliolum, quæ distincta fuere.

Præterea omne sagum istorum sententia apertum, ergo & quadratum. Atqui Isidorus Sagum Gallicum quadratum fuisse tradit. Non igitur commune sagum tale fuit. Sed, quod miror viros doctissimos effugisse, Tertullianus vetus Carthaginensium pallium fuisse dicit quadrangulum, quod ipsius ætate tantum a sacerdotibus Æsculapii gestabatur: non ergo quod Tertullianus, & reliqui sanctiorem philosophiam professi gerebant tale fuit. *Tamen & vobis habitus aliter olim: tunicæ fuerunt & quidem in fama de subteminis studio*: & quæ sequuntur. mox subjicit: *Pallium extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab utroque laterum regestus, & cervicibus circumstrictus, in fibulæ morsu humeris acquiescebat. Instar ejus hodie Æsculapio Sacerdotium est*. Quid opus erat vetus pallium ad illud sacerdotum Æsculapii exigere, si illud, quod togæ prætulerat Africanus, quadrangulum, & antiquo simile fuit? Quæ manifesto evincunt, diversum ab antiquo pallium Tertulliani fuisse: ut illud quadrangulum fuerit, hoc nequaquam. Illud ergo describit, quod in usu esse desierat, non quod in oculos incurrebat.


Alias existimavimus, pallium quadratum fuisse, quod duabus plagulis divisum, quatuor in inferiori parte angulos haberet, quodque fibula in humeris nectebatur; idque commune Græcorum. at philosophorum non fuisse quadratum, sed semirotundum nostrisque palliis haud absimile, quod non infibularetur: sed dextra pars in humerum sinistrum injiceretur. Sed mutare sententiam nos cogunt veteres statuæ palliatæ, in quibus nec duæ istæ plagulæ, nec fibula usquam apparet: sed pallium omnino nostri simile est, fusum scilicet & semirotundum, quale prorsus pallium Romanarum mulierum, sive palla, cujus formam ex antiquis monumentis ante reddidimus. Ex iis etiam quæ mox de modo gestandi pallium apud Veteres dicturi sumus, neque fuisse duas plagulas, neque fibulæ morsu nexum fuisse apparebit. Si est igitur aliquis in re difficillima conjecturæ locus, crediderim pallium quadratum non fuisse Græcorum, sed Asiaticorum, & reliquarum gentium ad Orientem colentium, & ideo Romanos, qui in Asia negotiabantur, ut Mithridatis crudelitatem evaderent, positis togis, quadrata vestimenta gentis illius propria sumpsisse: Antonium etiam in Ægypto stolam quadrangulam induisse, ut Cleopatræ gratificaretur. Id autem pallium tantum posteriorem corporis partem operuisse, & vere quadrangulum fuisse, cujus anguli duo superiores fibula cervicibus adstringerentur, duo ad latera, & infra caderent. Nihil tamen certi affirmare ausim, quia Appianus lib. v. *Civilium* stolam illam sive pallium quadrangulum Antonii Græcanicum appellat. *Καὶ στολὴν εἶχε τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου*. Eodemque habitu Athenis versatum cum Octavia, quem Alexandriæ cum Cleopatra habuerat: ubi credibile est Græcum pallium more gentis induisse. Itaque amplius cogitandum censeo.

CAP. V.

Modus gestandi pallium. Brachium cohibere. Manum chlamyde involvere.

QUemadmodum non unus gestandi togam modus fuit apud Romanos, cum antiquissimo tempore ita utrumque humerum, & brachium ope-

riret, ut ſola manus extaret, poſteriori ævo dexter cum brachio humerus exeretur. Ita apud Græcos non eodem modo ab omnibus geſtatum pallium videtur. Cum enim veſtimentum apertum eſſet, potuit, quemadmodum nunc fieri videmus, ita geſtari, ut pars utraque ad pedes fuſa caderet, vel una pars ſive ala, dextra ſcilicet ſiniſtro brachio imponeretur, aut eidem ſubjiceretur, aut demum ſiniſtro humero injiceretur. Communis tamen ratio præcipue honeſtiorum veſtiendi pallii ultima fuit, nempe ut pars pallii dextra ita ſiniſtro humero imponeretur, ut totum corpus atque utrumque humerum involveret, ſolaque fere dextra ad pectus extaret involuto brachio, interdum ipſa quoque operiretur. Quintilianus lib. XI. cap. III ait veteribus Romanis nullos ſinus in toga, mox perquam breves fuiſſe: *Itaque*, inquit, *etiam geſtu neceſſe eſt uſos eſſe in principiis eos alio, quorum brachium, ſicut Græcorum veſte continebatur*. Græci igitur brachium veſte, hoc eſt, pallio continebant. Ita ut aliquando ipſa manus pallio involveretur. Plutarchus in *Politicis* narrat Periclem inceſſu tardo, atque oratione leni uſum, compoſitum os ſolitum præferre, poſtremo manu intra pallium cohibita unam omnino uſurpaſſe viam, quæ ad forum, & Curiam perduceret. Καὶ τὴν χεῖρα συνέχειν ἐντὸς τῆς περιβολῆς. Xenophon *de Rep. Lacedæmoniorum* tradit Lycurgum, quum in Græcia qui ex ephebis exceſſerant ſoluti, ac liberi a præceptoribus eſſent, inſtituiſſe ut Lacones juvenes facti ἐντὸς τοῦ ἱματίου τὴν χεῖρα ἔχειν. Manum pallio cohiberent. Ephebi omnes in Græcia in chlamyde erant, iidemque anno tyrocinii manum chlamyde involvebant, ut Romæ tyrones brachium toga cohibebant. Ubi ex ephebis exceſſerant, ſumpto pallio more virorum cohibito brachio dextram exerebant: Lycurgus quo modeſtior ſuorum inceſſus eſſet decrevit, ut etiam dextram pallio continerent. Artemidorus lib. I. cap. LVI. *Epheborum ſive tyronum habitum geſtare ſi ſervus ſibi videatur, liber erit, quandoquidem ſolis ingenuis id lege permiſſum. Artificibus autem ſellulariis, ac Rhetoribus otium, ac ceſſationem in annum indicat*. χρὴ γὰρ τὸν ἔφηβον ἐν τῇ χλαμύδι καὶ τὴν δεξιὰν ἐνειλημένην ἔχειν. *Oportet enim ephebum dextram chlamyde involutam habere*. Rationem addit. Διὰ τὸ ἀργὴν μὴ εἶναι καὶ πρὸς ἔργα, καὶ πρὸς λόγους τὴν χεῖρα. *Quod ſcilicet manus otioſa ſit, & ad opera, & ad geſtum oratorium*. Quare nemo non videt particulam μὴ delendam eſſe, quod monuit præſtantiſſimus Rigaltius, tum propter ſententiam, tum quia eadem verba ſine negatione apud Suidam leguntur. Et tamen non deſunt, qui in commentariis Orationum Ciceronis retinendam eſſe contendant, & Suidam ex Artemidoro corrigendum. Nimis profecto imperite. Nam hoc pacto tota ſententia perit. Ideo enim manus intra chlamydem cohibita ceſſationem ab opere, & ab orando indicabat, quia ita involuta, neque operi faciundo, neque actioni oratoriæ apta erat. Quod ſi Græci per annum tyrocinii feriabantur, non tamen ſequitur etiam Romanos eodem anno ceſſaſſe, licet brachium veſte continerent, ſed de manu loquitur Artemidorus, quæ apud Romanos exerebatur, & ideo in opere, ac geſtu minime otioſa erat, ut Græcorum epheborum.





Reliqui omnes palliati, saltem honestiores ut dicebamus pallio brachium continebant, ut sola manus extaret. Val. Maximus lib. VI. cap. XI. de Polemone Atheniensi, qui e convivio temulentus in Xenocratis scholam petulanter irruperat: *Orta ut par erat omnium indignatione, Xenocrates vultum ut par erat in eodem habitu continuit, omissaque re, quam disserebat, de modestia, ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemon, primum coronam capite detractam projecit, paulo post brachium intra pallium reduxit.* Quintilianus lib. XII. *Quapropter falli mihi multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, lucidos, & significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes.* Hoc habitu statuam M. Aurelii palliatam videre est in atrio Palatii Veneti, quam beneficio Andreæ Moreti Mathematicorum hac ætate clarissimi hic damus. Altera extabat in hac urbe in domo Quirinorum inde Venetias translata.

CAP. VI.

Magna veterum cura in pallio decore, & civiliter componendo. Ἀναβάλλεσθαι ἐπιδέξια.

Quanta veterum Græcorum fuerit cura in vestitu decoro palliique modesto atque ingenuo circumjectu, vel unus Athenæus docuerit lib. I. Magnopere enim Veteres adlaborasse tradit *κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὴν ἐσθῆτα, ornate, ac decenter pallium componere*; ut eos irriderent, quibus id negligeretur. Adducit Platonis locum in *Theæteto*, qui comparans inter se hominem liberaliter educandum, & eum qui ingenua educatione caruerit, notas, quibus dignosci queant, profert. Ait enim inter alia liberaliter institutum, si ad servilia ministeria adhibeatur, ineptum & nihil futurum: alterius autem, qui liberali cultu caruerit, mores esse, qui talia quidem prompte, ac celeriter obire noverit ministeria, *ἀναβάλλεσθαι δὲ οὐκ ἐπισταμένου ἐπιδέξια ἐλευθέρως, ceterum qui dextre, & ut liberum decet componere pallium nesciat.* Ita recte hunc locum magnus Casaubonus contra interpretum oscitantiam constituit, atque explicavit, cap. VIII. Ἐπιδέξια enim, ut Pindari Scholiastes docet, esse δεξιῶς, id est, *dextre, & ut liberum hominem decet*: contrarium ἐπαρίστερα περιβεβλῆσθαι, *sinistre, & indecenter vestem gestare* apud Artemidorum, & Aristophanem. Itaque idem esse ἀναβάλλεσθαι, quod apud alios περιβάλλεσθαι: nempe pallium componere, ut Lucianus *de componenda Historia*, notam hominis minime ingenui ab indumentis, & cultu ponit. ὁ ὅτε τὴν ἐσθῆτα οἶδεν ὡς χρὴ περιβάλλεσθαι, *qui nescit pallium, ut oportet componere.* Idem *de Sectis* veteres Stoicos describens: *Videas ipsos ornate incedentes ἀναβεβλημένους εὐσταλῶς, pallio decenter composito.* Et in *Timone* de Philosophi cultu modestiam præferente: τὸ σχῆμα εὐσταλὴς καὶ κόσμιος, τὸ βάδισμα, καὶ σωφρονικὸς τὴν ἀναβολήν. *Cultu decorus, atque ornatus, incessu, ac pallio modeste composito.*

Ceterum pallium fuisse vestimentum fusum, & ad pedes usque fluens, non solum ex statuis, & auctoritate Quintiliani constat lib. XI. *Togam Veteres ad calceos usque dimittebant, ut Græci pallium.* Sed etiam ex eo colligitur, quod qui illud in amictu supra genua subducerent, negligentiæ ac rusticitatis arguebantur. Ælianus lib. X. cap. XI. *Variæ*, Zoili habitum describens. *Barbam promissam alebat, radebat caput ad cutem*, καὶ θοιμάτιον ὑπὲρ τὸ γόνυ ἦν. *Pallium supra genua cadebat.* Athenæus ibidem affert verba Philæteri, sive Amphis veteris poetæ, quæ ex emendatione Casauboni sic lege: Ἀμφίβαλλε στέρνοις φᾶρος, οὐ καθήσεις τάλαν; μηδ' ἀγροίκως ἄνω γόνατος ἀμφέξῃ. Jubet pectori injici pallium, vetatque rusticorum more supra genua advolvi. De quo more plura idem Casaubonus notavit *ad Theophrasti Characteres* περὶ ἀγροικίας. Καὶ ἀναβεβλημένος ἄνω τοῦ γόνατος καθίζανειν ὥστε τὰ γυμνὰ αὐτοῦ φαίνεσθαι. *Sæpe etiam pallio ita supra genua contracto sedet, ut denudatæ corporis partes appareant.* Casaubonus generice, *subducta veste*, qua voce etiam tunica significatur. Sed de pallio intelligendum est. nam proprie ἀναβεβλημένος de pallio dicitur, quod injicitur, sive circumponitur. Ubi non est præter rem apud utrumque scriptorem fieri mentionem sedendi. nam cum tunicæ viriles tam apud Græcos, quam apud Romanos paulo infra genua caderent, eveniebat ut in sedendo contraherentur, fierentque breviores, cumque nullus fœminalium, aut braccarum usus esset, poterant illa renudari, quæ melius teguntur, nisi vel obducta toga, vel demisso decenter pallio velarentur. Huc pertinet apophthegma Philippi Macedonum Regis apud Plutarchum. Cum sub corona captivos venderet, ἀνεσταλμένῳ τῷ χιτῶνι, καθήμενος οὐκ εὐπρεπῶς, *tunica contracta indecore sedens*, unus ex iis qui vendebantur accessit, & ad aurem Μικρὸν, inquit, κατωτέρω τὴν χλαμύδα ποίησον. ἀσχημονεῖς γὰρ οὕτω καθήμενος. *Paulo inferius chlamydem dimitte, sic enim sedens indecore te habes.* Qui ergo ita sedebant, ut supra genua pallium, vel chlamydem contraherent, indecore atque illiberaliter facere dicebantur.

CAP. VII.

Pallium in humeros rejicere. Casauboni opinio expensa. Aristophanes non uno in loco explicatus. Notatus ejus Interpres.

Decorus igitur, atque ingenuus pallii amictus erat, cum ejus pars dextra ad pedes cadens attollebatur, atque ita sinistro humero imponebatur, sive injiciebatur, ut latente brachio sola dextra extaret. quod proprie ἀναβάλλεσθαι Græci dixerunt, & pallium ἀναβολήν, quod scilicet de inferiori corporis parte attolleretur, sive subduceretur, ac sinistro humero imponeretur sive injiceretur. Casaubonus tamen *ad Theophrastum* observat, si Græcis aliquid diligentius esset faciendum, aut pallium deponere solitos, aut in humeros retrorsum rejicere: Quod nostram de modo gestandi pallium opinionem evertere videtur. Si enim actuosi, & festinantes pallium in humeros rejiciebant, non ergo communis ille pallii amictus fuit. Sed subjicit ille, ab expeditis solum, atque iter aggredientibus in humeros retrorsum rejici solitum. Aliud igitur erat, unam tantum pallii partem, sive alam, nempe dextram sinistro humero imponere, qui habitus ferme honestiorum; aliud totum pallium, id est, utraque partem, dextram in sinistrum, sinistram in dextrum humerum retrorsum rejicere, ut nempe ita subducto, atque in collum conjecto pallio utrumque brachium exererent, minimeque pallium festinantes impediret, quod cum ad pedes funderetur, cruribus involutum cursuræ moram objiciebat.

Ceterum quod subjicit vir ille incomparabilis, hoc etiam Athenis factum, quando in publicum, aut in concionem prodibant homines, qui navi, & actuosi haberi volebant, longe eum fugit ratio, neque id ullo modo ex Aristophanis *Concionantibus* colligi potest, ut mirum sit summum virum nimis secure, ne dicam oscitanter, in eo loco versatum esse. Ibi enim mulieres persuasuræ viris, ut sibi

Reip. regimen traderetur, proditura in concionem, quo fallerent viros, virilem habitum mentiuntur, seque ad omnia componunt, atque instruunt, ut cultu, gestuque esse viri viderentur. Inter reliqua Praxagora sycophantiæ hujus magistra hortatur mulieres, ut tunicas virorum more succingant. Verba ejus sunt:

Αγε νυῦ ἀναστέλλεσθ᾽ ἄνω τὰ χιτώνια,
Υποδεῖσθε δ᾽ ὡς τάχιστα τὰς Λακωνικάς,
Ωσπερ τὸν ἄνδρα θεᾶσθ᾽, ὅτ᾽ εἰς ἐκκλησίαν
Μέλλοι βαδίζειν ἢ θύραζ᾽ ἑκάστοτε.

Perperam Interpres: *Age nunc trahite supra vestes*. Vertendum fuit; *Agite nunc subducite tuniculas, subligate quam citissime Laconicas, quemadmodum virum videtis, quando in concionem vult ire, vel foras procedere*. Nulla hic mentio rejiciendi in humeros pallii, ac ne pallii quidem. Nam de injectu pallii paulo post sequitur.

Καὶ θοἰμάτια τὰ ἀνδρεῖα τάπερ κλέψατε
Επαναβάλλεσθε.

Et pallia virilia, quæ furatæ estis, superinjicite, sive componite. Tam viri, quam fæminæ ubique terrarum tunicas gestabant, sed tunicæ sequioris sexus longæ, ac talares erant, ut Romanarum stolæ, virorum ad medium fere crus pertinebant. Jubet igitur, dum mimum instruit, Praxagora mulieris χιτώνια, tunicas subducere ad instar virorum, tum Laconicas virile calceamentum subligare, ut viri faciebant, cum in publicum, atque in concionem prodirent: tum pallium virorum superinjicere, ut viri esse crederentur. Paulo ante eadem veteratrix interrogat mulieres, an habeant barbam adscititiam, baculos, Laconicas, pallia virilia, quæ virorum insignia: nihil de tunicis, quæ communes fuere, quasque infra monet more virorum subducendas.

Cum autem, ut diximus, breves admodum virorum tunicæ essent, atque ita periculum esset ut mulieres, quæ suas tunicas ut viri subduxerant, ne dum tribunal ascenderent nisi recte pallium componerent in sedendo sexum detegerent, præstigiatrix monet illas occupare sedes antequam veniant in concionem viri, ne scilicet subductis altius tunicis in actu sedendi mulieres apparerent:

Κᾆπειθ᾽ ὑπερβαίνουσά τις
Αναβαλλομένη δείξειε τὸ φορμίσιον.

Αναβαλλομένη non est *rejiciens pallium*, ut Interpres credit, sed, dum pallium injicit in actu sedendi, & componit, præ inscitia ostendat id, qui mulier est. Quare subjicit. *Si autem sedebimus, latebimus*: Ξυστειλαμέναι θοἰμάτια, *componentes pallia*, non *contrahentes vestes*, ut Interpreti placuit.

Frustra ergo Aristophanis locum de more conjiciendi in humeros pallii magnus vir advocavit: neque hic habitus civium, atque honestiorum hominum fuit, sed ferme servorum, cum se ad versuram expedirent in Comœdiis palliatis. Plautus *Captivis*:

Nunc certa res est, eodem pacto ut Comici servi solent
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.

Et *Epidico*:

Age nunc orna te, Epidice, & palliolum in collum conjice,
Atque dissimulato, quasi per urbem totam hominem quæsiveris.

Quod & colligere pallium dicebatur. Idem alibi:

Collecto quidem est pallio, quidnam acturus est?

Sic Geta apud Terentium *Phormione*, ut Ctesiphontem properet invenire; *humerum sibi onerant*

A *pallio*. Quod fiebat, quia cum pallium ad pedes flueret festinanti moram objiciebat. Quare in venatione aut depositum aut in humeros conjectum esse pallium, ex Oppiano Casaubonus observat. Quod sane mirum est, quis enim pallio locus in venando? Certe nullus ejus usus in bello, propter eandem causam, sed ejus vicem chlamys sumpta, quæ brevior, ac fibula adstricta, nec defluere, nec morari præliantes poterat. Fuisse autem pallium pacis habitum vel unus Herodotus docuerit lib. I. Nam cum Cyrus Lydorum gentem toties rebellem exitio daturus esset, consulto Crœso ejus monitu, ne iterum defectionem molirentur, jussit arma tra-
B dere, & tunicis pallium imponere, & cothurnos induere. κέλευε δέ σφέας κιθῶνάς τε ὑποδυνέειν τοῖς εἵμασι. Quod non minus mirum videri debet. Satis enim erat iis armorum usum interdicere. Sequebatur enim ut in pallio, & tunica commune tunc vestitu versarentur. Sed, quod initio primi libri notavit Thucydides, ea tempestate Græcia fere omnis propter frequentia latrocinia, & crebras incursiones etiam in pace armata degebat, itaque tunicæ ac pallii communis usus ferme exoleverat, cum lineas tunicas sive loricas passim gestarent, & pro pallio chlamydes. Quem locum Thucydidis
C infra, cum de pallii materia agemus, examinabimus. Jussit igitur Cyrus Lydos deposito terrore chlamydum, & loricarum pacis habitu, id est, cum tunica pallium usurpare.

CAP. VIII.

Quando brachium pallio exerebatur? Επιδέξια: ἐπαρίστερα. *Aristophanes explicatus*.

D SEd ut revertamur unde digressi sumus, magnam curam Veteres adhibuerunt, ut pallio decenter composito incederent. Zeno Stoicus apud Laertium lib. VII. convenire maxime juvenibus dicebat in omnibus uti ornato decenter cultu, καὶ πορείᾳ, καὶ σχήματι, καὶ περιβολῇ. Athenæus loco laudato: *Hermippus scribit Theophrastum ad horam condictam in Peripaton scholam suam ire solitum* λαμπρὸν καὶ ἐξεσβημένον, *nitido & bene composito corporis cultu. Idem Hermippus scribit a Theocrito Chio reprehensam fuisse*, ὡς ἀπαίδευτον *Anaximenis* περιβολήν, *tanquam illiberalem pallii compositionem. Callistratus*
E *Aristophanæus maledictis incessit Aristarchum* ἐπὶ τὸ μὴ εὐρύθμως ἀμπέχεσθαι. *Quod non decore, ac concinne pallium aptaret*. Totus autem compositi pallii decor in eo erat, ut dextra parte, quemadmodum dicebamus, sinistro humero imposita contineretur brachium, aliquando etiam ipsa manus. Αὐτὸς πάνυ κοσμίως προσῆλθεν ὑπὸ τὸ ἱμάτιον τὴν χεῖρα ὑποστείλας. Dio Chrysostomus in *Boristhenica* de Callistrato adolescente: *Ipse modeste admodum accessit, manum pallio involvens*. Sed fuerit iste civium habitus, cum otiose per urbem incederent; quid actum in concione dicemus, cum in suffragiis ferendis manus porri-
F gi, & extendi soleret? Quid cum oratores ad populum verba facerent? num sine gestu brachio ita involuto perorarunt? Tunc non manum modo, sed totum quandoque brachium exertum fuisse credere par est. Apud Aristophanem *Concionantibus* facete admodum quærunt mulieres, quomodo in concione apte manus movere, ac tollere possent, quæ nonnisi tollere crura didicissent. Respondet Praxagora difficile negotium esse. ceterum χειροτονητέον, *consentiendum* inepte vertit Interpres, sed χειροτονητέον est *manum tollendam esse*, sive *elevandam*, ut fiebat in concione, cum aliquid decerneretur. Sequitur. Εξωμισάσαις τὸν ἕτερον βραχίονα. *Exercentibus*

alterum brachium. Ita vetus Scholiastes: ἄγει τῶν ὤμων γυμνωθείσαις. *exerto, sive renudato usque ad humerum brachio*.

Æschines tamen *in Timarchum* clare ostendit, morem exerendi brachium non esse antiquum. *Quod nunc*, inquit, *omnes in more habemus*, τὴν χεῖρα ἔξω ἔχοντες λέγειν, *exerto brachio verba facere, hoc tunc temporis audax videbatur, summamque, cum id facerent, cautionem adhibebant*. Subjicit in foro Salaminorum positam Solonis imaginem; quæ ἐντὸς τὴν χεῖρα ἔχων, *manum pallio continebat*, idque monumentum, ac simulacrum Solonis esse eo habitu, & compositione corporis, qua ad populum perorabat. Quod salse eludere conatus est Demosthenes *de falsa legatione*: *Non oportere* dicens *in orando, sed in legationibus manum cohibere*. Hunc autem morem continendi brachium inter orandum primum a Cleone mutatum fuisse viri docti observant, & ideo a Thucydide, atque Aristophane non semel reprehensum. Plutarchus tradit primum C. Gracchum, cum oraret, ex humero togam dejecisse, quemadmodum de Cleone traditur περισπάσαι τὴν περιβολὴν, quod non est pallium *ex humeris rejecisse*, hoc enim pacto decidisset, sed ita detraxisse, ut brachium exereretur. Quare credibile est Aristophanem loco adducto notare Cleonem, atque arguere voluisse.

Eadem ratione tanquam inepti, & illiberales vulgo notabantur, qui pallium non eo modo componerent, qui est a nobis hactenus explicatus. Apud Athenæum eodem lib. I. Hermippus scribit a Theocrito Chio Anaximenis περιβολὴν *tanquam illiberaliter educati* reprehendi. Et Callistratus Aristarchum incessit ἐπὶ τῷ ἀρρύθμως ἀμπέχεσθαι, *quod indecore amiciretur*. Qualis autem esset ista indecens, atque illiberalis pallii compositio, docet Aristophanes in *Avibus* loco maxime insigni. Neptunus enim ad Deum Triballum, qui legatus cum eo venerat ait:

Οὗτος τί δρᾷς ἐπ' ἀριστέρ' ἀμπέχῃ,
Οὐ μεταβαλεῖς θοἰμάτιον ὡς ἐπιδέξια.

In quo infeliciter Interpretes versati sunt;

Hic quid facies, in sinistras sic indueris?
Non mutas pallium tanquam in dexteras?

Sed ad intelligendum Interpretem, interprete opus est. Nec minus ineptit *Cœlianæ* nuperus Enarrator: *Iste quid agit? pallio lævam obtegis: Ad dextram tu pallium non transferet?* Subjicit ex hoc sequi: ne dextrum brachium apud Athenienses fuisse expeditum. Quomodo id sequatur, ipse viderit: affert deinde veteris Scholiastæ verba, quæ de vera loci hujus sententia dubitare non sinunt. *Hic*, inquit, *Neptunus barbaro dicit, qui ipsi aderat ad legationem* ὡς οὐκ ἐπιτηδείως στελλομένῳ τὴν ἐσθῆτα, ἀλλ' ἐπ' ἀριστερᾷ περιβαλλομένῳ, *quod inepte, & indecore pallium injiceret, & a sinistra illud circumponeret more Thracum*. Quid planius? Athenienses, ut dicebamus, & Græci omnes ita pallium componebant, ut ab dextro in sinistrum induerent, sive ejus partem dextram im humerum sinistrum conjicerent; Barbarus iste contra morem ab sinistro in dextrum humerum pallium mittebat; quod Thraces faciebant. Ait ergo Neptunus ad eum:

Tu quid agis? ab sinistra sic pallium imponis?
Non illud dextre, ac decore componens?

Επιδέξια, ut diximus, recte Casaubonus observat esse dextre, & decore, utque liberum hominem decet pallium induere: ἐπαριστερὰ, contrario modo. Sed vocis hujus notatio ab hoc more petenda erat.

Postremo qui pallium non apte subducerent, sed illud traherent, partim tanquam soluti, & effœminati, partim ut negligentes notabantur. Plutarchus in *Alcibiade* affert verba Archippi de Alcibiadis filio: Βαδίζει, φησὶ, διακεχλιδῶς θοἰμάτιον ἕλκων. *Incedit, inquit, diffluens pallium trahendo*. Apud Terentium *Eunucho* ait Thais Chremeti: *Attolle pallium*. Ubi Donatus. *Vel quia simplex est, vel quia ebrius pallium trahit Chremes*.

CAP. IX.

An pallium fibula necteretur? Tertullianus de Pallio *explicatus*.

Ista cum ad hunc modum se habeant, viris doctis in mentem venisse demiror, ut crederent ipsi atque aliis persuaderent, in communi pallio fuisse aliquem fibulæ locum. Siccine ipsos nullam unquam statuam palliatam vidisse, cujus aspectu erroris arguerentur? Nullum ibi fibulæ vestigium, nullus fibulæ in communi pallio usus fuit. Quippe si, ut diximus, magna olim cura in pallio decore componendo Veteribus fuit, totaque illa civilis habitus conformatio in eo posita erat, ut pars dextra pallii sinistro humero imponeretur, & velato brachio dextra exereretur, ut quoties deflueret ea pars reponeretur, ac decenter infra genua caderet; ut a dextro in sinistrum conjiceretur; ut non subduceretur altius, aut fluens traheretur. Nihil horum effici potuit si pallium fibula nixum fuisset, hoc est, si utraque pars pallii in humeris fibulæ morsu acquievisset. Quomodo enim pars dextra ab imo subducta in lævæ humero collocaretur, si cum altera ad cervicem adstricta erat? Eadem fuisset in omnibus pallii compositio, nullus in cultu negligentiæ notatus, quando pallium semel fibula nexum, nec cadere, nec reponi poterat, non ἐπιδέξια, non ἐπαριστερὰ injici, non labens fulciri, ac suo loco reddi.

Atqui Tertullianus horum sententia in pallio fibulam agnoscit. *Pallium extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab utroque laterum regestus, & cervicibus circumstrictus in fibulæ morsu humeris acquiescebat*. Quibus verbis inducti docent de vulgari pallio Græcanico loqui Africanum, quod in humeris fibula nexum sedebat, & utrumque humerum advelabat, quod scilicet elegantiores circa cervices studiose, & cum cura in rugas dispositum stringerent, ac morose ordinarent. Sed de communi pallio non esse locutum Tertullianum illa indicant. *Tamen & vobis habitus aliter olim*. Nempe pallium quale describit. Id a communi, quod tunc gestabatur, & paulo ante Tertullianus induerat, diversum fuisse, quæ sequuntur manifesto comprobant. *Instar ejus hodie Æsculapio sacerdotium est*. Si de communi pallio, quod ipse gerebat, verba habuisset, quid opus erat illud morose describere, quod in oculos incurrebat? Pallium ergo describit, quod olim Carthaginienses ferebant, antequam togam induerent, cujus forma tunc obsoleverat, & tantum apud Æsculapii sacerdotes remanebat. Si idem pallium fuisset cum vulgari, dixisset Rhetor: sed vos etiam olim tale pallium gestastis, quale in me denotatis. Diversum ergo fuit, hocque illius proprium, ut fibula necteretur; quam commune non habebat. Id eo confirmatur, quod cap. IV. hoc pallium sacerdotum Æsculapii morosius ordinatum arguit, id est, est constrictum cervicibus, & in rugas

formatum: quod non fecisset, si tale etiam vulgare fuisset.

Alter Tertulliani locus paulo infra mirifice ad rem nostram facit male a Criticis acceptus: *At enim pallio nihil expeditius: etiamsi duplex, quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur: quippe tota molitio ejus operire est solutim, id est, uno circumjectu, licet equidem, nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit: humerum velans exponit, vel includit, cetero, qua in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat, facile sese regit, facile reficit: etiam cum reponitur nulli cippo in crastinum dimandatur*. Ita extat in veteribus editionibus. Quomodo Interpretes totum locum interpolaverint, quam multa inverterint, nihil attinet dicere. Quod ad rem præsentem pertinet, verba illa *nihil circumfulcit, nihil circumstringit*, commune pallium fibula caruisse indicant. Sed ajunt nonnulli de pallio Cynico loqui Tertullianum, in quo nullus fibulæ locus. De Cynicorum indumento verba facit, sed non de eo tantum. Communis pallii illa defensio est, quam ille adversus novi habitus obtrectatores instruit. Nisi quis existimat Tertullianum, & reliquos severioris disciplinæ Christianos in pallio Cynico incessisse. Sed pallium vulgare, ac Cynicum idem forma fuisse, materia colore ac gestandi modo diversum, infra ostendam. De communi ergo pallio ibi verba facit. Nam cum in superioribus togæ vestiendæ, ac componendæ tædium, atque incommodum exaggerasset, tabulasque, & tilias, umbonis figmentum, custodes forcipes, totamque illam moram, ac sarcinam facunde executus esset subjicit, nihil pallio esse expeditius, hoc est, communi. Addit enim, *etiamsi duplex*, nempe Cynicum, non enim verisimile videbatur, quod est duplex esse simplici expeditius. Sequitur. *Quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur*. Explicat quale fuerit hoc pallium duplex Cynicorum. Commune pallium componebatur eo modo, quem supra attulimus, dextra ejus parte sinistro humero injecta. Cynicum alia ratione induebatur; excluso brachio atque humero dextro totum hominem involvebat. Redit ad pallium commune: *Quippe tota molitio ejus est operire solutim*. Togæ mora atque incommodum erat, quod contrahebatur in rugas, contabulabatur in umbonem: at pallium nullis plicis, nulla contabulatione, sed fluens, ac solutum hominem velabat. hoc est, *operire solutim*. Adjicit, quo res clarior sit, *id est, uno circumjectu*. Quibus verbis ajunt Interpretes designare pallium Cynicum, cujus proprium fuerit circumjici, καὶ περιβάλλεσθαι. Sed hoc etiam de communi dicebatur: unde περιβόλαιον, & περίβλημα pallium dictum supra notavimus. Immo hoc magis vulgaris peculiare fuit, quam Cynici. Hoc enim unum tantum humerum velabat, illud utrumque. Hoc indicant verba, quæ sequuntur: *licet equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit*. In prioribus latere mendum, nullus non vidit. Quare enim circumjectus nusquam inhumanus dicitur? Aliqui nusquam inelegantem interpretantur. Sed quæ hæc elegantia? deinde quæ ratio est elegans, quia omnia hominis contegit? Latinius. *licente quidem, sed nusquam inurbano*: quod non displiceret, si librorum MSS. auctoritate niteretur. Fortasse ad togæ molitionem respexit, quæ cum potius oneraret, quam vestiret, incommoda ac veluti inhumana videbatur: secus pallii circumjectus nihil habuit inhumani. *Ita omnia simul contegit*, cum toga non totum corpus velaret, dextro humero brachioque exertis. Hæc porro de Cynico pallio capi non possunt: quod omnia simul non contegebat, sed humerum cum brachio excludebat. Ergo de pallio generatim: *humerum velans exponit, vel includit*. Quomodo vestimentum corpus velando exponere possit, nisi serica vestis, quæ tegendo renudabat, non video. Recte corrigunt Interpretes *humerum vel includit*: non recte tamen explicant, id est, exponit, & includit; quod scilicet alter humerus exereretur, alter includeretur. Sed de pallio generice intelligendum est. Nam pallium commune humerum utrumque includebat, ac velabat: Cynicum alterum excludebat; ergo humerum quandoque exponit, quandoque includit: *Cetero, qua in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit*. Toga ita sinistro humero hærebat, ut rugarum congestu humerum premeret, & fulciendo sinu, atque umbone brachium laboraret: pallium, qua parte humero imponebatur, nullis plicis, nulla contabulatione grave erat; nullo artifice nodo, aut fibula circumstringebatur: *Facile se regit, facile reficit*, non fibula infrenatur, & cum deciderit facile reponitur. Denium, *Si quid interulæ subter est, vacat zonæ tormentum*. Sub Communi pallio tunica gestabatur, quæ hic de interula, quod intus sive intra pallium esset dicitur. Sub Cynico pallio nulla erat. Quæ etiam indicant, de pallio in genere loqui Tertullianum. Quandocumque igitur tunica gestaretur, illam vacasse zonæ tormento, quod Afri discincti essent, ut alias dictum. Non igitur tantum de Cynico pallio loquitur ibi Tertullianus: alioquin merito illi quis reponere poterat. Esto Crateris pallium fuerit expeditum; vulgare non item. Nam & fibula constringebatur, & ad cervices morose in rugas ordinabatur, quæ operosa molitio non multum togæ contabulationi dissimilis erat. Solum vetus Carthaginensium pallium tale fuit, quod penes Æsculapii mystas eo tempore remanserat. Quod Tertullianus, & reliqui tunc gestabant: nec fibula stringebatur, nec ita gerebatur, ut duæ laciniæ ab utroque latere retrorsum rejicerentur: neque hoc ἀναβάλλεσθαι fuit; hoc enim significat attollere, & de inferiori parte subductam laciniam humero sinistro injicere, ut dicebamus: neque qui pallium eodem modo regestum utrinque habebant, ἀναβεβλημένον τὸ ἱμάτιον dicebantur, sed qui communi Græciæ more illud componebant. Immo si commune pallium fibula nexum fuisset, etiam, quod ait Tertullianus, ab utroque laterum regerebatur. Frustra ergo Veteres laborassent in illo decoro habitu componendi pallii, ut dextre scilicet aptaretur: frustra eos negligentiæ, & inurbanitatis notassent, qui in sinistrum illud vestiebant. Nam sic neutro modo componi poterat, neque in dextram, neque in sinistram: sed tantum utrinque in latera rejici poterat.

Præterea cedo mihi veterem scriptorem, qui fibulæ in communi pallio meminerit. Isidorum nihil moror. *Palli fibulati Gallici* mentio extat apud Vopiscum in *Probo*, cui Valerianus inter cetera jubet dari *pallia Gallica fibulata duo*. ubi viri doctissimi, qui *ad Tertullianum* commune Græcorum pallium fibulatum fuisse docent, illa Gallica pallia fibulata sagochlamydes fuisse observant, causamque addunt, cur Valerianus pallium non simpliciter dixerit, sed pallium fibulatum, quod pallia vulgo non essent fibulata, ut nec saga. Persicum etiam pallium fibulatum apud Suidam, Φιβλατώριον περιβόλαιον Περσικόν. Quod si commune Græcorum fibulam habuisset, non hæc tanquam diversa scriptores notassent. Chlænæ igitur, & chlamydes fibulam habuerunt: & ideo Homerus in chlæ-

in chlæna voce περόνησατο usus est, *infibulavit*, nusquam in pallio. Aliqua in hanc rem adjiciemus cum de Tribonio disputabimus.

CAP. X.

Pallium cum crepidis sumptum: Tertullianus de Pallio explicatus.

CAlceos togæ proprios fuisse alias adnotavimus. Sic crepidæ pallii peculiares fuere, nec unquam sine illis pallium sumebatur. Livius lib. XXIX. de Scipione in Sicilia otiante: *Ipsius etiam Imperatoris, non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in Gymnasio.* Quod imitatus Germanicus in Ægypto, ut Tacitus loquitur, *pedibus intectis* incessit, *& pari cum Græcis amictu.* Dio Cassius lib. LX. tradit Claudium Neapoli tanquam privatum egisse, atque in ludis Musicis ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας gestasse, *pallium & crepidas*. Interpres inepte, *togam, & soleas*.

Tertullianus *de Pallio*: *Nisi quod & philosophi puto ipsi aliquid ejusmodi adfectant. audio enim, & in purpura philosophatum: si philosophus in purpura, cur non & in baxea Tyria calciare? nisi aurum minime Græcatos decet: at quin alius & sericatus, & crepidam auratus incessit.* Heic antiquum Critici obtinent, totumque locum turbant, atque invertunt, cum tamen nulla mutatione opus sit. *Si Aristippus in purpura, cur non etiam in Tyr'a baxa sive baxea?* Baxeam non fuisse calceum muliebrem pretiosum, sed virilem, immo philosophicum, quod cum pallio sumeretur idem ac crepida, notum est. Apulejus lib. XI. *Nec deerat, qui pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret.* Alibi de sacerdote Ægyptio: *Inducit juvenem quendam palmeis baxeis indutum.* Si ergo, inquit, Aristippus vestem purpuream sumpsit, cur non & calceamentum, sive baxeam philosophicam purpura infecit, ut esset æqualis habitus? *Cur non & baxea Tyria calciare?* id est, cur non Aristippe etiam baxeam purpuream induis? Quæ olim Turnebi, & Merceri opinio fuit. Sed non videntur cohærere, quæ sequuntur. *Nisi aurum minime Græcatos decet. Cur non sumis & crepidas purpureas? Quia aurum Philosopho indecorum.* Sed quicumque sciet calceos purpureos, eosdem & auro distinctos fuisse, constare optime sententiam intelliget. Clare Epictetus in *Enchiridio* cap. LXI. *Ut & in calceo, si ultra pedem progressus fuerit,* γίγνεται κατάχρυσον ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν. *Fit auratus,* sive auro distinctus *calceus, deinde purpureus, deinde interpunctus.* Ubi Simplicius, *Tanta autem*, inquit, *fuisse videtur apud Romanos in conficiendis calceis purpureis, & interpunctis curiositas, ut auratis etiam præferrentur.* Calcei alii auro inducebantur, alii infi ciebantur purpura, alii compungebantur, sive aureis notis distinguebantur. Ideo occurrit objectioni Tertullianus: *Cur non & baxea Tyria calciaris?* Respondere poterat Aristippus. *Quia aurum Græcatos, id est, palliatos non decet.* Atqui inquit Tertullianus, alter nempe Empedocles, *si non auratus*, saltem *aeratus crepidam* incessit. Quicumque hæc cum doctorum virorum emendationibus conferet, is profecto intelliget, non semper Interpretes de Tertulliano bene mereri.

Quod ad crepidam attinet, idem paulo post de Sacerdotibus Æsculapii, quos pallium retinuisse inter togatos Carthaginienses initio dixerat: *Cum hoc ipsum pallium morosius ordinatum & crepidæ Græcatim Æsculapio adulantur.* Ubi *Græcatim* est, quod notavit Mercerus, more Græco, sive Græco habitu, ut paulo ante dixerat *Græcatos decet*. Sed de crepidis, & toto Veterum calceatu in tertia parte hujus Operis, si vita suppeditabit, disputabimus.

CAP. XI.

De Pallii materia. Vestimenta lanea. An lineæ vestes in usu? Thucydides explicatus. Linteæ loricæ.

NOn pallia modo, sed tunicas, chlamydes, chlænas, & reliqua vestimenta tam virorum, quam fœminarum lanea fuisse, non est dubitandum, licet aliquis in mulieribus interdum lineæ vestis usus reperiatur, de quo infra. Nec alia apud Græcos, atque Romanos quam lanæ textura, licet ex ipso lanæ pretio plus minusve æstimaretur. Ælianus lib. I. *Variæ* cap. XVI. tradit Apollodorum Socrati in carcere morituro attulisse χιτῶνα ἐρίων πολυτελῆ, καὶ εὐήτριον, καὶ ἱμάτιον τοιοῦτο. *Tunicam ex pretiosa lana, pulchreque textam, simile item pallium.* Plutarchus *de audiendo*: *Neque pallium induere hieme,* εἰ μὴ προβάτων Αττικῶν εἴη τὸ ἔριον, *nisi ex lana ovium Atticarum.* Plautus *Milite Glor.* Act. III. Sc. I.

——— Eme mi vir lanam, unde tibi pallium
Malacum, & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme.

Nec aliud olim muliebre opus quam lanificium fuit. Aristophanes *Concionantibus* de muliere, quæ in concionem prodibat: *Hæc attuli (lanam) ut completo concilio* ξαίνοιμι, *carpam, sive pectam.* Vetus Scholiastes: *Mulier venit ferens lanam, eamque pectens, sive carminans* (non recte Latinus Interpres *dividens*) subjicitque se id facere, *quod filii sibi nudi essent.*

Rarus apud Græcos serici, rarus admodum lineæ vestis usus fuit. Sane apud Homerum lineæ vestis mentio. Sed etiam cubicularem fuisse, quæ nempe dormientibus substerneretur, veteres critici observant. τὸ ὑποστρωννύμενον τοῖς κοιμωμένοις, ait Hesychius. *Odysseæ* N. ait Phæaces stravisse in navi Ulyssi dormituro ῥῆγός τε λίνον τε. ἵνα νήγρετον εὕδοι. Paulo post subjicit sublatum eundem dormientem ex navi αὐτῷ σύν τε λίνῳ, καὶ ῥήγεϊ. Apud eundem *Iliad.* B. inducitur Ajax Oilæus λινοθώρηξ, hoc est, ut interpretatur Hesychius, lineo thorace utens: de quo infra. Alias non ita facile occurrit apud Græcos lineæ vestis mentio in communi vestitu.

Thucydides tamen ipso operis initio indicare videtur veteres Athenienses lineas tunicas gestasse. οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐν ἔρσει κρωβύλον. *Nec multum tempus est, quo apud eos* (Athenienses) *qui ex senioribus locupletiores erant ferre desierunt lineas tunicas, cicadasque in seriem aureas.* Verum tunicæ illæ non aliud fuerunt, quam loricæ, sive thoraces linei, quibus pro armatura in bello utebantur. Narrans enim antiquissimos Græcorum rapto vivere assuetos perpetuo, veluti concesso latrocinio vitam egisse, subjicit: *Quin etiam arma ferre apud hos ex vetere latrocinio permansit. Omnis enim Græcia arma gestabat, quod videlicet, nec penates munitionibus cincti, nec tuto commeare ultro citroque possent: vitamque assidue sub armis agebant more barbarorum. Indicio autem sunt hæ regiones Græciæ, quæ usque adhuc illo ritu habitantur, similem cultum similiaque vitæ instituta aliquando apud omnes fuisse. Primi autem inter hos Athenienses ferrum deposuerunt, &*

pacato cultu utentes ad lautius quoddam, & mollius vitæ genus transierunt. Athenienses ut ceteri Græci militari cultu perpetuo incedebant: non multo ante Thucydidis tempora ad pacis habitum transierunt, & cum reliqua armatura lineas quoque tunicas deposuerunt. Quod si illæ fuissent interulæ, ut subuculæ lineæ, potius illas induissent, cum ad mitius, magisque lautum vitæ genus transire in animum induxissent.

Nemo autem lineas tunicas sive thoraces pro armatura gestatas mirabitur, nisi qui in Veterum scriptis plane peregrinatur. Talis Ajacis thorax apud Homerum lineus, ut paulo ante diximus. θώρακες λινοῖ, *thoraces linei* dicuntur Pausaniæ in *Atticis*, qui ait has lineas loricas, sive thoraces non æque esse utiles prægnantibus, quod ferro vehementius immisso lædantur, ac venatoribus. In illis enim leonum, ac pantherarum dentium impetum eludi, ac debilitari. Nepos in *Iphicrate*: *Idem genus loricarum mutavit, & pro ferreis, atque æneis lineas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit: nam pondere detracto, ut æque corpus tegerent, & leves essent, curavit.* Suetonius *Galba* XIX. *Loricam tamen induit lineam, quanquam haud dissimulans, parum adversus tot mucrones profuturam.* Sed quomodo lineæ loricæ, sive thoraces conficiebantur, ut ferro resisterent? Nitius in *Controversiis* existimat lineas chlamydes bombyce, spongia, lanaque minutatim dissecta ad instar culcitæ farras. Sed eum merito magnus Antagonista ficto nomine reprehendit, primo quod chlamydes cum tunicis confundit: deinde quod puerili errore bombycem, quod erat sericum, pro gossipio, quod Itali vulgo *bambaggio* appellant, posuerit, quod Italiæ ignotum per multa secula. Negat ipse ex gossipio, aut lana, aliave materia minute confecta farctum thoracem fuisse. nam quare potius lineum diceretur, quod ex alia materia confectum erat? Itaque thoracem lineum a loricis non nisi materia diversum fuisse, quod illæ essent annulis, & catenulis æneis confertæ, hic autem ex torulis trilicibus, quadrilicibus, aut bilicibus. Toros appellat funiculos ex multis filis tortos, qui propterea a numero dicebantur bilices, & trilices: qui deinde tori inter se filis conserebantur, & firmissimum opus præstabant. Talis Amasis Ægypti Regis filis contexta, quorum singula trecentis sexaginta quinque filis constarent. Quin idem in cujusdam descriptione, stamina singula centenis quinquagenis filis constare ait, vocatque stamina, quæ alii toros, Græci Βρόχους in restibus. Fila autem, ex quibus stamina illa sive tori constabant, licia etiam vocata docere loricas bilices, ac trilices apud Virgilium. Hæc Scaliger de loricis lineis.

At Casaubonus *ad Suetonium* diversa ratione hujusmodi linteos thoraces factos credit. Nempe opera, atque artificio coactiliariorum, & πιλοποιῶν, qui linum aceto, vel austero vino, cui sal esset adjectum, probe macerabant, deinde ita cogebant, ut soliditatem, ac crassitiem lintei octies, decies, aut sæpius in se complicati haberent. Adducit ad hoc comprobandum locum Nicetæ Acominati lib. I. *rerum Isaaci Angeli*: *Ipse Conradus sine scuto tunc dimicabat: sed pro lorica textum quoddam gestabat e lino factum, vino austero probe salito maceratum, sæpius replicatum: quod quidem sale & vino coactum adeo firmum adversus ictus erat, ut penetrari a nullo telo posset. Erant autem hujus texti pagellæ octodecim, & eo plures.* Verisimilior tamen Scaligeri opinio est, propter loricas bilices, & trilices, quæ in coactilibus locum habere non poterant.

CAP. XII.

Lineus Apollonii Thyanei vestitus. Byssus. Ὀθόνη. Pollux notatus.

NUllus igitur lineæ vestis usus in communi Græcorum vestitu fuit. Nam Apollonii Thyanei id peculiare fuisse dicendum est, ut tunica linea uteretur, quemadmodum Pythagoræ, quem ille imitatus est. Quæ vestitus a vulgato diversitas cum illi apud Domitianum objecta fuisset, hac defensione usus est, ut narrat Philostratus lib. VIII. cap. III. quæ etiam Pythagoræorum, atque Ægyptiorum ratio fuit. Quod scilicet vestes ex pellibus, aut animantium lana confectæ impuræ essent, contra puræ, quæ ex lino texerentur. Mox subjicit: *Si quis animati, aut inanimati rationem auferat, ob quæ purus quis, aut impurus videri potest, quid in se præclarius habeat linea, quam lanea vestis?* τί βέλτιον ἡ ὀθόνη τοῦ ἐρίου; *Lanam siquidem ex animali mansuetissimo natam, quam curæ Diis fuisse, illud indicat, quod eorum quidam pastores fuerunt. Unde & aureum vellus poetarum carminibus nobilitatum. Linum vero*, inquit, *seritur, utcumque evenit, auri vero circa illud nullus est sermo: sed quoniam ab inanimato decerpitur, purum quidem Indis, purum etiam Ægyptiis esse videtur: & propterea Pythagoræ prius, deinde etiam mihi hoc etiam in vestem assumptum est, quem convenire nobis putavimus tam disputantibus, quam orantibus & sacrificantibus.* Idem Philostratus lib. II. cap. IX. narrat quasdam in India linteis vestibus uti, nobiliores vero Bysso, quæ lini species fuit: cumque Apollonius vidisset Byssum, gavisum fuisse, quod fusco amictui, quem gestabat, non dissimilis esset: quæ verba infra examinabimus. Alibi Brachmanum in India vestitum describit: Καὶ τὴν ἐσθῆτα ἐσχηματίζοντο παραπλησίως ταῖς ἐξωμίσιν. *Vestem in exomidis formam compositam esse, ipsius materiam esse linum, quod sponte sua in illis locis nascitur, album quidem, ut Pamphylium, mollius autem propter pinguedinem, quæ ab ipso instar olei stillat, ex eo sacram vestem confici; idque linum si in alia parte seratur, non provenire.* Ad quem locum doctissimus Interpres notat, *Exomides fuisse laneas servorum lacernas, angustas, & breves, circa humerum desinentes.* Verum non fuerunt exomides lacernæ, sed tunicæ, neque illæ servorum tantum, & istæ Indorum tunicæ, sive tuniculæ erant, strictæ scilicet, nec ultra humeros velatum brachium, quales exomides fuerunt.

Adjicit Philostratus, Apollonium, cum in India esset, audisse Byssum in Ægyptum ex India deferri, quod illa in plerisque sacris utuntur Ægyptii. Lineam enim sive byssinam vestem Ægyptiorum peculiarem fuisse, quis nescit? Hinc *turba linigera*, *grexque liniger* de Sacerdotibus Isidis poetis dicitur. Et Apulejus lib. XI. in pompa Isidis describit viros fæminasque *linteæ vestis candore luminosas*. Et paulo infra. *Antistes sacrorum proceres candido linteamine cinctum pectorale adusque vestigia strictim injecti.* Ideo Anubis a Luciano *Deorum concilio* inducitur *sindone amictus*. Seneca item *de brevitate vitæ*: *Cum linteatus senex laurum, & medio lucernam die proferens.* Quare & linteæ vestes ex Ægypto Romam delatæ. Cicero *pro Rabirio*: *Auditæ, visæque merces fallaces quidem, & fucosæ, chartis & linteis, & vitro delatæ.* Non tota tamen Ægyptiorum vestimenta linea fuerunt, sed tunicæ tantum. Nam pallia ex lana. Herodotus lib. II. ἐνδεδύκασι δὲ κιθῶνας λινέας περὶ τὰ σκέλεα θυσσανωτὰς, ἃς καλασίρις καλέουσι: ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. *Induunt tunicas circa crura fimbriatas, quas Calasiris appellant, quibus circumjecta*

lanam pallia alba gestant. Addit tamen lanea vestimenta neque in templa inferri, neque una cum mortuis sepeliri; hoc enim prophanum esse. Similemque morem servari in sacris Orphicis ac Bacchicis, in quibus nefas esse, iis initiatos in vestibus laneis humari.

At Byssus lini species pretiosissima, quæ indidem proveniebat, ex qua vestes mollissimæ, ac tenuissimæ conficiebantur. Unde dictum Parysatis Reginæ, in Regum alloquio utendum esse verbis Βυσσίνοις, id est, *mollissimis, ac lenissimis*, quidquid aliter viri docti interpretentur, qui *sublimia, gravia & ornata* reddunt, & nescio quæ βύρσινα comminiscuntur. Apud Theocritum Idyl. II. Simætha inducitur Βυσσίοιο καλὸν σύρoισα χιτῶνα, *trahens pulchram ex bysso tunicam*. Quoniam autem hæ vestes byssinæ essent pretiosissimæ, & ut ait Plinius *mulierum luxui destinatæ*, ideo ferme purpura tegebantur. quæ res veteres Grammaticos in errorem impulit, ut byssinum, colorem purpureum interpretarentur: quem errorem satis jam viri docti redarguerunt. Talis fortasse Tyria sindon Martiali lib. IV. epigr. XIX. quæ etiam in usum virorum ea ætate transisse videtur. *De Endromide*:

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.
Non sic in Tyria sindone tectus eris.

Byssi frequens mentio in sacris Literis, præcipue in apparatu vestis sacrificalis, velisque, & aulæis tabernaculi. *Byssina Josephi stola* Genesis cap. XLI. Dives etiam epulo *purpura, & bysso indutus* dicitur, quod a purpura distinctam fuisse vestem byssinam satis declarat.

Ceterum linea vestis Οθόνη, & Οθόνιον Græcis dicitur, quæ quoniam interdum muliebris erat, ab Homero in III. *Iliados* inducitur Helene ἀργεννῇσι καλυψαμένη ὀθονῇσιν. Hesychius: Οθόνη Σινδών. Οθόνια λινᾶ ἱμάτια. Idem Homerus lib. XVIII ejusd. lib. puellis tripudiantibus dat λεπτάς ὀθόνας, adolescentulis autem χιτῶνας εὐνήτους. Quamquam Hesychius ὀθόνιον πᾶν τὸ ἰσχυὸν κἂν μὴ λινοῦν ᾖ interpretatur. Aristophanes etiam Lysistrata lineas tunicas mulieribus adscribit:

Κἂν τοῖς χιτωνίοισι ἀμοργίνοις.

Ubi lineas tunicas interpretantur, quod amorgina vestimenta ad instar byssi, sive carbasi tenuissima essent. Veteres tamen critici Amorginum coloris genus dixere, nempe purpureum secundum glossam, ut ait Eustachius: ut non satis constet, utrum ea vox lini speciem, an colorem, an utrumque significet.

Pueri etiam meritorii in linea tunicula. Lucianus *Navigio*: *quando opinor formosus ille adolescens ex interiore parte navis progrediebatur*, τὴν καθαρὰν ὀθόνην ἐνδεδυκὸς, *puram lineam tuniculam indutus*. Quale fuisse ministrantium in convivio habitum ante diximus.

Ceterum Pollucem falli necesse est, qui lib. VII. cap. XVI. tradit Athenienses *linea tunica talari usos esse*. Omnia enim virilia vestimenta lanea fuisse ostendimus: tunicæque talares nonnisi mulierum fuerunt, ut ex Aristophane docuimus, & aperte declarat Pausanias lib. I. qui narrat Theseum cunctis incognitum Athenas venisse indutum χιτῶνα ποδήρη *tunicam talarem*, non pallam, ut vult Interpres: & *plexa eleganter coma, ac per contumeliam interrogatum, quid ita nubilis virgo sola oberraret?* Eadem prorsus ratione, qua apud Plautum in Comœdia palliata dicitur *genus mulierosum, cum dimissitiis tunicis*. Hallucinatur igitur Grammaticus ille, quemadmodum cum ὀθόνην apud Homerum interpretatur album vestitum, ac tenuem e lana, non lino confectum, contra veterum Criticorum sententiam. Suntque alia non pauca his similia doctis viris castigata.

CAP. XIII.

De Pallii colore. Alba Græcorum vestimenta. Artemidorus, & Lucianus explicati. Ælianus notatus.

Romanæ togæ, tunicæque colorem album fuisse exposuimus: talem & Græci vestitus præcipue apud honestiores colorem fuisse credimus. Nam & simplicior hic cultus, ac naturæ ipsi proprior, immo & civilior videtur, cum pullus in luctu sumeretur. Insignis locus est Artemidori lib II. cap. II. *Alba vestimenta solis sacrificiis conferunt, & servis Græcorum: reliquis turbationes significant, propterea quod hi, qui in turba versantur, albo vestitu utantur. Opificibus autem manuariis cessationem, & otium portendunt, & quanto pretiosiora fuerint vestimenta, tanto plus otii prædicunt. Neque enim operarii, maxime qui mechanicas artes exercent, albis vestibus utuntur. Servis autem Romanorum, solis his qui recte agunt, conferunt: reliquis mala sunt. Manifestos enim faciunt male agentes, & propterea quod eundem cum dominis vestitum ut plurimum habent, ob hoc somnium liberi non fiunt, sicut servi Græcorum. Virgo ægrotanti alba vestimenta habere, mortem prædicit, propterea quod mortui in albis efferantur: Niger vestitus salutem prænuntiat. Non enim mortui, sed mortuos lugentes hujusmodi utuntur. Novi autem ego multos, & pauperes, & servos, & vinctos ægrotantes, qui etiam cum viderentur sibi nigra habere vestimenta, mortui sunt: verisimile enim erat, his non in albis propter inopiam efferendos esse. Est autem alias niger vestitus omnibus malus, exceptis his qui clancularia operantur.*

Ex his discere licet Græcos ingenuos vulgo albis vestimentis usos: quod declarat illud, *eos qui in turba, sive foro versantur, albis vestibus indutos*, id est, omnes vulgo liberos homines. Illam autem perturbationem, quam talia vestimenta indicabant, ad Comitia candidatorum, ac prensantium molestias retulit doctissimus Rigaltius. Ceterum alba vestimenta in somnis visa Græcorum servis fausta erant: quia scilicet illis libertatem portendebant, quod ingenui in ea veste conspicerentur. Sed honestiores tantum: nam opifices, ac sellularii, populique fæx, ut apud Romanos, ferme in sordida, nigraque veste erant. Et ideo his hominibus cessationem ab opere portendi ait, quod albis vestibus non uterentur. Subjicit, Romanorum servis alba vestimenta per quietem visa solis illis qui recte agerent auspicata fuisse, servis autem nequam improspera. Futurum enim ut occulta delicta manifestarentur, quod scilicet album in tenebris latere non potest. Infra ait, purpuream, & variam vestem occulta revelare, quia scilicet conspicua est, quemadmodum alba: ubi eadem voce usus est: τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει, *occulta manifestat*, ut supra de veste alba ἐλέγχει τοὺς κακῶς πράσσοντας, *male agentes arguit*. Idcirco autem Romanis servis vestem albam nihil boni prædicere docet, quod eundem cum dominis ut plurimum vestitum haberent. quod de tempore intelligendum est, cum depositis togis, sumptisque lacernis, nullum fuisse inter ingenuos ac servos in habitu discrimen supra memoravimus. Cum igitur albis vestimentis ingenui Romæ uti desiissent, ea in somnis visa Romanis mancipiis libertatem non prædicebant, quum color cum ipsa libertate publica excesserat: contra cum in Græcia perseveraret is color

in ingenuis visus in somnis servo libertatem prædicabat. Quoniam autem mortui viventium veste efferebantur, Romani toga, Græci pallio: ideo ægrotanti alba vestimenta visa mortem prænuntiabant. Contra niger vestitus salutem, quod is in luctu a viventibus usurpatus. Addit multos, & pauperes, & servos, vinctosque, quibus nigræ vestes per quietem obversatæ erant, nihilominus mortuos esse, quod scilicet id genus hominum, cum ob paupertatem alba vestimenta non gestarent, in pullis etiam efferrentur.

Porro ita alba vestimenta in Græcia vulgo usurpata, ut vestis infectæ usus in populi conventu, ac in spectaculis legibus esset interdictus. Lucianus *Nigrino* veterum Atheniensium continentiam, ac paupertatem commendat, adeo enim non puduisse eos paupertatem fateri, ut vulgata vox sit in Panathenaicis ab omnibus emissa. Deprehensum enim quendam ex civibus fuisse, & ad præsidem Ludorum adductum eo quod Βαπτὸν ἔχων ἱμάτιον, *pallium colore infectum gestans* ad spectaculum venerat. Universos autem misertos illius, ac veniam precatos esse. Atque ubi præco jam proclamaret, quod in leges commisisset, quia tali veste ludos spectaret, omnes una voce, quasi antea super hoc deliberassent, exclamare cœpisse, ut venia daretur talibus induto: nec enim aliam vestem habere illum. Quod sane mirum est, cum pauperi facilius esset vestem nativo colore, quam tinctam, atque infectam comparare. Sed pallium illud nuptiale erat, quod βαπτὸν sive tinctum sponsis modo gestare licebat. Aristophanes *Pluto* Act. II. Sena v. Disputat ibi Paupertas, si omnes divites essent, fore ut artes e vita tollerentur: nemo domos strueret: nemo vestimenta pretio lavaret: & post cetera futurum, ut nullus venderet unguenta, quibus madescerent, qui novam nuptam ducerent, οὔθ' ἱματίων βαπτῶν δαπάναις κοσμῆσαι ποικιλομόρφων, *neque sumptuosis vestibus infectis, ac versicoloribus ornandos*. Vet. Interpres. Βαπτὰ γὰρ ἱμάτια φοροῦσιν οἱ νυμφίοι. *Tincta enim vestimenta ferunt sponsi*. Ille ergo pallio tincto in spectaculis deprehensus non aliud amiculum habebat, quam nuptiale: quod magnæ paupertatis indicium, quod ipso spectaculorum commiserationem commovit.

Præterea vestes vulgo albas fuisse crebra fullonum mentio declarat, qui vestimenta eluebant, interpolabant, poliebant, de quibus Pollux lib. VII. cap. XI. Ubi eadem ratio in lavandis vestibus, ac Romæ fuisse apparet. nam & pedum insultu pressas, & coactas, & adhibitam cretam præcipue Cymoliam, sulphurque iisdem dealbandis, denum carduorum spinis pexas, ac politas legimus, unde proprie κναφεὺς, κναφεῖον, κναφικοὶ, κνάψαι. Apud Homerum *Od.* II. Nausicaa ad fluvium pergit εἵματα πλύνεουσα, *vestes lotura*. Et Alcinous discessuro in patriam Ulyssi inter munera hospitalia dat φᾶρος ἐΰπλυνὲς, ἠδὲ χιτῶνα *pallium bene lotum, & tunicam*. Aristophanes etiam loco paulo ante laudato ait, si omnes divites essent, futurum ut artes e vita tollerentur, nemo domos strueret, ἢ πλύνειν, *neque vestimenta lavaret*, Idem *Vespis*: Ἀπέδωκ' ὀφείλων τῷ γναφεῖ τριώβολον. *Triobolum impendi in operam fulloniam*. Vetus Scholiastes. *Nam cum pisciculos edissem, & pallium jure perfusum esset, triobolum fulloni dedi pro mercede*. κναφεῖ τῷ πλύνοντι τὰ ἱμάτια. Artemidorus lib. II. cap. II. *Præstat autem semper habere vestimenta* καθαρὰ, καὶ λαμπρὰ, καὶ πεπλυμένα καλῶς, *munda, & splendida, itemque probe lota, quam sordida, & illota, exceptis his qui sordida opificia exercent*. Apud Athenæum Æschines Socraticus in Dialogo objicit Telaugi ἱματίου μὲν φορήσεως καθ' ἡμέραν ἡμιωβόλιον κναφεῖ τελοῦντα μισθόν. *Quod pallio carens a fullone*

A *utendum sumeret pactus pro diurna mercede semiobolum*. Diogenes Laertius Socratem ferme tribonium gestasse ait, *cumque hoc vitæ instituto ageret, interdum tamen tempori serviens* λαμπρὰ ἠμπίσχετο, *ut in Platonis Symposio ad Agathonem profectus, splendidam vestem induebat*, nempe commune pallium albo colore. Lucianus in *vita sua* tradit Pædiam sibi in somnis obversatam, ut ad sui cultum pelliceret, inter reliqua dixisse: *Ac vestitum quidem talem indues* (*demonstrans suum*: πάνυ δὲ λαμπρὰν ἐφόρει *gerebat autem admodum splendidum*.) Subjicit post paulo: si statuariæ adhæresceret, foret ut χιτώνιόν τε πιναρὸν ἐνδύσῃ *tuniculam sordidam indueret*, qua-
B lis nempe operariorum, atque sellulariorum, ut ex Artemidoro dicebamus. Quare mirum est Ælianum lib. IV. cap. XXII. prodere veteres Athenienses pallia purpurea tunicasque variegatas gestare solitos, ἀλουργῆ μὲν ἠμπείχοντο ἱμάτια, ποικίλους δὲ ἐνέδυνον χιτῶνας. Quod mihi verisimile non videtur. Nam cum purpura in magno pretio esset, idque Regium insigne, quis credat privatos homines vulgo purpuratos incessisse? Præterea tunicæ variegatæ non nisi muliebres fuere. Purpuram autem Regium fuisse gestamen quid attinet dicere? Certe tantum abest purpurea vestimenta Athenis
C in usu fuisse, ut Alcibiadem reprehensum tradat Plutarchus, *quod delitiis diffluens purpureis, ac pretiosis vestibus interdum uteretur*. Immo nimii, ac peregrini luxus notarentur, quicumque improbum colorem vestibus adhibuissent. Lucianus *Nigrino* narrat graves fuisse civium oculis, qui cultum luxu notabilem importassent. Subjicit, cum quidam divitiis affluens Athenas venisset turba servorum stipatus, auroque, & varia veste excultus, quoties cives purpuram, cultusque mollitiem, ac varios vestis colores inspicerent, hæc in eum scommata jacere solitos. *Jam ver adest. Unde nobis hic pavo?* Et *Fortassis matris ipsius est*. Quo loco cre-
D diderim Romanos designari, quorum lacernas variis coloribus, interdum purpura infectas diximus. Ait enim, τὴν δὲ ἐσθῆτα τὴν ποικίλην, καὶ τὰ πορφυρίδα, *tunicam variam, & lacernas, sive chlamydes purpureas*. Alibi de paupere, qui repente dives factus fuerat, ἀλουργῆ καὶ ὑσγινοβαφῆ ἀμπεχόμενος. Idem ait divites ostentare τὰς πορφυρίδας, & annulos, ubi Romanorum mores perstringit. Purpureus ergo color semper luxus, & superbiæ notatus. Mitto Aristippum, quem saltasse in purpura nota Regiæ servitutis fuit. Polæmonem & corollas collo detraxisse, & erubuisse ob purpuram, *postquam est impransi correptus voce magistri*, notum est. Lu-
E cianus *Hermotimo* de eo qui philosophiæ cultum ejuraturus erat. *Fortasse neque purpuram induere gravabor, ut omnibus fiat perspicuum, mihi priores nugas non amplius curæ esse*.

Basilius minor Orationum Gregorii Nazianzeni Interpres indicare videtur Rhetores olim in purpura incessisse. Ait enim *Tribones fuisse indumenta sive pallia, Rhetorum quidem rubra, & purpurea, nigra autem philosophorum*. Sed Tribones, sive Tribonia, non nisi Philosophorum, & quidem severioris notæ infra ostendemus, & fortasse ætatem suam Interpres ille respexit. Subjicit enim illud
F fuisse insigne, sicut magistratibus σκαραμάγγιον. Sane quomodo vestis detrita, ac lacera purpura infici posset aut decens esset, non video. Sed de Tribonio paulo post agemus.

Cap. XIV.

Pallium Philoſophichum. Tribonium. Philoſtratus, & Laertius explicati. ῥάκος, pannus.

Pallium philoſophantium amictum, ac peculiare ſapientiæ tegmen fuiſſe, in confeſſo eſt. Nec unquam ferme Philoſophi a ſcriptoribus inducuntur, quin hæc veluti nota atque inſigni a reliquis diſtinguantur. Lucianus *Timone*: ὁ δὲ τρίβων ὗτος πορφυρίδος ἀμείνων. *Pallium hoc quavis purpura potius*. Et *Dialogis mortuorum*, Diogenem deſcribens ait ſenem eſſe calvum, gerentem pallium lacerum, & pertuſum. Alibi, mala multa ſub Philoſophi palliolo latere ſcribit. Item multos philoſophiæ ſtudium profeſſos ſolo habitu, atque inceſſu meros Philoſophos videri. Idem in *Mercede conductis*, de eo, qui pro Philoſopho, ac Græculo in divitis familiam adſcitus erat. *Num te pudet*, inquit, *cum in tanta Romanorum turba ſolus* ξενίζων τῷ τρίβωνι, *in peregrino pallio verſaris?* Et infra; ϰὴ ἱμάτιον Ἑλληνικὸν εὐςαλῶς περιβέβλησαι, *Pallium Græcanicum decenter circumponere*. Eodem libro veluti in ſcena producitur Catella Mileſia in Philoſophi pallio cubans, immo & pariens. Et alibi paſſim, quæ putidum eſſet perſequi.

Ita & Latini ſcriptores. Plautus *Curculione*:

Tum iſti Græci palliati capite operto qui ambulant,
Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis,
Conſtant, conferunt ſermones inter ſe ſe drapetæ,
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententiis
Quos ſemper videas lubentes eſſe in Thermopolio:

Ubi haud dubie licet Græca Comœdia Philoſophos exagitat, ſive ſub Philoſophi habitu latentes homines nequam, qui pallio inſcitam, & vitia velarent, fugitivi, flagitiis operti & vulgo inviſi. Alioqui mirum eſſet, ſi Comœdia palliata Græcos, & palliatos traduceret. Gellius lib. IX. cap. II. *Video, inquit Herodes, barbam & pallium, philoſophum nondum video*. Capitolinus tradit M. Antoninum Philoſophiæ operam vehementer dediſſe, & quidem adhuc puerum. *Nam duodecimum annum ingreſſus habitum Philoſophi aſſumpſit, & deinceps tolerantiam, cum ſtuderet in pallio, & humi cubaret*. Ammianus etiam lib. XV. ſcribit Julianum a Conſtantio patruele ab Achaja, ubi ſtudiis operam dabat, evocatum, etiam tum palliatum atque in ſocietatem Imperii adſcitum.

Sed ſi pallium Philoſophi habitus, ac nota fuit, cum omnes in Græcia palliati, ut diximus, nullum inter Philoſophos, & reliquos vulgo in cultu diſcrimen fuiſse videtur. Romæ autem Græci omnes cum in patria veſte verſarentur, pro Philoſophis habiti fuiſſent. Caſaubonus *ad Capitolinum* Philoſophi habitum interpretatur pallium Græcanicum, ſine tunica, cum totius corporis illuvie. Huncque communem habitum omnium philoſophantium fuiſse, quo ſeparabantur a ceteris. Fuiſse præterea proprias ſingularum ſectarum notas, & propria geſtamina. Sed cum ſoli Cynici, ut dicemus, ſine tunica incederent palliati, merito doctis viris Caſaubonis reprehenditur, qui tamen, qualis Philoſophorum habitus eſset, quo a ceteris diſcernerentur, non prodiderunt.

Ergo ſoli ſeveriorem, ac ſanctiorem philoſophiam profeſſi, ut Pythagorei, Stoici, ac Cynici, tam in Græcia, quam Romæ, pallio a ceteris diſcreti, quod peculiare eorum hominum fuit. Nempe cum commune pallium Græcorum laneum eſset, & album, philoſophantium tegmen pallium detritum fuit, obſoletum, ſordidum, ac pullum, quodque a Cynicis ſolis diverſa ratione geſtabatur,

A ac ſine tunica, ut infra explicebimus. Id τρίβων, & τριβώνιον Græcis dicebatur, nec alia ferme voce, cum pallii philoſophici mentionem faciunt, ſcriptores utuntur, præcipue Lucianus. Heſychius; τριβώνιον, πάλλιον, περιβόλαιον. Idem: τρίβακον, ἱμάτιον. Cicero *palliolum* appellat *Tuſculana* III. *Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia*. Apulejus *palliaſtrum*: *Ecce Socratem contubernalem meum conſpicio: ſedebat ſervili palliaſtro ſemiamictus*. Feſtus: *Adtritum & tritum, veſtis trita*, τριβώνιον. Pallium ſcilicet longo uſu detritum, quodque, ut loquitur Euripides apud Athenæum lib. X. villoſam lanuginem amiſerat: Τρίβωνες B ἐκβαλόντες οἴχονται κρόκας. *Tribonia evadunt, quæ pilos, ſive lanuginem amiſerunt*. Loquitur de athletis, cum ſenes facti ſunt. Ad quem locum fallitur vir doctiſſimus, qui exiſtimat Perſium in eadem ſententia contrarium dicere Euripidi iis verbis ſat. VI.

——— *mihi trama figuræ*
Sit reliqua: aſt illi tremat omento popa venter.

Non enim contraria ſunt (etſi id ad Perſium adſtruere conetur) κρόκας ἐκβαλεῖν, & tramam ſolam habere reliquam. Immo cum veſtimenta κρόκας, ſive pilos, ac lanuginem longo uſu amiſerunt, trama reliqua apparet: non villoſa lanugi C ne connexio ſtaminis & tramæ ſive ſubteminis occultatur, qua dilapſa lanugine reliqua trama apparet.

Porro veſtis detrita amiſſis longo uſu pilis, flocciſque tenuior fiebat, & levior: & ideo Gloſſæ Vet. τριβώνιον *velum* interpretantur, veſtem ſcilicet attritu tenuem levemque factam, & ideo arcendo frigori minus aptam. In quo veteres Philoſophi tolerantiam, ſive patientiæ imaginem oſtentarunt, cum in ea etiam hieme incederent, Cynici ea ſola velarentur. Philoſtratus *de vita Apollonii* lib. II. cap. IX. narrat eum cum apud Indos verſaretur, D videretque illos veſtibus byſſinis indutos lætatum eſſe eo habitu, ἐπειδὴ ἔοικε φαιῷ τρίβωνι. Vertunt: *quod fuſco amictui, quem geſtabat ſimilis eſſet*. Quod prorſus admirandum eſt. Quæ enim ſimilitudo byſſo quod erat linum candidum & pretioſum, cum fuſco veſtimento eſſe poterat? Gaudebat Apollonius quod ea veſtis Tribonio ſuo ſimilis eſſet, non propter colorem, ſed propter tenuitatem. Ex byſſo enim veſtes tenuiſſimæ conficiebantur: Apollonii pallium ex lana, ſed longo attritu attenuata, & per hoc lino haud diſſimili. Non alium hujus interpretationis auctorem dare poſſum, quam Philoſtratum ipſum eodem libro, capite ultimo. Nam E cum Apollonio Rex dari in diſceſſu pro xeniis juſſiſſet aurum, ϰὴ ὀθόνας, hoc eſt, veſtes lineas, ſive byſſinas, aurum quidem reſpuit, ſe autem othonia perlibenter accepturum dixit, quod ἐοίκασι τρίβωνι, *quod eſſent ſimilia Tribonio veterum Athenienſium*: ſcilicet ob tenuitatem, non ob colorem, qui omnino diverſus, ut infra oſtendemus. Quia ergo Tribonium ſordidum erat, ac pullum, ait Philoſtratus lætatum Apollonium veſtitu byſſino Indorum, *quod ob tenuitatem ſimilis pullo tribonius eſſet*. Ita enim verti debuit.

Propter eandem cauſam Artemidorus lib. II. cap. F III. Ὀθόνια, ϰὴ τρίβακα ἱμάτια conjunxit, id eſt, *veſtes lineas, & tribonia*. Ait enim *lintea veſtimenta, & lanea detrita æſtate geſtare videri in ſomnis, bonum eſſe, & ſanitatis ſignum*: *hyeme vero* ἐρινῇ, ϰὴ ταῦτα καινά. Ubi apte lineis lanea opponit, detritis autem καινά. id eſt, nova ſive pexa. Tribonio enim opponitur pallium καινὸν, novum, pexum, quod attritu pilos non amiſit. Quo perfacete alluſit Stilpon Megarenſis apud Laertium lib. II. Qui cum vidiſſet Cratem χειμῶνος συγκεκαυμένον, *hieme frigore adustum*. (ſcilicet tribonio male oper-

tum tenui, & ventis pervio) Videris mihi, inquit, χρείαν ἔχειν ἱματίου, καινοῦ, *indigere pallio novo*. Acumen est in voce καινοῦ, quæ divisa καὶ νοῦ alium sensum reddit, nempe, videris mihi indigere, & pallio, & mente, quasi demens esset, qui sponte talia pateretur. Sequitur ὅπερ ἦν νοῦ, καὶ ἱματίου, *quasi diceret, & pallio & mente*.

Tribonium igitur pallium detritum, ac ferme lacerum, præcipue Cynicorum. Egregie illud describit Lucianus in *Dialog. mortuorum*, de Menippo. Senex calvaster τριβώνιον ἔχον πολύθυρον ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον, καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον. *Palliastrum gestans lacerum, & vento pervium, ac diversorum pannorum assumentis variegatum*. In quo veteres illi Philosophi severiores delitias faciebant, præsertim Cynici. Apud Laertium in *Socrate*: Στρέψαντος Ἀντισθένους τὸ διερρωγὸς τοῦ τρίβωνος εἰς τοὐμφανὲς, ὁρῶ σου, ἔφη, διὰ τοῦ τρίβωνος τὴν κενοδοξίαν: *Cum Antisthenes laceram tribonii partem ostentasset. Video, inquit, per tribonium tuam vanitatem*. Quod narrans Ælianus ait lib. IX. cap. XXXV. *Socrates cum videret Antisthenem* τὸ διερρωγὸς ἱματίου, ἀεὶ ποιοῦντα φανερὸν, *laceram tribobonii partem in conspectum dare. Quin desinis*, inquit, *apud nos te ostentare?* Sic ipse Socrates ab Amipsia in tribonio productus vanitatis arguitur, ut paulo post dicam.

Quod igitur Tribonium vestis detrita esset, & ferme lacera, etiam simpliciter ῥάκος dicebatur. Laertius de Aristippo, quod modo luxuria diffflueret, modo continentiam sectaretur, dictum prodit, ipsi soli datum esse χλαμύδα φορεῖν, καὶ ῥάκος: *chlamydem ferre, & Tribonium*, sive pannum. Ubi ῥάκος sive pannus chlamydi opponitur: sicut Aristophanes *Pluto*, ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος. *Pro pallio pannum*. Panni enim pro vestimentis laceris Latinis scriptoribus accipiuntur. Seneca *de Ira* lib. III. cap. XIX. *Cum spongiæ non invenientur scindi vestimenta miserorum, & in os farciri pannos imperavit*. Et Epist. XX. *Magnificentior mihi credere sermo tuus in grabato videbitur, & in panno*. Et paulo infra: *Nemo nascitur dives: quisquis exit in lucem jussus est lacte & panno esse contentus*. ῥάκος igitur lacerum pallium, sive pannus: Hesychius: ῥάκος διερρωγὸς ἱματίου. Male ergo Pollucis Interpres lib. VII. cap. XII. ῥάκη *saga* interpretatur, *cum vestem laceram* sive *Tribonium* vertere debuisset. Quanquam Eustathius Ῥάκος distinguit a τρίβων, quod illud vestis lacera sit, hoc ἱμάτιον ἀποβεβληκὸς τὰς κροκίδας εἴτουν κρόκας. *Pallium quod pilos, sive lanuginem amisit*. Sed hujusmodi pallia defloccata ferme etiam erant lacera, & ideo τρίβων, & ῥάκος a scriptoribus confunduntur. Poeta de Ulysse sub mendici specie. εἱμένος κακὸν ῥάκος, ἠδὲ χιτῶνα ῥωγαλέα. *Indutus pallium lacerum, tunicamque discissam*. Alibi idem Nausicaam rogat, δὸς δὲ ῥάκος ἀμφιβαλέσθαι. Aristophanes *Pluto*, ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος. Et *Ranis* objicit Euripidi, quod Reges ῥάκι' ἀμπίσχων *in pannis, ac tribonio induxerit, quo essent miserabiliores*. Quod tangit *Acharnensibus*, ubi hæc mendicorum vestimenta appellat ῥάκια, τρύχη, λακίδας πέπλων, δυσπινῆ πεπλώματα, σπάργανα, ῥακώματα.

CAP. XV.

Tribonium non modo pauperiorum gestamen, sed priscis temporibus vestis forensis, ac Judicialis. Aristophanes explicatur.

CETERUM priscis Græciæ temporibus Tribonium communis pauperiorum habitus fuit. Apud Aristophanem in *Pluto* Carrio ab hera interrogatus, quomodo ea, quæ in templo Æsculapii evenerant, vidisset, cum capite involuto fuisset, respondet, διὰ τοῦ τριβωνίου, ὀπὰς γὰρ εἶχεν οὐκ ὀλίγας, *per tribonium, quod plures rimas habebat*. Ubi vetus Scholiastes notat *pallium vetus, ac detritum ab Atticis tribonium appellari*. ὀπὰς *autem* τρώγλας. id est, *foramina ex erosione facta*. Nuperus autem falso credit tribonium eandem esse vestem, quam Latini lacernam a laceranda dixere. Ac ne quis tantum vestem servilem fuisse credat, paulo infra Justus dives factus affert τὸ τριβώνιον ad Æsculapium, ut ei illud consecret, rogaturque a servo, num illa vestis sit, in qua initiatus fuerit: quod illæ tamdiu gestarentur, donec attritæ penitus, ac laceræ essent, ait, *eam esse vestem, in qua totos tredecim annos riguerit*. Nec multo post scycophanta Justum eundem divitem factum interrogat πόθεν θοἰμάτιον εἴληφας τοδί, ἐχθὲς δ' εἶδον σ' ἐγὼ τριβώνιον. *Unde tibi hoc pallium, nam heri te tribonio amictum vidi?* Mox idem sycophanta rigens inducitur, quod tribonio amictus sit. Idem *Acharn. At neque* ἐν τοῖς τρίβωσι *lateant lapides reliqui*. Nec pauperes modo, sed vulgus omne Atheniensium in Tribonio. Idem *Vespis*: *Mihi visa primum est per quietem in Pnyce pecudum sedentium frequens conventio* βακτηρίας ἔχοντα, καὶ τριβώνια *cum scipione tribonium gerentium*. Ubi Scholiastes: *Erat autem prisci moris, ut honorati senes cum tribonio, & scipione populum convocarent*. Paulo infra de eo qui domi attinebatur, ne forum ac judicia frequentaret: *Itaque custodimus hunc ferrisque vinctum claudimus, ne huc exeat. Primum ergo dictis allocutus mollibus, suadebat* μὴ φορεῖν τριβώνιον, *ne ferret tribonium*. Philostratus lib. II. cap. ultimo cum Apollonio Indorum Rex aurum in discessu, & vestes lineas dari jussisset, aurum rejecit, vestes perlibenter accepit, quod τρίβωνι veterum Atheniensium similes essent, scilicet ob tenuitatem, ut diximus. Idem lib. VII. cap. XI. *Dicas namque velim, nunquid Aristides ille sit, quem cum ex Græcia venientes ad insulas dicitis navigasse tributorum componendorum causa? quæ cum ille æqua ratione constituisset* ξὺν αὐτῷ ἐπανελθεῖν τρίβωνι, *tribonio amictus rediit*.

Quare successu temporum postquam pexæ vestes ac peregrinæ in usum venerunt, boni illi senes gravate admodum ut tribonium deponerent animum inducebant. Eadem fabula prope finem suadebat patri Bdelycleon, ut tribonium exueret, & gaunacum indueret. At senex negat se vivo ac vidente unquam depositurum tribonium, quo se olim in prælio flante Borea involverat. At filius parenti. τὸν τρίβων' ἄφες. Τηνδὶ δὲ χλαῖναν ἀναλαβοῦ τριβωνικῶς. Interpres. *exue decotem, istamque vestem commodam seni*. Sequutus nempe veteris Scholiastæ interpretationem Τριβωνικῶς. *vel vicem*, inquit, *pallii tui detriti, & decotis, vel ut senem detritum decet*. Neutra explicatio Aristophani convenit. Duplex discrimen erat inter tribonium, & chlænam, sive gaunacum. Illud detritum, ac tenue; hoc pexum, ac villosum. Tribonium ita induebatur, ut pars dextra sinistro humero imponeretur, quemadmodum supra diximus: at chlæna sive gaunacum fibula ad cervicem nectebatur. Natus ergo quo facilius persuaderet patri ut chlænam indueret, jubet eum more tribonii induere, hoc est, non fibula stringere, ut moris erat, hoc est, τριβωνικῶς. Ex duplici ergo causa senex recusat gaunacum, quod esset villosum. & quod fibula necteretur. Vetus Schol. *Gaunacum, chlæna Persica. Palamedes ait Persicum pallium ex altera parte villosum, sive genus pallii quod & Persida vocant*. Ex eo autem quod villos haberet, sequebatur non esse ita facile sordes fullonis opera

eluere, ut fiebat in tribonio. Proinde ait: *Prius cum pisciculis saturatus essem, & aliquid jurulenti condimenti super tribonium effusum esset, ad eluendas maculas tres obols fulloni persolvi.* Sed majus incommodum putabat senex, quod veste villis densa plus nimio incalescere deberent, quo pertinent illa:

PH. *Quid istud per Deos dicam mali?*
BD. *Quod Persida isti nominant, hi Gaunacum.*
PH. *Ego arbitrabar Sisyram Thymetidæ.*

Subjicit sibi illud videri simile Morychi σάγματι, id est, *sago villoso*. Morychus enim, ut notat Scoliastes, Tragicus erat poeta, vir delitiis fluens, & ad arcendum frigus villosis, ac crassis vestibus utens. Subdit Bdelycleon eam vestem Ecbatanis confici, cui parens perfacete. Ergo Ecbatanis γίγνεται κρόκης χόλιξ, ubi *villos sive floccos in panno extantes comparat bovis intestino, quod crispum est, & velut pellitum*: Sequitur:

BD. *Bona verba, at ista, (ut scias) cum maximo
Sumptu, & labore barbari texunt, & hæc
Vestis talentum in lanam facile absumpsit.*
PH. *Jure ergo fas est laniperdam dicere.
Et justius, quam gaunacum.* BD. *Tene, o bone,
Et indue illam.* PH. *Me miserum! vah quid est
Quod hæc scelesta eructat in me fervidum.
Sed si necesse est clibanum oro inducite.*

Quæ omnia declarant vestem villosam fuisse, qua sumpta metuebat, ne plus satis incalesceret. Alterum inde incommodum verebatur, quod cum chlæna, ut diximus, fibula cervicibus stringeretur, metuebat ne ab ea suffocaretur:

PH. *Quo procreamus liberos & tollimus,
Quando iste suffocare me nunc postulat?*

Jubet ergo filius eam induere τριβωνικῶς more tribonii, solutim scilicet, nulloque fibulæ morsu. Nec alius eorum verborum sensus esse potest.

Nec Athenis modo, sed alibi in Græcia honoratiores quique in Tribonio. Ælianus *Variæ* lib. v. cap. v. de Epaminondæ paupertate: Επαμινώνδας να εἶχε τρίβωνα, καὶ αὐτὸν ῥυπῶντα. *Epaminondas unum modo Tribonium habebat, illudque sordidum. Quando vero illud ad fullonem mittebat, necesse habebat se domi continere, quod alterum non haberet.* Idem lib. VII. cap. XIII. narrat Agesilaum Lacedæmoniorum Regem jam senem sæpe sine calceis, & tunica prodire solitum in publicum, τὸν τρίβωνα περιβαλλομένον, *tribonio involutum*. idque per hiemem matutino tempore. Postquam vero pexa pallia, & recentia, tum gaunaca, & peregrinæ vestes incessere, tribonium penes solos pauperiores remansit. Lucianus *Somnio*, sive *Gallo*, cum Mycillus divitem salutasset, illico se subduxisse ait, ne forte pudori illi esset, quod ἐν πενιχρῷ τῷ τρίβωνι eum assectatus esset. Et Cataplo ait τὸ τριβώνιον, quod antea fidum videbatur, apud Inferos æque preciosum esse, ac ipsius Regis purpuram. Idem *de Amicitia*, ubi narrat fidem Demetrii in amicum carcere detentum: καὶ διελὼν τὸ τριβώνιον, τὸ μὲν ἥμισυ αὐτὸς αναβάλλεται, τὸ λοιπὸν δὲ ἐκείνῳ δίδωσιν. *Tum dissecto Tribonio, dimidiato induitur ipse, reliquum autem ipsi donat.*

CAP. XVI.

Tribonium non Cynicorum modo, sed Philosophorum severioris notæ pallium fuit. Item Sophistarum. Laertius explicatur.

POSTQUAM Tribonium penes solos pauperes remansit, severioris sapientiæ cultores hoc veluti ipsius sapientiæ velamen, atque insigne arripuerunt, & coluerunt. Plutarchus *de Iside, & Osiride* ὅτε γὰρ φιλοσόφους πωγονοτροφίαι, καὶ τριβωνοφο-

A ρίαι ποιοῦσιν. *Neque enim philosophos densa barba, & tribonii gestatio facit.* Valde enim falluntur, quicumque Tribonium solius Cynicæ sectæ gestamen fuisse tradiderunt. Nam & Socrates, & Pythagoræi, Stoici item, & reliqui severe philosophantes hanc vestem peplis omnibus Regumque indumentis prætulerunt.

Et reliqui sane philosophi præter memoratos in communi habitu incessere, nullusque quod sciam Platona, Aristotelem, eorumque sectatores cultu a vulgo distinctos prodidit. Immo Ælianus lib. III. cap. XIX. *Variæ* Aristotelis vestitum operosiorem Platoni displicuisse tradit, hocque initium dissidii

B inter eos fuisse, quod Aristoteles ἐσθῆτι ἐχρῆτο περιέργῳ καὶ ὑποδέσει, *vestitu, & calceatu pretiosiore uteretur, tonsura etiam, quam Plato improbaret, pluresque annulos gestaret.* Laertius de eodem: ἐσθῆτι δὲ ἐπισήμῳ χρώμενος, καὶ δακτυλίοις, καὶ κουρᾷ. *Veste insigni, & annulis, & tonsura utens.*

Idem de Lycone lib. v. ἦν δὲ καθαρώτατος τὴν στολὴν, ὡς ἀνυπερβλήτῳ χρῆσθαι μαλακότητι ἱματίων. *Erat vero mundissimus cultu, adeo ut vestium incredibili mollitie, ac nitore uteretur.* Et de Heraclide: ὅτος ἐσθῆτι τε μαλακῇ ἐχρῆτο. *Molli veste utebatur.*

Primus sanctioris disciplinæ parens Socrates

C Tribonium sapientiæ aptavit. Quapropter ab Amipsia hac etiam parte Aristophanis æmulo in Tribonio traducitur, atque irridetur apud Laertium: Αμειψίας δὲ ἐν τρίβωνι παράγων αὐτόν. *Amipsias ipsum in Tribonio producens ait, Socrates paucorum optime virorum, multorum vero vanissime, & ipse ad nos tandem venis, toleransque es.* πόθεν ἄν σοι χλαῖνα γένοιτο. Nec verba, nec sententiam Interpres assecutus est: *Eum*, inquit, *palliatum inducens*. Atqui omnes tunc palliati. Mox: *Unde tibi pallium hibernum?* Tota vis est in voce τρίβωνι, & χλαῖνα, quæ opponuntur. Tribonium enim, ut diximus, vestis detrita, ac tenuis: contra Chlæna crassa, ac villosa,

D ad arcendum frigus. Ironice igitur Socratem tenui palliolo amictum interrogat, unde chlænam habeat, & ob id eum vanitatis insimulat: nam quod id hominum genus ob tolerantiam faciebat, vulgo ad vanitatem, atque ostentationem trahebant.

Quod sequitur apud Laertium, neque ipse satis capio, neque alium intellecturum puto. τουτὶ τὸ κακὸν τῶν σκυτοτόμων κατ᾽ ἐπήρειαν γεγένηται. *Hoc illi incommodum evenit per sutorum malignitatem.* Sed aut omnia me fallunt, aut locus iste mutilus est. Quid enim sutoribus, sive coriariis cum chlæna, & Tribonio? Nunquid vestimenta lanea illi conficiebant, aut lacera reficiebant? Deinde quæ senten-

E tia? Hoc illi incommodum per coriarii malignitatem contigit. Suspicor ergo vocem desiderari ἀνυπόδητος hoc est, *discalceatus*, quæ paulo post sequitur in verbis Aristophanis, quæ adducit Laertius: κἀνυπόδητος κακὰ πολλ᾽ ἀνέχῃ. *Et discalceatus mala multa tolerat.* Nam qui in tribonio, ferme etiam sine calceis, & nudipedes incedebant, ut ex Aristophane apparet, qui talem Socratem inducit. Ita apud eundem Phidippides interrogat patrem, qui Socrati in disciplinam traditus fuerat, & ideo nudipes erat, ubi calceos reliquerit? Perstringit igitur Amipsias Socratis cultum, quod pro communi

F palio tribonium gerat, quod Ironice chlænam appellat: deinde quod discalceatus incedat: eum autem morem secum ferre ait sutorum damnum, nam ἐπήρεια id significat. Quod enim Socrates, & ejus sectatores sine calceis incederent, id vero in detrimentum sutorum ac coriariorum cedebat. Ut Juvenalis ait ephebos castrari damno tonsoris Heliodori. Hoc si non est, quid esse possit ignoramus.

Socratem tamen non semper in Tribonio incessisse declarat paulo post Laertius, cum ait: *Cumque hoc vitæ instituto degeret, interdum tamen tempori ser-*

viens λαμπρὰ ἠμπίσχετο, *ut in Platonis Symposio ad Agathonem profectus*, quod non est, *venustiore habitu utebatur*, sed *communi*, quem album fuisse diximus, nisi quis convivii causa candidum sumptum existimet. Sane nulla vestis pretiosæ mentio in convivio Platonis, ut notavit Aldobrandinus, sed Socratem accessisse, λελουμένον τὲ, καὶ τὰς βλαυτὰς ὑποδεδεμένον, ὃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίει, *non calceis ornatum*, ut vertit Interpres, *sed lotum & calceatum, quod ille raro faciebat*. Scilicet Socrates ferme in Tribonio, & discalceatus, ita & raro balneis utebatur. Iturus ad convivium lavacro sordes pellit, tum commune pallium, & calceos de more induit,
B sive, ut Laertius loquitur, λαμπρὰ ἠμπίσχετο, candidum vestitum induit: nulla pretiosa vestis, quam frustra in Platone quærit Aldobrandinus. Ita in commune vestitu, & lotus, καλὸς γεγενημένος videbatur, qui ferme in tribonio nudipes sordebat: & ideo bonus ille senex se id fecisse ait, ἵνα καλὸς παρὰ καλὸν ἴοι: *ut pulcher ad pulchrum iret*. Quo loco apparet Socratem, quod dicebamus, fere in tribonio nudipedem incessisse, sicut ibidem inducitur quidam Aristodemus ἀνυπόδητος ἀεὶ, *qui semper nudipes erat*. Philostratus etiam lib. VI. cap. VI *nuditatem pedum cum tribonio conjungit*. ἀνυποδησία
C τε, καὶ τρίβων.

Nec Socrates modo in Tribonio, sed & reliqui severius philosophantes. Nam licet Pythagoras veste alba, puraque semper uteretur, ut Laertius atque Ælianus testantur, Pythagorei tamen in tribonio, & sordibus. De iis Antiphanes apud Athenæum l. IV.

Sordes paululum oportuit ferre, jejunium,
Cæli rigorem, silentium, tristitiam, illuvium.

Et Aristophanes ibidem:

Quid per deos censemus, eos, qui olim
Pythagorici fuere sponte revera.
ῥυπᾶν ἑκόντας, ἢ φορεῖν τρίβωνας ἡδέως;
Sordibus squaluisse, & tribonia gestasse libenter?

D Mnesimachus apud Laertium: *Comedunt olera, & aquam potant, pediculos vero*, καὶ τρίβωνα, *atque squalorem nemo ex aliis perferre posset*. Horum princeps fuit Diodorus Aspendius, cujus meminit Archestratus apud eundem Athenæum post paulo, qui cum Pythagoreus esset Cynicis moribus usus, κομῶν, καὶ ῥυπῶν, καὶ ἀνυποδητῶν, *capellatus, sordidus, & discalceatus; unde & Pythagoreorum, qui comam alunt, familia originem duxisse creditur*. Sosicrates ibidem de philosophorum successione refert Diodorum hunc βαθεῖ πώγωνι χρήσασθαι, καὶ τρίβωνα ἀναλαβεῖν, κόμην τε φορῆσαι, *profundam barbam aluisse*,
E *tribonium gestasse, nec communi comæ tonsura usum, Pythagoricis qui præcesserant solitis* λαμπρᾷ ἐσθῆτι, *amiciri*, id est, *alba sive candida*, ad exemplum præceptoris, quod idem est ac Laertius de Socrate λαμπρὰ ἠμπίσχετο, ut diximus.

Stoici etiam in tribonio, quos a Cynicis sola tunica distinctos tradit Juvenalis. ergo idem pallium utriusque sectæ, hoc est, Tribonium. Immo Lucianus nunquam philosophiæ mentionem facit, quin & Tribonium nominet. Nam *Reviviscentibus* ait se, cum Philosophiam sedulo quæreret, incidisse in homines τριβώνια περιβεβλημένους, *triboniis circumamictos*. Et paulo post: *Si quis vero*, inquit, *alicui*,
F *quemadmodum multi sunt, viro execrando, qui philosophum mentitur, obviam factus fuerit*, τὸ τριβώνιον περισπάσας, *Tribonium dilacerans*. Item *de mercede conductis*, ubi describit eum, qui in alicujus divitis familiam pro Philosopho, vel Græculo adscriptus esset, ait, *quoniam Græcanico pallio decenter amictus sit, eum ab omnibus existimari Grammaticum, sive Rhetorem, sive Philosophum, & propterea anteambulonum turbæ immixtum herum comitari, ac deducere, qui ex hoc eruditi opinionem affectaret, ut facile quis suspicaretur Græcum illum non tam ob sapientiam, quam ob barbam*, καὶ τὸ τρίβωνα *conductum esse*. Ille autem conductus Cynicam non profitebatur. Ex quibus colligitur Grammaticos etiam, & Rhetores aliosque literalium disciplinarum professores Romæ tribonium gestasse, quod indicat Tertullianus *de Pallio*: *Viderit nunc philosophia quid prosit: nec enim sola mecum est, habeo & alias artes in publicum utiles: de meo vestiuntur, & primus informator literarum, & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius, & Grammaticus, & Rhetor, & Sophista, & Medicus, & Poeta, & qui Musicam pulsat, & qui stellarem conjectat, & qui volaticam spectat: omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur*. Lucianus eodem dialogo Thesmopolidis Stoici factum memorat, cui hera catellam custodiendam dederat, quam ἐν τῷ τρίβωνι peperisse ait, & paulo post de pseudophilosophis τρίβωνας ἀμπεχόμενοι.

Quis porro Apollonium Thyaneum Cynicum fuisse dixit? Ille autem in Tribonio. Philostratus lib. II. cap. IX. supra laudatus: *Cum byssum in India vidisset, gavisus est, quod non dissimilis admodum esset* φαιῷ τρίβωνι, *quod ipse gestabat*. Eodem lib. cap. ultimo: *Cum Rex Indorum dari ipsi in discessu aurum, & lineas vestes jussisset, illud respuit, has libenter accepit, quod similes essent* τρίβωνι *veterum Atheniensium, quale ipse gestabat*. Ita lib. IV. cap. VI. de adolescente a quo Apollonius dæmonem dejecerat: *Tum versicoloribus, ac mollibus vestimentis, ceterisque delitiis depositis, parcitatem victus*, καὶ τρίβωνος *complexus est, seque ad Apollonii vitam moresque contulit*. Et cap. XII. ejusdem libri, de Nerone qui Philosophos insectabatur, quod ignava Philosophorum opera ipsi videretur, quodque philosophia quædam esset artis divinatoriæ species: καὶ ἤχθη ποτὲ ὁ τρίβων ἐς δικαστήριον, ὡς μαντικῆς σχῆμα. *Tribonium in judicium vocatum est, ut artis divinatoriæ prætextus*. Et lib. V. cap. XIV. *Lasthenes una mecum philosophatus chlamydem postea, & militarem vitam adamavit. Hunc quoniam tribonium rursus cupere ajunt, militia missum facias rogo*. Et lib. VII. cap. VIII. Apollonius iturus Romam jubet Damim sumere habitum popularem, ac tribonium deponere (ubi perperam doctus Interpres lacernam vertit, quæ tunc Romæ vestis popularis erat) ne Philosophus videretur, hocque illi periculum arcesseret apud Neronem; ille autem philosophicum habitum, id est, tribonium retinuit. Et lib. VIII. cap. VIII. Trophonii specum ingreditur αὐτῷ τρίβωνι.

Sophistæ etiam in Tribonio. Eunapius in *Hedesio*, de Eustathio. *Paret ille, & ad epulum Regale accedit, ubi tanta ejus eluxit eloquentia, ut parum abfuerit, quin Rex tiaram rectam abjecerit, & purpureis vestimentis, ac monilibus depositis* τὸ τριβώνιον Εὐσταθίου μεταμφιάσασθαι, *Eustathii tribonium induerit*. Male Interpres *penulam* vertit: quemadmodum infra. Ἦν γοῦν αὐτοῖς φιλοσοφία τὸ τριβώνιον *penulam* reddit, quæ longe a Tribonio diversa. Idem in *Proæresio*, ubi admirandam ejus, atque Hephæstionis paupertatem memorat, ait utrique unicum Tribonium fuisse, & tria, quatuorve stragula, ita ut Proæresio in publicum prodeunte, Hephæstio delitesceret domi stragulis involutus, idemque Proæresio eveniret egrediente in publicum Hephæstione. Sed quid sit, quod ait Eunapius ἓν γοῦν αὐτοῖς ὑπῆν ἱμάτιον, καὶ τριβώνιον, non satis capio: nam & hic Interpres *pænulam* reddit. Quid enim hoc loco barba cum tribonio? Fortasse legendum ὕφος ἱμάτιον: cum enim ὕφος interdum pro sindone, aut pro velo accipiatur, ὕφος ἱμάτιον, καὶ τριβώνιον erit tenue pallium, & detritum. Non multo post idem Interpres Tribonium lacernam interpretatur de eodem Proæresio, cujus tolerantia miraculo erat, quod λεπτὸν ἔχων τριβώνιον, & *discalceatus*

Gallicas

Gallicas hyemes, & frigora in delitias converteret.

Ceterum Philosophos tribonio tanquam nota, atque insigni a reliquis mortalibus distinctos Romæ fuisse apparet: at in Græcia nullum discrimen fuisse videtur inter ipsos, & pauperes, a quibus gestatum tribonium diximus. Sed non sola, ut vetus verbum est, Tribonophoria Philosophum faciebat: alia quoque erant, quæ Philosophos notabiles redderent. Inprimis opaca, & profunda barba, pedum nuditas, longa & profusa coma, quodque peculiare Cynicorum fuit, pera, & baculus, & diversa ratio gestandi Tribonium, de quo infra dicemus. Unde illud eveniebat, ut plerique rudes, atque indocti his insignibus inscitiam, atque ignaviam obvelarent, atque egestatis imagine egestatem effugerent. Extat in hanc rem Lucilii Epigr. lib. II. *Anthologiæ* cap. LII. cujus sententia est, pauperes, & indoctos non ut prius in pistrino molere, nec humerorum operam locare, sed nutrire barbam, & in triviis baculum tollere, tunc virtutis sectatores primos dici: Hermodoti hoc dogma esse, si quis pecunia careat, fore ut non amplius esuriat, si posita tunica in pallio incedat. Loquitur autem de Cynicis.

CAP. XVII.

Pallii Philosophici color. Petronius correctus.

SICUT Tribonium vestis detrita ac lacera fuit, ita ejus color fuscus, atque obsoletus. Philostratus lib. II. cap. IX. ut supra innuimus, tradit Apollonium, cum byssum apud Indos vidisset, lætatum esse, quod ἔοικε φαιῷ τρίβωνι, *quod similis esset fusco tribonio, quod ipse gestabat.* Quomodo autem esset similis, ibi declaravimus. Porro φαιὸς *pullum*, sive *subnigrum*, ac *fuscum* sinificat: qualem fuisse pænularum colorem, item ferme lacernarum, immo & tunicarum Romanæ plebis, ac vilissimi cujusque, unde *pullatus circulus*, & *pullata multitudo*, alias ostendimus. Qui color partim lanæ nativus, ut Canusinæ, cui pulliginem suam adscribit Plinius, partim ex albo vestium usu, ac sordibus in pullum degenerans.

Basilius Orationum Gregorii Nazianzeni Interpres supra adductus: τρίβωνες περιβλήματά τινα. Τῶν μὲν ῥητόρων ἐρυθροί τε καὶ φοινικοί. Φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων, *Tribones pallia quædam, Rhetorum purpurea, Philosophorum fusca.*

Videtur tamen Lucianus alios etiam colores Tribonio adscribere: nam *de mercede conductis*, ait, illi, qui se in familiam divitum adscribi optet, vestitum etiam supra facultates apparandum, ac colorem deligendum, quo herus potissimum gaudeat, ne illius oculi offendantur. Ille porro, quem ab ejus vitæ instituto dehortatur, Philosophus erat, eam artem in illa familia mercede locaturus. Subjicit enim non multo post: *Cum in tanta Romanorum turba* μόνος ξενίζων τῷ τρίβωνι, *solus peregrino in pallio versaris.* Et paulo infra: *Quoniam tibi barba ingens propendet a mento,* καὶ ἱμάτιον Ἑλληνικὸν εὐσταλῶς περιβέβλησαι, *quia pallio Græcanico decenter amictus es.* Quis autem in Tribonio, id est, veste detrita, ac lacera colorum varietatem quæsitam credat, cum id præterea sectæ gravitatem dedeceret? Verisimile igitur est, ad augendam rei invidiam in universum de omnibus locutum esse Lucianum, qui sese aulæ servitio mancipарent, ac divitibus eruditam operam addicerent, iis scilicet eos in vestitu colores quærendos, qui heris maxime placerent. Nam ad captandam ingenii famam stulti divites omne genus doctorum familiæ aggregabant, Poetas, Rhetores, Geometras, Græculos fere, quos credibile est excepit Philosophis in pallio quidem, nam hoc eorum insigne, traductos, eo tamen colore, qui esset reliquæ familiæ peculiaris; fortasse etiam Philosophos ipsos, ne fusco pulloque tribonio heri oculos læderent, ac veluti familiam funestarent, coactos esse, quæ pars servitutis erat, pallio eos colores adsciscere, queis reliquus servientium grex enitesceret. Nam apud Veteres variis vestium coloribus ad genium heri, & Circi studia familiam excultam fuisse, quam nunc colorum synthesim *Liveream* appellant, vel unus Petronius docuerit, apud quem in Trimalcionis familia: *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat.* Qui color apud Trimalcionem in pretio. Nam paulo ante inducitur *pila prasina* ludens. Ita enim ibi legendum in *Electis* docemus: hactenus in illa *pila sparsiva* explicanda infeliciter Critici luserunt.

CAP. XVIII.

Christianorum Ascetarum Tribonium. Quando Tertullianus Librum de Pallio *ediderit? Tribonium fuscum.*

CHRISTIANOS vulgo communi, ac civili vestitu usos satis constat. Tertullianus *Apologetico*: *Quo pacto homines vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus, instructus.* Et Cyprianus *de bono patientiæ*: *Nos autem fratres, qui philosophi non verbis sumus, sed factis, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus.* Sicut autem apud Ethnicos severius philosophantes tribonium adamarunt, ita Christiani, qui se sanctiori, atque austeriori disciplinæ tradebant, eandem vestis vilitatem, & squalorem assumebant. Lucianus *Philopatro*: *Alius cui nomen Ebleuocharmus,* τριβώνιον ἔχων πολύσαθρον ἀνυπόδητός τε καὶ ἀσκεπος, *tribonium habens admodum putre, sine calceis, & capitis integumento.* Paulo post: *Ut demonstravit mihi* τίς κακοείμων, *male vestitus, quidam qui ex montibus advenerat detonsa coma.* Ubi monachus, sive anachoreta describitur. Nam ex Christianis, qui durum ac severum vitæ genus sequerentur communi habitu relicto, togis scilicet, lacernis, pænulis, pallium lacerum, ac fuscum sumpsisse aliis adnotatum est. quod cum Tertullianus fecisset, popularium reprehensionem incurrit, quæ res ipsum impulit, ut edito libro sibi patrocinaretur. Ad quem tam multa Interpretes disputarunt. Alii enim Tertullianum a toga ad pallium transiisse existimant, cum est factus Christianus, idque omnes vulgo Christi nomen professos fecisse. Hieronymus *ad Furiam*: *Ubicumque viderint Christianum, statim illud de trivio:* ὁ Γραικὸς ἐπιθέτης, *Græcus Impostor.* Ipse Tertullianus: *Cum hanc primum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit.* Et in fine libri: *Gaude pallium, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Quod verisimile videtur primis illis Ecclesiæ temporibus, qui Christo nomen darent, ipso etiam habitu cultuque Christum, & Apostolos imitari voluisse, quos palliatos Hebræorum more fuisse constat. Contra alii, non cum Christianus, sed cum Sacerdos factus est, habitum mutasse censent. Quod scilicet librum *de Pallio* multo post editum *Apologeticum* conscripserit, quem ab eo vulgatum, cum Christianus esset, non est dubitandum. Induisse autem pallium, cum est factus Sacerdos, ex verbis ipsius colligunt *de Pallio*: *Enimvero cum hanc primum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuvias,*

& peplos angusta vestis, superque omnes apices, & tutulos sacerdos suggestus. A Ita enim corrigunt, pro eo quod est in editis *sacer suggestus*. Sed si pallium non nisi sacerdotum erat, soli sacerdotes cum pallium sumerent, vanissimis superstitionibus renunciabant. Reliqui ergo Christiani ante pallium in iisdem permanebant. Quod indicat, verba illa de Christianis omnibus, non solum de sacerdotibus accipienda. In qua tamen sententia veluti fluctuant: modo enim pallium sacerdotum fuisse ajunt, omniumque Episcoporum, & Clericorum, ac postea Monachorum: modo non omnium sacerdotum, sed eorum tantum, qui ἄσκησιν, & vitæ genus asperius profiterentur: B modo eorum tantum, qui ascetæ essent, licet non sacerdotes. Quæ cum ita sint, nondum plane compertum erit, quandonam hanc defensionem ediderit Tertullianus. Non quando Christianus factus est, non enim omnes in pallio: non quando sacerdos, non enim omnes palliati: multos quippe ex laicis ajunt propter ἄσκησιν hac veste philosophica usos, & ex presbyteris, eos solos, qui asceticam profiterentur.

Rectius ergo, ad pallium transiisse Tertullianum, cum primum ἄσκησιν, & strictiorem disciplinam profiteri cœpit, sive ante sacerdos esset, C sive tum primo factus austerius vitæ genus iniit. Id fuse docuerat Baronius ad Annum CIII. cap. VIII. contra Pamelium disputans: ubi non uno argumento ostendit, non fuisse pallium omnium Christianorum, sed eorum tantum, qui arctioris vitæ studiis se mancipassent, & sublimiorem vivendi normam amplexi eminentioris Philosophiæ se esse cultores profiterentur: & ideo Christianæ Philosophiæ, atque arctioris vitæ pallium insigne fuisse. Christianos enim eodem habitu, quo Gentiles usos esse, ex Tertulliani ipsius & Cypriani locis supra adductis ostendit. Ascetas vero, & strictiorem disciplinam D professos pallium induisse docet ex Eusebio lib. VI. cap. XIII. de Heraclea presbytero: *Propterea non modo vulgari veste, & communi, qua antea usus fuisset, exuta, philosophi habitum cultumque, quem adhuc retinet, sibi assumpsit: verum etiam libros gentilium evolvere non desistit*. Idem Eusebius l. VIII. c. XXI. laudat Porphyrium Christianum adolescentem, quod habitum Philosophicum gestaret. Et reliqua, quæ nuperi suppresso Baronii nomine transcripserunt.

Soli ergo Christiani ascetæ in Tribonio, qui quoniam Philosophorum habitus, eadem in illos atque in hos convicia expetebant. E Et quoniam plurimi erant, qui sola barba, ac pallio Philosophiam mentiebantur, reliqua impostores, ac sycophantæ, tales & Christiani sub eadem schema putabantur, ut *ad Tertullianum* Rhenanus adnotavit: & ideo quoties in publico apparuissent, statim illud de trivio, ut diximus, Γραικὸς ἐπιθέτης, *Græcus Impostor*. Neque tamen omnes Christiani: nam cum sobolescente in immensum multitudine Christiani, ut loquitur Tertullianus, *urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum implevissent*, si omnes in tribonio, F quomodo notari, & peregrini cultus insimulari potuissent, qui ubique occurrerent, & spectarentur? Cum igitur ait Hieronymus: *Ubicumque viderint Christianum, statim illud de trivio Græcus Impostor*, de asceta, & strictiorem disciplinam professo intelligendum est. Ita cum Tert. ait, *pallio Christianum, & sapientiam, quæ superstitioni renuit vestire*, de hac severiori sapientia, ac vitæ genere duriore capiendus est Bulengerus lib. V. *de veste Pontif.* cap. V. ideo impostores per scommatis lasciviam dictos esse censet; quod pallium tunicæ imponerent. Quod si verum est, & olim, & nunc, qui pallium gestant, magni impostores sunt. Sed quis vel puer ignorat, postquam Philosophiæ majestas per planos, ac nebulones violata est, sycophantias, & imposturas plerumque sub pallio latuisse, ut quod olim frugalitatis, & continentiæ index erat, sceleratorum fraude, omnis nequitiæ, atque impudentiæ velamen esse cœperit, & ideo impostores creditos, quicumque eo habitu imponerent, ac credulos mortales fallerent.

Ejusdem habitus præjudicio tales crediti Christiani ascetæ, & sicubi apparuissent conviciis proscissi. Hieronymus *ad Marcellam: Nos quia serica veste non utimur, Monachi judicamur: quia ebrii non sumus, nec cachinnis ora dissolvimus, continentes vocamur: si tunica non canduerit, statim illud e trivio, Impostor, & Græcus est*. Quod ait *si tunica non canduerit*, declarat communis habitus colorem album fuisse, ut diximus.

Neque in eo viris doctissimis assentiri possumus, qui Christianos religionis attentiores tribonium gestasse Apostolorum imitatione tradiderunt. Christum quidem Dominum, & sectatores more gentis palliatos fuisse credimus: id pallium fuisse tribonium, credere non possumus. Cum tam Christum, quam Apostolos communi vulgarique habitu usos certum sit. Quod si Christus Dominus in tribonio incessisset, frustra milites super pannucea, ne centonibus quidem bonis digna, sortem misissent. Sed de Hebræorum vestitu alias disputabimus. Neque in hoc Cynicis Apostolos similes fuisse, quod unam tantum tunicam gestarent, ostendemus, cum nec tunicam, nec interulam gestasse Cynicos demonstrabimus.

Ceterum non diu apud Christianos durasse hanc tribonophoriam, inde apparet, quod cum aliqui, sicut quidam philosophi sapientiam in tribonio positam credebant, solos veros Christianos existimarent, qui hoc pallium circumferrent, ac præcipue Constantini ætate Eustathius Sebastenorum Episcopus contenderet Episcopos omnes, ac Presbyteros ad vetus Tribonii gestamen revocare, eosque qui non gestarent damnaret, in Synodo Gangrensi Canone XII. adversus hanc opinionem in hæc verba sancitum est: *Si quis virorum propter ἄσκησιν νομιζομένην pallio utitur, & despicit eos, qui cum reverentia byrris, & aliis communibus vestimentis utuntur, anathema sit*. Ubi Vetus Interpres διὰ ἄσκησιν νομιζομένην vertit *continentiam, quæ putatur*, cum sit, *propter severiorem, ut credebatur, vitæ normam, & strictiorem disciplinam*. Immo & mulieres ascetrias Tribonium gestasse, ut Cratetis uxor Hipparchia, apparet ex sequenti Canone: *Si quæ mulier propter ἄσκησιν habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit*. Nam per virilem habitum intelligi pallium contra sententiam Balsamonis recte docti viri statuerunt.

Ceterum dicto Canone non tam sublatus est usus pallii ab ascetis, quam ii notati, qui in illo positam τὴν δικαιοσύνην credebant, & eos, qui pallium non gestarent, contemnebant. Certe Episcoporum vestitus ferme erat fuscus, qui tribonii color. Baronius ad annum CDVII. narrat ex ejus actis D. Joannem Chrysostomum, cum morti proximus esset exuisse vestimenta, atque alba sumpsisse. Mutata dein ea Episcopalis cultus simplicitas, & primo quidem varii, ac floridi vestium colores sacris adhibiti, mox non ita probi

etiam extra ſacra uſurpati. (Et adhiberi ſacrorum majeſtatis intererat.) Ammianus Marcellinus lib. XXVII. veſtitus vilitatem in Epiſcopis provincialibus commendat: *Qui eſſe poterant* (loquitur de Epiſcopis Urbis) *beati revera, ſi magnitudine Urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo Numinis, veriſque ejus cultoribus, ut puros commendant, & verecundos.* Diu tamen penes aſcetas, & monachos pallium fuſcum, nigrumque remanſit. Eunapius in *Hedeſio*, cum monachos in Serapidis a Conſtantino diruti locum inductos indignatur, ſubjicit: *quicunque ea tempeſtate* μέλαιναν φορῶν ἐσθῆτα, *nigram veſtem geſtaſſet: eum illico tyrannicam auctoritatem obtinuiſſe.* Idem Maximo: *Quando Alaricus cum barbaris per Thermopylarum fauces pervaſit: eas Græciæ anguſtias illi prodidit*, ἡ τῶν τὰ φαιὰ ἱμάτια ἐχόντων ἀκώλυτος προσπαρεισελθόντων ἀσέβεια, *impia natio fuſca pallia geſtantium, qui nullo probibente ſimul cum eo irruperunt.* Synesius Ep. CXLVI. ad Joannem, qui aſceticum habitum ſumpſerat: καὶ φαιὸν τριβώνιον ἀμπέχεσθαί σε φασί.

CAP. XIX.

Tribonium Cynicum Modus illud geſtandi. Pallium διπλῶσαι. *Duplex pannus.*

TRIBONIUM commune philoſophantium tegmen fuiſſe diximus. Illud tamen Cynicam ſectam profitentium peculiare geſtamen fuiſſe apparet, in quo illi delitias facerent, præcipue ſi attritum maxime, & lacerum eſſet. Quo habitu ſeſe Herculem Cynicæ ſectæ auctorem, ut ait Auſonius Epigrammate XXVI. & Lucianus *Cynico*, imitari gloriabantur, quem reliqua nudum, ſola leonina amictum Veteres induxerunt. Sed diverſus fuit a ceteris Philoſophis Cynicorum Tribonium geſtandi modus. Nam cum illi ita tribonium geſtarent, ut ceteri mortales commune pallium, extrema ſcilicet parte pallii dextra in humerum lævum impoſita, ut manus ſola extaret: Cynici totam tribonii partem dexteram ita in ſiniſtrum humerum conjiciebant, ut cum toto brachio dexter humerus nudus exereretur, & pars etiam pectoris renudaretur. Hoc illi idcirco agebant, quia, ut doctis pridem obſervatum eſt, ſine tunica incedebant, prorſuſque ἀχίτωνες erant. Juvenalis:

Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica diſtantia.

Non quod Stoici ſimplici pallio uterentur, Cynici duplici, ut vult Interpres: ſed quod hi ſine tunica eſſent, quam illi geſtabant, in doctrina convenirent. Extat Oratio Dionis Chryſoſtomi περὶ σχήματος, in qua accurate cauſam quærit, cur, cum homines in ſola tunica conſpicerentur, nemo eos notaret, aut irrideret: quod ſi aliquem ἀχίτωνα ἐν ἱματίῳ viderent *ſine tunica ſolo pallio amictum*, coma, barbaque prolixa, illico derididiculo habitum, omniumque ludibrio, ac contumeliis expoſitum. Et tamen horum hominum tantam fuiſſe multitudinem, ut plures tunc eſſent, quam fullones, aut ſutores, aliique artifices. Eam autem cauſam præcipue affert, quod hi homines rigidi morum cenſores, & publici pædagogi eſſent, & vel palam, vel tacite ipſo habitu, ignaviam, mollitiem, inſcitiam, ac nimias delitias exprobrarent. Illuc demum Orationem flectit, ut fateatur etiam hoc contigiſſe propterea, quod plerique ſolo tribonio philoſopharentur, reliqua ſtolidi, & flagitiis cooperti. Lucianus *Cynico*: *Quid tu tandem barbam quidem habes, & comam*, χιτῶνα δὲ οὐκ ἔχεις καὶ γυμνοδερκῇ, *tunicam non habes & nudus conſpiceris, ac nudipes, delecta nimirum, vaga, inhumana, ac ferina vita: tum proprio corpore, contra quam faciunt ceteri, ſemper uſus incommode, nunc nunc illuc circumis, in arido præterea ſolo cubans, adeo ut plurimum etiam ſordium iſtud* τριβώνιον *referat, alioqui nec ipſum, vel tenui filo, vel molle, vel floridum.* Et in fine hunc etiam Deorum habitum eſſe ait in templis, ubi ſtatuæ ſine tunicis conſpiciuntur.

Cynici igitur ob tolerantiam ſine tunica erant, καὶ τρίβωσι μόνοις utentes, ut ait Laertius in *Menedemo*. Quæ laus veterum Laconum fuit. Nam Ageſilaus, ut narrat Ælianus, *jam ſenex prodibat in publicum* ἀνυπόδητος, καὶ ἀχίτων τὸν τρίβωνα περιβαλλόμενος, *nudipes, ſine tunica, tribonio amictus, idque per hyemem matutino tempore.* Hancque adoleſcentum educationem fuiſſe tradit Plutarchus in *Lycurgo*, *ut exacto duodecimo anno ſine tunica incederent, pallium unum in annum accipientes.* Quod pallium tribonium fuit. Infra enim ait: *Spartam una ſcytale, & tribonio Græciæ volenti imperitaſſe.*

Quod igitur tunica Cynici carerent, neceſſe habuerunt diverſo more a tunicatis pallium induere. Non quidem, ut docti exiſtimant, quod cum commune pallium ita geſtaretur, ut duæ ejus laciniæ ab utroque latere retrorſum rejicerentur, ita ut tunica tota in anteriori parte pateret; cum Cynici nullam haberent tunicam ſe pallio involverunt, ne corpus nudaretur: nam commune pallium non ita utrinque rejici ſolitum oſtendimus: ſed cum ita geſtaretur, ut dextra ejus pars extrema ſiniſtro humero imponeretur, eveniebat ut in actu, in inceſſu, aliiſque de cauſis interdum ea pars laberetur, & tunica appareret. Cynici ἀχίτωνες dextrum cum humero brachium exerentes totam pallii partem dextram in ſiniſtro humero injiciebant, ut retro ad pedes caderet, atque ita totum corpus involveret, & conſtringeret, ut niſi detraheretur dilabi non poſſet. Quod duplicare pallium dixerunt, quemadmodum fuſe *ad Tertullianum* viri docti demonſtrarunt.

Primum hujus habitus auctorem fuiſſe Antiſthenem docet Laertius. Diogeni enim tunicam petenti juſſiſſe πτύξαι θοιμάτιον. Ubi contrario ſenſu *pallium explicare* Interpres vertit. Nam πτύξαι eſt complicare, ſive duplicare. Idem enim paulo infra de eodem: Καὶ πρῶτος ἐδίπλωσε τὸν τρίβωνα, καὶ μόνῳ αὐτῷ ἐχρῆτο, *Primus Tribonium duplicavit, atque eo ſolo utebatur.* Ideo duplicavit, quia ſine tunica id ſolum geſtabat. Ex aliorum tamen ſententia Diogenem ejus moris auctorem facit Laertius: Τρίβωνα διπλώσας πρῶτος διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν, καὶ ἐνδέειν αὐτῷ. Primus pallium duplicans ob neceſſitatem, & ut in eo cubaret. Διὰ ἀνάγκην non eſt ob neceſſarium uſum, ut credit Interpres, ſed ob neceſſitatem. Nam cum tunica careret, neceſſe habuit tunicæ vicem ſe pallio involvere. Altera cauſa duplicandi pallii fuit, ut in eo dormirent. Nam cum Cynici humi cubarent, ſine culcita, ac ſtragulis, ea veluti nimias delitias reſpuentes, eodem pallio involuti ſomnum capiebant, quod gerebant interdiu. Et ideo lepide Martialis abollam Cynici *uxorem grabbati vocat*: non ut ait Raderus, quod abolla Cynici uxor eſſet. Apage talem uxorem, ſed abolla grabbati uxor dicitur, quod grabbato pro ſtragulis injecta, veluti cum eo dormiret. Nam Cynicos tribonio incubantes dormire ſolitos docet ejuſdem Diogenis dictum, qui cuidam objectanti, quod aurum pallio occultaret: *ita ſane*, inquit, *propter hoc illi*

dormiens incubo. Hoc eodem cultu Xeniadis liberos, quos in disciplinam acceperat, a Diogene productos tradit Laertius, *ad cutem tonsos, incomptos*, ἀχίτωνας, καὶ ἀνυποδήτους, *sine tunica, discalceatos*, & propterea duplicato pallio involutos.

Illud tamen quod de Antisthene subjicit Laertius perobscurum est: Πρῶτον δὲ καὶ Νεάνθης φησὶν ἁπλῶσαι θοιμάτιον. *Primum etiam explicasse pallium tradit Neanthes*. Aliqui sic interpretantur: cum pallium commune utrinque a latere rejiceretur, veluti duplicatum fuisse; Antisthenem autem illud explicasse, cum in humerum conjiceretur. Sed hoc supra refutavimus. Itaque verisimile est, quod iidem suspicantur, corruptum esse Laertii locum, & pro ἁπλῶσαι legendum δοπλῶσαι, id est, duplicasse. Nam licet supra dixerit eum primum pallium διπλῶσαι, duplicasse, ut tradit Diocles, hic idem a Neanthe scriptum esse subjicit. Nisi ἁπλῶσαι est unico pallio contentum esse.

Ab hac pallii duplicatione Diogenes διπλοείματος a vetere poeta appellatur, *duplici pallio tectus*. Et pallium ipsum διπλοΐς. Antipater de Diogene: *Cui una pera*, μία διπλοΐ, *baculus unus*. Et infra: *Baculus, & pera*, καὶ διπλόον εἷμα. *Diogenis vitæ onus levissimum*. Alibi: ῥυπόωντι πίνῳ πεπαλαγμένον ἐσθὴς διπλάσιον. *Obscæno luto conspersa vestis duplex*. Quanquam inter διπλοῦν, & διπλάσιον discrimen ponat Ammonius; illud de pallio duplicato usurpari, hoc nequaquam: quod ex poetæ verbis adductis falsum esse apparet.

Latini pannum, duplicem pannum Cynici pallium vocarunt. Horatius lib. I. Epist. XVII. de Diogene:

—— *Quem duplici panno patientia velat.*

Acron: *Laudat Aristippum ex sententia Platonis, qui cum invenisset illum naufragio, panno duplici involutum, id est, diploide, laudavit eum dicens: Omnis Aristippum decuit color, & status, & res*. Legendum est: *Naufragio facto*, vel, *e naufragio*. Unde autem hoc de Aristippi naufragio acceperit Acron non mihi constat. Dictum quidem Platonis sive Stratonis refert Laertius: *soli Aristippo datum* καὶ χλαμύδα φορεῖν, καὶ ῥάκος, *chlamydem ferre, & pannum*. Cum scilicet tres meretrices a Dionysio acceptas, usque ad vestibulum deduxit, dimisitque. Quare hic quoque, ut alibi non semel, mutilum esse Laertii codicem suspicamur. Non enim cohæret satis, quod repudiasset amicas, & quod eum tam chlamys, quam pannus deceret. Fortasse igitur sequebatur, cum a Stratone repertus esset post naufragium diploide involutus, dixisse Stratonem, quod tam deceret eum pannus, quam chlamys. Chlamys scilicet purpurea, in qua ille traductus est. Quo respexit Horatius loco cit.

Alter Mileti textam cane pejus, & angue
Vitabit chlamydem.

Quod nempe ex lana Milesia pretiosissima texeretur, & purpura tingeretur.

Alter purpureum non expectabit amictum.

At diploidem *pannum* appellat simpliciter;

—— *Morietur frigore, si non*
Retuleris pannum.

Interdum tamen Diplois pro pallio commmuni usurpatur. Eusebius lib. VII. cap. XVIII. de statua Christi Domini, atque Hæmorrhoissæ: ἀπλοΐδα κοσμίως περιβεβλημένον. Cynici duplicato pallio involuti figurantur, quam Roma Illustrissimus Puteus transmisit, hic exprimendam curavimus.



CAP. XX.

An Cynici interulam gestarent? Laertius explicatus. Ejus Interpres notatus.

IDEo Cynicos pallium duplicasse diximus, quod tunica carerent, cujus vicem Tribonii circumjectus præstabat: propterea dextro brachio atque humero, bonaque pectoris parte nudi erant. Quo magis miror credidisse viros doctissimos interulam a Cynicis gestatam. De quo aliqua in tertio libro hujus commentarii disputavimus. Duo sunt quæ illi afferunt, ut hoc confirment. Cratetem teste Laertio ab Atheniensibus reprehensum, quod in sindone præter morem incederet, eam autem sindonem fuisse interulam. Deinde quod Proteus apud Lucianum pyram conscensurus depositis pera ac Tribonio ἔστη ἐν ὀθόνῃ ῥυπώσῃ ἀκριβῶς. Sed Cratetis sindon pallium fuit, non tunica, sive interula. Tanta enim fuit viri illius tolerantia, ut grave pallium, ac villosum æstate, tenue ac linteum hieme gestaret. Cujus exemplum postea Cynici æmulati sunt. Ammianus in *Antologia* de Cynico:

Καὶ στόλιον, πωγώνιον, ὤμιον ἔξω,
Vestis villosa, barbula, humerus exertus.

Vestis villosa patientiam Cynicam dedecuisset, nisi per æstum gestata fuisset. De Cratete Philemon Comicus apud Laertium;

Καὶ τοῦ θέρους μὲν εἶχεν ἱμάτιον δασὺ
Ἵν᾽ ἐγκρατὴς ᾖ, τοῦ δὲ χειμῶνος ῥάκος.
Æstate crassum vestiebat pallium,
Ut tolerans esset, hyeme vero tribonium.

Idem factitasse Zenonem tradit Laertius: *Erat patientissimus, & simplicissimi victus, crudisque tantum cibis utebatur,* καὶ τρίβωνι λεπτῷ, *& tenui tribonio, ita ut de illo diceretur.*

Τὸν δ᾽ οὐκ ἂρ χειμὼν κρυόεις, οὐκ ὄμβρος ἀπείρων
Οὐ φλὸξ ἠελίοιο δαμάζεται.

Hunc non acris hyems domuit, non frigidus imber,
Non solis radii.

Quod scilicet in tenui palliolo sævas hyemes perferret, quod fecisse Eustachium ex Eunapio notavimus, qui gerens λεπτὸν ἱμάτιον *Gallicas hyemes tolerabat.*

Ad majorem igitur patientiam, quo tenuius pallium hyeme esset, illud lineum Crates induebat. Laertius: ὑπὸ τῶν Ἀθήνησιν ἀστυνόμων ἐπιτιμηθεὶς ὅτι σινδόνα ἠμφίεστο, ἔφα, καὶ Θεόφραστον ὑμῖν δείξω σινδόνα περιβεβλημένον. Illis non credentibus induxit illos in tonstrinam, ostenditque Theophrastum κειρόμενον, operam tonsori dantem, & ob id sindone involutum, sive lineo involucro opertum Sed quinam sunt isti civilis juris periti, quos Cratetis censores nobis obtrudit Interpres? ἀστύνομοι sunt Ædiles, quorum munus erat, ut & Romæ, providere, ne quis in peregrino cultu incederet, ut erat tunc pallium lineum. Ab his ergo Crates reprehensus, quod sindonem præter morem gestaret, perfacete respondit; se iis ostensurum Theophrastum sindone involutum, utque fidem faceret, induxit in tonstrinam, ubi de more linteo amiculo, ne pili vestibus adhærescerent, amictum ostendit. Non posse autem sindonem pro interula accipi, declarant verba ἠμφίεστο, & περιβεβλημένον, quæ nonnisi de veste exteriore, & quæ corpori circumponeretur, sive injiceretur, dici possunt.

Proteus autem apud Lucianum ideo ἐν ὀθόνῃ inducitur pyram conscensurus, ut qui deposito pallio tragœdiam illam in humani generis conspectu daturus erat, saltem honeste moreretur, qui vitam inani gloriæ impendebat. Nam si interulam vulgo Cynici induissent, aut illa partes verendas velabat, & tunc pallio duplicato minime opus fuisset, aut pectus tantum tegebat, & tunc nulli usui fuisset, & linea insuper mollitie sua rigorem Cynicum minime decuisset. Non aliud igitur othonium illud fuisse existimamus, quam fasciam, sive perizoma lineum, quo se ille in conspectu frequentiæ renudaturus veluti campestri succinxit, ut spectatorum oculis extremo illo actu parceret. Præterea quomodo exerto humero, ac seminudi Cynici scriptores producuntur, si interula pectus obvelabat? In veteri Epigrammate supra adducto ὦμον ἔξω: *humerus exertus*, id est, nudus. Lucianus Cynico: *Tunicam quidem non habes, & nudus conspiceris.* Seneca Epist. LXII. *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis, cum illo seminudo loquor, illum admiror:* Arriani Epictetus. Obvios conviciis lacerare, ac pulchrum ducere, τὸν ὦμον δεικνύειν, *humerum revelare*. Herodianus de Cynico: *Baculum manu gestans* ἡμιγύμνῳ τῷ αὐτῷ ἐκκρεμὴς πήρα, *peram seminudus ab humero suspensam gerens.*

Cum igitur ita se pallio Cynici involverent, ut cum dextro humero brachium exereretur, facilis erat & expeditus illius brachii usus. At lævum sub tribonio, qua duplicabatur, latebat pressum, nec inde exeri poterat, nisi pallium subduceretur, atque ita corporis inferiora paterent, aut totum demum tribonium dejiceretur. Quare cum utriusque brachii ministerio opus foret, tunc ad pectus ipsum tribonium circumcingebat, atque ita superiori corporis parte renudata, utrumque brachium expediebatur. Lucianus de scribenda historia narrat, cum Corinthiis bellum a Philippo immineret, civesque trepidi, alii aliud negotium curarent, pars muros reficerent, pars arma comportarent, Diogenem, ne nihil agere videretur, dolium suum sursum ac deorsum versare cœpisse, διαζωσάμενος, inquit, τὸ τριβώνιον. Ita ille ad instar poparum succinctus superiori corporis parte nudus agebat.

Ipsæ etiam mulieres Cynicam sectam professæ in tribonio, & quidem solo. Menander apud Laertium Cratete;

Συμπεριπατήσεις γὰρ τρίβων᾽ ἔχουσα ἐμοί,
Ὥσπερ Κράτητι τῷ κυνικῷ ποτ᾽ ἡ γυνή.

Mecum ambulabis gerens tribonium, ut nuper uxor cum Cratete Cynico. Hæc est Hipparchia, quam tradit Laertius Cratetis vitam atque verba deperisse, ut nullo procorum ambitu, non opibus, nobilitate, aut pulcritudine, ab hoc intempestivo amore abduci potuerit, cui hæc omnia solus Crates erat, ut parentibus minitaretur, nisi se huic traderent, sibi mortem illaturam. Cum ergo Crates a puellæ parentibus rogaretur, uti illam ab hoc proposito averteret: postquam egit omnia, nec persuasit, exurgens omni sua supellectili ante illius oculos exposita, hic ait sponsus, hæc ejus possessio, ad hæc delibera. Neque enim esse nostri consors poteris, nisi eadem studia attigeris. Elegit continuo puella, καὶ ταυτὸν ἀναλαβοῦσα σχῆμα, ejusque habitu sumpto una cum viro circumibat. Gestasse autem solum tribonium, sine ulla tunica aut interula, apparet ex sequentibus. Nam cum ad convivium venisset, ubi Theodorus Deum contemptor discumbebat, ut eum argueret, hoc illi objecit: *Quod faciens Theodorus, injuste agere non diceretur, id Hipparchia si faciat, facere injuste non dicetur. Theodorus autem se ipsum feriens, injuste non agit: ergo ne H pparchia quidem Theodorum cædens. Tum ille ad hoc quidem minime respondit,* ἀνέσυρε δὲ αὐτῆς θοἰμάτιον, sustulit ipsi pallium; ut scilicet eam esse fæminam ostenderet. Interpres reddit, *traxit pallium:* quod nullum sensum habet. Theodorus a muliere lacessitus, in ejus coitu neliam pallium sustulit, ut cum sine tunica esset, id quod esset convivis ostenderet. Eadem voce in re simili usus est Laertius in *Stilpone*. Nam cum hic apud Areopagitas delatus esset, quod Minervam non esse deum dixisset, respondit, negasse esse deum, quæ esset dea, deos quippe mares esse. Tunc Theodorus salse, unde inquit hoc Stilpo noverat? ἢ ἀνασύρας αὐτῆς τὸν κῆπον ἐθεάσατο; *Nunquid sublata veste locos muliebres inspexit?* Ubi etiam non recte Interpres *amota palla:* nec animadvertit, pro ἐπίκλην θεὸν legendum esse ἄθεον. Theodorus enim ille ob impietatem ἄθεος dicebatur. Male etiam κῆπον in κόλπον mutat. nam κῆπον id qui mulieres sunt, significare notum est. Ideo aut sublatum tribonium Hipparchiæ a Theodoro esse, ut fœminam arguet, declarat, quod subjicit Laertius, propter hoc nec territam, nec perturbatam esse more mulierum Hipparchiam; jam enim pudorem decoxerat, quæ luce palam cum viro congrediebatur, sed objectanti Theodoro, quod radios apud telam reliquisset, hoc quidem sapienter respondisse, se fœminam esse, ceterum non sibi male consuluisse,

si tempus, quod in texendo consumptura erat, sapientiæ studio impendisset.

Ceterum Cynici, ut dicebamus, ideo se solo pallio contentos profitebantur, ut Herculem referrent, qui cum sola leonina incederet, nec Herculem modo, sed Deos omnes, quorum simulachra, ut testatur Dio περὶ σχήματος solo pallio velata in templis cernebantur, ut etiam in effigie Æsculapii apparet, quam hic damus.



CAP. XXI.

Servi palliati. Plautus explicatus. Diphthera. Scortum. Festus emendatus.

NON ingenuos modo, sed servos in Græcia vulgo palliatos fuisse certum est. Plautus *Captivis* Act. IV. Scen. I.

Nunc res certa est, eodem pacto, ut Comici servi solent,
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.

Et Scena sequente:

Sed Ergasilus est ne hic, procul quem video?
Collecto quidem est pallio: quidnam acturus est?

Epidico Act. I. Sc. I. ait Thesprio Servus:

Quis properantem me prehendit pallio?

Et paulo post:

Age nunc jam orna te Epidice, & palliolum in collum conjice.
Itaque assimulato, quasi per urbem totam hominem quæsiveris.

Terentius *Phormione*:

Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio,
Atque hominem propero invenire?

Ex quibus intelligimus, servos cum properarent, ne fluens pallium cursuram impediret, solitos illud in collum conjicere, hoc est, dextram partem in sinistrum humerum, sinistram in dextrum rejicere, ut essent expeditiores. In Prolegomenis Terentii: *Servi Comici amictu exiguo conteguntur paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant.* Quo habitu interdum, & liberi, ut parasiti trechedipni, cum ad cœnam festinarent. Ibidem. *Parasiti cum intortis palliis veniunt*, id est, in collum conjectis.

Idem etiam servilis pallii color fuisse videtur, qui liberorum, nempe albus, & lætitiæ causa candidus. Plautus *Casina* de Olympione villico nuptias celebrante:

At candidatus cedit hic mastigia.

Et infra:

Villicus autem hic cum corona candide vestitus.

Ubi Lipsius ad morem libertorum refert in mutanda veste. Olympionem enim jam libertum fuisse. Quod est falsum. Paulo post:

OL. *At non opinor fieri posse hodie.* ST. *potest*
Si quidem cras censes te posse mitti manu.

Et Actu III. Scena VI.

OL. *Quid est? quis hic homo est?* ST. *herus sum.*
OL. *qui herus?*
ST. *Cujus tu servos es.* OL. *Servos ego?* ST. *atque meus.* OL. *Non sum ego liber?*
Memento, memento.

Servus adhuc Olympio erat, & vulgi more in nuptiis candidatus. Licet servi palliati, propria tamen eorum vestis fuit *Exomis*, & *Diphthera*. Apud Aristophanem *Vespis* conqueruntur urbani senes Philocleonem herum a servis suis domi clausum sub custodia teneri, oblitis munerum, quæ ab eo acceperant. Neque eos subit memoria διφθερῶν, καὶ ἐξωμίδων, quas ipsis emerat, καὶ κυνᾶς. *Diphtheram* quidem veteres Grammatici vestem ex corio, sive pellibus interpretati sunt, quæ propria pastorum, & agricolarum. Aristophanes *Nubibus*: *Ubi grandior eris, capellas agito e Phelleo, ut & pater tuus διφθέραν ἐνημμένος scorteam vestem indutus.* Ubi Scholiastes περιβόλαιον ποιμενικὸν ἐκ δέρματος interpretatur: non quidem quod pallium vulgare fuerit, fusum, ac longum; quis enim credat pastores, atque agricolas eo involutos opus fecisse? sed brevius indumentum, sagum scilicet ex pellibus, quod exomidi injiceretur, inde περιβόλαιον. Quod autem viliorum tegmen esset, propterea chlamydi, ut & ῥάκος, & tribonium opponebatur. Lucianus *Timone*: *Pro molli chlamyde hanc diphtheram tibi paupertas circumponit.* Ibi enim Timon ad inopiam redactus ἐναψάμενος διφθέραν terram exercet. Infra idem a Jove appellatur ὑποδίφθερος: item διφθερίας dicitur, id est, *sago ex pellibus confecto amictus*. Dio etiam Chrysostom. Orat. LXXII. inter vestes pastorum, & agricolarum diphtheram, & exomidem recenset. Philostratus in *Heroicis* de eo qui relicta Urbe se agriculturæ tradiderat: διφθέραν τε προσαρμοσάμενος, *& bidentem ferens*. Polluci tamen libr. VII. *Diphthera dicitur tunica stricta* ἐπίκρανον ἔχων, *habens cucullum*, non cervical ut vult Interpres. Potuit quidem & tunica ex corio confici, unde & diphthera appellari: proprie tamen de sago, sive veste exteriori sumebatur. Eadem Βαίτη dicebatur, cujus tamquam vestis pastoralis meminit Theocritus Idyllio III. & V. quam vetus Scholiastes *meloten*, & *diphtheram*

reddit. Pollux tunicam prælongam interpretatur, quæ nescio an pastori congrua esset. Rectius Hesychius: *δερμάτινον ἔνδυμα ὅπερ ἔνιοι σισύραν: ἔνιοι δὲ σκούλην δερματίνην, οἱ δὲ διφθέραν.*

Has pelles caprarum fuisse docet Varro *de re rustica* lib. II. cap. ultimo: *Neque non quædam nationes harum* (caprarum) *pellibus sunt vestitæ, ut in Getulia, & in Sardinia. Cujus usum apud antiquos quoque Græcos fuisse, apparet, quod in Tragœdiis senes ab hac pelle vocantur διφθερίαι, & in Comœdiis, qui rustico opere morantur: ut apud Cæcilium in Hypobolimæo habet adolescens, apud Terentium in Heautontimorumeno senex.* Aliquis etiam harum vestium usus in ingenuis fuit, tempore pluviæ, ut scorteæ pænulæ apud Romanos. Laertius tradit Anaxagoram profectum in Olympiam sudo ac sereno cœlo sedisse *ἐν δερματίνῳ*, quasi brevi eruptura pluvia, sicque evenisse. Idem narrans Philostratus lib. I. cap. II. ait venisse Anaxagoram in Olympiam, cum nulla pluviæ suspicio esset, *ὑποκωδίῳ pellicea veste indutum.*

Eam scorteam Latini appellarunt, nam scorta pelles. Unde auctore Festo meretrices sic appellatæ, *quia ut pelliculæ subiguntur.* Varro *de lingua Lat.* lib. VI. *Scortari est sæpius meretriculam ducere: quæ dicta a pelle. Idenim non solum antiqui dicebant scortum, sed etiam nunc dicimus scortea, ea, quæ ex corio, & pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris, ac sacellis scriptum habemus. Ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit. In Atellanis licet animadvertere rusticos dicere, se adduxisse pro scorto pelliculam.* Ex his facile erat corruptum Festi fragmentum restituere: *Scorta appellantur meretrices ex consuetudine rusticorum, qui ut est apud Atellanos antiquos solebant dicere se attulisse pro scorto delicularum.* Quis enim non videt ex Varrone legendum *pelliculam*? Scortum etiam pro pelle leonina apud Tertullianum *de Pallio* cap. IV. *Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit: jam Omphale in Herculis scorto designata descripsit.* Supra enim ad eandem vocem alluserat: *Tantum Lydiæ clancularia licuit, ut Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur:* nempe in *scorto:* sive pelle leonina.

CAP. XXII.

Exomis. Ἑτερομάσχαλος. Κατωνάκη.

EXOMIDES *ἱμάτια δουλικά, καὶ ἑτερομάσχαλα* veteres Critici interpretantur, vestes serviles ex altera parte manuleatas. Vox ipsa nihil aliud significat, quam vestem strictam & angustam, ex qua humeri exererentur, sive nudi conspicerentur. Hesychius partim tunicam, partim pallium. Ἐξωμὶς, *χιτὼν μοῦ, καὶ ἱμάτιον: τὴν γὰρ ἑκατέρου χρείαν παρεῖχεν, καὶ χιτῶνα μὲν διὰ τὸ ζώννυσθαι. ἱμάτιον δὲ, ὅτι τὸ ἕτερον μέρος ἐβάλλετο.* (Lege *περιεβάλλετο*) *παρὰ καὶ οἰκονομικοὶ*, (Lege *κωμικοὶ*) *ὅτε μὲν ἔνδυθι, ὅτε δὲ περιβαλοῦ. Exomis tunica pariter, & pallium. Utriusque enim usum præbebat: & tunica quidem, quod cingeretur: pallium autem quod altera pars injiceretur, sive circumponeretur. Quare & Comici de exomide aliquando dicunt quod indueretur, aliquando quod superindueretur.* Ita ille locus corrigendus est. Quomodo autem eadem vestis tunicæ & pallii usum præstaret, non aliter intelligi potest, quam quod alam quandam, sive manicam latiorem haberet, quæ more pallii injici, ac circumponi posset. Talis enim exomis. Pollux: *ἐξωμὶς δὲ περίβλημα, καὶ χιτὼν ἑτερομάσχαλος. Tunica unicam manicam habens.* Hesychius: Ἑτερομάσχαλος. *Tunica servorum, atque operariorum, quod alteram tantum alam adsutam habet.* Alibi Polluci Exomis dicitur *vestis Comica, tunica, scilicet alba, sine ornamentis, in sinistro latere, ῥαφὴν οὐκ ἔχων, suturam non habens.* Subjicit huic adjectum fuisse palliolum album, quod *ἐμκόμβωμα* dicebatur. Verisimilius tamen est, alam, quæ adinstar pallioli, potius in sinistra parte fuisse, quo destra liberior atque operi expeditior esset. Sicut tunica servilis *ἑτερομάσχαλος* erat, ita ingenuorum *ἀμφιμάσχαλος*, utrimque manuleata. Hesychius. Ἀμφιμάσχαλος tunica manicata liberorum, ut Plato, duas habens manicas, quas etiamnum *μασχάλας* appellant. Ejus meminit Aristophanes *Equitibus: Sed cum nudum videres hunc populum, ne quidem ἀμφιμασχάλου ἠξίωσας, tunica manulea dignum censuisti. Etiam durante hyeme.* Scholiastes: *χειριδωτοῦ ἱματίου. ἄλλως, μικροῦ χιτωνίσκου.*

Non fuisse tamen solum servorum exomides, declarat Aristophanes *Lysistrata*, ubi cives senes ajunt:

Ἀλλὰ τὴν ἐξωμίδ' ἐκδυώμεθ' ὡς τὸν ἄνδρα δεῖ.
Sed exomidem exuamus, ut virum decet.

Et Ælianus *Variæ* lib. IX. cap. XXXIV. *Diogenes cum venisset Olympiam, & Rhodios quosdam adolescentes videret pretiosis vestibus amictos, ridens inquit, hic est fastus. Deinde cum incidisset in Lacedæmonios ἐν ἐξωμίσι φαύλαις καὶ ῥυπώσαις, in vili, ac sordida exomide. Hic, inquit, alius est fastus.* Quare Suidas interpretatur *tunicam ingenuorum, quæ brachia non tegeret, esset tamen vile indumentum.* Gellius præterea libr. VII. cap. XII. eas antiquissimo tempore a Romanis gestatas tradit, *brevesque ac substrictas tunicas interpretatur citra humerum desinentes.*

Porro tam Festus, quam Pollux, Exomidem Comicum vestimentum fuisse ajunt. Scilicet servorum. Postquam enim ea vestis in desuetudinem abiit, antiquus servorum habitus in scena retentus est. Quia autem hoc exomidis proprium erat, ut inde humeri extarent, Cynici, qui, ut diximus, dextrum humerum exertum habebant, inde *ἐξωμίαι* dicti, & eorum Tribonium *ἐξωμὶς*, ut alii adnotarunt.

Vestis etiam servilis mentio apud Aristophanem *Lysistrata.* Nescis ut olim vos quoque *κατωνάκας φοροῦντας* adjuverint *Lacones. Vos inquam liberaverunt. κἄντι τῆς κατωνάκης τὸν δῆμον ὑμῶν χλαῖναν ἠμπισχον πάλιν.* Et pro servili amictu *clenam populum induerunt.* Hesychius interpretatur *pallium, quod in inferiori parte ῥάκος assutum habet, quod est pellis ovina. Videri autem Athenienses illud induisse a Tyrannis coactos, qui Pisistrati tempore fuerunt, ut propter vestis illius vilitatem cives urbem non ingrederentur.*

CAP. XXIII.

Pallio caput operire. Palliolum. Plautini loci correctio tentatur.

QUEMADMODUM Romani, cum caput operire volebant, togæ laciniam superiorem ab humeris in caput trahebant: ita & Græci adducto in caput pallio illud operiebant, præcipue cum latere volebant. Lucianus *Dialogo mortuorum*, de Philosopho: *Flet, quia non amplius tam opiparas cœnas habebit, neque noctu exiens clara omnibus τῷ ἱματίῳ τὴν κεφαλὴν κατειλήσας ordine omnia accedet scorta.* Plautus *Pœnulo:*

—— *Quin si voles*
Operire capita, ne nos leno noverit.

Et alibi:

Tum isti Græci palliati capite operto qui ambulant.

At Romanos cum latere vellent, item valetudinis cauſa palliolo caput obnupſiſſe alias docuimus, quod breve, & anguſtum pallium fuiſſe vox ipſa declarat. De quo Lipſius in *Saturnalibus*, qui nonniſi ab ægrotis palliolum adhibitum obſervat ex Quintiliano: *Palliolum ſicut faſcias, & focalia ſola excuſare poteſt valetudo*. Seneca lib. IV. *nat. quæſtionum: Videbis quoſdam graciles, & palliolo, focalique circumdatos, pallentes, & ægros*. Ex quo docti illud Ovidii:

Ægrum tu facito ut ſimiles, nec turpe putaris
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Recte *palliolum* legunt. Quod etiam meretricum fuiſſe oſtendunt Martialis:

Hanc volo, quæ ſimplex, quæ palliolata vagatur.

Et Juvenalis:

——— *Dorida nullo*
Cultam palliolo.

Alius Plauti locus eſt, qui huc referri poteſt, ſi tamen aliqua ſpes reſtat poſſe illum recte conſtitui. *Pſeudolo* Act. V. Sc. I. ait ſervus ebrius:

——— *Sed poſtquam exſurrexi, orant med' uti ſaltem;*
Ad hunc me modum intuli, ut illis ſatisfacerem ex diſciplina: quippe ego
Qui probe Ionica perdidici: ſed palliolatim amictus
Sic huc inceſſi ludibundus.

Veteres editiones Mediolanenſis, & Veneta, licet multum a recentibus diſcrepent, conſtanter retinent *palliolatim amictus*. Lambinus ſuppoſuit *palliolatus*, hocque extare in veteribus libris teſtatur. Quod ſi verum eſt, facilis erit interpretatio, Pſeudolum palliolo caput tectum ſaltaſſe: quæ fortaſſe cauſa fuit, ut dum orbem illum ſaltatorium verſat opertis oculis lapſus ſit. Sed cum omnes fere editiones, etiam noviſſima *palliolatim amictus* habeant: & in veteri MS. *palluratus* ſe reperiſſe dicat Lambinus, ſuſpicor legendum eſſe, *pallulatim amictus*. Scilicet ſervus procax, atque ebrius, quo magis riſum excitaret, pallam ſive pallulam, muliebre pallium induerat: idque ex diſciplina. Ionicam enim ſaltationem mollem fuiſſe, ac parum virilem; item ſaltatores in palla, ſatis conſtat. *Pallulatim amictus*, eſt more fœminarum palla involutus. Neque obſtat, quod infra pallium appellat: nam muliebre amiculum, & *pallam*, & *pallium* dictum fuiſſe, alias notavimus. Nam quæ de tunica palliolata Interpretes afferunt, ἀπροσδιόνυσα ſunt. Immo paulo poſt idem ſervus ait ſe commutaſſe pallium: non quia illud rejecto ex crapula vino infeciſſet, ut iidem interpretantur: ait enim, *jam pene inquinavi pallium*, id eſt, parum abfuit, quin pallium temeto inquinarem. Sed egreſſurus in publicum, pallium muliebre deponit, virile ſumit. Sic illa verba intelligenda *commuto Illico pallium: illud poſivi: inde huc exii*: id eſt, pallium muliebre, ſive pallam, in qua ſaltavi. Si enim pallium pro pallio ſumpſiſſet, ſatis erat, ſi diceret: Commutavi pallium, ſed quia pro muliebri virile ſumebat, ait *illud poſivi: inde huc exii*, nempe in communi habitu.

Ceterum totus iſte locus in veteribus editionibus admodum variat. Nam quod nunc legitur, *plaudunt partem: clamitant me, ut revortar*. Ibi, *plaudunt parum*: quod rectum eſt. Prima enim illa ſaltatio non arridebat: volebant enim ipſum ita in orbem rotari, ut caderet. Ita quod ſequitur. *Occœpi denuo hoc modo nolui*: recte Gulielmius, *hoc modo volvi*, id eſt, verti: quod tamen extat in Veneta editione. Cœpit ſaltatorium orbem verſare, quo magis ſibi amicam conciliaret. *Ubi circumvortor cado: id fuit nænia ludo*. *Næniam* ludi finem intelligunt, quod nænia iis caneretur, qui vitam finiſſent. Simplicius tamen fuerit interpretari, ludo illi atque hilaritati rem hanc triſtem veluti næniam interveniſſe, nempe caſum.

Hæc de Pallio. De capitis, ac pedum tegmine in tertia hujus Operis parte, ſi vita ſuppeditabit, diſputabimus.

ALBERTI RUBENII

PETRI PAULI F.

DE

RE VESTIARIA

VETERUM,

PRÆCIPUE

DE LATO CLAVO

LIBRI DUO.

CLARISSIMO VIRO

PHILIPPO RUBENIO P. F.

S. P. Q. ANT. A SECRETIS,

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

S. P. D.



A temporum noſtrorum eſt ratio, ut, quamvis multa videant boni quotidie ac audiant, quæ eos non delectent; numquam tamen probare potuerim illorum faſtidium, qui ſemper priorum ſæculorum felicitatem jactantes, illam, in quam ſors naſcendi & neceſſitas eos demiſit ætatem, cum Aſcræo ſene perpetuis damnant querelis. Contra ea de hoc ego ſæpe mihi gratulor, & præcipuam duco felicitatem, quod nec longe ante hoc tempus nec diu poſt ſim natus. Tantæ enim & tam illuſtres hac noſtra & paulo ſuperiore memoria omnium præclararum artium factæ ſunt acceſſiones, tanta effloruit virorum doctiſſimorum ubertas, qui excellentis ingenii bonitate tanquam divino quodam afflatu concitati in omni liberalis doctrinæ genere tanto elaborarunt ſtudio & contentione, ut, quæ antea denſis erant circumfuſa tenebris, nunc in aperto ſint, & omnium conſpectu poſita; quæque ante ignorabantur ab omnibus etiam eruditiſſimis, nunc nemini poſſint eſſe obſcura, niſi qui ſocordia & ignavia ſibi ipſe hanc laudem & felicitatem invideat. Nam, ne alia commemorem, ſiderum motus & ſtellarum numerus quando exploratius fuit cognitus quam hac tempeſtate? An unquam accuratius fuit inveſtigata, & in excelſius faſtigium evecta doctrina illa, quæ aut in mundi principiis & rerum naturalium cauſis indagandis; aut quæ in ſingulis humani corporis partibus, & abditis illis venarum ductibus explorandis, aut quæ in orbis terrarum ſitu deſcribendo verſatur? Quæ laus temporum fere magis noſtrorum eſt quam hominum: inventa enim ſunt talia inſtrumenta divinitus potius quam conſilio, & quibus tenuiſſimæ minutiſſimorum corpuſculorum particulæ penitus perſpici & accurate conſiderari; & quibus in remotiſſima loca & ipſas quaſi cæleſtium orbium ſedes acies oculorum immitti; & quibus curſus navium certiſſima quadam via & ratione poſſunt moderari. His effectum eſt, ut arcana illa & ab omni ævo incognita naturæ myſteria quamplurima fuerint in lucem protracta, peragrata vaſtiſſima maria, quæ olim nec adiri poſſe credebantur, terræ disjunctiſſimæ, & alio ſole calentes apertæ. Quid dicam de ſtudiis humanitatis, de antiquitatis notitia, de omnium memoriarum rebus geſtis? Quam multa abſtruſa, recondita, ſepulta, majoribus noſtris inviſa & inaudita felix magnorum hominum ſollertia, & incredibilis induſtria, qua ad omnem priſci ævi ſapientiam complectendam exarſerunt, eruit: quanta luce illorum libros perfudit, quibus ad omnem humanitatem informamur. Horum omnium cognitione nobis eſſet carendum, ſi priora nos tuliſſent ſæcula. Quid autem iis, quorum animi pulcherrima rerum ſcientia paſcuntur, poteſt eſſe antiquius

quam ea habere explorata, in qua docti & ſapientes viri ſemper inquiſiverunt ſumma cura & ſtudio, nec tamen potuerunt perveſtigare? Ego ſane, qui in litterarum & ſapientiæ ſtudiis unice conquieſco, nec regnum, aut quidquid eſt opum & dignitatum mereri velim ut illa ignorem. Et profecto in tot & tantis muneribus, quibus affecta eſt ætas noſtra, qui non lætantur, qui non triumphant ſe nunc demum vivere, cum tanta rerum præclararum copia doctorum virorum ingenio & labore nobis parta eſt, aut invidia ſuffuſum in præſentia habent animum, aut ſtulto quorum copia eſt laborant tædio, aut bona ſua non intelligunt, & pretia rerum æſtimant annis. Nolim autem hæc ſic accipi, ac ſi exiſtimem hac ætate omnes artes exactas eſſe & veniſſe ad ſummum perfectionis, quo nihil poſſit cogitari ineptius. Quis enim non videt quanta ſit adhuc in omnibus rebus obſcuritas, quantis involucris in profundo demerſa jaceat veritas, quantum noſtræ & poſterorum relictum ſit induſtriæ? Riſum ſæpe mihi excutiunt, qui conqueruntur, omnem facultatem & ſpem ſibi eſſe præciſam a majoribus præclari aliquid elucubrandi: omnia nunc eſſe pervulgata in omnibus artibus & diſciplinis, omnia aſpera complanata, omnes nodos expeditos, nihil caliginis, nihil difficultatum ſedere uſquam, aut ſi quid reſtet, in quod noſtram operam poſſimus conferre, id eſſe unicum, ut breviore via tradantur omnia, & in compendia referantur, quæ multis ſtudiis & vigiliis a doctis fuerunt conquiſita & tradita. *O ſeri ſtudiorum*! Quo judicio hos credimus verſari in lectione, & quem fructum ejus ferre, & quota de iis, quæ legunt intelligere, quibus

Nil eſt intra oleam, nil extra & in nuce duri.

Nullum certius argumentum eſt levis cujuſdam & puerilis eruditionis, quam nuſquam hærere, de nulla re dubitare, nullas in lectione ſalebras, nullam remoram offendere. Qui hanc ſectam ſequuntur, ſuo produnt indicio, nihil ſe didiciſſe unquam niſi tritum maxime & vulgare, nihil ſe videre in ulla diſciplina & ſcriptorum genere, nec intelligere quidem quæ ſit illa interior doctrina, quam qui imbiberunt, ab omni ætate ſunt habiti eruditi. Sane quo quiſque eſt doctior, tanto plura in ſingulis pæne paginis, ne dicam verſibus, advertunt animum, detinent oculos, curſum lectionis inhibent, attentionem acuunt, & perſcrutari jubent ac eruere majoribus ignorata, & profutura poſteris. De centonum vero fartoribus & auctoribus epitomarum quid dicam aliud, quam, *Dii terris talem avertite peſtem*! Nata eſt iſta natio corrumpendis & abolendis omnium virorum egregiorum lucubrationibus, qui, ſi quid mortui ſentiunt, execrantur iſtos homines, qui tam fœde mutilant & lacerant ſuos labores. Tantum vero abeſt, ut omnia ſint excuſſa, & ſupremam manum receperint, ut nulla ſit diſciplina, & ne pars quidem ullius diſciplinæ, nullumque ſcriptum extet antiquum, in quo non viro acris ingenii, & indefeſſi ſtudii, plurimæque doctrinæ, multa magnaque ſuperſint obſervanda, quæ alii, qui eidem curæ invigilarunt, ſunt prætervecti. Non deeſt fabro materia, ſed materiæ faber. Quamvis vero ſint infinita, in quibus expoliendis cum magna laude & fructu verſari poſſit hominum non ineptorum induſtria, nullus tamen miror perpaucos eſſe, qui-

bus amplificatio & processus studiorum doctrinæ & sapientiæ sint curæ, longe vero plurimos, quos juvet prædas agere, & compilare alienæ industriæ fructus. Opes invenire bonis artibus negotium est arduum, plenum sudoris, sollicitudinis, vigiliarum; partis vero alieno labore frui nihil habet molestiæ, sed & nihil gloriæ. Hos labores, has severas leges, quibus tenentur qui adspirant ad laudem & immortale nomen, hanc assiduam meditationem, qua enitendum est quidquid nostrum esse, & posteris debet probari, detrectant plerique omnes, & malunt alienos fœtus adoptare quam ipsi parturire. Malum istud gliscit indies, & magis magisque consenescit ille ardor augendi splendorem & amplitudinem rei litterariæ. Videmus viam istam facilem, proclivem, violis ac rosis quasi constratam sectari omnes; ab illa aspera & multis difficultatibus obsepta, quæ sola tamen ad virtutis & doctrinæ templum ducit, neminem non abhorrere. Hæc vero ratio non potest non conjuncta esse cum clade & interitu omnium liberalium artium & eruditionis. Equidem magnus fœdæ illius barbariei, quæ late ante hos ducentos annos inquinaverat omnia, timor impendet. Nullius scientiæ, & nullius veræ laudis ac gloriæ possessio ac custodia potest esse diuturna, ubi obsolescit diligentia, socordia vero & veternus omnia tenet. Illos autem, qui lumine litterarum extincto lucis usura fruentur, miserrimos omnium & infelicissimos judico, qui vere conqueri poterunt se, si qui umquam, diis omnibus iratis esse natos. Quæ enim vita sine litteris vitalis esse potest? Mors ea est, non vita & sepultura vivorum hominum. Nobis vero nonne justæ magnæque causæ sunt exultandi, & quod ista ætate nobis interesse rebus humanis contigit, qua omnes bonæ artes caput extulerunt altius quam prioribus sæculis, & quod illam procellam & cæcam noctem, quæ imminere litterariæ Reipublicæ, tristeque illud fatum quod manere videtur posteros effugerimus. Sed funestum hunc exitum Deus avertat, & faxit ut hoc metu, si quæ impendet acerbitas, liceat defungi. Ad nostri sæculi felicitatem tuendam juxta & augendam faciunt sane & hi libelli, docti hercule & perpoliti, Alberti Rubenii, patruelis tui, viri virtute, doctrina, ingenii elegantia & morum suavitate & sanctitate in primis numerandi. Quid enim illi docent quod non sit exquisitum, quod non latuerit adhuc omnibus, qui a renatis litteris in hoc studiorum genere illustrando desudarunt? Et quid ab eo, quem vestra doctrinæ & ingenii laude florentissima familia edidit, poterat aliud expectari? Nihil dicam de parente tuo Philippo Rubenio, unico alumno disciplinæ Justi Lipsii, viri immortalis. Ejus prudentia, probitas, cultissimum ingenium, singularis eruditio, eleganter scribendi in utroque orationis genere facultas non modo Belgium, sed Italiam ipsam in se convertebant, & principum virorum studia & benevolentiam alliciebant, ut cupide multi eum complecterentur, & ejus expeterent operam. Alienus sit ab omnibus Musis & Gratiis, qui ignoret patrui tui Petri Pauli Rubenii manum illam, & artem politissimam, quæ palmam Apellibus & Zeuxidibus fecit ambiguam, & hinc eximiis honoribus & judiciis maximorum Regum fuit ornata, cum qua conjunxerat insignem quamdam omnis antiquitatis & politioris litteraturæ notitiam, qua impleverat pectus.

Hujus laudis hereditatem, quæ omnium beatorum patrimonia ſuperat, crevit ejus filius Albertus, & ſe dignum hoc patruo, & hoc parente præbuit, primumque habuit quidquid ei vacui temporis eſſet a curis & negotiis Reipublicæ, quibus perpetuo diſtinebatur, collocare in iis artibus, quibus immortalem gloriam, & ſui majores, & quicumque veræ laudis fuerunt cupidi, ſunt conſecuti. Utinam vero ipſe perficere potuiſſet & publicare quæ nunc ex variis ejus & diſperſis ſchedis, quod tu omnium minime ignoras, mihi fuerunt colligenda. Pulchriora certe & abſolutiora nunc apparerent & hæc, & plura alia quæ inchoata reliquit; quamvis iſta quæ damus, etiam, ut nunc ſunt, digna ſint quæ collocentur in arcem, & eruditorum hominum gratulationibus & applauſu, de quo nullus dubito, excipiantur. Ea vero tuæ, Vir Clariſſime, debentur pietati. Abſque te fuiſſet, blattis & tineis ceſſiſſent pabulum. Sed tu dum tam illuſtrem gentis tuæ imaginem ad poſteritatis memoriam voluiſti prodi, tuam prodidiſti. Ipſe tibi erexiſti monumentum omnibus Mauſoleis perennius, quod in pretio erit, quamdiu litteræ erunt, quarum cultores æternum tibi devinxiſti, quod iis hos aureolos tui patruelis libellos noluiſti debere. Vale, Vir Clariſſime. Trajecti ad Rhenum Kal. Dec. cIↃ. IↃC. LXIV.

NICOLAI HEINSII
ELEGIA
in obitum
A. V. ALBERTI RUBENII,
PHILIPPO IV. HISPANIARUM REGI
IN SANCTIORE CONSILIO A SECRETIS,
AD EXIMIUM, ET CELEBERRIMUM VIRUM
CASPERIUM GEVARTIUM,
CÆSAREUM REGIUMQUE CONSILIARIUM,
ET HISTORIOGRAPHUM,
ARCHIGRAMMATEUM ANTUERPIANUM.



TIGRIS Achæmenio non me lactavit in antro,
Caspia Caucaseæ non dedit ursa nivi;
Pasta nec evomuit ratibus Zanclæa Charybdis,
Aut Scylla in rabidos inguine versa canes;
Mitibus ut lacrymis, GEVARTI, in funere charo
Parcere sustineam, nec mihi flere vacet.
Tolle (quid huc faciant?) solamina: tolle, precamur.
Vulneribus non hæc apta medela meis.
Crudus & in cursu pleno dolor hactenus ullam
Fomenti impatiens ferre recusat opem.
Parce manu medica tractare, coiverit ulcus,
Plaga cicatricem ducat acerba sine.
Utile nunc stimulos, nunc calcar subdere flenti:
Sic mala consuescam lenius alta pati.
Ut me mœstitiæ domet impetus, utque fatiget,
Et capere incipiat seque tuamque manum.
Causa piis utinam lacrymis minus æqua daretur!
Me miserum! cur tam justa querela mihi est?
Fertur in exequias RUBENIUS: ille vetusti
Optimus interpres temporis, ille sui.
Qui latebras morum, Labyrintheosque recessus
Norat, & abstrusi terra quod omnis habet:
Vivida Candoris fucum metuentis imago,
Quamque sibi Theseus gaudeat esse fidem.
Congeries Venerum, Latii penetrale leporis,
Illita Mopsopii nectare lingua favi.
Quem pater artifici cura limarat ad unguem,
Laudis in id summam contuleratque suæ.
GEVARTI, pater ille, nihil cui maxima rerum
Roma quod opponat, par nihil Hellas, habet.
Cedat, Alexandro vel judice, Cous Apelles,
Qui tabulis animas addidit ante suis.
Has Cypris modo nata manus se tangere mallet,
Dum sale rorantes exprimit uda comas.
Addita doctrina est, & vasta scientia rerum:
Qua pater heredem vidit in arte suum.
Vidit, &, æquari non invidus, impulit ultro,
(Dum dubiam se dat palma) profusus amor.
Ardua jamque ducem post terga reliquerat heres
Impiger, & Lycio gloria certa Deo.
Stamine nil questus Lachesin properare secando,
Inque sua genitor prole superstes, obit.
Felicem bis terque senem! ni clade nefanda
Tangeret immeritam Parca cruenta domum.
Unicus, & patrias & avitas indole laudes
Jam complexe Nepos, tolleris ante diem.
Primævum teque addis avo nil tale voventi,
Umbra per Elysium sanguinolenta nemus.
Quem canis irato furibundi dente necatum
Lustravit Stygio nauta ter amne senex:
Ingemuitque videns, deploravitque peremptum,
Perque reluctantes non vehere optat aquas.
Heu miserande puer! tabo sanieque fluentem
Fovit adulanti Cerberus ipse juba.
Tum placide adlambens se gutture lingua trifauci
Exerit, ah quanto mitior illa tibi!
Urna recusavit tibi ducere Gnosia sortem:
Eumenis invitas immaduitque genas.
Ah pater orbari (si jam pater ille vocandus)
Haut tulit, ac votis se superesse suis:
Vulneraque effudit largos per hiantia fletus,
Arcuit invisum teque cadente diem,
Invidiaque deos oneravit, inania questus;
Gaudia, jamque miser, plangere sola vocat.
Hic labor, hoc studium est, huc tota negotia spectant:
Et curas, curis ut moderetur, alit.
Jam Senecam tractare piget: nihil excipit ultra
Livius, assuetam pagina trita manum.
Cum fastidito removetur Apolline Pindus:
Cuncta ferunt lacrymæ tempora: somnus abest.
Lenta virum tabes depascitur: urit edendo
Mœror, & attenuans viscera febris habet.
Mox colus incisa est, nimiis ne fata querelis
Noxia funestet seque, piosque lares.
Vita tibi, brevis illa licet, vir amice, negatur.
Stamina sed meritis sunt diuturna tuis.
Non ita Barbaries miseros caligine Belgas,
Ut tibi sit merces laudis adempta, premit.
Pascere, & exulta, Styx, cladibus, invida, tantis:
Nil agis, ah luctu non satianda meo!
Laus fugit obscœnæ tactum Rubenia Lethes:
Faucibus excutitur præda cupita tuis.
Ingeniis si durat honos, Clariamque cohortem
Si stata de domito tempore palma manet,
Ibimus in famam: nec sæcula sera negarint
Meque, Alberte, tuum, teque fuisse meum.

Eja age, GEVARTI, Phœbo ſtimulante, fleamus,
Quod ferat ætatem, terſa quod auris amet.
Vos pia fraterno vinxit concordia nexu:
Patria vos, ſtudium vos ſociarat idem.
Pirithoum Ægides, Pylades ne jactet Oreſten;
Par amor, & pietas major utrique fuit.
Quid meditor dare verba mihi? dolor avocat ægrum,
Interpellanti ſurdus, amice, lyræ.
Mœnia Mœoniden flerunt ſeptena, nec altum
Profuit Argolici Troja laboris opus:
Nata nec Alcinoi, nec Ulyſſi juncta Calypſo,
Clarave Telemachi Telegonique parens.
Turbat aquam lacrymis mœrens Aganippida Clio,
Marcuit arentem Pegaſis umbra comam,
Solaque dat gemitum reſponſa petentibus augur
Delius; hæc adytis vox ſonat una ſuis.
Heu! ubi nunc tibi, Phœbe, lyra eſt? ubi præſcia laurus?
Nunc ubi non tonſæ, dic, nitor ille comæ?
Gaudia Pimplæo RUBENIUS omnia ruri
Abſtulit: Aoniis lux erat ille choris.
In cinerem (modo quantus!) abis. vix oſſa ſuperſunt
Et cutis, & ſordem præter, amice, nihil.
Quem licet oſtentent de corpore fata triumphum,
Pars melior Stygiæ neſcia ſortis aget.

ELENCHUS CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

rium

rium Ordinem adspirabant per militiam latum clavum ante gestos honores impetrabant. Cum ad tribunatum venissent, eum accipiebant, si ante nondum obtinuissent. Senatu moti per Tribunatum recuperabant Senatoriam dignitatem. Horatius exponitur contra Torrentium. Laticlavalis. Angusticlavii tribuni, plebeii, qui per merita & labores ad tribunatum perveniebant. Angusticlavii annulos portarunt. Sub Imperatoribus non per merita & labores, sed ex favore potentum tribunatus obscuris dabantur. Tribunatus dignitas Equestris. Qui fuerunt Tribuni semper postea inter Equites censebantur contra Salmasium. Semestris militia. Juvenalis emendatur. Poeta Paridis non est Statius, ut Salmasius tradit. Statius Eques. Conjectura de Poeta Paridis. Angusticlavii sæpe post tres tribunatus laticlavii fiebant.

XVI. *Feminæ Asiaticæ latum clavum portasse videntur. Romanis non fuit in usu. Matronæ illustriores ab aliis dignoscebantur stola. Eam aliquando libertinæ portarunt. Differentia inter stolas plebejarum feminarum & illustriorum. Error Abrami. Equestris generis feminæ aureis pedum vinculis a plebeis distinctæ. Erant ea ansæ sive obstrigilla solearum. Male confunduntur cum periscelidis. Plebejæ feminæ argenteis pedum vinculis usæ. Monilia ex gemmis & margaritis gestarunt illustres, ex auro plebejæ feminæ.*

XVII. *Sacerdotes Saturni lato clavo usi, & sacerdotes Gaditani Herculis, & Phœnicum sacrificuli. Silio Italico lux. Calasires. Exterarum religionum sacerdotes habebant Calasires. Martialis locus adhuc non intellectus illustratur. Scribæ & Pharisæi laticlavias vestes portarunt. Phylacteria* στολαὶ *&* ἀμπεχόναι *diversum vestimenti genus.* Αμπεχόνη *pallium muliebre. Stola tenue amiculum feminarum ex bysso vel serico. Scribæ & Pharisæi muliebres amictus portarunt, contra Petavium. Stola materia & forma differebat a toga & pallio. Romæ viri muliebribus stolis utebantur in conviviis. Vestes cœnatoriæ stolæ dictæ. Marcus Antoninus nova luce perfusus. Cytharœdorum vestis stola,* Αναβόλαιον. *Amictorium.* Αναβολάδιον. Αμπεχόνιον *utrumque humerum includebat. Stola dextrum humerum excludebat. Stola toga feminarum. Scribæ & Pharisæi, & diaconi veteris Ecclesiæ amicula circumjiciebant ad instar stolæ. Orarium. Diaconi id gestarunt dextro humero excluso.*

XVIII. *Colobia monachorum & Presbyterorum laticlavia. Colobium quid? Differentia dalmaticæ & colobii. Colobia sine manicis. Colobium tunica Senatoria. Presbyteri colobiis usi. Dalmaticæ Diaconorum hujus ætatis angusticlaviæ. Casulæ sacerdotum laticlaviæ, pars ejus posterior in crucis formatur figuram. Clericis purpura a Concilio Narbonense prohibita. Sanctimoniales tunicas purpura distinctas gestarunt. Modus eis statutus a patribus. In Africa purpureas mitellas portarunt. In Anglia monachi diu purpura usi. Crustum. Lex Codicis Theodosiani emaculatur.*

XIX. *Clavi aurei duplicis generis. Clavis aureis angusti usi sunt Reges Græci & primi Romani; latis vero Reges Rom. & Consules ac Prætores cum triumpharent & thensas ducerent. Mantilia, stromata auro clavata.*

XX. *Clamydes quædam auro clavatæ. Iis usi Reges Romani. Chlamys Imperatorum pura purpurea. Reges barbarorum chlamydes habuerunt albas clavis aureis distinctas. Pallæ aureis clavis ornatæ, nonnunquam purpureis. Palla fuit indumentum, non amictus. Palla Græcis peplum. Peplum aureis clavis ornatum. Pepli forma. Peplum mixta ex pallio & tunica vestis. Peplo utebantur illustriores feminæ in publicum proditura. Palla fibulatoria tunica Romanorum matronarum habitus. Candys. Gallicæ pallæ. Tunicopallium. Pallæ dicuntur pallia. Palla & peplum interdum est exterior vestis.* ξύστις *erat vestis purpurea, auro distincta, Tragicis propria. Palla aurata vestis Tragicorum, & omnium Dionysiacorum artificum, ac qui ad bestias damnati. In pictura veteri est citharœdus, non femina, contra Pignorium.*

XXI. *Matronæ auro clavatas tunicas portarunt in nuptiis & festivitatibus publicis. Aureæ viæ. Reges aliqui Græcor. & Barbar. tunicis albis & purpureis auro clavatis usi, ut & Reges Romani. Romulus & veteres Quirites tunicas portarunt. Patagiata tunica Gracchi. Gladiatores & ad bestias damnati pretiosis vestibus ornabantur. Reges Romani tunicis auro clavatis usi usque ad Tullum Hostilium, aut Tarquinium. Palmata tunica. unde dicta?* χρυσόσημος. *Tunica palmata. Jovis tunica dicta. cur? In Capitolino & Palatino multæ vestes pretiosæ. Simulacra deorum vestibus aureis & purpureis ornata. Vestitores simulacrorum, fasces & virgæ simulacris deorum prælatæ. Lictor deorum. Magistratus curules quando thensas ducebant, habitu triumphali usi. Thensas ducere. Suetonio, Juvenali, Capitolino lux. Triumphalibus viris concessum ut ludos Circenses palmatis induti spectarent. Cæsari sella aurea & vestis regia decreta. Dio eleganter emendatus. Vestis regia toga purpurea. Confunditur cum veste triumphali. Error Plutarchi & viri docti.*

XXII. *Posterioris ævi Imperatoribus triumphantium insignia tributa. Consularis toga palmata. trabea dicta. variis segmentis ornata. Segmenta. Cur trabea dicta vestis consularis? Eam cinctu Gabino portarunt. Omnes Senatores illo tempore togam cinctu Gabino portarunt. Imperatores in consulatu trabeas gemmatas portarunt. Schema. Exconsules in publicis sollemnitatibus vestes triumphales portarunt. Philostorgius & Sidonius emendati. Prætorii & Consulares viri florente republica in ludis publicis prætextas consulares portarunt. Ciceronis locus insignis explicatus.*

XXIII. *Chrysoclavus picturæ species, non clavus aureus, contra Meursium, Salmasium, alios.* Χρυσοκόκκινον. Χρυσοπράσινον. Χρυσοκίτρινον. Χρυσοκλαβάρικον,

XXIV. *Clavi picti. Clavi tabulæ dictæ, quia tabulis longis similes erant. Salmasii & Meursii error.* Seu *pro* &. *Tabulæ ab orbiculis distinctæ. Orbiculus quid?* πλέμια *non sunt clavi. Plumatæ vestes. Plumeæ vestes e plumis avium confectæ.*

XXV. *Scutulatæ vestes non sunt virgatæ, contra Salmasium. Scutulatæ vestes quæ rhombi figuram habebant. Scutulæ in pavimentis. Scutulæ lances* ῥομβοειδεῖς.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Calceus Senatoriæ dignitatis insigne. Antiquissimi Romanorum omnes perones portarunt: qui Magistratum curulem gesserant, calceos ex aluta mulleos. Cato menda purgatus. Calcei mullei alutati, aluminati. Mullei unde nomen acceperunt? Eos gestarunt Albanorum Reges, & Romanorum, postea qui curulem Magistratum gesserunt, sed tantum diebus solemnibus, quum ludos celebrarent. Hi calcei inter triumphantium insignia fuerunt. J. Cæsar contra consuetudinem semper iis usus. Cur? Mullei calcei differebant a Patriciorum calceis. Illi erant ex sandaliorum sive crepidarum genere. Cothurnus. Tyrrhenici. Tusci calcei. Mullei similes cothurnis. Cothurnorum forma. Ad mediam usque tibiam perveniebant. Cre

ALBERTI RUBENII DE RE VESTIARIA PRÆCIPUE DE LATO CLAVO,

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Variæ virorum doctorum sententiæ de lato clavo ad quinque capita relatæ. Egnatii, Sigonii, Accursii, Lazii, Panciroli, Cujacii, Budæi, Salmasii, Ferrarii, Jos. Scaligeri opiniones rejectæ. Clavi non fuerunt flores, non fibulæ, nec globi, nec prætextæ, nec bullæ e purpura, & clavorum capita. Vestes floridæ. Fibulæ in tunicis mulierum. Clavi tunicis inserti. Prætexta toga. Tunicæ prætextæ Barbarorum vestitus. Tunicæ prætextæ viriles limbis purpureis & aureis sub Gallieno. Prætextæ magistratuum & puerorum. Περιπόρφυρα, μεσοπόρφυρα. *Unus aut duo tantum clavi in veste Romana. Plagulæ. Patagium. Nonius explosus. Petronius & Varro explicati.*



NEmo qui vel summis labris attigit rem antiquariam Historiasque Romanas, ignorat latum clavum insigne fuisse Senatoriæ dignitatis, Curiamque ab Equite distinxisse. Sed quid fuerint clavi nondum satis liquet, quamvis nulla res æque diversis doctorum virorum opinionibus jactata sit. Omnium tamen opiniones ad quinque capita reduci possunt. Quidam etenim affirmant clavos fuisse flores intextos vesti; alii fibulas esse, aut globulos, quibus tunicæ connectebantur.

Tertia opinio eorum est, qui ajunt latum clavum fuisse tunicam purpura prætextam.

Quarta asserit fuisse plagulam, quæ ab humeris in pectus dimittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. Sed major eruditorum pars in eam concessit sententiam, ut credant clavos fuisse capita clavorum ex purpura vel auro intexta tunicæ.

Sed omnes hæ opiniones quoniam mihi non videntur cum iis, quæ apud Veteres de clavis vestium observavi, convenire, primum sigillatim eas, quantum in me est, refellam; deinde meam hac de re sententiam proferam, quam submitto eruditorum examini.

Joannes Baptista Egnatius *ad Aurelianum Vopisci*, Auroclavatas vestes exponit, *quæ clavos aureos habent, nos flores appellamus*. Ita Sigonius quoque lib. III. *de Judiciis* cap. XIX. & Jo. Sarius Samoscius l. I. *de Senatu Romano*: *Clavata tunica fuit, quæ clavos purpureos intextos habuit, aut latos, aut angustos: fuerunt autem clavi quasi flores panno intexti*. Sed hæc opinio merito refellitur a Bayfio cap. VII. *de Re Vestiaria*, & Isaaco Casaubono *ad Ælii Lampridii Alexandrum*. nec enim florida vestis Romanis usitata, nisi delicatioribus, ut & fœminis, ut bene notat Colvius *ad lib.* II. *Metamorph. Apuleii*. Servi etiam floridam vestem portabant: Asterius Homilia ultima: Ἔγνων ἐγὼ γυναῖκα, ϗ τὴν κόμην κείρασαν ϗ ἀνδρικὴν περιθεμένην ἐσθῆτα, ϗ ταύτην ἀνθινήν, ἵνα ἀνδρὸς φεύγοντος ϗ κρυπτομένου μὴ χωρισθῇ. Δοῦλος δὲ εἶναι δοκοῦσα, ἀληθῶς δουλεύει τῷ πάθει. *Novimus ipsi mulierem, quæ attonsa coma vestem virilem, eamque floridam induit, ut ne virum fugientem latentemque deserere cogeretur. Ita cum servitutem servire videatur, affectui vere servit*. Clavis autem plerique utebantur, qui Senatores ab Equitibus discernebant. Deinde unus aut alter clavus in vestibus erat, cum florida vestis tota floribus sparsa esset.

Quidam clavos interpretantur fibulas, aut globulos aureos & purpureos, qui vel ad pectus assuebantur, Accurs. *ad leg.* §. *D. de auro & argento legato*, Lazius lib. II. cap. III. & lib. VIII. cap. IV. *comment. Reip. Rom.* vel latera tunicæ connectebant, *Pancirolus* lib. I. *rerum memorabilium*, P. Gregor. parte III. *Syntagmatis Juris universi* lib. XLVII. cap. XXIII. *num.* XVII. His accedere videtur Bayfius cap. VII. *de Re Vestiaria*, qui tamen cap. XII. fatetur ingenue sibi non liquere. Hieronymus quoque Bossius Ticinensis, singulari libro de lato clavo Senatorum edito, non multum ab his abit, & latos clavos fuisse fibulas purpura & auro mixtas affirmat, & ad pectus adsui solitas. Sed hæc magnorum virorum opinatio non est pluribus verbis refutanda; etenim nomine impellente per se corruit, cum in statuis togatis & consularibus, quæ ex ære & marmore supersunt, nusquam hæ fibulæ aut globuli appareant, quibus muliebres solum tunicæ quandoque connecti solitæ. Præterea constat, clavos vesti ut plurimum intextos fuisse. quis sani ingenii negabit hoc non posse convenire fibulis? Deinde non solum tunicæ & chlamydes clavis distinguebantur; sed & mappæ & mantelia; quæ globulis aureis aut purpureis connexa fuisse quis credat?

Doctissimus Jurisconsultorum Jacobus Cujacius lib. XII. *Observat.* cap. XXXIX. novam de lato clavo sententiam proponens: *Non fuit autem*, inquit, *clavus, sive latus, sive angustus, quod existimant fuisse vulgo. Invenio enim clavos esse potius partem vestimenti, quam vestimentum. & sicut institas, ut diximus cap.* XXIV. *ita clavos alios consui vestimento, alios non consui, & indistincte vestimento legato contineri quasi par-*

A *tem*, *leg*. XIX. §. Plane *leg*. XXIII. §. I. de auro & argento legato. *Sane quibus honoris causa utebantur Senatores, vel Tribuni, vel Equites, non erant consuti vesti, sed supra eam demissi in pectus usque, alii arctius, alii latius, ut recte Horatius dixerit: Latum demisit pectore clavum. Et integer Acro in illum locum: Prætextam & latum clavum, prunæque batillum: Latum clavum, inquit, purpuram dicit quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci* τ̀ κολοβίωνα *vocant. Et hanc interpretationem confirmant aperte Petronii Arbitri verba: Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlviam immiserat mappam, fimbriis hinc* B *atque illinc pendentibus*. Atquæ hæc Cujacius; qui etiam addit nostros quosdam Monachos lato clavo uti, sed viliore; id vestimenti genus designans, quod nunc Scapulare vocant. Secundas illi agit Jacobus Cruquius *Comment. in Horatii Sat*. v. *lib*. I. & Joannes Wouwerius *ad Petron*. Sed hæc maximi viri sententia valde debili tibicine fulta est: nec enim ideo minus latus clavus in pectus dimittitur, aut purpura in pectore extenditur Senatorum, quamvis intexta aut adsuta sit.

Nec ex allatis Horatii verbis assequor, qua ratione colligat clavum Senatorium tunicæ haud-C quaquam adsutum vel intextum fuisse. De Acrone postea videbimus. Petronii certe locus nihil ad rem pertinet; nec enim ibi describitur Trimalcio in laticlavia tunica, sed in veste cœnatoria, cum sudario clavato circa collum. Etenim & mappas purpura clavabant, ut apud Martialem: *Et lato variata mappa clavo*. Romanos autem in tricliniis mappas & sudaria circa collum immittere solitos, constat ex Suetonio, qui de Nerone cap. LI. narrat, eum plerumque synthesinam indutum, ligato circa collum D sudario, prodiisse in publicum; quod & Dio de eodem refert.

Nec colobium etiam esse Scapulare Monachorum quo hodie utuntur, satis patebit ex iis quæ infra de colobiis dicemus, ubi locum illum Acronis, quem adfert, latius explicabimus.

Deinde refragantur Cujacio omnes scriptores veteres, qui clavos tunicæ insertos fuisse clare ostendunt; ut ex iis quæ infra dicemus satis innotescet. Immo & omnia marmora antiqua & numismata, quæ cum sæpe viros Consulares referant, qui sine dubio latum clavum portabant, tamen nunquam habent Scapularia illa, quæ Monachi E nostri portare solent.

Majori fundamento nititur Budæus *ad leg. ult. D. de Senatoribus*, qui arbitratur latum clavum *Tunicam fuisse purpura pretextam, latiorem tunica vulgari, longioremque ac discinctam, cui toga superinducebatur*. Et secutores habuit Corasium *ad leg.* II. §. *Deinde quia difficile*. *num*. XLII. *D. de Orig. Juris*. Tiraquellum *Comment. ad Alexand. ab Alex. Genial. lib*. IV. *cap*. XI. quamvis ad lib v. cap. XVIII. clavos tradat esse ornamenta quædam purpurea clavorum speciem præbentia, tunicis attexta seu adsuta.

F Carolus Neapolis etiam, splendidissimus juvenis immaturo fato ereptus, in novissimis *ad Fastos Ovidianos Commentariis* lib. II. clavum interpretatur *Fasciam, qua vestes in extremis oris ornabantur*. Veteres quoque Grammatici nonnulli huic interpretationi favere videntur, qui clavos cum purpura prætexta vel limbis vestium confundunt. Ita Festus: *Ricinium omne vestimentum quadratum ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt. Verrius togam qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo*. Isidorus in Glossis: *Limbus navis piratica, vel clavus in veste regia, sive ipsa vestis*. Sed ad hanc opinionem refutandam haud multis verbis opus est.

Prætexta toga, quam Græci περιπόρφυρον vocant, dicebatur ea, cujus ora & circuitus purpura prætextus erat, ut bene Bayfius observat. His utebantur Magistratus, Sacerdotes, & nobiles pueri. At apud Romanos florenti Imperio tunicam virilem unquam prætextam fuisse non legi, saltem ante Gallienum; quamvis apud Barbaros id in usu fuerit, ut Ortyges ille Erythræorum Tyrannus, de quo Hippias lib. II. *Historiarum* apud Athenæum lib. VI. quem muliebri cultu usum idem notat. Sic & Hispani linteas tunicas purpura prætextas portabant, ut Polybius & Livius annotant. Et Longobardis erant vestimenta laxa, & maxime linea, ornata institis latioribus, vario colore contextis, teste Paulo Diacono lib. IV. cap. XXIII. Et Carolus Magnus utebatur tunica, quæ limbo serico ambiebatur, ut Eginhardus narrat. Corippus libro II. de veste Justini Imperatoris:

> *Substrictoque sinu vestis divina pependit*
> *Poplite fusa tenus, pretioso candida limbo.*

Sed & apud Romanos crescente luxu, & decrescente Imperio; id est, sub Gallieno aut circiter, etiam tunicæ viriles his limbis purpureis aut aureis ornari cœperunt; hinc tunicæ paragaudæ, monolores, dilores, trilores, pentolores memorantur a Fl. Vopisco in *Aureliano*; sed de his accurate tractant Isaacus Casaubonus, & Claudius Salmasius in *Notis ad Vopiscum*: Hunc tamen miror scripsisse, *Postea luxu crescente, virilibus quoque vestimentis aurata segmenta adtexi cœpere; nam antea purpura tantum prætexebantur viriles tunicæ, ut erant prætextæ Magistratuum & nobilium puerorum*. Sed prætextas puerorum & Magistratuum fuisse togas, non tunicas, notum omnibus, nisi qui nondum ære lavantur.

Ex his satis constat errare eos, qui latum clavum exponunt prætextam purpura tunicam, cum Romani nunquam talibus tunicis usi fuerint, solum usu earum feminis concesso Deinde inter prætextas & clavatas vestes omnes Romani scriptores passim distinguunt, ut etiam Græci inter τὰ περιπόρφυρα, id est, prætextas purpura, & μεσοπόρφυρα, id est, clavatas purpura, ut Hieronymus interpretatur lib. II.*Comment. in Isajam*. de quibus inferius.

Ad hæc si clavus erat limbus purpureus imæ tunicæ adtextus, non video qua ratione Horatius clavum in pectore collocet:

> —— *Et latum demisit pectore clavum.*

& Acro, qui scribit latum clavum fuisse purpuram, quæ in pectore extenditur Senatorum. Non video etiam, quomodo Quintilianus præcipiat Angusticlaviæ, ut purpuræ suæ, id est, clavi, recte descendant. Ut & D. Eucherius, qui lib II.*ad Salonium*: *Pœnula est quasi lacerna descendentibus clavis*. Qua de re postea latius agemus. Post tot eruditorum hac de re opinationes nunc omnium fere litteratorum Senatusconsulto sancitum est,*Clavos fuisse velut bullas e purpura, & capita clavorum intexta tunicis*. Ita Lipsius lib. IV. *de Magnitudine Romana* cap. II. post Valtrinium lib. III. cap. XIII. *de Re Militari*. Torrentius *ad Horatii Satyr*. VI. *lib*. I. Claudius Salmasius *ad Vopiscum*, & novissime lib. III. cap. XII. Octavius Ferrarius egregio illo opere, quo ita omnem de priscis vestibus materiam exhausit, ut promissos a Casaubono & Salmasio *de Re Vestiaria* commentarios vix desideremus.Sed nec inter ipsos hujus sententiæ assertores satis convenit.Aliqui

enim, ut Nicolaus Abramus *in Orat. Ciceronis adversus Pisonem §.* XXII. *n.* II. hosce clavos extremam tunicæ partem inoculasse, vel tota tunica dispersos fuisse contendunt; Idem *in Cælianam §.* LXXVII. *n.* II. alii ad pectus tunicæ eos adsuunt. Sic etiam quidam hæc frusta vel fragmenta purpuræ, quæ clavorum capita imitabantur, rotunda fuisse affirmant, Ferrarius l. d. alii quadrata, Salmasius *in Vopiscum*. Sed non video tamen, si quadrata vel rotunda fuerint, qua ratione latitudo eorum Curiam ab Equite dixinxerit. Quadrata enim magnitudine excrescere possunt, non latitudine, & nulla rotunditas (ut Hieronymi verbis utar *in Epist. ad Ephes. cap.* III.) latitudinem & longitudinem habet. Adhæc si clavi erant rotunda aut quadrata purpuræ frusta, quæ ob similitudinem a capitibus clavorum ferreorum nomen acceperunt; pluribus quidem ejusmodi clavis tunicam Senatoriam distinctam fuisse oportet; una enim aut duæ bullæ haud grande lumen afferre poterant tunicæ Senatoriæ: & plures sane clavos in una tunica concedit Salmasius, & Ferrarius, qui Varronis auctoritate hoc confirmare nititur. Atqui unum modo aut duos ad summum clavos in veste Romana admittit Horatius:

Purpureus late qui splendeat unus & alter
Adsuitur pannus.

Et Quintilianus lib. VIII. cap. V. *Porro ut lumen affert clavus purpuræ loco insertus; ita certe neminem decet intertexta pluribus notis vestis.* Præterea Ammianus Marcellinus plane hanc sententiam destruit. sic enim lib. XVI. *Veterator quidam ad lautum convivium rogatus, & mundum, qualia sunt in iis regionibus plurima, cum vidisset linteorum toralium par, duos clavos ita latissimos, ut sibi vicissim arte ministrantium cohærerent, mensamque operimentis paribus tectam, intrinsecus structuram omnem, ut amictus adornaverat principales, quæ res patrimonium dives evertit.* Quomodo hæc purpuræ fragmenta clavorum capitibus similia in linteis toralibus ita sibi invicem arte ministrantium cohærere possint, ut amictum Imperialem, qui purpureus erat, referant, non perspicio. Inter has duas tamen Cujacii & Salmasii, ac qui illos sequuntur, opiniones, mediam sectatur Josephus Scaliger in *appendice Conjectan. ad lib.* VIII. *Varronis*, ubi scribit: *Clavus erat plagula, quæ ab humeris in pectus dimittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. Clavis quibusdam consita erat, in Senatoribus quidem, latioribus; in Equitibus, angustioribus. Proptera tota plagula ipsa vocabatur clavus.* Nonius: *Patagium*, inquit, *aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet; nam patagium erat honestis matronis, quod clavus viris, & ipsum ἔτυμον declarat. Nam patagium dictum, quod quibusdam quasi maculis & nævis inspersum erat: παταγο enim, nisi fallor, est morbus pestilens, quo correpti qui moriuntur, nullum indicium morbi relinquunt aliud, quam nævulos in parte corporis.* Sed hæc Scaligeri sententia satis convelli potest partim iis quæ contra Cujacium, partim quæ contra Lipsium & Salmasium diximus. Deinde nec ipse Varronis locus, ex quo elicit clavum plagulam esse, quæ clavis consita ab humeris in pectus dimittebatur, ipsi opitulatur. Ille etenim ita scribit lib. VIII. *Nam si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis: utraque pars in suo genere caret analogia.* Hoc sensu, ut mihi videtur, cum tunica constet ex duobus pannis, sive ex *δοῖν περιτμημάτων*, ut Josephus ait lib. III. *Antiquit.* cap. VIII. id est, duabus plagulis, ut Varro hic appellat, quæ consuuntur ad latera: si pas anterior tunicæ sit angustis clavis ornata, pars vero posterior latis clavis, utraque in genere suo caret analogia. Tertullianus huc alludit libro *de Oratione*, in principio: *Dei Spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio, sermo rationis, & ratio sermonis, & Spiritus utriusque* JESUS CHRISTUS *Dominus noster novis discipulis novi Testamenti novam orationis formam determinavit. Oportebat enim in hac quoque specie novum vinum novis utribus recondi, & novam plagulam novo adsui vestimento.* Et has duas plagulas tunicæ alibi Tertullianus utrumque corpus appellat lib. *de Pudicitia* cap. VIII. *Plerosque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in vestibus purpura oculandis sæpissime evenire est, quum putaveris recte conciliasse temperamenta colorum, & credideris comparationes eorum inter se animasse, erudito mox utroque corpore, & luminibus expressis errorem omnem traducta diversitas evomet.* Quod etiam de patagio addit Scaliger haud omnino placet. Quamvis enim Nonius dicat patagium esse clavum aureum, qui pretiosis vestibus immitti solet; valde improprie & pro more sæculi sui locutus est, quo omnia segmenta vestimentorum, quamvis ad oras attexta essent; clavos appellabant, ut inferius dicemus. Patagium enim non erat clavus, sed segmentum aureum, quo summa ora tunicæ circa guttur ornatur. Ita Festus, cujus major auctoritas quam Nonii: *Patagium est quod ad summam tunicam assui solet.* Atque hanc sententiam aperte firmat Apulejus lib. II. *Metam. Uberes enim crines leniter emissos, sensimque sinuato patagio residentes, paulisper ad finem conglobatos in summum verticem nodus adstrinxerat.* Ubi eleganter crispos & flavos Fotidis crines circa collum ejus dispositos sinuosum patagium appellat. Patagiata etiam tunica ornatus est Gracchus apud Juvenalem Satyr. VIII.

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigit.

Atque hæc brevi de Patagio. Eradicandus enim error ille, qui doctos viros Scaliger. *ad Festum.* Salmas. *ad Pallium Tertulliani*, & alios, hactenus occupavit, patagium esse clavum aureum in vestimentis mulierum.

CAP. II.

Clavi sunt lineæ purpureæ. Glossarium emendatum. Πορφύρη ἐνυφασμένη. μεσοπόρφυρα. περιπόρφυρα. μεσόλευκος χιτών. *Mesoluecos. Mesolemelas. Zonæ. lineæ. virgæ: tramites. viæ.* σημεῖα. *Signa.* πλατύσημος. στενόσημος. ἐσθῆτες σημειωταί. *Clavi vestibus adsuti, interdum intexti.* παρυφαὶ *clavi.* διπάροφος *laticlavius.* ἐμβάλλειν *proprie de clavis. Suidas emendatus, Athenæus.* παρυφές. *Dionysius Halicarnasseus explicatus.* Τήβενναι περιπόρφυροι, φοινικοπάρυφοι. Ταβλία ῥάσαι. *Trabeæ equestres a Saliaribus diversæ. Trabeæ purpura & cocco ornatæ. Chlamys interdum toga dicitur: Toga non fuit vestimentum clausum. Præclavium. Afranius apud Nonium emendatur. Unde clavi dicti?*

EX his quæ diximus hactenus patet haud consistere quæ viri doctissimi de clavis vestium censuerunt. Ego vero asserere non vereor, clavos fuisse purpureas lineas, quæ medias vestes intersecabant. Proprie enim purpurea hæc ornamenta, clavi appellata fuere; quamvis deinde etiam ad aurata & picta vestium lumina in modum purpureorum clavorum vestibus inserta hoc nomen translatum est. Lexicon Græco-Latinum, *πορφύρα ὑφασμένη clavus.* Malim, *ἐνυφασμένη.* Glossæ sancti Benedicti Floriacensis, *Clavare πορφυρῶσαι.* Sosipater Charisius: *Hic clavus, id est, impurpu-*

rata vestis, id est, ἐμπόρφυρος ἐσθὴς καὶ ἔνηλος. Græcis dicuntur vestes clavatæ μεσοπόρφυρα, sicut prætextæ. περιπόρφυρα. Sic enim passim eas vestes distinguunt. Ita Septuaginta Interpretes cap. III. *Isaiæ*: Καὶ τὰ περιπόρφυρα καὶ τὰ μεσοπόρφυρα, καὶ τὰ ἐπιβλήματα κατὰ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ τὰ διαφανῆ λακωνικά. Ad quem locum Basilius: Τὸν ἐν τῇ ἐσθῆτι κόσμον τῶν καλλωπιζομένων γυναικῶν, ὡς περίεργον διαβάλλει πορφύραν ποτὲ μὲν κατὰ τὰ ἄκρα παρυφαινόντων, ποτὲ δὲ κατὰ τὸ μέσον αὐτὴν ἐντιθέντων. *Ornatum mulierum quo gloriam captant, tanquam, superfluum perstringit: nam aut vestium oris attexebant purpuram, aut eam parti mediæ immittebant.*

D. Hieronymus lib. II. *Comment. in Isajam* τὰ μεσοπόρφυρα exponit tunicas clavatas purpura: *Pro fascia*, inquit, *pectorali, quam interpretatus est Symmachus, Septuaginta tunicam* μεσοπόρφυραν, *id est, clavatam purpura, transtulerunt: quod Aquila cingulum exultationis expressit.* Hinc potest colligi tunicas clavatas non περιπορφύρους, sed μεσοπορφύρους, id est, in media parte distinctas purpura fuisse. Sic Persarum Reges χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον, tunicam purpuream, cujus medium albo intertextum erat. Curtius lib. III. *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur, purpureæ tunicæ medium albo intextum erat.*

Sic etiam gemma *Mesoleucos* (ut Plinius ait lib. XXXVII. cap. X.) *est, mediam gemmam candida distinguente linea; Mesomelas, nigra vena quemlibet colorum secante per medium.* Idem lib. XXVII. cap. XI. *Leuce Mercuriali similis nomen ex causa accepit, per medium folium candida linea transcurrente; quare Mesoleucon quidam vocant.* Ut itaque πορφυροῦς χιτὼν μεσόλευκος purpurea tunica erat, cujus medium albo intextum erat; Mesoleucos gemma, quam mediam distinguit candida linea; Mesoleucos flos, qui candidam habet lineam transcurrentem per medium folium: ita μεσοπόρφυροι, sive clavatæ tunicæ purpura in medio illuminatæ. Inde clare patet clavos fuisse purpureas lineas sive virgas, quæ medias vestes intersecabant. Inde & in Dalmaticis Diaconorum nostrorum, quas clavatas fuisse inferius ostendemus, clavos Alcuinus & Remigius *virgulas*, Amalarius & Honorius *lineas*, Joannes Diaconus *zonas*, Rabanus *tramites* appellat: quemadmodum Tibullus aureos clavos in femineis vestibus *vias* vocat:

> *Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa*
> *Texuit auratas, disposuitque vias.*

Et Servius *ad* VIII. *Æneid.* de virgatis Gallorum sagulis; *quæ habebant in virgarum morem deductas vias.* Hos clavos Græci σημεῖα etiam nominant. Glossæ antiquæ: *clavi*, σημεῖα. Sic & Latine aliquando clavi *signa* vocantur, ut apud Virgilium:

> —— *Pallam signis auroque rigentem.*

Et apud Lucretium lib. V.

> —— *At nos nil lædit veste carere*
> *Purpurea, atque auro signisque ingentibus apta.*

Atque hinc dicitur vestis πλατύσημος, στενόσημος, χρυσόσημος, πορφυρόσημος, &c. *laticlavia, angusticlavia, auroclavata, purpura clavata.* Et ἐσθήτων σημειωτῶν meminit M. Antoninus l. I. Τὸ ἄρχοντι καὶ πατρὶ ὑποταχθῆναι τῷ ὃς ἔμελλον πάντα τῦφον ἀφαιρήσειν μου, καὶ εἰς ἔννοιαν ἄξειν τοῦ ὅτι δυνατόν ἐστι ἐν αὐλῇ βιοῦντα, μήτε δορυφορήσεων χρῄζειν, μήτε ἐσθήτων τῶν σημειωτῶν, μήτε λαμπάδων, καὶ ἀνδριάντων τοιῶνδέ τινων, καὶ τοῦ ὁμοίου κόμπου, *Me Principi & patri fuisse subjectum, qui mihi omnem fastum excutere voluerit, ostenderitque, posse in aula principem agere sine stipatoribus, sine vestibus pictis, sine facibus, statuisque hujusmodi, ac simili luxu.* Ubi tamen credo palmatas aut sigillatas vestes intelligi debere. Latius enim patet σημεῖον Græce, quam *clavus* Latine: aliquando etiam sumitur pro sigillis & plumis vestium. Hos vero clavos plerumque vestibus adsui solitos, ex Ulpiano l. XIX. §. V. discimus l. 13. §. I. D. *de auro, arg. leg. Institæ, picturæ, clavique qui vestibus insuuntur. Idem Pomponius in libris Epistolarum, etsi non sunt clavi vestimentis consuti, tamen veste legata contineri.* Sic Horatius:

> *Purpureus late qui splendeat unus & alter*
> *Adsuitur pannus.* ——

Nec tamen audiendi viri eruditi Hieron. Bossius Syntag. VIII *De lato clavo*, & alii, qui præfracte negant clavos unquam vestimentis intextos fuisse; sed refellit eos idem Ulpianus in l. 7. D. *ad Exhibendum*: *Idem est, si granario vel navi tabulam meam, vel ansam scypho junxeris, vel emblemata phialæ, vel purpuram vestimento intexueris.* Festus: *Clavata vestimenta, clavis intertexta.* Vetus Lexicon Græco-Latinum πορφύρα ἐνυφασμένη, *clavus.* Immo Græci clavos a texendo παρυφὰς videntur appellasse. Hesychius παρυφὴ, ἡ ἐν τῷ χιτῶνι πορφύρα: quamvis non nesciam παρυφὴν aliter exponi a viris eruditis. Nec miror; cum etiam Eustathius se ignorare fateatur quid sit παρυφὴ; scribit enim ad secundam *Ulysseæ*: ἐκ τοῦ ὑφῶ δὲ καὶ τὸ ὕφος, ἔτι δὲ καὶ ἡ παρυφή. Ἔστι δὲ αὐτὴ κατὰ Ἀθήναιον κόσμου εἶδος ἐν ἱματίῳ, οὐκ ἐνδιαρθρώτως, οὐδὲ πανυσαφῶς, ὁποῖα ἴσως τὰ λεγόμενα ἐξεμπλωτὰ καὶ πλουμιστά. Ἔοικε δὲ μήδε εἶναι ὤα πρόσθετος διὰ τοῦτο ἡ παρυφή. ἀλλά τι κάλλος συνυφασμένον περί τινα μέρη. *A verbo* ὑφῶ, *id est, texo, venit* ὕφος, *atque etiam* παρυφή: *est autem paryphe secundum Athenæum ornamenti genus in veste: sed non satis plane & aperte quid fuerit indicat. Forte fuit ut illa, quæ dicuntur exemplota & plumaria: nec tamen videtur fuisse ora vesti apposita, sed aliquod ornamentum quibusdam partibus vestimentorum attextum.* Ubi videmus Eustathium, quamvis neget liquido sibi constare quid sit παρυφὴ, tamen haud accedere iis qui παρυφὴν esse limbum extremæ oræ attextum existimant. Quod tamen nunc omnibus fere eruditis viris persuasum. Sic Henricus Stephanus in copiosissimo suo *Thesauro linguæ Græcæ* παρυφὴν interpretatur *limbum.* Salmasius *ad Vopiscum*: Τὴν παρυφὴν ἀπὸ τῆς ὤας *distinguunt Græci*: ὤαν, *extremam oram vestis & infimam vocant,* παρυφὴν, *quod ad extremam oram adsutum est, purpureum prætextum.* Julius Pollux etiam παρυφὰς cum limbis confundere videtur lib. VII cap. XIV. αἱ δὲ παρὰ τὰς ὤας παρυφαὶ καλοῦνται πέζαι καὶ πεζίδες καὶ περίπεζα. sed ibi improprie hac voce usus est, ut Latini quoque Grammatici clavorum nomen ad limbos aliquando transferunt. Nam capite præcedenti ait: αἱ μέντοι ἐν τοῖς χιτῶσι πορφυραῖ ῥάβδοι παρυφαὶ καλοῦνται: *Virgæ purpureæ in tunicis paryphæ vocantur.* Virgæ autem purpureæ vel aureæ non imis oris assuebantur, sed mediis vestibus inserebantur, ut in sagulis Gallorum, & Dalmaticis Diaconorum, quarum clavos Alcuinus & Remigius Antisiodorensis virgulas coccineas appellant: ut alibi latius dicemus. Sed & Lucianus lato clavo indutos εὐπαρύφους appellat in *Demonacte*: Ἰδὼν δέ τινα τῶν εὐπαρύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μεγαλοφρονοῦντα: *Videns gloriantem quendam ex laticlaviis ob latitudinem purpuræ.* Proprie itaque Plutarchus de παρυφῇ loquens, verbo ἐμβάλλειν usus est, libro *de institutis Laconicis*, σακκοφόρον ἀνεῖλον, διότι παρυφὴν εἰς τὸν σάκκον ἐνέβαλε.

Saccos solitum bajulare necarunt, quod prætextam sacco inseruisset. A Nam τὸ ἐμβάλλειν non de limbis aut prætexta purpura, sed de clavis a Græcis dicitur. Suidas in voce χλάμυς: Νυμᾶς ὁ πρῶτος ῥωμαίων βασιλεὺς πρεσβείαν Ἰσαύρων δεξάμενος, καὶ τὸ σχῆμα τῆς φορεσίας αὐτῶν καταμαθὼν ἐξ αὐτῶν λαβὼν ἐφεῦρε τὴν χλαμύδα στολὴν, οὐκ ἔξωθεν ἐπιθεὶς, ἀλλ' ἔσωθεν ἐμβαλὼν τὴν τῆς πορφύρας βαφήν. Ubi verba illa notanda, οὐκ ἔξωθεν ἐπιθεὶς, ἀλλ' ἔσωθεν ἐμβαλὼν τὴν τῆς πορφύρας βαφήν. *Non extrinsecus addens, sed intrinsecus immittens purpuram.*

Corrigendus hac occasione Suidas in voce στολάς, B ubi ait: Ζήτει περὶ στολῆς νεῦμα ἐν τῷ χλαμύς. Quod interpres vertit: *Quære* περὶ στολῆς νεῦμα *in voce chlamys*, & addit: *at nihil ibi hac de re legitur.* Sed ego sane miror eum non vidisse legendum esse, περὶ στολῆς Νυμᾶ, cum ibi tradat de Numa Rege, qui invenit τὴν χλαμύδος στολὴν. atque hoc obiter. Phylarchus & ex eo Athenæus lib. XII. & Eustathius *in Iliada*, tradunt Syracusanis lege cautum fuisse τὰς γυναῖκας μὴ κοσμεῖσθαι χρυσῷ, μηδ' ἀνθινὰ φορεῖν, μηδ' ἐσθῆτας ἔχειν πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφάς. Id est, *vestes purpureis ornatas clavis.* Tarentini, ut Clearchus tradit apud Athenæum, lib. cit. ἐφόρουν καὶ παρυφὴν διαφανῆ πάντες οἷς νῦν ὁ τῶν γυναικῶν C ἁβρύνεται βίος. Ad quem locum Casaubonus: *Vel,* inquit, *ἢ scribendum pro* οἷς; vel ita potius concipienda, ἐφόρουν καὶ παρυφὴν διαφανῆ πάντα τε οἷς νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. Mihi videtur una littera ablata locum hunc ita legi posse, ἐφόρουν καὶ παρυφῆ διαφανῆ πάντες οἷς νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. ita ut τὸ παρυφῆ sit accusativus pluralis ἀπὸ τοῦ παρυφές. Ut enim supra ex Julio Polluce demonstravimus, τὸ παρυφὲς est vestis, quæ purpureas παρυφὰς habet. Ut tamen in Athænæo, ita etiam legitur locus ille apud Eustathium in β. τῆς Ὀδυσσ. D Adhæc inter purpuream prætextam & παραφὴν palam distinguit Dionysius lib. II. *Antiquitatum* de Saliis: ἄγουσι τοὺς χορὸς εἴς τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ πολλοὺς ἄλλους ἰδίους τε καὶ δημοσίους τόπους, χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μίτραις καθεζωσμένοι καὶ τηβέννας, ἐπιπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους ἃς καλοῦσι τραβέας. Sed ultima hæc verba doctorum virorum ingenia admodum exercent; nam Interpres vertit: *palmatis e purpura togis amicti*, quod amplectitur incomparabilis Petavius *ad orat.* XI. *Themistii.* Ab Henrico Stephano φοινικοπάρυφος vestis exponitur *punico limbo prætexta.* Bayfius *de Re Vestiaria* cap. XIX. suprascripta verba Dionysii E vertit, *togasque annectentes fibulis circumductas purpura subtegmine punico.* Salmasius corrigit τηβέννας ἐμπεπορπημένοι πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους. Dionysius etenim lib. VI. Equitibus trabeas attribuit, πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους. Sed inter trabeam Equestrem & Saliarem discrimen fuisse arbitror. Nam tria genera trabearum enumerat Servius *ad* VII. *Æneidos*, & Josephus Scaliger *ad Festum* in voce *Trossuli.* Aldus Manutius τηβέννας περιπορφύρους φοινικοπαρύφους in Dionysio interpretatur *togas purpura prætextas puniceo colore alternis intertexto.* quod non displicet. malim tamen: *togas purpura prætextas puniceis* F *vel coccinis clavis distinctas:* nam trabeas fuisse purpura & cocco ornatas Servius & Isidorus tradunt. ita ut fere credam coccinas παρυφὰς trabearum fuisse ταβλία ῥούσαια, quæ Numam chlamydibus inseruisse Chronicon Alexandrinum, & Cedrenus volunt. Quamvis non ignorem magnam me aleam subire, si chlamydis nomen trabeæ attribuo, quam togam fuisse Dionysius asserit. Verum tuebitur me Artemidorus, qui ipsam togam chlamydem appellat lib. II. cap. III. Τὰ δ' αὐτὰ καὶ ῥωμαϊκὴ ἐσθής, ἣν νῦν τήβενναν καλοῦσι ἀπὸ Τημένου τοῦ Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλετο τὸν τρόπον. *Idem significat Romana vestis, quam nunc τήβενναν vocant a Temeno Arcade, qui primus chlamydem suam hunc in modum circumjecit.* Et quamvis non nesciam chlamydem & paludamentum a toga differre; tamen non meruit tam acerbe a viro erudito perstringi Nicolaus Abramus, quia trabeam & paludamentum confundit, quod tamen & Ælius Stilo fecisse videtur, qui scripsit, teste Festo, Salias virgines sacrificium facere in regia, *paludatas cum apicibus in modum Saliorum.* Sed abripuit Ferrarium persuasio, quæ nunc omnibus fere doctorum mentibus infixa est, togam fuisse vestimentum undique clausum, quod immissum supra caput uno injectu totum corpus operiret. Ita ut Franc. Francus in *Confutat. animadv. Kerckoetii* pag. 48. Aldus Manutius lib. I. *de Quæsitis per Epistolas* cap. XI. Ferrarius lib. I. c. I. *de Re Vestiaria*, asseverare non vereantur, nugari eos qui cum Sigonio togam apertam faciunt, ac refelli αὐτοψίᾳ. Sed & hæc ipsa αὐτοψία veterum statuarum & nummorum, ut etiam vidit Donius in elegantissima *dissertatione de Utraque Pænula*, hanc sententiam plane damnat. Et Plutarchus in *Gracchorum vita*: αὐτοῦ δὲ τοῦ Τιβερίου φεύγοντος ἀντελάβετό τις τῶν ἱματίων. ὁ δὲ τὴν τήβενναν ἀφεὶς καὶ φεύγων ἐν τοῖς χιτῶσιν ἐσφάλη. *Tiberii fugientis apprehendit quidam amictum; ille toga relicta fugiens in tunica cespitavit.* Sed de hac re totoque togæ circumjectu latior alibi, Deo volente, dicendi locus erit.

Cæterum illud quod primo textum erat, ut deinde purpura aut auro illuminaretur, præclavium vocabant. Ita Nonius: *Præclavium pars vestis, quæ ante clavum texitur.* Quod displicet Claudio Salmasio, qui in *Notis ad Fl. Vopiscum in Aureliano* negat se scire quid sibi voluerit Nonius, qui simpliciter secutus verbi compositionem, *præ* est *ante*, ergo præclavium id quod ante clavum explicavit. Ipse credit præclavium idem esse quod prætextam purpuram; Nonii tamen sententia aperte firmatur verbis illis Afranii, quæ adfert:

Mea nutrix surge, si vis, profer purpuram
Præclavium, contextus.

Si pro *contextus* legamus *contextum est*, quid clarius? Mulier illa apud Afranium imperat nutrici suæ, ut purpuram adferat, quia præclavium jam contextum est: nec quidquam adjuvat Salmasium Glossarium Cyrilli, in quo παρυφὴ exponitur *præclava prætexta*, sive *præclavium.* Nec enim ibi prætextum denotat purpuram quæ vestium oris prætexitur; sed simpliciter aliquid quod *præ*, id est, *ante* textum est.

Ceterum cur σημεῖα vestimentorum clavi dicti, inquirendum. Eruditi viri existimant clavos appellatos fuisse a forma, quia capita clavorum referebant. Sed quia hanc opinionem abunde refutavimus, aliunde petenda verbi hujus denominatio; quam sane nusquam reperio. Sed tamen, ne nihil dicam, conjecturam meam in medium proferam; quæ tamen nec mihi ipsi plane satisfacit. Existimo igitur nomen hoc desumptum & translatum esse a vasis & poculis, quæ olim varie exornabant κατὰ τὴν ἐμπαιστικὴν τέχνην. Etenim ornamenta quædam aurea in poculis argenteis, vasis, & aliis instrumentis inserebant, quæ, quia primum rotunda erant ut capita clavorum, & poculis ut clavi infigebantur, clavos appellabant. Ita de Nestoris poculo Homerus *Iliad.* Λ.

Πὰρ δέπας ἦν περικαλλὲς ὃ οἴκοθεν ἦγε
Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον.

Et alibi sæpe. Hinc omnia alia signa calicibus, poculis, & aliis instrumentis infixa, quamvis longa aut quadrata essent, & generaliter πάντα τὰ

ἐμπαίσματα videntur clavos appellasse, & Græci *ἥλους*. Forte etiam hinc Zacharias Calliergus *in Idyllion Theocriti κισσύβιον* ligneum, in quod insertæ erant variæ tabulæ ligneæ figuris ornatæ, appellat *ξύλινον ἔκπωμα κεκοσμημένον γομφοῖσι πολλοῖς*. Hinc cum vestibus purpurea aut alterius coloris segmenta inserebantur, per translationem ea signa & clavos appellarunt; imo & eadem translatione vestes ipsas signis exornatas *χρυσεμπαίστους* dixerunt, ut ex Chrysost. probat Casaubonus, quem vide lib. IX. *Animadvers. in Athen.* cap. XII. Et eodem modo dicunt *ἐμβάλλειν* immittere clavum vestimento.

CAP. III.

Clavi vel transverse, vel per medias vestes deducebantur. Transversi clavi, poparum & publicorum servorum ornatus. Muliebres, & citharœdorum, aliorumque scenicorum tunicæ transversos habuerunt clavos, sed auratos, vel pictos. Paragaudæ. Angusticlaviorum tunicæ rectos habebant clavos. Barbarorum indumenta pluribus clavis ornata. Tunicæ Gallorum matris Deum. Sagula Gallorum. Pœnulæ & tunicæ tres aut quatuor clavos habentes. Statius explicatus. Virilibus Romanorum tunicis haud plures quam unus vel duo clavi inseri soliti.

HÆ vero lineæ purpureæ vel recte vel transverse per medias vestes deducebantur. Et transversa quidem purpura cinctum poparum & publicorum servorum ornatum fuisse video. Hyginus *de Limitib. constit. Limites autem appellati a limo antiquo verbo, id est, transversi; nam & limum cinctum ideo, quod purpuram transversam habeat.* Servius P. Danielis *ad* II. *Æneidos*: *Alii nimbum clavum transversum in veste existimant.* Isidorus lib. XIX. cap. XXXIII. *Limus est cinctus, quem publici habent servi, & dictus limus, quia transversas habet purpuras.* Muliebres quoque, & citharœdorum, aliorumque artificum Dionysiacorum tunicæ quandoque transversis clavis ornatæ, qui tamen plerumque aurati erant, vel picti, & *paragaudæ* vocabantur, nec in virilem usum venerunt, nisi post tempora Gallieni. Certe angusticlaviorum purpuras rectas fuisse, & a summa tunicæ ora ad imam descendisse, Quintilianus indicat l. XI. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum posterioribus ad medios poplites usque perveniant: ut purpuræ recte descendant levis cura est, notatur interim negligentia.* Ita & de pœnulis Eucherius l. II. *ad Salonium: Pœnula in Apostolo Latinum est; est autem quasi lacerna descendentibus clavis.* Nunc quot clavis vestes distingui solerent disquiramus. Nonnulla quidem Barbarorum indumenta pluribus clavis variata erant, ut tunicæ Gallorum matris Deum. Scholiastes Juvenalis *in Sat.* VII. *Galli in sacris utuntur tunica in modum organi, utrimque decrescentibus virgulis purpureis.* Apulejus lib. VIII. *Metam. Quidam tunicas albas in modum lanceolarum, quaquaversus fluente purpura depictas, cingulo subligati.* Et forsan erant eo modo variata sagula Gallorum, quæ Veteres virgata appellant, quamvis Scaliger in *Conjectaneis ad Varronem* ea cum scutulatis vestibus confundat. In picturis quoque cœmeteriorum ab Antonio Bosio editis apparent quandoque pœnulæ & tunicæ tribus atque etiam quatuor clavis purpureis ab anteriori parte ornatæ. Et de tribus clavis forsan intelligendus Statius lib. VIII.

——— Triplici velaverat ostro
Surgentes etiamnum humeros & levia mater
Pectora.

Ubi *triplici ostro*, ut apud Apulejum, *duplici* A *purpura*. Sed in virilibus Romanorum tunicis haud plures quam unum vel duos clavos inseri solitos Horatius videtur asserere *de Arte Poet.*

Purpureus late qui splendeat unus & alter
Assuitur pannus.

Quintilianus lib. VIII. cap. V. *Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus; ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis.* ex quibus verbis Gillius, Baysio teste cap. VII. unicum tantum clavum tunicæ insertum fuisse conficit: quod verum est, si ad laticlaviam tunicam restringas, ut postea docebimus; sed angusticlaviæ duobus clavis ab utroque humero descendentibus ornatæ fuerunt, quod B inferius ostendemus.

CAP. IV.

Vittæ. diademata Regum Persarum. mappæ. mantilia. lintea toralia. pulvinaria. chirothecæ clavatæ. manicæ. chirothecæ feminis in usu: olim soli rustici eas portabant: erant ex rudi corio, ne spinæ læderent manus: Romani adversus frigus eas usurpabant. Chirothecæ duplicis generis: quædam digitos omnes exprimebant, quædam sine digitis erant. Digitalia, δακτυλῆθραι. delicatiorum chirothecæ ex C *lana coactili.*

POstquam jam explicavimus quid sint clavi in vestimentis, restat ut sigillatim recenseamus omnia illa quæ clavis ornari solebant. Ac primo quidem de vittis purpureis albo clavo distinctis Statius lib. II. *Thebaidos*:

——— & ab arbore casta
Nectent purpureas niveo discrimine vittas.

De diademate regum Persarum Curtius lib. III. *Cidarin Persæ Regium capitis vocabant insigne, hoc cærulea fascia albo distincta circuibat.* Et lib. VI de D Alexandro: *Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Etiam mappas, ut jam supra diximus, purpura clavabant. Petronius de Trimalcione: *Circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam.* Et Martialis lib. IV. ep. XLV.

Et lato variata mappa clavo.

De mantilibus auro vel cocco clavatis Lampridius in *Alexandro Severo*: *Convivium neque opiparum, neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit; ita tamen ut pura mantilia mitterentur sæpius cocco clavata, aurata vero nunquam, cum hæc Heliogabalus jam recepisset, & ante, ut quidam prædicant,* E *Hadrianus habuisset.* De linteis thoralibus *clavos ita latissimos habentibus, ut sibi invicem arte ministrantium cohærerent.* Ammianus Marcellinus lib. XVI.

Pulvinaria etiam aliquando clavis variata fuisse constat ex Clearcho Solensi, qui ita scribit de juvene quodam Paphio apud Athenæum lib. VI. *προσκεφάλαια δ' εἶχε τρία μὲν ὑπὸ τῇ κεφαλῇ βύσσινα παραλουργῆ*, id est, *byssina purpura clavata*, ut latius infra disputabimus.

Invenio etiam manuum illa tegmenta, quæ chirothecas appellamus, posteriori ævo aliquando F clavatas fuisse, ut nunc etiam fieri solet. Aldhelmus *de laudibus virginitatis*: *Nam cultus gemini sexus hujuscemodi constat, subucula byssina sive hyacinthina, tunica coccinea, capitium, & manicæ sericis clavatæ, galliculæ rubricatis pellibus ambiuntur.* Ut autem hic manicas pro cirothecis sumam, non pro manicis tunicæ, facit D. Chrysostomus, qui itidem sacris virginibus chirothecas tribuit Homil. VIII. *in* I. *ad Timotheum*: Τὰς δὲ χεῖρας, inquit, *καθάπερ οἱ τραγῳδοί, οὕτω μετ' ἀκριβείας ἐνδιδύσκουσιν ὥστε νομίζειν προσπεφυκέναι μᾶλλον αὐτῷ. Manus vero sicut Tragœ-*

Tragœdi tam accurate chirothecis muniunt, ut natura annexas eis exiſtimes. Ex quo videmus illo tempore jam in uſu fuiſſe hæc manuum tegmenta fæminis accuratoria. Ante ſoli ruſtici ea portabant ex rudi corio, ut manus a ſpinis defenderent. Homerus Ω. τῆς Ὀδυσσ. de Laerte:

—— *περὶ δὲ κνήμῃσι βοείας*
Κνημῖδας ῥαπτὰς δέδετο γραπτῦς ἀλεείνων
Χειρίδας τ' ἐπὶ χερσὶ, βάτων ἕνεκ'.
—— *Circum autem tibias bovinas*
Ocreas conſictas ligaverat (ſpinarum) punctiones vitans
Chirothecaſque in manibus, ruborum gratia.

Romani etiam aliquando ad arcendum frigus eas portabant. Plinius Epiſt. v. lib. III. *Ad latus Notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem aſperitas ullum ſtudii tempus eriperet*. Hæ autem chirothecæ duplicis generis erant; quædam enim digitos omnes exprimebant, quas Varro lib. I. *de Re ruſtica* cap. LV. *digitalia* appellat, aut, ut Scaliger legit, *digitabula*. Græci *δακτυλήθρας*, ut Xenophon lib. VIII. *de Exped. Cyri*, qui eas Perſis in uſu fuiſſe ſcribit.

Aliæ ſine digitis erant, ut eæ, quas nunc *vvanten* appellamus. Euſtathius ad dictum locum Homeri: *Ιςέον δὲ ὅτι ὐ μόνον κατὰ ἀκανθῶν χειρίδες ἐπινενόηνται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἔργων δι' χερεία, καὶ τοξεύοντες γῦν τινες χειρίσι χρῶνται εἰ καὶ μὴ δακτυλωταῖς, καὶ πλύνοντες δὲ καὶ ζυμῦντες. Sciendum vero non ſolum propter ſpinas chirothecas eſſe inventas, ſed & ad alia opera prompte expedienda. Nam & ſagittas jacientes chirothecis utuntur, ſed non niſi digitabulis, ut & lavantes & fermentantes*. Delicatorium autem chirothecæ aut ex lana coactili, aut ex textili erant; Muſonius apud Stobæum ſerm. I. *Διὰ τῦτο ὐδαμῶς καλὸν ὔτε ἐσθῆσι πολλαῖς κατασκέπειν τὸ σῶμα, ὔτε ταινίαις κατειλεῖν, ὔτε χεῖρας τε καὶ πόδας περιδέσει πίλων ἢ ὑφασμάτων τίνων μαλακύνειν τὺς γε μὴ νοσῦντες. Quare minime honeſtum eſt veſtitu nimio operire corpus, aut faſciis involvere, aut manus pedeſve circumligatis cujuſcumque generis pannis ac linteis quibuſdam molles & languidos reddere, cum morbo non ſint impliciti.*

CAP. V.

Trabea clavata. Trabeæ veriverbium. quod genus veſtis? Tria trabearum genera ſecundum Suetonium, & Joſ. Scaligerum. Hæc opinio refellitur. Una tantum trabeæ ſpecies proprie ſic dictæ. Trabea cur toga dicta? Fuit brevior toga. Non multum diſſimili forma fuit a paludamento. Toga ſolo circumjectu diverſa a chlamyde Macedonica. Trabea ſolo colore & paludamento & chlamyde differt; illius color ex purpura & cocco. Coccinus color cum purpureo confunditur. Trabea quid & quomodo a paludamento differat? Regum & Cæſarum chlamydes cujus coloris fuerint? Limbus. Vindicatur Trebellius Pollio a Salmaſii emendatione. Salii & Equites trabeam fibula reſtrinxerunt, Reges & Conſules ritu Gabino trabeas portarunt. Cinctus Gabinus quid? Conſules cum Janum aperirent hoc cinctu uſi, & Pontifices cum bellica ſacra facerent. Tertullianus explicatus: ejus μνημονικὸς error.

Inter veſtes prima occurrit trabea, quam clavis ornatam fuiſſe nomen ipſum indicat. Trabea enim dicta eſt, quod trabibus ſeu clavis intexta ſit. Sed quod genus veſtis fuerit trabea, diu multumque quæſitum eſt ab Antiquariis, & Iſidorus quidem lib. XIX. *Originum* ita definit: *Trabea erat togæ ſpecies ex purpura & cocco, qua operti Romanorum Reges initio procedebant*. Idem in *Gloſſis*: *Trabea veſtis Senatoria, vel Regia purpura, vel toga purpurea eſt*. Servius *ad* VII. *Æneidos* tradit ex Suetonii lib. de genere veſtium tria eſſe genera trabearum, *Unum Diis ſacratum, quod eſt tantum de purpura: aliud Regum, quod eſt purpureum; habet tamen aliquid album: tertium augurale, de purpura & cocco*. Joſephus Scaliger *ad Feſtum* in voce *Troſſuli* itidem diſtinguit trabeam, in Regiam, Quirinalem, & Troſſulam. *Regia*, inquit, *tota de ſola purpura, quam Græci ὁλοπόρφυρον dicunt, ea uti ſolis Regibus licebat, vel adoleſcentibus de ſtirpe Regia. Quirinalis concinnior, præliis apta: hac, cum bellum ſuſciperetur, duces amicti Jani fores aperiebant. Troſſula cocco purpuraque pertexta erat, quam etiam Auguralem vocabant, Græci ἐφεςρίδα*. Sed hæ Grammaticorum diſtinctiones non placent Lipſio *ad Tacitum lib.* III. *Annalium*, ipſe credit fuiſſe veſtem trabibus purpuræ intextam. Cui ego in hoc aſſentior, trabeæ proprie dictæ unam tantum fuiſſe ſpeciem, quamvis auguralis veſtis, quia eadem forma erat, qua trabea, ſic etiam potuerit appellari, ut & conſulare peplum poſterioris ævi. Igitur quod Grammatici tradunt trabeam togæ ſpeciem eſſe, id non ſimpliciter accipiendum. Trabeam enim, quæ & ipſa purpura prætexta erat, a toga prætexta diſtinguit aperte Plinius lib. IX. cap. XXXIX. *Purpuræ uſum Romæ ſemper fuiſſe video, ſed Romulo in trabea: nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hoſtilium e Regibus primum uſum, devictis Hetruſcis, ſatis conſtat*. Et lib. VIII. cap. XLVIII. *Prætextæ apud Hetruſcos originem invenere, trabeis uſos accipio Reges*. Sed hac ratione togæ ſpeciem eſſe dixerunt, quod rotunda erat, non quadrata, ut pallium & chlæna Græcorum. Erat autem brevior quam toga, unde Virgilius *Æneidos* lib. VII.

—— *Parvaque ſedebat*
Succinctus trabea.

Inde conſtat non multum diſſimili forma fuiſſe a paludamento aut chlamyde Romana. Hinc Salios, quos trabeatos facit Dionyſius, paludatos appellat Feſtus: *Salias virgines Cincius ait eſſe conductitias, quæ ad Salios adhibebantur cum apicibus paludatæ, quas Ælius Stilo ſcripſit ſacrificium facere in Regia paludatas cum apicibus, in modum Saliorum*. Idque haud tam abſurde affirmavit Nicolaus Abrahamus, ut viſum fuit viro doctiſſimo, quod paulo ante monuimus. Nec enim multum ad rem facit, quod hic vehementer urget, *trabeam togam* appellari a Servio & Dionyſio, cum paludamentum chlamys fuerit; nam etiam Artemidorus, ut alios omittam, togam appellat chlamydem, ut vidimus. Unde ſatis conſtat, togam ſolo circumjectu fuiſſe diverſam a chlamyde Macedonica, quæ & ipſa rotunda erat. Non inficior tamen Abrahamum haud recte tunicas puniceas cum trabea & paludamento confundere. Sed ut in viam revertar, exiſtimo trabeam non forma, ſed ſolo colore a vulgari paludamento & chlamyde differre: is autem erat ex purpura & cocco. Sed qua ratione illi duo colores diſtincti erant, dubium eſt; ſed clare id demonſtrat Dionyſius Halicarnaſſæus lib. II. de Saliis: *καὶ τηβέννας ἐμπεπορπήμενοι περιπορφύρυς φοινικοπαρύφυς ἃς καλῦσι τραβέας*. Et idem lib. VI. de Equitum tranſvectione Idib. Quintil. *καὶ τηβέννας περιπορφύρυς φοινικοπαρύφυς ἃς καλῦσι τραβέας*. ubi videmus nullam eſſe differentiam inter Equeſtrem & Saliarem trabeam. Difficultatem quam movent ſuperius cap. II. ubi de *παρυφῇ* egimus, minuimus, ac oſtendimus verten-

dum esse *purpura prætextas, & puniceis aut coccinis clavis ut trabibus distinctas*, *αἱ μέν τοι ἐν τοῖς χιτῶσι πορφυραῖ ῥάβδοι παρύφαι καλοῦνται*, ut ait Julius Pollux. Et ab his clavis sive trabibus intertextis vestis ipsa trabea vocata fuit. Coccinum autem colorem confundi a Veteribus constat ex paludamento Imperatorum, quod cum coccinum fuerit, ut ex Plinio constat, *φοινίκις* appellatur a Plutarcho, & *punicum* ab Horatio, ut videri potest apud Lipsium lib. II. *de Milit. Rom.* dial. XII. Scholiastes Aristophanis *ἐν εἰρήνῃ*, *φοινικίδα περικεφάλαιαν φοινίκῳ χρώματι βεβαμμένην. οἱ δὲ κόκκινα περιβλήματα.*

Igitur censeo trabeam fuisse chlamydem albam purpura prætextam, & insuper clavis aut trabibus e cocco distinctam, a quibus trabea dicebatur. Paludamentum vero Consulum, quamvis & ii aliquando alba chlamyde, aliquando etiam trabea utebantur, in hoc differebat, quod totum erat coccinum, sed limbo purpureo prætextum. ita intelligo Isidorum: *Paludamentum pallium fuit Imperatorum, cocco, purpura & auro distinctum.* D. Augustinus lib. III. *de Consensu Evangelist.* de chlamyde Domini nostri, quam Marcus purpuream appellat, Matthæus vero coccineam; *potest etiam fieri ut purpuram etiam Marcus commemorarit. quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea.* Regum & Cæsarum chlamydes totæ purpureæ, aliquando picto limbo aut aureo circumtextæ erant. Hinc Virgilius IV. *Æneidos*.

Tandem progreditur magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Et ab hoc limbo totam chlamydem limbum appellat Trebellius Pollio de Zenobia: *Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo.* Ubi male Salmasius corrigit *limo purpureo*. D. Hieronymus lib. IV. *Comment. in Matt.* cap. XXVII. *Illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant chlamydem coccineam, pro russo limbo quo Reges veteres utebantur.*

Sed ut ad trabeam revertamur; illud certum, Salios quidem trabeas suas fibula restrinxisse, ut & Equites. Martialis lib. V. ep. XLI.

Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque, & Idus, & fibulasque, censusque.

Non ita Reges prisci & Consules ad bellum profecturi, qui ritu Gabino trabeas suas portabant. Ita apud Virgilium *Æneid.* VII.

Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.
Et de Pico Rege ibid.
—— *parvaque sedebat*
Succinctus trabea.

Is enim erat cinctus Gabinus *cum toga aut trabea sic in tergum rejicitur, ut una ejus lacinia revocata hominem cingat*, ut ait Servius in VII. *Æneidos*. Ille enim plenius describit quam aut Glossæ veteres Persii aut Isidorus. Hic cinctus cernitur clare in æreo sigillo quod infra exibebimus; ex quo satis cuivis patebit errare eos, qui censent Prætorem, qui in veteri lapide apud portam Nomentanam mappam mittit, hoc habitu esse: ut Salmasius *ad Tertulliani Pallium*. Expressus est hic lapis a Philippo Rubenio patruo meo lib. I. *Elect.* cap. XXX. Notum est Pontifices cum bellica sacra facerent, & Consules cum Janum aperirent, hoc cinctu usos. Sed hac occasione elucidandus locus Tertulliani cap. III. *De Pallio*, ubi ita de Catone scribit: *Atque adeo ipse qui Græcos pellendos urbe censebat (litteras eorum vocemque senex jam doctus) idem Cato Juridicinæ suæ in tempore humerum exertus, haud minus palliato habitu Græcis favit.* In quo loco explicando varie se torquent interpretes, ut videri potest apud Salmasium in *Notis ad libellum illum* Tertulliani. Ipse explosis aliorum opinionibus existimat, Tertullianum intelligere cinctum Gabinum, quo Magistratu tantum, id est, Prætura, vel Consulatu utebantur. Sed ego non dubito affirmare, Tertullianum hic memoria lapsum, cum de Catone Censorio scribit, id quod Plutarchus & Asconius de Uticensi Catone produnt; nempe eum Præturæ suæ tempore, sine tunica campestri sub toga cinctum jus dixisse Græcorum Philosophorum more, qui sine tunica pallium ferebant, atque ita humerum exerebant. Ita dixit & de Cethego Silius lib. VIII.

Ipse humero exertus gentili more parentum
Difficili gaudebat equo.
Et Lucanus:
—— *Exertique manus vesana Cethegi.*

Quia, ut inquit Porphyrion *ad Horatium*, omnes Cethegi hunc morem servaverunt, ut numquam tunica uterentur, sed solo cinctu, sive campestri. Nihil aptius afferri potest ad sensum Tertulliani. De trabea Consulari posterioris ævi infra dicemus cap. XXII.

CAP. VI.

Chlamydes clavis ornatæ. Pollux vindicatus. Numæ tempore eæ Romanis in usu venerunt. Milites in dignitate aliqua positi tantum chlamydes portabant. Pœnulæ clavatæ, Forma pœnulæ. Pœnula fuit aperta. Lacernæ eadem forma fereque pœnulæ. Lacernæ cucullatæ. Caracallæ etiam cucullos habuerunt. Ephod quale vestis genus? Caracallæ Gallicum vestimenti genus. Martialis explicatus. Pallæ & πέπλοι omnes tunicæ χιτοί. Pœnulæ cucullos habuerunt. Pœnulæ & lacernæ differentia. Pœnulæ ipsi cucullus adsutus: separatur a lacerna. Festus explicatus. Isidorus glossemate purgatus. Vellejus Paterculus emendatus. Angusticlavia pœnula contentus. Præfecti Urbis militari habitu utebantur intra urbem. Equites Imperatorum ævo pœnulis clavatis aut lacernis usi. In magno luctu Senatores posita veste Senatoria Equestrem sumpsere. Ἱππὰς στολὴ lacerna aut pœnula. Aliqui Imperatores togarum usum revocare studuerunt. Mecenas militari veste utebatur, quia Præfectus Urbis erat. Pœnula vestis militaris. Cur Mæcenati objectum quod discinctus, Cæsari quod cinctus incederet? Laticlavii cingebantur. Milites cincti. Pœnulæ non cinctæ: sed tunicæ quibus illæ superinduebantur. Gellius illustratus. Casula idem quod pœnula. unde dicta?

ETiam chlamydes aliquando clavis ornari solitas ostendit Julius Pollux lib. VII. cap. XIII. *Χλαμὺς ἡ μὲν ὁλόλευκος ὡς φιλέταιρος ὁ κωμῳδοδιδάσκαλος ὠνόμαζεν. ἡ δὲ παρυφὶς καὶ παραπόρφυρος, ἣ καὶ ὡς ἡ νέα κωμῳδία δίπαρυφος. Chlamys & hæc quidem tota alba, ut Philetærus Comicus nominat: illa vero purpureis clavis ornata, quæ a nova Comœdia vocatur δίπαρυφος.* Ubi haud recte Wolfangus Seberus legendum censet *παρυφὴς καὶ περιπόρφυρος*; non enim hic agit Pollux de chlamyde prætexta, sed de ea quæ clavis distincta est, quod indicant voces *παρυφὶς* & *δίπαρυφος*. *παραπόρφυρος* vero vocatur eodem modo ut *παραλουργής*. Idem Pollux appellat *ἱμάτιον ἑκατέρωθεν ἔχων παρυφασμένην πορφύραν, vestem habens utrimque clavos purpureos*. Chlamydes autem clavatas Numæ tempore Romanis in usum venisse tradit Chronicon Alexandrinum:

Οὗτος Νεμμᾶς ὁ καὶ Πομπίλιος δεξάμενος πρεσβύτας ἐκ τῆς χώρας τῶν λεγομένων Πελασγῶν, φορέντων χλαμύδας, ἐχέσα ταβλία ῥέσαια, καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς Ισαυρίας χώρας, καὶ τερφθεὶς τοῦ σχήματος ἐπενόησεν πρῶτος ἐν Ρώμῃ χλαμύδας φορεῖσθαι, τὰς μὲν βασιλικὰς πορφύρας ἐχέσας ταβλία χρυσᾶ, τὰς δὲ τῶν συγκλητικῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ἀξίαις καὶ στρατείαις χλαμύδας σήμαντρον τῆς βασιλικῆς φορεσίας ταβλία πορφυρὰ ἀξίαν δηλοῦντα ῥωμαϊκῆς πολιτείας. *Iste Numa Pompilius capiens Senatores ex regione Pelasgorum, gerentium chlamydes, habentes coccineos clavos, quales Isaurorum sunt, & captus illo habitu primus instituit Romæ chlamydes gestare, & ut regiæ quidem habeant clavos aureos, Senatorum vero & aliorum, qui in magistratibus & cum imperio sunt chlamydes, signum regii vestitus, habentes clavos purpureos, indicantes dignitatem Romanæ Reipublicæ*. Idem refert Suidas in voce *Chlamys*, & Cedrenus. Sanctus Dorotheus Archimandrita Doctrina I. *Habet unusquisque Regi militans purpuram in læva sua. Ex quo enim Rex purpuram ferre cœpit, omnes ejus milites sagulis suis purpurea signa apposuere, ut ex his appareat, Regios sese esse, & Regi commilitare*. Non tamen omnes milites hujusmodi chlamydes portabant, sed ii tantum qui in dignitate aliqua positi erant. Cassiodorus lib. VI. cap. XXI. in formula Rectoris provinciæ: *Chlamydis tuæ proculdubio inter alia clavos intende, quo scias non inaniter positos. Hinc fit, ut cum publicum agentes purpuram cernerent, de vigore semper Principis admonerent. Geniatus indutus, vestis gratiosa, quam filio suo Priapo Venus dicitur texuisse, ut eximiæ pulchritudinis matrem singulariter ornatus filius testaretur*.

Nec solum chlamydes & trabeæ clavis distinctæ erant, sed & pœnulæ. D. Eucherius lib. II. *ad Salonium*: *Pœnula in Apostolo Latinum est; est autem quasi lacerna descendentibus clavis*. Sedulius *in Epist.* II. *Pauli ad Timotheum* cap. IV. in *Bibliotheca Patrum* Tom. V. parte I. *Pœnula Latinum est, id est, lacerna clavata*. Et pœnulæ clavatæ videntur in veteri pictura, quæ extat in Cœmeterio sanctorum Marcellini & Petri, quam exhibent Bosius in *Roma subterranea* lib. III. cap. XXXVII. & in alia quæ est in Cœmeterio Priscillæ, apud eumdem Bosium, l. III. c. LXI.



Hæc autem quæ ibi exprimitur vera est forma pœnulæ, quod constat tam ex variis Auctorum locis, quam antiquis imaginibus, quæ sanctos Patres φαινολίοις suis amictos referunt. Quamvis Ferrarius lib. I. cap. XXXVI. pœnulam a casula & planeta distinguat, eam apertam fuisse contendat, & fibula vel in humero vel in cervice necti solitam. Sed cum nobis facit Salmasius *ad Ælium Lampridium*. Ex hac forma pœnulæ, quam exhibemus, satis videmus, cur Cicero Milonem pœnula irretitum dicat. Cur etiam Auctor *de causis corruptæ eloquentiæ* asserat, *multum humilitatis eloquentiæ attulisse pœnulas istas, quibus adstricti ac veluti inclusi cum judicibus fabulantur Oratores*. Artemidorus etiam, qui lib. II. scribit cap. III. Χλαμὺς δὲ ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βηρίον καλοῦσι, θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν καὶ τοῖς δικαζομένοις καταδίκην μαντεύεται, διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὁ λεγόμενος φαινόλης. *Chlamys quam aliqui Mandyam, alii Ephestridem, alii Bereon vocant, tribulationem & angustias, & litigantibus damnationem significat, propterea quod corpus circumplectatur. Idem etiam pœnula significat*. Ubi χλαμὺς ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βηρίον καλοῦσι, est lacerna, quæ eadem fere erat forma, qua pœnula, colore solo distabat; nusquam enim observavi lacernas clavos habuisse. Adhæc lacernæ cucullatæ erant. Martialis.

Si possem, totas cuperem misisse lacernas;
Nunc tantum capiti pilea mitto tuo.

Horatius:

Odoratum caput obscurante lacerna.

Statius:

Cæsis pilea suta de lacernis.

Sedulius *in* II. *Epist. D. Pauli ad Timotheum*: *Lacerna stola, aut genus cucullæ subtilis*. Ita & caracallæ, quas lacernis similes fuisse Dio tradit, cucullos habebant. D. Hieronymus in Epist. *ad Fabiolam*: *Et efficitur palliolum miræ pulchritudinis, præstringens fulgore oculos in modum caracallarum, sed absque cucullis*.

Ubi cum videamus Ephod excepto cucullo caracallam fuisse, facile divinare possumus, quali forma fuerit Ephod. Nempe erat manicatum & breve vestis genus, lateribus scissum, tunicæ illi quam feciales nostri portant, vulgo *cotte d' armes* dictæ, similes. Josephus lib. VI. ἁλώσεως & lib. XI. *Antiquit*. de Ephod. cui sane convenit Dio in *Legat*. ubi caracallas describit χειριδωτοὺς χιτῶνας ἐς θώρακος τρόπον τινὰ πεποιημένους ἐνδύνεσθαι. Caracalla autem Gallicum vestimenti genus, ut Victor testatur de Antonino Caracallo: cum e Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque caracallas fecisset; unde facilis credo, caracallas esse tunicas illas χιτῶνας χειριδωτοὺς, quas Gallis tribuit Strabo. Martialis Gallicam pallam vocat:

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Pallæ enim & πέπλοι vocabantur omnes tunicæ χιτοὶ, ut alibi latius.

Nove autem Antoninus Severi F. caracallas talares fecit, cum antea Gallicæ caracallæ tantum dimidias nates tegerent, ut Salmasius observavit. Sed & pœnulas cucullos habuisse affirmat Sedulius: *Pœnula est*, inquit, *lacerna in modum cucullæ*. Cui favere videtur Pomponius in *Panuceatis* apud Nonium: *Pœnulam in caput induce ne te noscat*. Itaque pœnulæ erant vestes cucullatæ fusci coloris cum clavis: lacernæ autem eadem forma erant, sed sine clavis, & varii coloris.

Præterea hæc differentia fuisse videtur, quod pœnulæ ipsi cucullus adsutus erat; separatus a lacerna autem cucullus erat; sed cum lacerna induebatur simul. Martialis:

Jungere nescisti nobis o stulte lacernas;
Indueras albas, exue callainas.

Ita explico Festum: *Lacerna quod minus capitio est*, ita laxa ut pœnula. Plinius capita pœnularum centunculo herbæ comparat. Capita sunt capitia. Hinc glossema eluendum ex Isidori lib. XIX. cap. XXIV. *Inde autem lacernæ sunt quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis ut pœnularum*. Delendum *fimbriarum*, quod ex superioribus lineis irrepsit. Inde & apparet, lacernas breviores, nec ita laxas ut pœnulas fuisse. Lacernarum formam videre est in columna Trajana Ciacconii num. CCXXVII. & CCXLIV. ubi tam plebi Romanæ quam militibus lacernæ cucullatæ tribuuntur. Cum igitur pœnulæ clavatæ fuerint, forte hinc emendari potest locus Velleii Paterculi, qui lib. II. *Histor.* de Mæcenate ita scribit: *Tunc Urbis custodiis præpositus Mæcenas, Equestri, sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens, atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pene ultra feminam fluens, non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus. quippe vixit Augusti clavi pæne contentus, nec majora consequi potuit, sed non concupivit*. Ubi Grammatica postulante legunt: *Augusto clavo pæne contentus*. Quod Lipsius approbat: *Sed*, inquit, *τὸ pæne, an convenit? ille vero planissime contentus vixit, nec opus vocula hac imminuente vel ambigente. Magis ad Mæcenatis ingenium, bene contentus, vel plane*. Mihi videtur hic recte legi posse: *vixit Angusticlavia pœnula contentus*. Ita ut Velleius per Angusticlaviam pœnulam intelligat dignitatem Præfecturæ Urbis, quæ Equitibus concedebatur. Etenim præfecti Urbis, ut erant Equites, angusticlavias vestes portabant; immo militari habitu utebantur etiam inter Urbem, nempe abolla, vel chlamyde, vel pœnula. Imperatorum autem ævo Equites pœnulis (quæ clavatæ erant) aut lacernis utebantur. Xiphilinus ex Dione: [illegible] μυθήσατο ἡμᾶς, ὅτι μέλλων αὖθις μονομαχῆσαι [illegible] τῇ στολῇ τῇ ἱππάδι καὶ ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν. ὅπερ οὐκ ἄλλως ποιοῦμεν εἰσιόντες εἰς τὸ θέατρον, εἰ μὴ τῶν αὐτοκρατόρων τὶς μεταλλάξειε. Idem refert de Commodo Lampridius: *Ipse autem prodigium non leve sibi fecit; nam cum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit, & contra consuetudinem pœnulatos jussit Senatores* (ita lego cum Casaubono, non *Spectatores*) *non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebat ipse in pullis vestimentis præsidere*. Ego existimo hinc omen sumptum fuisse, quod Senatores posita veste Senatoria, Equestrem sumere jusserit, quod non fiebat nisi in magno & publico luctu. ita Dio lib. LVI. post Augusti mortem: Τῇ τε ὑστεραίᾳ βουλὴ ἐγένετο, καὶ ἐς αὐτὴν οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ἱππάδα στολὴν ἐνδεδυκότες συνῆλθον, οἱ δ' ἄρχοντες τὴν βουλευτικὴν, πλὴν τῶν ἱματίων τῶν περιπορφύρων. *Postridie Senatus habitus est, & in eum reliqui Senatores Equestri habitu, magistratus Senatorio habitu, depositis prætextis venerunt*. Videndus P. Faber l. I. *Semestrium* cap. II. Sane hanc ἱππάδα στολὴν lacernam aut pœnulam fuisse Herodianus docet lib. IV. cap. III. de funere Severi: Τῆς δὲ κλίνης ἑκατέρωθεν καθέζονται ἐπὶ πλεῖστον τῆς ἡμέρας, ἐν μὲν τῷ λαιῷ μέρει πᾶσα ἡ σύγκλητος μελαίναις ἐσθῆσι χρώμενοι. *Circa lectum vero utrimque magnam partem diei sedent, a læva quidem Senatus omnis pullis pœnulis amictus*. Suetonio etiam in *Claudio* cap. VI. docet Equites lacernis usos, dum scribit, *Equestrem ordinem Claudio spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solitum fuisse*. Aliqui tamen Imperatores veterem togarum usum revocare studuerunt. Ita Hadrianus, Lampridio teste, *jussit Senatores & Equites in publico togatos esse*. Et ante eum Augustus (ut Suetonius refert cap. XL.) *habitum vestitumque pristinum reducere studuit, ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans ait:*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circoque, nisi positis lacernis, togatum consistere. Sed aliquis objiciat: Quomodo Mæcenas, qui Augusti tempore vixit, pœnula usus est, si Augustus usum earum interdixit? sed responderi commode potest, Augustum quidem cives Romanos pœnulis uti noluisse; Mæcenatem autem ab hac lege exemptum fuisse, quia Præfectus Urbis erat, qui militarem habitum, etiam intra Urbem portabat. Juvenalis sat. IV.

—— Primus, clamante Liburno,
Currite, jam sedit: rapta properabat abolla.
Gallicus, attonitæ positus modo villicus urbi.

Quamvis Ferrarius libr. II. *de Re Vestiaria* cap. XI. contra nitatur, eum tamen satis revincit Cassiodorus libr. VI. cap. XV. *Variarum* in forma Vicarii urbis Romæ: *Additur, quod nec salutari te sine chlamyde jura voluerunt, scilicet, ut sub veste militari semper visus, numquam crederetis esse privatus; sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam judicamus esse concessa, ut qui tantæ sedis vicarium diceret, umbratile nihil videret*. Pœnulam autem vestem militarem esse, cuivis notum. Cum igitur Mæcenas, utpote Præfectus Urbis, militari habitu intra Urbem uteretur, haud injuria illi probro datum, quod solutis tunicis incederet; cum tamen Julio Cæsari cinctura objiceretur: sed diversa utriusque ratio. Cæsar enim, qui Senator erat, cum laticlaviam tunicam cingeret, contra consuetudinem peccabat; laticlavii enim discincti erant, ut ex Quintiliano constat. Mæcenas autem, qui pœnulam aut aliam vestem militarem portabat, insolito more solutis tunicis incedebat. *Omnes enim qui militant, cincti sunt*, ut ait Servius *ad* VIII. *Æneidos* ad illud *discinctos mulciber Afros*. Hinc Seneca de Mæcenate Epist. CXIV. *Non statim hæc cum legeris hoc tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in Urbe semper incesserit? Nam etiam cum absentis partibus Cæsaris fungeretur, signum discincto petebatur*. Sic & Titus Castritius apud A. Gellium lib. XIII. c. XX *Cum discipulos quosdam suos Senatores vidisset die feriato tunicis & lacernis indutos, & Gallicis calceatos: Equidem, inquit, maluissem vos togatos esse; pigitum est cinctos saltem esse & pœnulatos*. Ex quo loco viri docti Cl. Salmasius *in Ælium Lampridium*, & alii colligunt, pœnulas olim tam militares quam plebejas cinctas fuisse. haud recte meo judicio; ut enim ex columna Trajana & picturis antiquis apud Bosium apparet, pœnulæ aut lacernæ non cingebantur, sed tunicæ, quibus illæ superinducebantur. Senatores autem illi apud Gellium tunicæ laticlaviæ discinctæ pœnulam superinduerant, quod Castritio indecorum videtur, atque hinc exclamat *Pigitum est cinctos saltem esse & pœnulatos*, id est, si vultis pœnulati esse, quare saltem non estis cincti, cum pœnula, utpote veste militari indutos, cinctos esse conveniat? Atque hanc explicationem aperte confirmat Lex I libr. XIV. T. X. Cod. Theod. *De habitu quo uti oportet inter Urbem: Officia-*

les quoque per quos statuta complentur, ac necessaria peraguntur, uti quidem pœnulis jubemus, verum interiorem vestem admodum cingulis observare. Ex quo apparet, non pœnulam ipsam, sed interiorem vestem, id est, tunicam, cinctam fuisse. Casula etiam cucullum habebat. Vide Greg. Turon. in *Vita S. Nicetii* Tom. VI. part. II. *Bibl. Patr.* f. 625.

Casula autem idem quod pænula, ut existimo, dicta per deminutionem a casa, quod totum hominem tegat, quasi minor casa, ut Isidorus ait. Cui etymologiæ favere videtur Philo Judæus *de victimis*: αἰγῶν δὲ αἱ τρίχες αἱ δοραὶ συνυφαινόμεναί τε καὶ συῤῥαπτόμεναι φορηταὶ γεγόνασιν ὁδοιπόροις οἰκίαι, καὶ μάλιστα τοῖς ἐν στρατείαις, οὓς ἔξω πόλεως ἐν ὑπαίθρῳ διατρίβειν ἀναγκάζουσιν αἱ χρεῖαι τὰ πολλά. *Caprarum lana, & pelles contextæ & consutæ, sunt viatoribus portatiles domus, maxime militibus, quos extra urbem sub dio agere cogunt multæ necessitates.*

CAP. VII.

Ricinia purpura clavata. Turnebi emendatio in Cicerone confirmata. Festus explicatus. Differentia clavi & prætexti purpurei. Ricinia duplicari solita. Varroni lux. Riciniis utebantur mulieres Romanæ in adversis rebus & luctibus. In funere depositis riciniis pullas pallas sumebant. Duplicatio pallii quid.

NON possum hic omittere, etiam ricinia purpura clavata fuisse, cum hoc ex lege XII. Tabularum constet, de qua Cicero lib. II. *de Legibus*: *Extenuato igitur sumptu tribus riciniis & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationes.* ubi cum omnes MSS. præferant: *& vincula purpuræ*, recte meo judicio Turnebus emendavit, *& clavis purpuræ*; nisi forte melius legi potest, *cum clavis purpuræ*; ait enim lex, tria solum ricinia purpurata mortuis injici posse: ricinia autem purpura clavata fuisse indicat Festus. *Ricinium*, inquit, *omne vestimentum quadratum ii qui XII. interpretati sunt esse dixerunt. Verrius togam, qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo. Unde reciniati mimi planipedes.* Quo loco miror Verrium ita improprie locutum, ut dicat, ricinium clavo purpureo prætextum fuisse: etenim magna differentia inter clavum purpureum & purpuram prætextam: nisi forte ita explicari possit, quod ricinium clavo purpureo ornatum erat; qui clavus, cum ricinium duplicabatur, purpuræ prætextæ vice fungebatur, quamvis medio ricinii loco purpureus is clavus insertus esset.

Etenim hæc differentia inter clavos purpureos, & prætextum purpuræ, quod hoc quidem intexebatur aut assuebatur κατὰ τὰ ἄκρα, in oris; clavi autem inserebantur κατὰ τὸ μέσον, in medio, ut Basilius ait. Ricinia autem duplicare solita, Varro ostendit lib. IV. de *L. L. Ricinium quod eo utebantur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jacebant. Ab rejiciendo recinium dictum. Hinc quod facta duo simplicia paria, parilia primo dicta.* Et paulo post: *Lena quod de lana multa: duarum enim togarum instar, ut antiquissimum mulierum ricinium, sic hoc duplex virorum.* Ex quo loco lux affulget alteri Varronis loco, quem Nonius in voce *Ricinium* adfert, ταφῇ μέμπτῳ. *Nibilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricinio palliolum simplex.* Quem locum, cum satis clarus sit, miror a doctissimo viro Salmasio *ad Aurelianum Vopisci* dispunctione corrigi. Ait enim Varro: Si ex muliebri ricinio, quod duplex erat, ut jam diximus, aliquis sibi simplex pallium faciat, id non amplius muliebre dici posse. Utebantur autem riciniis mulieres Romanæ in adversis rebus & luctibus. Varro apud Nonium d. l. *de vita populi Romani* lib. I. *Ex quo mulieres in adversis rebus ac luctibus cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* In funere tamen ipso depositis riciniis, pullas pallas sumebant. Varro apud Nonium in V. *Pullus*, *de vita populi Romani* lib. III. *Ut dum supra terram essent, riciniis lugerent: funere ipso ut pullis pallis amictæ.* Idem eodem libro apud Nonium in V. *Anthracinus*; *Propinquæ adolescentulæ etiam Anthracinis, proximæ amiculo nigello capillo demisso sequerentur luctum.* Quod autem ricinia aut duplicia pallia in rebus adversis aut luctibus Romanæ feminæ sumebant, ex more Atheniensium tractum, penes quos idem mos, ut docet Lycurgus contra Leocratem: qua vero ratione pallia duplicabantur, operæ pretium est exponere, ut magnorum virorum certamina hac de re dirimantur.

Nam quid fuerit duplicatio Cynici pallii, valde controversum apud eruditos, ut ait Salmasius *ad cap. V. Tertulliani de Pallio*. Ipse suam sententiam his verbis proponit: *Græcanicum pallium commune utrumque humerum operiebat, ut utrimque regestum retrorsum in humeris fibula strictum continebatur; Cynicum vero pallium humero dextro subjectum, & in sinistrum conjectum, ante & retro duplicabatur; humerum siquidem lævum duplici textu tegebat, & dextrum nudabat cum commune in utroque humero simplex sederet. Quare Cynici, qui duplici pallio utebantur, alterum humerum exertum habebant, alterum duplicato pallii textu coopertum: atque hæc erat duplicatio pallii, quam Crateti quidam, alii Antistheni, nonnulli Diogeni adscripsere, quamque omnes exinde Cynici usurpaverunt, qui pallio solo absque tunica involvebantur.* Hactenus Salmasius. Quem pluribus reprehendit Kerkoetius in suis *animadversis ad Tertullianum de Pallio*: ipse asserit Cynicum pallium expansum longius reliquis duplicatum ista mensura constitisse. Quem oppugnant Franciscus Francus in *confut. animadvers. authent. Kerkoetii*. Sed hos motus animorum atque hæc certamina tanta componet ipse Diogenes, quem exhibeo hic ex veteri numismate, quod olim penes Ful. Ursinum extabat. Ex quo quidem videmus, partem illam pallii, quæ dextrum humerum operire debebat, duplicatam sub dextro brachio corpus velasse.



CAP. VIII.

Tunicæ clavis ornatæ. Aliæ angusticlaviæ, aliæ laticlaviæ. Angusticlaviæ. σευησόμος. Pauper clavus. Glossarium B. Benedicti correctum. ψιλόσημα. Angusticlavia duos tantum clavos habuit, unum a dextra, alterum a sinistra parte. παραπῆχυ. παραλυργές. παρυφές. Hesychius explicatur. Forma angustorum clavorum. In Dalmaticis vetus angustorum clavorum usus remansit. Dalmaticæ olim clavatæ. quare? Latitudo clavorum arctorum. In feminarum vestibus latiores quam in virilibus. Damascius apud Photium illustratus. Angusticlaviæ tunicæ non distinxerunt Equestrem ordinem a plebejo; sed utrique fuerunt communes. Annuli Equestris ordinis insigne. παραλυργεῖς. Non omnis purpura sub Imperatoribus vetita, sed certa species etiam sub posterioribus. Αλυργίδες, Thalassinæ. Conchyliatæ vestis color glauco & irascenti mari similis. Tunicæ Romanorum color. Cicero explicatur. Purpura est prætexta. Tribuni plebis non usi sunt prætextis. Aliud togam ad talos, aliud ad calceos dimittere. Tunicæ erant albæ purpureis clavis distinctæ. Aliquæ mellini coloris. Tunica ex lana Appula alba, ex Bætica melina. Melinus color. Togæ color. Lacernas portabant ejus coloris, cujus erat factio Circensium, cui favebant. Conjectura in Martiale.

NUnc ad tunicas progrediamur, quas clavis ornari solitas nemo nescit. Varro Modio apud Nonium in voce *Tunica* & *Vitreum*. *Quam istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos.* Atque aliæ quidem *angusticlaviæ* erant, aliæ *laticlaviæ*; nam de Barbarorum tunicis, quæ pluribus clavis erant distinctæ, jam supra egimus. Primo de angusticlaviis tunicis, deinde de laticlaviis tractabimus. Et angusticlavia quidem tunica Græcis σενόσημος dicitur. Ita in lexico Græco-Latino Cyrilli: σενόσημον, *angusticlavium*. Epictetus apud Arrianum, lib. I. cap. XXIV. Λέγει σοι: Θὲς τὴν πλατύσημον. ἰδοὺ σενόσημος. Θὲς καὶ ταύτην. ἰδοὺ ἱμάτιον μόνον. Θὲς τὸ ἱμάτιον. ἰδοὺ γυμνός. *Præcipit tibi: Depone latum clavum. Ecce angustus clavus in promptu est. Istum quoque depone. Ecce vestis sola. Depone & vestem. Ecce nudus sum.* Eodem modo Statius *Angustos clavos*, *arctum lumen purpuræ* vocat:

Contentus arcto lumine purpuræ.

& alibi, *pauperem clavum*.

In Glossario B. Benedicti angusticlavia exponuntur ψειχόσημα. Ubi Bonaventura Vulcanius ψηφόσημα legendum censet. *Recte enim*, inquit, *supra* σημεῖα *interpretatur clavus*; ψῆφος *vero gemmas*. Cujus rationem ego quidem assequi non possum. Cl. Salmasius *ad Fl. Vopiscum* ψηχόσημα legit, quasi quæ micas tantum purpuræ haberent: nimirum, ut sententiam suam de clavis confirmet, eos nempe fuisse bullas quasdam, aut capita clavorum vestibus intexta. Sed ego non dubito legi debere ψιλόσημα. Sic enim & D. Hieronymus locutus est ad Eustochium Epist. XXII. Tom. I. *Purpura tantum in veste tenuis, & laxius ut crines decidant, ligatum caput.*

Angusticlavias autem tunicas duobus clavis ornatas fuisse, uno a dextra, altero a sinistra parte, qui per utrumque humerum descendebant usque ad infimam tunicæ oram, colligere mihi videor ex Quintiliani loco supra citato l. XI. qui plusquam unam purpuram seu clavum iis tribuit: *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant; nam infra, mulierum est; supra, centurionum. Ut purpuræ recte descendant, levis cura est; notatur interim negligentia.* Ubi bene admonet Angusticlavios, ut purpuræ eorum recte descendant. Laticlavii enim hac admonitione non egebant, tum quia unam tantum purpuram habebant; tum etiam quia non cingebantur. Apulejus l. II. *Floridorum*: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, tenuissimo textu, triplici licio purpura duplici; ipse eam sibi solus domi texuerat.* Horat. *de Arte*:

Purpureus late qui splendeat unus & alter
Assuitur pannus,

Atque ita forsitan contexta erant indumenta, quæ a Græcis παρατῆχυ, παραλυργὲς, & παρυφὲς appellantur. Hesychius παραπῆχυν, ἱμάτιον τὸ παρ' ἑκάτερον μέρος ἔχων πορφύραν. παραπῆχυν, *vestimentum ab utraque parte habens purpuram.* Pollux l. VII. c. VIII. Τὸ δὲ παρυφὲς καὶ παραλυργὲς τὸ ἑκατέρωθεν ἔχων παρυφασμένην πορφύραν. *Vestis quæ dicitur* παρυφὲς & παραλυργὲς *utrimque habet clavos purpureos.* Hinc explicandus Hesychius, a quo παραλυργεῖς exponuntur οἱ ἧττον ἔνδοξοι καὶ ἔντιμοι. ubi per παραλυργεῖς angusticlavii, nempe qui pauperem clavum gestabant, ut Statii verbis utar, intelliguntur.

Et sane in picturis antiquis cœmeteriorum, quas Antoninus Bosius exhibet in *Roma subterranea*, videmus plerumque in tunicis & pœnulis duos clavos ab utroque humero descendentes. In musivo quoque Triclinii Leoniani, quod Dissertatione historica illustravit Nicolaus Alemannus, in sancti Petri, aliorumque Apostolorum tunicis, similes clavi rubro colore expressi conspiciuntur. Habui quoque dono Nobilissimi & Amplissimi Viri D. Nicolai Rokoxii, Consulis Antuerpiensis, sigillum æreum, nunc furto mihi subreptum, in quo annotavi duos clavos tunicæ immissos, ex illo genere æris quod orichalcum nunc appellamus, & ab utroque humero descendentes. Ex iis quæ diximus, satis firmatum est, ni fallor, tunicis angusticlaviis duos clavos arctos insertos fuisse, eadem fere forma qua versicoloribus vel pictis zonis seu lineis Dalmaticas

Diaconorum nostrorum distingui videmus: in quibus vetus angustorum clavorum mos adhuc remansit. Nam Dalmaticas in prisca Ecclesia clavatas purpura fuisse, ex Isidoro liquet lib. XIX. cap. XXII. *Etymologici*: *Dalmatica vestis primum in Dalmatia Provincia Græciæ texta est tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura*. Alcuinus cap. XL. *de Celebratione Missæ* de Dalmatica: *Habet & coccineas virgulas sanguinem Christi pro salute mundi affusum demonstrantes*. Rabanus Maurus *de institutione clericorum* cap. XIX. *Hæc vestis in modum crucis est facta, & passionis Domini indicium est. Habet quoque & purpureos tramites, ipsa tunica a summo usque ad ima ante & retro descendentes, nec non per utramque manicam*. Amalarius *de Ecclesiasticis Officiis* lib. II. cap. XXI. *Ipsa Dalmatica duas coccineas lineas habet retro, similiterque in anteriori parte, quia vetus Testamentum & novum rutilant dilectione Dei & proximi*. Honorius Augustodunensis in *Gemma animæ* lib. I. cap. CCXII. *Dalmatica duas coccineas lineas ante & retro habet, quia vetus & nova lex dilectione Dei & proximi refulget. Iidem tramites purpurei designant sanguinem Christi pro duobus populis effusum*. Joannes Diaconus lib. IV. *de Vita S. Gregorii PP.* cap. LXXXIII. *In altera mater Gregorii sedens depicta est Silvia, candido velamine, a dextro humero taliter contra sinistram revoluto contecta, ut sub eo manus tanquam de planeta subducat, & circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactini coloris appareat, quæ magno sinuamine super pectus defluat, duabus zonis ad similitudinem Dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta*. Ubi videmus, quos Isidorus *clavos* in Dalmatica appellat, ab Alcuino & Remigio *virgulas*, ab Amalario & Honorio *lineas*, a Joanne Diacono *zonas*, a Rabano *tramites* nominari, quemadmodum Tibullus auratos clavos in femineis vestibus *vias* vocat:

Illa gerat vestes tenues quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Et Servius de virgatis Gallorum sagulis: *Quæ habebant in virgarum morem deductas vias*. Rationes autem, quas Patres illi reddunt, quare clavis purpureis Dalmaticæ ornatæ fuerint, quamvis piæ sunt, mihi non probantur. Ego simpliciter credo angusticlaviam Dalmaticam ideo Diaconis datam esse, ut inferiores presbyteris dignitate censerentur, qui latum clavum portant, ut infra dicemus.

Quam lati fuerint clavi tunicæ angusticlaviæ haud facile est definire; pro arbitrio enim aut extendebant, aut restringebant clavos, ut & de lato clavo infra dicemus, quod constat ex picturis Veterum. Pauca purpura fuisse videtur in tunica angusticlavia; Arrianus Epictetus Τὸ ὀλίγον ἐκεῖνο καὶ στιλπνόν. Credo tamen feminarum vestes angusticlavias latiores clavos habuisse, quam viriles tunicas. Photius in *excerptis Damascii*, de vita Isidori: ἐπὶ τῆς κλίνης ἀνακειμένῳ ἐξαπίνης τὴν δίκην ἰδεῖν συνέβη λαμπρὰν κόρην εὔζωνον, κολοβὸν χιτῶνα μελινόχρουν ἀνεζωσμένην πορφυροῖς πλατέσι σημαδίοις κεκοσμημένον. *In lecto jacenti subito Justitiam videre contigit, splendidam virginem, & formosam, colobium tunicam gerentem melini coloris recinctam, purpureis latis clavis ornatam*. Quamvis autem Casaubonus *ad Lampridium* arbitretur illic tunicam laticlaviam describi, ego vix id in animum inducere possum; tum quia feminæ non portabant latum clavum; tum etiam quia Damascius hic plura σημάδια in tunica ponit, cum laticlavia unum tantum haberet, ut infra latius probabo. Dicit igitur Damascius, tunicam hanc quidem angusticlaviam fuisse, id est, duobus cla-

A vis ornatam, sed clavos illos admodum latos fuisse. Ita & Joannes Diaconus l. IV. *de Vita S. Gregorii Papæ*, tunicam Silviæ *duabus zonis ad similitudinem Dalmaticarum, sed latioribus omnino distinctam fuisse* asserit. Ceterum angusticlavias tunicas Equestrem ordinem a plebe distinxisse, ut latus clavus Senatores ab Equitibus discernebat, omnes Antiquarii fere consentiunt. Ita Aldus Manutius lib. II. *de quæsitis per Epistolas*, Rosinus lib. V. *Antiquitatum Roman.* cap. XXXIII. & alii passim; ego tamen existimo nullum discrimen inter tunicam Equestrem & plebejam fuisse: nam Appianus lib. II. diserte scribit excepta Se-
B natoria veste cæterum habitum Romæ promiscuum fuisse, τῶν ἐμφυλίων, καὶ ὁ ἐξελεύθερος αὐτοῖς ἰσοπολίτης ἐστὶ ὁ δουλεύων ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος. Χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς, ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσιν ἐστιν ἐπίκοινος. *Et libertinus par civitatis jus habet, & servus habitu dominis similis est; præter Senatoriam enim vestem reliquus vestitus servis est communis*. Plinius annulos, non angusticlaviam tunicam Equestris ordinis insigne fuisse affirmat l. XXXIII. c. I. *Annuli distinxere alterum Ordinem a plebe, ut semel cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis Senatum tantum, quamquam &
C hoc sero, vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones, sicut patrem L. Ælii Stilonis, Præconini ob id cognominati. Sed annuli plane medium ordinem tertiumque plebi & patribus inseruere*. Non itaque tunica, sed annulis a plebe differebant Equites, ut Senatores ab Equitibus tunica Senatoria, qui ab intexto lato clavo passim latus clavus vocatur ab Auctoribus antiquis. Hinc bene ab Hesychio παραλουργεῖς, id est, angusticlavii, ut jam diximus, exponuntur οἱ ἧττον ἔνδοξοι καὶ ἔντιμοι. Cum omnes illi, qui non erant Senatorii, Angusticlavia tunica uterentur. Lampridius in *Alexandro*: *In animo
D habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut a vestitu dignoscerentur, & omnibus servis, ut in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul, ne servi ingenuis miscerentur. Sed hoc Ulpiano Paulloque displicuit, dicentibus plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad injurias. Tum satis esse constituit, ut Equites Romani a Senatoribus clavi qualitate discernerentur*. Ex quo constat solos Senatores ab Equitibus distinctos fuisse veste; Equites vero ne a servis quidem illo tempore habitu diversos fuisse, quod & ex Appiani loco modo laudato apparet. Per στολὴν autem ἱππάδα, E-
E questrem vestem, quam Senatores togis depositis in luctu sumpsisse Dio tradit, *lacernam* intellexisse puto: iis enim in luctu usos esse Senatores supra cap. VI. ostendi. Sed hæc quæ de promiscuo clavorum purpureorum usu diximus facile corruunt, si viris doctis fides, qui purpuræ usum privatis omnibus interdictum fuisse sub Imperatoribus tradunt. Panciról. Cujacius lib. XII. *Obs.* c. XXIV. Salmasius *in Flav. Vopiscum*, Lindenbrogius *ad Ammianum*. Sed mihi videtur non omnem purpuræ usum, sed certas tantum species vetitas fuisse. Ita Julius Cæsar
F apud Suetonium cap. XLIII. *Lecticarum usum, item conchyliatæ vestis & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies ademit*. Et Octavius teste Dione lib. XLIX. τήν τε ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ μηδένα ἄλλον ἔξω τῶν βουλευτῶν τῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὄντων ἐνδύεσθαι ἐκέλευσεν. ἤδη γὰρ τινὲς καὶ τῶν τυχόντων αὐτῇ ἐχρῶντο. *Vestis conchyliatæ usum nulli nisi Senatoribus Magistratum gerentibus concessit. Tum enim & quidam plebejorum illa utebantur*. ἁλουργίδες autem non omnes vestes purpureæ dicuntur, sed Thalassinæ, sive ἁλιπόρφυρα ἱμάτια,

Ita in Artemidoro ἀλεργίδες a purpureis veſtibus diſtinguuntur. Sic etiam apud Perſas ὁ μὲν κάνδυς ὁ μὲν βασιλειος ἀλιπόρφυρος, ὁ δὲ τῶν ἄλλων πορφυροῦς: *Regia veſtis, quæ Candys dicitur, erat conchyliata, aliorum purpurea.* ut Julius Pollu xait; dicebatur autem ἀλεργὶς a colore, ut idem Pollux tradit. Hinc exiſtimo ἀλεργίδα proprie vocari a Græcis conchyliatam veſtem, cui color auſterus eſt glauco, & iraſcenti ſimilis mari, ut Plinius ait lib. IX. cap. XXXVI. Sic Etymologicon ἀλεργὶς ἡ ἀπὸ θαλασσίου κόχλου γινομένη καὶ ἐργαζομένη. Ἀλεργὶς, *quæ ex marino conchylio fit & paratur.* Hinc apparet, Julium & Auguſtum non omnem purpuræ uſum Romano populo ademiſſe, ſed tantum τὴν ἐσθῆτα τὴν ἀλεργῆ, ſive conchyliatam. Sed hæ leges ſtatim obliteratæ fuerunt; nam cum ſub Tiberio multi ἐσθῆτι ἀλεργεῖ uterentur, quamquam vetitum id eſſet jam pridem, id neque reprehendit in quoquam Tiberius, neque mulctavit, tantum ludis, cum plueret, nulla ipſe pœnula indutus effecit, ne quis etiam alius veſtem inconceſſam uſurparet, teſte Dione lib. LVII. Nero rurſus certas ſpecies purpuræ, Amethyſtini nempe ac Tyrii coloris, interdixit: quin etiam inter canendum animadverſam matronam e ſpectaculis vetita purpura cultam demonſtraſſe procuratoribus ſuis creditur, detractamque illico non veſte modo, ſed & bonis exuit, teſte Suetonio. Ita & ſub Imperatoribus poſterioris ævi non omnis purpuræ uſus prohibitus fuit, ſed ſolummodo certæ ſpecies, ut in L. 1. C. *quæ res vænire non poſſunt*, præcipue autem τὰ ἀλεργῆ ſive conchyliata, quæ ſoli Principi ejuſque domui dedicabantur. L. 4. C. *de veſtibus Holoveris.* Videnda etiam novella 80. Leonis Auguſti.

Ex his quæ diximus, facile ſolvitur quæſtio, quæ inter eruditos viros agitatur, quo colore nempe tunicæ Romanorum fuerint. Aldus enim lib. II. *de quæſitis per Epiſtolas* cap. II. purpureas eas fuiſſe contendit. Aldo etiam aſſentitur Nicolaus Abramus in *Milonianam Ciceronis* §. 43. num. v. Ciceronis auctoritate permotus, ut ait, in *Cluentiana* de Quinto Tribuno plebis ita loquentis: *Facile, ut non ſolum mores ejus & arrogantiam, ſed etiam vultum atque amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpuram recordemini, quod ſine dubio, inquit, de tunica intelligendum; nam de toga prætexta non poteſt, tum quod probrum eſſet togam ad talos demittere, ſaltem ævo Ciceronis; tum maxime quod Tribuni plebis toga prætexta non uterentur, ut ex Plutarcho conſtat.*

Sed nihilominus hæc Ciceronis verba de prætexta capienda ſunt, ut ex Quintiliano apparet, qui lib. V. *Vita etiam, vultus, denique inceſſus habitus recte incuſari ſolet, ut adverſus Quintium Cicero non hæc ſolum, ſed ipſam etiam prætextam demiſſam ad talos inſectatus eſt.* Quod recte obſervavit Octavius Ferrarius lib. II. *de Re Veſtiaria* cap. III. Sed male idem Plutarchum accuſat, & ex hoc loco Tribunos plebis prætextatos fuiſſe aſtruit. Nam haud ſolum Plutarchus, ſed & ipſe Cicero Tribunos plebis haud quaquam prætextam geſtaſſe oſtendit in interrogatione contra Vatinium: *Sic enim ex te quæro. Tribunus plebis fuiſti? Sejunge te a Conſule. Collegas habuiſti viros forteis novem, ex his tres erant, quos tu quotidie dicebas de cælo ſervare, quos irridebas, quos privatos eſſe dicebas, de quibus duos prætextatos ſedentes vides, te ædilitiam prætextam togam, quam fruſtra confeceras, vendidiſſe.* Igitur Tribuni plebis non prætextati erant, ſed ſæpe exacto tribunatu prætextati fiebant, cum ad ædilitatem vel præturam, abrogata jam Sullæ lege, aſcendebant; atque ita explico Ciceronem de Quintio, quem ait in tribunatu cui-

A dam hominum generi pauliſper jucundiorem fuiſſe, ſed deinde cum nempe magiſtratum adeptus erat, odio etiam ſuis illis ipſis fuiſſe, per quos in altiorem locum aſcenderat, ob arrogantiam nempe, & demiſſam ad talos purpuram. Aliud etiam eſt togam ad talos demittere, aliud ad calceos; nam calcei Senatorum alti erant, & ad medium crus perveniebant. Contra ea Lipſius lib. I. *Electorum* cap. XIII. albas fuiſſe tunicas aſſerit. Horum opiniones facile in concordiam redigi poſſunt. Albæ enim erant, ſed purpureis ſignis diſtinctæ; Senatorum quidem lato clavo, Equitum vero & B plebejorum anguſtis clavis; unde Plinius lib. IX. cap. XXXVI. de purpura: *Diſtinguit ab Equite curiam, diis advocatur placandis, omnemque veſtem illuminat.* Sed non ſemper tamen tunicæ plane albæ erant; invenio enim & melini coloris aliquas fuiſſe. Photius in *Excerptis* de vita Iſidori de juſtitia, quam Senatoria tunica induit: ἐπὶ τῆς κλίνης ἀνακειμένῳ ἐξαπίνης τὴν Δίκην ἰδεῖν συνέβη λαμπρὰν κόρην εὔζωνον, κολοβὸν χιτῶνα μελινόχρουν ἀνεζωσμένην πορφυροῖς πλατέσι σημαδίοις κεκοσμημένην. *In lecto jacenti ſubito Juſtitiam ei videre contigit illuſtrem virginem & formoſam, indutam colobio tunica melini coloris recinctam, purpureis latis clavis ornatam.* C Nec enim aſſentior Bulengero, qui μιλτινόχρουν legit, lib. *de veſte Pontif.* cap. XXII. Cum enim Romani in patria veſte nativo lanæ colore uterentur, tunicæ quidem ex alba lana Appula aut Altina textæ, albæ erant; quæ vero ex Bætica lana textæ erant, melinæ erant. Lana enim illa aurea erat, & rutila, ut Plinius & Martialis teſtantur: melinus autem color qualis in malis Cydoniis viſitur, a quibus nomen ſumpſit, ut & melinum oleum & melinum unguentum, non vero a melino pigmento, nec ab aliis malis, quæ matura a ſole rubeſcunt, ut Salmaſius in *Exercitat. Plinianis* exiſtimat, qui etiam male D luteum & melinum confundit; melinus enim erat medius inter flavum & album, & pallide aureus. Magna etiam controverſia eſt inter viros doctos de colore togæ, quem quidam purpureum fuiſſe oſtendit: Lipſius & Sigonius album; ſed Octavius Panagathus apud Ant. Auguſtinum Dialogo II. *Antiquit.* cenſebat e quatuor illis colorum generibus fuiſſe, quibus Circenſibus in ludis currentes utebantur factiones, albo, rufo, praſino, & veneto. Cujus opinio ut de toga nequaquam ſubſiſtit, quæ alba ſine dubio erat, ut Lipſius exiſtimat, ita facile credo illos qui factionibus Circenſium favebant, lacernas portaſſe ejus coloris cui addicti E erant, quod Martialis videtur indicare in epigrammate CXXXI. l. XIV. cujus lemma eſt *Lacernæ coccineæ*:

Si veneto praſinoque faves qui coccina ſumis;
Ne fias iſta transfuga ſorte vide.

Forſan legendum *veſte*.

CAP. IX.

Matronæ etiam tunicas anguſticlavias portarunt. Regilla tunica purpura diſtincta. Varro emendatus. Regilla alba erat & recta. Recta tunica. Ἀῤῥαβος χιτών. *Heſychius vindicatus.* ὁ μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένος χιτών. F *Tunicæ mulierum fibulis conſtringebantur. Tunicæ viriles non erant apertæ, nec fibulis adſtrictæ. Tunica inconſutilis ex una tela contexta erat. Talis tunica talaris Pontificum.* Ὀρθοστάδιοι χιτῶνες. *Heſychius vindicatus. Quomodo tunicæ inconſutiles textæ?*

NUNC videndum, an etiam matronæ Romanæ tunicas anguſtis clavis ex purpura ornatas portabant, quod extra dubium eſt; cum etiam virgines Deo devotæ aliquantulum purpuræ tunicæ infer-

sertum gestarent, quod Hieronymus testatur Epist. XXII. ad Eustochium: *purpura*, inquit, *tantum in veste tenuis*. Sed de his latius infra. Cæteræ illustriores quamvis ut plurimum auro clavatis tunicis uterentur; tamen etiam sæpe purpuratis vestibus insignes erant: & regillam quidem tunicam quam fæminæ portabant, ut ex Plauto constat, purpura distinctam fuisse, mihi colligere videor ex Varronis versu, qui corrupte legitur apud Nonium cap. XIV. *Regilla*, inquit, *vestis diminutive a Regia ficta, ut & Basilica. Plautus Epidico: An Regillam tuniculam induam an mendiculam. Varro* παπιαπάππα περὶ ἐγκωμίων,

Collum procerum fictum levi marmore:
Regillam tunicam diffingitur purpura.

Ex quibus verbis nemo bonum sensum elicere poterit; unde existimo legendum esse:

Regilla tunica purpura diffinditur:

Id est, Regilla tunica purpurea, clavis purpureis distinguitur, sive intersecatur. Tunica autem regilla alba erat & recta. Ita Festus: *Regillis tunicis albis, & reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum versum a stantibus, pridie nuptiarum virgines indutæ cubitum ibant*. In his tunicis rectis, quæ sursum versum a stantibus texebantur, varie sudant eruditi. Optime hanc texturæ rationem explicat Salmasius *in Fl. Vopiscum*. Recta autem tunica, ut bene annotat Scaliger *ad Festum*, erat ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὕφαντος δι' ὅλȣ. Atque hoc texturæ genere texta erat tunica Domini nostri de qua Evangelista: ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνοθεν, ὕφαντος δι' ὅλȣ. Sed quomodo tunica hæc esset ἄῤῥαφος contra omnium doctorum sententiam definit Salmasius dicto loco, cui non accedo. Ait enim, ἄῤῥαφον χιτῶνα esse tunicam, quæ circa latera conclusa est & acu consuta, cui opponit τȣ̀ς χισȣ̀ς, id est, tunicas quæ circa latera apertæ erant, & fibulis adstrictæ. Etiam corrigit locum Hesychii, ubi legitur σύμπορπον τὸν μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένον κατὰ τȣ̀ς ὤμȣς χιτῶνα; negativam enim tollit & legit τὸν ῥαφαῖς συνειλημμένον, id est, ut exponit, fibulis adstrictam. Sed bene habet Hesychius: tunicam enim non consutam vocat τὸν μὴ ῥαφαῖς συνειλημένον χιτῶνα. constringebant eam fibulis, ut ex statuis apparet, ubi sæpe mulierum tunicas ita fibulatas videmus. Vide Philippum Rubenium lib. II. *Electorum* cap. XX. Viriles autem tunicæ haudquaquam apertæ erant circa latera, & fibulis adstrictæ, sed consutæ & ῥαφαῖς συνειλήμμενοι. Quod ex Suetonio satis constat in *Augusto* cap. XLIV. *Sumenti virilem togam tunica laticlavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit*; nec enim mihi persuadebit Salmasius, qui *resutam* hic exponit *refibulatam nodis scilicet solutis, quibus tenebatur in humeris ex utraque parte*. χιςὴ *enim fuit*, inquit, *illa laticlavi tunica*. Cui sane cras credam, hodie nihil. Nec etiam usque vidi statuas togatas, quæ tunicas apertas habent. Addit præterea ἀκεστικὴν apud Veteres, ὑφαντικῆς εἶδος εἶναι. unde ὕφαντος δι' ὅλȣ tunica dicitur quæ nullas scissuras habeat. Plato tamen in *Politico* aperte ἀκεστικὴν ab ὑφαντικῇ distinguit. Præterea tunica inconsutilis sive ἄῤῥαφος nec fibulis nec suturis cohærebat: etenim haudquaquam ex duabus plagulis inter se consutis composita, sed ex una tela contexta erat, nec ullas suturas circa humeros aut latera habebat. Talis erat tunica talaris Pontificum Hebræorum, de qua Josephus lib. III. *Antiquitatum* cap. VIII. ἔστι δ' ὁ χιτὼν ȣ̓͂τος ȣ̓κ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων, ὥστε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τῶν παρὰ πλευράν. φᾶρσος δ' ἐν ἐπιμήκει ὑφασμένον: *Hæc tunica non constat e duabus plagulis, ut suturas habeat in humeris ac lateribus. Est vero tela in longitudinem texta*. Qui locus solus satis destruit opinionem Salmasii: erat enim illa tunica non a lateribus aperta, sed solummodo circa capitium, & illic qua manus exerebantur. Unde Philo Judæus sermone II. *de Monarchia* appellat ἔνδυμα περιφερὲς ὅλον δι' ὅλων ὑακίνθινον. *Vestimentum rotundum totum undique hyacinthinum*. Et Josephus *de captivitate* lib. VI. στρόγγυλον ἔνδυμα *vestem rotundam*. Talis erat & tunica Domini nostri ἄῤῥαφος, & Rectæ tyronum, & Regillæ sponsarum, & ὀρθοστάδιοι Græcorum. Clare id Hesychius: ὀρθοστάδιοι χιτῶνες, οἱ στατοὶ, ὑπόκομμα ȣ̓κ ἔχοντες. Qui locus per se satis facilis, variis interpretum explicationibus difficilis redditus est. Quidam enim, ut Nunnesius *in Phrynichum* fol. 47. per ὑπόκομμα capitium exponunt, sive locum quo caput exerendum erat, & legunt sublata negativa ὑπόκομμα ἔχοντες. Alii ὑπόκομμα dicunt esse præcincturæ locum, quod illæ tunicæ in loco cincturæ essent intercisæ, & partes inferiores superioribus essent adsutæ, qui eodem modo sine negativa hunc locum legunt. Salmasius metaphoram esse ait ab insectis animalculis, quæ ab ea parte qua infectionem habent, graciliora sunt. Vide eum, si placet, in *Notis ad Pallium Tertulliani*. Mihi videtur satis clarus Hesychii locus ex iis quæ supra diximus. Cum enim aliæ tunicæ circa humeros & latera consutæ essent; ex duabus enim plagulis consutis inter se compositæ erant; tunicæ rectæ & ὀρθοστάδιοι χιτῶνες nullam incisuram aut ὑπόκομμα habebant, inconsutiles enim erant. Quomodo autem hæ tunicæ inconsutiles texebantur, indicat Divus J. Chrysostomus Homilia LXXXIV. *in Joannem*: ἐν παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες ȣ̔́τως ὑφαίνȣσι τὰ ἱμάτια. *In Palæstina duos pannos committunt, sic texunt vestes*. Et clarius Theophylactus *in cap.* XVIII. *Joannis*: ἐν τῇ παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες ἤτοι δύο πανία ὑφαίνȣσι, τὰ ἱμάτια ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι τῷ συνυφασμῷ. *In Palæstina duos pannos committentes texunt vestimenta, pro sutura contextu utentes*. Duas igitur plagulas haud acu conjungebant, sed textura. Theophanes Cerameus Homil. *in Passionem Domini* XXVII. f. 209. Ἄῤῥαφος δὲ ἦν ἐκ τῶν ἄνωθεν, ἐπειδὴ τοῖς μὲν Γαλιλαίοις σύνηθες ἦν τȣ̀ς χιτῶνας ποιεῖν δυσὶ φαρσίοις ἄνωθεν κατὰ τὸν ὦμον συνεζευγμένας ῥαφῇ. τὸν δὲ χιτῶνα τȣ̃τον ἓν ὕφασμα δεῖ λαμβάνειν ἄῤῥαφον. *Inconsutilis porro superne erat, quoniam mos Galilæis erat tunicas ex laciniis duabus conficere in humeris sutura commissis. Hanc vero tunicam oportet intelligere uno contextu fuisse, nullaque commissura compactam*. Receptæ opinioni, cui Ferrarius accedit, eam textam fuisse non quidem in tela, sed per acus longiores, ut subucula & tibialia nunc reticulatim conficiuntur, obstat quod artificium hoc texendi veteribus fuit incognitum, nec usquam ejus mentio apud Auctores. Invenienda igitur alia ratio texendi, qua hæc & Pontificum tunica in orbem texta fuerit ἀῤῥάφως.

CAP. X.

Græcæ mulieres tunicis angusticlaviis usæ, sed tantum lautiores. Apud Syracusanos meretrices solum. Etiam viriles Græcorum tunicæ purpura clavatæ. Παρυφῆ διαφανῆ. Ταραντινίδια. *Viliorum tunicæ apud Græcos albis clavis distinctæ.* Λευκοπάρυφος. *Carthaginenses tunicas purpura clavatas portarunt. An pallia Græcorum clavata?* Σημεῖα *in palliis non clavi, sed litteræ.* Γάμμα. *Variæ litteræ palliorum laciniis insertæ. Primariam patriæ*

suæ litteram in clypeis præferebant. Παράσημα. Σφραγίδες. *Nomina propria palliorum oris inscripta*. *Tesseræ palliorum*. Κύβος. *Orbiculi in palliis*. *Sub ultimi ævi temporibus vestibus litteras inscripserunt Græci*. Μαργέλλια. ῥάμματα. ἀντίπανα. Γράμματα. *Grammaticis gruma*.

EGO existimo etiam Græcis in usu fuisse tunicas angusticlavis ornatas: & de muliebribus tunicis id quidem certum est, cum Aristophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις inter ornatum muliebrem recenseat τὸ παρυφές. Locus exstat apud Clementem Alexandrinum lib. II. *Pædag.* cap. XII. & Julium Pollucem lib. VII. cap. XXII. Sed non nisi lautiores feminas τὰ παρυφῆ portasse, constat ex Plutarcho *de Genio Socratis*, apud quem Caphisias: σοὶ δὲ ὦ πάτερ Μιλησίαν χλαμύδα, τῇ δὲ μητρὶ παραλουργὸν ὠνησόμεθα χιτώνιον. Ἄπαγε, εἶπεν ὁ πατὴρ, ὦ παῖ μηδέποτε τοιαύτην ἐπίδοιμι μετακόσμησιν τοῦ βίου ἡμῶν. *Tibi pater Milesiam chlamydem, matri vero clavatam emamus tunicam. Apage, respondit pater, numquam fili talem vitæ videam mutationem*. Apud Syracusanos vero, ut jam supra diximus, lege sancitum erat, ne feminæ portarent vestes πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφάς, nisi quæ se meretrices esse profitebantur, quam legem illi videntur sumpsisse a Lacedæmoniis, de quorum hac in re institutis vide Cragium *de Republica Laconica* lib. III. tabula VI. institut. X. Nec solum muliebres tunicas, sed etiam viriles, apud Græcos sæpe purpura clavatas fuisse docet Apulejus lib. II. *Florid.* de Hippia: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam tenuissimo textu, triplici licio, purpura duplici*. Sed obstare videtur Clearchus, qui de Tarentinis scribit: ἐφόρουν καὶ παρυφῆ διαφανῆ, οἷς νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. *Portabant vestes clavatas pellucidas, quibus mulieres delicatæ nunc utuntur*. ubi videtur innuere Tarentinos τὰ παρυφῆ portasse, quæ solum feminis decora erant; sed non ibi Tarentinis probro dat τὰ παρυφῆ, sed τὰ παρυφῆ διαφανῆ; pellucidæ enim vestes semper parum viriles existimatæ sunt, ut apud Juvenalem.

Cretice pelluces.

Ita & Diodorus lib. XXXVI. de Juventute Romana *in Excerptis* ab H. Valesio editis: ἀκολούθως δὲ τούτοις οἱ νέοι κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐφόρουν ἐσθῆτας διαφόρους μὲν τῇ μαλακότητι. Διαφανεῖς δὲ καὶ κατὰ τὴν λεπτότητα ταῖς γυναικείαις παρεμφερεῖς. *Præterea juvenes in foro vestes gestabant ex mollissima lana, tenues ac pellucidas, prorsusque muliebribus stolis persimiles*. hæc autem παρυφῆ διαφανῆ Tarentinorum, ταραντινίδια vocabant. Suidas, ταραντινίδιον λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον οὐ πάντως πορφυροῦν ὥς τινες ὑπέλαβον. Et Pollux lib. VII. cap. XVII. καὶ μὴν τό γε ταραντινίδιον διαφανές ἐστιν ἔνδυμα, ὠνομασμένον ἀπὸ τῆς ταραντίνων χρήσεως καὶ τρυφῆς.

Quod autem diximus Græcos purpura clavatas tunicas portasse, id de ditioribus intelligendum est; aliorum enim tunicæ albis clavis distinctæ erant. Hinc Alexander, referente Plutarcho in *Apophthegmatis*: ἐπαινούντων ἐνίων τοῦ Ἀντιπάτρου τὴν εὐτέλειαν ὡς ἀθρύπτως διαιτωμένου καὶ αὐστηρῶς, ἔξωθεν εἶπεν Ἀντίπατρος λευκοπάρυφός ἐστι, τὰ δὲ ἔνδον ὁλοπόρφυρος. *Quibusdam Antipatri frugalitatem laudantibus, quippe qui dure aspereque viveret: Antipater quidem, inquit, extrinsecus vestes habet albis clavis ornatas, intus vero totus purpureus est*. Ubi male quidam Leucoparyphum exponunt albis indutum vestibus. Veteres & Carthaginenses tunicas purpura clavatas portasse testis Tertullianus *de Pallio* cap. I. *Tamen & vobis habitus aliter olim tunicæ fuere, & quidem in famam de subteminis studio, & luminis concilio, & mensuræ temperamento*. Ubi luminis concilium, ut bene Salmasius emendat & explicat, est conciliamentum coloris unius & alterius clavi. Alia quæstio est, an pallia Græcorum clavata fuerint. Quod affirmari posse videtur ex Athenæo, qui lib. V. scribit: Ἀθηνίων εἰς Ἀθήνας ἐπ' ἀργυρόποδος κατακομίζεται φορείου, καὶ πορφυρῶν στρωμάτων, ὁ μηδέ ποτε ἐπὶ τοῦ τρίβωνος ἑωρακὼς πορφύραν πρότερον. *Athenio in purpureis stragulis, sella pedibus argenteis subnixa Athenas portabatur, qui prius pannoso tritoque pallio vestitus purpuram numquam viderat*. Ad quem locum Casaubonus lib. V. *Animadv.* cap. XIII. *Mediocris conditionis homines purpureo clavo (Græci vocant σημεῖον) vestem ornabant, aut instita purpura prætexebant; hoc igitur indignatur Athenæus, hominem, qui numquam fuerit περιπόρφυρος, factum repente ὁλοπόρφυρον*. Ubi male, ut alii, clavos vestium cum purpura prætexta confundit, quemadmodum supra demonstravimus. Deinde ego credo σημεῖα illa quæ palliis intexebantur, non fuisse clavos quales descripsimus, sed litteras laciniis palliorum insertas: ita Suidas, τριβωνοφόρος ὁ φορῶν στολὴν ἔχουσαν σημεῖα ὡς γραμμάτια; τριβωνοφόρος *est gerens stolam habentem signa, ut litteras*. ubi Meursius in *Lexico Græco-barb.* in voce γάμμα legendum censet γαμμάτια, cui facile assentior, sic enim & Hesychius: τρίβων στολὴ ἔχουσα σημεῖα ὡς γάμμα. Scio tamen non solum γάμματα, sed etiam alias litteras palliis intexi solitas, ut observari potest in picturis veterum cœmeteriorum, quas exhibet Bosius in *Roma subterranea*, ubi sæpe I. litteram, aliquando τὸ H. sæpe T. aut X aut alias litteras laciniis palliorum intextas vidimus, ut & in Musivo Triclinii Leoniani, in pallio D. Petri τὸ L. in aliorum palliis aliæ litteræ rubro colore scriptæ sunt. Ita Boetius l. I. *de Consol.* de vestibus Philosophiæ: *Harum in extremo margine Π. in supremo vero Θ. legebatur intextum, atque inter utrasque litteras in scalarum modum gradus, quidam insigniti videbantur, quibus ab inferiore elemento ad superius esset adscensus*. Unde aliquis haud absurde suspicari posset Græcis in usu fuisse, sigla aut monogrammatia patriæ aut gentis suæ tamquam insigne palliis intexere, ut in bello & clypeis suis primariam patriæ suæ literam præferebant, quod ex Xenophonte constat lib. IV. *Hist. Græcæ*. Hinc Hesychius has notas palliorum παράσημα vocat; σάμεα, inquit, τὰ ἐν τῇ ὤαις τῶν ἱματίων παράσημα. Eædem appellabantur σφραγίδες. Idem Hesychius, σφραγίδες αἱ ἐπὶ τῶν δακτυλίων; καὶ τὰ τῶν ἱματίων σημεῖα. Sic enim & signa quæ pecorum armis inuri solebant, σφραγῖδες vocantur: & D. Chrysostomus σφραγῖδα appellat litteras Imperatoris nomen referentes, quibus milites signabantur, Homilia III. *in* II. *ad Corinthios*: καθάπερ γὰρ στρατιώταις σφραγίς, οὕτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται. *Sicut militibus signum Imperatoribus, sic & fidelibus spiritus imponitur*.

Sed ut hæc quæ diximus mera conjectura nituntur, ita illud certum, aliquos nomen proprium palliorum oris inscripsisse. Vopiscus in *Carino*: *Inscriptum est adhuc in choraulæ pallio Tyrianthino, quo ille velut spolio nobilitatis exultat, Messallæ nomen & uxoris*. Plinius l. XXXV. c. IX. de Zeuxi: *Opes quoque tantas acquisivit, ut in ostentatione earum Olympiæ aureis litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit*. Ubi tesseras appellat palliorum quadratas tabellas palliis intextas, quibus litteræ nomen referentes, inscriptæ erant. Sic & Salaminii, Hesychio teste κύβον vocant τὸ τοῦ ἱματίου σημεῖον. aliquando etiam non in quadratis sigillis, sed in orbiculis nomen describebatur. Ana-

stasius in Leone IV. *Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextra lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius præsulis nomen est descriptum.*

Ita & sub ultimi ævi Imperatoribus Græculi videntur vestes litteris inscriptas portasse. Balsamon in Canonem XXVII. Synodi VI. in Trullo: ἀνοίκειος δὲ τῷ κληρικῷ στολή ἐστιν, οὐχὶ τὰ τῶν στρατιωτῶν ἐνδύματα. ταῦτα γὰρ εἴποτέ τις κληρικὸς ἐνδυθῇ μεγάλως κολασθήσεται, ἀλλὰ τὰ πολυτελῆ χρυσύφαντα ἐπιβλήματα τὰ δημοτικῶς λεγόμενα μαργέλλια, γράμματα καὶ ἀντίπανα, καὶ τὰ ἐκ κογχύλης πορφυρίζοντα ἱμάτια. nisi forte cum Cl. Salmasio *in Fl. Vopiscum* f. 406. ῥάμματα legendum, qui hæc tria μαργέλλια, ῥάμματα, & ἀντίπανα, idem esse contendit. Distinguit tamen hæc Balsamon in XVI. Canone Synodi VII. in Trullo: αἰτιωμένων δὲ τῶν λαμπρειμονούντων κληρικῶν διὰ ἱματίων λεγομένων ἐξαμίτων ἐχόντων οὐ μόνον ἑτερόχροα ἀντίπανα, ἀλλὰ καὶ χρυσόπαστα, πρὸς δὲ καὶ γράμματα πολυτελῆ χρυσᾶ, εἰπόν τινες τὸν κανόνα ἐκφωνηθῆναι διὰ τὴν τότε οὖσαν ἀταξίαν εἰς τὰς ἐκκλησίας, &c. Sed existimo γράμματα esse lineas sive lora aurea. Ita grammatias gruma vocatur, quæ linea alba transversa præcingitur, ut Plinius ait.

CAP. XI.

Πλατύσημος. πλατυπόρφυρα ἱμάτια. Lata purpura. Major purpura. Laticlavium. Lati clavi descriptio. κολώβιον. Laticlavia unum tantum clavum habuit. Varro emendatus. Latus clavus in media tunicæ parte. μεσοπόρφυρος. μεσόλευκος χιτών. Latitudo clavi lati. Modestiam affectantes arctiore utebantur. Alexander & Severus non angusticlavias portarunt. Laticlaviæ arctum clavum: angusticlavia latos clavos habere poterat. Ambitiosi purpuram suam extendebant. φυλακτήρια. Lati clavi mensura ordinaria palmi latitudo. Tunica palmata.

EXPLICATIS omnibus quæ ad angustos clavos pertinent, nunc ad latum clavum progrediamur, quem Græci semper πλατύσημον vocant. Ita in Glossario *latus clavus* πλατύσημος, & Strabo lib. III. ubi de Balearibus agit, Herodianus lib. III. Epictetus apud Arrianum lib. I. cap. XXIV. Diodorus Siculus in *Eclogis* lib. XXXVI. Memnon in *Excerptis* apud Photium circa finem fere, & alii. Archippus apud Pollucem lib. VII. c. XIV. laticlavias vestes πλατυπόρφυρα ἱμάτια vocat. Sic & in Sibyllinis oraculis lib. VIII.

Καὶ τότε πενθήσεις πλατυπόρφυρον ἡγημονίων
Φῶς ἐκδυσαμένη καὶ πένθιμον αἷμα φορῆσα.

Et tunc dolebis quum laticlavium ducum lumen exueris & tristem cruorem gesseris. Ita & Latini *latam purpuram* vocant clavum latum in veste; Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones.* Et Tertullianus *de Pallio* cap IV. *Cum latioris purpuræ ambitio & glatici ruboris superjectio Saturnum commendat.* Juvenalis majorem purpuram appellat Satyra I.

——— *Quid confert purpura major*
Optandum.

Ubi bene vetus Scholiastes *laticlavium* exponit. Vestimenta lariclavia etiam μεσοπόρφυρα dicuntur apud Isaiam cap. III. ut infra latius explicabimus. Glossæ veteres *in Persium* Sat. I. laticlaviam tunicam *purpureum vestimentum* fuisse afferunt. Rectius sane si *purpuratum* dixissent, ut Charisius, *hic clavus, id est, impurpurata vestis*, id est, ἐμπόρφυρος ἐσθὴς καὶ ἔνηλος. Vetus commentator Horatii a Crucquio editus *ad Sat.* V. *lib.* I. ita describit: *Latus clavus colobion Græce, dicebatur vestis quæ ad pectus Magistratuum extendebatur in formam lati clavi.* Sed optime omnium Acro ad illud ex Satyra V. lib. I. *Prætextam & latum clavum. Latum clavum*, inquit, *purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci τὸ κολώβιον vocant.* Et addit: *Usum ejus retinent hodie principes injicientes vesti a cervice ad pectus indumentum ex purpura vel pellibus pretiosis muris Pontici, vel aliis, dum Regio habitu prodeunt in publicum.* Quæ ab aliquo alio postea adscripta esse credo. Nunc ut ad formam tunicæ laticlaviæ progrediamur, quemadmodum angusticlavia duos clavos habebat; ita laticlavia unum solum ab anteriore & posteriore parte. Persuadent hoc mihi omnes scriptores, qui cum de tunica laticlavia mentionem faciunt, unam tantum purpuram aut clavum illi tribuunt. Ita Juvenalis:

——— *Quid confert purpura major*
Optandum.

Lucianus in *Demonacte*: ἰδὼν δέ τινα τῶν εὐπαρύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μέγα φρονοῦντα. *Cum aliquem vidisset laticlaviorum latitudine purpuræ superbientem.* Quintilianus lib. VIII. cap. V. *Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita certe neminem deceat intexta pluribus notis vestis.*

Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones.* Sic & Horatius:

——— *latum demisit pectore clavum.*

Suetonius in *Augusto* cap. LXXV. *Veste non temere alia domestica usus est, quam ab uxore & sorore & filia neptibusque confecta, togis neque restrictis neque fusis, clavo nec lato nec angusto.* Et ne quis censeat hic latum clavum non pro ipso clavo, sed pro tunica laticlavia sumi, Silius clare ostendit vestem ipsam laticlaviam unico tantum clavo distinctam fuisse lib. III.

Discinctis mos thura dare, atque ex lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.

Ita & de mappa laticlavia Martialis:

Et lato variata mappa clavo.

Sed optime omnium Herodianus hoc declarat lib. V. ubi de Heliogabali sacrificiis agit: Τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἱερουργηθέντων τά τε ἀρώματα ἐν χρυσοῖς σκεύεσιν ὑπὲρ κεφαλῆς, οὐκ οἰκέται δή τινες, ἢ εὐτελεῖς ἄνθρωποι ἔφερον, ἀλλ' οἵ τ' ἔπαρχοι τῶν στρατοπέδων, καὶ οἱ ἐν ταῖς μεγίσταις πράξεσιν ἀνεζωσμένοι χιτῶνας ποδήρεις καὶ χειροδωτοὺς νόμῳ φοινίκων ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν. *Exta vero victimarum atque aromata intra lances aureas, capitibus imposita gestabant, non quidem famuli aliqui aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant: induti tunicas talares ac manuleatas, Phœnicum more, unamque in medio purpuram ferentes.* Ubi videmus, vestem Sacerdotalem Phœnicum, quam πλατύσημον fuisse infra docebimus, unam tantum purpuram habuisse. Obstare tamen videtur huic sententiæ locus Varronis lib. VIII. *de L L. Nam si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis, utraque pars in genere suo caret analogia.* Sed aut locus hic de angusticlavia tunica intelligendus, cujus una plagula latioribus quam altera clavis distincta sit, aut legendum est: *ut altera plagula sit angustis clavis, altera lato.* Quod magis reor. Sed recte legit Sciopii editio: *Ut altera plagula sit angusti clavi, altera lati.* Latus autem clavus in tunica Senatoria non erat insertus loco quo angusti clavi, nempe ad latus dextrum vel sinistrum, sed in media tunicæ parte. Horatius l. I. Sat. VI.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus

Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Ae quem locum Acro: *Demisit pectore, media parte corporis.* Idem ad Sat. v. lib. I. *Latum clavum purpuram dicit, qui in pectore extenditur Senatorum.* Et Herodianus libro V. ubi supra de sacrificiis Heliogabali ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν. Hinc quia purpura illa in medio tunicæ loco posita erat, vestem laticlaviam μεσοπόρφυρον etiam vocabant. Isaias cap. III. καὶ τὰ περιπόρφυρα καὶ τὰ μεσοπόρφυρα, καὶ τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν. *Et vestes prætextatas purpura, & clavatas purpura, & vestimenta per domum.* Ad quem locum D. Basilius: τὸν ἐν τῇ ἐσθῆτι κόσμον τῶν καλλωπιζομένων γυναικῶν, ὡς περίεργον διαβάλλει. πορφύραν ποτὲ μὲν κατὰ τὰ ἄκρα παρυφαινόντων, ποτὲ δὲ κατὰ τὸ μέσον αὐτῶν ἐντιθέντων. *Cultum vestimentorum, quo superbiunt mulieres, tamquam nimium reprehendit, utpote quæ modo oris attexant purpuram, modo mediæ vesti inserant.* D. Hieronymus lib. II. *Comment. in Isaiam: Pro fascia pectorali, quam interpretatus est Symmachus, Septuaginta tunicam* μεσοπόρφυρον, *id est, clavatam purpura, transtulerunt, quod Aquila cingulum exultationis expressit.* Sic etiam μεσόλευκον χιτῶνα appellant tunicam purpuream lato clavo albo distinctam, qualem Persarum Reges portabant, ut ex Xenophonte constat lib. VIII. *de Pædia Cyri*: ἐπεὶ δὲ πάντες ἤδη αὐτοῖς ἐκ τῶν πυλῶν προυφαίνετο ὁ Κῦρος ἐφ' ἅρματος ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν καὶ χιτῶνα πορφυροῦν. μεσόλευκον, ἄλλῳ δ' οὐκ ἔξεστι μεσόλευκον ἔχειν. *Posthæc jam ipse Cyrus prodibat ex portis in conspectum super currum, rectam tiaram habens, tunicamque purpuream albo clavo distinctam. Alii enim non licet habere tunicam albo clavo ornatam.* Male autem Casaubonus in Athenæo. μεσόλευκα περιπετάσματα interpretatur *mediocriter albicantia*, ut bene observat Claudius Salmasius. Optime Curtius, qui χιτῶνα μεσόλευκον reddit *purpuream tunicam, cui medium album intextum erat.* Lib. III. *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur, purpureæ tunicæ medium album intextum erat:* μεσόλευκον χιτῶνα etiam διάλευκον alii vocant. Vide Brissonium lib. I. *de Regno Persarum.* Sic Mesoleucos gemma vocatur, gemma quasi albo clavo distincta. Plinius lib. XXXVII. cap. X. *Mesoleucos est, mediam gemmam candida distinguente linea. Mesomelas nigra vena quemlibet colorem secante per medium.* Qua autem latitudine purpura illa fuerit, quæ vesti laticlaviæ inserebatur, haud bene definiri potest. Quidam enim, qui modestiam affectabant, quamvis laticlavii essent, tamen purpura non magna utebantur. Spartianus de Severo: *Hic tam exiguis vestibus usus est, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet. Chlamydes hirtas Severi, & tunicas asemas, vel macrocheras ex purpura non magna ad usum revocavit suum.* Vide & Lampridium in *Alex.* Errant tamen qui hinc credunt, Severum & Alexandrum angusticlavias tunicas portasse. Ut enim ex his quæ diximus constat; non solum latitudine clavi, sed etiam qualitate & forma, laticlavia tunica ab angusticlavia differebat, hinc & laticlavia arctum clavum, & angusticlavia latos clavos habere poterat, non tamen ideo minus aut hæc angusticlavia, aut illa laticlavia erat. Ut autem Severus & Alexander laticlaviæ tunicæ exiguum clavum inserebant; ita contra alii ambitiosiores, purpuram suam admodum dilatabant. Lucianus in *Demonacte*: ἰδὼν δέ τινα τῶν εὐπαρύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μέγα φρονοῦντα, κύψας αὐτοῦ πρὸς τὸ οὖς, καὶ τοῦ ἐσθῆτος λαβόμενος, καὶ δείξας, ἔφη, τοῦτο μέν τοι πρὸ σοῦ πρόβατον ἐφόρει, καὶ ἦν πρόβατον. *Cum laticlavium quemdam vidisset, purpuræ latitudine superbientem, admoto illius auri capite, prehensaque veste, & commonstrata, inquit, hoc ante te ovis ferebat, & ovis erat.* Ita & Dominus noster apud Matthæum cap. XXIII. increpat Scribas, quod dilatent phylacteria sua: Πάντα, inquit, τὰ ἔργα αὐτῶν ποιοῦσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις. πλατύνουσι γὰρ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Ubi Epiphanius explicat τὰ φυλακτήρια clavos purpureos, lib. I. *adversus Hæreses*, cap. LXXIII. Sed de his infra. De Augusto autem tradit Suetonius (quem tunicam laticlaviam portasse nemo negabit) *eum nec angustum nimis clavum, nec nimis latum portasse: veste*, inquit, *non temere alia quam domestica usus est, ab uxore, & sorore & filia neptibusque confecta, togis neque restrictis neque fusis, clavo nec lato, nec angusto.* Ordinariam autem lati clavi mensuram fuisse credo palmi latitudinem. Festus Pompejus: *Tunica autem palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ appellatur.* Tunica enim palmata erat vestis purpurea, lato clavo aureo ornata, ut infra plenius exponemus.

CAP. XII.

Baleares primi tunicis laticlaviis usi. Tullus Hostilius primus Romæ lato clavo usus. Omnes indiscriminatim olim latum clavum portarunt. Postea Senatoribus proprius. Tunica Senatoria laticlavia. Non cingebatur. A Cæsare contra usum cincta. Cur laticlaviam chirodotam portarit? Phryges habuerunt manuleatas tunicas. Romani olim nullas tunicas habuerunt. Postea curtas tulerunt, dehinc cum manicis usque ad cubitorum ima, tandem chirodotas. Tunicæ sive manicis indecoræ posterioribus temporibus. Eæ reis ignominiæ causa indutæ. Tunica laticlavia Senatorum insigne. Latus clavus. Clavus pro lato clavo. Ambrosius emendatur. Chlamydis usus Senatoribus interdictus: iis, qui in comitatu Imperatoris extra urbem concessus. Præfectus urbis chlamyde usus, & ejus vicarius. Nonius Marcellus emendatus. Saraca tunicæ barbaræ genus. Leges duæ Codicis Theodosiani corriguntur. Tzanga barbarum calceamentum. Imperatores interdixerunt barbarica indumenta.

STRABO lib. III. tradit Baleares omnium primos tunicis laticlaviis usos: οὗτοι δὲ καὶ ἐνδῦσαι λέγονται πρῶτοι τοὺς ἀνθρώπους χιτῶνας πλατυσήμους. *Hi vero primi hominum dicuntur gestasse tunicas laticlavias.* Et ex eo Eustathius *in Dionysium*: οἱ δὲ ἐν αὐτοῖς ἄνθρωποι πρῶτοι πλατυσήμους χιτῶνας εὗρον. *Incolæ vero Balearium primi invenerunt laticlavias tunicas.* Non recte autem Lipsius *Cent.* V. *Epist.* LIII. qui πλατυσήμους χιτῶνας Balearium cum prætextis purpura tunicis confundit, quas Hispanis tribuunt Livius & Polybius.

Primus Romæ Tullus Hostilius lato clavo usus. Plinius lib. IX. cap. XXXIX. *Purpuræ usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea; nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum Hetruscis devictis satis constat.* Et deinde longo tempore omnes indiscriminatim latum clavum portabant. Idem Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Annuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis Senatum tantum; quamquam & hoc sero, vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones, sicut patrem L. Ælii Stilonis, Præconini ob id cognominati.* Sed postea Senatoribus pro-

pria facta laticlavia tunica, uti ex hoc loco patet, & omnibus constat.

Tunica igitur Senatoria apud Romanos purpuram palmi latitudine ut plurimum in medio habebat; atque ea quidem non cingebatur. Quintilianus lib. XI. *Latum habentium clavum modus est, ut sit paullum cinctis submissior*. Hinc contra usum Julius Cæsar, de quo Suetonius cap. XLV. *Etiam cultu notabilem ferunt. Usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Unde emanasse Sullæ dictum constat, optimates sæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent*. Qui & hoc præter morem, quod laticlaviam chirodotam ferebat, forte ut se a Phrygibus & Ænea oriundum hoc habitu testaretur. Phrygibus manuleatæ tunicæ in usu erant. Virgilius:

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Et sic Julus Æneæ filius cernitur apud Tristanum in Gemma regia cum tunica chirodota usque ad digitos.

Romani autem, ut Gellius ait lib. VII. cap. XII. *primo quidem sine tunicis, toga sola amicti fuere, postea substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας*. Talis tunica apparet in veteri lapide ad portam Nomentanam, quem exhibet Ph. Rubenius in *Electis*. Atque ita quidem antiquissimis temporibus. Postea tunicas portarunt cum manicis usque ad cubitorum ima pervenientibus, ut ex antiquis statuis & nummis constat. Deinde labente jam Imperio, sub Gallieno credo, aut circiter, etiam chirodotæ & talares tunicæ a Romanis portari cœperunt; ita ut postea indecoræ visæ sint tunicæ sine manicis. D. Augustinus lib. III. *de Doctrina Christiana: Sicut enim talares & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est: sic animadvertendum est in cetero quoque usu rerum abesse oportere libidinem*. Hinc ignominiæ causa reis tunicas sine manicis induebant. Paulus Diaconus lib. XXII. *Hist. Miscellæ: Et indutum hunc laneo, brevi ac sine manicis vestimento, sedere fecerunt super asinum sagma ferentem*. Et sæpius occurrit in Scriptoribus ævi illius. Tunicam autem lato clavo ornatam Senatorum insigne fuisse in confesso est. Hinc & latus clavus passim vocatur ab Auctoribus priscis, & interdum absolute clavus, si Acroni credimus ad illud Horatii lib. I. Sat. VI.

Sumere depositum clavum.

& antiquo Horatii interpreti a Cruquio edito in Horatii Sat. VII. lib. II. Bonifacius Comes in litteris ad Augustinum de Castino apud Augustinum in *appendice Epist.* Tom. X. *Sufficit pro funere victi tanta dejectio; adoravit sarracam clavus, timuit Senator Barbarum caput, tremuit militem dux*. Hinc forte emendandus D. Ambrosius *de Sacerdotali dignitate* cap. III. *Ergo, fratres, sicut Senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut nautam navigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores; sic Episcopum non aliud nisi Episcopalis opera designat*. Ubi corrigendum videtur, *sicut Senatorem clavus ornat*. prona enim mutatio verbi *clavus* in *chlamys*. nec verisimile videtur, Ambrosium Senatoribus chlamydem assignare pro insigni Senatoriæ dignitatis, cum Gratianus, Valentinianus & Theodosius lib. XIV. tit. X. *de habitu quo uti oportet intra Urbem*, l. I. Cod. Theod. Senatoribus in urbe Roma chlamydum usum interdicant: *Sine exceptione temporis, matutini dumtaxat, intra mœnia constitutus, nullus Senatorum habitum sibi vindicet militarem, sed chlamydis terrore deposito, quieta colobiorum ac pœnularum induat vestimenta. Cum autem vel conventus ordinis candidati cœperit agitari, vel negotium ejus sub publica judicis sessione cognosci, togatum eumdem interesse mandamus*. Non tamen nego Senatoribus, qui in comitatu Imperatoris extra Urbem erant, chlamydum usum concessum fuisse: nec nego in Urbe ipsa Præfectum Urbis & Vicarium ejus præfecturæ chlamydes portasse; quod superius ostendimus ex Cassiodoro & Vellejo Paterculo. Sicut Ambrosii, ita corruptus etiam erat eodem modo Nonii Marcelli locus: *Patagium aurea chlamys, quæ pretiosis vestibus immitti solet*. ubi bene viri eruditi corrigunt, *aureus clavus qui pretiosis vestibus immitti solet*. Porro ex loco Bonifacii ad Ambrosium constat, sarracam esse tunicæ barbaræ genus. Anastasius in *Benedicto: Sarracam de Holovero cum Chrysoclavo*. Hinc aliquando suspicatus sum mendum latere in l. III. C. Theodos. *de habitu quo uti oportet intra Urbem*, ubi Imperatores vetant, ne quis intra *Urbem Romam ragis vel tzangis utatur*. Et lib. II. ibid. *usum tzangarum atque braccarum intra Urbem venerabilem nemini liceat usurpare*. Quamvis enim viri docti explicent de braccis, mirum tamen mihi videtur, sub tam gravi pœna vetari braccarum usum, cum illæ jam a tempore Alexandri Severi Romæ essent receptæ. Unde Lampridius de eo: *Braccas albas habuit*. Hinc haud absurdum forte si substituamus *saracas* pro *racis* & *braccis*. ut enim saraca barbara tunica, ita tzanga barbarum calceamentum, ut docet Casaubonus *in Trebellium*. Solebant autem Imperatores interdicere barbarica indumenta civibus Romanis. Unde etiam lib. IV. eod. tit. *majores crines, & indumenta pellium* prohibentur, qui Gothorum propria erant, ut ex Sidonio, Synesio, & aliis constat.

CAP. XIII.

Fascia in statuis togatis posterioris ævi non sunt clavi, sed oraria, quibus Senatores illorum temporum usi. Oraria Diaconorum illis similia. Imponebantur sinistro humero: dextro submittebantur. Σιμικίνθια, seu mappulas portabant, qui consulares trabeas ferebant. Pallia Archiepiscopalia sunt fasciæ humerales. Aliæ fasciæ in antiquis statuis in modum Archiepiscopalis pallii positæ. In monumento apud Boissardum est vir chlamyde ornatus cum duobus juvenibus pœnulatis contra Gruterum. Officialium habitus pœnula cum pallio. Pallia illa fuerunt fasciæ. Codex Theodosiani, Isidorus, Plautus explicati. Fasciis usi ministri conviviorum & sacrificiorum. Lanea pallia dicta. Pallia linteis opposita. Byzantini Imperatores humeralem fasciam portarunt ex serico, auro, & gemmis. Lorum cum tiara confunditur. Mitra interdum est fascia. Tiara integer pileus. Lorum imperiale. Nummus apud Baronium, Theodosium & Arcadium exhibet, non Philippum & Joannem Apostolos.

ILLUD etiam hoc loco annotandum in statuis togatis posterioris ævi fascias quasdam cerni quæ sinistrum humerum tegunt, & sub brachium dextrum descendunt, ut videri potest in sarcophagis marmoreis apud Bosium in *Roma subterranea* fol. 431. 245. 285. & alias sæpe. De quibus nihil hoc loco dicerem, nisi vidissem Romæ quosdam antiquitatis studiosos existima-

re has zonas, ſive faſcias clavos eſſe, qui ſane toto cælo errant; quamvis non multum abeant a Cujacii & Scaligeri ſententia, quam pluribus ſupra confutavimus. Si enim clavi ſunt, cur non illos videmus in ſtatuis antiquioribus, ſed ſolummodo in iis quæ poſt Conſtantinum ſculptæ ſunt, cum clavi uſus antiquiſſimus fuerit, & a Tullo Hoſtilio cœperit, ſi Plinio credimus?

Exiſtimo igitur faſcias has oraria eſſe, quæ illo tempore Senatores portabant, ut infra dicemus, atque in hanc ſententiam me perducit, quod videam oraria Diaconorum noſtrorum, in quibus ſolummodo uſus eorum perſtat etiamnum, haud abſimilia eſſe his zonis quas obſervavimus in ſtatuis. Etenim & illa ſiniſtro humero impoſita, dextro brachio ſubmittantur. Honorius Auguſtodunenſis in *Gemma animæ* cap. CCIV. de Orario: ***Primitus ſiniſtro humero imponitur, & trans cor in dextrum latus reflectitur.*** Concilium Toletanum quartum T. IV. *Ergo orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat, id eſt, prædicat, dextram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad miniſterium ſacerdotale diſcurrat.* Chryſoſtomus in λειτουργίᾳ de Diacono: *καὶ τὸ μὲν ὠράριον ἀσπασάμενος ἐπιτίθησι τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ.* ***Orarium oſculans imponit dextro humero.*** Senatores autem illo tempore oraria geſtaſſe conſtat ex Gloſſis Baſilicῶν, in quibus *ὀδονάρια καὶ ὀδόνια ὑφάσματα ἐπιμήκη, ἃ καὶ ὠράρια παρά τισιν λέγονται, ταῦτα δὲ οἱ εἰς παλάτιον εἰσιόντες συγκλητικοὶ ἐπιφερόμενοι ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπεμύττοντο καὶ ἀπέπτυον.* *Odonaria & Odonia ſunt panni longi, qui & Oraria dicuntur a quibuſdam. Hæc fere qui in palatium ibant Senatores, gerebant, illis uteban-*

A *tur ad emungendum & expuendum.* Non tamen illi qui conſulares trabeas ferebant, oraria portabant, ſed loco illorum mappulas ſive *σιμικίνθια*. Hoc teſtatur illuſtris locus apud Theophylactum in *Acta Apoſtolorum cap.* XIX. *Σουδάρια καὶ σιμικίνθια λινοειδῆ εἰσιν ἀμφότερα πλὴν τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται. τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν, οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορέσαι. οἷοί εἰσιν οἱ φοροῦντες ὑπατικὰς στόλας, πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου.* *Sudaria & ſemicinctia linea ſunt utraque, ſed ſudaria quidem capiti imponuntur, ſemicinctia vero in manibus tenent, qui non poſſunt ſudaria (oraria)* B *geſtare, quales ſunt qui geſtant conſulares ſtolas, ut abſtergant humores faciei,* &c. In aliis monumentis ejuſdem ævi videmus faſcias quaſdam alio modo poſitas. Etenim utroſque humeros ambiunt, & deinde in pectus deſcendunt, eodem fere modo quo pallia ficta videmus in Græcorum Patrum imaginibus. *Pallium enim*, ut ait Scaliger Epiſt. CCCXLV. ad Carolum Labbæum, *Eſt circulus ex ſubtili panno quatuor aut quinque digitorum amplitudine, ex quo duæ ex eodem panno propendent faſciæ, ita ut cum circulus humeris an-* C *tiſtitis fuerat impoſitus, duæ illæ faſciolæ a pectore & a tergo dependeant.* Vide, ſi placet, Joannem Diaconum lib. IV. cap. LXXXI. *de Vita S. Gregorii*. Rupertum lib. I. *de Divinis Officiis* cap. XXVII. Honorium Auguſtod. in *Gemma animæ* cap. CCXXI. Alcuinum & alios. Sed mihi non eſt animus hic de palliis Archiepiſcoporum tractare, ſufficit annotaſſe me in antiquis quibuſdam marmoribus faſcias in modum pallii Archiepiſcopalis poſitas. Ita apud Boiſſardum T. III. *Antiquitatum* fol. 92.



Vir quidam chlamyde ornatus viſitur, & duo juvenes pœnulati cum faſciis, ſive palliis pœnulæ injectis. Immaniter enim errant, (Gruterus *Inſcript. f.* DLIV.) qui monumentum hoc deſcribentes dicunt, expreſſum eſſe virum togatum cum duobus pueris prætextatis. Ego enim hic neque video togam puram, neque prætextam; ſed, ut dixi, militem chlamyde, & duos juvenes pœnu-

D lis indutos, quibus faſciæ illæ, ſive pallia humeros & pectus tegunt; unde credo duos illos juvenes officiales eſſe. Eorum enim habitus pœnula cum pallio ſive faſcia circumjecta L. I. C. Theodoſiani *de habitu quo uti oportet intra Urbem: Officiales quoque, per quos ſtatuta complentur, ac neceſſaria peraguntur, uti quidem pœnulis jubemus, verum interiorem veſtem admodum cingulis*

observare : ita tamen , ut discoloribus quoque palliis pectora contegentes conditionis suæ necessitatem ex hujuscemodi agnitione testentur . Qui locus haudquaquam de palliis Græcanicis intelligi potest , sed de his fasciis humeralibus . Et de simili fere genere pallii intelligi debet Isidorus : *Pallium est quo administrantium scapulæ conteguntur , ut dum ministrant , expeditius currant* . Plautus : *Si quid facturus es , appende in humeris pallium ; & pergat quantum valet tuorum pedum velocitas* . Etenim videmus etiam in venerandæ antiquitatis monumentis , ministros fere omnes tam conviviorum , quam sacrificiorum habere in sinistro humero suspensam fasciam quamdam latam cirris dependentibus , quam credo pallium appellatam , quando ex lana , non ex lino erat , ut & Archiepiscoporum & Officialium ὠμοφόρια . Sic pallia linteis opponit Petronius : *Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur non linteis , sed palliis ex mollissima lana factis* . Sed ut simul & semel omnem hanc τῶν ὠμοφορίων materiam per saturam absolvam , ipsi etiam Imperatores Byzantini humeralem fasciam sive lorum portabant , sed ex serico & auro , ac gemmis distinctum . Ita in donatione Constantini : *Deinde diadema , videlicet coronam capitis nostri , simulque Phrygium , nec non & superhumerale , videlicet lorum , quod imperiale solet circumdare collum* . Ubi errat Balsamo , qui lorum cum Phrygio sive tiara confundit , quamvis eum defendere conetur Claudius Salmasius *ad Fl. Vopiscum* . Etenim licet aliquando mitra pro tænia sive fascia capitali sumatur , tiara tamen Phrygia ut & Pontificia , non fascia aut lorum erat , sed integer pileolus , ut bene observat ipse Salmasius in *Exercitationibus Plinianis* . Lorum igitur hoc quod Imperiale circumdare solet collum , fascia erat auro atque gemmis distincta , quæ utrique humero imposita , deinde in pectore crucis signum exprimebat , ut analabus antiquorum monachorum , & stola nostrorum Sacerdotum . Et hoc quidem ornatu Imperatores videmus in nummis Michaelis III. Constantini Ducis apud Stradam fol. 300. 307. ita & in nummo illo Theodosii , quem exhibet Baronius ad ann. Christi CCCXCIV. duo Imperatores Theodosius & Arcadius hoc habitu expressi sunt ; quos tamen Baronius existimat esse Apostolos Philippum & Joannem . Atque etiamnum Imperatores nostri , quando coronantur , hoc modo ornantur .



CAP. XIV.

Latum clavum Senatorum filii ante ætatem Senatoriam portarunt . Quando illum sumpserint ? Senatorum Patritiorum liberi in prætexta eum portarunt . Statius , Suetonius explicati . Tyrii sinus . Tunica potens . Octavius latum clavum in prætexta gestavit . Patritii in tyrocinio tunica recta usi , non laticlavia . Senatorum filii , qui non erant Patritii , sub Consulibus , non ante latum clavum gestarunt quam ad honores pervenerant . Hoc Augustus mutavit . Suetonius emendatus . Latum clavum sumebant cum se ad honores gerendos accingerent . Qui latum clavum sumebant , calceos etiam mutabant . Illorum calcei e nigris pellibus , aliorum albi . Equitum filii in spem Senatoriæ dignitatis sæpe latum clavum adipiscebantur . Ad hoc requirebantur opes , origo , indulgentia Principis . Statio lux . Census Senatorius iis opus . Non conferebatur ea dignitas nisi iis , qui ex antiqua Equestri familia . Caligula contra morem novis Equitibus latum clavum concessit . Dio refellitur . Equites dicebantur splendidi . Senatorum filii post Augustum non opus habebant ad latum clavum sumendum indulgentia Principis , sed tantum Equitum filii . Equites nonnulli angusto clavo contenti vivebant . Nonnulli latum clavum , quem sumpserant in spem Senatoriæ dignitatis , deponebant , & angusticlaviam tunicam resumebant . Laticlavii . Laticlavia dignitas gradus ad Senatorium Ordinem . Juvenes secundi Ordinis . Laticlavii , qui Senatu moti insignia Senatoria retinent .

NUNC postquam de Senatoribus & eorum insignibus satis diximus , ad latum clavum revertamur , & videbimus , qui alii latum clavum portaverint . Filios quidem Senatorum etiam ante ætatem Senatoriam eum portare solitos nemini dubium ; sed quæstio de tempore , quo hi latum clavum sumpserint ; nempe an cum virili toga eum induerint , an vero Principis indulgentia opus fuerit ad lati clavi honorem ; de qua re copiose disputant Aldus Manutius lib. II. *de quæsitis per Epist.* cap. II. Casaubonus *in lib.* II. *Suetonii* , & alii .

Ego , omissis doctorum virorum de hac re velitationibus , breviter sententiam meam proponam .

Primo , an filii Senatorum ante virilem togam latum clavum portarint , quæritur ; quod Casaubonus negat , & fatetur se nusquam legisse , prætextatos laticlavia tunica ornari solitos , in qua eadem sententia est Aldus Manutius . Sed ego non vereor affirmare , liberos Senatorum , saltem eos qui Patritii erant , etiam in puerili prætexta latum clavum portasse . Fundus meæ opinionis in Statio est , qui lib. V. *Sylvarum* in Protreptico ad Crispinum illi latum clavum tribuit :

Sic te clare puer genitum sibi curia sensit ,
Primaque patritia clausit vestigia luna ,
Mox Tyrios ex more sinus , tunicamque potentem
Agnovere humeri .

Ubi non dubium est , per *Tyrios sinus* , prætextam puerilem , *per tunicam potentem* , laticlaviam designari . Nec enim Bernartio assentior , qui *tunicam patentem* legit , non enim tunica laticlavia magis patens quam angusticlavia .

Crispinum autem illo tempore , quo ei Statius *Tyrios sinus* & *tunicam potentem* tribuit , nondum virilem togam sumpsisse , satis ex iis quæ sequuntur compertum :

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit , albentique humeros induxit amictu .

Hinc patet frustra æstuare Casaubonum, dum quærit quomodo Octavio, ut Suetonius refert, *Sumenti virilem togam tunica laticlavia, resuta ex utraque parte ad pedes decidit*. Octavius enim laticlaviam tunicam in prætexta gestabat; fuerat enim allectus inter patritios a Cæsare. Etiamsi Casaubonus *ad secundum librum Suetonii* existimet eum patricium factum a Cæsare post virilem togam sumptam, ex Dione lib. XLV. sed hoc non necessario infertur ex illo Dionis loco. Damascenus in *Excerptis* a Valesio editis: *Διατρίβων δ᾽ ἐν τῇ πόλει ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀποδείκνυται εἶναι τῶν πατρικίων*: hoc est: *Dum in Urbe moratur, Senatusconsulto in Patricios allectus est*. Ex his quæ diximus, satis constat, Patricios laticlaviam gestasse etiam in prætexta puerili. Etiam illud in confesso, eos hanc cum prætexta deposuisse, & cum toga virili tunicam rectam accepisse, qua illos in tyrocinio suo solum usos credo.

Sed an alii Senatorum filii, qui non erant Patritii, ante virilem togam laticlaviam portabant? quod sane haudquaquam affirmare audeo. Illud scio, sub Consulibus eos nequaquam laticlavios fuisse, nisi postquam ad honores pervenerant. Isidorus lib. IX. cap. IV. *Quamvis autem Senatoria quisquam origine esset, usque ad legitimos annos Eques Romanus erat; deinde accipiebat honorem Senatoriæ dignitatis*. Mutavit hoc Augustus, qui, Suetonio referente cap. XXXVIII. *liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam latum clavum induere, & curiæ interesse permisit*. Ubi cum in multis M.S. codicibus scriptum sit, quod Casaubonus notat, *virili toga*, malim legere, *protinus a virili toga latum clavum induere, & curiæ interesse permisit*. Nec enim cum toga virili latum clavum *simul accipiebant, sed tunicam rectam*, ut diximus. Augustus autem permisit, ut statim post virilem togam sumptam, ante gestos honores latum clavum gestarent. Latum clavum autem sumebant, cum se ad Rempublicam gerendam, & honores capessendos accingerent. Plinius lib. VIII. Epist. XXIII. *Latum clavum in domo mea induerat, suffragio meo adjutus in petendis honoribus fuerat*. Qui autem latum clavum sumebant, etiam calceos mutabant. Sumebant enim calceos e nigris pellibus usque ad medium crus pervenientes, ut ex antiquis statuis consularibus patet, cum ceteri albos portarent. Patricii autem hoc præcipuum habebant, quod ἐπισφύριον eburneum mediæ lunæ forma talis adsutum erat. Sed de calceis Patriciorum alio loco. Verum nec solum Senatorum filii, sed & Equitum, sæpe in spem Senatoriæ dignitatis latum clavum adipiscebantur. Statius lib. IV. *Sylvarum* ad Julium Menecratem, Equitem, cui natam filiam gratulatur, versibus hisce gratulatur a Cl. Gevartio nitori suo restitutis:

Quippe & opes & origo sinunt hanc lampade prima
Patritias intrare fores; hos, pube sub ipsa,
(Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
Numina) Romulei limen pulsare Senatus.

Ubi tria notat necessaria Equitum filiis ad laticlaviam dignitatem, opes, originem & indulgentiam Principis. De indulgentia Principis, qua opus habebant Equitum filii, non etiam Senatorum post Augustum, ex Plinio quoque constat lib. II. Epist. IX. *Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi*. Spartianus in *Severo*: *Postea studiorum causa Romam venit, latum clavum a D. Marco petiit, & accepit, favente sibi Septimio Severo affine suo bis jam Consulari*. De opibus etiam certum est Senatorium censum necessarium fuisse. Hinc, ut Ulpianus ait, *Principalibus constitutionibus concessum est mulieri, in hoc donare viro suo, ut is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico similive honore honoretur*. Et L. 42. ff. *de donat. inter virum & uxorem*: *Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa, ut ecce si uxor viro lati clavi petendi gratia donet, vel ut Equestris Ordinis fiat, vel ludorum gratia*.

Addit Statius *Originem*; etenim & illa desiderabatur, ut aliquis Equestris Ordinis latum clavum obtineret, nec enim facile conferebatur nisi iis qui ex antiqua Equestri familia erant. Ita Ovidius post virilem togam sumptam cum fratre suo latum clavum gestavit. Ipse l. IV. *Tristium* Eleg. X.

Interea tacito passu labentibus annis
Liberior fratri sumpta mihique toga.
Induiturque humeris cum lato purpura clavo,
Et studium nobis quod fuit ante manet.

Ovidium autem ex antiqua familia Equestri natum fuisse testatur ipse:

Seu genus excutias, Equites ab origine prima
Usque per innumeros inveniemur avos.

Hinc contra morem Caligula, qui novis Equitibus latum clavum concessit, Dio de eo lib. LIX. *τοῦτε τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς, τοῖς τε συγγενέσι καὶ ταῖς περιουσίαις μεταπεμψάμενος κατελέξατο, καὶ τισὶν αὐτῶν καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, καὶ πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχὴν, δι᾽ ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα, χρῆσθαί τι ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι ἔδωκε. πρότερον γὰρ μόνοις (ὡς ἔοικε) πῶς τοῖς ἐν τῷ βουλευτικῷ φύλῳ γεγεννημένοις τοῦτο ποιεῖν ἐξῆν*. *Cum ordo equestris diminutus esset, ex omni etiam extra Italiam multos tam affinitatibus & opibus auctos primarios arcessitos in eum allegit, quibusdamque eorum usum vestis Senatoriæ, antequam Magistratum ullum gessissent, quo in Senatum aditus paratur, concessit, ut spem Senatoriæ dignitatis haberent adipiscendæ. Ante solis Senatorio genere natis id permissum*. Ubi quod ait, antea solum Senatorio genere natis id concessum fuisse falsum est; ut enim jam diximus, etiam splendidiorum Equitum filii ex indulgentia Principis lato clavo ornabantur, ut Ovidius, sic & Lucanus filius Mellæ Equitis Romani pube sub ipsa latum clavum sumpsit. Auctor incertus in *Vita ejus*: *Declamavit & Græce & Latine cum magna admiratione audientium, ob quod puerili mutato in Senatorium cultum, & in notitiam Neronis Cæsaris facile pervenit, & honore vix dum ætati debito dignus judicatus est*. Sic & apud Statium Metius Celer ante gestos honores latum clavum consecutus est. lib. III. *Sylv.*

—— Puer hic sudavit in armis,
Motus adhuc tantum majoris munere clavi.

Hunc autem Metium, Equitem solum fuisse, testatur ipse Statius in præfatione, ubi eum *splendidissimum juvenem vocat*. Qui titulus Equitum est, ut jam Lipsius annotavit *in lib.* XI. *Annal. Taciti*. Ubi tamen haud assentior illi, dum scribit, splendidos Equites vocari eos solum, qui laticlaviam adepti erant; imo omnes illi, qui ex antiqua familia equestri orti erant, Equites splendidi vocantur. Vellejus lib. II. de Mecænate: *Equestri & splendido genere natus*. Ex his satis patet, Senatorum filiis haudquaquam permissione post Augustum Principis opus fuisse ad sumendum latum clavum, sed Equitum filiis solum, quibus (cum opes

&

& antiqua origo concurrebant) facile latus clavus concedebatur, si ad gerendos honores civiles vel militares se accingebant. Alii enim, quibus vita quieta placebat, angusto clavo contenti vivebant, ut Pomponius Atticus, Mecænas, & Septimius ille Severus, de quo Statius lib. IV. *Sylv.*

Hic parvus inter pignora Curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ
Crescis, sed immensos labores
Indole patritia secutus.

Hinc sæpe eveniebat, ut unus ex fratribus laticlavius, alter angusticlavius esset. Suetonius in *Vespasiano* cap. II. *Sumpta toga virili, latum clavum quamquam fratre adepto diu aversatus est, neque ut tandem appeteret compelli nisi a matre potuit. Ea demum extudit magis convitio quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat.* Sic etiam Seneca & Gallione Senatoribus, Mella frater eorum in Equestri gradu substiterat per ambitionem præposteram, ut Tacitus ait lib. XVI. *Ann. Ut Eques Romanus Consularibus potentia æquaretur, simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat, per procurationes administrandis Principis negotiis.*

Sæpe etiam ii qui latum clavum sumpserant in spem Senatoriæ dignitatis, vel quia non assequebantur honores qui in Senatum ducunt, vel quod animo mutato diversum iter ingredi volebant, deposito lato clavo ad angusticlaviam tunicam redibant, quod de se testatur Ovidius:

Curia restabat, clavi mensura coacta est,
Majus erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitæque fugax ambitionis eram.

Ita ille apud Horatium, qui

Vixit inæqualis, clavum & mutavit in horas.

Ita Augustus, ut Suetonius ait cap. XL. *Comitiis tribunitiis si deessent candidati Senatores, ex Equitibus Romanis creavit; ita ut potestate transacta in utro vellent ordine manerent.* Quod & narrat Dio lib. LIV. Hi Senatorum vel Equitum filii, qui in spem Senatoriæ dignitatis, *ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι*, ut Dio loquitur, latum clavum portabant, proprie laticlavii vocantur. Suetonius in *Nerone* cap. XXVI. *Ac sæpe in ejusmodi rixis oculorum ac vitæ periculum adiit. A quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus.* Quem hic laticlavium Suetonius appellat, Tacitus lib. XIII. *Annal.* vocat Julium Montanum *Senatorii Ordinis, sed qui nondum honores capessisset.* Ita & Tribuni laticlavii sunt, ut mox dicemus, non qui Senatores sunt, sed qui ex Equitibus tribunatum militum gerunt, ut per eum ad Senatorium ordinem perveniant. Laticlavia enim dignitas non ipse ordo Senatorius est, sed gradus ad eum. Cassiodorus lib. VI. *Variarum* cap. XIV. *Jam Senatui prædestinatus est, cui nos contulimus laticlaviam dignitatem.* Sed non recte Casaubonus *in Suetonii Augustum*, hos juvenes laticlavios secundi Ordinis appellatos fuisse existimat, primo gradu iis concesso, qui domum Augustam vel sanguine vel adfinitate, aut aliqua necessitate contingerent; & adfert locum Statii in Præfatione lib. IV. *Sylvar. Proximum est lyricum carmen ad Septimium Severum juvenem, uti scis, inter ornatissimos secundi ordinis.* Cum tamen ipse Statius hunc Septimium *contentum arcto lumine purpuræ* vixisse testetur. Rectius igitur Domitius secundum ordinem Equestrem interpretatur. L. I C. Theodos. de Equestri dignitate: *Equites Romani, quos secundi gradus in urbe omnium volumus obtinere dignitatem.* Laticlavii etiam sunt qui Senatu moti sunt, servatis tamen iis insignibus Senatoriis. Suetonius in *Augusto* c. XXXV. *Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit, servavitque etiam excusantibus insigne vestis & spectandi in Orchestra, epulandique publice jus.* Et Dio lib. LIV. de iisdem: *τό τε γε αὐτοῖς καὶ συνθεάσασθαι τοῖς βουλεύουσι τῇ αὐτῇ σκευῇ χρωμένοις συνεχώρησε, καὶ ἐς τὸ ἔπειτα τὰς ἀρχὰς αἰτεῖν ἐπέτρεψε. καὶ αὐτῶν οἱ μὲν πλείους ἐπανῆλθον χρόνῳ ἐς τὸ συνέδριον, ὀλίγοι δὲ τινὲς ἐν τῷ μέσῳ μήτε τῆς γερουσίας μήτε τοῦ δήμου νομιζόμενοι κατελείφθησαν.* *Iis dum Augustus inter Senatores eodemque habitu convivia & spectacula frequentandi, ac deinceps magistratus petendi copiam fecit. Horum plerique postmodo in Senatum denuo recepti sunt, pauci in medio inter Senatum ac populum loco reputati manserunt.*

CAP. XV.

Equites per tribunatum militum Senatores fiebant. Tribuni alii majores, alii minores. Equitibus olim quina stipendia, post trina stipendia necessaria erant ut ad Tribunatum pervenirent. Senatorum filii ad hanc dignitatem nullis stipendiis opus habebant post Augustum. Tribuni Rufuli, Comitiati. Plebeii Tribuni meritis & laboribus consequebantur Tribunatum sub Imperatoribus: Equestres voluntate Principis fiebant. Origo per Tribunatum ad Senatoriam dignitatem adspirandi. Laticlavii Tribuni, qui ex Equestri aut Senatorio Ordine, Angusticlavii, qui ex plebe, contra Lipsium. Equites qui ad Senatorium Ordinem adspirabant per militiam latum clavum ante gestos honores impetrabant. Cum ad tribunatum venissent, eum accipiebant, si ante nondum obtinuissent. Senatu moti per Tribunatum recuperabant Senatoriam dignitatem. Horatius exponitur contra Torrentium. Laticlavialis. Angusticlavii tribuni, plebeii, qui per merita & labores ad tribunatum perveniebant. Angusticlavii annulos portarunt. Sub Imperatoribus non per merita & labores, sed ex favore potentum tribunatus obscuris dabantur. Tribunatus dignitas Equestris. Qui fuerunt Tribuni semper postea inter Equites censebantur contra Salmasium. Semestris militia. Juvenalis emendatur. Poeta Paridis non est Statius, ut Salmasius tradit. Statius Eques. Conjectura de Poeta Paridis. Angusticlavii sæpe post tres tribunatus laticlavii fiebant.

EQUITES qui ad Senatoriam dignitatem adspirabant, aut per urbanos honores, aut per militares progrediebantur. postquam enim ad Tribunatum militum ascenderant, Senatores fiebant. Seneca Ep. XLVII. *Variana clade quam multos splendidissime natos* (id est, ex Equestri ordine) *Senatorum per militiam auspicantes gradum fortuna depressit.* Epictetus apud Arrianum l. III. c. XXVI. *Attamen si jus annulorum mihi concederetur, tum demum optime res meæ haberent, essemque beatissimus. id quidem jus ut consequatur patitur ea quæ meretur, deinde adeptus eisdem conflictatur malis. postea alio conversus, In militiam, inquit, si abiero, his omnibus miseriis liber evasero. Versatur in militia haud meliore conditione, vivit ut verbero quivis, & nihilominus secunda itemque tertia stipendia requirit. Postea si colophonem imposuerit, factusque fuerit Senator, tum primum efficitur servus.* Ut enim Lipsius l. I. *de Militia Roman.* dial. II. bene explicat ex Polybio, alii Tribuni ex Equestri ordine creabantur, alii ex plebeiis, hi minores, illi majores vocabantur. Ita Vegetius l. II. c. VII. *Tribunus major per Epistolam sacram Imperatoris judicio destinatur, minor Tribunus provenit ex labore.* Statius:

Quem deceat clari præstantior ordo Tribuni.

Et tempore quidem Polybii quina stipendia Equiti necessaria erant ut ad Tribunatum perveniret, postea mutatum, & ad trina redactum est. Ita explico Epicteti illa loco supra citato: *καὶ οὐδὲν ἧττον δὲ-*

τέραν αἰτεῖν στρατείαν, καὶ τρίτην, Et nihilominus secunda, item tertia stipendia requirit. Senatorum vero filiis nulla stipendia necessaria erant post Augustum, qui, teste Suetonio, *Liberis Senatorum militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed & præfecturas alarum dedit.* Ut autem sub Consulibus quidam Tribuni a populo, alii in exercitu creabantur, hi Rufuli, illi dicebantur Comitiati, ita sub Imperatoribus plebeii quidem Tribuni per merita & labores ad hanc dignitatem ascendebant Equestres autem voluntate Principis fiebant. ita intelligo Vegetium; *Tribunus major per epistolam sacram Imperatoris judicio destinatur; minor Tribunus provenit ex labore.* Ita & Statius libro quinto *Silvarum* majoris Tribuni creationem Imperatori assignat:

Præterea fidos Dominus si dividat enses
Pandere, quis centum valeat frænare maniplos,
Intermissus Eques? quis præcepisse cohorti,
Quem deceat clari præstantior ordo Tribuni?

Tamen Claudius Salmasius *ad Fl. Vopisc. Probum* per majores Tribunos intelligit Tribunos legionum, per minores Tribunos cohortium: perperam. Origo autem hujus moris ad Senatoriam dignitatem adspirandi ab Augusto, ut existimo. Nam Vellejus Paterculus, qui Tribunus militum jam erat cum C. Cæsar in Orientem profectus est, immo & ante sub M. Vinicio & P. Silio in Thracia Macedoniaque, ut ipse tradit, demum latum clavum adeptus est una cum quæstura, quando cum Tiberio ad bellum Dalmaticum profectus est, *Finita equestri militia, designatus quæstor, necdum Senator æquatus Senatoribus.* Cum igitur ex Polybio constet, alios Tribunos ex Equestri ordine, alios ex plebe militum legi solitos fuisse, existimo eos, qui ex Equestri, aut Senatorio genere erant, (olim enim, *quamvis Senatoria quis origine esset, usque ad legitimos annos Eques erat*, ut Isidorus ait) laticlavios dictos, plebejos vero Tribunos angusticlavios. Lipsius tamen lib. II c. IX. *de militia*, & qui eum sequuntur, existimant laticlavios esse qui ex Senatu, angusticlavios qui ex Equite nati; quos in hunc errorem induxit, quod putarent solos Senatores laticlaviam, solos Equites angusticlaviam portasse; sed ut supra abunde probavimus, angusticlavia plebi & Equestri ordini communis erat. Equites autem qui ad Senatorium ordinem aut per urbanos honores, aut per militiam aspirabant, facile latum clavum adipiscebantur, etiam ante honores gestos. Ita Metius Celer Equestri genere natus, primis stipendiis jam latum clavum gestabat. Statius:

—— *Puer hic sudavit in armis*
Notus adhuc tantum majoris munere clavi.

Ita & Severus longo tempore antequam tribunatum gereret, latum clavum impetravit a D. Marco, ut Spartianus de eo refert. Imo Equites etiamsi antea latum clavum nondum obtinuerant, cum tamen ad Tribunatum pervenirent, eum adipiscebantur. Hinc Seneca epist. XLVII. ait *eos Senatorium per militiam auspicari gradum.* Atque hanc nostram de Tribunis laticlaviis opinionem aperte firmat Xiphilinus ex Dione in *Domitiano*. Εἷς δ' ὖν τις νεανίσκος Ἰέλιος Καλέαςρος κεχιλιαρχηκὼς εἰς βελείας ἐλπίδα παραδοξότατα ἐσώθη *Quidem ergo juvenis Julius Calvaster Tribunus militum in spem Senatoriæ dignitatis præter omnium opinionem servatus est.* Ecce hic Julius Calvaster in spem Senatorii Ordinis Tribunatum militum gesse erat. Ergo nondum Senator erat. Ast hunc eundem Tribunum laticlavium appellat Suetonius in *Domitiano* cap. IX. *Satisque constat, duos solos e notioribus venia donatos, Tribunum laticlavium & Centurionem.* Ut igitur in urbe ii laticlavii, qui Senatorio vel Equestri genere orti ἐπὶ τῇ τ̃ βελῆς ἐλπίδι latum clavum portant; ita & Tribuni laticlavii sunt non solum ii, qui ex Senatu lecti sunt, ut Lipsius autumat, sed qui ex Equestri vel Senatoria stirpe, ad Tribunatus dignitatem pervenerunt, ea spe, ut per Tribunatum in Senatum ingrediantur. Etenim tam expedita erat via, per Tribunatum ad Senatoriam dignitatem, ut etiam Senatu moti regrederentur per eum in Curiam. Horatius lib. I. Sat. VI.

—— *Quo tibi Tulli*
Sumere depositum clavum, fierique Tribunum?

Hic enim Tullius Senatu motus, atque ita deposito lato clavo in Equestri ordine consistens, ut rursus Senatorium ordinem acciperet, militiæ se dederat, atque ita ad Tribunatum perveniens, latum clavum iterum sumpserat. Male etenim Torrentius, qui Tribunum plebis eum factum credit. Vetus Comentator: *Tullius hic Senatu motus est a Cæsare quasi Pompejanus; occiso vero Cæsare recepit latum iterum clavum, hoc est, Senatoriam dignitatem, & Tribunus militum factus est.* Dio lib. XLII. de Sallustio: στρατηγὸς γὰρ ἐπὶ τῷ τ̃ βελὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο· *Ut Senatoriam dignitatem reciperet tunc Tribunus factus est* Ita & Lentulus apud Dionem lib. XXXVII. ὁ Λεντῦλος ὁ πέπλιος, ὁ μετὰ τ̃ ὑπατείαν ἐκ τ̃ γερεσίας ἐκπεσὼν, ἐστρατήγει γὰρ ὅπως τὴν βελείαν ἀναλάβῃ. *P. Lentulus, qui post gestum Consulatum Senatu exciderat, ac Senatoriæ dignitatis recuperandæ causa Tribunatum tunc gerebat.* Tribunus autem laticlavius etiam *laticlavialis* vocatur in veteri inscriptione, quæ extat apud Gruterum:

C. MARIUS. DRUSUS. C. F. PR. PR
DICTUS. EX. PROVINCIA. DACICA
TRIBUNUS. LATICLAVIALIS. PRÆF
LEG. XIII. FONTIUM. AQUARUMQ
COELESTIUM. EX. MONTIB. DELA
BENTIUM. TORRENTI. SUFFLAMEN. HIS.
MURIS. FOSSAQ. OPPOSUIT. ET. AD. PLANA.
PERDUXIT

Ut autem laticlavii Tribuni erant Equitum aut Senatorum filii; ita angusticlavii erant plebeii, qui per merita & labores ad Tribunatum perveniebant. Suetonius in *Othone* cap. X. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiæ decimæ legionis Tribunus angusticlavius.* Atque ut laticlavii Tribuni Senatoria ornamenta & latum clavum portabant, ita hi annulos Equestris ordinis insigne gestabant, quos & laticlavii, ut & Senatores Romæ portabant. Appianus in *Lybicis*: Ἀχθομένων δὲ πάντων ἐπὶ τῇ τ̃ πεσόντων ἀταφίᾳ, καὶ μάλιστα ἐπὶ τοῖς χιλιάρχοις ὁ Σκιπίων τινὰ λύσας τ̃ αἰχμαλωτ̃ ἔπεμψε πρὸς Ἀσδρέβαν, καὶ παρήνει θάψαι τὲς χιλιάρχες. ὁ δ' ἐρευνησάμενος τὰ νεκρὰ, καὶ ἀπὸ τ̃ σφραγῖδος εὑρὼν (χρυσοφορῦσι γὰρ τ̃ στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τ̃ ἐλαττόνων σιδηροφορέντων) ἔθαψεν ἑαυτές. *Quum omnes moleste ferrent relictos inhumatos milites, præcipue tribunos, Scipio captivum quemdam solutum vinculis misit ad Asdrubalem, rogans, ut sepeliret tribunos, ille quæsitos inter cadavera & aureorum annulorum agnitos indicio (his enim differunt a vulgo militum ferreos gestantium) sepelit.* Quia per tribunatus hos angusticlavios plebeii ad Equestrem dignitatem ascendebant: hinc sub Imperatoribus non per merita & labores, sed ex favore eorum, qui potentia pollebant, obscuris hominibus Tribunatus titulus dabatur, ut per eum Equites fierent. Sic Paris Histrio sub Domitiano, Poetis, qui tragœdias illi scribebant, Tribunatus largiebatur. Hinc illa querela Juvenalis Satyra VII. de Paride;

Ille & militiæ multis largitur honorem
Semestri, vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres dabit Histrio. Tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas,
Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.

Incertus Auctor qui vitam Juvenalis conscripsit, quem aliqui Suetonium esse arbitrantur: *Deinde paucorum versuum Satyra non absurde composita in Paridem Pantomimum, Poetamque ejus semestribus militiolis tumentem genus scripturæ industriose excoluit.* Qui legisse videtur versus illos Juvenalis hoc modo, ut bene observat Salmasius in *Exercitationibus Plinianis in Solinum*:

Ille & militiæ multis largitus honorem
Semestris, vatum digitos circumligat auro.

Quæ lectio magis mihi placet quam vulgata; quamquam enim dignitas Tribunorum *semestris* erat, non tamen insigne Tribunatus semestre erat, annulus videlicet aureus, (quod Salmasius credit) sed qui semel semestrem Tribunatum militum gesserant, semper postea inter Equites censebantur, atque annulos aureos gestabant. Ita Martialis Poeta per Tribunatum ad Equestrem ordinem pervenit. Ipse libr. IV. epigr. XCV.

Est & in hoc aliquid, vidit me Roma Tribunum,
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.

Semestris autem militia in Juvenale, & *semestres militiolæ* in Auctore vitæ ejus, est semestris Tribunatus militum, quem Plinius etiam *brevem militiam* appellat in *Panegyrico*. Malim tamen legere in illo Juvenalis loco:

Ille & militiæ multis largitus honorem
Semestrem, vatum digitos circumligat auro.

Quod vero Salmasius per Poetam Paridis notari credit Statium Poetam, qui scilicet a Paride Tribunatum militum & annulum Equestrem adeptus sit ob scriptas illi tragœdias, id mihi non persuadet: Statius etenim quamvis pauper, nobili stirpe ortus erat, quod ipse indicat in Epicedio in patrem:

Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus,
Nec sine luce genus (quamquam fortuna parentum
Arctior expensis) etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, & nobile pectoris aurum.

Nec dubium est illum Equitem fuisse. Interfuit enim epulis illis Domitiani, quibus

—— Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul jussit discumbere mensis.

Unde si Tribunatum militum accepisset, non annulorum jure, quod antea habebat, sed laticlavi honore decoratus fuisset. Existimo igitur Juvenalem in Satyra illa, mentione Paridis facta, cui Statius *Agaven* vendere coactus erat, versus illos infarcisse, quos olim fecerat in Paridem, & Poetam ejus, qui favore ejus ad Tribunatum & Equestrem ordinem ascenderat. Quis autem fuerit Poeta hic, haud facile dictu. Sed si conjecturæ locus est, censeo Memorem esse tragicum illius temporis nobilissimum, qui Libertino genere natus ad Tribunatum militum forsan progressus erat favore Paridis. Ita de fratre ejus Turno vetus Scholiastes Juven. in Sat. I. *Turnum dicit Scævæ Memoris Tragici Poetæ fratrem. Turnus hic Libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum Titi & Domitiani.* Sed ut ad Tribunos Angusticlavios revertamur, aliquando illis

A post duos aut tres Tribunatus gestos latus clavus concedebatur ab Imperatore, atque ita laticlavii fiebant. Alexander Severus apud Capitolinum: *Maximus Tribunus, cui ego latum clavum addidi, ad me confugit.*

CAP. XVI.

Feminæ Asiaticæ latum clavum portasse videntur. Romanis non fuit in usu. Matronæ illustriores ab aliis dignoscebantur stola. Eam aliquando libertinæ portarunt. Differentia inter stolas plebejarum feminarum & illustriorum. Error Abrami. Equestris generis feminæ aureis pedum vinculis a plebeiis distinctæ. Erant ea ansæ sivæ obstrigilla solearum. Male confunduntur cum periscelits. Plebejæ feminæ argenteis pedum vinculis usæ. Monilia ex gemmis & margaritis gestarunt illustres, ex auro plebejæ feminæ.

B RESTAT ut videamus an feminis etiam in usu latus clavus fuerit; quod mihi non videtur, nisi forte in Asia olim; Isaias enim inter cultum muliebrem, τὰ μεσοπόρφυρα, recenset secundum Septuaginta Interpretum Versionem. C Aquila tamen, Symmachus, Theodotion & D. Hieronymus illum locum Isajæ aliter interpretati sunt. Romanas certe matronas, etiamsi Senatorum uxores aut filiæ essent, latum clavum haudquaquam portasse credo, cum nusquam id apud Scriptores inveniam. Imo Imperatores Valentinianus & Valens L. 18. C. Theodos. *de Prætoribus & Quæstoribus*, aperte feminis lati clavi usum adimunt: *Etsi, injustum enim* (verba legis sunt) *atque dedecus videtur, mulieres ad laticlavum atque insignia procedere, tamen carbonariam præturam juxta glebam paternæ substantiæ cognoscere poterunt.* Ut igitur Senatores ab Equitibus D lato clavo discernebantur, ita matronæ illustriores ab aliis dignoscebantur ex stola. Festus: *Matronas appellabant eas fere, quibus stolas habendi jus erat.* Stolam aliquando libertæ portabant. Quintilianus declamat. CCCXLII. ubi agit de ancilla missa in nuptias Archipiratæ ad liberandum captum filium: *Hæc, de qua quæritur, dico voluntate tua esse in libertate: hoc quomodo probo? quo uno probari potest. Fecit aliqua tamquam libera. Nondum dico, ad piratas pervenit. Dissimulo & illud, qua causa volueris eam in libertate esse: interim & vidente te & spectante,* E *habitu matronæ fuit. Hoc satis erat, etsi postea nulla essent consecuta. An vero majus in hoc putamus esse momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris, quam si habitum dederis, stolam dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contigit.* Et apud Macrobium lib. I. *Saturnal.* cap. VI. refert M. Lælius augur duumviros inspectis libris Sibyllinis nuntiasse, *in Capitolio supplicandum, lectisterniumque ex collata stipe faciendum, ita ut libertinæ quoque, quæ longa veste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent.* At differentia aliqua in stola, ut plebejarum feminarum fuerit stola alba cum aureo F limbo: illustriorum stola purpurea cum aureis segmentis, ut apud Propertium eleg. XXV.

Illaque plebejo vel sit sandycis amictu.

In *Priapeiis* alibi:

Cum tunica stolaque rufa.

Unde errat Abramus, qui *in Philipp.* II. c. XXXI. num. VIII. solas Senatorii ordinis feminas stola usas tradit. Sed ut annuli distinguebant Equites a populo, ita secundi gradus feminæ aureis pedum

vinculis a plebeiis mulieribus distinguebantur. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Habeant feminæ in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris; discurrant catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit: etiamne pedibus induitur, atque inter stolam plebemque hunc medium feminarum Equestrem ordinem facit.* Hæc autem vincula pedum erant ansæ sive obstrigilla solearum, quæ ex auro erant. Athenæus lib. XII. de Parrhasio: Χρυσοῖς τε ἀναπασοῖς ἐπέσφιγγε τ̃ βλαυτῶν τὰς ἀναγωγέας. *Aureis habenis constringebat calceorum ansas.* Ita & apud Petronium: *Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus Parium marmor extruxerat.* Manilius:

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Perperam viri docti hæc vincula aurea cum periscelііs confundunt, quæ sunt, ut in Glossis est, *Ornamenta vel circuli aurei crurum muliebrium.* Qualia observavimus Romæ in antiqua statua. Plebejæ vero feminæ argenteis his pedum vinculis utebantur. Plinius lib. XXXIII. cap. XII. *Argentum succedit ex re al quando & auro, luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tristior vetat.* Ubi videmus aureis pedum vinculis plebeiis feminis interdictum fuisse, an etiam aureis monilibus? quod non credo. Verisimile magis, in luxu illo Romano illustres feminas monilia ex gemmis & margaritis gestasse, plebejas ex auro. Hinc Juvenalis plebejam feminam ita describit:

Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum.

Nec assentior hic Salmasio, qui legendum contendit:

Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum.

Glossa vetus ad Horatii Satyr. II. lib. I. apud Casp Barthium lib. XXXVIII. *Adverſ.* cap. VI. *Matronarum aut nobilium feminarum tantum erat gestare lapillos & margaritas, & talia.* Sic & scenicis mulieribus permissum monilia ex auro portare. Vide tit. Cod. Theodos. *de Scenicis*.

CAP. XVII.

Sacerdotes Saturni lato clavo usi, & sacerdotes Gaditani Herculis, & Phœnicum sacrificuli. Silio Italico lux. Calasires. Exterarum religionum sacerdotes habebant Calasires. Martialis locus adhuc non intellectus illustratur. Scribæ & Pharisæi laticlavias vestes portarunt. Phylacteria στολαὶ *&* ἀμπεχόναι *diversum vestimenti genus.* Αμπεχόνη *pallium muliebre. Stola tenue amiculum feminarum ex bysso vel serico. Scribæ & Pharisæi muliebres amictus portarunt, contra Petavium. Stola materia & forma differebat a toga & pallio. Romæ viri muliebribus stolis utebantur in conviviis. Vestes cœnatoriæ stolæ dictæ. Marcus Antoninus nova luce perfusus. Citharœdorum vestis stola.* Ἀναβόλαιον. *Amictorium.* Ἀναβολάδιον. Αμπεχόνιον *utrumque humerum includebat. Stola dextrum humerum excludebat. Stola toga feminarum. Scribæ & Pharisæi, & Diaconi veteris Ecclesiæ amicula circumjiciebant ad instar stolæ. Orarium. Diaconi id gestarunt dextro humero excluso.*

ATQUE hæc satis de iis qui Romæ lato clavo utebantur. Nunc videndum de barbaris qui vestes lato clavo ornatas portabant. Ac primum quidem Sacerdotes Saturni Carthagine latiore purpura ornatas tunicas gestasse testis Tertullianus *de Pallio* cap. IV. *Cum latioris purpuræ ambitio & Galatici ruboris superjectio Saturnum commendat.* De Sacerdotibus Gaditani Herculis Silius Italicus lib. III.

—— Nec discolor ulli
Ante aras cultus, velantur corpora lino,
Ex Pelusiaco præfulget stamine vertex;
Discinctis mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.

Sed & Carthaginenses, & Gaditanos sacerdotes credo has tunicas laticlavias sumpsisse a Tyriis, quorum Coloni erant; nam Tyrii etiam templum Herculis Gadibus exstruxerunt, teste Pomponio Mela libr. III. capit. VI. & aliis. Curtius libr. IV. *Quippe Carthaginem Tyrii condiderunt semper parentum loco culti.* Itaque *ex lege parentum* est ex lege Tyriorum. Phœnicum autem sacrificulos tunicas laticlavias portasse, luculente docet Herodianus lib. V. de sacrificiis Eleogabali: Τὰ δὲ σπλάγχνα τ̃ ἱερȣργηθέντων τά τε ἀρώματα, ἐν χρυσοῖς σκεύεσιν ὑπὲρ κεφαλῆς ȣ̓κ οἰκέται δή τινες ἢ εὐτελεῖς ἄνθρωποι ἔφερον, ἀλλ᾽ οἵ τ᾽ ἔπαρχοι τ̃ στρατοπέδων, καὶ οἱ ἐν ταῖς μεγίσταις πράξεσιν ἀνεζωσμένοι χιτῶνας ποδήρεις, καὶ χειριδωτὰς νόμῳ φοινίκων, ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν ὑποδήμασί τε λίνȣ πεποιημένοις ἐχρῶντο. ὥσπερ οἱ κατ᾽ ἐκεῖνα τὰ χωρία προφητεύοντες. *Exta victimarum atque aromata in lances aureas capitibus imposita gestabant non quidem famuli aliqui aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares ac manuleatas, Phœnicum more, unamque in medio purpuram ferentes: sed & lineis calceamentis utebantur, quemadmodum vates in eis regionibus consueverant.* Hæ autem lineæ tunicæ laticlaviæ sacrificulorum Calasires vocabantur. Interpres Aristophanis *in Aves*: ὁ δὲ καλάσιρις χιτὼν πλατύσημος. *Calasiris tunica laticlavia.* Hesychius: Καλάσιρις χιτὼν πλατύσημος, ἔνιοι δὲ λινȣ̃ν καὶ ποδήρη χιτώνιον. *Calasiris tunica laticlavia, nonnullis est & lineata & talaris tunica.* Ex quo corrigendus Suidas, apud quem χιτὼν πλατὺς legitur, ut bene animadvertit Brissonius libr. II. *de Regno Persarum*. Nec Phœnices solum, sed & omnes alii fere externarum religionum Antistites Calasires habebant laticlavios. Eustathius in III. *Rapsod. Iliad.* καλάσιρις λινȣ̃ς χιτὼν ἱερατικός. *Calasiris linea tunica sacerdotalis.* Atque hinc lux Martiali lib. V. epigr. XVII. cujus acumen nemo hactenus cepit:

Dum proavos atavosque refers, & nomina magna;
Dum tibi noster Eques sordida conditio est:
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere, nupsisti, Gellia, Cistifero.

Hæc Gellia tumida ob nobilitatem, dum non vult nubere angusticlavio, nec ad Senatorias nuptias pervenire potest; ut tamen non nisi laticlavio nubat, nupsit Cistifero, id est, externæ religionis sacrificulo, qui tamen laticlavius erat. Portabat enim calasirin lineum latoclavo ornatum. Apud Hebræos Scribæ & Pharisæi laticlavias portabant vestes. Epiphanius libr. I. *Hæresi* XV. *de Scribis*: Καὶ φυλακτήρια παρ᾽ ἑαυτοῖς ἐπὶ τὰ ἱμάτια ἐπετίθετο, τȣτέστι πλατέα σήματα πορφύρας, νομίσειε δ᾽ ἄγε τις ἐπειδήπερ καὶ ἐν τῷ Ευαγγελίῳ τȣ̃το ἐμφέρεσθαι μὴ ἄρα περὶ περιάπτων λέγει, ἐπειδὴ γὰρ καὶ εἰώθασί τινες τὰ περίαπτα φυλακτήρια ὀνομάζειν. ȣ̓κ ἔχει δὲ ὁ λόγος τὸ παράπαν περὶ τȣ́τȣ. ἀλλ᾽ ἐπειδὰν στολὰς εἴτ᾽ ȣ̓̃ν ἀμπεχόνας οἱ τοιȣ̃τοι ἀνεβάλλοντο καὶ δαλ-

ματικὰς, εἴτ' οὖν κολοβίωνας ἐκ πλατυσήμων διὰ πορφύρας ἀλουργυφεῖς κατεσκευασμένας, τὰ δὲ σήματα τῆς πορφύρας φυλακτήρια εἰώθασιν οἱ ἠκριβωμένοι μετονομάζειν. *Ad hæc vestes Phylacteriis distinctas gerebant, quæ sunt latiora quædam purpuræ segmenta. De quibus cum Evangelium meminerit, suspicari quispiam possit, de amuletis hic sermonem institui: quod a nonnullis amuleta Phylacteria vocentur. Verum longe alia ratio est. Quippe cum stolis, sive vestimenti genere quodam uterentur isti, quod Dalmaticas aut colobia appellare possumus, quæ amplioribus ex purpura segmentis erant intexta. Ejusmodi porro segmenta qui accuratius loquuntur, nominare Phylacteria soleant.* De Pharisæis paullo post tradit illos eodem quo Scribas habitu uti. Idem refert etiam in responsione ad Epistolam Pauli & Acacii, & in Anacephalæosi. Nicetas Choniates *Thesauri Orthodoxi* libr. I. cap. XXXIX. *Dalmaticis, quæ nunc colobia dicuntur, purpuraque prætexuntur, induti, phylacteria sua ostentabant.* Forte autem hi clavi purpurei eadem ratione phylacteria appellata sunt, (si modo Epiphanio hac in re fides) qua Persius prætextam in togis puerorum purpuram custodem appellat Sat. IV.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit.

ad quem locum videndus Casaubonus. Sic forsan & Ovidius lib. III. *de Ponto* Eleg. VIII.

Purpura sæpe tuos fulgens protexit amictus.

Sed & nodus est in illis Epiphanii verbis: ἀλλ' ἐπειδὰν στολάς, εἴτ' οὖν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο καὶ δαλματικὰς εἴτ' οὖν κολοβίωνας ἐκ πλατυσήμων διὰ πορφύρας ἀλουργυφεῖς κατεσκευασμένας. Quæ Petavius *vertit: Quippe cum stolis sive vestimenti genere quodam uterentur isti, quod Dalmaticas aut colobia appellare possumus.* Ubi videmus, Petavium στολάς sive ἀμπεχόνας cum dalmaticis sive colobiis confundere, quem ideo reprehendit Salmasius in *Notis ad Tertullianum de Pallio*. Ipse στολάς pallia exponit, dalmaticas, sive colobia, tunicas, quamvis Petavium defendere conetur KerKoetius in *Elencho confutationum Claudii Salmasii*. Mihi non est dubium στολάς sive ἀμπεχόνας diversum genus vestimenti esse a dalmaticis sive colobiis, non tamen simpliciter στολάς sive ἀμπεχόνας *pallia* verterem, sed pallia muliebria. Credo igitur magis Epiphanium differentiam gradus quamdam inter Scribas designasse, quorum alii pro amictu habebant stolas Dalmaticas, alii ἀμπεχόνια cum colobiis. Quid autem intersit inter stolam & ἀμπεχόνιον videndum. De stola certum, tenue amiculum feminarum fuisse ex bysso vel serico, ita & ἀμπεχόνη. Hesychius: Ἀμπέχονιον σύμμετρον περίβλημα. Ἀμπεχόνη λεπτὸν ἱμάτιον, ἀμπεχόνιον ὅμοιον. Ἀμπεχόνιον, *aptum pallium*. Ἀμπεχόνη, *tenue vestimentum*, Ἀμπεχόνιον, *ejusdem generis vestis*. Theocritus Idyll. XV. τὠμπέχονον φέρε μοι. Muliebres autem amictus Scribas & Pharisæos portasse testis ipse Epiphanius in *Hæresi Pharisæorum*: Τῷ δὲ προειρημένῳ σχήματι τῶν γραμματέων προσήρχοντο, δῆθεν τῶν ἀμπεχόνης καὶ διὰ τῶν ἄλλων σχημάτων καὶ γυναικικῶν ἱματίων ἐν πλατείαις τῶν κρηπῖσι καὶ γλώτταις τῶν ὑποδημάτων προϊόντες. ad quem locum Petavius: *Magnopere mirandum, si modo verum est, muliebribus palliolis usos esse Pharisæos.* Sed mihi videtur mirum, dubitare doctissimum virum an hoc verum fuerit, cum Dominus noster in Evangelio reprehendat Scribas, quod in stolis, hoc est, femineis vestibus, ambulabant. Apud D. Marcum capit. XII. Βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν. *Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro.* Et apud Lucam capit. XX. προσέχετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς. *Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro.* Quod bene explicat Zacharias Chrysopolitanus Episcopus libr. III. capit. CXLI. Tom. XII. *Bibl. Patrum: In stolis ambulare, est in cultioribus vestimentis in publicum procedere: quod reprehenditur in divite qui induebatur purpura & bysso.* Stola enim & materia & forma differebat a toga & pallio; longior enim erat, & cum togæ ex lana essent, stolæ erant byssinæ, bombycinæ aut sericæ. Martialis:

Tenuia ne madidi violent bombycina crines.

Varro περὶ φθορᾶς κόσμου apud Nonium in *Stola: aliam cerneres cum stola bolosérica.* Sed & Romæ viri muliebribus stolis utebantur, sed in conviviis. L. 33. ff. *de auro arg. leg. Nam & Q. Mutius ait, scire se quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis uti solitum, qui si legaret muliebrem vestem, non videretur de ea sensisse, qua ipse quasi virili utebatur.* Sed quod Q. Mutius de uno Senatore narrat, id postea sub Imperatoribus promiscuum fuit. Vide P. Fabri *Semestrium* libr. I. capit. XV. Hinc cœnatoriæ vestes stolæ appellantur. Dio in *Hadriano*: Ἀμέλει καὶ Κορνήλιος Φρόντων, ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος, ἑσπέρας ποτὲ βαθείας ἀπὸ δείπνου οἴκαδε ἐπανιών, καὶ μαθὼν παρά τινος ᾧ συνηγορήσειν ὑπέσχετο, δικάζειν αὐτόν, ἔν τε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, ὥσπερ εἶχεν, ἐς τὸ δικαστήριον αὐτοῦ εἰσῆλθε. *Cornelius etiam Fronto, qui causis agendis inter ejus ætatis Romanos primas ferebat, quum aliquando vespere profundo a cœna domum rediret, ac intellexisset a quodam cui patrocinium promiserat, Hadrianum jus dicere, in amictu cœnatorio, quo tunc erat indutus, ad tribunal ejus accessit.* Et sic ego explico Marcum Antoninum libr. I. καὶ τὸ μὴ ἐν στολῇ κατ' οἶκον περιπατεῖν, μηδὲ τὰ τοιαῦτα ποιεῖν. Quæ Xylander male vertit, *domi neque vestitu neque aliis hujusmodi rebus utendum.* nec rectius Casaubonus in Suetonium *stolam* hic pro toga capit. Sed mihi nullum dubium est hic Marcum per *stolam* vestem cubicularem intelligere, qua cum Imperatores quidam, ut Nero, & alii, etiam in publico uterentur, Marcus nec per domum quidem ea indutus ambulabat, quod tamen usu licitum erat. Sic & Augustus, de quo Suetonius cap. LXXV. *Forensia autem & calceos numquam non intra cubiculum habuit ad subitos repentinosque casus parata.* Eodem modo Citharœdica vestis, quæ longa & muliebris erat, stola vocatur a Varrone libr. III. *de rustica* cap. XIII. *Quintus Orphea vocari jussit, qui cum eo venisset cum stola & cithara, & cantare esset jussus, buccam inflavit.* Persarum quoque vestis stola dicitur eamdem ob rationem. Sed de stolæ muliebris forma, materia & colore, latius agemus in nostro *de habitu muliebri* commentario. Ἀμπεχόνιον Græci etiam ἀναβόλαιον vocabant & syndonem, Latini amictorium, atque ἀναβολάδιον etiam Hieronymus *in Isaiam*. Et Isidorus: *Anabolæon amictorium lineum feminarum.* Ex quo constat, utrosque humeros hoc amiculo coopertos fuisse. Ut igitur pallium Græcorum utrumque humerum includebat, ita & ἀμπεχόνιον sive ἀναβόλαιον feminarum. Ut autem toga dexterum humerum excludebat, ita stola, excluso quoque eodem humero, in sinistrum brachium rejiciebatur; hinc stolam, *togam feminarum* inter-

pretatur Acro in illud, *velatumque stola*. Qui igitur ex Scribis aut Pharisæis Dalmaticas gestabant, ii amicula sua stolæ matronalis forma circumjiciebant, & excludentes dextrum humerum, in sinistrum brachium rejiciebant. Ita & Diaconi in veteri Ecclesia, qui etiam Dalmaticas portant, eodem circumjectu oraria sua portabant; orarium enim erat amictus longus ex lino aut bysso: unde & flammeum nuptiale a veteri Scholiaste Juvenalis apud Casaubonum *ad Vopiscum* orarium vocatur. Hoc Diaconi gestabant dextro humero & brachio περιβεβλημένον. Matthæus Blastares in *synopsi Conciliorum*: τοῖς διακόνοις δέδοται καὶ μόνοις τῷ λαιῷ τῶν ὤμων τοῦτο περιτιθέναι. Synodus Romana II. sub Silvestro can. VI. T. I. fol. 318. *Ut Diaconi non essent amplius per parochiarum examen nisi duo, & Diaconi Cardinales urbis Romæ sex; ita tamen ut Dalmaticis uterentur, & pallia linostima lævam eorum tegerent.* Chrysostomus in Λειτουργίᾳ de Diacono: καὶ τὸ μὲν ὠράριον ἀσπασάμενος ἐπιτίθησι τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ. *Et orarium osculans imponit dextro humero.* Sed postea ut pro pallio Archiepiscopali successit zona quædam, quæ humeros ambiens amictum pallii exprimebat; ita pro stola hac, sive orario usui receptæ sunt stolæ, quæ circumjectum solum stolæ aut orarii designabant.

CAP. XVIII.

Colobia Monachorum & Presbyterorum laticlavia. Colobium quid? Differentia dalmaticæ & colobii. Colobia sine manicis. Colobium tunica Senatoria. Presbyteri colobiis usi. Dalmaticæ Diaconorum hujus ætatis angusticlaviæ. Casulæ sacerdotum laticlaviæ, pars ejus posterior in crucis formatur figuram. Clericis purpura a Concilio Narbonensi prohibita. Sanctimoniales tunicas purpura distinctas gestarunt. Modus eis statutus a patribus. In Africa purpureas mitellas portarunt. In Anglia monachi diu purpura usi. Crustum. Lex Codicis Theodosiani emaculatur.

COLOBIA etiam Monachorum & Presbyterorum olim unico clavo purpureo distincta, id est, laticlavia erant. Clare id docet Dorotheus Abbas Doctr. I. Ἔχει δὲ τὸ κολόβιον ἡμῶν τί ποτε πορφυροῦν. τί θέλει εἶναι τὸ σημεῖον τὸ πορφυροῦν; ἕκαστος στρατευόμενος τῷ βασιλεῖ πορφύραν ἔχει εἰς τὸ χλανίδιον αὐτοῦ. ἐπειδὴ γὰρ ὁ βασιλεὺς πορφύραν φορεῖ, πάντες οἱ στρατευόμενοι αὐτῷ βάλλουσι πορφύραν εἰς τὰ χλανίδια αὐτῶν. τουτέστι τὸ βασιλικὸν ἔνδυμα, ἵνα διὰ τούτου δείξωσιν ὅτι τοῦ βασιλέως εἰσὶ, καὶ ὅτι αὐτῷ στρατεύονται. οὕτω καὶ ἡμεῖς λαμβάνομεν τὸ σημεῖον τὸ πορφυροῦν εἰς τὸ κολόβιον ἡμῶν, δεικνύοντες, ὅτι τῷ Χριστῷ ἐστρατεύθημεν καὶ χρεωστοῦμεν ὑπομεῖναι ὅλα τὰ πάθη μετὰ αὐτοῦ ὅσα ὑπέμεινεν δι' ἡμᾶς. *Habet vero colobium nostrum clavum purpureum. Quidnam designat clavus ille purpureus? unusquisque Regi militans habet purpuram in sago suo; ex quo enim Rex purpuram ferre cœpit, omnes qui militant ei, immittunt purpuram sagulis suis, ut inde appareat, regios illos esse, & Regi commilitare. Sic & nos in colobio nostro purpureum clavum apponimus, ut demonstremus nos Christo commilitare, & debere tantum illius causa perferre, quantum ille nostri causa pertulit.* Ex quo patet colobia Monachorum uno clavo purpureo distincta fuisse, atque ita laticlavia fuisse. Colobii autem descriptionem etiam habemus apud Ammianum Marcellinum lib. XIV. cap. IX. *Post hæc*, inquit, *indumentum regale quærebatur, & ministris fucandæ purpuræ tortis confessisque pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est (ut appellant Christiani) Diaconus, cujus literæ prolatæ, scriptæ Græco sermone ad Tyrii textrini præpositum celerari speciem perurgebat, quam autem non indicabat.* Ubi per tuniculam purpuratam sine manicis colobium describitur, non dalmatica; ut bene vidit P. Pithœus libr. I. *Subsec.* cap. XVI. differebat enim dalmatica a colobio, quod dalmatica manicata erat, colobium sine manicis. Adhæc illa angustis clavis distincta erat, ut supra diximus; colobium lato clavo ornatum, ut ex Dorotheo constat. Colobia autem clavata fuisse etiam videmus ex Stephani III. PP. Epistola *ad Hilduinum* T. V. *Concil. gener.* fol. 509. *Et vidi*, inquit, *ante altare bonum Pastorem D. Petrum, & magistrum gentium D. Paulum, & nota mente illos recognovi de illorum surcariis, & ter beatum D. Dionysium ad dexteram D. Petri, subtilem & longiorem, pulchra facie, capillis candidis, colobio indutum candidissimo, purpura clavato, pallio toto purpureo, auro interstellato, & sermocinabantur inter se lætantes.*

Abdias lib. IX. *Historiæ Apostol.* de S. Bartholomæo: *Capillo nigro capitis est & crispo, caro illius candida, oculi grandes, nares æquales & dejectæ, aures coopertæ crine, capitis barba prolixa habens paucos canos, statura æqualis, quæ nec brevis nec longa possit adverti. Vestitur colobio albo clavato purpura, induitur pallio albo habente per singulos angulos singulas gemmas purpureas.* Damasus PP. in *Eutychiano*: *Qui hoc constituit, ut quicumque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus sepeliret.* Hinc videmus, haud male Acronem latum clavum exponere κολοβίωνα ad illud e Satyra V. l. I. *Prætextam & latum clavum; latum clavum*, inquit, *purpuram, quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci τὰ κολοβίνα vocant.* Et Commentator Cruquii ad eundem Horatii locum: *Latus clavus colobion Græce dicebatur, vestis quæ ad pectus magistratuum extendebatur, in formam lati clavi.* Hinc quoque tunica Senatoria colobion dicitur L. I. Cod. Theodos. *de habitu quo uti oportet intra urbem: Sine exceptione temporis matutini dumtaxat intra mœnia constitutus nullus Senatorum habitum sibi vindicet militarem, sed, chlamydis terrore deposito, quieta colobiorum ac pœnularum induat vestimenta.* Presbyteros autem sæpe colobia portasse, testis est Epiphanius *Hæresi* LXIX. de Ario qui Presbyter erat: ἡμιφόριον γὰρ ὁ τοιοῦτος ἀεὶ καὶ κολοβίωνα ἐνδιδυσκόμενος γλυκὺς ἦν τῇ προσηγορίᾳ. Ut igitur Diaconi angusticlavias tunicas portabant, ut Equites & alii, ita Presbyteri laticlavia colobia more Senatorum. Honorius Augustodunensis *de antiquo ritu Missæ* lib. I. cap. CCXXXII. de indumentis clericorum: *Hujuscemodi vestitu etiam Senatores usi sunt, ex quibus in Ecclesiasticum usum transierunt.* Atque hinc hodie Dalmaticæ quidem Diaconorum duobus angustis clavis ornatæ sunt: casulæ vero Sacerdotum uno clavo lato distinctæ; & posterior quidem pars clavi multis in locis in crucis figuram formatur; quia ut Tertullianus ait *de Corona militis* ad Christianum: *Tui Ordinis, & tui Magistratus, & ipsum Curiæ nomen Ecclesia est Christi illius. Et conscriptus in libris vitæ: illic purpuræ tuæ sanguis Domini, & CLAVUS LATUS in cruce ipsius.* Concilium autem Narbonense sub Recaredo Rege Clericis purpuram prohibet apud Baronium *ad annum Christi* DXCVIII. *Hoc regulariter definitum est, ut nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem, ut sicut est devotio in mente,*

ita & ostendatur in corpore; quia purpura maxime laicorum potestate praeditis debetur, non Religiosis Idem sensit Bonifacius in Epistol. *ad Cuthbertum* CV. Tom. VIII. *Bibliothec. magn.* fol. 113. *Supervacuam & Deo odibilem vestimentorum superstitionem omni intentione prohibere stude, quia illa ornamenta vestium (ut illis videtur, quod ab aliis turpitudo dicitur) latissimis clavis vermium imaginibus clavata adventum Antichristi ab illo transmissa praecurrunt, illius calliditate per ministros suos introducere intra clausa monasteriorum fornicationem & luxuriam*. Sed ne cui incredibile videatur Monachos colobiis purpuratis usos; pauca de sacrarum virginum habitu dicenda sunt. Illae igitur etiam tunicas purpura distinctas portabant. Hieronymus *ad Eustochium* Epist. XXII. *Purpura tantum in veste tenuis, & laxius, ut crines decidant, ligatum caput, soccus vilior, ut per humeros hiacynthina maforta volitans, succinctae manicae bracchiis adhaerentes, & solutis genubus fractus incessus: haec apud illos tota virginitas*. Sed cum luxus harum nimium cresceret, provisum est a patribus. Concil. Toletanum X. cap. IV. de viduis quae se Deo vovent: *Ac tunc accepta a Sacerdote vel ministro apta Religionis usui veste, seu lectulo quiescens, sive quocumque loco consistens incunctanter utatur, nec diversi coloris aut diversae partis eadem sit notabilis vestis, nisi religiosa & non suspecta, quae careat & varietatibus colorum & diversitatibus partium, adeo ut absque ulla suspicione transgressionis maneat apta usui sanctae Religionis, & suo sexui competens ad testimonium probitatis: ut autem deinceps nil devocetur in dubium, pallio purpureo vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptae Religionis*. Ita & in Africa Sanctimoniales purpureas mitellas portabant teste Optato Milevitano lib. VI. Tamen in Anglia longo post tempore adhuc obtinuit mos ille, ut tam Monachi quam Moniales sumptuosis vestibus uterentur, licet reclamantibus Episcopis. Aldhelmus *de virginit*. *Bibliotheca Patrum* Tom. VIII. fol. 51. *Non ergo ruituri vetita mundi ornamenta purpureae pretiosis tincturae muricibus colorata alumnis Coenobii vernaculis Christi, virginibus Ecclesiae contra Apostolica statuta & legalia scita rite ac regulariter congruere queunt*. Et paulo post: *Pudet fere quorumdam frondosam elationis impudentiam & comptam stoliditatis insolentiam, quae in utroque sexu non solum Sanctimonialium sub regimine coenobii conversantium, verum etiam Ecclesiasticorum sub ditione Pontificali in clero degentium contra Canonum decreta & regularis vitae normam deprehenduntur, usurpatae ob id solum, ut crusto interducto, phalerataque venustate carnalis statura comatur, ac altitudo corporea membratim ac particulatim ornetur*.

Crustum ibi expono purpurae speciem, de qua L. II. C. Theodosiani *de Scenicis*: *His quoque vestibus noverint abstinendum, quas Graeco nomine a Latino crustas vocant, in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardescit*. ubi forte pro *crustas* legendum *crusta*. Sed ut ad cultum Monachorum & Sanctimonialium revertar, eum pulchre describit Aldhelmus idem Tom. VII. fol. 51. *Nam cultus gemini sexus hujuscemodi constat, subucula byssina, sive hyacinthina, tunica coccinea, capitium & manicae sericis clavatae, gallicula rubricatis pellibus ambiuntur, antiae frontis & temporum cincinni calamistro crispantur, pulla capitis velamina candidis & coloratis mavortibus cedunt, quae vittarum nexibus adsutae talo tenus prolixius dependent, & ungues ritu falconum, accipitrum, seu certe ad instar calvanorum acuuntur*. Hinc Bonifacius Episcopus in Epistol. *ad Cuthbertum* Archiepiscopum Anglorum eum monet, ut clericos & Sanctimoniales de tenuitate & pompa vestium argueret. Praeterea ne miraretur quod alienum negotium ageret, cum sua nil interesset, quomodo & quibus modis Anglorum gens viveret, sciret se a Gregorio Papa III. sacramento adstrictum, ne conterminarum gentium mores Apostolicae notitiae subtraheret. Quapropter blandis admonitionibus non succedentibus, acturum se, hujusmodi vitia ne Papam laterent. Sane de tenuitate vestium Clericalium Alcuinus Athelardum Archiepiscopum, Cuthberti successorem, oblique castigat, monens, ut cum Romam vadens Carolum Magnum Imperat. visitaret, non adduceret clericos vel monachos versicoloribus & pompaticis vestibus indutos, quod non solerent Francorum Clerici nisi religiosis vestibus amiciri. In Orientali vero Ecclesia sacras virgines tam immenso luxu usas non credo: accuratum tamen earum circa vestes studium describit & notat D. Pater Chrysostomus *in* I. *Epist. ad Timoth. cap.* II. Hom. VIII. f. 455. T. VI. in novum Testamentum.

CAP. XIX.

Clavi aurei duplicis generis. Clavis aureis angustis usi sunt Reges Graeci & primi Romani; latis vero ultimi Reges Romani & Consules ac Praetores cum triumpharent & thensas ducerent. Mantilia, stromata auro clavata.

SATIS, ut existimo, explicavimus formam & qualitatem clavi purpurei; superest, ut de clavis aureis aliquid dicamus, qui tantum purpureis praestabant, quantum purpuram aurum praecedit. Doctissimi viri, qui naturam clavorum haud satis perceperunt, credunt, clavum aureum Patagium dictum a Veteribus; sed eorum errorem supra satis refutavimus. Ut autem clavi purpurei duplicis generis erant, alii enim angusti, alii lati erant; ita & aurei. Illis utebantur Reges Graeci, & primi Romanorum usque ad Tarquinium: his ultimi ex istis Regibus, ut & expulsis regibus Consules aut Praetores, quando triumphabant aut thensas ducebant. Sed sigillatim de omnibus agemus, qui aut latos clavos aureos, aut angustos portabant. De his ut eumdem hic ordinem servemus quem supra; primo de mantilibus & veste stragula dicemus. Mantilibus auro clavatis primus usus est Adrianus, ut quidam dicunt, deinde Heliogabalus. Lampridius in *Alexandro Severo*: *Convivium neque opiparum neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit: ita tamen ut pura mantilia mitterentur, saepius cocco clavata, aurata vero nunquam, quum haec Heliogabalus jam recepisset, & ante, ut quidam praedicant, Hadrianus habuisset*. Ubi aurata sunt, auro clavata χρυσόσημα, ut bene observant viri summi If. Casaubonus & Cl. Salmasius.

Deinde Galienus mantilibus aureis semper stravit, ut Pollio ait in *ejus vita*. STROMATA etiam auro virgata seu clavata fuisse, constat ex Athenaeo, qui libr. VII. fol. 322. ita scribit de pisce quodam: *γίνεται δ' ὅμοιος ἰχθὺς ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ ὁ προσαγορευόμενος στρωματεὺς, ῥάβδους ἔχων δι' ὅλου τοῦ σώματος τεταμένας χρυσιζούσας, ὡς ἱστορεῖ φίλων ἐν τῷ μεταλλικῷ. Similis in rubro mari piscis est, quem stromateum vocant, habens per totum corpus clavos extentos aureos, ut tradit Philo in Metallico.*

CAP. XX.

Chlamydes quædam auro clavatæ. Iis usi Reges Romani. Chlamys Imperatorum pura purpurea. Reges barbarorum chlamydes habuerunt albas clavis aureis distinctas. Pallæ aureis clavis ornatæ, nonnunquam purpureis. Palla fuit indumentum, non amictus. Palla Græcis peplum. Peplum aureis clavis ornatum. Pepli forma. Peplum mixta ex pallio & tunica vestis. Peplo utebantur illustriores feminæ in publicum proditura. Palla fibulatoria tunica Romanarum matronarum habitus. Candys. Gallicæ pallæ. Tunicopallium. Pallæ dicuntur pallia. Palla & peplum interdum est exterior vestis. ξύστις erat vestis purpurea, auro distincta, Tragicis propria. Palla aurata vestis Tragicorum, & omnium Dionysiacorum artificum, ac qui ad bestias damnati. In pictura veteri est citharœdus, non femina, contra Pignorium.

INTER vestes observavi chlamydes quasdam aureis clavis distinctas fuisse. Constat ex Cedreno: Νουμᾶς βασιλεύσας Ρωμαίων, καὶ δεξάμενος πρεσβύτας ἐκ τῆς χώρας τῶν λεγομένων πελασγῶν, φοροῦντας χλαμύδας ἐχούσας ταβλία ῥούσια, καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς ἰσαυρίας χώρας, καὶ τερφθεὶς τῷ σχήματι ἐπενόησε πρῶτος ἐν τῇ ῥώμῃ χλαμύδας φορεῖσθαι. Τὰς μὲν βασιλικὰς πορφύρας ἐχούσας ταβλία χρύσεα. *Numa Rex Romanorum capiens Senatores ex regione Pelasgorum, gestantes chlamydes coccineos clavos habentes, quemadmodum qui ex Isauria regione, & delectatus hoc habitu, primus Romæ instituit chlamydes portare, & ut regiæ quidem haberent clavos aureos.* Eadem habet Chronicon Alexandrinum. Ταβλία autem hic clavos esse postea latius demonstrabo. Ex quo patet, Reges Romanos portasse chlamydes auro clavatas. Sed an purpurea chlamys Imperatorum eadem forma fuerit, in dubio est. Ego magis existimo eam puram purpuream fuisse. Ceterum alios Reges & Satrapas portasse chlamydes albas clavis aureis distinctas in confesso est. Clare Agathias lib. III. de Rege Lazorum: Ἤδη δὲ ὁ Τζάθης ἅμα Σωτηρίχῳ τῷ στρατηγῷ ἐκ Βυζαντίου ἀφῖκτο, τήν τε πατρῴαν ἀρχὴν καὶ τὰ ταύτης παράσημα πρὸς τοῦ βασιλέως Ρωμαίων, ᾗπερ ἐκ παλαιοῦ νενόμισται, δεδεγμένος. εἰσὶ δὲ γε ταῦτα, στέφανος χρυσοῦς λιθοκόλλητος, καὶ χιτώνιον ποδῆρες, ὑπόχρυσον, πέδιλά τε κοκκοβαφῆ, καὶ μίτρα ὁμοίως χρυσῷ τε καὶ λίθοις πεποικιλμένη. Χλαμύδα δὲ ἁλουργῆ τοῖς βασιλεῦσι τῶν λαζῶν οὐ θέμις ἀμπίσχεσθαι. λευκὴν δὲ μόνον οὐ μέντοι παντάπασί γε κοινὴν οὕπω καὶ εἰθισμένην. ἀμφὶ γὰρ τὸ μεσαίτατον ἐκείνη χρυσῷ ὑφάσματι ἑκατέρωθεν καταλάμπεσθαι. βασιλικὸν δὲ τὸ ἐμπερόνημα τῆς χλαμύδος λίθοις τε ἐκκρεμέσι καὶ τῇ ἄλλῃ διασκευῇ διαπρέπον. *Jam vero Tzathes una cum Soterícho Bysantio advenerat, quum paternum regnum, ejusque insignia a Romanorum Imperatore veteri more ac ritu accepisset. Sunt autem hæc, corona aurea pretiosis distincta lapidibus, & palla ad talos demissa, auro intertexta, calcei murice tincti, & mitra similiter auro & lapidibus variata. Chlamydem vero purpuream Lazorum regibus gestare fas non est, sed tantum albam, non tamen omnibus communem & consuetam. Circa medium enim illius aureus clavus intextus utrimque resplendet. Regia autem fibula chlamydis lapidibus etiam aureis inde pendulis, alioque apparatu est insignis.* Procopius etiam lib. *de Ædificiis Justiniani* de Satrapis Armeniæ: Τῇ δὲ ἄλλῃ Αρμενίᾳ, ἥπερ ἐντὸς Εὐφράτου ποταμοῦ οὖσα διήκει εἰς ἀμίδαν πόλιν Σάτραπαι ἐφειστήκεισαν Αρμένιοι πέντε, καὶ κατὰ γένος μὲν ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἐκαλοῦντο ταύτας ἐχόμενοι αὐτῶν ἄχρι ἐς θάνατον. σύμβολα μέντοοι αὐτῶν πρὸς τοῦ ῥωμαίων βασίλεως ἐδέχοντο μόνον. ἄξιον δὲ τὰ σύμβολα ταῦτα δηλῶσαι λόγῳ ἐπεὶ οὐκέτι ἐς ἀνθρώπου ὄψιν ἀφίκετο. Χλαμὺς ἐξ ἐρίων πεποιημένη, οὐχ οἷα τῶν προβάτων ἐκπέφυκεν, ἀλλ᾽ ἐκ θαλάσσης συνειλεγμένων, πίννους τὰ ζῶα καλεῖν νενομίκασιν, ἐν οἷς ἡ τῶν ἐρίων ἔκφυσις γίνεσθαι. Χρυσῷ δὲ ἡ τῆς πορφύρας κατελέληπτο μοῖρα, ἐφ᾽ ἧς εἴωθεν ἡ τῆς ἁλουργίδος ἐμβολὴ γίνεσθαι. *In altera vero Armenia, quæ trans Euphratem sita est, venit in urbem Amidam. Illi præerant quinque satrapæ Armenii, qui quidem hanc præfecturam tenent ad mortem usque, insignia autem a Romanorum Imperatore accipiunt. Operæ vero pretium commemorare insignia illa, quoniam numquam in hominis conspectum veniunt. Chlamys est lanea, non tamen ex illa lana quam oves producunt, sed quæ in mari colligitur. Animalia, quæ illam proferunt, vocare solent Pinnas. Auro vero illa pars clavata est, cui solet purpura immitti.* Ex Virgilio etiam constat pallas sæpe aureis clavis ornatas fuisse:

> ——— *Pallam signis auroque rigentem.*

id est, ut Servius explicat, *signis aureis* χρυσόσημον. Statius:

> *Si decet aurata Bacchum vestigia palla*
> *Verrere.*

Et passim apud Auctores auratæ pallæ occurrunt; quamvis etiam pallæ sæpe purpura clavatæ erant. Ovidius l. II. *Fast.*

> *Induerat Tyrio distinctam murice pallam.*

Sed quodnam genus vestis palla fuerit, adhuc quærendum. Et quidem vulgata opinio est, pallam fuisse amiculum muliebre, quod stolæ superinduebatur: Torrentius *in Horat. Sat.* II. *lib.* I. Fr. Franc. in *Confut. animadv. A. Kerckoetii*, Aldus Manutius lib. II. *de Quæsit. per Epist.* cap. II. at contra pallam indumentum fuisse non amictum probari potest ex Cornificio libr. IV. ad Herennium: *Uti citharœdus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta.* Ita & Varro lib. IV. *de L. L.* pallam recenset inter vestimenta quæ indutui sunt. Et Livius libr. XXVII. narrat Ptolomæo Ægypti regi dono a Senatu missam tunicam & togam purpuream, Cleopatræ reginæ pallam pictam cum amiculo. Ovidius lib. XIV. *Metam.* de Circe:

> ——— *Pallamque induta nitentem*
> *Insuper aurato circumvelatur amictu.*

Optime Sidonius in *Epithalamio Polemii & Arondolæ*:

> *Squameus ad mediam thorax non pervenit alvum,*
> *Post chalybem pendente peplo tegit extima limo*
> *Circum palla pedes, qui cum sub veste moventur*
> *Crispato rigidæ crepitant in syrmate rugæ.*

Ubi peplum cum palla confundit, & recte quidem. Ego enim existimo pallam esse id genus vestis, quod Græci peplum appellant; ita in Glossis: *Palla* πέπλος. Etiam peplum aureis clavis distinguebant Græci, ut ostendit Lutatius *ad lib.* X. *Statii.* Quæ autem forma pepli fuerit, cognosci potest ex Eustathio *ad E. Iliadis*: ἐστὶ δὲ πέπλος καὶ ἐνταῦθα

ἐνταῦθα γυναικεῖος χιτὼν, ὃν οὐκ ἐνεδύοντο, ἀλλ' ἐπερονῶντο. *Peplum est etiam tunica muliebris, quam non induunt, sed fibulis constringunt.* Homerus Σ. τῆς Οδυσ.

> Αντινόῳ μὲν ἔνεικε μέγαν περικαλλέα πέπλον
> Ποικίλον· ἐν δ' ἄρ' ἔσαν περόναι δυοκαίδεκα πᾶσαι
> Χρύσειαι κληῖσιν εὐγνάμπτοις ἀραρυῖαι.

Antinoo quidem portavit magnam perpulcbram vestem viariam; intus autem erant fibulæ duodecim omnes aureæ, juncturis flexilibus aptatæ. Ad quem locum Eustathius: Πέπλον δὲ φασί τινες τὸν ἐνταῦθα μέγαν καὶ περικαλλέα καὶ ποικίλον περιβόλαιον εἶναι, σκέπον τὸν ἀριστερὸν ὦμον, καὶ ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν συνάγον τὰς δύο πτέρυγας εἰς τὴν δεξιὰν πλευρὰν, γυμνὴν ἐῶν τὴν δεξιὰν χεῖρα, καὶ τὸν ὦμον. εἰ δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχει τί δήποτε δώδεκα περόνας ἐχρῆν ἔχειν αὐτὸν μανδυοειδῆ ὄντα; δοκεῖ δὴ μάλιστα γυναικεῖον ἱμάτιον εἶναι ὁ πέπλος κατὰ τὰ δωρικὰ, χιτὼν ἐπὶ μόνα τὰ ἔμπροσθεν, καὶ διὰ τοῦτο περόνας ἐθέλον πολλάς. *Peplum quidam ajunt magnum & perpulchrum & pictum pallium esse, tegens dextrum humerum, ante & pone adducens duas oras in dextrum latus; nudam sinens dextram manum & humerum, ante & pone adducens duabus laciniis in dextrum latus, ita ut nuda relinquatur dextra manus & humerus. Si vero ita se res habet, cur duodecim fibulis opus habet, quum sit forma chlamydis? Videtur potius peplum esse vestimentum muliebre, qualia sunt Dorica, apertum solum a parte anteriore, & propterea multis fibulis indigens.* Hinc constat dubitasse veteres Grammaticos, an peplum tunica, an vero pallium esset. Mixtum enim erat ex pallio & tunica vestimentum, atque tunicæ & pallii usum præstabant, ut ait Pollux lib. VII. cap. XIII. Etenim erat tunica fibulatoria, quam feminæ illustres sumebant, quando in publicum prodibant, & fibulis ad pectus constringebant; deinde aliud amiculum superjiciebant. Ita apud Theocritum Idyll. XV. Praxinoe primo sumit τὴν περονατρίδα. Deinde τὼμπεχόνιον. περονατρίδα autem exponit vetus Scholiastes τὸ πέπλον καὶ ἔνδυμα, ὅπερ πρῶτον ὑπεζώννυντο. εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ περονᾶσθαι καὶ τῆς ἐπωμίδος ἐπιλαμβάνεσθαι, ὡς αἱ μακεδονίτιδες. Eodem modo Romanæ matronæ pallam & stolam portabant in publicum prodeuntes. Pallam autem fuisse fibulatoriam tunicam, ut peplus apud Græcos, præter ceteros Curtius lib. III. ostendit, qui pallam appellat Candyn Persarum. Est autem Candys χιτὼν περσικὸς, ὃν ἐμπορπῶνται οἱ στρατιῶται. ut Hesychius ait. Ita & Martialis Gallorum χιτῶνας χειριδωτοὺς *Gallicas pallas* appellat. Quia autem palla muliebris ut & peplus Græcorum erat χιτὼν ὁμοῦ καὶ ἱμάτιον, hinc *tunicopallium* sive *tunicapallium* composita voce vocabatur. Interpres Cruquii ad Horatii Sat. II. libr. I. *Palla pro peripodio ponitur, quod tunicopallium dici potest.* Servius ad I. Æneidos:

> —— *Pallamque rigentem.*

Duram propter aurum sicut & novas vestes videmus. Significat autem tunicæ pallium (*Lege tunicopallium*) *quod, secundum Varronem, Palla dicta esse ab irrugatione & mobilitate, quæ est circa finem hujusmodi vestium* ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Nonius: *Palla est honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium.* Lege *tunicopallium*. Sed & absolute sæpe pallæ pallia dicuntur antiquis. Quod multos in errorem induxit, qui inde credidere pallam fuisse exterius amiculum, quod & persuadere videtur locus Horatii:

> —— *Multæ ubi tum officient res,*
> *Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,*
> *Ad talos stolas dimissa, & circumdata palla,*
> *Plurima quæ officiant pure apparere tibi rem.*

A Ex quo loco colligunt interpretes, demissæ ad terram stolæ pallam circumdatam fuisse. Sed mihi videtur ita legendum esse:

> —— *& circumdata palla*
> *Plurima.*

Ita ut Horatius innuat officere stolam dimissam ad pedes, & plurima alia quæ palla circumdantur, id est, supparum, indusium, aliaque hujus generis. Non nego tamen aliquando pallam ut & peplum apud Græcos pro extima veste sumi, sed numquam stolæ superjici. Haud multum pallæ absimile vestimenti illud genus fuit quod Græci ξυστίδα appellant. Erat enim & hoc ἔνδυμά τε ὁμοῦ
B καὶ περίβλημα καὶ χιτών. *Indumentum, & pallium, & tunica*, ut Pollux ait, & fibula adstringebatur. Athenæus libr. XII. ὁ δὲ Σικελίας τύραννος Διονύσιος ξυστίδα καὶ χρυσοῦν στέφανον ἐπὶ περόνῃ μετελάμβανε τραγικόν. *Siciliæ tyrannus* ξυστίδα *tragicorum vestem, & auream coronam fibulis consertam sumpsit.* Vide & Suidam. Erat autem ex purpura. Sic Aristophanis Scholiastes in *Nubes* ξυστίδα πορφυρίδα exponit. Sed & auro distinguebatur ut palla; ita apud Pollucem ξύστις χρυσόπαστος, & alibi sæpe. Hæc autem vestis Tragicis propria erat. Hesychius: ξύστις τραγικὸν ἔνδυμα. ξύστις *vestimentum Tragicum*, ut & palla:
C Ovidius:

> *Risit amor pallamque meam pictosque cothurnos.*

Tragici, Citharœdi, ut & Tibicines, & omnes Dionysiaci artifices, immo etiam gladiatores, & ad bestias damnati auratas pallas & ξυστίδας portabant. Imo aliquando etiam chlamydas, lacernas, tunicas, & alia vestium genera auro clavata, ut ex infinitis auctorum locis verum apparet, quos hic referre superfluum. Unus Luciani locus non prætermittendus in *Anacharsi*: τραγῳδοὶ ὑποδήματα ἔχουσι βαρέα καὶ ὑψηλὰ, χρυσαῖς δὲ ταινίαις τὴν ἐσθῆτα ποικίλλονται. *Tragœdi calceos habent gra-*
D *ves & altos, vestem autem aureis tæniis distinguunt.* Quamvis & hic locus de tunicis paragaudiis accipi possit, quæ circa imam oram ornatæ erant multis institis, sive loris ex auro. Nam & in pictura veteri, quæ apud Aldobrandinum est, cernitur citharœdus longa tunica, aureis segmentis ornata, indutus, quem Pignorius perperam feminam esse putat.

Cap. XXI.

Matronæ auro clavatas tunicas portarunt in nuptiis & festivitatibus publicis. Aureæ viæ. Reges aliqui Græcor. & Barb. tunicis albis & purpureis auro clavatis usi, ut & Reges Romani. Romulus & vete-
E *res Quirites tunicas portarunt. Patagiata tunica Gracchi. Gladiatores & ad bestias damnati pretiosis vestibus ornabantur. Reges Romani tunicis auro clavatis usi usque ad Tullum Hostilium, aut Tarquinium. Palmata tunica unde dicta?* χρυσόσημος. *Tunica palmata. Jovis tunica dicta. cur? In Capitolino & Palatino multæ vestes pretiosæ. Simulacra deorum vestibus aureis & purpureis ornata. Vestitores simulacrorum. fasces & virgæ simulacris deorum prælatæ. Lictor deorum. Magistratus curules quando thensas ducebant, habitu triumphali usi. Thensas ducere. Suetonio, Juvenali, Capitolino lux. Tri-*
F *umphalibus viris concessum ut ludos Circenses palmatis induti spectarent. Cæsari sella aurea & vestis regia decreta. Dio eleganter emendatus. Vestis regia toga purpurea. Confunditur cum veste triumphali. Error Plutarchi & viri docti.*

Nunc de tunicis auroclavatis. Matronas auroclavatas tunicas portasse compertum est vel unico Tibulli testimonio:

> *Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa*
> *Texuit, auratas disposuitque vias.*

Apulejus lib. II. *Metam. Aurum in gemmis & in tunicis ibi inflexum, hic intextum, matronam profecto confitebatur*. Auratas illas vias nihil aliud esse quam aureos clavos supra abunde probavimus. Achilles Tatius lib. II. de Clitophontis & Leucippes Amoribus: Ἐωνητο δὲ τῇ κόρῃ τὰ πρὸς τὸ γάμον περιδέραιον μὲν λίθων ποικίλων. ἐσθῆτα δὲ τὸ πᾶν μὲν πορφύραν. ἔνθα δὲ ταῖς ἄλλαις ἐσθῆσιν ἡ χώρα τῆς πορφύρας, ἐκεῖ χρυσὸς ἦν. *Emebat vero puella ad nuptias monile ex variis gemmis, vestem vero totam purpuream. In aliis vero vestibus erat via purpurea, auro distincta*. Heliodorus lib. III. Æthiopicῶν: χιτῶνα δὲ ἁλουργὸν ποδήρη χρυσαῖς ἀκτῖσι κατάπαστον ἠμφίεστο. *Tunica vero conchiliata talari aureis radiis ornata induta erat*. ubi non male clavos aureos radios appellat. Aurelianus etiam apud Fl. Vopiscum Humilæ uxoris Bonosi dari præcipit tunicam auroclavatam subsericam librilem unam. Utebantur igitur matronæ hoc cultu in nuptiis & festivitatibus publicis. Nec mihi dubium, Augustas hujus generis tunicis uti solitas. Illud etiam credo me facile cuivis persuasurum, Reges aliquos Græcorum & Barbarorum tunicis albis aut purpureis auroclavatis usos. De Demetrio aperte Plutarchus, qui χρυσοπαρύφοις ἁλουργίσιν *purpureis tunicis auroclavatis*, & chlamyde Poli imagine intertexta usum asserit. Sed & Romanorum Reges ante tunicæ palmatæ inventum tales portasse tunicas existimo. Nam illorum opinioni haud accedo, qui Romulum & veteres Quirites nullas tunicas gestasse credunt. (Manutius ex Gellio. V. Octavium Ferrarium libr. III. *de Re Vestiaria*, cap. I.) Quos aperte refellit Plutarchus, qui Romulum ἁλουργῆ indutum fuisse tunica tradit. Cui tamen adversatur Plinius lib. IX. cap. XXXIX. qui Romulo tantum in trabea purpuræ usum fuisse adserit. Cui sane plus credo hac in re quam Plutarcho & aliis Græcis. Sed ut hanc rem in medio relinquam, non dubium esse credo, Romulum vel purpuream vel albam tunicam gestasse, & quidem angustis clavis aureis distinctam. Hoc mihi suadet imago Romuli, quam ex veteri signo expressam inveni inter schedas patris. Eam hic apponere lubet. Nam nostram de clavis vestium opinionem valide confirmat. Videmus hic Romulum ipsum non solum clavis, sed & patagio distinctam tunicam habere. Namque ut hoc addam, Patagium non est ipse clavus aureus, ut Nonius ait, idque supra probavimus. Patagiata hoc modo tunica ornatus est Gracchus apud Juvenalem:

Credamus tunicæ de faucibus aurea cum se
Porrigit.

Nam gladiatores, ut etiam ii qui ad bestias damnati erant, aut ad aliud supplicii genus theatro producebantur, pretiosissimis vestibus spectabiles, ut viris doctis notatum. Romulus igitur & alii post illum Reges tunica aureis clavis angustiis distincta usi sunt usque ad Tullum Hostilium, de quo Eusebius in *Chronico*: *Tullus Hostilius primus Regum Romanorum purpura & fascibus usus est*. Aut ad Tarquinium, qui a Tuscis accepit tunicam palmatam, & omnem alium triumphantium cultum, ut Florus & alii tradunt. Erat ea purpurea & aureo latoclavo ornata, unde & palmata dicta est, quia clavus aureus palmi magnitudine erat, si Festo fides. χρυσόσημον Græci appellant; Glossæ: χρυσόσημον *auriclavum*. Dionysius de Tarquinio libr. III. Ταύτας λαβόντες οἱ πρέσβεις τὰς ἀποκρίσεις ᾤχοντο, καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας παρῆσαν οὐ λόγους αὐτῷ μόνον φέροντες ψιλούς, ἀλλὰ καὶ σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, οἷς ἐκόσμουν αὐτοὶ τοὺς σφετέρους βασιλεῖς κομίζοντες, στέφανόν τε χρύσεον καὶ θρόνον ἐλεφάντινον καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον καὶ περιβόλαιον ποίκιλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι καθάπερ ἐκεῖνα ἦν ἀλλ' ἡμικύκλιον. τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἀμφιασμάτων Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσιν, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν μαθόντες. Ἑλληνικὸν γὰρ οὐ φαίνεταί μοι τοὔνομα εἶναι. *Cum hoc responso Legati dimissi post paucos dies redeunt, non nuda verba tantum afferentes, sed & principatus insignia, quibus suos reges ornare consueverant, coronam auream & sellam eburneam, sceptrumque in summitate habens aquilam, & purpuream tunicam aureo clavo ornatam, & togam pictam, qualia Lydorum ac Persarum reges gestant, nisi quod non quadrata illa, sed figura semicirculi, quod vestimenti genus Romani togas, Græci τήβεννον appellant, nescio unde sumpto vocabulo; non enim mihi videtur Græcum vocabulum esse*. Idem alibi triumphantibus tribuit χρυσόσημον χιτῶνα καὶ ποίκιλον περιβόλαιον. Tunicam nempe palmatam & togam pictam, quæ erat toga palmis, stellis aut alio picturæ genere variegata, &, ut Dionysius ait, semicirculari forma, sicut omnes aliæ togæ; sed hæc alias latius Deo juvante; nec enim mihi doctissimorum virorum opinio de rotundis & quadratis vestibus probatur, ut nec illorum qui togam haudquaquam apertam, sed undique conclusam fuisse asserunt. Hæc tunica palmata etiam tunica Jovis vocabatur, ut notum est ex notissimo Juvenalis versu XXXVI. Sat. X.

In tunica Jovis & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

Livius lib. X. *Qui Jovis Opt. Max. ornatu decoratus curru aurato per Urbem vectus in Capitolium descenderit*. Suetonius in *Augusto* cap. XCIV. *Sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus*. Vocabatur autem tunica Jovis, quia ex Capitolio sumebatur, ut & toga picta. Lampr. de Alexandro: *Prætextam & pictam togam numquam nisi Consul accepit, & eam quidem quam de Jovis templo sumptam Prætores & Conss. accipiebant*. Capitol. de Gordiano: *Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, cum antea Imperatores eam de Capitolio acciperent vel de palatio*. Erant enim in Capitolino & Palatino multæ vestes pretiosæ repositæ, quibus deorum simulacra statis diebus ornabantur. Lactantius lib. II *His* (Deos intelligit) *peplos & indumenta pretiosa, quibus usus velaminis nullus est, his aurum & argentum consecrant*. Simulacra autem deorum purpureis & auratis vestibus ornari solita nemini ignotum. Hinc *vestitores simulacrorum* apud Firmicum. Egregie Tertullianus c. XVIII. *de Idololatria*: *Ceterum purpura, vel cetera insignia dignitatum & potestatum insertæ dignitati & potestatibus idololatriæ ab initio dicata habent profanationis suæ maculam, cum propterea ipsis etiam idolis induantur prætextæ & trabeæ, & laticlavi, fasces quoque, & virgæ præferantur, & merito. Nam dæmonia Magistratus sunt sæculi hujus unius collegii insignia, fasces, & purpuras gestant*. Unde discimus etiam fasces & virgas simulacris deorum prælatos fuisse, apud D. August. lib. VI. c. X. *de Civitate Dei*. Hinc apud Senecam *lictor deorum* in fragmento: *In Capitolium perveni, pudebat publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor adtribuit, officii alius nomina Deo subjicit, alius horas Jovi nuntiat, alius lictor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imi-*

tatur ungentem. Lipsius tamen lib. II. *Elect.* cap. XVIII. pro *lictor* scribit *fictor*: & explicat de lictoribus Pontificum. Sed hæc parergως. Nobis satis esse monstrasse palmatam tunicam Jovis appellari, quia simulacri Jovis Capitolini cultui dedicata erat.

Nunc agendum de iis quibus tunicam palmatam pictamque togam gestare licebat. Tradit Dionysius lib. IV. *Antiquit.* exactis Roma regibus Junium Brutum auctorem fuisse, ne magistratibus insignia regni concederentur: Τῶντε παρασήμων, ἃ τοῖς βασιλεῦσι παραδέδοται πολλῶν ὄντων, εἴ τινα λυπηρὰς ὄψεις καὶ ἐπιφθόνους τοῖς πολλοῖς παρέχεται τὰ μὲν μειῶσαι, τὰ δὲ B ἀφελεῖν οἴομαι δεῖν. Τὰ σκῆπτρα ταυτὶ λέγω καὶ τοὺς χρυσοῦς στεφάνους, καὶ τὰς ἁλουργεῖς, καὶ χρυσοσήμους ἀμπεχόνας, πλὴν εἰ μὴ κατὰ καιροὺς τινὰς ἑορταίους, καὶ ἐν πομπαῖς θριάμβων. *E tam multis regiis insigniis, si quæ sunt invidiosa & molesta populo, partim minuenda, partim plane tollenda judicio: sceptra ista dico, & coronas aureas, & purpureas, & auro distinctas vestes, nisi statis festis, & in pompis triumphalibus assumantur honoris deorum gratia.* Et de triumphis quidem hic dicere supersedeo, ne actum agere videar. Videndum sollummodo, quinam dies illi festi fuerint, quando Magistratibus toga picta tunicaque palmata uti concessum fuerit. indicat id Livius lib. V. *Romæ*, inquit, *satis jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compositis, turba seniorum domos regressa, adventum hostium obstinato ad mortem animo expectabat. Qui eorum curules gesserant Magistratus, ut in fortunæ pristinæ, honorumque aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est thensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti, medio ædium eburneis sellis sedere.* Unde apparet Magistratus curules, quando thensas ducebant, habitu triumphali usos. Thensas autem ducere dicebantur ii, qui in Circensibus ludis pompam ducebant. Dionys. lib. VII. de Pompa Circensi: Πρὶν ἄρξασθαι τῶν ἀγώνων πομπὴν ἔστελλον τοῖς θεοῖς, οἱ τὴν μεγίστην ἔχοντες ἐξουσίαν ἀπὸ τοῦ καπιτωλίου τε καὶ δι' ἀγορᾶς ἄγοντες ἐπὶ τὸν μέγαν ἱππόδρομον. *Priusquam ludorum inirentur certamina, viri, penes quos summa erat potestas, pompam diis a Capitolio per forum deducebant in Circum maximum.* Ita explico Suetonium in *Augusto* cap. XLIII. *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine lectica cubans thensas deduceret.* Quod insolitum; nam curru triumphali solebant vehi thensas ducentes. Sic Prætorem pompæ Circensis ducem eleganter describit Iuvenalis Sat. X.

Quid, si vidisset Prætorem curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit unus.

Ex Sat. XI.

—— Similisque triumpho
Præda Caballorum Prætor sedet.

Tertullianus *de Corona militis* cap. XIII. *Coronant & publicos ordines laureis publicæ causæ: Magistratus vero insuper aureis, ut Athenis, ut Romæ. Præferuntur etiam illis Etruscæ, hoc vocabulum est Coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt.* Hinc etiam lux Capitolino in *Vita Marci*: *Jam in suos tanta fuit benignitate Marcus, ut cum in omnes propinquos cuncta honoris ornamenta contulerit, tum in filium Commodum, & quidem scelestum atque impurum cito nomen Cæsaris, & mox Sacerdotium, statimque nomen Imperatoris ac triumphi participationem & Consulatum, quo quidem tempore senex Imperator filio ad triumphalem currum in Circo pedes cucurrit.* Ita enim recte emendat hunc locum clarissimus Salmasius: quamvis haud ita recte explicet, cur Commodo triumphalis currus detur. Etenim intelligendus hic locus de hac Circensi pompa, quam Commodus Consul triumphali habitu deducebat; Marcus autem pedes filio adsuit. Sic & Juvenalis de Prætore:

—— Et præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites.

B Sed & triumphalibus viris aliquando concessum, ut omnes ludos Circenses palmatis induti vestibus spectarent. Ita Paulo Æmilio *a populo & Senatu concessum est, ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur*, ut ait Auctor *de Viris illustribus*. Vellejus libr. II. Dio libr. XXXVII. *Ita absente Cn. Pompejo T. Ampius & T. Labienius tribuni plebis legem tulerunt, ut ludis Circensibus corona laurea & omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem prætexta coronaque au-C rea; id ille non plus quam semel (& hoc sane nimium fuit) usurpare sustinuit.* Non ea moderatione fuit Julius Cæsar, qui τὴν στολὴν τὴν ἐπινίκιον ἐν πάσαις ταῖς πανηγύρεσι κατὰ δόγμα ἐνεδύετο, *vestem triumphalem in omnibus ludis ex decreto gestavit*, ut Dio tradit libr. XLIII. Itaque Senatus qui tum adulatione certabat, denuo ei decrevit φέρεσθαί τε αὐτὸν ἀεὶ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τὴν στολὴν τὴν ἐπινίκιον ἐνδεδυκότα, καὶ καθέζεσθαι ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου πανταχῇ πλὴν ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ἐψηφίσατο· τότε γὰρ ἐπί τε τοῦ δημαρχικοῦ βάθρου καὶ μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων θεάσασθαι ἔλαβε. *Ut semper etiam in ipsa Urbe uteretur ve-D ste triumphali, & sederet in sella curuli, præterquam in ludis. Tum enim ei sessio in tribunitio subsellio cum iis, qui quoque tempore tribunatum plebis gererent, concedebatur.* Ita Dio libr. XLIV. Sed nec satis fuit sella eburnea & vestes palmatæ: nam cum odiosis illum honoribus prægravare vellet Senatus, tandem ei decrevit, ut sella aurea & veste regia uteretur. Ita idem Dio libr. eodem, sed corruptus: ὡς δὲ καὶ τούτοις ἔχαιρε, δίφρος τε οἱ ἐπίχρυσος καὶ στήλη, ᾗ ποτὲ οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο, ἐδόθη. Quod Interpres vertit, *His, quum ea Cæsar læto animo accepisset, additum est, ut sella aurata uteretur; E statuaque ei posita est qualis regibus quondam.* Sed hoc merito suspectum est Casaubono ad Suetonii librum primum, qui tentat hunc locum exponere de Cipro aliquo, nec tamen definit. Mihi videtur planissime legendum esse, καὶ στολὴ ᾗ ποτὲ οἱ βασιλεῖς ἐκέχρηντο. Nam postquam Senatus omnes honores stante Rep. claris viris olim concessos exhauserat, ad eos conversus est qui olim regibus tributi fuerant: itaque Julio auream sellam & vestem regiam decrevit. Confirmat hoc ipse Dio paulo post, dum describit Cæsarem ab Antonio in Luperca-F libus oblatum diadema respuentem: Τῇ τε ἐσθῆτι τῇ βασιλικῇ κεκοσμένος, καὶ τῷ στεφάνῳ τῷ διαχρύσῳ λαμπρυνόμενος ἐπὶ τὸν δίφρον τὸν κεχρυσωμένον ἐκαθίζετο. *Pro rostris aurea in sella consedit, regia veste, aureaque corona ornatur.* Ubi videmus, sellam auream & vestem regiam conjungi; ita ut nullus dubitationi locus relinquatur, quin hic locus ita restitui debeat. Hanc autem vestem regiam, togam purpuream fuisse existimo; etenim ab omni ævo purpureum amiculum regni insigne fuit.

Ad hæc Cicero II. *Philippica* hæc lupercalia describens: *Sedebat*, inquit, *rostris collega tuus amictus toga purpurea in sella aurea coronatus*. Idem tradit, Cæsari Dictatori, quo die primum veste purpurea processit, atque in sella aurea sedit, sacrificanti bis cor in extis defuisse. Quod & Plinius refert lib. XI. cap. XXXVII. Hinc patet errare Plutarchum, dum Julio tribuit vestem triumphalem, cum Antonius ei diadema obtulit; nec minus viros doctos, qui togam hanc purpuream Cæsaris cum triumphali confundunt, ut Ferrarius *de Re Vestiaria* lib. II. cap. X.

CAP. XXII.

Posterioris ævi Imperatoribus triumphantium insignia tributa. Consularis toga palmata. trabea dicta. variis segmentis ornata. Segmenta. Cur trabea dicta vestis consularis? Eam cinctu Gabino portarunt. Omnes Senatores illo tempore togam cinctu Gabino portarunt. Imperatores in consulatu trabeas gemmatas portarunt. Schema. Exconsules in publicis sollemnitatibus vestes triumphales portarunt. Philostorgius & Sidonius emendati. Prætorii & Consulares viri florente republica in ludis publicis prætextas consulares portarunt. Ciceronis locus insignis explicatus.

SUB Imperatoribus posterioris ævi omnia triumphantium insignia Consulibus tributa fuisse in comperto est. Incepit hoc paulo ante Aurelianum, ut existimo. Nam ante illum Consules palmatis vestibus usos non invenio, nisi in deductione thensarum, & editione ludorum. Consularis autem hæc toga, quam trabeam sive palmatam appellabant, erat variis segmentis pictis illustrata, sicut trabea antiquorum trabibus ex cocco & limbo purpureo insignis erat. Sidonius Carm. XV.

Attamen in trabea segmento luserat alto
Quod priscis illustre thoris.

Idem lib. VI. cap. VIII. *Dixit disposite, graviter, ardenter, magna acrimonia, majore facundia, maxima disciplina, & illam Sarranis ebriam succis inter crepitantia segmenta palmatam plus picta oratione, plus aurea convenustavit*. Hinc *segmenta* pro trabea posuit Ennodius in *Panegyrico*: *Ille*, inquit, *annus habuit Consulem, qui Rempublicam non tam solicitudine quam opinione tueretur: quo in segmentis posito quæ ab hostibus sumpta fuerant arma tremuerunt*. Fuit autem dicta trabea hæc vestis Consularis, vel quia erat his segmentis aureis & pictis ornata, ut trabea antiquorum, & puniceis clavis & limbo purpureo insignis; vel potius quia Gabino cinctu portabant, ut trabeam antiquam Veteres. De hac Virgilius:

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul.

Et alibi:

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea.

Sic & Romulus, cui *trabeati* Epitheton Ovidius dat, opima ferens Jovi τ͂ ἐσθῆτα περιεζώσατο. Ita etiam Consules posterioris ævi palmata incinctos fuisse indicat Claudianus *de* VI. *Consulatu Honorii*:

—— agnoscunt proceres habituque Gabino
Principis, & ducibus circumstipata togatis
Jure paludatæ jam curia serviet aulæ.

Idem *de* IV. *Consulatu Honorii*:

Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ
Vidimus, Ausonio cum jam succinctus amictu,
Per Ligurum populos solito conspectior ires.

Et lib. II. *in Eutropium*:

—— Spado Romuleo succinctus amictu
Sedit in Augustis laribus.

Et libr. II. *de laudibus Stiliconis*:

Tunc habiles humeros armis Dea vestibus ambit
Romuleis, Latii sederunt pectore cultus,
Loricæque locum decuit toga.

Et sæpius apud illum, atque etiam apud Corippum occurrit. Immo & omnes Senatores illo tempore togas suas ritu Gabino portabant. Cassiodorus lib. VI. cap. XIV. *Sic nos virtutum jucundissimas laudes in cinctum Gabinum desideramus includere*. Ita enim legendum, non *cinctum Gajum*, ut editum est. Illud etiam notandum quod clarissimus Petavius ex Synesio in *Oratione* II. *Themistii* annotavit, Imperatores, cum Consules erant, trabeas gemmatas portasse, cum aliis hoc non licitum esset. Testatur hoc præter Synesium etiam Claudianus *de* III. *Consulatu Honorii*:

——Cinctusque mutata Gabinos
Dives Hydaspæis augescat purpura gemmis.

Idem *de* VI. *Consulatu Honorii*:

Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu.

Idem *de* IV. *Consulatu Honorii*:

—— Asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent.

& cætera, quæ prolixe sequentibus versibus exequitur. Sic & Corrippus lib. IV. *de Consulatu Justini*:

Cujus id adspiciens radiabat purpura gemmis
Vincens luce diem.

Hinc existimo Eutropio Eunucho crimini datum fuisse, quod in Consulatu suo gemmata trabea usus fuerat, quæ solis Imperatoribus dicata. Ita de eo Nicephorus libr. XIII. cap. IV. ait eum accusatum ὡς ἡνίκα εἰς τ͂ ὕπατον ἀξίαν προέβε, κόσμοις παρ' ἀξίαν ἐχρήσατο, οἷς μόνῳ ἔξεσι βασιλεῖ ἀμφιέννυσθαι. *Quod cum ad Consulatum evectus esset, cultu sit usus illam dignitatem non decente, quo soli Imperatores induuntur*. Sed turbat Philostorgius, ex quo hæc mutuatus est Nicephorus, qui scribit Eutropium reum factum ὡς ὁπόταν ὕπατος ἐγεγόνει βοσκήμασιν ἀπεχρήσατο, οἷς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐξῆν μὴ ὅτι γε μόνῳ βασιλεῖ. Quod doctissime Jacobus Gothofredus de equis explicat. Ego tamen existimo scribendum in Philostorgio, ut cum Nicephoro concilietur, κοσμήμασι, vel σχήμασι, pro τῷ βοσκήμασι. Schema enim eo tempore appellabant togam aut trabeam. Vide Fastos Siculos sub Monaxio & Plinta Coss. Non vero solummodo Consules in ipso Consulatu, sed etiam Exconsules in publicis solemnitatibus vestes triumphales portabant. Sidonius lib. I. Epistol. V. de nuptiis Ricimeris: *Jam quidem virgo tradita est, jam corona sponsus, jam palmata consularis, jam Cyclade pronuba, jam toga Senator honoratur, jam pœnulam deponit inglorius*; ubi malim legere, *jam toga Senator exoneratur*. Corrippus *de Consulatu Justini*:

Incessit lætus præclara in veste Senatus.
Pars trabeis, pars compta togis, ut cuique probatus
Ordo locum cultumque dabat.

Ita & florente Rep. Prætorii & Consulares viri in ludis publicis prætextas consulares portabant. Seneca *Rhetor.* lib. I. controv. VIII. *Prætorio licet prætexta toga uti festis aut solemnibus diebus.* Cicero II. *Philippica: Nescis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse, te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur, cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsaris tua lege datum deseri patimur?* in quo loco explicando mire se torquent viri docti; nam ex eo Manutius elicit, Senatores omnes prætextatos fuisse lib. I. *de quæsitis per epist.* cap. XI. & Ferrarius lib. II. *de Re Vestiaria* cap. II.

CAP. XXIII.

Chrysoclavus picturæ species, non clavus aureus, contra Meursium, Salmasium, alios. Χρυσοκόκκινον. Χρυσοπράσινον. Χρυσοκίτρινον. Χρυσοκλαβάρικον.

INVALUIT pridem apud viros doctos ea opinio, τὰ χρυσοκλαβάρικα apud Codinum, & vestes pictas de chrysoclavo apud Anastasium, esse vestes aureis clavis distinctas. Ita Meursius in *Lexico Græco-barbaro*, Bulengerus *de veste Pontificia* libro I. cap. XLV. Gretserus *in Codinum*, Salmasius *in Historiæ Augustæ Scriptores*, & alii. Quod tamen mihi non plane arridet: invenio enim apud Anastasium vestes ornatas tabulis & orbiculis qui varias historias continebant, pictas de chrysoclavo. Item vestibus sæpe insertas esse cruces, rotas, & stellas chrysoclavas, ita ut picturæ potius species sit chrysoclavus, quam clavus aureus antiquorum, apud quos vestes pictæ a clavatis diversæ sunt, ut etiam annotavit Salmasius *in Vopiscum*. Ut igitur meam sententiam adferam, existimo Græcos, cum viderent Romanos sæpe clavum absolute pro clavo purpureo ponere, hinc clavum ἁπλῶς pro purpura dixisse. Ita in Glossario Cyrilli πορφύρα ἐνυφασμένη *clavus*. Itaque ut χρυσοκόκκινον vocabant id quod auro & cocco variatum erat, χρυσοπράσινον id quod aureis Prasini coloris liciis mixtum, χρυσοκίτρινον id quod aureo & Citrino colore fulgebat; ita χρυσοκλαβάρικον vocarunt quidquid ex auro & purpura textum erat. Papias: *Chrysoclavus aurata purpura.* Anastasius in Leone III. *Enim vero isdem præcipuus Antistes fecit in eadem Ecclesia vestem chrysoclabam cum periclysi, cum chrysoclabo, unam; sed & aliam vestem de blattin, habentem in medio crucem de chrysoclabo, & tabulas chrysoclabas quatuor cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclabas quatuor cum periclysi de chrysolabo.* Ex quo uno loco Anastasii, ut alios omittam, satis patet, chrysoclavum non esse aureum clavum vestibus insertum, etiamsi vera esset opinio illorum, qui clavos putant esse bullas quadratas aut rotundas, ut capita clavorum esse solent.

CAP. XXIV.

Clavi picti. Clavi tabulæ dictæ, quia tabulis longis similes erant. Salmasii & Meursii error. Seu *pro* &. *Tabulæ ab orbiculis distinctæ. Orbiculus quid?* πλούμια *non sunt clavi. Plumatæ vestes. Plumeæ vestes e plumis avium confectæ.*

POSTERIORI ævo etiam clavi picti in usu esse cœpere. Ita in *Chronico Alexandrino*: Φορέσας στέφανον Ρωμαίων καὶ χλαγίδιν ἄσπρον ὁλοσήρικον ἔχον αὐτὶ πορφυροῦ χρυσοῦν βασιλικὸν ταυλίον, ἐν ᾧ ὑπῆρχεν ἐν μέσῳ στηθάρια ἀληθεῖδιν μικρὸν τοῦ βασιλικοῦ χαρακτῆρος Ιουστίνου καὶ στιγάριν ἄσπρον παραγαύδιν καὶ αὐτὸ ἔχον χρυσᾶ πλουμία βασιλικά. *Gestans coronam Romanorum, & lænulam albam holosericam, habens pro purpureo aureum regium clavum, in cujus medio erat imago parva Justini in regio cultu, & tunicam albam paragaudiam, quæ ipsa habebat clavos aureos regios.* Tabulas enim illo tempore appellabant clavos vestium, ut viris doctis observatum. Ita in eodem *Chronico*: οὗτος Νουμᾶς ὁ καὶ Πομπίλιος δεξάμενος πρεσβευτὰς ἐκ τῆς χώρας τῶν λεγομένων Πελασγῶν, φορούντων χλαμύδας ἐχούσας ταβλία ῥούσαια, καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς Ισαυρίας χώρας, καὶ τερφθεὶς τοῦ σχήματος ἐπενόησεν πρῶτος ἐν Ρώμῃ χλαμύδας φορεῖσθαι τὰς μὲν βασιλικὰς πορφύρας ἐχούσας ταβλία χρυσᾶ, τὰς δὲ τῶν συγκλητικῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ἀξίαις καὶ στρατείαις χλαμύδας σήμαντρον τῆς βασιλικῆς φορεσίας ταβλία πορφυρᾶ ἀξίαν δηλοῦντα Ρωμαικῆς πολιτείας. *Iste Numa Pompilius capiens Senatores ex regione Pelasgorum, gerentium chlamydes habentes coccineos clavos, quales Isaurorum sunt, & captus illo habitu primus instituit Romæ chlamydes gestare, & ut regiæ quidem clavos habeant aureos, Senatorum vero & aliorum, qui in Magistratibus & cum imperio sunt, chlamydes, signum regii vestitus, habentes clavos purpureos indicantes dignitatem Romanæ Reipublicæ.* Eadem habet Cedrenus. Anastasius in Hormisda: *Pallia Olobera blattea cum tabulis auro tectis de chlamyde vel stola imperiali.* Tabulæ autem dicebantur clavi, quia tabulis longis similes erant. Nec viro doctissimo Salmasio *ad Flavium Vopiscum* assentior, qui clavos tabulas dictas vult a forma tesserarum aut calculorum. *Tabulas enim,* inquit, *infimæ Latinitatis auctores appellarunt orbiculos illos ligneos, quibus in tabula luditur.* Et ut probet, tabulas has vestium rotundas fuisse, adducit locum Anastasii in Leone III. *Hic a Deo protectus venerabilis & præclarus Pontifex, fecit in circuitu Altaris B. Petri Apostoli nutritoris sui tetravela rubea, holoserica alethina, habentes tabulas seu orbiculos de chrysoclavo, diversis depictos historiis.* Et alius vir doctus Meursius in *Lexico Græco-barbaro*, V. ταβλίον, scribit Anastasium alibi tabulas orbiculos interpretari. Sed illos in errorem induxit phrasis Anastasii, qua sæpe particula *seu* pro particula *&* utitur. Ita in Paschali Primo: *Qualiter Angelus B. Cæciliam seu Valerianum & Tiburtinum coronavit.* Et in Gregorio Secundo: *Quem viri Romani seu omnes populi in Pontificatus ordinem elegerunt.* Zacharias Papa in Epistolis: *Domino Excellentissimo atque Cristianissimo Pipino Majori domus, seu dilectissimis nobis universis Episcopis.* Aperte vero idem Anastasius tabulas ab orbiculis distinguit in Leone III. *Pari modo ut supra & alia tetravela alba holoserica rosata Paschatiles habentes tabulas, atque orbiculos de chrysoclavo.* Et in Leone IV. *Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextra lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius Præsulis nomen est descriptum.* Tabulæ igitur erant clavi lati in veste habentes ut plurimum effigies. Orbiculi vero erant parva rotunda scuta, in quibus historiæ depingebantur, quæ vestibus inserebantur, ut ex Anastasio patet. Idem vir summus existimat πλούμια in veste esse clavos aureos intextos, cui non omnino adsentior. Credo enim πλούμια esse omne id quod in vestibus plumaria arte intextum erat, sive essent tabulæ, sive orbiculi, vel rotæ. Glossæ βασιλικῶν. πλουμία ποικιλὰ ὑφάσματα. πλουμία, *picta textura.* atque ut orbiculi rotæ intextæ πλουμία erant, sic etiam clavi sive tabulæ pictæ eodem nomine appellabantur. Procopius *de ædificiis*: Χιτὼν ἐκ μετάξης ἐγκαλλωπίσμασι χρυσοῖς πανταχόθεν ὡραισμένος, ἃ δὴ

νυνομίκασι πλύμμια καλεῖν. *Tunica ſerica aureis ornamentis undique diſtincta, quæ πλύμμια dicere ſolent.* In loco *Chronici Alexandrini*, quem paulo ante laudavimus, non confunduntur τάβλια & πλυμία generatim, ſed πλυμία cum tabulis pictis. A plumiis veſtes ita variatæ, dicebantur plumatæ. Lucanus :

— *Aut auro plumata nitet.*

Scholiaſtes Lycophronis : Τὺς ἁπλῶς βεβαμμένυς διὰ πολλῶν βαφῶν καὶ πεποικιλμένυς ἢ πλυμαρικὺς λέγει. *Simpliciter tinctos variis coloribus & pictos etiam plumatos dicit.* Hieronymus Epiſt. cxxx. *In Exodo ceteriſque locis, ubi deſcribuntur veſtes plumaria arte contextæ, opus Cherubin, id eſt, varium atque depictum eſſe factum deſcribitur.* Aldhelmus *de Virginitate* cap. II. *Siquidem cortinarum ſive ſtragularum textura, niſi panniculæ purpureis, immo diverſis colorum varietatibus fucatæ inter denſa filorum ſtamina ultro citroque decurrant, & arte plumaria omne textrinum opus diverſis imaginum thoracibus perornent, ſed uniformis coloris fucis ſigillatim confecta fuerit : liquet profecto, quomodo nec oculorum obtutibus jocunda, nec oculorum pulcherrimæ venuſtati formoſa videbitur.* Procopius Gazæus *in lib.* II. *Regum cap.* XIII. Χιτὼν ἀςραγαλωτός.) Σύμμαχος χειρίδωτος. Ακύλας καρπωτὸς ἀντὶ τῦ καρπὺς ἐνυφασμένυς ἔχων, οἱ νῦν δὲ καλῦσι πλυμαρικόν. *Tunica talaris.) Symmacho dicitur manicata. Aquilæ* καρπωτὸς, *quia fructus habebat intextos, hodie plumata dicitur.* Sumpſit hæc Procopius ex Theodoreti *Quæſtionibus ad lib. Regum.* Sed cur καρπωτὸς dicatur, aliam & veriorem rationem reddit Salmaſius *ad Vopiſcum*; diverſæ ab his plumeæ veſtes, quæ e plumis avium verſicoloribus confectæ erant : De his Prudentius :

— *Hunc videas laſcivas præpete curſu*
Venantem tunicas, avium quoque verſicolorum
Indumenta novis texentem plumea pennis.

Monachus Sangallenſ. lib. II. *de geſtis bellicis Caroli M. Ceteri vero utpote feriati diebus, & qui modo de Papia veniſſent, ad quam nuper Venetici de transmarinis partibus omnes Orientalium divitias advectaſſent, Phœnicum pellibus avium ſerico circumdatis, & Pavonum collis cum tergo & clunis mox floreſcere incipientibus, Tyria purpura vel diacedrina litra decoratis, alii de lodicibus, quidam de gliribus circumamicti procedebant.*

CAP. XXV.

Scutulatæ veſtes non ſunt virgatæ contra Salmaſium. Scutulatæ veſtes quæ rhombi figuram habebant. Scutulæ in pavimentis. Scutulæ lances ῥομβοειδεῖς.

SCUTULATARUM veſtium mentio eſt apud Juvenalem, Prudentium, Arrianum in *Periplo Maris rubri*, & alios ; ſed unde dicantur, magna apud eruditos quæſtio. Olim enim putaverunt ſcutulas eſſe rotundas forma. Primus Turnebus lib. XXVII. cap. XXIV. dixit ſcutulas non eſſe rotunda figura, ſed quadratas oblongas. Sed abit Salmaſius *ad Fl. Vopiſcum*, qui contendit ſcutulam idem eſſe quod virgam, atque hinc virgatas & ſcutulatas veſtes eaſdem eſſe : quod ſane ingenioſe magis quam vere dictum eſt. Ut enim concedam omnes veſtes ſcutulatas fuiſſe virgatas, ita negandum eſt, omnes virgatas ſcutulatas fuiſſe. Scutulas enim appellarunt Veteres omne id quod rhombi figuram habebat. Auctor Fragmenti illius quod Cenſorino ſubjungitur ex edit. Lud. Carrionis : *Scutula, id eſt, rhombos, quod latera paria habet, nec angulos rectos ſimiles ſcutulæ.* Ita in *Emplaſtratione.* Plinius jubet eximi ſcutulam ex Catone quatuor digitorum longitudine, & trium latitudine, lib. XVII. cap. XVI. Sic & in pavimentis ſcutulæ dicuntur, quando rhombis diſtinguuntur. Vitruvius lib. VII. cap. I. *Nulli gradus in ſcutulis aut trigonis aut quadratis, ſeu favis exteret.* Palladius lib. I. tit. IX. *Vel teſtaceum accipiant pavimentum, vel marmora, vel teſſeras aut ſcutulas, quibus æquale reddatur, angulis lateribuſque conjunctis.* Hinc & lances ῥομβοειδεῖς ſcutulas aut ſcutellas vocarunt. Martialis lib. XI. ep. XXXI.

Et leves ſcutulas cavaſque lances.

Nam quod Salmaſius ait, cum ſcutellæ rotundæ fuerint, non quadratæ, ab his ſcutulatum rete & ſcutulatas veſtes dici non poſſe ; profecto fugit eum ratio. Scimus enim pleraſque antiquorum lances quadratas fuiſſe, non rotundas. Iſidorus lib. XX. cap. IV. *Paropſis quadrangulum & quadrilaterum vas.* Caſſianus etiam laterculum, ad quem ſagittarii collimant, ſcutulam vocat : Coll. I. c. V. *Quemadmodum hi, quibus uſus eſt bellica tela tractandi, cum ante Regem artis ſuæ cupiunt peritiam demonſtrare, in parviſſima quadam ſcutula, quæ depicta in ſe continet præmia, jacula & ſagittas intorquere contendunt.* Ex his ſatis conſtare poteſt, quæ fuerit forma ſcutulatarum veſtium, quas ſæpe videmus in nummis Imperatorum Conſtantinopolitanorum.

ALBERTI RUBENII DE RE VESTIARIA

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Calceus Senatoriæ dignitatis insigne. Antiquissimi Romanorum omnes perones portarunt: qui Magistratum curulem gesserant, calceos ex aluta mulleos. Cato menda purgatus. Calcei mullei alutati, aluminati. Mullei unde nomen acceperunt? Eos gestarunt Albanorum Reges, & Romanorum, postea qui curulem Magistratum gesserunt, sed tantum diebus solemnibus, quum ludos celebrarent. Hi calcei inter triumphantium insignia fuerunt. J. Cæsar contra consuetudinem semper iis usus. Cur? Mullei calcei differebant a Patriciorum calceis. Illi erant ex sandaliorum sive crepidarum genere. Cothurnus. Tyrrhenici. Tusci calcei. Mullei similes cothurnis. Cothurnorum forma. Ad mediam usque tibiam perveniebant. Crepidæ, sandalia quid? Caligæ militum crepidæ. Σανδάλια. *Calcei rubri Imperatorum Byzantinorum cothurnis mulleis similes.*



LOCUS hic postulare videtur, ut cum de lato clavo Senatorio satis actum sit, aliqua etiam de calceis dicamus: duo enim hæc Senatoriæ dignitatis ornamenta; unde & Horatius ea conjungit:

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Sed ut de lato clavo, ita etiam de calceis Senatoriis magna inter eruditos controversia; dum alii rubros, alii nigros fuisse contendunt. Ego, quoniam nemo adhuc in hac materia mihi plene satisfecit, omissis aliorum sententiis, hic breviter opinionem meam in medium proferam. Olim quidem in ipso nascentis Reipublicæ exordio tam Senatores, quam alii, perones, id est, calceos cavos ex crudo corio portabant: soli illi qui Magistratum curulem gesserant, calceos ex aluta habebant, & quidem mulleos, id est, rubros aut puniceos. Aperte id Cato indicat lib. VII. *Originum* apud Festum in *Mulleos*: *Qui Magistratum curulem cepisset, calceos mulleos alutacinatos, ceteri perones.* Qui locus mirum in modum torquet interpretes. Quidam enim emendant, *Uncinatos*, Scaliger *in Festum.* nonnulli *lunulatos*, Ravard. lib. I. *Variorum* cap. VIII. alii *mulleos calceatos*, Savaro *ad Sidonium Epist.* XX *lib.* IV. nec desunt qui *aluta cinnatos* legendum esse contendunt, Torrent. *in Horatium Sat.* VI. *l.* I. Ego accedo iis, qui *mulleos alutatos* legunt, aut, si mavis, *aluminatos*, Turnebus lib. XIX. *Adverf.* cap. XXIV. sic enim & Marcellus *pellem aluminatam* dicit, apud Salmasium *Plinian. Exercit.* Illo igitur tempore de quo

A Cato loquitur, non alii calcei ex aluta in usu erant, nisi mullei, qui vel nomen a colore mulli piscis acceperunt, ut Isidorus asserit, vel id nomen pisci illi a colore mulleorum calceamentorum datum, ut Fenestella apud Plinium existimat. Hos autem mulleos Albanorum Reges portarunt, ut Festus ait, deinde & Romanorum Reges. Etenim & Romulus πεδίλοις ἐκέχρητο ἐρυθροῖς, *calceis utebatur rubris*, ut Zonaras ait lib. II. *Annal.* Sed expulsis Regibus, & Reip. forma mutata, mulleorum usus perstitit penes eos qui Magistratum Curulem gesserant, si Festo credimus. Nec tamen existimo eos semper & ubique iis calceis usos;
B sed diebus solemnibus solum, ut quando ludos celebrabant, aut thensas ducebant. Tunc enim etiam palmatam, & cetera triumphantium ornamenta portabant, ut supra latius diximus, cum de palmata tractavimus. Unde credo etiam calceos mulleos inter insignia triumphantium fuisse: illi enim eodem quo prisci Romæ Reges cultu utebantur, ut Dionysius tradit. Atque ita conjunguntur vestis triumphalis, & calcei punicei in veteri inscriptione de C. Mario: DE MANUBIEIS CIMBRICIS ET TEUTONICEIS ÆDEM HONORI VICTOR FECIT VESTE
C TRIUMPHALI CALCEIS PUNICIEIS. Julius Cæsar autem insolens in eo visus est esse, quod diebus etiam non festis mulleos calceos gestabat, nempe ut se ab Regibus Albæ oriundum testaretur, qui iis calceis olim usi fuerant. Dio lib. XLIII. *Καὶ τότε ἔτι καίπερ παρηβηκὼς ἐς κάλλος ἤσκει. τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει, καὶ ταύτῃ μὲν ἐνίοτε, καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους, ὡς καὶ προσήκων σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον ἐχρῆτο. Atque is jam provectiori ætate formæ studebat; delicatiori enim veste semper luxuriabat, atque jam calceamento, quo interdum quoque utebatur, alto & puniceo ex more*
D *Regum Albanorum, ad quos genus suum referebat ab Iulo.* Ubi videmus calceos Regum Albanorum mulleos fuisse, solo alto, & colore puniceo. Unde Salmasius haud male colligit, hos mulleos eosdem fuisse cum Tuscis aut Tyrrhenicis calceis. Quod si verum est, longe sane differebant mullei a patriciis aut Senatoriis Romanorum calceis, qui cavi erant, & totum pedem tegebant, cum Tyrrhenici ex sandaliorum sive crepidarum genere essent, ut Pollux & Hesychius testantur. Sane mulleos *similes esse cothurnorum* Isidorus ait. *Cothurnus* autem, ut idem asserit, lib. XIX. *Etym.* cap. XXXIV. *est calceamentum in modum crepidarum.* Et
E forte Tyrrhenici calcei iidem cum cothurnis, cum Ovidius cothurnum Lydium appellet, id est, Tyrrhenicum aut Tuscum:

Lydis apta pedum vincla cothurnus erat.

Sed ut hoc non ausim asseverare, ita non vereor affirmare mulleos Regum Albanorum fere similes fuisse cothurnis. Utrique enim punicei erant, utrique etiam solo alto & fulmentato, ut jam vi-

dimus. Utrique etiam tibiatim calceabantur, ut de mulleis prodit Titinnius apud Festum, de cothurnis Virgilius:

Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Sed optime omnium cothurnos describit Sidonius in Panegyrico Anthemii de Roma Dea:

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vincto de fomite pollex,
Quæ stringant crepidas, & concurrentibus ansis
Vinclorum pandas texant per crura catenas.

Ex quo abunde videmus cothurnos hos, quamvis crepidæ sive sandalia essent, tamen ad mediam usque tibiam pervenisse. Crepidæ enim sive sandalia, appellantur omnia calceamentorum genera, quæ digitos pedum haud includunt, quamvis etiam medium crus tegant: ita & caligæ militum Romanorum crepidæ erant aut sandalia, quamvis ad mediam usque tibiam ascendebant, ut constat ex arcu Constantini, ubi caligam clavatam videmus, quam exhibet Josephus Castalio decade II. *Observat.* cap. IV. Atque hinc haud male vetus *Actorum* interpres σανδάλια caligas vertit, ut & Glossæ, σανδάλια caligæ. Etenim & caligæ ex sandaliorum genere erant, quamvis tibiatim calceabantur: digitos enim pedum haud includebant. Quod non animadverterunt viri eruditissimi, qui magno animorum motu disputant, an caligæ sandalia sint, an vero calcei cavi. Salmasius *ad pallium*, KerKoetius in *animadversis*. Illud non possum hic omittere, calceos rubros Imperatorum Byzantinorum similes omnino fuisse cothurnis mulleis Regum Albanorum; erant enim crepidæ puniceæ, ut ex Nicephoro Gregora constat lib III. cap. VIII. quæ tibiatim calceabantur, ut Procopius asserit lib. III. *de Ædificiis*. Hinc non improprie Corippus cothurnos appellat:

Purpureo suræ resonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis.

Vetus Glossarium: *cothurnus* βασιλικὴ τζαγγή.

CAP. II.

Perones, calcei cavi ex crudo corio. Calceos ex aluta postea Romani gesserunt. Perones effeminati. Mulleorum & patriciorum calceorum differentia contra Budæum, Lipsium, alios. Mullei crepidæ erant, patricii cavi. Patriciis calceis corrigiæ adsutæ & lunula.

Ex his quæ diximus satis constat, calceos mulleos Regum Albanorum crepidas fuisse, sive cothurnos ex aluta rubra, quos soli illi portabant diebus solemnibus, qui Magistratus curules gesserant; alii autem omnes illo tempore, de quo Cato loquitur, perones portabant, id est, calceos cavos ὠμοβυρσίνους ex crudo corio; hinc *crudus* pero Virgilio, & *setosus* Sidonio. Sed postea Romani omnes cœperunt uti calceis ex aluta, qui tamen ut perones cavi erant, & totum pedem tegebant, quos ideo Tertullianus *perones effeminatos* vocat, quia crudi perones magis viriles sunt. Patricii tamen calcei a plebe differebant, portabant etenim calceos patricios, quos omnes recentiores, Budæus, Revardus, Brissonius, Lipsius, Petavius *ad Themistium*, & alii cum mulleis confundunt; sed male meo judicio. Si etenim omnes patricii iis utebantur, non video, quare Julius Cæsar notatus fuerit, qui ὑποδέσει ἐρυθροχρόῳ καὶ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ πότε γενομένους ἐχρῆτο. *Calceamento puniceo utebatur, quale olim Reges Albani gestarunt.* Julium enim Patritium fuisse omnes norunt. Adhæc mullei erant crepidæ, ut aperte probavimus, cum omnes calcei urbani Romanorum, tam Patritii quam plebeii, cavi essent, ut totum pedem tegerent, ut omnes confitentur. Unde miror Festum scribere: *Mulleos genus calceorum ajunt esse, quibus Regum Albanorum primi, deinde Patritii usi sunt.* Nisi forte illos solum patritios intelligit, qui magistratus curules gesserant. Isidorus sane, qui multa ex optimis auctoribus habet, patritios a mulleis diversos facit. Separatim enim utrosque describit: *Mullei*, inquit, *similes sunt cothurnorum solo alto, superiore autem parte cum osseis vel æreis malleolis, ad quos lora deligantur: dicti autem sunt a colore rubro, qualis est mulli piscis.* De patritiis ibidem: *Patritios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum, assutaque luna. Iis soli Patritii utebantur, luna autem in iis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio Patritii Senatores centum fuerint.* Ubi duo notat in calceis Patritiis eximia, quatuor nempe corrigias, & lunulam adsutam; ut & Zonaras qui calceos Patritiorum aliis diversos fuisse ait: τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος. *Inflexione lororum & nota littera.*

CAP. III.

Patritii calcei quatuor corrigias habuerunt, quæ ad medium crus perveniebant. Dempsteri & Marcilii error. Plebeii unicam tantum ligulam, Patritii quatuor habebant. Lora patricia. Martialis obscurus locus illustratus. Extrema ligula. Corrigiæ in calceis patritiis & Senatoriis ex nigra aluta. Non totus calceus niger, sed ligula tantum. Non læsum pedem coccina aluta cingit. Coccini calcei ex Parthicis pellibus. eorum usum sibi soli Imperatores vindicarunt. Corippus correctus. Calcei patriciorum vel albi erant, vel coccinei, vel aurati, vel κεντητοί.

Patricii igitur calcei quatuor corrigias sive ligulas habebant, quæ ad medium usque crus perveniebant, quod Horatius innuit lib. I. Sat. VI.

Nam ut quisquam insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Ad quem locum Acro: *Et circumdedit medium crus, quia altiores sunt calcei Senatorum.* Ubi satis apparet, Acronem non loqui de altitudine soli, ut male existimant Dempsterus *ad Rosinum* lib. V. cap. XXXVI. Marcilius *ad Persium*, & alii; sed de altitudine ipsius calcei, qui altius crus tegebat quam plebejus. Cum enim calcei plebeii unicam tantum ligulam sive corrigiam haberent, qua religabantur: Patritii quatuor corrigiarum erant, ut Isidorus ait, quæ inter se implexæ ad medium usque crus ascendebant. Ita Zonaras lib. II. *Annal.* Patritiorum calceos insignes fuisse ait τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος. atque has corrigias Seneca *lora patritia* vocat lib. *de Tranquillitate animæ* cap. XI. *Quæ dignitas cujus non prætextam & augurale, & lora patritia, & sordes comitentur, & exportatio, & notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio?* & ita in antiquo prope portam Nomentanam Prætor qui mappam mittit, habet calceos cavos, quorum corrigiæ inter se implexæ usque ad suras ascendunt. Vide apud Philippum Rubenium lib. I. *Elect.* cap. XXX. Ex his quæ diximus forsitan explicari potest difficillimus Martialis locus lib. II. epigr. XXIX.

Ruse,

Rufe, vides illum subsellia prima terentem,
Cujus & hinc lucet sardonychata manus:
Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,
Et toga non tactas vincere jussa nives.
Cujus olet toto pinguis coma Marciliano,
Et splendent vulso brachia trita pilo.
Non extrema sedet lunata ligula planta,
Coccina non læsum cingit aluta pedem.
Et numerosa linunt stillantem splenia frontem,
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

Ubi illud, *non extrema sedet*, male habet: omnes interpretes, & alii quidem substituunt, *non hesterna*: alii, *non externa*: quidam etiam illud, *non extrema*, conantur exponere, sed invito Apolline. Ego existimo hic a Martiale ligulam illam, quæ in pede sedet, non extremam dici, quia Stigmatias ille, in quem invehitur Martialis, calceos patritios quatuor corrigiarum portabat, atque ita ligula illa infima, quæ pedem tangit, haudquaquam extrema erat, cum contra in calceis plebeiis extrema esset: illi enim non habebant alias illas ligulas, quæ inter se implexæ usque ad suras ascendebant. Has autem corrigias in calceis patritiis & Senatoriis ex nigra aluta fuisse indubitatum est. Horatius:

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

An vero totus calceus niger fuerit, dubitari potest, cum Horatius solummodo loquatur de parte calcei, quæ crus tegebat, id est, de ligulis sive corrigiis: imo ex Juvenali contrarium elici potest: nempe haudquaquam totum calceum, sed partem solummodo superiorem ad tibias pervenientem nigram fuisse; ait enim Satyra VII.

Adpositam nigræ lunam subtexis alutæ.

Si enim lunula hæc, quæ circa talos adsuta erat, subtexebatur nigræ alutæ, ergo pars quidem calcei, quæ supra talos erat, & crus impediebat, ex nigra aluta erat, non illa quæ talos & pedem tegebat. Ad hæc verbero ille apud Martialem, qui omnia Patritiorum ornamenta sibi arrogabat, pedes cingit coccina aluta:

Coccina non læsum cingit aluta pedem.

Ubi & illud notandum, quod Martialis reprehendit in eo, quod *non læsum pedum* coccina aluta cingit. Etenim illi qui pedes læsos habebant, sine reprehensione coccina aluta uti poterant. Parthicæ enim pelles, ex quibus coccini calcei concinnabantur, mollissimæ erant, atque ideo læsis pedibus aptæ; quamvis postea cum Imperatores soli vindicarunt sibi coccinos calceos, aliis omnibus interdictus fuerit illorum usus. Corippus de Caligis Imp. Constantinop.

Parthica Campano dederant quæ tergora fuco
Sanguineis prælata rosis, laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis.

In libris M.SS. est:

Parthica campago dederant quæ tergora fucus.

Videndum an forte legendum sit:

Parthica campago dederant quæ tergora fucis
Sanguineis prælata rosis.

De campagis paulo post agemus. Sed ut ad calceos nigros revertamur, Scholiastes Juvenalis *ad Satyram* I. negat, Senatores tempore Juvenalis nigros calceos portasse: *Illo enim tempore*, inquit, *necdum Senatores nigris calceis utebantur.* Quando autem iis usi sint, postea dicemus. Unde mihi persuadeo, corrigias quidem & lora patritia ex nigra aluta fuisse; non vero ipsos calceos; qui vel albi erant, vel coccinei, vel aurati, vel etiam κεντητοί. De albis calceis Martialis lib. VII epigr. XXXII.

Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive.

De coccinis idem:

Coccina non læsum cingit aluta pedem.

Et hos quidem etiam mulleos vocarunt deinde a colore, quamvis multum diversi essent a forma mulleorum, quibus Albani Reges usi sunt. De Auratis & κεντητοῖς Epictetus cap. LXI. *Enchiridii:* Καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ ὑποδήματος ἐὰν τὸν πόδα ὑπερβῇς γίγνεται κατάχρυσον ὑπόδημα εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν. *Ut & in calceo si ultra pedem progressus fueris, fit auratus calceus, deinde purpureus, deinde acu pictus.* ad quem locum Simplicius: Ταύτη δὲ ἦν ὡς ἔοικε παρὰ Ῥωμαίοις καὶ περὶ τὰ πορφυρᾶ καὶ κεντητὰ περιεργία, ὥστε καὶ τῶν καταχρύσων αὐτὰ προτιμᾶσθαι. *Tanta videtur apud Romanos in conficiendis calceis purpureis & acu pictis fuisse curiositas, ut auratis etiam præferrentur.* κεντητὰ autem ὑποδήματα sunt quæ arte Phrygionis laborata sunt & acu picta, ut Salmasius ait in *Fl. Vopiscum*. D. Chrysostomus Homil. XXXII. *ad populum Antiochenum.* Καὶ γὰρ πολλοὶ πρὸς τοῦτο βλακείας καὶ ἀσωτίας ἐξώλισθον, ὡς καὶ τὰ ὑποδήματα καλλωπίζειν, καὶ πάντοθεν αὐτὰ ποικίλλειν οὐχ ἧττον ἢ τὰς ὄψεις ἕτεροι. *Eo mollitiei & luxuriæ multi prolapsi sunt, ut etiam calceamenta variis coloribus fucent, & ubique pingant, non secus ac alii vultus.* Et hæc quidem sentio de calceis patritiis Romanorum, a qua opinione non admodum abit doctissimus Petavius in *Notis ad Orationem* XIV. *Themistii*.

CAP. IV.

Lunula patritii calcei ornamentum. Cur iis adsuta? Error Zonaræ & Joannis Antiochensis. Lunula hæc non fuit fibula eburnea lunæ corniculantis specie. Fibulæ superiori parti pedis appositæ. Uncinati & lunati calceis confusi. Salmasius refellitur. Lunulæ talis appositæ. ἐπισφύριον non fuit fibula. Heroum ocrea ex candido stanno: illarum ornamenta circa malleolos ἐπισφύρια. Lunulæ patritiorum erant eburneæ ad formam mediæ lunæ. Lunatis calceis utebantur non tantum Senatores patritii: sed & ii, qui patritii generis erant, ante Senatoriam ætatem. Calcei Senatorum, qui non patritii erant. Similes fere erant patritiis, excepta lunula. Differebant etiam in flexione ligularum.

ALTERUM patritii calcei ornamentum erat lunula adsuta, de qua videndus Plutarchus *problem.* LXXVI. ubi diversas ejus rei rationes ponit, quarum tamen nulla placet viris doctis, qui magis probant eam quam Isidorus assignat: *Luna autem*, ait, *in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio Patritii Senatores centum fuerint.* Unde male Zonaras, qui, cum alibi legisset, littera centenarium numerum designante calceos patritios ornatos fuisse; id de *R.* littera interpretatus est, quæ apud Græcos nota est numeri illius. Nec dissimilis error Joannis Antiochensis, cujus locus extat apud Cl. Salmasium in *Notis ad Pollionem*, & *ad scriptionem Regillæ*. Communis Doctorum opinio hoc insigne calcei patritii fuisse fibulam eburneam lunæ corniculantis specie in malleolo pedis. Ita Alexander ab Alexandro c. XVIII. l. V. Cœl. Rhodiginus *lect. Antiquarum* lib. XX. cap. XXVI. Pierius lib. XLIV. *Hieroglyph.* cap. XXIII. Isaacus Grangæus *in Satyram* VII. *Juvenalis*, & alii. Quæ sententia, quamvis haud tam absurda est, ut eam existimat M. Zuerius Boxhornius *ad quæst. Rom. Plutarchi* fol. 132. tamen mihi haud omnino probatur. Video enim in antiquis statuis fibulas calceorum non apponi malleolis pedum, sed in superiore parte pedis. Isido-

rus de mulleis: *Superiore autem parte, cum ossibus vel æreis malleolis ad quos lora religantur.*

Alii per lunulam patritiam uncinum intelligunt, in fronte prima calcei infixum, unde uncinatos sive repandos calceos cum lunatis confundunt. Ita Cl. Salmasius in *Notis ad dedicat. statuæ Regillæ*, & M. Zuerius Boxhornius, quos satis refellit Philostratus, dum ait, lunulas has non in parte anteriore calcei, sed circa talos & malleolos pedis fuisse appositos. Totum illius locum adscribam, quia nemo plenius patritias lunas describit. Sic igitur ille lib. II. *de Vitis Sophistarum* in Herode Attico: Ἐπὶ τούτοις ὡς ἀληθέσι γράφεται αὐτὸν φόνου Βραδείας ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφὸς εὐδοκιμώτατος ὢν ἐν ὑπάτοις, καὶ τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι, τοῦτο δέ ἐστιν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές. καὶ παρελθὼν ἐς τὸ Ῥωμαίων βουλευτήριον, πιθανὰ μὲν οὐδὲν διῄει περὶ τῆς αἰτίας, ἣν ἐπῆγεν, ἑαυτοῦ δὲ ἔπαινον ἐμακρηγόρει περὶ τοῦ γένους. ὅθεν ἐπικόπτων αὐτὸν ὁ Ἡρώδης, σὺ, ἔφη, τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχεις. Id est: *Ob hæc, quasi vera essent, ipsum accusat Braduas Regillæ frater, celeberrimus inter Consules, & nobilitatis notam appositam calceis gestans; hæc vero nota est* ἐπισφύριον *ex ebore, lunæ instar. Inde cum in SenatumRomanum venisset, nihil probabile de crimine quod accusabat enarravit, sed laudes suas prosapiæ suæ longo sermone produxit: unde Herodes irridens eum: Tu, inquit, nobilitatem in pedum malleolis habes.* Ubi videmus, lunulam Patritiorum fuisse ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές. Sed difficultas vertitur in voce ἐπισφύριον, quæ etiam extat apud Homerum *Iliados* Λ. & *Iliad.* Τ.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλὰς ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Quos versus ita reddit Eobanus Hessus:

—— *tum cruribus aptat*
Ære renidentes ocreas, quas fibula loris
Arctabat niveis.

Et sic etiam omnes Lexicographi recentiores τὸ ἐπισφύριον fibulam ocrearum exponunt. unde Cælius & alii etiam lunulam patritiam fibulam esse existimarunt; sed obstant omnes veteres Grammatici, qui aliter hanc vocem interpretantur. Didymus: ἐπισφυρίοις) τοῖς τῶν σφυρῶν καλύμμασιν, *malleolorum tegumentis*. Hesychius: ἐπισφύρια τὰ καλύπτοντα τὰ σφυρά. ἐπισφύρια, *quæ tegunt malleolos*. Vide etiam Eustathium, & alios. Unde arbitror, antiquorum Heroum ocreas, quæ erant ἑανοῦ κασσιτέροιο, id est, *ex candido stanno*, ut Homerus, circa talos aut malleolos pedum ornamenta quædam habuisse ex argento vel auro, quæ Homerus ἐπισφύρια vocat, quia malleolos pedum tegunt. Atque ita etiam Patritios Romanorum calceos eodem in loco ornamentum eburneum ad formam mediæ lunæ habuisse, quod a Philostrato ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές vocatur. Unde in veteri inscriptione, quæ dedicationem statuæ Regillæ continet, hi calcei dicuntur πέδιλα ἀστερόεντα περὶ σφυρά. Omnes versus qui ad hanc rem faciunt apponam, quia unice opinionem nostram confirmant:

Αὐτὰρ ὁ ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα
Δῶκεν ἔχειν τά λέγουσι καὶ Ἑρμάωνα φορῆσαι
Ἦμος ὅτ' Αἰνείαν πολέμου ἐξῆγεν Ἀχαιῶν,
Νύκτα διὰ δνοφερήν. ὁ δὲ οἱ περὶ ποσσὶ σαωτὴρ
Παμφανόων ἐνέκειτο σεληναίης κύκλος αἴγλης
Τόνδε καὶ Αἰνεάδαι παρενάρράψαντο πεδίλῳ
Σύμβολον Αὐσονίοισιν εὐγενέεσσι γεραιόν.
Ὤμιν ἐκόσμησεν καὶ Κεκροπίδην περ ἐόντα
Πορσηνῶν ἀρχαῖον ἐπισφύριον γέρας ἀνδρῶν.

Quos sic vertit illustris Salmasius:

At princeps lunata pedum dat vincula nato.
Qualia Mercurius quondam gestasse putatur,
Cum flamma Æneam, belloque eduxit Achivum
Per noctem: at multa cum luce salutifer illi
Circulus hærebat pedibus, lunæ æmulus orbi.
Quem talo adsutum mox nexuit Æneadum gens,
Nobilibus clarum Ausoniis insigne futurum,
Cecropidem quamvis, Grajaque ab gente profectum
Hunc, talare decus Tuscorum exornat avorum.

Lunatos hos calceos portabant omnes Senatores Patricii, ut a novitiis distinguerentur. Interpres Juvenalis ad illud Sat. VII.

Adpositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Patricius Senator est, nam adsuta calceis lunula discernuntur Patritii a novitiis. Sed & Patritii ante ætatem Senatoriam, immo ante prætextam depositam, lunulas habebant in calceis. Papinius lib. V. *Sylvarum:*

Sic te clare puer genitum sibi Curia sensit,
Primaque patritia clausit vestigia luna,
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Superest ut videamus, quibus calceis Senatores, qui non erant Patritii, usi fuerint florente Imperio. Nam sane haudquaquam lunatos fuisse eorum calceos, satis in confesso est, & tamen diversos fuisse a plebeiis, ex Cicerone constat *Philippica* XIII. *Est etiam Asinius quidam Senator voluntarius, lectus ipse a se, apertam curiam vidit post Cæsaris mortem, mutavit calceos, Pater Conscriptus repente factus est.* Servius Senatores crepidas olim gestasse ait ad illud ex VIII. *Æneidos:*

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis:

Tusca, calceamenta: & dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, post Equites Romani, nunc milites: alii calceos Senatorios volunt, quia hoc genus calceamenti a Tuscis sumptum est. Quæ vera sunt, si illa restringamus ad Senatores, qui Magistratus curules gesserant. Si enim, ut supra diximus, aliquando gestabant crepidas mulleas, quæ similes Tuscis calceamentis, ut Salmasius probat. Neque aliter Servius explicari potest; alii enim Senatores omnes semper calceos cavos portabant; crepidæ enim antiquis temporibus semper probrosæ Senatoribus. Vide D. Petavium *ad Orat.* XIV. *Themistii*, Joannem Sarium Zamoscium in Tractatu *de Senatu Romano*, ubi Servii sententiam damnat, quam tamen defendere conatur H. Magius lib. III. *Miscellaneorum* cap. III. Mihi sane indubium videtur, Senatores Romanos florente Imperio calceos cavos portasse, atque eos quidem haudquaquam multum dissimiles patriciorum calceis, si lunulam eburneam excipias, quæ propria patriciorum. Etenim & corrigias illas nigras habebant, quæ crus tegebant. Horatius:

Nam ut quisquam insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Tamen etiam aliqua differentia fuisse videtur inter calceos Patricios, & Senatorios in ipsa inflexione ligularum: quod elicio ex Zonara lib. II. *Annal.* ubi de Servii Tullii regno agens, ea occasione, quod Regem illum plurima plebi indulsisse dixerat, addit, eum aliquos etiam ex plebe in Senatum legisse; qui olim quidem plurimis in rebus deteriore quam patritii jure usi fuerint. Tandem vero, si inter regnum & Sacerdotia quædam excipias, exæquati sunt Patriciis, ita ut calceis solummodo differrent: Τοῖς γὰρ εὐπατρίδαις, inquit, τὰ ὑποδήματα ἀσυνήθη καὶ τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος ἐκεκόσμητο. *Patritii habebant calceamenta quæ & inflexione corrigiarum & nota littera ornabantur.*

CAP. V.

Calcei Senatorii mutati sub Imperatoribus. Caligas sumpserunt pro cavis calceis. Campagis eæ fere similes erant. Campagis Diaconi Romani usi. Origo hujus moris. Forma multum differebant a calceis Patritiis florentis Imperii contra Salmasium. Campagi fuerunt sandalia. Amalarius emendatus. Campagi intrinsecus ex albo erant, extrinsecus nigri, & Consolum illius temporis calcei. Candido linteamine illustrabantur. Fuerunt incisi. Campagi reticuli. Sandalia quædam apud Græcos incisa. Pedules Udones. Ὀδώνια. *Pedules Senatorum & Clericorum ex lino, aliorum ex lana. Constantinianæ Donationi lux.*

HÆc vero forma calcei Senatorii, quam modo descripsimus, mutata fuit sub Imperatoribus posterioris ævi; tunc enim caligas sumpserunt Senatores. Cyprianus, sive quis auctor est carminis in Senatorem Isacum:

—— Caligaque remota
Gallica sit pedibus molli redimita papyro.

Ex quo satis liquet, Senatores illo tempore, abdicatis calceis cavis, caligas portasse, quod sane non fecerunt florente Imperio, quo milites soli caligas habebant, ut notum est; non tamen has Senatorum caligas similes omnino fuisse caligis militaribus existimo; sed ex illo caligarum genere, quas posterior ætas *Campagos* appellavit, qui sane haud multum diversi erant a caligis. Unde Julius Capitolinus, caligam & campagum confundit in *Maximinis: Nam*, inquit, *cum esset Maximinus pedum, ut diximus, octo, & prope senis, calceamentum ejus, id est, Campagum regium, quidam in luco, qui est inter Aquilejam & Arziam, posuerunt, quod constat pede majus fuisse hominis vestigio atque mensura; unde etiam vulgo tractum est, quum de longis atque ineptis hominibus diceretur, Caliga Maximini.* Non tamen omnino similes inter se fuisse campagos & caligas restatur Trebellius Pollio, qui caligas & campagos distinguit *de Gallieno: Caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret.* Senatorias autem caligas campagos fuisse, colligi potest ex Juliano veteri *Novellarum* interprete, qui in Novella CXXVI. ubi interdicitur Advocatis & aliis, ne, cum causas agunt non præsente Imperatore, dignitatis suæ insignia assumant, togam nempe & calceos; ibi calceos hos campagos exponit. Hi campagi postea Diaconis Romanis concessi sunt. Papias: *Campagi calceamenti genus, quo utebantur Diaconi Romani, vel quibus a Pontifice concessum est.* Recte: etenim & Messinenses Diaconi ex privilegio Pontificum campagos portabant. D. Gregorius lib. VII. Epist. XXVIII. *Pervenit itaque ad nos, Diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos campagis procedere præsumpsisse. Quod quia nullis hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo Diaconis Ecclesiæ Messanensis, quibus olim a prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolitis.* Vide Alb. Puciolum *de antiquo jure Siculæ Ecclesiæ* cap. ult. Natus autem hic mos, ut Diaconi Romani calceis Senatoriis, sive campagis uterentur, a Constantino Magno. Ille enim, si *Donationi* ejus credimus, Clericis Romanis calceos Senatorios concessit. Verba *Donationis* sunt: *Et sicut noster Senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustratis, sic utantur & Clerici.* In Græco est: ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια λευκὰ δι' ὀθονίων. Ubi satis videmus, calceos, sive campagos Senatorios illorum temporum, sandalia fuisse, non calceos cavos; unde forma multum differebant a calceis Patritiis florentis Imperii, quamvis contrarium videatur Cl. Salmasio *in Trebellium*. Etenim & Amalarius *Ecclesiast. Offic.* libr. II. c. XVIII. sandalia Episcoporum campagos vocat, Tom. IX. *Bibl. Patrum* fol. 339. *Quia*, inquit, *usque ad pedes Beda pervenit differendo de lineis vestibus, congruum est, ut nosmetipsi absolvamus de sandaliis, sive, ut alio nomine, campagis, qui supersunt in pedibus.* Ita legendum, non *campobis*, ut editum est. Idem cap. XXV. Sandalia hæc Clericorum, quæ a Campagis Senatorum duxerint, accurate describit, ut & Honorius Augustodunensis in *Gemma animæ* lib. I. c. CCX. Ubi inter alia tradunt, albo corio intrinsecus circumdata fuisse sandalia hæc, extrinsecus vero nigra fuisse, unde facile existimo, etiam Senatorios campagos hac forma fuisse; etenim & Scholiastes Juvenalis, cum negat Senatores Juvenalis tempore nigris calceis usos, satis ostendit, id suo tempore in usu fuisse; sic enim scribit ad illud ex Satyr. I.

Nec in hanc urbem pedibus qui venerat albis:


Ostendit plus honoris videri in calceis, quam in persona; illo enim tempore nondum Senatores nigris calceis utebantur. Sed obstare videntur verba *Donationis Constantinianæ*, ibi enim vocantur hi campagi ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια λευκὰ δι' ὀθονίων; unde vulgo existimant, sandalia hæc fuisse alba, ex lino. Vide Bulengerum *de veste Pontificali*, cap. XIV. Sed verba *Latinæ Donationis* evincunt, non alba fuisse ipsa calceamenta, sed candido linteamine illustrata ostendunt. *Et sicut noster Senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustratis.* Unde censeo, campagos hos incisos fuisse καὶ πολυσχιδεῖς, ut & olim sandalia quædam apud Græcos, de quibus Cephisodorus apud Pollucem lib. VII. c. XXII. Σανδάλιά τε τῶν λεπτοσχιδῶν, *Sandalia ex tenuiter incisorum genere.* Ita Honorius Augustodunensis de campagis sive sandaliis Episcoporum: *Est autem genus calceamenti incisi, quo pes partim tegitur, partim nudus cernitur.* Hinc Gallienus *campagos reticulos* appellabat: *Quia intercisi erant, ut æstivi calcei hodieque sunt multifores*, ut ait Casaubonus in *Notis ad Trebellium*. Quam rationem improbari a Salmasio haud mirum sane, cum ille credat, campagos eosdem esse cum calceis antiquis patritiis. Sed præter hos campagos ita intercisos habebant etiam Senatores & Clerici pedules sive udones ex lino, qui transparente per incisuras calceamentorum candido linteamine, campagos illustrabant. Hoc patet ex verbis *Constantinianæ Donationis*, si recte ea intelligamus: *Et sicut noster Senatus calceamentis utitur, cum udonibus, id est, candido linteamine illustratis.* Udones sive ὀδώνια, ut viri docti observant, sunt τὰ περιαπτόμενα τοῖς ποσὶν ὑφάσματα. Videndus Salmasius in *Notis ad Ælium Lampridium*. Meursius in *Lexico Græco-barbaro* V. ὀδώνια. Cum autem alii portarent udones ex lana, Senatores, & eorum imitatione Clerici Romani, portabant pedules ex lino, ut ex hoc loco apparet, & ex Amalario lib. II. *de Eccles. Officiis* cap. XVIII. *Sicut per linum, quo pedes vestiuntur, castigatio pedum significatur; ita per sandalia profectus ad prædicandum.* Atque ita calceamenta candido linteamine illustrabantur, & erant λευκὰ δι' ὀθονίων, sive ὀδονίων.

CAP. VI.

Variæ eruditorum de togæ forma, & vestibus quadratis ac rotundis opiniones. Vestes quadratæ, quæ quatuor angulos habebant, duos in superiori, duos in inferiori ora. Pallia Græcorum & aliarum gentium quadrata, & χλαῖνα veterum heroum. Rotundarum vestium in solo expansarum circularis forma. quarumdam semicircularis, aliarum laciniosa.

CONSEQUENS videtur, ut cum de lato clavo & calceis Senatoriis abunde actum sit, aliquid etiam de toga dicamus, cujus structuram, quamvis a Quintiliano & Tertulliano accurate descriptam, viri docti ita implicarunt, ut se extricare non possint, sed irretiti hæreant, non secus ac Agamemnon apud Tragicos. Nolo hic sigillatim commemorare quæ de togæ sinu, tabulis, umbone scripserunt, quia ut ingenue fatear, magna eorum pars captum ingenii mei excedit. Adeat si quis volet Sigonium lib. III. *de Judiciis*, Aldum Manutium lib. II. *de Quæsitis per epistolas*, Claudium Salmasium *in Tertulliani Pallium*, cum *animadversis* KercKoetii, & *confutationibus* Francisci Franci, Joannem Mercurium, Edmundum Richerium, & Ludovicum La Cerdam *in ejusdem Tertulliani libellum*, & novissimum Octavii Ferrarii *Commentarium de Re Vestiaria*. Quos inter sane non vereor symbolam conferre. Nam sic nec ipse scopum attingo, facile veniam impetrabo, homo Belga, crassoque sub aere natus, cum viri omnis eruditionis & antiquitatis peritissimi, immo & ipsi Itali, quibus tot statuæ togatæ ex ruinis urbium superstites ob oculos continuo versantur, longius aberrent.

Togæ forma quænam fuerit, controversum est inter viros doctos. Manicatam fuisse Crinitus adserit: contra Manutius & alii, quorum sententia melior. Petrus Victorius, & Carolus Sigonius togam quadratam fuisse adserunt, decepti male intellecto Athenæi loco. Marcellus Donatus partim rotundam, partim quadratam fuisse: contra Manutius, Salmasius, Ferrarius, aliique, rotundam fuisse contendunt, quibus favet Tertullianus, qui togam *teres pallium* appellat, & interpres Persii, atque Isidorus, qui togam describunt: *pallium purum forma rotunda & fusiore*. Adstipulatur etiam Quintilianus, *ipsam togam rotundam esse, & apte cæsam velim*. Dionysius vero Halicarnasseus ἡμικύκλιον τῷ σχήματι fuisse clare adfirmat. Sed ut meam hac de re opinionem proferam, pauca primum de quadratis & rotundis vestibus dicenda sunt; nam nec illi etiam qui togam rotundam esse sentiunt, bene exponunt, ut mihi quidem videtur, quænam differentia sit inter vestes quadratas & rotundas. Hadrianus Junius lib. I. *Animadv.* cap. XIII. existimat vestes quadratas adsimiles fuisse dalmaticis nostrorum Diaconorum; rotundas vero semicirculari forma, ut indumenta Presbyterorum. Claudius Salmasius *in Tertulliani Pallium* censet eas vestes, quæ circa imas oras apertæ non erant, sed undique conclusæ & commissæ, rotundas dictas esse; quadratas vero a summo ad imum apertas. Vide etiam Franciscum Francum in *Confutat. Animadvers. Kerckoetii*. Quæ opinio oppugnatur ab A. KercKoetio in *Animadversis ad Tertullianum de Pallio*, qui etiam suam opinionem de vestibus quadratis & rotundis adfert in *Mastigophoro tertio*, quem vide, si lubet. Sed Octavius Ferrarius libro I. *de Re Vestiaria* capite IV. ab his omnibus dissentit, & novam sententiam hac de re dicit. Ego, omissis clarissimorum virorum altercationibus, existimo amicula quadrata fuisse, quæ ex panno quadrato constabant, & quatuor angulos habebant, duos in superiori, duos in inferiori ora. Tale erat pallium Græcorum & aliarum gentium. Ita *Deuteronomii* cap. XXII. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris*. Et *Exod.* XV. *Loquere filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias vel angulos palliorum*. Tertullianus *de Pallio* lib. I. *In viri autem pallii extrinsecus habitus & ipse quadrangulus*. Et hi quatuor anguli facile conspiciuntur in statua Euripidis marmorea, quæ videri potest in prima editione *Imaginum Ursini*.




Ita & χλαῖνα veterum heroum, ut Ammonius ait, erat τετράγωνον ἱμάτιον. Atque hoc simplicissimum erat vestis genus; nullo enim artificio conficiebatur. Unde Tertullianus *de Pallio*: *Prius etiam ad simplicem specta telam ejus*. Contra, rotundæ vestes, quæ amictui erant, ita conficiebantur, ut in solo expansæ non quadratæ essent, sed circulari forma, ut pallia nostra, quibus vulgo utuntur. Non tamen existimo, omnes rotundas antiquorum vestes in terra extensas plenum circulum implevisse; sed quasdam semicirculares fuisse, alias circinato orbe laciniosas anguloso procursu, ut de chlamyde Macedonica ait Plinius. Quam tamen inter rotundas vestes vulgo recensent. Etymologicon: Χλαλὺς δὲ τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδὲς τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον σαγμάντιον; sed ut melius figuram togæ ostendam, pauca de chlamyde præmittenda.

CAP. VII.

Chlamydis forma. Fibula constringebatur in dextro aut sinistro humero, vel circa pectus. πτέρα, πτερύγια. Thessalica chlamys a Macedonica non fuit diversa. Non quadratæ solum vestes πτέρα habuerunt. Chlamydes Macedonicæ a Romanis & Græcis non fuerunt diversæ. Chlamys Macedonica non undique claudebatur. erat fibulatoria. Chlamydis usus a Macedonibus. Inferius erat rotunda, superius contracta.

FORMAM vero chlamydis facile adsequi possumus ex Srabone l. I. qui terræ habitabilis σχῆμα χλαμυδοειδὲς, *formam chlamydi similem* consti-

tuit, ut & ex Plinio, qui tradit Dinocharem Architectum Alexandriæ aream designasse *ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniosam, dextra lævaque anguloso procursu*. Obscurius Plutarchus in *Alexandro*, qui de eadem re ita scribit: Ἐν πεδίῳ μελαγγείῳ κυκλοτερῆ κόλπον ἦγον οὗ τὴν ἐντὸς περιφέρειαν εὐθεῖαι βάσεις, ὥσπερ ἀπὸ κρασπέδων εἰς σχῆμα χλαμύδος ὑπελάμβανον ἐξ ἴσου συνάγουσαι τὸ μέγεθος; ex quibus omnibus statuere licet chlamydem hac fere figura fuisse.



Chlamydis autem ora designatur litteris A. & B. fibula infrænabatur in dextro aut sinistro humero, vel circa pectus, ut Thessali illi equites apud Heliodorum. Anguli vero chlamydis erant partes illæ C. & D. litteris signatæ, quas etiam πτερα & πτερύγια a similitudine pinnarum vocabant. Ita Hesychius, & alii Grammatici Græci: Θετταλικὰ πτέρα; τοῦτο εἴρηται διὰ τὸ πτέρυγας ἔχειν τὰς Θεσσαλικὰς χλαμύδας. πτέρυγες δὲ καλοῦνται αἱ ἑκατέρωθεν γωνίαι διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξι. *Θετταλικὰ πτέρα dicuntur quia chlamides Thessalæ habent angulos. πτέρυγες enim dicuntur anguli ab utraque parte, quia similes sunt angulis*. Atqui Thessalicam chlamydem a Macedonica haudquaquam diversam fuisse existimo: unde corruit doctorum virorum opinio, qui existimant quadratas solum vestes πτέρα habuisse, iidem concedunt, chlamydem rotundum fuisse vestimenti genus. Nec mihi placet clarissimi Salmasii opinio, qui putat Macedonicas chlamydes a Romanis & Græcis diversas fuisse, atque has quidem apertas fuisse, Macedonicas vero undique conclusas, atque ideo rotundas. Sed nullum inter chlamydem Macedonicam & Græcam aut Romanam discrimen fuisse satis indicat Strabo, Plutarchus, & Diodorus, qui Alexandriæ urbi, quam Dinochares Architectus, ut Plinius ait, ad effigiem chlamydis Macedonicæ metatus est, simpliciter chlamydis figuram tribuunt. Adhæc, chlamydem Macedonum non undique clausam fuisse, sed fibulatoriam, & a latere apertam, evincit Plutarchus, qui de Alexandro ait: Τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα λύσας ἐπέβαλε τῷ σώματι. *Solvens suam chlamydem injecit corpori*. Adstipulantur etiam omnes gemmæ veteres quæ Alexandrum referunt, fibulatoria chlamyde amictum. Chlamydis autem usum primi Macedones invenerunt, ab illis vicini Thessali & Arcades acceperunt; unde postea ad cæteros Græcos, & deinde ad Romanos transiit. Erat vero in inferiori quidem parte rotunda, sed in superiori parte contracta. Unde Ammonius ait, eam in infima solum parte rotundam fuisse. Verba ejus sunt: Εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται.

CAP. VIII.

Toga Romana non forma sed magnitudine differebat a chlamyde. Salii paludati. Pompejus chlamydem Alexandri Magni non Macedonum more portavit, sed in togæ speciem humeris circumjectam. Manutii & qui eum sequuntur sententia, togam fuisse undique clausam exploditur. Αὐτοψία non ostendit togas fuisse clausas. Apertæ erant. Togæ descriptio, circumjectus. Statua togata Ph. Rubenii per litteras exposita. Quintilianus emendatus. Altius quam junctura.

TOGAM Romanam haud multum forma a chlamyde diversam fuisse, sed magnitudine solum & circumjectu existimo. Fundus opinionis meæ in Artemidoro lib. II. cap. III. Τὰ δ' αὐτὰ καὶ Ῥωμαικὴ ἐσθὴς, ἣν νῦν Τήβεννον καλοῦσιν ἀπὸ Τημένου τοῦ Ἀρκάδος, ὃς πρῶτος τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλετο τὸν τρόπον, εἰσπλεύσας κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον, καὶ ὑποδεχθεὶς ὑπὸ τῶν ταύτῃ κατοικούντων, ἀφ' οὗ μαθόντες καὶ οἱ ἐγχώριοι τὸν αὐτὸν ἐσκευάσαντο τρόπον, καὶ ἐκάλουν τὴν ἐσθῆτα Τημένιον, ἐπώνυμον Τημένου τοῦ εὑρόντος. ὕστερον δὲ χρόνῳ παραφθαρὲν τὸ ὄνομα Τήβεννος ἐκλήθη. *Eadem significat & vestis Romana, quam nunc Tebenum vocant, a Temeno Arcade, qui primus suam chlamydem hoc modo circumdedit, quum per sinum Ionium navigasset, & ab his qui istic habitant suscepta esset, a quo indigenæ edocti eodem modo præparaverunt, & vestitum Temenium vocarunt, cognominem Temeno inventori. Verum posterioribus temporibus corrupto nomine Tebennus appellatus est*. Unde & Salias, quæ choros agebant, τηβέννας, sive trabeas ἐμπεπορπημένοι, ut Dionysius tradit; paludatas, id est, chlamydatas fuisse Festus adserit: *Salias*, inquit, *virgines Cincius ait esse conductitias, quæ ad Salios adhibeantur, cum apicibus paludatas. Quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in Regia paludatas cum apicibus in modum Saliorum*. Addi his possunt quæ ex Suetonio Fasti Siculi & Cedrenus ac Suidas scribunt de chlamydis usu a Numa invento. Adhæc Appianus tradit, Pompejum in triumpho suo chlamyde Alexandri M. amictum fuisse, χλαμύδα ἔχων ὥς φασιν Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος. Quam tamen, ut existimo, non Macedonum more portabat fibula adstrictam, sed in togæ speciem humeris circumjectam, ut alii triumphantes togam pictam, atque ut Ammonius de chlamyde tradit: εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται: ita etiam togam Dionysius affirmat ἡμικύκλιον τῷ σχήματι *semicirculari forma* fuisse. At si verum est, ut ego existimo, togæ schema fere χλαμυδοειδὲς fuisse, sane corruit Manutii opinio, qui togam censet fuisse vestimenti genus a summo ad imum clausum, lib. I. *de Quæsitis per Epist.* c. XI. Quem tamen tam unanimiter viri docti sequuntur, ut Sigonium temeritatis condemnent, qui togam apertam fuisse adserere ausus fuit. Immo etiam nugari eos dicunt, qui cum Sigonio togam apertam faciunt, ac refelli αὐτοψία. Vide Ferrarium libr. I. *de Re Vestiaria*, Franc. Francum in *confutat. animadv. A. Kerckoetii* fol. 48. Ego sane Romæ & alibi multas statuas togatas accurate contemplatus sum, sed sane αὐτοψία non me docuit togam fuisse undique conclusam; nisi forte quis pallia nostra conclusa esse adserat, si laciniam dextra in lævum humerum conjiciamus. Nec video, qua ratione ritu Gabino togæ lacinia incingebantur, nec quomodo Scipio Nasica lævam manum potuit apertæ togæ circumdedisse, si toga undique clausa fuit. Nam non satisfacit mihi Ferrarius, & alii, qui hunc nodum dissolvere nituntur. Adhæc & ipse togæ circumjectus, quem Quintilianus & Tertullianus describunt, probat togam apertam fuisse.

Quintilianus, Tertullianus, & Glossæ veteres Persii, ita graphice togæ circumjectum describunt, ut per illorum vestigia veram togæ structuram comprehendere haud magnopere difficile; cum præsertim tot statuæ superstites sint, quæ nobis eam ob oculos ponunt. Ex quibus ego, ut & ex antiquis Scriptoribus, verum togæ circumjectum eruere conabor. Quamvis Patruus meus Philippus Rubenius lib. I. *Electorum* cap. XVII. tam accurate hæc præstiterit, ut mirum sit, viros omnis antiquitatis & eruditionis apprime gnaros post inventas fruges adhuc *βαλανοφαγεῖν*. Sed immaturus obitus non permisit illi totam togæ formam plene describere. Itaque succedere enitar, & spicas ab eo derelictas legere. Glossæ veteres in Persium, & ex iis Isidorus ita togam definiunt: *Toga est pallium purum forma rotunda & fusiore, & quasi inundante sinu, & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur, cujus similitudinem in opertimentis simulacrorum vel picturarum adspicimus, easque statuas togatas vocamus*. Plenius Quintil. lib. XI. amictum oratoris describens, togæ structuram exhibet: *Ipsam togam*, inquit, *rotundam esse, & apte cæsam velim, aliter enim multis modis fieret enormis. Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur, posterior eadem portione, altius quam cinctura. Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum ducitur velut balteus, nec strangulet nec fluat. Pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior. Nam ita & sedet melius, & continetur. Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat; tum sinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejecisse non dedecet. Operiri autem humerum cum toto jugulo non oportet; alioqui amictu fiet angustus, & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris, perdet. Sinistrum brachium eousque allevandum est, ut quasi normalem illum angulum faciat, super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat*. Sed accuratissime omnium Tertullianus cap. V. *de Pallio* quod cum toga comparat; *Prius etiam ad simplicem specta telam ejus, nullo tædio constat, adeo nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignet; dehinc diluculo, tunica prius cingulo correpta (quam præstabat moderatiorem texuisse) recognito rursus umbone, &, si quis exorbitavit, reformato, partem quidem de lævo promittat; ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis retrahat a scapulis, & exclusa dextera in lævam adhuc congerat cum alio pari tabulato, in tergo devoto, atque ita hominem sarcina vestiat*. Qui loci Tertulliani & Quintiliani magnam omnium oculis nebulam offuderunt, quam dispellere conabor.



Quintiliani igitur & Tertulliani ætate (nam de antiqua toga inferius agemus) togam χλαμυδοειδέα & apertam, forcipibus primo in rugas & tabulas contrahebant. πτερύγιον sinistrum togæ de lævo promittebant, quæ pars mediis cruribus optime terminatur, ut Quintilianus ait; deinde circumdabant, & brachio dextro subjiciebant, ac rugas in sinistro humero formatas inde deducebant in tilias, id est, in tenues tabellas: quæ tabulata congregatio fulciebat redundantiam togæ, & a sinistro humero usque ad dextrum brachium perveniebat: deinde sub humero sinistro, ubi jam tabulata illa congregatio deficiebat, retrahebant togam a scapulis, eamque duplicabant, ita ut pars illa retracta a scapulis, atque in rugas conglomerata, a sinistro ad brachium dextrum duceretur velut baltheus; & imposita togæ parte de lævo promissa constringeretur; summa vero ora togæ, ab humero dextro descendens, paulo supra imam togæ oram in humero recurrens, lævum inundantem sinum efficeret. Sed ut hæc liquidius pateant, proponam statuam togatam a patruo meo publicatam, & per indices litteras spero me facile lectori veram togæ structuram ac περιβολὴν ob oculos positurum.

A. Pars togæ prior mediis cruribus optime terminatur. Quintilianus.

B. Rugæ quæ pridie ab exordio formabantur, & inde deducebantur in tilias.

C. Tabulata congregatio, quæ redundantiam togæ fulcit. Tabulæ vel tiliæ dicuntur μεταφορικῶς, a tabulis aut a pugillaribus, quæ in tenues tabellas aut tilias scindebantur; quarum formam hæ plicæ referebant.

D. Ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis (id est, ubi tabulata illa congregatio finitur) retrahat a scapulis. Tertullianus.

E. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur, velut baltheus, nec strangulet, nec fluat. Quintilianus. qui inde deducitur in humerum dextrum cum pari tabulato.

F. Pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior; nam ita & sedet melius & continetur. Quintilianus. Atque hic formatur umbo togæ.

G. Tum sinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejecisse non dedecet. Quintilianus.

H. Ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis retrahat a scapulis, & exclusa dextra in lævam adhuc congerat (nempe baltheum) cum alio pari tabulato in tergo devoto. Tertullianus. id est, inferiori sinus, qua etiam in plicas contrahitur.

H. Tabulatum in tergo devotum, quod altius quam cinctura terminari debet, si Quintiliano credimus, qui ita scribit: *pars ejus prior* (id est, πτερύγιον togæ, quod ab anteriori parte est) *mediis cruribus optime terminatur, posterior* (id est, alterum πτερύγιον, quod in tergum rejicitur) *eadem portione* (aut *proportione*) *altius quam cinctura*. Sed cum in omnibus statuis antiquis hæc pars togæ multum infra cincturam descendat, hæc lectio mihi semper suspecta visa est. Itaque libenter legerem: *altius quam junctura*, id est, quam crurum aut genuum junctura, ut fere apparet in statuis antiquis. Ita Ovidius.

Tum genuum junctura riget.

Nam mihi numquam persuadebit Ferrarius cincturam poni pro toga cincta.

CAP. IX.

Ora extrema vestimenti pars summa & ima. Lacinia cum ora confunditur a Cujacio. Lacinia pinnæ chlamydis, & togæ. πτερύγια κράσπεδα.

UT hæc quæ de circumjectu togæ, & supra de cinctu Gabino dicta sunt, plenius intelligantur, intelligendum, quid sit ora & lacinia. Et de ora quidem nullum dubium est, eam esse extremam vestimenti partem, & fuisse duplicem, summam nempe & imam. De lacinia majus dubium. Neque bene definitum a viris eruditis. Beroaldus *in* I. *librum Apuleii Metam.* ait, laciniam esse partem vestimenti flexuosam sinuosamque. Ita & Elmenhorstius in *Indice Apulejano*, & alii, laciniam vestis cum ora confundunt. Ita Cujacius lib. XII. *Observat.* cap. XXIV. ubi laciniam existimat esse oram, sive extimum vestis. Ego credo laciniam nihil aliud esse quam ipsas pinnas chlamydis sive togæ, Græci πτερύγια appellant, & aliquando κράσπεδα, quamvis & aliquando κράσπεδα pro fimbriis sumantur, quia nempe extremitati laciniæ sæpe fimbriæ attexebantur. Id autem notare laciniam, clare patet ex antiquorum Auctorum locis. Plautus in *Mercat.* Scena II. Actu I. versu XVI.

At tu ædepol sume laciniam, atque absterge sudorem tibi.

Et in *Asinaria*, Actu III. Scena II. v. XLI.

Lacrimantem lacinia tenet.

Suetonius in *Claudio* cap. XV. *Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo causidicos patientia ejus solitos abuti, ut descendentem e tribunali non solum voce revocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso, retinerent.* In *Cajo* cap. XXXV. *Ita se proripuit e spectaculis, ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret.* In *Nerone* c. XIX. *Circuitis templis, cum in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhæsit.* Plinius lib. V. c. V. *Alismatis folia laciniosa magis quam plantaginis.* Pollux lib. V. c. IV. Ἔστι δέ τι ἄρκυος μέρος, καὶ ἀκρωλένια, ὅπερ ἐστὶ τὰ περιττὰ τῶν ἀρκύων, ἃ οἱ μὲν κράσπεδα οἱ δὲ πτερύγια ὠνόμασαν. Plutarchus in *Gracchis* de Scipione Nasica: Τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, *Laciniam togæ imponens capiti.* Valerius Maximus lib. XI. cap. VII. de Pisone, qui Titum Equitum Præfectum, quod loco fugitivis cesserat, his ignominiæ generibus affecit: *Jussit eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse.*

CAP. X.

Tiliæ & Philyræ vincula ex tenuibus membranis, inter corticem & lignum tiliæ: translate cujusvis generis membranulæ. Tabulæ. Tiliæ in toga quæ? Rejecta eorum sententia, qui arcas tiliacias exponunt. Tiliæ & tabulæ dictæ. Ratio hujus appellationis.

AUTOPSIA modo nos docuit quid sint tiliæ in toga. Jam dudum viris eruditis animadversum, a Plinio lib. XVI. c. XIV. tilias & philyras vocari vincula ex tenuibus membranis, quæ inter corticem & lignum tiliæ reperiuntur; hinc & cujusvis generis membranulas tenues, quamvis compositas ex alia materia, tilias aut philyras appellabant. Plinius lib. XIII. c. XI. de Papyro: *Præparantur ex eo chartæ diviso acu in prætenues, sed quam latissimas philyras.* Quas philyras Plinius paulo post tabulas appellat lib. eod. cap. XII. *Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua.* Videndus Politianus cap. LXXII. *Miscellaneorum.* Pari similitudine

Tertullianus prætenues illas plicas, quæ in ſtatuis togatis a ſiniſtro humero per tergum & ſcapulas ſub brachium dextrum ducuntur, tilias ſive philyras appellavit, quas & tabulas vocant. Nec enim accedo ſententiæ eorum (Jo. Hieronymus Sopranes in *Davide* digreſſ. I. diſp. III. cap. I. §. XIII.) qui per tilias intelligunt hic arcas tiliacias, in quibus forenſia veſtimenta condi ſolebant, teſte Columella. Quamvis vero non ſim neſcius, Scaligerum in *Animadverſ. contra Guilandinum* membro XVI. & Salmaſius in *Hiſt. Auguſtæ Scriptores* fol. 444. aliter hunc locum Plinii legere, an recte, alii viderint, mihi non eſt animus hic extra orbitam evagari; nec de papyri confectione longum ſermonem texere. Si cui tamen conjectura Salmaſii placet, qui in Tertulliano talias pro tiliis reponit, non repugno. Sufficit mihi digito oſtendere quas Tertullianus in toga tilias ſeu tabulas appellet. Has eaſdem tabulas appellat idem Tertullianus cap. eodem *de Pallio: Nihil de tabularum fide laborat*. Et cap. I. *Exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante ſuſpenditis, & pallii jam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis.* quæ tranſlatio ducta eſt a tabellis eburneis aut tilcaceis, in quibus ſcribi ſolebat quæ pro numero πτυχῶν, quibus conſtabant, aut δίπτυχα, aut τρίπτυχα, aut πολύπτυχα appellabantur, ut & Salmaſius obſervavit.

CAP. XI.

Umbo non fuit ſinus, non nodus quo toga in humero conſtringitur: non fuit in anteriore & poſteriore parte veſtis: non centrum plicarum contra Caſaubonum: ſed tumor togæ circa humerum ſiniſtrum. Umbo clypei. Quintilianus, Tertullianus, Curius Fortunatianus explicati. Palla non habet umbonem. In Apulejo conjectura. Artifex nodus. Error veteris Perſii Scholiaſtæ. Umbo in prætextis purpuratus.

NUNC de umbone pauca dicenda, in quo explicando viri docti valde æſtuant. Nam quidam (Marcil. & La Cerda *in Tertull. pallium*) umbonem cum ſinu confundunt, alii (Mercerus & Salmaſius *ad Tertull. Pallium*,) nodum eſſe aſſerunt, quo toga in humero conſtringebatur: quidam etiam non infimi nominis viri umbonem ajunt tam in anteriore quam poſteriore parte veſtis fuiſſe; atque ita ſingulas togas geminos umbones habuiſſe, anteriorem unum, alterum a tergo, ſed lautiorum ac elegantiorum hominum togas ſolummodo habuiſſe umbones, non Ciceronis, ac aliorum. Caſaubonus ait, centrum fuiſſe plicarum. Sic enim inquit: *Lautiorum toga componebatur, ut corrupta in multa πτύγματα clypei ſpeciem præberet, cujus centrum proprie appelletur umbo*. Si libri ejus *de Re Veſtiaria*, quos promiſerat, lucem vidiſſent, non nunc magnopere laborandum eſſet de tota hac materia, ut exiſtimo. Vide etiam quæ ſcribit Ferrarius lib. I. cap. VI. *de Re Veſtiaria*. Optime omnium Lipſius, qui ait, Latinos veſtis poſitum qui ad pectus exibat in tumorem, umbonem vocaſſe. Cui adſentior; & exiſtimo umbonem dictum fuiſſe partem illam togæ, quæ circa humerum ſiniſtrum in varias rugas contracta deſcendebat in pectus, & imponebarur baltheo illi, qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum ducebatur, atque ita umbonem cingebat. Ut enim umbo dicebatur σιδηρᾶ κόγχος, quæ aptabatur clypeo ſupra duplex tabulatum, Polybio teſte; ita etiam umbo dicebatur in toga pars illa togæ quæ imponebatur duplicatæ togæ, & umbonis quidem partem de lævo ita promittebant, ut infra baltheum ipſum deſcenderet. Clare Quintilianus: *Pars togæ quæ poſtea imponitur, ſit inferior* (nempe qui baltheus) *nam ita & ſedet melius, & continetur*. Sed clariſſime Tertullianus *de Pallio: Adeo nec artifice neceſſe eſt, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis fragmentum cuſtodibus forcipibus adſignet. Dehinc diluculo tunica prius cingulo correpta* (*quam præſtabat moderatiorem texuiſſe*) *recognito rurſus umbone, & ſi quid exorbitavit reformato, partem quidem de lævo promittat: ambitum vero ejus, ex quo ſinus naſcitur, jam deficientibus tabulis retrahat a ſcapulis*, &c. De ambitu, ex quo ſinus naſcitur jam deficientibus tabulis, paulo poſt dicemus. Ut umbonem abſolvam, Curius Fortunatianus lib. III. poſtquam definivit, quomodo tunica cingenda ſit, deinde quærit, quomodo baltheus togæ umbonem decenter cingat: *Quemadmodum cingemur? nec ſubmiſſe nec ſuccincte. Quid in umbone? nec fluxe nec adſtricte*. Quintilianum ſequitur, qui ita de baltheo togæ, qui umbonem cingit: *Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum ducitur velut baltheus, nec ſtrangulet nec fluat; pars togæ, quæ poſtea imponitur, ſit inferior*. Hinc & Apulejo lux affulget, qui ſcribit libr. XI. *Metam.* de Iſide: *Palla ſub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, umbonis vice dejecta partem laciniæ, multiplici contabulatione dependula*. Ubi bene ait, *umbonis vice*. Nam palla ipſa quadrangula erat, umbonem non habebat, ut toga, ſed ejus vice gerebatur lacinia ab humero dejecta. Sed libens legerem in Apulejo: *umbonis vice dejecta parte laciniæ*. Sed ut ad umbonem revertar, quia totam togæ ſtructuram ſtringebat, *artifex nodus* vocatur a Macrobio: *Fuit in veſtitu* (Hortenſius) *ad munditiem curioſo, & ut bene amictus iret, faciem in ſpeculo ponebat, ubi ſe intuens togam corpori ſic applicabat, ut rugas non forte, ſed induſtrie locatas artifex nodus conſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens, nodum corporis ambiret*. De umbone etiam Perſius:

——Totaque impune ſuburra
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Ubi non recte meo judicio vetus Gloſſographus ſcribit συνεκδοχικῶς, Perſium umbonem pro toga ſumere: *Alioquin*, inquit, *& in prætexta candidus umbo*. Sed nec ipſe videtur umbonis formam plene aſsecutus eſse; nam umbo in prætextis, ſi non totus purpureus, ſaltem purpuratus erat: namque eam magna ex parte formabat ſumma togæ ora, quæ purpurea erat: non enim ſolum prætexta purpuram in infima ora, ſed circumcirca habebat.

CAP. XII.

Sinus togæ non fuit adſutus, nec attextus, contra Anton. Auguſtinum, Turnebum, Manutium. non fuit cinctæ togæ pars. Lacinia diſtincta contra Sigonium. Sinus in togæ ſtructura. Philoſophi & auſteriores homines, breves; lautiores, inundantes habebant ſinus. Delicatiorum in ſinu formando cura. Umbo togæ, ſi in brachium decideret, ruſticum declarabat. Gremium & ſinus confunduntur.

NEC minus de ſinu togæ varie diſputant viri docti, Antonius Auguſtinus *Dialogo* II. Turnebus l. II. *Adverſarior.* c. XXVI. Aldus Manutius *de Quæſitis per Epiſt.* lib. I. cap. XI. qui ſinus togæ non attextos, ſed appenſos & adſutos tradit. Non intelligo quid ſibi velit Sigonius, qui ſinum cinctæ togæ partem fuiſse adſerit lacinia diſcinctam. Sed optime patruus meus Philippus Rubenius l. I. *Elect.* c. XVII. per imagines interpretes nos docuit quid ſinus eſset. Sed, credo, non viderunt eum viri eruditi, qui de ſinu togæ etiamnum diſputant, & quaſi in tenebris micant. Nos contenti ſumus hoc Catone. Namque illum veram ſinus formam

demon-

λόκοτον τῦ χήματος, πῖλος, demonstrasse, & ob oculos posuisse, mihi extra omnem judicii aleam videtur. Sed quia ille satis succincte hac de re tractavit, succedam ejus loco, ut & illis satisfaciam, qui ex Scriptoribus solum rem vestiariam eruere volunt.

Nascebatur igitur sinus ex toga quæ sub dextro brachio duplicabatur. Cum igitur pars togæ sub brachio dextro duplicaretur, superior quidem pars τῦ πτύγματος formabat baltheum, inferior autem tabulis constabat, id est, plicis longis per dextrum humerum descendentibus, exclusa dextra, deinde in deficientibus tabulis curvabatur in sinum, qui deinde injiciebatur in lævum humerum, rursus in tabulas conglomeratus. Et illi quidem qui Philosophiam & austerius vitæ genus adfectabant, togas exiguas portabant, atque ita breves sinus habebant, ut Cato:

Exiguæque togæ simulet textore Catonem.

Contra elegantiores & lautiores trossuli, quibus laxa erat toga, inundantes habebant sinus. Ovidius:

Nec toga sit laxo conspicienda sinu.

Pedo Albinovanus de Mecænatis obitu:

Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

Immo & delicatiores sinum ex humero sinistro quasi sponte lapsum dejiciebant in brachium, qui hoc modo umbonem latius ambibat. Macrobius de Hortensio l. II. c. IX. *Fuit enim vestitu ad munditiem curioso; & , ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat, ubi se intuens, togam corpori sic applicabat, ut rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens nodum lateris* (id est, umbonem) *ambiret. Is quondam cum incederet elaboratus ad speciem, collegæ de injuriis diem dixit, quod sibi in angustiis obvius offensu fortuito structuram togæ destruxerat, & capital putavit, quod in humero suo locum ruga mutasset.* Tibullus:

Defluit effuso cui toga laxa sinu.

At si umbo ipse togæ omnino decidebat in brachium sinistrum, id rustici & negligentis erat. Horatius lib. I. Sat. III.

Rusticius tonso toga defluit.

Quintilianus: *At si incipientibus aut paulum progressis decidat toga: non reponere eam, prorsus negligentis, aut pigri, aut quomodo debeat amiciri nescientis est.* Ex his quæ diximus, credo facile apparere posse cuivis, qua ratione Cæsar moriens sinum ad ima crura deduxit, ut honestius caderet. Agrætius de Orthographia, inter gremium & sinum distinguit. Sed confundit Florus, ubi de Q. Fabio legato Romanorum ad Carthaginem, lib. XI. cap. VI. *Excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit.* Juvenalis:

—— Fatum est in partibus illis
Quas sinus abscondit.

CAP. XIII.

Toga non cingebatur. Præcinctura togæ. Macrobius explicatus. Toga ipsa Romani præcingebantur, baltheo togæ. Cæsar fluxiore cinctura utebatur. Suetonius explicatus. Laticlavii tunicas inferiores zona substringebant. Præcinctura a cinctu Gabino diversa. Præcingi proprie dicitur, quando cinctus ab interiori tantum parte cingit hominem. Veteres Romani nullos sinus habebant.

DISQUIRENDUM nunc est, an toga Romana cingulo aut zona substringebatur. Quod Sigonius existimat. Contra Manutius & alii, quibus accedo. Præcincturam tamen in toga docet Macrobii locus jam sæpe laudatus de Hortensio: *Sed forte ad notam sæculi sui non sufficit Hortensius, vir alioquin ex professo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem. Fuit enim vestitu ad munditie mcu-*

A *rioso; & , ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat, ubi se intuens, togam corpori sic applicabat, ut rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens nodum lateris ambiret.* Idem cap. III. ejusdem libri: *In Cæsarem quoque mordacitas Ciceronis dentes suos strinxit. Nam primum post victoriam Cæsaris interrogatus cur in electione partis errasset, respondit: Præcinctura me fefellit. Jocatus in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet; adeo ut Sulla tamquam providus dixerit Pompejo: Cave illum*

B *tibi puerum male præcinctum.* locus non parvam doctis viris dissensionum occasionem præbuit; qui etiam in Macrobio pro *toga*, *tunica* ponendum censent, ut illum cum Suet. concilient. Quod tamen haud necesse est: nec enim Macrobius ait, Cæsaris togam cingulo aliquo substrictam fuisse, sed illum ita toga præcingi solitum, ut trahendo laciniam velut mollis incederet; fluxiore enim præcinctura utebatur. quod & Dio innuit lib. XLIII. Τὸ δ' ἂν χαῦνον τῦ ζώματος αὐτῦ, ὁ μὲν Σύλλας ὑπετύπησεν, ὥστε καὶ ἀποκτεῖναι αὐτὸν ἐθελῆσαι, τοῖς τε ἐξαιτησαμένοις εἶπεν ὅτι, ἐγὼ μὲν χαρίζομαι τῦτον ὑμῖν, ὑμεῖς μέντοι καὶ πάνυ τῦτον τὸν κακῶς ζωννύμενον φυλάττεσθε. *Laxam*

C *cincturam ejus ipse Sulla notavit, qui quum neci Cæsarem destinasset, deprecantibus pro eo respondit, se quidem eum ipsis concedere, verum ipsi ab isto male præcincto puero sibi caverent.* Præcingebantur autem Romani in habitu ordinario toga ipsa, nempe baltheo illo, qui sub dextro brachio ad sinistrum humerum oblique ducebatur, qui umbonem cingebat, ut jam diximus. Quam præcincturam agnoscit etiam Curius Fortunatianus loco supra citato: *Quemadmodum cingemur? nec submisse, nec succincte. Quid in umbone? nec fluxe, nec adstricte.* Id & Quintil.

D præcipit: *Ille qui sub brachio dextro ad sinistrum oblique ducitur, velut baltheus nec strangulet, nec fluat.* Cincturam etiam in toga agnoscere videtur Cicero l. II. *Epist. ad Quintum fratrem*, epist. XII. *Cæsarem illum in sinu fero, nec ego discingor.* Cæsar autem fluxiore præcinctura utebatur, ut molles & delicati solebant. Suetonius de eo cap. XLV. *Etiam cultu notabilem ferunt, usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde emanasse Sullæ dictum constat, Optimates sæpius monentis, ut male præcinctum puerum caverent.* Ubi duo notat in Julio. Primum, quod interiores tunicas

E nullo cingulo castigabat, sed sola toga præcingebat tunicas. Nam quamvis tunica laticlavia ὀρθοστάδιος erat; tamen tunicas inferiores zona substrictas portare solebant ceteri laticlavii: deinde quod cinctu ipso togæ fluxiore utebatur. Diversa hæc togæ præcinctura a cinctu Gabino, quo habitu amicti non præcincti a scriptoribus vocabantur, sed toga aut prætexta incincti, & a Græcis τὰς τηβέννας περιζωσάμενοι, id est, circumcincti. Præcingi videtur dici proprie, quando non circumcincti. Præcingi videtur dici proprie, quando non circumcirca cinctus ambit hominem, sed ab anteriori tantum

F parte. Martialis *de semicinctio* lib. XIV. ep. CLIII.

Det tunicam dives, ego te cingere possum.

Ennius apud Gellium lib. VI. cap. VI.

Brundusium pulchro præcinctum præpete portu.

Hunc autem cinctum togæ non habebant antiqui Romani, qui nullos sinus habebant, sed brachium toga cohibebant. Hinc Pedo Albinovanus ita Mecænatem defendit, qui & ipse male præcinctus erat;

Quod discinctus eras, animo quoque carpitur uno:
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo,
Quæ bene præcinctis post modo pulsa fugit.
Invide quid tandem tunicæ nocuere solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

CAP. XIV.

Augures amicti trabea & purpura & cocco. Videtur talis fuisse chlamys quam milites circumdederunt Christo. Dibaphus. Flamines læna amicti. Læna chlamys duplex. Lænæ & abollæ differentia. Flaminum læna purpurea. Ad pectus stringebatur ænea fibula. Erat & aurata. Hoc vestitu utebantur tantum in sacris. Pontifices prætexta utebantur. Prætexta circumcirca purpurata fuit, non in ima ora tantum. Λέγνα, ea prætexta. Pontifices sacrificaturi aut vota suscepturi prætextam capiti injiciebant. Virgilio lux Purpureo velare comas amictu. Suffibulum. Purpura sacerdotum non ex pretiosa, sed plebeja. Cicero explicatur.

QUis habitus fuerit Sacerdotum apud Romanos, diu mecum quæsivi. Ego hic breviter opinionem meam exponam, omissis aliorum sententiis. Igitur Augures amictos fuisse trabea ex purpura & cocco, tradit Servius *ad* VI. *Æneidos* ex Suetonio. Hoc est, primo cocco tingebatur, deinde purpura. Plinius l. IX. c. XLI. *Quin & terrena miscere, coccoque tinctum, Tyrio tingere ut fieret hysginum.* Talis etiam forte erat chlamys illa, quam Domino nostro milites circumdederunt, quam Matthæus coccineam fuisse, Marcus vero purpuream tradit. Hinc Dibaphum pro Auguratu posuit Cicero lib. XI. *Ep. ad Cælium* ep. XVI. *Sed tamen togam prætextam texi Oppio puto te audisse; nam Curtius noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur.* Et ep. IX. l. II. *ad Atticum: Proinde isti licet faciant quos volent consules, tribunos plebis; denique etiam Vatinii strumam Sacerdotii διβάφῳ vestiant.* Neque enim de dibapha Tyria Ciceronem loqui credo, quæ ipsius Consulatu primum Romanis visa fuit. De trabea alibi. Flamines vero læna amicti erant. Cicero in *Bruto: Licet aliquid etiam de M. Popilii ingenio suspicari, qui cum Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebeii contra patres concitatione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem.* Erat autem læna hæc chlamys duplex. Varro l. IV. *de lingua Latina: Ricinium id, quod eo utebantur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, ab rejiciendo ricinium dictum. Hinc quod facta duo simplicia paria, parilia primo dicta.* Et paulo post: *Læna quod de lana multa. Duarum enim togarum instar ut antiquissimum mulierum recinium, sic hoc duplex virorum.* Si aliqua differentia est inter lænam & abollam, credo hanc solum esse, quod illa chlamydis, hæc vero pallii species erat: id, est, hæc erat quadrata, illa vero rotunda. Læna autem utebantur flamines purpurea, si Servio fides est *in lib.* IV. *Æneidos*. ubi tradit veteri cæremoniarum jure præceptum esse, ut flamen venenato operta sit. Vide eumdem in illud:

—— Tyrioque ardebat murice læna.

Fibula vero ænea hanc lænam ad pectus stringebant flamines. Festus: *Infibulati sacrificabant flamines propter usum æris antiquissimum æreis fibulis.* Et Servius *in* IV. *Æneidos*, ad. d. l. *Læna est proprie toga duplex, amictus auguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem, in qua Flamines sacrificant infibulati.* & ita Sacerdotes videmus in Columna Trajana & aliis antiquitatis monumentis. Hoc autem intelligendum, nec augures nec flamines sic amictos fuisse nisi in sacris. Læna hæc flaminum tota purpurea erat & aurata, ut Appianus docet; ita & Virgil. ubi Æneam ut flaminem adornat, addit:

—— Et tenui telas discreverat auro.

Pontifices autem toga prætexta utebantur. Lampridius in *Alex. Severo: Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris.* Livius Decad. IV. lib. III. *Romæ eo primum anno Triumviri Epulones facti Cajus Licinius Lucullus,*

A *Titus Romulejus, qui legem de creandis his tulerat, & Publius Portius Lecca. His Triumviris idem ut Pontifici lege datum togę prætextę habendę jus.* Prætextam autem non solum in ima ora, sed circumcirca purpuratam fuisse credo; ut videtur in statua ærea prætextata, quæ est apud Floretiæ Ducem, ubi non solum αἱ ὦαι, sed etiam τὰ λέγνα purpura prætexta sunt. Λέγνα enim appellant extremitates illas togæ aut pallii quæ ora sursum ibant. Pollux l. VII. c. XIV. Ωα δὲ τὸ ἐξωτάτω τοῦ χιτῶνος ἑκατέρωθεν. Λέγνα δὲ τὰ ἐν τῷ ἱματίῳ ἑκατέρου μέρους, οὐχ ὅπου ἡ ὦα. Id est: *Ora extrema tunicæ pars utrimque (id est, in superiori & inferiori parte,) λέγνα vero in amictu utriusque existentes partes, sed non ubi ora est.* B Ubi clare in pallio quadrato utrimque oras fuisse supra & infra, λέγνα vero a dextro & sinistro latere videmus. Hæc legna etiam prætexta fuisse indicat Hesychius. Λέγνα inquit, τὸ παρυφαινόμενον τῇ παραστροφῇ. Hinc patet etiam, umbonem togæ in prætextis purpureum fuisse, quod dicit Persius:

—— Totaque impune suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

De quo superius. Sacrificaturi autem, aut vota suscepturi Pontifices prætextam capiti injiciebant, ut in omnibus nummis & marmoribus. Ita Josephus C l. VII. *de bello Judaico* de Vespasiano Καὶ τῷ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς ἀποκαλυψάμενος δ' εὐχὰς ἐποιήσατο τὰς νενομισμένας. quod Ruffinus vertit: *Et amictu magnam partem capitis adopertus solemnia vota celebravit.* Quia autem prætextæ illa pars quæ capiti injiciebatur purpurea erat, hinc bene Virgilius dicit:

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Hæc vero prætexta Pontificum, ut & palla Vestalium, suffibulum dicebatur. Varro lib. V. *de LL. Opeconsiva dies a dea Opeconsiva, cujus in regia sacrarium: quod ideo actum, ut eo præter virgines Vestales & sacerdotem publicum introeat nemo; is cum eat, suffibulum* D *haud habebat tritum: id dicitur a suffiendo, ut subligaculum.* Illud notandum, Sacerdotes ut in vasis, ita etiam in veste frugalitatem antiquorum observasse; nec enim purpura eorum ex pretiosa illa, sed plebeja & vilis. Sic explico Ciceronem *pro Sextio* de Pisone: *Vestitus aspere nostra hac purpura plebeja ac pene fusca.* ubi nostram vocat purpuram illam plebejam, quia ipse Augur erat. Ita Larensius Pontifex apud Athen. l. VII. Ἐσθῆτάς τε ἔχομεν καὶ ὑποδέσεις εὐτελεῖς, πίλους τε ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα προβατίων δερμάτων δασεῖς, κεράμεα δὲ καὶ χαλκᾶ τὰ Διακονήματα κομίζομεν. Id est: *Exigui pretii amictus calceatusque nobis est: pileo caput opertum ex ovium pelle villo-* E *sa: vasa quibus ministrant vel fictilia sunt, vel ex ære.* Pulchre D. Gregorius Nyssenus *Orat. de S. Theodoro: Me etiam Imperatorum horum miseret, quod cum per se satis magna inter homines dignitate ob regium Imperium præditi sint, Pontificis appellationem sibi sumpserunt, & lugubri obscuraque purpura hujus dignitatis nomine induuntur ad imitationem infelicium Pontificum, in dignitate splendida atque illustri triste atque inamœnum gestantes indumentum.*

CAP. VI.

Lucianus explicatus. Πῖλος. Rejecta Thomæ Mori versio. Ulysses cum pileo fingebatur. Ulysses non habuit F *pileum umbellatum & galericulum contra H. Aleandrum.*

MITHROBARZANIS apud Lucianum in *Necyomantia* Menippum ad inferos descendere cupientem medica veste ornat: Καὶ ἐνεσκεύασε τῷ πίλῳ, καὶ τῇ λεοντῇ, καὶ προσέτι τῇ λύρᾳ. καὶ παρεκελεύσατο ἤν τις ἔρηταί με τοὔνομα, Μένιππον μὲν μὴ λέγειν, Ηρακλέα δὲ, ἢ Ὀδυσσέα ἢ Ὀρφέα. Quod Thomas Morus vertit, *& ornavit clava, ac leonis exuviis. & insuper lyra.* Ita & in principio: Τί δὲ βούλεται τὸ ἀλ-

ϰὶ λύρα, λεοντῆ. *At quid sibi vult habitus hujus insolentia, clava, lyra, leonis exuviæ?* cum ubique vertendum sit, *pileus, lyra, leonis exuviæ*. Quia enim Hercules, Ulysses, & Orpheus ad inferos descenderant, dat Menippo pileum ut Ulyssem referat, leonis exuvias ut Herculem, & lyram ut Orphea. Ulyssem autem cum pileo fingi solitum omnibus notum. Vide post alios Hieronymum Aleandrum in *explicatione tabulæ Heliacæ*, ubi tamen non mihi persuadet, tribuens Ulyssi pileum umbellatum, & galericulum; nec enim in nummo illo Mamilii video aliud quam rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa, ut ait D. Hieronymus Epist. *ad Fa-*
B *biolam* de pileo Ulyssis. Ita etiam Ulysses cernitur in pila antiqua ex marmore, quæ extat in foro Cathanensi, in qua Ulyssis historia sculpta est.

CAP. XVI.

Orpheus in antiquis monumentis cum tiara, & braccis. Tiaras & braccas Scythæ portarunt.

IN marmoreis antiquorum monumentis sæpe Orpheus cernitur cum tiara & braccis, ut videri potest apud Antonium Bosium in *Roma subterranea*, cujus rei rationem ipse reddere volens, ita scribit l. IV. c. XXXI. *Major autem difficultas rem al-*
C *tius contemplanti subest, si quis nimirum studiose recolat, quanam ex causa hujusce formæ pileolum, seu tiaram, pictæ ipsius Orphei imagini aptari contigerit; sed propositæ nuper quæstionis nodus solvitur, si quæ a nobis jam de ipso Orpheo præmissa sunt, mente repetamus*. Sed nihil opus his argutils. Thraces enim & Scythæ tiaras & braccas portabant, ac de tiara testis Lucianus *de Gymnasiis*, ubi Anacharsis ita inquit: Τὸς δὲ πῖλόν μοι ἀφελεῖν, οἴκοθεν ἔδοξεν ὡς μὴ μόνος ἐν ὑμῖν ξενίζοιμι τῷ σχήματι. *Tiaram domi deponere placuit, ne solus apud vos peregrino habitu utar.* De braccis Ovidius l. IV. *Tristium*:

Hos quoque qui geniti Graja creduntur ab urbe,
D *Pro patrio cultu Persica bracca tegit.*


Valer. Flac. l. V. *Et jam Sarmaticis permutant carbasa braccis*. Et de Orpheo ipso Philostratus l. I. *de vita Apollonii* c. XVIII. de Persis: Χαίρουσι γὰρ δὴ τῷ Ὀρφεῖ τιάραν ἴσως ϰὶ ἀναξυρίδα τιμῶντες, οὐ δὲ μουσικὴν γε οὐδὲ ᾠδὰς, αἷς ἔθελγεν. *Plurimum namque Orpheo gaudebant incolæ, tiaram forsan & braccas admirati, non sane musicam, aut carmina, quibus demulcebat homines.* Et Philostratus junior in *Iconibus* de Orpheo: Τιάραν δὲ χρυσαυγῆ ἐπὶ κεφαλῆς αἰωρῶν. *Tiaram auro fulgentem in capite rectam habentem.*

CAP. XVII.

E *Scabilla. Non legendum scamilla contra C. Langium & Torrentium. Non fuerunt Hispanorum cascabelli, contra Scaligerum & Casaubonum. Non scabella quę pedis pulsu percutiebantur, contra Salmasium. Vera Scabillorum forma. Scabilla & Cymbala conjunguntur. Scabilla ex ligno, interdum ex ferro. Cymbalorum forma. Cymbala semirotundi pelves quos concutiebant. Non fuerunt similia cymbalis Italicis & Hispanicis. Non percutiebantur malleolo.*

F MAGNA inter eruditos contentio est, quæ sint scabilla apud Ciceronem, Suetonium, & Arnobium. Carolus Langius Scamilla legit, & credit esse instrumenta illa musica, quæ nos *Scalmyen* appellamus, cui subscribit Torrentius *ad Suetonium*. Josephus Scaliger *ad Copam Virgilianam*, & Casaubonus *ad Suetonium* scabellos esse putat, quos Hispani nunc *cascabellos* vocant. Sed horum opinio facile refelli potest. Claudius Salmasius *in Flav. Vopiscum* censet revera, antiquos habuisse scabella in hunc usum parata, quæ pedis pulsu lignea solea vel ferrea percussa sonarent. Sed ipsum refutat ipse Statii interpres, quem allegat ad illud: *inspirata rotari*

A *buxa*, qui exponit *inspirata buxa*, tibiam vel *scabellum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt*. Si enim vera scabilla erant, quomodo erant inspirata? Ego puto veram scabillorum formam videri in statua marmorea, quæ extat apud magnum Etruriæ Ducem Florentiæ; quam hic exhibeo.



Ubi videmus musicum, scabillum pedibus sonantem & cymbala manibus quatientem. Ita cymbala & scabilla conjunguntur a D. Augustino. l. IV. *de Musica*. qui locus ab aliis jam allatus. Scabilla autem illa aliquando ex ligno erant, aliquando ex ferro. Libanius Orat. XIX. pro Saltatoribus: Δεῖ δὴ τίνα κανόνα σιδηροῦν ἀπὸ τῆς βλαύτης ὁρμώμενον ἀρηχθοσάνῃ χθὼν ἐργάσασθαι. Nec solum scabillorum formam, sed etaim cymbalorum videmus in hac statua. Nec enim aliud erant cymbala antiquorum, quam semirotundi quidam pelves quos concutiebant. Ita Servius *ad* IV.
D *Georgicῶν* ad illud: *Matris cymbala: quæ in ejus tutela sunt, ideo quod similia sunt hemicyclis cæli, quibus cingitur terra, quæ est mater deorum.* Isidorus l. II. *Originum*: *Cymbala, acetabula quædam sunt, quæ percussa invicem se tangunt, & sonum faciunt.* Sen. l. II. *Natur. quæst. Ita tympana & cymbala sonant, quia illa repugnantem ex ulteriore parte spiritum pulsant; hæc ad ipsum aerem acta, nisi concavo, non tinniunt.* Unde patet errare eos, qui scribunt cymbala antiquorum haud absimilia fuisse cymbalo Italico & Hispanico, quod *est instrumentum*, ut Cajetanus describit. I. *Corinth.* XIII. *notum, quo puellæ utuntur choreas ducen-*
E *tes, gestando sinistra manu cymbalum, & dextra percutiendo illud: ejus sonus proprie est tinnitus multorum circulorum æreorum, qui in circumferentia lignea cymbali filis ferreis sustentantur. Simul enim tota illa circulorum multitudo tinnitus emittit percussa pergamena cymbali planitie.* Tympanum antiquorum ea forma erat. Falluntur etiam ii, qui putant, cymbala sonum edidisse malleolo partem convexam pulsante, & concavam ad aerem allidente; nec enim malleolo percutiebantur cymbala, sed inter se collidebantur. D. August. *enarrat. in Psalm.* CXXX. *Cymbala invicem se tangunt ut sonent, ideo a quibusdam,*
F *labiis nostris comparata sunt*. Greg. Nyssen. c. IX. *in Psalmos*. Τοῦτο γὰρ ἡ τοῦ κυμβάλου πρὸς τὸ κύμβαλον ἐνδείκνυται σύνοδος. *Hoc enim ostendit cymbali cum cymbalo collisio.* Cymbalorum etiam formam videmus in vase marmoreo, quo bacchantes expressi sunt, quod extat Romæ in horto Justiniano. Nonnus vero *Dionysiacῶν* pro cymbalis mihi videtur aliud aliquod instrumentum describere:

Κύμβαλα αομβήεντα ςυνέκτυπε δίζυγι χαλκῷ
Συμφερετοῖς δονακεσιν.
Cymbala bombitantia una sonitum edebant duplici
ferro confertis fistulis.

OCTAVII FERRARII
ANALECTA
DE
RE VESTIARIA,
SIVE
EXERCITATIONES AD ALBERTI RUBENII
Commentarium de Re Veſtiaria, & Lato Clavo.

ACCEDIT
JOH. BAPT. DONII
DISSERTATIO
DE
UTRAQUE PÆNULA.

AMPLISSIMO AC PRÆSTANTISSIMO VIRO

JOANNI CAPELLANO

CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIO

OCTAVIUS FERRARIUS

FELICITATEM.



ARDE, imo pene jam ſero non unum nomen expungo: totque votis damnatus, ad aram humanitatis tuæ procumbo, mearum grande decus, columenque rerum. Quintus enim annus agitur, cum me ab ipſa juventa, æternæ Reip. obſequiis addictum, & magnitudine præmiorum, atque inuſitatis munificentiæ exemplis eo provectum, ut ne a ſuperis quidem majora optarem: me, inquam, hoc ſtudiorum ſecreto, & ſenectutis nido gaudentem, ingenii, ac voti modicum, ſi qua me quoque poſſem, tollere humo, tu repente fatis oſtendiſti, atque ad adorandum Gallicum ſidus evocaſti. Hoc eſt ſummi, atque incomparabilis Herois Colbertii commendatione, te conciliante, ut Regis, ab omni ævo Maximi, judicio exornarer, & digna ſeculo, digna ſeculi miraculo, indulgentia augerer, effeciſti, & beatiſſima luce perfuſum in Cœlum extuliſti.

Ego per id omne tempus inſperato gaudio attonitus, his Sacris, veluti alienis tacitus interfui: nondum preces Jove dignas concipere, non verba, queis me exſolverem reperire, nullum hactenus publicæ venerationis ſpecimen edere, aut potui, aut ſperavi.

Cum tu interim tanto terrarum intervallo disjunctus, tenaciſſima benefaciendi voluntate, Heri, qui Orbem nutu temperat, ac Diſpenſatoris, cui tantæ fortunæ moles incumbit, obviam beneficentiam ſubinde provocans, aureaque fruge Muſarum horrea locupletans, me quoque, quinquies repetita Optimi Principis liberalitate ditatum, ſacrarum largitionm, & exoptatiſſimæ gratulationis compotem reddidiſti: ut prope non minus tuis, ac Colbertii, quam Regis judiciis, ultra humani gaudii vota gloriari poſſim: tecum paria facere nequeam, etiamſi vita ipſa decidam.

Quum igitur ſilere diutius ſine piaculo non poſſem, nec alia teſtandæ in te meæ pietatis ſe ſe occaſio in præſentia offerret, ne ingratus morerer, auſus ſum, brevi ſcripto nominis tui decus præfigere: & qui te ad juſtum opus vocare non potui, ad Analecta, & menſæ dona ſecundæ rogare, ac ſupremum poculum Mercurio libare.

Nam etiamſi me tot tibi beneficia non obſtringerent, hoc tamen officii genus a me exigebat, & natura tua admirabilis, & exquiſita doctrina, & in ſumma magnitudine animi, ſingularis humanitas, plenumque ingenio pectus, lætiſſimo ac plane poetico. Ut de te verius uſurpari poſſit, quod de Titinio Capitone minor Plinius prædicat: *Vir optimus & inter præcipua ſeculi ornamenta numerandus. Colit ſtudia, ſtudioſos amat,*

fovet, provehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium, omnium exemplum. Ipsarum denique literarum jam senescentium reductor, ac reformator.

Tu, inquam, non literatorum modo portus, ac perfugium, sed exemplum, orandi æque magnus, & canendi. Ut enim sublimiora omittam, quæ sola veneratione constant: Consilii pondus, ac præstantiam, artium regnandi, ac summæ rei peritiam, diuturno aulæ usu, ac rerum magnarum tractatione, longa senecta partam: cujus commendatione inter illos proceres allectus es, qui Principis mentem oraculis loquuntur, a quibus consilii copiam interdum petit, qui humano generi quotidie consulit: quos audit, cui ipsi obediunt Reges: & ut Homericus Jupiter, nunquam sine Deorum concilio aliquid magni molitur, cum sit ipsius concilii mens, & regimen.

Ut hæc, inquam, majora viribus meis præteream, & ad umbratiles curas, hoc est, studiorum nostrorum amænitatem, tetricæ disciplinæ avocamenta, divertam: quo nomine, aut quibus laudibus Aurelianensem Viraginem tuam prosequar? Cui tu æternis versibus vitam, ac spiritum, sicut illa Francorum Regno salutem, redonasti. Nec se alio opere Gallicæ Musæ ambitiosius circumspiciunt, sicut eædem in Epistolis tuis loquuntur, Ea est in carminibus sublimitas, & grande Epos, ea in epistolis suavitas, vividum acumen, nativus, ac minime fucatus nitor, & ubique vitæ par, scriptorum comitas.

Ergo tantisper ad brevem hanc commentationem eruditissimos oculos deflecte, & Quiritium habitum, cultumque, ac rerum dominam togam, summi velamen honoris, togæque ac tunicæ insertum purpuræ lumen, clavatas vestes, picta oculis indumenta, ac superbo murice prætextas lacinias, curiose inspice, mihique pro Romanis spoliis pugnanti fave. Et quoties a publicis curis avocare animum, ac veluti interjungere tibi licuerit, hoc choragio oculos pasce. Rarus honos mihi erit, a virorum doctissimo posse legi, rarior ab optimo diligi. Vale. Et Viris doctissimis Peraultio, Seguino, & Carcavio salutam plurimam dicito.

Patavii Kal. Junii MDCLXX.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



Uum primum Alberti Rubenii V. C. opus de Re Vestiaria, & Lato Clavo *ad nos perlatum est, avide illud arripui, atque attente perlegere cœpi, noscendi cupidus, quid tot olim doctissimorum virorum lucubrationibus, & nostræ exiguæ opellæ in hoc argumento adstrui posset. Nam cum in re tam vetusta, atque eruditorum dissidiis controversa, non pauca adhuc restarent, nondum ad liquidum perducta, propter celebrem viri famam, spes erat, cuncta posthac in aperto fore, novaque hac cura, nihil prætermissum, quo studiosorum voto satisfieret.*

Sed res longe secus, ac putaram, accidit. Vix enim pauca capita delibaveram, cum

nova omnia, novisque controversiis implexa, & ex opposito cum nostris pugnantia deprehendi: ut contradicendi studium ubique emineat, ubique viris doctis obstrepat, ubique susceptam semel sententiam, veri securus, pertinaciter tueatur, quo ejectis ceteris, in hoc argumento regnum obtineat solus.

Lubet hic ejus paradoxa carptim in antecessum stringere, ne hoc a nobis obtrectandi causa dictum videatur. Ait clavos in vestibus non fuisse notas purpureas rotundas, aut quadratas, sed lineas, sive virgulas sursum versus ascendentes, & quidem unum tantum clavum, aut duos fuisse: ac juvenili ostentatione, in primi capitis epigraphe, hoc a se statui jactat, adversus Egnatii, Sigonii, Accursii, Lazii, Panciroli, Cujacii, Budæi, Salmasii, Josephi Scaligeri sententiam, quasi ipse solus sciat, quod tot viri celeberrimi ignorarunt.

Addit, Chlamydem interdum togam dictam esse: togam ipsam non fuisse vestimentum clausum: clavos, vel transverse, vel recte per medias vestes deductos, eosdem poparum, & publicorum servorum ornatum fuisse: muliebres autem, & citharœdorum, scenicorumque tunicas, transversos clavos habuisse aureos, vel pictos. Quidquid denique de purpura, apud veteris, atque inferioris ævi Scriptores unquam legit, totum id ad clavos trahit, ut in paragaudis, & Sacerdotum matris Deum, barbarorumque indumentis, & Gallorum sagulis.

Pænulas, & tunicas, tres, aut quatuor clavos habuisse, cum paulo ante, unum aut duo statuisset. Vittas, diademata Regum Persarum, pulvinaria, chirothecas, pariter clavatas, cum de mappis, & linteis toralibus certum sit. Trabeas clavis distinctas: Trabeam toga breviorem, nec multum a paludamento dissimilem. Togam solo circumjectu a chlamyde Macedonica diversam. Trabeam solo colore, a paludamento, & chlamyde distinctam, ejusque colorem ex purpura, & cocco constitisse. Chlamydes clavis ornatas, easque a militibus tantum in dignitate constitutis gestatas. Pænulas clavatas fuisse, & apertas, lacernas, eadem fere forma, qua pænulæ. Angusticlavias tunicas, non solum equitibus, sed vulgo communes fuisse, id est, clavos angustos a vilissimo quoque in tunica usurpatos. Tribunos plebis non esse usos prætexta. Tunicas angusticlavi a matronis gestatas. Viliorum tunicas apud Græcos albis clavis distinctas. Senatorum patriciorum liberos, in prætexta clavum habuisse.

Stolam fuisse togam fœminarum, & dextrum brachium exclusisse. Pallam fuisse indumentum, non amictum, id est, tunicam, non autem pallium. Eandem cum peplo, peplum ex tunica, & pallio mixtum, sive Tunico-pallium. Omnes Senatores inferiore ævo, togas cinctu Gabino portasse. Chrysoclavum fuisse picturæ speciem, non aureum clavum: ipsos clavos, nihil aliud quam tabulas oblongas, quos supra statuerat lineas, sive virgulas.

Hæc in primo libro. At in secundo pronunciat, mulleos non fuisse calceos, sed crepidas, & a patriciis calceis diversos. Hos quatuor ligulas habuisse, cum plebeii calcei unam tantum. Calceum Senatorium non fuisse totum nigrum, sed tantum ejus ligulas. Lunulam patriciam non fuisse fibulam lunæ corniculantis specie. Sub Imperatoribus, pro calceis caligas a Senatoribus sumptas. Campagos fuisse sandalia, eosque intrinsecus albos, extrinsecus nigros. Thessalicam, & communem chlamydem a Macedonica non fuisse diversam. Togam, non forma, sed magnitudine chlamydi dissimilem, eandem apertam, contra veterum statuarum αὐτοψίαν. *Negat togæ umbonem fuisse sinum, eamque non cinctam fuisse, sed præcinctam. Chlamydem, qua Christus D. a militibus illusus, fuisse trabeæ similem, sicut lænam, duplicem chlamydem. Prætextam, non in ima tantum ora, sed circumcirca purpuratam. Et alia, quæ vitando tædio prætermittimus.*

Quæ omnia, cum partim falsa sint, ac plane absurda, ut in contextu Operis ap-

parebit, partim prava Scriptorum interpretatione in contrarium sensum detorta, non pauca inter se pugnantia: si quæ autem recta sunt, ab aliis pridem, & a nobis observata, & discussa: illico haud digna visa sunt, quæ a nobis refutarentur, erroris, ac vanitatis manifesta: omnemque, quæ in id impenderetur, operam perituram facile apparebat.

Itaque ea cura deposita, aut iis, quibus vilior jactura temporis esset, relicta, ad alia majoris momenti, quæ in manibus erant, animum convertimus. Cum præterea genus hoc contentiosum, ac refractarium, animo nostro parum gratum semper fuerit. Opusque ipsum posthumum esset, cui auctor extremam manum imponere non potuisset, plurima ut credimus, si licuisset, emendaturus. Cum insuper immane facinus videretur, compositi manes sollicitare, & cum larvis luctari.

Sed frequenti amicorum hortatu, ac pene convicio, qui multa esse ajebant, quæ in speciem, & coacta auctorum interpretatione, vera esse viderentur, & a rudioribus secus accipi possent, novaque discussione indigerent, quædam adhuc perobscura, clarius illustrari posse admonebant, simulne committerem, ut silentio viderer causam prodidisse. Accedebant malevolorum voculæ, in quorum oculos hæc laureola incurrerat. Scioli quidam, qui sibi docti videntur, non obscure ferebant, plurimos in Re Vestiaria errores nostros a Rubenio detectos, inscitiam, atque oscitantiam merito castigatam, notamque haud levem nomini nostro inustam.

Hæc vel invitum adegerunt, ut aliquid reponerem, ac textrinum ingressus, denuo hanc telam capesserem, ac novo labore veluti redordirer. In quo negotio si aliquando asperius invehi visus fuero, quis non concedat, ut eum, a quo, licet in speciem, honorifice, & ficta laudis testificatione, lacessitus sum, quique omnia nostra, qua jure, qua injuria, impugnare ex instituto aggressus est, multaque e nostris sibi arrogare, fas esse putavit, leviter repungam, atque Orationis libertate perstringam? Hoc modice feci, imo intra modum, ut non obtrectandi libidine, sed solo veritatis studio totum hunc laborem susceptum, quilibet affectu vacuus judicare possit.

INDEX CAPITUM.



OCTAVII FERRARII ANALECTA DE RE VESTIARIA.

CAP. I.

Utrum clavi vestium purpurei quadrati fuerint, an rotundi? Quintilianus explicatus. Rotunditas etiam latitudinem habet. Orbes pro mensis. Ammiano Marcellino lux.

Ad Caput I. Rubenii.



UT hinc igitur ordiamur, omissis variis de Clavo vestium tam lato, quam angusto doctorum opinionibus, quæ satis jam ita rejectæ, & explosæ sunt, ut otiosum sit, ac pene putidum iis refellendis tempus terere, & crambe repetita, quod clavi, *flores*, *globuli*, aut *fibulæ*, aut *limbi* fuerint, lectorem absterrere, cum inter doctiores conveniat, clavos hosce ad pectus tunicæ insertos, insutos, aut etiam intextos fuisse: illud dudum in controversiam venit, utrum signa ista purpurea rotunda fuerint, an quadrata? Hoc Salmasio visum *ad Flavium Vopiscum*. Quanquam *ad Trebellium* notasset, clavos purpureos vel aureos, figuram non aliam expressisse quam veri clavi, unde & nominatos: ἥλους etiam a Græcis appellatos, unde ἔνηλος, vestis purpura clavata. Subjicit, *& rotundis autem & quadratis quibusdam figuris ex auro, vel purpura vestes intexebant: tesseras vocabant & tabulas, & oculos, & orbiculos*. Postea *ad Vopiscum* non bene memor, mutat rotunda quadratis.

Nobis magis placebat, has purpureas notas fuisse rotundas: nam si quadratæ, nihil clavo simile habuissent, clavorum enim capita rotunda, & bullarum instar. Huc accedit, quod scriptores verbo *inoculandi* usi sunt, cum hæc ornamenta vestium exprimerent. Tertullianus *de pudicitia*: *Sed enim plerosque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in vestibus purpura occulandis sæpissime evenire est*.

Nam quod Salmasius fuisse quadratos ex verbis Quintiliani lib. VII. cap. V. conjiciebat: *Ut purpuræ recte descendant levis cura est: notatur interim negligentia*: Nam si rotundi essent, ajebat, quoquo modo descenderent, recti esset: diximus olim, si clavi, sive rotundi, sive quadrati recte insuerentur tunicæ, rectos semper fuisse, nec aliter esse potuisse. Verum inter se non recte cadere poterant, quoties tunica cingebatur. Nam ea cincta, cum pars superior attraheretur, ne longius descenderet, sinusque in quo clavi erant subduceretur, quos *purpuras* appellat Quintilianus, nisi æqualiter sinus subductus fuisset, purpurei clavi non recte descendissent, sed altiores, alii submissiores. Quare subjicit Rhetor, *ita subducendum sinum, ut purpuræ recte cadant*. Loquitur autem

A ibi de angusto clavo, sive tunica angusticlavia, quæ ab Equitibus cingebatur, cum laticlavia in Senatoribus sine cinctura descenderet. Quod Manutio adnotatum, pro suo nuperi venditarunt.

At Rubenius neque rotundos fuisse, neque quadratos autumat. Negat enim se videre, si vel quadrati, vel rotundi fuerint, qua ratione latitudo eorum Curiam ab Equite distinxerit. Quod neque quadratum latitudine excrescere possit: & nulla rotunditas latitudinem habeat. Quasi quadratum alio majus, aut minus esse non possit. Quod si nulla rotunditas latitudinem habere potest, peccavit Juvenalis cum Sat. I. dixit de Romanorum mensis, quæ vulgo rotundæ erant:

B

Nam de tot pulchris & latis Orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.

Licet enim lauti, plures hujusmodi mensas, sive Orbes citreos haberent, pulchros, latos, & antiquos, una tantum mensa, id est, uno missu (nam mensæ cum cibis, & ad variationem ferculorum inferebantur) integra patrimonia absumebant. Clarius idem alibi:

—— Latos nisi sustinet Orbes
Grande ebur.

Neque ut puto peccaret, qui Solis Orbem Luna latiorem diceret, sicut Horatius lib. I. ode C XII.

Te minor latum reget æquus Orbem.

Alterum Rubenii argumentum non majoris momenti est. Si clavi quadrata, aut rotunda purpuræ fragmenta fuerunt, pluribus hujusmodi clavis tunicam Senatoriam distingui debuisse, quod una, aut duæ tantum bullæ grande lumen afferre non poterant tunicæ Senatoriæ? Unum autem aut duos ab Horatio clavos admitti, plures a Quintiliano damnari. Quod, quamvis falsum esse suo loco ostensuri sumus, etsi concedamus, cur unum, aut duo purpuræ segmenta ea magnitudine fieri non potuerunt, ut tunicam distinguerent, & illuminarent? Obscurior certe tunica, ac prope surdo lumine fuisset, si quod Rubenius censet, clavus, non aliud quam virgula purpurea fuit, quod cum illuc ventum fuerit, expendemus. Sicut utrum unus clavus, & alter, an plures fuerint, tunc commodius quæremus.

Tertio Ammianum Marcellinum advocat lib. XVI. *Veterator quidam ad lautum convivium rogatus, & mundum, qualia sunt in iis regionibus plurima, cum vidisset linteorum toralium par, duos clavos ita latissimos, ut sibi vicissim arte ministran-*

tium cohærerent, menſamque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens intrinſecus, ſtructuram omnem, ut amictus adornaverat principales, quæ res patrimonium dives evertit. Non videre ſe ait Rubenius, quomodo hæc purpuræ fragmenta clavorum capitibus ſimilia, ita ſibi invicem arte miniſtrantium cohærere poſſent, ut amictum Imperialem referrent.

Qui quidem locus mihi, qui hebetior ſum, obſcurus admodum, ac prope deploratus videtur. Quid enim ſibi volunt verba illa, quæ forte, an conſilio a Rubenio omiſſa ſunt? *anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens intrinſecus*. Videor tamen per caliginem hanc ſententiam elicere. Cum purpuræ uſus in veſtibus privatis, præter clavos eo tempore interdictus eſſet, & ita clavi illi latiſſimi in toralibus, & in mantili arte miniſtrantium inter ſe cohærerent, ut tam toralia, quam mappa tota purpurea, & non purpura tantum clavata videretur, inde ſycophantam accuſationis adornandæ occaſionem arripuiſſe, qua illi fortunis everſi ſunt, quaſi veſtem totam purpuream ſolis Imperatoribus dicatam domi poſsiderent. Cur autem illa toralia, & mantilia arte miniſtrorum ita conjungi, & complicari non potuerunt, parte ſcilicet linteaminis alba clavis interpoſita ſub iiſdem latente, ut tota purpurea appareret, atque ita veſtem Imperatoriam referret? Quod ſi clavi fuiſſent virgulæ tantum purpureæ, ut vult Rubenius, viderit ipſe, quomodo ita componi, & contabulari potuerint, ut principale indumentum exprimeret, quod facile admodum in clavis latiſsimis, nos tam acute non cernimus. Ceterum ſive rotundi clavi fuerint, ſive quadrati, ſive quod nunc veriſimilius nobis videtur, purpuræ ſegmenta oblonga a lato in acutum inſtar clavorum deſinentia, non ita laboramus, ut in eo Græciæ ſalutem verti credamus.

CAP. II.

Patagium, aureus clavus. Apulejus, Juvenalis & Varro explicati. Plagula.

TRANSIT hinc Rubenius, & Scaligerum reprehendit, qui *ad Varronem* notat, clavum fuiſſe plagulam, clavis purpureis conſitam, quæ ab humeris in pectus demittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. In quo quidem jam ab aliis Scaliger caſtigatus fuerat, ſicut & Cujacius, qui non adſutos veſti, ſed ſuper eam demiſſos in pectus clavos credidit: neque attinebat duorum ſummorum virorum lapſum refricare. Multo minus erroris dicam Salmaſio ferre, quaſi putarit prætextam fuiſſe tunicam, non togam. Verba ejus ſunt *ad Vopiſcum*: *Poſtea luxu creſcente virilibus quoque veſtimentis aurata ſegmenta adtexi cœpere: nam antea purpura tantum prætexebantur viriles tunicæ, ut erant prætextæ Magiſtratuum, & nobilium puerorum*. Sed prætextas, ait Rubenius, fuiſſe togas, non tunicas, notum omnibus, niſi qui nondum ære lavantur. Quaſi vir ille incomparabilis tam ſtupidus fuerit, ut prætextas fuiſſe tunicas crediderit. Sed ejus ſententia eſt, viriles tunicas, inferiori ævo purpura prætextas fuiſſe, ſicut togæ magiſtratuum & puerorum prætexebantur, quæ inde nomen invenerunt. Sed quod Nonium refellit Rubenius, qui patagium aureum clavum interpretatur, qui veſtibus matronarum immittebatur, negatque eſſe clavum, ſed purpureum ſegmentum, quod ad ſummam tunicam aſſui ſolebat, teſte Feſto, ipſe notandus eſt. Nam clavus nihil aliud fuit quam purpuræ fruſtum, ſive purpurei panni particula, quæ tunicæ virili ad pectus inſerebatur, ſive quadrata fuerit, ſive rotunda: patagium autem pariter clavus, ſed ex auro, quod ſtolæ ſive muliebri tunicæ ad fauces, & fortaſſe etiam alibi inſerebatur, idque a ſegmento diſtinctum, quod erat faſcia, ſive inſtita aurea, qua eadem ſtola in imo prætexebatur, cum patagium in ſumma ora, ſive ad fauces, & ad pectus adderetur, unde a ſcriptoribus ſegmenta aurea, cum veſte matronali purpurea ſemper junguntur; ut alias a nobis demonſtratum eſt.

Ergo patagium, ut recte Salmaſius *ad Tertullianum*, eſt clavus, ſed aureus ἀπὸ τοῦ πατάσσω, παταγεῖον, clavus, qui in materiam incuditur, ita patagium de clavo, qui veſti immittitur. Nam & Græci ἥλους, hujuſmodi veſtium clavos vocant, unde & ἔνηλος veſtis clavata. Clavus tamen proprie de purpureo, patagium de aureo. Tertullianus *de Pallio*: *Omni patagio inauratior*. Clavus ergo patagium, non ſegmentum, quod faſcia, ſive inſtita erat, quæ nullam clavi ſimilitudinem habet.

Sed fuiſſe patagium veſtis ſinum, ſive ſummam tunicæ oram (in qua non negamus etiam clavos aureos fuiſſe) probare nititur ex Apulejo de crinibus Photidis: *Uberes enim crines leniter emiſſos, ſenſimque ſinuato patagio reſidentes, pauliſper ad finem conglobatos, in ſummum verticem nodus adſtrinxerat*. Quaſi crines patagio, ſive ſummæ tunicæ oræ incumberent. Verum quomodo crines in ſummo vertice nodo adſtricti, ſummæ tunicæ, ſive patagio reſidere poſſint, non video: quod fieri poterat, ſi fluxiſſent ſoluti. Aliud innuit Apulejus. Nimirum crines, ita collectos, & compoſitos, & conglobatos in vertice fuiſſe, ut patagium, & figura, & aureo colore exprimerent. Eum crinium nodum non inepte Veneti *Coccone* appellant, quæ vox rotundum doliorum obturamentum ſignificat.

Ceterum Varronis verba a Scaligero adducta, nova quadam ratione interpretatur: *Nam ſi quis tunicam in uſu ita conſuit, ut altera plagula ſit anguſtis clavis, altera latis, utraque pars in ſuo genere caret analogia*. Quæ ſic explicat. Cum tunica conſtet ex duobus pannis, ſive duabus plagulis, quæ conſuuntur ad latera: ſi pars anterior tunicæ ſit anguſtis clavis ornata, pars vero poſterior latis clavis, utraque in genere ſuo caret analogia. Hæc eadem ſententia fuit Salmaſii *ad Vopiſcum*, licet id Rubenius diſsimulet.

Ex duabus, inquit Salmaſius, *igitur plagulis conſtabant (tunicæ) & conſutæ erant, una anteriore, altera poſteriore, & utraque clavis latis, aut anguſtis inſignita, prout dignitas ejus cui parabatur exigeret*. Sed quis unquam Veterum prodidit clavos etiam in poſteriore tunicæ parte adiditos fuiſſe? Aut ad quid ponebantur, cæci & latentes, cum pars ea tunicæ, aut toga, aut lacerna, & pœnula tegeretur, & ita nunquam conſpicua? Inepte autem Rubenius, ut probet plagulas fuiſſe duas tunicæ partes, ſive pannos qui ad latera ſuebantur, advocat Tertullianum *de Oratione*: *Oportebat enim in hac quoque ſpecie, novum vinum, novis utribus recondi, & novam plagulam novo adſui veſtimento*. Si enim plagula erat anterior, ac poſterior tunicæ pars, quomodo veſtimento adſui poterat? Veriſimilior igitur mihi Scaligeri opinio videtur, duos pannos ſive duas

plagulas clavis purpureis consitas tunicæ adsutas in pectore, non tamen quod ille censet ex humeris demissas, ut Epomis Græcorum. Nam plagulas de duabus tunicæ partibus anteriore & posteriore dici posse non puto, sed plagas, cum plagula, quæ vox Nonio accipitur pro torali, sive lectorum sindone exiguum pannum, aut velum significet, ut Suetonius *Lecticæ plagulas*, & Plinius *bibli, sive papyri plagulas*, id est, schedas appellat. Et quia etiam retia plagæ dicebantur, panni illi clavis consiti, plagulæ dicti, quod retis figuram exprimerent, licet clavi rotundi, retium plagæ quadratæ aut scutulatæ. Ajebat ergo Varro, si altera plaga, puta a dextra angustis, a sinistra latis clavis consuta fuisset, carituram utramque analogia. Quæ res etiam indicat non unum aut duos, sed plures clavos fuisse. Aliter Varronis sententia constare non poterit.

Quod ad tunicam Gracchi, quam patagiatam fuisse credit Rubenius ex Juvenale:

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat, & longo jactetur spira galero.

Præter quam quod spira de patagio dici non possit, quod clavi speciem referebat, nemo interpretum hactenus Satyrici sententiam assecutus est. Et olim quidem ita hunc locum explicavimus lib. III. *de Re Vest.* cap. XV. ut cum Vetus Interpres dicat eos *qui munera edebant, consuevisse extremas tunicæ partes ad guttur ornare, quo famam haberent*: & Gracchus hic non munus ederet, sed in munere pugnaret, verisimile esse, proceres, & nobiliores in tunicis ad fauces aurea segmenta gestasse, atque inde a Poeta dici, fuisse Gracchum nobilissimum indicio spiræ aureæ ex faucibus se exerentis. Nunc alia mihi mens est: quod nullus Veterum hujus aurei ornamenti in tunicis communibus unquam meminerit.

Illud ergo propius vero, peculiare hoc Gracchi fuisse, quia nempe idem sacerdos Salius erat, teste eodem poeta Sat. II. de eodem nupturiente:

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit
Arcano, qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancylibus.

De Graccho autem Poetam loqui verba illa paulo ante declarant:

Quadringenta dedit Gracchus sestertia, dotem
Cornicini.

Atqui Saliorum tunicas purpureas fuisse ex Plutarcho, vel variegatas, sive auro pictas ex Dionysio notum est. Atque hinc credibile, Salios perpetuo eas tunicas gestasse, & cum essent purpureæ, aurea ornamenta de more iis addita, segmenta, spiras, patagia ad fauces, & in ima ora habuisse: & ideo pictas, sive auro distinctas Dionysius appellavit. Ajebat igitur Aquinas, si quis dubitat Gracchum esse, retiarii schema in arena pugnantem, & quidem Saliari sacerdotio præditum, credat tunicæ Saliari purpureæ, & aureæ spiræ de faucibus tunicæ se porrigenti. Duo ergo scelera in Graccho castigat Juvenalis, quod Salius nupserit, & quod omnium ad podium spectantium nobilissimus, & eo ipso generosior, cujus munere retia mittebat, eo habitu pugnaret in arena, quo ab omnibus dignosci poterat, nuda facie, & Saliari tunica. Quanquam hoc facinus priori illi anteponit, quasi majus flagitium sit in arena cum viris pugnare, quam virum ducere. Pileum autem fuisse retiariorum, cum ceteri gladiatores galeam gestarent, alii docuerunt. Sed quomodo aurea illa spira, quæ de faucibus tunicæ se porrigebat, longo galero jactaretur, nondum mihi exploratum est. Qui illud explicaverit, & meliorem Juvenalis interpretationem attulerit, non exigua laude mactus erit.

CAP. III.

Clavos non fuisse lineas, sive virgulas purpureas vestem intersecantes. Trabeam a paludamento diversam. Togam non fuisse Chlamydem. Artemidori de hoc sententia. Toga vestimentum clausum.

Ad Cap. II.

POSTQUAM Rubenius communem doctorum sententiam de clavis vestium rejecit & explosit, novam opinionem affert, clavos fuisse purpureas lineas, quæ mediam vestem intersecabant, id est, transversas, oblitus, quod paulo post statuit, angustos Equitum clavos ab humeris ad pectus recte descendisse. Adjicit, quod omnibus notum est, purpurea hujusmodi ornamenta clavos appellari: sicuti vestes clavatas μεσοπόρφυρα; prætextas περιπόρφυρα. Sed sicut ex locis adductis, & per se clarum est, μεσοπόρφυρα fuisse vestes in medio, sive ad pectus purpura clavata: ita inde non sequitur clavos fuisse lineas, aut virgulas, quæ medias vestes intersecabant. Etsi Alcuinus & Remigius Dalmaticarum in sacris ornamenta virgulas, Amalarius & Honorius lineas, Rabanus tramites appellaverint, improprie, quod scilicet eo loco hæc ornamenta erant, quo olim in tunica senatoria, & equestri clavi fuerunt. Sicut Tibullus aureas vias in stola matronarum, aurum intertextum, non ad pectus modo, sed per totam vestem, quos nemo clavos proprie appellaverit: quemadmodum virgata Gallorum sagula, quæ Servio viæ in virgarum morem deductæ dicuntur, non fuere clavi, nemoque Veterum hæc sagula clavata, sicut nec stolæ aurum intextum, clavos appellavit.

Ceterum clavos non solum tunicæ insutos, sed etiam intexi potuisse nos nunquam negavimus: tantum Manutii opinionem attulimus, quod insuerentur, non autem de collo demitterentur; Omisimus refellere sententiam Manutii quod non intexerentur, quia satis eum Quintilianus refutabat; *intertexta pluribus notis vestis*. Et ideo frustra idem urget Wilthimius cap. IV. *ad Diptychum Leodiense*: quasi Quintiliani verba minus adverterimus. Quanquam adsutos, non intextos clavos declarat Jurisconsultus cum ait Lege XXXII. *de auro argento legato*: *Et quæ his accessionis vice accedunt, quæ sunt institæ, picturæ, clavique, qui vestibus insuuntur.* Ergo accessionis vice accedebant, si nondum fuissent insuti, aut inde resuti. Subjicit veste legata contineri. *Quemadmodum clavi aurei, & purpurei pars sunt vestimentorum. Idem Pomponius libris Epistolarum, etsi non sunt clavi vestimentis consuti, tamen veste legata contineri.* Quod fieri non potuisset, si fuissent intexti. Proprie igitur Quintilianus inserendi verbo usus est cum de clavis loqueretur: *Sicut affert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis*: id est vestis purpureis, & albis liciis intexta, scilicet circumquaque, & per totum: quales vestes variegatæ & muliebres: etiamsi notas sive signa pro clavis etiam accipi non ignoremus. Decet vestis clavata, non decet variegata: illud insuendo clavos suo loco, hoc per totum intexendo fiebat. Certe facilius fuit clavos tunicæ insuere, quam cum pannus conficeretur eidem clavos liciorum varietate intexere.

Confundit deinde minime ferendo errore Rubenius chlamydem cum trabea, id est, vestem militarem cum urbana, apertam cum clausa, & se

Artemidori auctoritate nequicquam tuetur. Quasi ille togam, chlamydem appellet lib. II. cap. III. *Eadem significat & vestis Romana, quam nunc* Τήβεννον *vocant a Temeno Arcade, qui primus suam chlamydem* τῦτον περιβάλετο ῗ τρόπον, *hoc modo circumdedit, cum per sinum Ionium navigasset, & ab his, qui isthic habitant, susceptus esset, a quo indigenæ edocti eodem modo aptarunt, & vestitum Temenium vocarunt, a Temeno auctore, verum secutis temporibus corrupta voce Tebennus appellatus est.*

Non ait Artemidorus Romanam vestem fuisse chlamydem: sed Temenum, cum chlamys Græco more aperta esset, & fibula in summa ora necteretur, ne caderet, primum vertisse morem hunc, & ipsam chlamydem consuisse, atque ex aperta clausam fecisse, atque ita circumposuisse, scilicet injectam, ut postea Romani togam gestarunt, sinistro brachio imam oram ejus sustulisse, dextro exerto. Quod vox περιβάλετο declarat, quod est *circumponere*, sive *circumjicere*, quod ferme de clauso vestimento accipitur, quod Latini *amicire*, & *amictum* dixerunt, nam *am* est ἀμφὶ, circumponere, circuminduere.

Nihil ergo Artemidorus Rubenium juvat: nam si toga aperta fuisset, ut chlamys, nihil novi attulisset Temenus; sed invertisse eum & formam, & gestandi modum illa indicant, *primus suam chlamydem hoc modo circumdedit*, diverso igitur a vulgari & recepto, id est, pro injecit, sive imposuit, circum jecit, hoc est, clausam alio modo corpori immisit.

Multo minus Ælii Stilonis verba ejus sententiam comprobant, chlamydem fuisse togam, cum ait *Virgines Salias facere Sarificicum in Regia paludatas, cum apicibus in modum Saliorum*. Atqui Salios togatos fuisse quidam tradunt (licet alii, ut Livius, tunicatos tantum) igitur toga & paludamentum, sive chlamys idem vestimenti genus. Sed Virgines Saliæ fuerunt paludatæ cum sacrificarent, cum apicibus in modum Saliorum. Virgines paludatæ, cum Salii togati, sed tam Virgines, quam Salii cum apicibus, & ideo Virgines hoc unum commune cum Saliis habuerunt, id est, apicem, cum illæ paludamentum, hi togam haberent.

Hinc est, quod Rubenius Abrahamum inclementer a Ferrario acceptum conqueritur, qui ejus insignem rei vestiariæ imperitiam dissimulare non potuit, quod trabeam, paludamentum, & tunicam idem vestimentum fuisse puerili hallucinatione contendat. Potius cavendum illi fuerat, ne in eundem errorem impingeret. Porro hujus acerbitatis causam fuisse ait, quod nos cum ceteris putemus, togam clausam fuisse, non apertam, quod ipse pervicaciter defendit. Atqui togam fuisse vestimentum clausum, non tam doctissimorum virorum auctoritate, & quidem communi sententia, si unum Sigonium excipias, quam validissimis rationibus, imo ipsa veterum statuarum & nummorum αὐτοψίᾳ evicimus, præcipue earum, quas Rubenii patruus Philippus edidit, in quibus nemo nisi Hypsea cæcior togam clausam fuisse negaverit.

Ad hæc si toga aperta erat, quomodo sinus, id est, pars ejus anterior, quæ defluebat ad pedes, lævo brachio subduci poterat, & sustineri, & cum opus foret demitti? Sinistra enim tantum pars, si erat aperta, subducta fuisset, dextra vel ad pedes decidisset, vel humero, aut brachio sinistro injici debuit, & tunc nullum plane discrimen inter togam, & pallium fuisset, utrumque apertum, utriusque pars dextra humero aut brachio sinistro injecta; eadem forma, idem gestandi modus, quæ vix in puero toleranda, nec digna quæ refutentur.

Præterea si toga aperta fuit, cur Cæsar moriturus, ut honestius caderet, togæ sinum ad ima crura deduxit? nisi ut cum tunica vix infra genua caderet, toga longior, & clausa crura operiret, & cætera, quæ in cadendo ob tunicæ brevitatem, nullis braccis aut fœminalibus, patere potuissent. Aperta toga etiamsi demissa fuisset, nullum pudori velamentum.

Plutarchus tamen indicare videtur togam fuisse apertam. Nam in *vita Gracchorum* ait, *Tiberii fugientis quidam apprehendit amictum* (Plutarchus ἱμάτιον de more appellat, id est, togam, cum proprie sit pallium) *ille toga relicta fugiens in tunica cespitavit*. Sed etsi toga clausa fuit, cum ad summam oram laxe pateret, ut exerto dextro brachio in pectus caderet, facile potuit si ad fauces apprehensa esset, ita inde trahi, ut ea relicta tunicatus, se in fugam proriperet. Quod etiam nunc fieret, si quis lineam tunicam interiorem licet clausam ad fauces apprehenderet, & per caput traheret, inde se ille nudus subduceret.

CAP. IV.

Unde clavi vestium appellati? Quid sit apud Quintilianum purpuras recte descendere? *De numero clavorum inutilis quæstio.*

Ad Cap. III.

SED quod spissum est, & confragosum, etsi clavi nihil aliud fuerint, quam lineæ sive virgulæ, recte vel transversim vestem secantes, undenam clavorum appellationem sint sortitæ. Æstuat merito Rubenius, nec proficit hilum. Mox ne nihil dicat, affert conjecturam, quæ ipsi auctori non satisfacit: nec enim cuiquam, vel mediocriter erudito satisfacere potest. Scilicet ornamenta quædam aurea, poculis argenteis, vasis, & aliis instrumentis inserta fuisse, quæ quia primum rotunda erant, ut capita clavorum sunt, & poculis ut clavi infigebantur, clavos appellabant; ut de Nestoris poculo ait Homerus χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον. Hinc omnia alia signa poculis infixa, quamvis longa aut quadrata essent, clavos appellata. Et ita cum vestibus purpurea segmenta inserebantur, per translationem clavos dicebant.

Verum hæc profecto ἄῤῥητα ἀμείνω. Nam ex his illud potius consequitur, ab illis clavorum capitulis, quibus pocula, & vasa distincta & compuncta erant, etiam notas purpureas rotundas in vestibus clavos dictas esse: vel simpliciter, quod utrobique clavi speciem referrent, rotundam scilicet, ut clavorum umbellæ.

Nam poparum limum, sive transversam purpuram clavum appellare, licet Servius ita limbum vocet, impropria locutio est, & vocis abusus, sicut segmenta vestibus mulierum, & citharœdorum intexta, aut in paragaudis, quæ nullam clavi speciem referunt. Quod vero Quintilianus dicat, purpuras angusticlaviorum rectas fuisse, & a summa tunicæ ora ad imam descendisse, id profecto ex verbis ipsius colligi non potest, & est mirifica interpretatio. Lib. XI. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunica prioribus oris infra genua paulum cadat, posterioribus ad medios poplites usque perveniat. Ut purpuræ recte descendant, levis cura est, notatur interim negligentia*. Quæ a nobis supra explicata sunt. Nam cum tunica ab angusticlaviis cingeretur, quæ in Senatoribus soluta, ita arbitrante cinctu aptari debebat, & suspendi, ut ante, paulo

infra genua, retro ad poplites uſque pertineret. In quo cura adhibenda erat, ut clavi recte deſcenderent, id eſt, ne dextra pars ſubmiſſior, ſiniſtra altior eſſet, tunc enim clavi, ſive purpuræ recte non deſcendiſſent in pectus. Ergo ipſo cinctu, ita aptanda erat, ut æquales purpuræ eſſent, & eo modo deſcenderent, quem præcipit Rhetor. Nulla hic mentio quod clavi a ſumma ora ad imam deſcenderent, nullusque Veterum id prodidit, ſed tantum quod tunicæ ad pectus insererentur.

Digreditur inde, & novam quæſtionem inducit: quod clavis veſtes diſtingui ſolerent. Vere a Seneca pronunciatum eſt: Intemperantiæ genus eſſe, plus ſcire velle, quam ſit ſatis. Nimis jam invidioſum eſt, & malevolorum voculis obnoxium antiquitatis ſtudium, quod plerumque circa inutilia, & frivola occupetur. Vix aliquis ferat diſputantes, utrum clavi quadrati fuerint, an rotundi: quid ſi eoſdem numerare incipiamus, curioſa, ac ſupervacua diligentia? ſicut quibuſdam jactura temporis tam vilis eſt, ut calceorum corrigias, & obſtrigilla computando illud terant. Sacerdotum matris Deum tunicas, & Gallorum virgata ſagula clavata improprie dici ſupra notavimus. Unum, aut duos clavos Romanorum tunicis inſeri ſolitos ex Horatio cenſet Rubenius:

Purpureus late, qui ſplendeat unus & alter
Aſſuitur pannus.

Et Quintiliano lib. VIII. cap. V. *Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco inſertus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis veſtis.* Ex quibus colligit, unum tantum in ſenatoria tunica clavum fuiſſe. Quod quia pluribus infra confirmare conatur, cum illuc ventum fuerit, examinabimus.

C A P. V.

De Trabea. Togam fuiſſe, & a paludamento diverſam. Dionyſius Halicarn. emendatus & explicatus. Chlamys Chriſti Domini Coccinea.

Ad Cap. V.

SEQUITUR diſputatio de Trabea, quæ licet a nobis olim non incurioſe exhauſta ſit, hic iterum retexenda, quia plurima ſunt, in quibus a viro eruditiſſimo diſſentire cogimur. Illud initio damnandum, trabeam clavis ornatam fuiſſe, ut nomen ipſum indicat. Quis enim trabes clavos dixerit, etiamſi fuerint trabales? Subjicit, quod Veteres tradant, trabeam togæ ſpeciem fuiſſe, id non ſimpliciter accipiendum eſſe; quia trabea a prætexta diverſa fuerit. Hoc quidem certum eſt, non tamen inde ſequitur non fuiſſe togam, etſi non fuerit prætexta; utraque enim toga fuit: hæc, purpureo limbo in ima ora inſignis, reliqua parte alba, ut communis: illa purpureis faſciis ſive inſtitis inſtar trabium diſcurrentibus per totum intexta.

Neque breviorem fuiſſe quam toga (quamvis etiamſi brevior, nihilominus toga fuit) ex Virgilio colligitur de Pico:

Parvaque ſedebat ſuccinctus trabea.

Indicat enim ibi Virgilius ſimplicem, ac minime operoſum antiquorum habitum cultumque, cum togæ initio breves eſſent, ſtrictæ, atque anguſtæ: contra quam quod ſequentis ævi luxus, laxas togas, inundante ſinu fuſiores invexit. Quomodo ergo trabea brevior quam toga, ſi toga erat?

Oſtendit rurſus Rubenius, & diſſentiendi ſtudio in Abrahami errorem ſciens labitur; cum ait trabeam non diſſimilem fuiſſe a paludamento & A chlamyde Romana. Abrahamum in hæc impegiſſe non ita mirum, qui toties in re veſtiaria ceſpitat, illud plane mirabile tam deploratam cauſam patronum doctiſſimum inveniſſe. Nihil enim certius eſt, quam trabeam fuiſſe togam, & ideo veſtimentum clauſum ac rotundum, ſolo ornatu purpureo a toga communi, & ornatus ſpecie a prætexta diverſum: paludamentum autem & chlamydem indumentum fuiſſe apertum, & vel hoc uno a trabea diſtinctum.

Atqui Salii, quos trabeatos inducit Dionyſius, paludati Feſto dicuntur. Præter quam quod qui trabeati fuerunt, cum ancylia portarent, B (quanquam Livius, cujus major fides in rebus Romanis, illis tantum tunicas tribuit) potuerint cum ſacrificarent eſſe paludati. Verba Feſti id non arguunt, ut ſupra diximus, ſed tantum Salias virgines paludatas ſacrificaſſe cum apicibus in modum Saliorum: quæ verba ſic intelligenda, non quod paludatæ eſſent, ut Salii, ſed quod apices geſtaverint in modum eorundem.

Dionyſius & Servius, imo Veteres omnes trabeam fuiſſe togam diſerte affirmant. Non negat Rubenius, ſed nihil ad rem facere ait, quia Artemidorus togam fuiſſe chlamydem affirmat. At- C que ita idem veſtimentum potuit eſſe toga & chlamys. Sed falſum eſſe togam fuiſſe chlamydem ab Artemidoro tradi, paulo ſupra oſtendimus, cum ejus verba produximus. Perit profecto tota res veſtiaria, & omnis in ea labor inutilis eſt, ſi nullum diſcrimen fuit inter togam & paludamentum, imo & tunicam, ut volebat Abrahamus, inter lacernam, & penulam, ut infra Rubenius. Certe haud ſcio magis ne pigeat iſta prætermittere, an referre.

Non in forma ſed in colore fuiſſe diſcrimen contendit Rubenius, qui in trabea ex purpura & cocco. Sed qua ratione duo illi colores mixti eſ- D ſent, dubium eſſe. Infra tamen exiſtimat fuiſſe Hyſginum, id eſt, prius cocco, deinde Tyrio tinctum, atque ita dibaphum, quod ibi aperte refellemus. Sed clare qualis ille color fuerit demonſtrari a Dionyſio ubi de Saliis loquitur, Καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι πορφύρας φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. *Togas infibulati purpureas, purpura intextas, quas appellant trabeas.* Nos olim docuimus, licet hoc ſileat Rubenius, non πορφύρας legendum eſſe, ſed περιπορφύρους, id eſt, prætextas. Nam ſi togæ illæ fuiſſent totæ purpureæ, quomodo purpura intextæ dici potuiſſent, & trabes illæ ex purpura, unde dicebantur in veſti- E mento oloporphyro, conſpici? *Infibulati togas prætextas, puniceo colore intertextas, quas trabeas vocant.* Non ſolum ergo prætextæ erunt purpura illæ trabeæ in ima ora, ſed faſciis inſtar trabium per totum diſcurrentibus diſtinctæ non clavis: & quidem partim ex cocco, partim ex purpura marina, ſi Suetonio fides, cum Dionyſius tantum puniceas memoret. Quanquam & illud φοινικοπαρύφους, palmis, ſive palmarum figura intextas verti poſſe indicavimus. Ut tamen trabeæ diverſæ fuerint a palmatis triumphalibus, in quibus palmæ ex auro intextæ, vel acu pictæ erant: licet illæ quoque ſequenti ævo trabeæ pariter fuerint appella- F tæ.

Quis igitur iſta ſcribentem ferat? *Cenſeo trabeam fuiſſe chlamydem albam, purpura prætextam, & inſuper clavis, aut trabibus e cocco diſtinctam.* Non ſolo colore, ſed forma diverſæ a chlamyde, & paludamento trabeæ fuerunt. Sed paludamentum Imperatorium non omnino colore diverſum, niſi quod hoc totum coccineum, trabea purpura coccoque intertexta. Et quamvis paludamentum Imperatorium coccineum fuerit, aliquando tamen Pu-

A nicum, & purpureum a scriptoribus dicitur, quia etiam coccum purpura dicta est, per abusionem, id est, terrestris purpura. Unde fieri non potest, ut paludamentum Consulum, quod erat coccineum, limbo purpureo fuerit prætextum. Neque hoc Isidorus tradit, cujus verba. *Paludamentum pallium fuit Imperatorum, cocco purpura & auro distinctum.* Qui nihil de limbo; falsumque est paludamentum auro distinctum fuisse. Nec fieri, inquam, potuit, ut limbus purpureus conspicuus esset in veste coccinea, quæ & ipsa ex purpura, sed terrestri, nec magnum in colore discrimen.

B Et ideo chlamydem qua Christus D. a militibus illusus fuit, Marcus purpuream appellat, Matthæus coccineam, quia, ut diximus, & coccum inter purpuras. Quare non satis capio sententiam D. Augustini lib. III. *de Consensu Euangelist. Potest etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemorarit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea.* Non enim aliter poterat chlamys coccinea habere purpuram, quam quod coccum erat purpura, licet terrestris, & marina inferior, & minoris pretii. Ceterum Regum & Cæsarum chlamydes picto limbo, aut aureo circumtextas fuisse, inde credit Rubenius, quia apud Virgilium Dido:

C *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.*

Quod ut de Regibus verum esse possit, Imperatorium paludamentum aureo limbo ornatum fuisse nemo Veterum prodidit.

CAP. VI.

De Cinctu Gabino. Quomodo Cato apud Tertullianum Græcis habitu palliato faverit?

DE Cinctu Gabino cum aliquid novum, & ceteris indictum expectaremus, in nostra incidimus, quibus manum injicere jus sit. In quo tanti viri candorem desideramus. Nam cum adversus Salmasii sententiam disputaremus, qui D verba illa Tertulliani de Catone. *Atque adeo ipse, qui Græcos pellendos urbe censebat, (literas eorum vocemque senex jam eruditus) idem Cato juridicinæ suæ tempore humerum exertus, non minus palliato habitu Græcis favit.* Hæc, inquam, verba de Cinctu Gabino intelligenda Salmasius putabat: nos ex Valerio Max. & Asconio Pædiano ostendimus, Catonem, sine tunica, sola toga amictum jus dixisse, & hoc habitu philosophos, præcipue Cynicos, qui exerto nudoque humero, & brachio erant, retulisse. Interim Tertullianum memoria lapsum monuimus, qui id de Catone Censorio scripsit, E quod ceteri minori, sive Uticensi tribuerunt. Quod ante Casaubonus & Scioppius monuerant.

Quid Rubenius? Cum Salmasii sententiam retulisset de Cinctu Cabino, subjicit. *Sed ego non dubito affirmare Tertullianum hic memoria lapsum, cum de Catone Censorio scribit, id quod Plutarchus & Asconius de Uticensi produnt: nempe eum Præturæ suæ tempore, sine tunica, campestri sub toga cinctum jus dixisse, Græcorum philosophorum more, qui sine tunica pallium ferebant, atque ita humerum exerebant.* Videat Lector si vacat lib. I. cap. XV. *commentarii nostri de Re Vestiaria*, & judicet.

F

CAP. VII.

Clavos nec chlamydibus, nec pœnulæ, nec aliis vestimentis præter tunicam additos. Pœnulam a lacerna diversam: Illud vestimentum clausum, hoc apertum. Caracallam non fuisse pœnulam.

Ad Cap. VI.

SED sermonem ad alia convertamus, & novas subinde opiniones, ad criticum examen exigamus. Primum omnium, non solum chlamydibus, sed ulli alii Romanæ vesti, præter tunicam, clavos additos præcise negamus, parati sententiam ejurare, si vel uno veteris scriptoris testimonio revincamur. Pollux de Græca chlamyde loquitur, nos de Romana. Chronici Alexandrini auctor, aut falsus est, aut fallit, contra Veterum omnium fidem, qui nusquam clavatarum chlamydum meminerunt, aut commodiore interpretatione, chlamydes pro tunicis accepit, aut ævum suum respexit.

Idem de Dorotheo, & Cassiodoro dicendum est. Sed cum ille, omnes milites clavata sagula gestasse tradat, hic soli provinciæ Rectori (non omnibus in dignitate constitutis, ut vult Rubenius) clavos in chlamyde tribuat, hæc ipsi concilianda relinquamus. Nos vetere Repub. & priorum Cæsarum ævo chlamydes clavatas in usu fuisse negamus.

Idem commentum est de pænula vetere, nam de inferiori ævo nulla nobis quæstio erat. In vetere pictura, quam ex Bosio repræsentant, non est vera pænulæ figura, sed quam nos iterum exhibemus.



Illa enim potius epomis est, sive omophorion, & curta pænula, quale peregrinorum hodie gestamen: cum vetus veraque pænula ad crura usque & longius descenderet, clausaque & corpori adstricta. In Bosii epomide an fuerint clavi, nihil refert, certe oculos nostros effugiunt.

Et



Et nos quidem in prima editione *Commentarii de Re Vestiaria*, sacrificantium vestem non pænulam, sed togam fuisse credidimus, & Salmasii auctoritatem secuti, penulam, ut lacernæ & chlamydes sunt, apertam falso putavimus. Sed postquam Cassiani a Puteo viri nunquam sine laude dicendi, beneficio veram pænulæ effigiem accepimus, secundis curis sententiam mutavimus, & planetam pænulam fuisse diximus, & quod consequitur clausam, cum Salmasius putaret fuisse apertam. Quare nescio cur dicat Rubenius, secum esse Salmasium *ad Lampridium*, scilicet penulam esse clausam. Nam ibi Salmasius, qui & ipse ignorabat veram pænulæ figuram, idem vestimenti genus putavit pænulam, & lacernam, nisi quod illa brevior. Nemo autem lacernas fuisse apertas negavit. Contrarium ergo Rubenio sentit Salmasius, quamvis falso.

Sed in eo quod lacerna & pænula eadem fere forma fuerint Salmasio adstipulatur, & eundem errorem errat, nempe apertam fuisse pænulam, qualis erat lacerna, oblitus paulo supra eandem clausam statuisse, & quidem auctoritate Ciceronis, qui Milonem pænula irretitum dicit, & auctoris libri *de caussis corruptæ eloquentiæ*, qui Oratores pænulis adstrictos, & inclusos queritur. Non ergo eadem forma ac lacerna, quæ aperta.

Sed solo colore diversam fuisse contendit. Alias duplex pænularum genus statuimus, scorteas, & laneas. Scorteæ ex corio, sive pelle, nativo pellis colore: laneas item duplicis generis, gausapinas, & Canusinas. Primas villosas & communi lanæ co- A lore ex Martiale ostendimus, Canusinas breviori villo, rufas. Ergo scortearum, ac gasaupinarum idem color, ac lacernarum, albus, ut & togæ, tunicæ, chlamydis: & nullum in colore discrimen. Interdum lacernæ pullæ, sive ab usu, & sordibus contractis, sive a luna pulli coloris, ita & pænulæ viliorum fuscæ. Postquam lacernæ etiam purpureæ fieri cœperunt, a pænulis colore diversæ, quas improbo colore tinctas, nunquam legimus: vulgares sola forma a lacernis diversæ.

Ab iisdem diversæ, etiam caracallæ fuerunt, etiamsi Dio, sive Xiphilinus ex eo, instar lacernarum fuisse tradat lib. LXXVIII. *Sed etiam pro-* B *prium genus indumenti* κατακόπτων, καὶ συῤῥάπτων ἐν μανδύης τρόπον, *barbarum, discissumque, & consutum ex multis partibus excogitavit, ex quo & Caracallus nominatus est*. Sed idem Dio in *Legat.* fuisse tunicam diserte ponit. Χειριδωτοὺς χιτῶνας ἐς θώρακος τρόπον τινὰ πεποιημένας ἐνδύνεσθαι. *Caracallas tunicas, in formam thoracis factas:* quomodo ergo tunica & thorax lacerna dici potuit, quæ vestimentum exterius, & apertum erat? Cum præterea parum sibi constans Ruben. fuisse tunicas χιτοὺς χειριδωτοὺς *apertas & manicatas* fateatur, quas Gallis tribuit Strabo, Martialis *Gallicam pallam* vocat.

Fuere igitur Caracallæ barbaricæ tunicæ, & C quidem manicatæ, cum Romanorum colobæ essent, sed quia apertæ erant in modum lacernarum factas tradit Xiphilinus. licet quo pacto eædem ex pluribus partibus consutæ essent, hodie ignoretur. Utrum vero omnes tunicæ χιτοὶ, pallæ, & pepli vocarentur, infra erit dicendi locus.

Si ergo ratio cum Rubenio ineatur, idem veſtimentum fuit pænula, & lacerna, eademque forma, utraque aperta, utraque cucullata. Id modo diſcrimen, quod pænula fuſci coloris cum clavis, quibus carebant lacernæ, quæ varii coloris erant. Verum clavos veteri penulæ additos pernegamus. Quis enim credat vulgari, vilique & viatorio veſtimento purpuræ ornamentum adjectum? Licet Pollio pænulas muliebres acu pictas tradat, cum ſcilicet intra Urbem geſtari cœpiſſent promiſcue ab utroque ſexu. Sane Suetonius notat Caligulam *habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano uſum eſſe, ſæpe depictas, gemmataſque pænulas indutum*. Ait Ruben. pænulas fuiſſe fuſci coloris, lacernas varii. Sed has quoque pulli, ſive fuſci coloris fuiſſe paulo ſupra diximus, idque idem Suetonius aperte demonſtrat de Auguſto: *Habitum, veſtitumque priſtinum reducere ſtuduit, ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, & clamitans ait, En*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium Ædilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro, circoque, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere. Ita pullata turba, *pullatus circulus*, de tunicis, & lacernis infimæ plebis intelligendum eſt: cum nondum pænulæ in uſum Urbanum veniſſent.

CAP. VIII.

Feſtus, Iſidorus, & Vellejus Paterculus perperam a Rubenio correcti. Nullus ſub Auguſto intra Urbem pænulæ uſus. Tentata ejuſdem Velleii emendatio. Xiphilinus, & Lampridius explicati.

ILLUD non Feſti, ſed abbreviatoris Pauli, *lacerna, quod minus capitio eſt*, ſicut nunquam intellexi, ita explicationem Rubenii multo minus intelligo. *Ita laxa ut pænula*. Niſi librarii culpa deeſt vox *Non*. Atqui *capitium* apud Latinos, non cucullum, (*caput* Plinius vocat) ſed pectoris tegumentum teſte Nonio, ſignificat. Nec ſatis quid ſibi velit Iſidorus capio, cum ait, *lacernæ quaſi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis, ut pænularum*. Si enim intelligit lacernas dictas, quod capitibus laceræ eſſent, ſive capitibus amputatæ eſſent, ergo capita non habebant, cum Rubenius velit habuiſſe, ſed ſeparata. Iſidorus ait, capita fimbriarum, non lacernarum. Eam vocem Rubenius expungit, quod ut rectum ſit, quo pacto minus laxa eſſe poterant quam pænularum?

Verum iſta Grammaticorum deliramenta ſunt. Haud dubie enim veterem Perſii Interpretem exſcribit ſolens Iſidorus, cujus verba ſunt ad Sat. I. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim ſoli milites utebantur: Pænula pallium cum fimbriis longis*. Nugæ; Tam milites quam pagani lacernis utebantur: & nemo Veterum harum fimbriarum in penulis, & lacernis meminit. Cum ergo Iſidorus dixit, *lacernæ quaſi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis, ut pænularum*: credidit breviores lacernarum fimbrias quam pænularum. Nihil de cucullo, aut capitio: omnia inepta & falſa. Sicut quod inde Rubenius perperam colligit lacernas breviores, nec ita laxas fuiſſe, quam pænulas. Cum ex veterum monumentorum inſpectione ſatis conſtet, pænulam breviorem, anguſtiorem, clauſam, & pectori adſtrictam fuiſſe, lacernam apertam, laxiorem, fuſioremque.

Porro ut ſententiam de pænulæ clavis mordicus tueatur, locum Velleii Paterculi de Mæcenate, audaci inprimis correctione, contorquet, ac depravat. Lib. II. *Tunc Urbis cuſtodiis præpoſitus Mæcenas, equeſtri, ſed ſplendido genere natus, non minus Agrippa Cæſari carus, ſed minus honoratus. Quippe vixit anguſticlavi pene contentus: nec majora conſequi non potuit, ſed non concupivit*. Legit ipſe. *Quippe vixit anguſticlavia pænula contentus*. Quod ut confirmet, ait Præfectos Urbis cum eſſent Equites, anguſticlavias pænulas portaſſe. Imo militari veſte, etiam intra Urbem uſos, nempe abolla, vel chlamyde, vel pænula. Tot errores, quot verba. Falſum enim eſt Præfectos Urbis ſub Auguſto militari veſte, ſive chlamyde intra Urbem uſos, longe abſurdius abollam fuiſſe veſtem militarem, item pænulam eodem ævo intra Urbem geſtatam, cum tantum itinerarium veſtimentum eſſet.

Sed cur Mæcenas dicitur Vellejo, pænula clavata contentus vixiſſe, id eſt, Equeſtri dignitate, cum præcipuum Equitum inſigne, quo a ceteris ordinibus diſtinguebantur, ſine ulla controverſia, eſſet tunica anguſtis clavis diſtincta? cur pænulam potius, quæ tunc in Urbe ignota erat, quam tunicam pro Equeſtri dignitate poſuit Paterculus? Deinde ſi, ut paulo infra cenſet Rubenius, Imperatorum ævo Equites omnes erant pænulati, & quidem pænula clavata, quod falſum eſt, quo Præfectus inſigni diſcernebatur ab Equitibus ceteris? Quis vel mediocriter erudito perſuaſerit, pænulam, ut ante dicebamus, vile, ac viatorium indumentum, tuncque tantum in itinere adverſus Cœli injurias geſtatum, purpureis clavis inſignitum?

Velleii ſententia eſt ſatis aperta: Mæcenatem æque carum Auguſto fuiſſe, atque Agrippam, ſed minus honoratum, id eſt, ad honores Senatorios minime evectum: quod ſcilicet ſe intra gradum equeſtrem ſemper continuerit, & ideo Senatoriam dignitatem, & alia Reip. munera aſpernatus, anguſto clavo contentus vixerit, quod Equitum in tunica inſigne. Verba illa *anguſti pene clavi contentus* negotium Criticis merito faceſſunt. Cur enim pene contentus, cum ſponte, & plane contentus vixerit, ajebat Lipſius? Qui *bene* vel *plane contentus*, legit. Fortaſſe rectius fuerit: *anguſti clavi honore contentus vixit*. Quod cum contracte, *hone* pro *honore* legeretur, librarius cum non intelligeret, in *bene*, vel *pene* mutavit, & ſtribiligine locum fœdavit: *minus honoratus*, quia alios reſpuit, Equeſtri honore contentus, quod ſuperiora reſpicit, *nec majora conſequi non potuit, ſed non concupivit*. Hæc qui non probat, meliora depromat.

Hinc iterum pænulas cum lacernis confundit. Nam quod Xiphilinus ex Dione narrat juſſiſſe Commodum Senatores ad gladiatorium munus convenire ἐν τῇ ϛολῃ τῇ ἱππάδι, καὶ ἐν ταῖς μανδύαις, *in veſte equeſtri, & in lacernis*, ut ferme ea vox ſumitur. Lampridius idem referens, ait: *Ipſe autem prodigium non leve ſibi fecit, quod contra conſuetudinem pænulatos juſſit ſpectatores* (ſive ut Caſaubonus *Senatores*) *non togatos ad munus convenire, quod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidere*. Putat Rubenius inde lacernas, & pænulas peculiare Equitum geſtamen fuiſſe: cum tamen commune omnium ordinum fuerit. Quæ antea fuit ſententia Salmaſii, qui licet recte credat Lampridium pænulas pro lacernis poſuiſſe (cum μανδύην, καὶ ἐφεςρίδα, proprie *lacernam* appellaverint Græci ſcriptores) in eo fallitur, quod putat μανδύας, & ἱππάδα ϛολὴν ἐκ παραλλήλου poſita, & μανδύαν Equitum veſtem fuiſſe. Mox ſubjicit, *ſed & popularium*. Non ergo ex parallelo reſpondet veſti Equeſtri.

Nam ſi fuiſſet Equitum tantum, quæ erat communis, ſatis fuiſſet jubere Senatores convenire ad munus in veſte Equeſtri, cum tam tunica quam pænula anguſticlavia, ut vult Rub. eſſet Equitum pecu-

A liaris. Sed edixit Commodus ut Senatores convenirent in veste Equestri angusticlavia (deposito lato clavo, quod fiebat in luctu) & præterea non in toga, sed in lacernis, sive pænulis conspicerentur, quæ quod fusci, sive pulli coloris essent, funeribus adhibebantur. Herodianus de funere Severi: *Circa lectum vero utrinque magnam partem diei sedent, a læva quidem Senatus omnis, μελαίναις ἐφέστρισι χρώμενοι lacernis pullis amictus.*

Vel ergo perperam Lampridius *pænulas* posuit pro *lacernis*: vel cum ea ætate pænulæ in usum Urbanum venissent, Xiphilinus *μανδύας* pro pænulis accepit, quæ quod ferme pulli coloris essent, vulgo B in luctu, a Senatoribus autem tantum in funere Imperatorum usurpabantur. Cum ætate Mæcenatis, & diu post, atræ togæ, non pænulæ in funere gestarentur. Miror autem a Rubenio in postremis illis Lampridii verbis mendam non animadversam: *Quod funeribus solebat ipse in pullis vestimentis præsidere*. Quæ sic legenda, & interpungenda. *Quod funeribus solebat: ipse in pullis vestimentis præsidens*. Non solum jussit Senatores pullatos, in pænulis convenire, sed ipse etiam eodem habitu præsedit muneri. Igitur neque ex Lampridio colligi potest, lacernas, aut pænulas fuisse peculiare Equitum gestamen, cum fuerit populare, multo minus fuis- C se pænulas clavatas, ne inferiori quidem ævo, nedum ætate Mæcenatis.

Neque vero, quod Suetonius tradit, Equestrem ordinem, Claudio spectaculis advenienti, assurgere, & lacernas deponere solitum, arguit propterea, lacernas fuisse Equitum tantum: multo minus fuisse tunc pænulas in Urbe ab Equitibus gestatas. Fuit illud Equestris ordinis obsequii ac reverentiæ signum in Claudium, ut spectacula ingredienti assurgerent, & lacernas deponerent. Sive illæ togæ impositæ erant, sive togarum loco sumptæ, nam utrumque in usu tum fuit, non tamen soli eas Equites habuerunt. D Itaque, & objectio, & responsio de Mæcenate supervacua est. Quomodo pænula Mæcenas sub Augusto usus, qui eas interdixerat, cum populum pullatum vidisset. Non enim Augustus pænulas, sed lacernas, quanquam irrito conatu, vetuit, ut verba Suetonii declarant, & pænularum usus tunc penitus Urbi incognitus, soli itineri adhibitus. Ait Rubenius Mæcenatem hac lege exemptum, quia Præfectus Urbis, qui habitum militarem gestabat etiam intra Urbem, id est, pænulam sive Abollam. Quod ille a Salmasio accepit: cujus nos opinionem alias refutavimus.

Nam licet Abolla uni Nonio vestis militaris di- E catur, ceteri omnes pallium, & quidem philosophicum fuisse consentiunt, ut ibi ostendimus. Et ideo Gallici, sub Domitiano Urbis Præfecti, abollam apud Juvenalem, suspicati sumus, fuisse pallium philosophicum, quo Jureconsultus ille celebris præter morem utebatur:

—— *Rapta properabat abolla*
Gallicus attonitæ positus modo villicus Urbi.

Neque nobis verisimile est, abollam habitum lon- F gum, ac fusum, pallium scilicet philosophicum, militiæ adhibitum, nisi ille apud Varronem, abollam improprie pro chlamyde accepit, qualem puto fuisse purpuream Crispini abollam apud Martialem, quanquam & pallium potuit esse purpureum. Quidquid sit, tam Salmasio, quam Rubenio demonstrandum erat, Præfectos Urbis habitu militari intra Urbem usos esse.

Sed revincimur auctoritate Cassiod. lib. VI. *Variar.* in formula Vicarii Urbis: *Additur, quod nec salutari te sine chlamyde jura voluerunt: scilicet, ut sub veste militari semper visus nunquam crederetis esse privatus. Sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam judicamus esse concessa, ut qui tantæ sedis vicarium diceret, umbratile nihil videret.* Sed id novum est, & lepidum ab ætate Cassiodori, id factum sub Augusto arguere: & quia Vicarius Cassiodori ævo intra Urbem chlamydatus, Mæcenatem eodem cultu contendere. Sed fuerit chlamydatus, nunquid propterea idem pænulatus, cum pænulam a chlamyde diversam toties dixerimus, & repetere pudeat? Est quidem cuivis notum pænulam militarem vestem fuisse, sed & cuivis notissimum est, non solum militum, sed & paganorum, & per id tempus utrorumque gestamen extra Urbem tantum. Milites in exercitu pænulati, ob pluviam & frigus, alias chlamydati: pagani extra Urbem ob eandem causam, nulla tunc pænula in Urbano usu, ac ne Mæcenas quidem in pænula, etiamsi ipsi habitum militarem concedamus: nec ipsius nec cujusquam unquam pænula clavata id ævi.

Quod subjicitur admitti non potest. Cum Mæcenas utpote Præf. Urbis, militari habitu intra Urbem uteretur, haud immerito illi probro datum, quod solutis tunicis incederet, quum Cæsari contra cinctura objecta sit. Non solum enim in militari, sed etiam urbano habitu, præter Senatores, solutæ tunicæ reprehensæ. Utrique autem laxior cinctura exprobrata est. Et verisimilius videtur hanc Mæcenati mollitiem objectam esse, non quod in veste militari discinctus esset (certe nullus militari habitu discinctus, nisi ignominiæ causa, alias soluto cingulo militia solvebatur) sed quod cum ceteri omnes, præter Senatores tunicam cingulo adstringerent, ille, ut & olim Cæsar, laxiore cinctura tunicam fluentem gestaret. Milites quidem cincti, sed & pagani omnes: diversa tamen ratione, illi baltheo, hi zona. Mæcenas non ut miles discinctus, reprehensus est, sed urbano habitu laxe cinctus: cum ceteri bene cincti, quidam etiam strictius, qui & accincti, & succincti dicebantur.

Neque obstat, quod Seneca epist. CXIV. eum discinctum invidiose appellat, & solutis tunicis: *Non statim hæc cum legeris, hoc tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in Urbe semper incesserit? Nam etiam cum absentis partibus Cæsaris fungeretur, signum a discincto petebatur.* Nam ibi discinctus, est male cinctus, & ideo fluentibus tunicis. Pedo Albinovanus de eo:

Quod discinctus eras, animo quoque carpitur uno,
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi veteres quibus fuit aurea Virgo
Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit.
Invide quid tandem tunicæ nocuere solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

Ubi poeta *bene præcinctos*, opponit discincto, id est, male cincto, & ipse Ruben. lib. II. cap. XIII. de Mæcenate, *qui & ipse male præcinctus erat*. Quanquam falso de togæ cinctura interpretetur.

Locum Gellii lib. XIII. cap. XX. Nos primi interpretati sumus, & contra Salmasium disputavimus, qui pænulas cingi consuevisse falso credidit: eoque præcipue argumento revicimus, quod cum pænula vestimentum angustum, clausumque esset, & utroque brachio subduceretur, si cincta fuisset, brachia pænulæ subjecta, alligata fuissent. Unde verba illa Castritii: *Pigitum est cinctos saltem esse, & penulatos*; de tunica, & non de pænula intelligenda esse diximus. Hoc idem statuit Rubenius contra Salmasium, & a nobis commodato accepit, si fatetur, si dissimulat, sublegit. Idem cum ait, Senatores apud Gellium tunicæ discinctæ penulam superinduisse, ab ipso Gellio falsi arguitur, qui Senatores illos tunicis, & lacernis, non pænulis

indutos fuisse ait. Etsi penulam induti fuissent, non erat quod Castritius diceret, *Pigitum est, cinctos saltem esse, & penulatos. Maluissem vos togatos, saltem cinctos, & pænulatos, non lacernatos.*

CAP. IX.

De Ricinio. Cicero de Legibus *explicatus. Prætextum purpuræ. Cynici pallii duplicatio.*

Ad Cap. VII.

DE Ricinio, sive Recinio, si a rejiciendo dictum est, omnia etiamnum obscura magis, & implexa. Nec mirum cum Veteres ipsi, quid illud fuerit ignorarint: utrum pallium, an toga, an palliolum, ut nobis videbatur, ob rationes olim allatas. Festus: *Recinium, omne vestimentum quadratum ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt. Alii togam, qua mulieres utebantur prætextam clavo purpureo.* Quidquid fuerit, illud minime ferendum, verba Ciceronis II. *de Leg. Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis, & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationes.* Hæc, inquam, verba Rubenium interpretari, ut lex permiserit, tria solum ricinia purpura distincta mortuis injici. Quis enim credat, tria pallia, aut tres togas mortuo injectas? Sed ea lex; ita funerum impensas imminuit, ut cum plures olim mulieres, cum riciniis, & purpura funeri interessent, tria tantum ricinia, sive tres mulieres riciniatas lex permisit, sicut decem tibicines, sublata etiam lamentatione, quam lessum dixerunt.

Neque vero sive Festus, sive Verrius improprie locutus est, cum ricinium prætextum clavo purpureo dixit. Etsi enim clavi in pectore tunicæ, purpura in ima togæ ora prætexebatur, unde appellata, quicquid tamen in anteriori parte texitur, prætextum dici potest. Quod si, ut Rubenius censet, etiam clavi intexebantur, non assuebantur tantum, cur clavis prætexta vestis dici non poterat? Ait ipse clavum cum ricinium duplicabatur, purpuræ prætextæ vice functum, quamvis medio ricinii loco is clavus insertus. Sed quomodo ricinium duplicaretur docere debuerat: etsi clavus insertus, non igitur intextus. Reliqua de ricinio, & ejus usu ab aliis allata sunt, sed non minus adhuc implicita, & involuta, quam ipsum ricinium fuit olim.

A duplici, sive duplicato ricinio, ad Cynici pallii duplicationem transit, magnaque eruditorum certamina de hac re se compositurum fidenter pollicetur. Hoc Salmasius nihil aliud fuisse, recte statuit, quam quod Cynici qui tunica carebant, ne aperto pallio utrinque ab humeris cadente verenda nudarentur, partem ejus dextram, dextro brachio subjectam, sinistro humero injiciebant, atque ita, cum humerus sinister, & brachium superinjecta pallii parte duplici, id est, sinistra, & dextra tegeretur, pallium duplicari, sive duplex fieri, (unde & diplois Cynicorum,) dictum est. Hæc Salmasius, cum alii aliter senserint: omnium pessime Kerckoetius, qui pallium Cynicum expansum longius reliquis, duplicatum justa mensura constitisse ait, quasi quod longius est, duplex dici possit, etiamsi non duplicetur.

Tantas lites novus Pollio componit, & quidem imagine Diogenis sedentis ex Ursini numismate deprompta. In qua pars tribonii dextro brachio subjecta, duplicata conspicitur. Sed cur ab exigua potius pallii lacinia ibi reflexa, & non a tota dextera ala, id est, dimidia pallii parte, sinistræ parti ad humerum imposita, atque ita totum hominem duplici textu involvente, duplex pallium dicendum est? Videat lector, si lubet, quæ a nobis olim in hanc rem disputata sunt, & subjectam imaginem inde translatam spectet, nec ultra qualis fuerit Cynici pallii duplicatio, dubitabit.



In eo tamen falsum fuisse Salmasium ostendimus, quod pallium commune Græcanicum, utrimque regestum retrorsum in humeris fibula nexum consedisse putarit. Nullam enim in pallio fibulam fuisse, nec retro rejectum & ratione, & Veterum monumentis aperte demonstravimus.

CAP. X.

Angustos clavos Equitum, nec duos tantum fuisse, neque ab humeris, neque ad mam tunicæ oram descendisse. Falsa Quintiliani, & Horatii interpretatio explosa.

Ad Cap. VIII.

REDIT tandem a longo diverticulo ad tunicas clavatas, latioris & angustioris purpuræ. De postremis dicit primo. Tunicam angusticlaviam Græcis στενόσημον dici nemo ignorat. In vetere Glos. Angusticlavia exponuntur Ψειχόσημα. Vulcanius Ψηφόσημα legendum censebat. *Recte enim, inquit, supra σημεῖα interpretatur clavos, Ψήφους vero gemmas.* Id se non assequi ait Rubenius. Sententia tamen Vulcanii est, angustos clavos, Ψήφοις, sive gemmis, & calculis similes fuisse, id est, parvos, & rotundos. Et ideo cum σημεῖα

sint clavi, id est, signa, ψῆφοι calculi, angusticlavia, & ψηφόσημα, sunt clavi, calculis sive gemmis similes. Neque improbanda Salmasii conjectura legentis ψιχόσημα, quæ veluti purpuræ micas haberent, exiguas bullas, & capitula clavorum. Quæ non quadratos, ut Salmasius credit, sed rotundos fuisse clavos, arguunt. Rubenius ne asymbolus accedat, legit ψιλόσημα, Tenuis purpura. Sed haud scio, an tenuis purpura, pro parva sive angusta dici possit. Certe etiam lati clavi purpura tenuis potuit esse.

Sed ista tenuia sunt, & minuta, præ, ut quo pacto, iterum & tertio de duabus purpuris, sive lineis purpureis, quæ ab utroque humero ad imam tunicæ oram descenderent, Quintiliani verba inculcat: *Ut purpuræ recte descendant, levis cura est.* Nam quid sibi verba illa velint, non semel a nobis supra expositum est. Duas tantum purpureas lineas fuisse, & ab utroque humero ad imam tunicæ oram descendisse apud Quintilianum, nec vola, nec vestigium. Et hoc est lectoris fide, ac patientia abuti.

Apulejus, non de Romana tunica, sed de Philosophi interula loquitur, nec satis certum, utrum purpura ibi de duobus clavis, an de duplici purpuræ genere, qua illa interula triplici licio ab ipso domino contexta erat, accipi debeat. Illud penitus falsum, & ineptum, duos tantum clavos in tunica Equitum fuisse, ab Horatio tradi in *Poetica*, cujus integrum locum adscribere, haud pigebit, ut Rubenii ἀβλεψία clarius appareat:

Inceptis gravibus plerumque, & magna professis
Purpureus late qui splendeat unus, & alter
Assuitur pannus, cum lucus & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rheni, aut pluvius describitur arcus:
Sed nunc non erat his locus.

Sed profecto, neque nunc, neque hic angusti clavi locus erat; & si esset, de lato, non de angusto Poetam locutum verba illa manifesto arguunt. *Late qui splendeat*: nisi idem sit latum, & angustum.

Verum ibi poetarum magister, quemadmodum Acron, & nuperi Interpretes notarunt, ineptos versificatores arguit, qui cum severam, & sublimem materiam cœperint scribere, flosculos hinc inde aucupantur, & longe petita Emblemata inferunt. Monuit enim, ea, quæ adhiberi solent ornandi causa, nihil ad id, quod agitur pertinere, & longas digressiones a proposito, & descriptiones ineptas, & episodia a re admodum aliena esse fugienda. Quemadmodum inepte, & inconcinne faceret, qui vulgari vestimento præter morem duos, aut plures pannos purpureos assueret. Nullus hic de tunica Senatorum, aut Equitum, nullus de clavis sermo: & si ut diximus esset, magis de Senatorio, quam de angusto intelligendus esset.

CAP. XI.

De Latitudine angustorum clavorum inepta quæstio. Tuninicam angusticlaviam plebi, ac servis non fuisse communem. Appiani, Plinii, & Lampridii sententia expensa. Purpura ab Imperatoribus vetita, fuit in lacernis, & veste muliebri.

In Dalmaticis, virgulas illas purpuræ, sive lineas, zonas, tramites, vias improprie ab Isidoro, & a scriptoribus inferioris ævi, qui vestem sacris operantium executi sunt, appellari supra diximus: vel Rubenii ipsius fide, qui cum de Ricinio loqueretur, quod clavo purpureo prætextum Festus tradit, ait Festum improprie locutum, quod magna differentia sit inter clavum purpuræ, & purpuram prætextam. Cum igitur Dalmaticæ, virgulis purpuræ, lineis, zonis, tramitibus prætextæ essent, illas appellare clavos vocis abusio est: virgulæque, zonæ, ac tramites, nullam clavorum speciem referunt. Etsi autem παραπῆχυν & παραλυργὲς vestimentum fuerit *ab utraque parte habens purpuram*, sicut hoc in Græca chlamyde fieri potuit quæ amictui, & postea in Dalmatica Diaconorum factum fuit, in Romana tunica quæ indutui, fieri non potuit, ut scilicet etiam retro purpuram habuerit: cum ea vel toga, vel lacerna, vel pænula tegeretur, sub quibus clavi in dorso latuissent.

Quam lati fuerint clavi tunicæ angusticlaviæ, non minus futile est quærere, quam ineptum, scilicet quam latum fuerit, quod est angustum. Sicut *paucam purpuram* pro parva, sive exigua & infra, *ceterum habitum*, dicere Latine vix posse credimus. Damascius apud Photium, Justitiam inducit in lecto jacentem, tunica indutam purpureis clavis ornata, πορφυροῖς πλατέσι σημαδίοις, *purpureis latis clavis* sive *signis*, ex quo colligit fœminarum vestes angusticlavias, latiores clavos habuisse quam viriles. Igitur non angusticlaviæ erant, sed laticlaviæ, & virilibus laticlaviis latiores. Nam tunicam illam fuisse laticlaviam, etiamsi Casaubonus sileret, quilibet vel in Græcis literis hospes diceret. Quid enim aliud πλατέσι σημαδίοις, quam latis, sive latioribus clavis ornata tunica? Negat id Rubenius, quia fœminæ non portabant latum clavum: si de Senatorio, quique ad tunicæ pectus insuebatur, certum est: sin de ornamentis purpureis, id est, notis, ac signis purpureis (rectius enim σημαδίοις, *signis*, sive *notis*, quam *clavis* vox illa reddita esset) pro totam vestem intextis, falsum est, quæ sine discrimine latiores, aut angustiores esse potuerunt.

Secundo ait Rubenius, non potuisse illam tunicam laticlaviam esse, quia plures clavi erant, Senatoria uno tantum insignita erat. Hoc etiam falsum esse infra ostendemus. Tale est, quod adjicit, tradi a Damascio illam tunicam duobus clavis ornatam fuisse (nihil hic de duobus aut tribus) sed duos illos angustos clavos, admodum latos fuisse. Spectatum admissi.

Sed quonam novitatis affectatio, & contradicendi studium hominem abripit? Tunicam angusticlaviam, non Equitibus modo, sed plebi, imo & servis fuisse communem pronunciat. Quod hactenus inauditum: vilissimam plebem, imo & mancipia, in tunicis pretiosa purpura illuminatis incessisse. Nititur auctoritate Appiani lib. 11. *Civilium: Et Libertinus par civitatis jus habet, & servus habitu dominis similis est.* Χωρὶς γὰρ τῆς Βουλευτικῆς, *præter Senatoriam enim vestem reliquus vestitus servis est communis.* Conqueritur enim ibi Appianus, postquam togæ in desuetudinem abierunt, nullum fuisse inter servos, atque ingenuos in habitu discrimen. Nam cum toga nonnisi ingenuorum esset, ea sublata, vix a civibus mancipia discerni poterant: quandoquidem tunicæ, lacernæ, pænulæ communes omnibus erant. Excipit vestem Senatoriam, id est, laticlaviam, non quod illa sola, nam etiam angusticlavia discrimen faciebat, sed cum utraque purpura insignis esset, satis habuit a principali laticlaviam nominasse,

cum anguſticlavia ſpem atque aditum in Senatum faceret, & eſſet illi affinis. Aut in Appiano deſideratur vox *Equeſtris:* aut demum, quod veriſimilius eſt, cum ea ætate, ita toga in deſuetudinem veniſſet, ut penes ſolos Senatores ejus uſus maneret: propterea Appianus per veſtem Senatoriam togam intellexit, quæ ſola diſcrimen inter ingenuos, & ſervos afferebat. Licet ſtricte loquendo præter togam alio inſigni Senatores ab Equite, & plebe diſtingueretur, id eſt, tunica laticlavia, ſicut Equites a plebe, tunica anguſticlavia. Diximus ſublata toga, vix ullum diſcrimen fuiſſe inter ingenuorum, & ſervorum veſtem. Quia etiam poſt illud tempus mentio veſtis ſervilis apud Appianum occurrit, quæ ſcilicet, & materia, & colore a civili paulo diverſa.

Ceterum Plinii verba ſunt lib. XXXIII. cap. I *Annuli diſtinxere alterum ordinem a plebe, ut ſemel cœperant eſſe celebres* (nam antea promiſcuus fuerat annulorum aureorum uſus) *ſicut tunica ab annulis Senatum tantum: & hoc ſero, vulgoque purpura latiore tunicæ uſos invenimus etiam præcones, ſicut patrem L. Ælii Stilonis, Præconini ob id cognominati. Sed annuli plane medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inſeruere.* Ex quibus conjicit Rubenius, non tunicam anguſticlaviam, ſed annulos Equeſtris ordinis inſigne fuiſſe. Verum non annuli modo, ſed anguſta purpura a plebe ſecundum ordinem diſtinxit, quam non nominat Plinius, quia ibi de annulis agebat, & res per ſe nota erat. Nam ſi tunica anguſticlavia promiſcua fuiſſet Equitibus & plebi, non dixiſſet Plinius, *Annuli diſtinxere alterum ordinem a plebe: ſicut tunica ab annulis Senatum tantum*: non, inquam, tunica ab annulis tantum, id eſt, ab Equitibus, ſed a reliquis ordinibus, id eſt, Equeſtri, & plebejo, ſi anguſticlavia utrique communis. Nam ibi *tunica* de laticlavia intelligi certum eſt, & ſequentia verba declarant: *nam vulgo purpura latiore uſos invenimus etiam præcones*, id eſt, antiquitus. Quomodo ergo tunica diſtinxit Senatum ab annulis tantum? quia Senatoriæ latior purpura fuit, anguſtior Equitum. Non diſtinguebant annuli Senatum ab Equite, quia utriſque communes erant, ſed tunica tantum, id eſt, purpura latior: annuli rurſus diſtinguebant Equites a plebe, cui annulorum jus non fuit: ſicut & purpura anguſtior medium hunc ordinem, tam a Senatu, quam a plebe diſcrevit. Certe ſi anguſtus clavus promiſcuus Equiti fuiſſet, & plebi, non dixiſſet Plinius, quod tunica laticlavia diſtingueret Senatum ab annulis, id eſt, ab Equitibus, ſed a ceteris omnibus, quibus anguſticlavii inſigne erat.

Verba Lampridii, quæ Rubenius novæ opinioni firmandæ adducit, eandem plane evertunt: *Alexander in animo habuit omnibus officiis, genus veſtium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut a veſtitu dignoſcerentur: & omnibus ſervis, ut in populo poſſent agnoſci, ne quis ſeditioſus eſſet: ſimul ne ſervi ingenuis miſcerentur. Sed hoc Ulpiano, Pauloque diſplicuit, dicentibus plurimum rixarum fore, ſi faciles eſſent homines ad injurias. Tum ſatis eſſe conſtituit, ut Equites Romani, a Senatoribus clavi qualitate diſcernerentur.* Si omnes tunicam anguſticlaviam promiſcue geſtaſſent, quid opus fuit nominare Equites tantum? Debuiſſet dicere, ut reliqui cives a Senatoribus, clavi, qui erat communis, qualitate diſcernerentur. Sed Equites per anguſticlaviam, & a plebe, & a Senatoribus diſtinguebantur: ab his quod non erat ſimilis clavus, ab illa, quod nullos clavos in tunica habebat.

A
Nam tunicato popello, & pullatæ multitudini, imo nequam mancipiis, quibus annulorum aureorum uſus interdictus, purpuræ, cujus ingens pretium, honorem tributum nemo mentis compos crediderit: & ita Equites nobiliſſimos, ne a ſervis quidem illo tempore habitu diverſos fuiſſe: quod Appianus non tradit: apud quem eo loco nulla mentio στολὴς ἱππάδης, ſive *veſtis Equeſtris*, ſolum enim βουλευτικῆς, ſive *Senatoriæ*. Tantum ait, cum ea proderet, inter ſervos, & ingenuos in habitu nullum remanſiſſe diſcrimen, præter veſtem Senatoriam, id eſt, togam, quæ penes Senatores remanſerat. Illam autem στολὴν ἱππάδα
B
quam comminiſcitur, putat fuiſſe lacernam. Quod ſi verum eſſet, neque in hoc ullum inter plebem & Equites diſcrimen fuiſſet, nam lacerna omnibus erat communis, etſi in luctu ea Senatores uſi fuerint. Quanquam non lacernas, ſed pænulas ab iis in funere geſtatas, ſupra oſtendimus.

Donemus igitur Rubenio, quæ ſibi ipſi opponit, ruere ſententiam de promiſcuo purpureorum clavorum uſu, ſi ſub Imperatoribus, purpura privatis omnibus interdicta eſt. Quod ipſe ſic ſolvit: non omnem purpuræ uſum, ſed certas tantum ſpecies vetitas fuiſſe. Verum quodcumque purpuræ genus, quamvis pretioſiſſimum, ut Tyrium
C
& dibaphum in clavis, & prætexta ſemper fuiſſe permiſſum certum eſt: at in lacernis, quæ improbi coloris, jam promiſcui uſus erant, & in veſte muliebri ſub Imperatoribus vetitum. Quod confirmant verba Suetonii *de Julio*: *Lecticarum uſum, item conchyliatæ veſtis* (non clavorum, aut prætextæ) *& margaritarum, niſi certis perſonis, & ætatibus, perque certos dies ademit.* Idem tradit a Nerone matronam vetita purpura cultam e ſpectaculis detractam, veſteque & bonis mulctatam fuiſſe.

Purpuræ igitur uſus non in clavis, & prætex-
D
ta, ſed in lacernis, & veſte muliebri ab Imperatoribus interdictus. Docent id verba Dionis a Rubenio adducta lib. XLIX. *de Octavio*: *Veſtis purpureæ uſum, nulli, niſi Senatoribus magiſtratum gerentibus conceſſit. Tum enim, & quidam plebejorum illa utebantur.* Si quidam plebejorum, non igitur omnes plebeii geſtabant purpuram in clavo, ſive anguſticlavia. Sed ſermo ibi eſt de purpura in lacernis, ut paſſim apud ſcriptores, præcipue Martialem, & Juvenalem, illo ævo uſurpari cœptis, etiam a plebe. Itaque τὴν ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ rectius verteris purpuream, quam conchyliatam, licet & conchylium purpuræ ſpecies eſſet, ſed minoris pre-
E
tii, cum tunc Tyriæ, & dibapha etiam tricliniaria inficerentur, nedum clavi, & prætextæ, & lacernæ.

Negat Rubenius omnes veſtes purpureas ἁλουργίδας dici, ſed tantum Thalaſſinas, & oloporphyras. Atqui ut vox ipſa declarat ἁλουργὶς veſtis Thalaſſina, ſive marina eſt, ſicut omnis purpura: licet aliæ aliis pretioſiores a loco, & ab infectura, præter coccum, purpuram terreſtrem. Artemidoro ἁλουργίδες, non a purpureis, ſed a coccineis diſtinguuntur: quia illa marina purpura, hæc terreſtris. Apud Pollucem Perſarum Candys, Regum quidem erat ὁλοπόρφυρος, ὁ δὲ τῶν ἄλλων
F
πορφυροῦς: vertit Rubenius, *Regia veſtis, quæ Candys dicitur erat conchyliata, aliorum purpurea.* Sed veſtis purpurea, & conchyliata eadem fuit. Verti debuit, *Regia veſtis tota purpurea, ceterorum, alium colorem purpuræ immixtum habens.* Quemadmodum ſub Imperatoribus inferioris ævi vetitæ ſunt privatis veſtes holoveræ, ſive oloporphyræ, quæ ut ait Lex, *tinctæ conchylio, nullius alterius permixtione ſubtextæ erant, ſive ex omni parte cruore infectæ conchylii.* Talis Perſarum Regia

vestis, tota ex purpura, ex quo sequitur, aliorum dissimilem fuisse, & alium colorem purpuræ immixtum habuisse. Ut discrimen fuerit inter oloporphyrum & purpureum, illud stricte, hoc laxe acceptum.

Ἁλουργὸν igitur proprie purpureum, & ἁλουργὶς vestis purpurea. Nam ut Etymologici auctor ἁλουργὸν est quasi ἁλὸς ἔργον maris opus. Purpura autem maris opus, quia ex conchis marinis, unde etiam murex, & ostrum, quæ species purpurarum, ex quo fit, ut conchylia etiam laxe sumendo sint purpura, quia etiam illa ex conchis, at stricte & proprie pro specie purpuræ, quæ ex minoribus conchis, sive conchyliis conficiebatur, & quidem eo modo quem tradit Plinius, scilicet ut Tyrium & Amethystinum ex tenui vena, quæ in purpurarum faucibus erat, exprimeretur, conchylia autem, sive conchulæ ipsæ contunderentur, & ex his sanies illa tingendis vestibus eliceretur, addito etiam præsando humore; unde conchyliis ingratum virus, ut idem ait: quæ etiam pretio, & colore Tyrio, & Amethystino inferiora.

Ἁλουργίδες igitur proprie loquendo sunt vestes purpureæ, quasi opus maris, ut diximus, non conchyliatæ, licet & illæ marinæ. Certe Plinius conchyliis tradit fuisse colorem austerum in glauco, & irascenti similem mari, id est, cœruleum. Atqui purpuræ Tyriæ, quæ per excellentiam *purpura*, color, ut idem tradit, sanguinis concreti, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens. Coccini autem, qui micat in rosa: Conchyliorum ergo diversus, & in cœruleum vergens, quorum tres species ibidem Plin. statuit.

Non igitur vestem conchyliatam Julius, & Augustus vetuerunt, sed ἁλουργῆ, id est, Tyriam, sive purpuream: neque tamen eum colorem in clavis, & prætexta interdixerunt, sed tantum in lacernis, & veste muliebri. Sed pravus mos legem vicit, nam lacernæ purpureæ iterum inductæ. Dio lib.LVII. Καὶ ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ ἐσθῆτι ἁλουργεῖ ἐχρῶντο. *Cum multi veste purpurea uterentur, quanquam jam pridem vetitum esset: id neque reprehendit in quoquam Tiberius, neque mulctavit, tantum ludis cum plueret,* φαιὰν μανδύην ἐπενέδυ, *pulla lacerna indutus, effecit, ne quis etiam alius inconcessam vestem usurparit.* Ubi μανδύη est lacerna, non pænula, ut vertit Rubenius, & ferme, ut alias diximus, a Græcis scriptoribus ea vox pro lacerna usurpatur; pænula autem nondum in usum urbanum venerat, & pænulæ purpureæ nullus Veterum, quod sciam, meminit: neque credibile, vestimentum vile, ac viatorium, purpura infectum.

CAP. XII.

De Tunicæ colore vetus quæstio reducta. Num Tribunis prætextæ jus fuerit? Id contra Plutarchi sententiam firmatum. Cicero explicatus. Rubenii interpretatio rejecta.

SEQUITUR quæstio ejusdem momenti, ac reliquæ, eodem judicio pertractata. De tunicæ Romanæ colore: utrum alba fuerit, an purpurea. Hoc credidit Manutius, cui assentitur Abrahamus, verbis illis Ciceronis inductus *Cluentiana* de Quintio Tribuno pleb. *Facile ut non solum mores ejus, & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.* Quod de tunica intelligendum censet Abrahamus: non enim de toga prætexta, quia Tribuni ea non uterentur, ut tradit Plutarchus.

Sed de prætexta verba illa capienda esse nos primi docuimus auctoritate Quintiliani lib.v. *Ut adversus Quintium Cicero, non hæc solum, sed ipsam etiam prætextam demissam ad talos insectatus est.* Hoc probat Rubenius, & a nobis recte observatum, non it infitias. Sed male a nobis Plutarchum culpari subjicit. Hæc inter se pugnant. Si enim recte id censemus, non male a Plutarcho discedimus. Aut ille, aut nos erravimus.

Errasse nos inde arguit, quod non solum Plutarchus, sed Cicero ipse prætextam Tribunis abrogat. Interrogatione in Vatinium: *Sic enim ex te quæro: Tribunus plebis fuisti? Sejunge te a Consule. Collegas habuisti viros fortes novem. Ex his tres erant, quos tu quotidie dicebas de Cœlo servare, quos irridebas, quos privatos esse dicebas. De quibus duos prætextatos sedentes vides: te ædilitiam prætextam, quam frustra confeceras, vendidisse.* Igitur, ait Rubenius, *Tribuni plebis non erant prætextati: sed sæpe exacto Tribunatu, prætextati fiebant, cum ad Ædilitatem, vel Præturam ascendebant.* Hoc postremum verum est, & vel ipse Abrahamus vidit: sed prius omnino falsum. Nihil enim repugnat, qui in Tribunatu fuerint prætextati, eosdem in alio magistratu prætextam sumpsisse. Quasi qui Prætor prætextatus, in Ædilitate prætexta caruerit. Falsa est consecutio, quia post Tribunatum prætextam sumpserunt, in Tribunatu ea caruisse. Utrobique prætextati, sed interjecto tempore; cum privati essent, sine prætexta fuerunt, quam novo Magistratu resumpserunt. Quod clare indicant verba Ciceronis. Nam ex tribus illis collegis, quos in Tribunatu irridebat Vatinius, quos privatos esse dicebat, duo jam magistratum adepti erant, id est, Ædilitatem: tertius Consulatum, & omnes in prætexta rursus erant, ipse autem Vatinius Ædilatu exclusus, prætextam, quam in eam spem confecerat, vendiderat.

Sed quid reponet Quintiliano, qui purpuram ad talos demissam, prætextam vocat? *Ita explico*, inquit Rubenius, *de Quintio, quem ait in Tribunatu, cuidam hominum generi paulisper jucundiorem fuisse, sed deinde, cum nempe magistratum adeptus erat, odio etiam suis illis ipsis fuisse, per quos in altiorem locum ascenderat, ob arrogantiam nempe, & demissam ad talos purpuram?* Cui odio, vel potius risui non sit ista explicatio? Satius est veteres scriptores non attigisse, quam ita interpretari. Sed Cicero exagitat, & in odium ibi vocat Quintium in ipso ejus Tribunatu, non autem in alio magistratu mores ejus, arrogantiam, vultum, amictum, & demissam ad talos purpuram, in memoriam revocando, etiamsi id Quintilianus diserte non poneret. Cui, & Ciceroni, & rei ipsi malumus credere quam Plutarcho, non semel in rebus Romanis oscitanti, ut jam non pauci, præcipue Seb. Conradus *de Quæstura*, observarunt, & nos facile ostendere possemus, si hujus operæ hic locus esset. Sed omnem æquam, & iniquam obloquendi occasionem undequaque Rubenius arripit.

Post multa colligit, id quod omnibus notum est: hac controversias de tunicæ colore facile redigi in concordiam posse; *Albæ enim tunicæ erant, sed purpureis signis distinctæ.* Hoc etiam norunt, qui nondum ære lavantur: *& Senatorum quidem lato, Equitum, & plebejorum angustis clavis.* De plebeiis jam refutavimus. Neque eum adjuvat Plinius, cujus verba sunt libro IX. cap. XXXVI. de purpura: *distinguit ab Equite Curiam, Diis*

advocatur placandis, omnemque vestem illuminat. Non purpura simpliciter distinguit ab Equite Senatum, sed latior: & si angusta communis etiam fuisset plebeiis, satis erat dicere, *distinguit ab Equite, & plebe Curiam, vel a reliquis ordinibus.* Sed ab Equite tantum, quia horum purpura angustior, Senatorum lata. *Omnem autem vestem illuminat*, scilicet cui addebatur, ut Senatoriæ, & Equestri tunicæ, pretextæ, palmatis, & pictis: non quod omnes omnino vestes purpura distinguerentur, etiam cerdonum, & mancipiorum.

Non semper tamen tunicas fuisse albas contendit, sed aliquas fuisse *melini coloris*: quia Photius Justitiam producit tali tunica indutam. Nos de Romana tunica, & quidem virili quærebamus: & matronarum quidem tunicas totas purpureas aureis segmentis ornatas libera civitate fuisse, aliarum varii coloris, satis ostendimus. Præterea tunicas ex lana Bætica non fuisse *melinas*, sed *rutilas* facile ostendere possemus, si omnia refutare animus esset, aut sine stomacho cuncta possemus. Si enim *melinus* erat medius, ut ait, inter flavum & album, quomodo lanæ Bæticæ color, qui rutilus erat, melinus esse poterat? Ergo manum de tabula. Nam Pantagathi somnium de quattuor togæ coloribus, quibus Circi factiones distinguebantur revocare quid attinebat? & lacernas ejus factionis, cui quisque addictus erat, colore sumptas, alii antea docuerant.

CAP. XIII.

Matronarum Romanarum tunicas clavis caruisse. Tunicæ Regillæ. De tunica Christi D. inconsutili fusior disputatio. Isidorus Pelusiota, & Theophylactus explicati.

Ad Cap. IX.

EXTRA dubium esse ait Rubenius a matronis Romanis gestatas tunicas angusticlavias. Imo certum est, & indubitatum, non modo id non esse factum, sed nec fieri quidem potuisse. Nam cum eruditorum consensu, & Veterum auctoritate, matronarum tunicæ essent totæ purpureæ, ut paulo supra diximus, qua ratione signa illa, & notæ purpureæ in tunica ejusdem coloris conspicua esse potuerunt? Aureis tantum segmentis distinctæ erant, quo insigni a ceteris mulieribus matronæ discernebantur, id est, loris, sive fasciis, institisque aureis, & quidem in extrema tunicæ ora, quas clavos appellare impropria locutio sit, quamvis, & potuisse aureos clavos adsui non negemus, purpureos purpuræ vesti additos nemo dixerit.

Atqui tunicæ Regillæ etiam gestabantur, quæ albæ erant, & purpura distinctæ. Sed non fuisse illam communem matronarum tunicam, indicat Festus, ab eodem adductus: *Regillis tunicis albis, & reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum versus a stantibus, pridie nuptiarum virgines indutæ, cubitum ibant, ominis causa, ut etiam in togis virilibus dandis observari solet.* Non igitur semper, sed ea tantum die, id est, pridie nuptiarum, boni ominis causa, induebantur, sicut ephebi die togæ, virilis sive tyrocinii eas sumebant. Idem Festus: *Recta vestimenta, quæ patres liberis suis conficienda curant, ominis causa.* Communes matronarum tunicæ totæ purpureæ.

Regillarum, & rectarum tunicarum occasione, ad tunicam Christi D. inconsutilem divertit Rubenius, quæ ἐκ τῶν ὑφαντος δι' ὅλου, *quæ desuper contexta per totum.* Sed actum agit Rubenius: iisdem enim fere argumentis Salmasii opinionem convellit, quibus à nobis olim explosa est: quanquam nisi tanti viri auctoritas prævaleret, eo labore supersedere potuissemus. Id totum dissimulat Rubenius, solitus modo nominare, cum redarguit. Ait enim receptæ opinioni, cui Ferrarius adhæret, eam tunicam textam fuisse, non quidem in tela, sed per acus longiores, ut subuculæ, & tibialia nunc reticulatim conficiuntur, illud obstare, quod artificium hoc texendi Veteribus fuerit incognitum, nec ulla ejus mentio apud auctores inveniatur. Proinde inveniendam esse aliam rationem texendi, qua hujusmodi tunica ἀῤῥάφως confecta sit.

Id quidem a nobis positum est: sed illud addidimus, etiamsi hoc artificium cognitum non fuerit, saltem sine acu, solis manibus, sursum versus texi potuisse, qualia nunc reticula & muliebres calanticæ fiunt; & ideo dici ἄνωθεν, desuper id est, sursum versus, & per totum, id est, in orbem, & totam simul sine ulla scissura, quæ acu committenda esset, contextam. Quod an fieri possit serio videamus.

Duplex apud Veteres texendi ratio fuit, ut Casaubonus *ad Baronium*, & Salmasius *ad Hist. Augustam* optime docuerunt. Prima & antiquissima, qua stantes mulieres texebant, sursum versus, & in altitudinem: recentior, qua sedentes, & deorsum. Primum texendi modum omnibus gentibus fuisse usitatum, præterquam Ægyptiis narrat Herodotus lib. II. Ægyptii deorsum versus texebant, qui tramam trudebant in inferiorem partem, sive ad pectus trahebant. apud ceteras enim gentes, cum trama infra esset, a superiori parte texebant, & sic trama, per spatham, sursum impellebatur, & trudebatur. Contrario modo Ægyptii, scilicet ut nos hodie solemus, deorsum, sive ad pectus tramam pectine trahebant, & sic ab inferiori parte, sive deorsum tela texebatur. Ita textura quæ fiebat sursum versus, sive in altitudinem, nonnisi a stantibus conficiebatur, nec aliter poterat: Ægyptii vero, qui contrario modo, scilicet ut nos texebant, id sedentes faciebant.

Addit Salmasius, antiquo illo modo, quo stantes sursum versus texebant, non pectine, sed spatha lignea telam percussam: ut inter veterem, & novam telæ texendæ rationem, illud discrimen esset, quod antiqui stantes, tramam sursum impellerent, & quidem spatha, recentiores sedentes, tramam deorsum sive ad pectus pectine attraherent, qui mos ab Ægyptiis postea ad Græcos, & Romanos, ac nostram denique ætatem transiit.

Hæc necessario præmittenda erant, ut insignis de tunica inconsutili Domini locus Isidori Pelusiotæ Epist. LXXIV. intelligeretur, in quo explicando multum laborat Casaubonus, nec multum proficit. Isidorus igitur cum Chrysostomo consentiens, illam tunicam peculiari artificio hominum Galilæorum fuisse confectam: postquam dixit de ejusdem vestis vilitate, qua soli pauperes Galilæi uterentur, hæc adjicit. καθ' οὓς ἒ μάλιςα τὸ τοιοῦτον γένεϑαι ἱμάτιον, τέχνῃ τινὶ, ὡς αἱ ςηθοδεσμίδες, ἀνακρουςὸν ὑφαινόμενον. Quæ sic vertit Casaubonus: *Apud quos vel maxime indumentum ejusmodi solet fieri, & arte quadam texi, pectinem retrorsum impellendo, ut fit in fasciis pectoralibus.* Non mirum est visum esse Casaubono peculiarem modum texendi ἀνακρουςὸν ὑφαίνειν, *retrorsum texere.* Nam cum duplicem, de qua diximus, texendi rationem attulisset, tramam, aut sursum impellendi, aut deorsum, ut Ægyptii, addit, *alii antrorsum tramam impellebant: Palæstini in hoc vili genere vestis retrorsum.* Hoc quid sit eruditis cogitandum relinquit. Quod difficultatem

tem hæc historia non videatur solvere, neque etiam exemplum, quod affert de fasciis pectoralibus, quod nihil simile fasciæ angustæ habeant, cum integra tunica manuleata.

Sed si fas est a viro illo incomparabili, & Græcarum literarum callentissimo dissentire, *ἀνακρυστὸν*, non est retrorsum, sed sursum versus tramam impellere, neque ab antiquissimo illo more texendi distinctum, estque quod ait Evangelium, desuper, sive *ἄνωθεν*: neque pectine id fieri potuit, & hoc uno a communi illo modo sursum texendi diversum, quod *δι' ὅλου*, id est, *per totum* confectum erat. Nihil aliud igitur indicat Pelusiota, quam fuisse peculiarem texendi rationem Palæstinis, sursum versus tramam impellendo, ut fit in fasciis pectoralibus. Nam quod ait Casaubonus, fascias pectorales nihil simile habuisse cum integra tunica manuleata. Quod ad tunicam manuleatam attinet, utrum talis fuerit Christi D. non ita certum est, etiamsi illud Nonnus innuat, cum tunicæ manuleatæ apud Romanos infames fuerint, sicuti talares, & ut fuerit, hoc simile habebant *αἱ στηθοδεσμίδες*, sive fasciæ pectorales, quod sursum versus texerentur, sicut illa tunica confecta erat peculiari Palæstinorum artificio: cum alia vestimenta tramam deorsum impellendo texerentur.

Clare totum hunc morem explicat Theophylactus, licet hoc non videatur Casaubono: nec videri potest ex ejus versione. Sic ille: *Ἄλλοι φάσιν, ὅτι ἐν Παλαιστίνῃ ὑφαίνουσι τοὺς ἱστοὺς οὐχ ὡς παρ' ὑμῖν, ὄντων ἄνωθεν τῶν μίτων καὶ τοῦ στήμονος, κάτω δὲ ὑφαινομένου τοῦ πανίου, καὶ οὕτως ἀναβαίνοντος: ἀλλὰ τὐναντίον μὲν εἰσιν οἱ μίτοι, ἄνω δὲ ὑφαίνεται τὸ ὕφασμα.* Hoc est, ait Casaubonus, *Alii dicunt, quod in Palæstina telas, non quemadmodum apud vos texant, ut fila stamenque sint in parte anteriori, pannus in posteriori parte texatur, & sic in anteriorem partem pergat: sed contrarium hic fit, ut in posteriori parte sint fila, in anteriore vero parte tela texatur*. Si sic vertamus, vere, ut ait Casaubonus, hæc explicatio voci *ἀνακρυστὸν* non bene convenit. Sed haud dubie ita verba Latine reddenda sunt: *Alii dicunt quod in Palæstina telas, non quemadmodum apud vos texant, ut fila stamenque sint in parte superiori, trama in inferiori parte texatur* (*πανίον* enim non est *pannus*, sed *trama*) *& sic pergat, nempe deorsum trahatur* (qui mos Ægyptiorum) *sed contrarium hic fit, ut in inferiori parte sint fila, sive stamen, in superiori vero tela texatur*, id est, trama stamine immittatur, & sursum versus texatur, quod est vere *ἀνακρυστὸν sursum versus*, sive *ἄνωθεν*, id est, desuper contextam. Ita sententia liquida est, & Isidorum recte planeque explicat Theophylactus. Ille *ἀνακρυστὸν*, hic *ἄνω ὑφαίνεται*, quod idem est, & bene convenit.

Peculiaris igitur texendi ratio Palæstinis, quod cum ceteri Ægyptiorum jam passim vulgato, ita texerent, ut tramam deorsum, sive ad pectus, pectine attraherent, illi sursum versus, sive desuper texerent. Quæ ut recte se habent, ita nondum difficultas exhausta est. Nam cum sursum versus texendo, trama sive subtemen, pectine non impelleretur, sed spatha lignea, in fasciis pectoralibus, & tunica integra, sive per totum, & in orbem contexta nullus spathæ locus esse potuisse videtur; ergo restat, ut vel acubus longioribus, quod hodie fit, aut solis manibus, sine ullo instrumento hæ conficerentur. Illud non admittitur, quod talis artificii nullus Veterum meminerit, ergo ultimum potuisse fieri credibile est.

Id ex loco Galeni *ad Thrasibulum* quem adducit Casaubonus elici posse videtur, docentis varias esse artes, quæ licet operationes admodum diversas habeant, in summa tamen propositi conveniunt, atque adeo artis ejusdem partes diversæ censeri debeant. Nam cum Galenus eo loco dixisset, texere, nihil aliud esse, quam stamen, & subtemen, sive tramam implicare, & inter se miscere: idque fieri, non in ea solum arte, quæ textoria, & hyphantice dicitur, nam & sartores, sive sarcitores idem efficere: subjicit, potuisse initio aliam rationem excogitari, texendi vestes, *vel quomodo*, inquit, *resarciuntur laceræ vestes*, (quod est species textoriæ) *vel quo pacto viminea opera nectuntur, ut quali, sportæ, retia.* Sed quia istæ rationes texendi, plus multo temporis desiderarent, propterea texturam esse inventam, quæ exercetur per lignum textorium, sive liciatorium.

Si igitur & vasa viminea, ut qualia, sportæ, fiscellæ, & retia, sine ullo instrumento, pectine, vel spatha texebantur, ut hodie vasa viminea texuntur, si fasciæ pectorales, calanticæ, & reticula tota simul sive per totum conficiuntur, cur non & tunica illa a Palæstinis eodem modo texi potuit? Imo confectam res ipsa docet. Nihil enim aliud fascias pectorales fuisse crediderim, quam breves & angustas tuniculas, pectus & dorsum tegentes, quales nostræ interulæ & subuculæ, quæ ex lana, gossypio, & serico conficiuntur, licet illæ manicis caruerint.

Euthymius scribit, Christi tunicam fuisse a superioribus partibus contextam, *veluti sunt*, inquit, *apud nos, capitis, aut pedum hiemalia operimenta.* Quæ perperam Casaubonus feltra, sive coactilia, & impilia interpretatur. *Nam non potuisse illa operimenta esse coactilia sive feltra* paulo post fatetur, *quomodo enim dicerentur, in superioribus contexta?* cogitur ibi lana, non texitur. ergo non coactilia, sed vere texta erant, quod aperte declarat, aut per acus longiores, ut nunc fit, aut si illud artificium nondum cognitum, solis manibus confecta, & quidem a superiore parte incipiendo, & in orbem, sive per totum texendo. Talis igitur tunica Christi inconsutilis, desuper contexta per totum. Talis & tunica talaris Pontificum Hebræorum, ut ex Josepho ostendit Rubenius lib. III. *Antiq.* c. VIII. *ἔστι δὲ ὁ χιτὼν οὗτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων, ὥς τε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι, καὶ τῶν παρὰ πλευρὰν. φάρος δ' ἐς ἐπιμήκει ὑφασμένον.* *Hæc tunica non constat e duabus plagulis sive segmentis, ut suturas habeat in humeris ac lateribus. Est vero tela in longitudinem texta.* Quæ si vera sunt, non fuit illud peculiare artificium apud Palæstinos, sed Hebræis vulgare: & Christi D. tunica similis Pontificiæ. Sed postrema verba. *Φάρος δ' ἐς ἐπιμήκει ὑφασμένον. Est vero tela in longitudinem texta*, pessime vertit: vertenda erant. *Est vero involucrum, sive velamen in altitudinem*, id est, *sursum versum textum.* Nam *φάρος* non telam proprie significat, sed velamen sive amictum rotundum, ita appellat idem Josephus alibi, & clausum, quod hominem involvebat, qualis illa tunica erat: nam omnis tela in longitudinem texebatur. Hic autem *ἐς ἐπιμήκει* est *in altitudinem*, sive *in altum*, hoc est, sursum versus, qualiter illa tunica texebatur, ut diximus; & ea vox etiam proceritatem, sive corporis altitudinem significat.

Quod vero Rubenius censet, tales etiam fuisse tunicas rectas Romanorum die tyrocinii, & Regillas sponsarum, non ita facile id doctis persuaserit. Fuisse quidem a stantibus sursum versus textas, & ideo rectas appellatas, & boni ominis causa eo die sumptas in confesso est apud omnes: sed quod fuerint rotundæ, & clausæ, non ex duabus plagulis consutę ut communes, id vero inauditum est, & nemo Veterum prodidit: certe id non dissimulasset Festus & alii, qui tantum earum telam a stantibus in altum textam memorarunt. Quod si fuissent & ipsæ inconsutiles, jam illud artificium non Palæstinis modo, sed Judæis omnibus, & Romanis fuisset cog-

nitum, nec tantopere viris doctis laborandum fuisset, ut indicarent, qualis tunica Domini inconsutilis, si tales Romanorum tyronum rectæ, & sponsarum regillæ fuissent. Imo & Græcorum tunicæ ὀρθοστάδιοι, ὑπόκομμα, id est, incisuram non habentes, ut explicat Rubenius, & inconsutiles erant. Sed ὑπόκομμα apud Hesychium, est cingulum sive cinctura, qua tunicæ rectæ, id est, recte cadentes carebant, ducta translatione ab insectis animalculis, quæ ab ea parte qua insectionem habent, veluti cincta videntur, sive, quod ait Salmasius, graciliora apparent, & cincti discinctis graciliores videantur; tunicæ illæ rectæ cincturam non habebant.

Hæc paulo fusius ad Isidorum, & Theophylactum explicandum, & nostram opinionem tuendam adstruximus, ne deinceps quæratur quale illud artificium fuerit in tunica ἀῤῥάφως conficienda.

CAP. XIV.

Nec mulierum, nec virorum vestibus apud Græcos clavos additos. Nulli clavi albi fuerunt. Vestis stragula lectorum, non hominum. Nomina palliis intexta.

Ad Cap. X.

Quidquid unquam de purpura apud Græcos & Latinos scriptores Rubenius repperit, totum id ad argumentum trahit, atque inde clavos vestium procudit, & muliebres quidem vestes apud Græcos angustis clavis ornatas censet, quia Aristophanes inter ornatum muliebrem τὸ παρυφὲς enumerat. Sed tam παρυφὲς, ut dictum est, quam παραλουργὸν, nihil aliud significat, quam vestem purpura intextam, vel prætextam, & quidem per totum, cum clavi tantum ad pectus essent, ut ipse fatetur, & ut demus παρυφὲς de clavis intelligendum, undenam clavos fuisse angustos, non autem latos colligit? Ita apud Syracusanos lege sancitum ne fœminæ portarent vestes ἐχούσας πορφυρᾶς παρυφὰς purpura intextas. Illud Apuleii de Hippiæ interula, *habebat indutui ad corpus tunicam interulam tenuissimo textu, tripl ci licio, purpura duplici*, non de duobus clavis accipiendum, sed aut de duplici purpuræ genere, ut diximus, vel quod tunica illa texta erat ex triplici licio, sive trimita, duobus purpureis, altero albo.

Non a mulieribus modo Græcis, sed etiam a viris clavatas vestes gestatas adjicit, hoc tamen discrimine, quod lautiorum clavi purpurei essent, reliquorum albi. Hoc quoque non minus ineptum est, quam a matronis Romanis gestatos clavos in tunica sive stola, quæ tota purpurea erat: quomodo enim clavi purpurei in veste ejusdem coloris conspici poterant? Ita cum Græcorum, sicut & aliarum fere gentium vestimenta vulgo fuerint alba, qua demum ratione clavi albi, in alba veste insignes esse potuerunt? Atqui Alexander teste Plutarcho de Antipatro dicebat, ἔξωθεν λευκοπάρυφός ἐστι, τὰ δὲ ἔνδον ὁλοπόρφυρος. *Extrinsecus*, inquit Rubenius, *vestes habet albis clavis ornatas, intus vero totus purpureus est.* Nihil hic de clavis, sed λευκοπάρυφος est vestibus albis, sive ex lana alba textis, indutus, intus totus purpureus.

Futile magis argumentum est, quo clavos Græcorum palliis additos contendit: quod Athenæus lib. V. scribit de Athenione, qui tyrannidem invaserat, ἐπ' ἀργυρόποδος κατακομίζεται φορείου, καὶ πορφυρῶν στρωμάτων, *qui prius in tribonio purpuram nunquam viderat, in purpureis stragulis, sella argenteis pedibus subnixa portabatur.* Nullum hic pallium, sed tantum stragula vestis purpurea, qua & lecti, & pulvini in lectica insternebantur, quo sensu stragula vestis semper a Latinis sumitur, nunquam pro indumento: Quanquam idem sentiat Casaubonus, & perperam de clavis interpretetur, qui ut toties diximus, in veste purpurea conspicui esse non poterant.

Quia vero Casaubonus dixerat clavos in vestibus σημεῖα dictos esse, quod rectum est, affert locum Suidæ, τριβωνοφόρος, ὁ φορῶν στολὴν ἔχουσαν σημεῖα ὡς γραμμάτια, *gerens vestem habentem signa, veluti literas.* Quod ut concedamus de literis, & hujusmodi notis, præcipue inferiori ævo vestibus intexi solitis: ita tribonio viliorum hominum trito, ac lacero palliastro, notas purpureas inditas credere non possumus. Et si hæc σημεῖα, oris vestium ac laciniis intexebantur, eademque clavi fuerunt, sequitur clavos non ad pectus solum, sed in extrema ora attextos, & ita clavatam & prætextam vestem eandem fuisse.

Porro etiam nomina quandoque palliis immissa præter Vopiscum, docet Plinius lib. XXXIII. c. IX. de Zeuxi: *Opes quoque tantas acquisivit, ut in ostentatione earum Olympiæ, aureis literis in palliorum tesseris, intextum nomen suum ostentarit.* Carolus Datus Vir longe doctissimus, atque humanissimus, cum præclarum Opus *de vita veterum Pictorum* moliretur quo magnis illis artificibus immortalitatem largitus est, quam ab operibus injuria vetustatis victis, consequi non potuerunt: quid de his Plinii verbis sentirem amice quæsivit, quod me aliquam in eo scriptore operam collocasse sciret.

Respondi tunc id quod erat, mihi suspectum hunc locum, ac prope depositum visum esse: ea præcipue ratione, quod cum pallium Græcorum, ut & cetera vestimenta ex lana, albo colore vulgo essent, satis capere non poteram, quænam illæ tesseræ in pallio essent, quarum nemo Veterum meminisset, nec quomodo literæ ac nomina vulgari pallio intexi possent; cum præterea Plinius *palliorum*, non *pallii* dicat, plura enim pallia gestata nemo dixerit: nec magna opum ostentatio videbatur, si in palliorum tesseris nomen aureis literis insertum fuisset.

Sed postquam eruditissimam dissertationem ejus beneficio accepi, & rem totam accuratius perpendi, non invitus ipsius sententiæ accedo: cum pallium commune album esset, ac sine ullis ornamentis, aut signis, potuisse pictorem illum, quæsita meritis superbia inflatum, fastu quodam, atque opum inani ostentatione, cum pallio purpureo, cujus tesseris nomen ejus aureis literis intextum, aut Phrygionis opere pictum esset, Olympicis incedere.

Idque ut facilius credam facit Ælianus, qui lib. IV. cap. XI. *Variæ Hist.* etiam in Parrhasio cultus insolentiam notat, ὅτι μὲν πορφυρίδα ἐφόρει, *vestem purpuream ferebat*, quæ vox tam de pallio, quam de chlamyde accipi potest. Præterea usum tradit scipione, aureis claviculis distincto, & aureis fibulis calceamentorum ligulas constrinxisse. Quod confirmat Athenæus lib. XII. cum ait eundem χρυσοῖς ἀνασπαστοῖς, *aureis habenis calceorum ansas adstrinxisse.* Quæ in eo licentia non minus notabilis, quam Zeuxis nomen pallii tesseris, literis aureis inscriptum. In eo tamen adhuc hæreo, cur Plinius, *palliorum* dixerit, non pallii: nisi forte ad majorem ostentationem, plura habuit pallia diverso artificio eundem luxum testantia, quæ subinde mutaret, ut Crispinus apud Juvenalem Sat. I.

Tyrias humero revocante lacernas.

Ut ad Rubenium redeamus, extrema X. capitis verba corrupta librarii culpa crediderim. *Ita gromatias gruma vocatur, quæ linea alba transversa præcingitur in Plinius*, & pro gruma, *gemma* legendum esse. Cum tamen in ipsa Capitis epigraphe legatur

Grammaticis gruma, fœdiore menda, pro *Grammatias, gemma*.

CAP. XV.

De lato clavo. Unum tantum in tunica Senatoria fuisse, falso adstrui. Herodianus explicatus.

Ad Cap. XI.

QUÆ de lato clavo hic afferuntur, quem Græci πλατύσημον vocant, trita, sunt & pervulgata. Illud plane novum, unum tantum clavum fuisse, & quidem alterum ab anteriore parte, a posteriore alterum. Non igitur unus, si hoc verum esset. Sed nullos retro clavos fuisse supra diximus, quod nemo Veterum id prodidit, quodque frustra positus fuisset, cum pars illa tunicæ posterior, toga, aut lacerna tegeretur, sub qua clavus ille latuisset. Ad quid igitur appositus?

Sed fuisse unum tantum in anteriore parte, ut comprobet, plura scriptorum loca adducit, quæ eodem recidunt, & uno verbo facile solvuntur. Juvenalis Sat. I.

—— *Quid confert purpura major*
Optandum?

Est quidem ibi *purpura major* laticlavia tunica: non tamen de uno tantum clavo, sed de pluribus intelligi potest, *purpura*, pro clavis purpureis, quotquot illi fuerint. Et hic, & in aliis scriptorum locis singularis, pro numero plurium per tropum. Ut *Romanus prælio victor*: & *hostis habet muros*. Idem sensus Luciani in *Demonacte*: *Cum vidisset quendam* ἐπὶ τῷ πλάτει τ πορφύρας, *superbientem latitudinem purpuræ*, quæ scilicet in clavis. Eodem modo Quintilianus lib. VIII. cap. V. *Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita certe neminem deceat intexta pluribus notis vestis.* Nam si duo, aut tres clavi in usu fuissent, quod incertum est, si quis recepto numero plures addidisset, sive plures clavos tunicæ inseruisset, rem indecoram fecisset. Apud Plinium *purpura latior*, sunt clavi purpurei eodem tropo quo supra dictum est. Ita & Suetonius tradit *Augustum usum togis, neque restrictis, neque fusis clavo nec lato, nec angusto*, id est, tunica laticlavia, quæ etiam *latus clavus* simpliciter dicebatur, licet plures cluvos haberat. Horatius:

——— *Latum demisit pectore clavum.*

id est, tunicam laticlaviam, quæ cum non cingeretur cadebat in pectus; ideo recte Acron exponit τ κολωβίωνα, id est, *tunicam sine manicis, in qua purpura, quæ extenditur in pectore Senatorum.* Nam tunicam illam ἁπλῶς *latum clavum* appellatam manifeste docet Suetonius de Cæsare: *Usum lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam supra eum cingeretur*, id est, tunica contra morem manuleata, & cum fimbriis: nisi quis putet, clavos, qui in pectore, usque ad manus extensos, vel manicis insertos fuisse.

Neque Silius lib. III. ait tunicam unico clavo distinctam:

Discinctis mox thura dare, atque ex lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.

Idem enim tropus est, pro *latis clavis*, neque unus clavus, sed plures vestem distinguunt. Sed Martialis contrarium potius indicat:

Et lato variata mappa clavo.

Quomodo enim uno tantum clavo mappa variari potuerit, ipse viderit, qui melius hunc locum prætermisisset. *Sed optime omnium*, inquit, *Herodianus hoc declarat* lib. IV. *cum de Heliogabali sacrificiis agit.* Ait enim, *exta victimarum, & aromata intra lances aureas, capitibus impositas gestatas esse a præfectis exercituum, & ab aliis summa dignitate præditis*: ἀνεζωσμένοι χιτῶνας ποδήρεις, καὶ χειριδωτὰς νόμῳ Φοινίκων ἐν μέσῳ φέροντες μίαν πορφύραν. *Succincti* (non induti) *tunicas talares, ac manuleatas, Phœnicum more unam in medio purpuram habentes.* Si præfecti exercituum, & summis magistratibus præditi fuissent in tunica latilavia communi, nihil erat quod Herodianus diceret, more Phœnicum indutos fuisse. Sed illi in peregrino ac barbaro vestitu erant more Phœnicum sacrificantium, & duo quidem contra Romanum morem in eorum cultu notavit: quod tunicas talares, & manuleatas, quæ Romæ infames erant, quodque eædem tunicæ solam purpuram in medio haberent more Phœnicum. Nihil hic de tunica laticlavia, sed de sacrifica Phœnicum veste, & frustra Herodiani auctoritate nititur.

Sicut enim Reges Persarum ita tunicam purpuream gestabant, ut in medio intextum album haberet: ita & sacrificuli in Phœnicia albam tunicam gestabant, quæ in medio purpura erat distincta. Sed quid opus est verbis, si Varro totam hanc sententiam evertit? Lib. VIII. *de L. L. Nam si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis, utraque pars in genere suo caret analogia.* Quid hisce reponit Rubenius? Ait, aut de tunica angusticlavia locum intelligendum, cujus una plagula latioribus, quam altera clavis distincta sit. Sed cur non de laticlavia a nobiliori parte? Vel eadem tunica erit laticlavia, & angusticlavia. Sed communi Criticorum more quod non placet, corrigit, *ut altera plagula sit angustis clavis, altera lato*, aut ex Scioppii editione, *altera plagula sit angusti clavi, altera lati*: utcunque non unus, sed duo clavi fuerint, & Varronem de angusticlavia, non de laticlavia locutum, docendum erat. In media igitur tunicæ parte, tam lati, quam angusticlavi insuti fuerunt: nam angustos ad latus dextrum, & sinistrum positos merum commentum est, quod supra explosimus.

Ceterum licet τὰ μεσοπόρφυρα apud Isaiam cap. III. Septuaginta transtulerint, teste Hieronymo, *tunicam clavatam purpura*, cum Symmachus *fasciam pectoralem*: ita μεσόλευκον tunicam Regum Persarum nemo *lato clavo distinctam* dixit, & *clavos illos albos* fuisse, sed tantum ut Curtius, *purpureæ tunicæ medium album intextum*, qualiscunque ejus forma fuerit, rotunda, an quadrata, recta, an transversa. Quod autem Veteres ita clavis uterentur, ut alii magis, aut minus laxos, vel restrictos gererent, quod de Augusto Suetonius tradit, id satis pridem a doctis demonstratum est.

CAP. XVI.

Oraria: Stolæ: semicinctia, sudaria. Non a Senatoribus tantum, sed vulgo usurpata.

Ad Cap. XIII.

RECTE quidem Rubenius statuit fascias, quæ in statuis posterioris ævi cernuntur, quæque sinistrum humerum tegunt, & sub brachium dextrum descendunt, non esse clavos. Non solum quia, ut ille ait, sit fuissent clavi spectarentur etiam in statuis togatis antiquioribus, cum ferme tantum visantur in illis, quæ post Constantinum positæ sunt. Sed quia nulli unquam in togis clavi fuerunt & si fuerint fasciæ *clavi* dici non possunt, contra quam idem censet, qui longas illas fascias purpureas in trabea instar trabium discurrentes, *clavos* vocat. Fuisse ergo *oraria* eidem assentimur, quæ non tantum a Senatoribus, sed promiscue gestabantur: quorum speciem in Diaconis spectari in iis, quæ hodie *stolæ* appellantur, sicut in sacerdotibus eadem forma, & materia, licet diverso modo gestentur.

Nam in his de collo suspensa stola decussatim in pectus descendit, in Diaconis vero, sinistro humero imposita, dextro brachio submittitur. Concilium Toletanum IV. *Ergo orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat.* Sic Chrysostomus in *liturgia*, sic ceteri *orarium* vocant.

Sed non satis percipio cur hæc *oraria* tantum a Senatoribus gestarentur, ut ex Glossis Basilicon indicat Rubenius. *Ὀδονάρια καὶ ὀδόνια ὑφάσματα ἐπιμήκη, ἃ καὶ ὠράρια παρά τισιν λέγονται, ταῦτα δὲ οἱ εἰς παλάτιον εἰσιόντες συγκλητικοὶ ἐπιφερόμενοι ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπεμύττοντο, καὶ ἀπέπτυον. Odonaria, & Odonia sunt panni longi, qui & Oraria dicuntur a quibusdam; Hæc vero, qui in Palatium ibant Senatores gerebant, illisque utebantur ad emungendum, & expuendum.* Cur enim soli Senatores *oraria* gestabant? Numquid ceteri, quibus eorum jus non erat digitis, aut cubito emungebantur? Illud mirum magis, quod Senatoribus licebat, non licebat Consulibus: ut ex Theophylacto *in Acta Apostol.* cap. XIX. docet Rubenius: *Σουδάρια, καὶ σιμικίνθια λινοειδῆ εἰσιν ἀμφότερα, πλὴν τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν, οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορέσαι, οἷοί εἰσιν οἱ φοροῦντες ὑπατικὰς στολάς, πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου. Sudaria, & semicinctia linea sunt utraque, sed sudaria quidem capiti imponuntur, semicinctia vero in manibus tenent, qui non possunt oraria gestare, quales sunt qui ferunt Consulares vestes, ut abstergant humores faciei.* Cur Senatoribus tantum orariorum jus esset, causam adhuc quæro. Deinde aut eadem res fuit, aut non admodum diversa, *orarium, sudarium & semicinctium*: omnia ex lino, ut Græcorum *ὀδονάρια καὶ ὀδόνια*, & in eundem usum. *Orarium* non ab orando, sive prædicando, ut in Concilio Toletano, sed quo os, sive facies, ac narium excrementa tergebantur: *sudarium* a sudore: *semicinctium*, quod lintea erant, sive institæ latiores, dimidiam *cincti* speciem referentes. De *cincto* alias dictum, quale hodie est mulierum, & operariorum linteum, quod in anteriori parte præcingitur, *Grembiale*, & *scheggiale* Italis dicitur, a gremio, & coxis, & *Traversa*. Cum igitur eadem res fere fuerint *oraria*, & *sudaria*, & *semicinctia* de Senatoribus, & Consularibus Græci illius commentum esse putamus.

Sed de his omnibus multa egregie disputavit Casaubonus ad illa Vopisci: *Ipsumque primum donasse Oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Scilicet fuisse Veteribus, ut hodie quoque, linteamina quædam parva ad munditiem corporis, usus magni, & multiplicis. *Sudaria, semicinctia, oraria*, & quorum unus meminit Arnobius, *muccinia*. Semicinctia, ut nomen indicat, & testatur Martialis, inventa, ut iis se præcingerent, vel cum lavarent in balneo, aut gymnastæ operam darent, vel cum ministrarent. Nam præcinctos ministrasse ex Suetonio notum de Caligula: *Quosdam summis honoribus functos, cœnanti, modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est, instar ministrorum.*

Postea etiam ad alia semicinctiis usos esse idem observat: notumque ex *Actis Apostolorum* cap. XIX. de Paulo: *Virtutesque non modicas faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores.* Utraque vox Latina, ut aliæ plurimæ Græco scriptori usurpatæ. *Sudarium* linteolum, quo manantem sudorem tergebant. Hinc apud Quintilianum lib. VI. *Vatinius reus reprehensus, quod candido sudario frontem tergeret, ille, quamvis reus panem candidum edo.* De semicinctiis S. Ambrosius *in hymno SS. Gervasii, & Protasii*:

Vetusta secla vidimus
Jactata semicinctia
Tactu, & umbra corporum
Ægris salutem redditam.

Eodem usu *orarium* ab ore, linteolum tergendo ori paratum, quod auctor Etymologici, & Balsamo appellant *ἐκμαγεῖον τοῦ προσώπου*, orarium Latinis dictum, & Prudentius:

Hic sui dat pignus oris, ut ferunt orarium.

Fuisse autem *oraria* ad modum fasciarum longiuscula probat Casaubonus ex Augustino *de Civit.* l. XXII. c. VIII. ubi de eo loquens, cui oculus in maxillam fusus erat: *Tunc*, ait, *sicut potuit, oculum lapsum, ac pendentem loco suo revocatum ligavit orario.* Nec longa modo, sed etiam lata fuisse ex vet. Interprete Juvenalis, qui flammeum, quo nubentes velabantur, *orarium* interpretatur; omnino qualia sunt nostra linteola, quæ a facie, *fazzoletti* appellantur, Insubribus *pannuli*, sive *pannetti* dicuntur.

Ab ore igitur *orarium*: nec audiendus Salmasius, qui a segmentis vel loris, & institis, quæ ad *oram* vestis adsuebantur *oraria* dicta existimat, ab ipsa vestis ora. Nam illa segmenta, & limbi, angusti erant, & ut fuerint latiores, usum orariorum præstare non poterant abstergendo sudori, & emungendis naribus, ad quod oraria instituta, & inde dicta. Ita & *faciolium* non a facie, sed a fascia, quasi fasciolium dictum idem putat, acute magis quam vere. Et ideo subjicit, se non repugnare, quod Græci *προσώπου ἐκμαγεῖον* interpretantur, non *ab ora*, sed ab *ore* dictum, ad sudorem detergendum, sicut *καψιδρώτιον*.

Vere quidem Casaubonus statuit hujusmodi *oraria* primum populo Romano data ad favorem, ut iis jactatis in Circo signum favoris ederetur. Quod autem subjicit ante Aurelianum hoc idem toga factum esse, nondum inductis orariis ad favorem, nequaquam verum est, cum potius contrarium ex verbis Ovidii eliciatur:

Favimus ignavo, sed eum revocate Quirites,
Et date jactatis undique signa togis.
Et revocant: at ne turbet toga mota capillos,
In nostros addas te licet usque sinus.

Non enim jactatione togæ signa favoris dabantur: sed contra, ignavi agitatores revocabantur: ut manifesto verba declarant. Erat igitur illa potius explosio quam favor. Neque vero tantum laciniam togæ sive institam in eo negotio motitabant, ut vult Salmasius, sed togæ sinum concutiebant.

CAP. XVII.

Diaconorum Orarium, & semicinctium, sive stola. Orarium Doctorum, & Magistratuum. Capuzzo. Beca. Almutia. *Stola Venetorum.*

UT ad *Oraria* redeamus, ea vulgo gestata in usum postea sacrorum concessere: & secutis temporibus non ex lino, sed ex lana, aut serico confecta, sacrificalis cultus pars fuerunt. Alias communi doctorum sententia ostendimus, sacra Ecclesiæ primordiis in veste communi, & vulgari peracta. Hinc tunicæ lineæ sive Camisiæ, & tunicæ superiores, & Dalmaticæ, demum pænulæ sive Casulæ sacrificantium habitus fuit, & hodie manet, postquam a vulgari, & prophano separari cœpit. Sed Diaconi sine pænula, in sola Dalmatica, sive tunicula, qualis habitus olim ministrantium mensæ, id est, sola tunica, quæ si manicis careret *colobium* dicebatur, manuleata vero *Dalmatica*. Alterum Diaconorum insigne, *Orarium*, sive potius *semicinctium*, quod qui mensæ ministrabant, eo vel cingerentur ad pectus, ut ex Suetonio liquet, *linteo*

præcinctos inſtar miniſtrorum, vel ſiniſtro humero A imponerent ab abſtergendas manus.

Quæ lintea Græci σινδόνας vocant, ut Salmaſius docet, erantque cirrata, & ideo δίκροσσα Polluci dicuntur. Sic atrienſis a Phædro inducitur:

Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat diſtricta, cirris dependentibus.

Id eſt, fimbris, quales etiam nunc in Diaconorum orariis cernuntur. Nam *cirri* ſunt *fimbriæ*, κροσσοὶ, unde κροσσωταὶ veſtes *fimbriatæ* vel *cirratæ*.

Quia igitur Diaconi, ut vox declarat, erant ſacræ menſæ miniſtri, cum linteo, ſive ſemicinctio, & quidem fimbriato, quodque ſiniſtro humero imponitur, quod & *orarium*, ad ſimilitudinem linteorum orariorum: & ſtola, ἀπὸ τοῦ στέλλειν, quia humero injiceretur. Blaſtares in *ſynopſi* B *Concillorum* a Caſaubono laudatus, ait miniſtris minoribus, ſive Subdiaconis, orarium vetitum Cum munus eorum eſſet fores templi cuſtodire (unde *Oſtiarii* dicti) vult aut orarium proprium eſſe Diaconorum, quod illi lævo humero impoſitum geſtent: ex eo autem dictum, quia teneantur qui orarium habent, ſtantes ad pulpitum tempus obſervare, quando oporteat eum, qui ſacram paginam legit, vel fideles, vel cathecumenos compellare: ὠρεῖν enim eſſe *obſervare*: quod ut verum eſt de geſtatione *Orarii*, ita falſam & ineptam verbi notationem Caſaubonus arguit.

Subjicit idem *Orarium* apte appellari poſſe ſericam inſtitam, quam collo appendunt in Gallis magiſtratus, & qui Doctores renuntiati fuerunt. C Quod etiam olim in Italia fiebat, ut una cum laurea Orarium ſumeretur, & nunc etiam alicubi a Parochis geſtatur. Quod partim barbara voce *Caputium*, partim *Beca* appellatur. Orarium ſcilicet addito capitis integumento inſtar cuculli. Quod in hac Urbe inſigne erat Rectoris Academiæ, idque magna pompa, & celebritate ſumebatur, & quidem gemmis inſignitum, ut videre eſt in veteribus picturis, & apud Thomaſinum de Gymnaſio Pavino.

Idem tegmen *Beca* dicitur, ambiguo, ex rei inhoneſtæ cognatione, ſenſu, & a Parochis etiamnum utrique humero impoſitum geſtatur. *Apex*, *apica*, *apeca*, *beca*. Sacerdotum etiam olim apud Romanos, præcipue Flaminum, inſigne. De quo fuſe in *Originibus linguæ Italicæ* diximus.

Veneti Orarium *ſtolam* appellant, pannum oblongum, & latiorem ſiniſtro humero injectum. Idemque olim fuit capitis integumentum, ſive *caputium*, quale paſſim in Urbibus Italiæ ab honeſtioribus geſtabatur, ut veteres picturæ oſtendunt. Sed cum pondere prægravaret, rotundis pileolis inventis, orarium retentum, humeroque ſiniſtro impoſitum: in Equeſtri dignitate præditis, aureis ſegmentis diſtinctum: in magiſtratibus, ex holoſerico villoſo coccineo, interdum auro intextum, & variegatum.

Cœpere poſtea *oraria* præcipue Doctorum pretioſis pellibus fulciri & humeris imponi, ut in pectus deſcenderent: mox ſolæ pelles peregrinorum murium adhibitæ, ut nunc a Doctoribus in publicis ſupplicationibus eodem modo geſtantur, etiam cum caletur maxime. At Sacerdotes Canonici non humeris, ſed ſiniſtro brachio eas pelles ferunt, eæque a quibuſdam *Almutiæ* appellantur. Fortaſſe quaſi *Armitiæ* ab armis, quod humeris injiceretur, quemadmodum & *Armilauſa*: de qua in iiſdem *Originibus linguæ Italicæ*.

CAP. XVIII.

Stola Sacerdotalis. Pallium Archiepiſcoporum. Orarium non fuiſſe pallium: neque a menſæ miniſtris geſtatum.

NOn Diaconorum modo, ſed & Sacerdotum *orarium*, ſive *ſtola* ornatus fuit. Ita tamen ut diverſo modo geſtaretur: ſcilicet utrique humero impoſitum in pectus deſcendens crucis figuram formaret. Nunc pænulæ, ſive Planetæ ſubjectum, olim etiam ipſi ſuper impoſitum, ut videre eſt in appoſita vetere tabula, quam Nicolaus Alemannus *ad Procopii Anecdota* exhibuit.



Et quoniam, ut dictum est, vulgo linteola, & sudaria ad faciei munditiem ferebantur, postquam *Oraria* ex lana, aut serico confici cœperunt, ex lino mappulas, & muccinia in eundem usum habuerunt, quæ aut manu gestabantur, aut sinistro brachio suspendebantur. Sed & ipsa in sacrificalis vestis ornatum transierunt ex lana pariter, aut serico, & manipuli dicti sunt, lævoque brachio alligantur, quæ vox etiam nunc Vicetiæ durat, pro linteolo, sive sudario.

Demum & Episcopi, atque Archiepiscopi Orario insignes fuere. In Vita Fulgentii: *Una tantum vilissima tunica, sive per æstatem, sive per hiemem patienter indutus: orario quidem sicut omnes Episcopi nunquam utebatur*. Quamquam hæc verba non de veste Pontificali, sed communi accipienda putem. Hoc Episcoporum Orarium peculiaris formæ fuisse censet Casaubonus: nec ut cetera Oraria simplicem fasciam, & ideo pallium appellatam. In historia Synodi Rhemensis: *Arnulphus in sui promotione annulum, & baculum acceperat, quoddamque genus Orarii, quod per differentiam pallium dicitur*. Sed qualis esset ista differentia non constat, hodieque pallium non Episcoporum, sed Archiepiscoporum insigne est: illudque describit Scaliger Epist. CCCXLV. *Scilicet circulus & subtili panno, quatuor, aut quinque digitorum amplitudine, ex quo duæ ex eodem panno propendent fasciæ: itaut cum circulus humeris Antistitis fuerit impositus; duæ illæ fasciolæ a pectore, & a tergo dependeant*. Certe nihil aliud quam Orarium; sed diversa forma, & injectu, ut scilicet ab Orario Diaconorum, & Presbyterorum distingueretur: sed cur fascia ista circularis, *pallium* fuerit dicta, juxta cum ignaris scio. Fortasse quod quandam omophorii speciem præferat: quod erat breve pallium sive palliolum, ut vox declarat, humeris impositum, quanquam hoc integrum, illud fascia, sive orarium in circuli figuram compositum.

Quidquid sit fascias, quæ in antiquo marmore apud Boissardum conspiciuntur in modum pallii Archiep. esse *Oraria* cum Rubenio credimus,



Sed utrum figuræ illæ in medio positæ, sint pænulatæ, an tunicatæ tantum, adhuc dubitabimus. Cum tunicæ videantur, & oraria ferme non pænulis, sed tunicis imponerentur. Eos autem juvenes credit Rubenius Officiales. Quod lex I. Codicis Theodosiani, *de habitu*, *quo uti oportet intra Urbem*: *Officiales quoque uti quidem pœnulis jubemus: verum interiorem vestem admodum cingulis observare, ita tamen, ut discoloribus quoque palliis pectora contegentes, conditionis suæ necessitatem ex hujusmodi agnitione testentur*, Sed verba illa, *interiorem vestem*, *& pectora contegentes*, non de pænula, quæ exterior, sed de tunica intelligenda sunt: nemoque dixerit pallia illa versicoloria, fuisse oraria, etiamsi orarium Archiepiscopale, pallium dicatur: sed potius pallia, sive palliola fuisse discoloria, quibus officiales a ceteris dignoscerentur, ut sunt nunc, quæ *livrees* appellantur.

Quod subjicit, excusari non potest: de simili genere pallii intelligendum esse Isidorum, scilicet de fasciis humeralibus: *Pallium est quo administrantium scapulæ conteguntur, ut dum ministrant expeditius currant*. *Plautus*. *Si quid facturus es, append. in humeris pallium, & pergas quantum valet tuorum pedum velocitas*. Sed totum hoc merum Isidori somnium est. Nam ministrantes sine pallio fuere, & in sola tunica, ut essent expeditiores. Id ex tricliniis veterum monumentorum apparet, nullusque scriptorum mensæ ministros cum pallio produxit: neque Isidorus ait pallium illud fuisse fascias, sive oraria. Plautus non de mensæ ministris, sed de servis se ad cursum expedientibus loquitur, qui ne vestimentum fusum & longum cursuram impediret, illud contractum conjiciebant in collum, & de pallio Græcanico, non de orariis loquitur. Idem *Captiv.* Actu IV. Scena I.

Nunc res certa est, eodem pacto, ut Comici servi solent,
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.

Et scena sequenti:

Sed Ergasilus est ne hic, procul quem video,
Collecto quidem est pallio: quidnam acturus est?

Et *Epidico* Actu I. Se. I.

Age nunc jam orna te, Epidice, & palliolum in collum conjice:
Itaque assimulato quasi per Urbem totam hominem quæsiveris.

Terentius *Phormione*:

Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio,
Atque hominem propero invenire?

Quo habitu interdum etiam liberi, ut parasiti trechedipni, cum ad cœnam festinarent. In prolegomenis Terentii: *Parasiti cum intortis palliis veniunt*, id est, in collum coniectis ad cursum.

Ministrantes igitur sine pallio fuerunt, in sola tunica: aliqui cum linteo sine semicinctio, quod tamen nemo pallium appellaverit. *Atqui*, ait Rubenius, *in veteribus monumentis ministros fere omnes, tam sacrificiorum, quam conviviorum videmus habere in sinistro humero suspensam fasciam quandam latam, cirris dependentibus*. Verum in ministris conviviorum (nam de sacrificiis nondum mihi videre contigit) illam fasciam *semicinctium* fuisse diximus, non pallium, & quidem *linteum*, ut scriptores appellant. Phædrus, *linteo Pelusio*. *Quam fasciam*, inquit Rubenius, *credo pallium appellatum, quando ex lana non ex lino erat*. Nam linea fuit, etsi lanea fuisset, non tamen propterea pallium. Nam etsi postea hæc oraria, & semicinctia cum in partem vestis sacrificantium venerunt, ex lana, & serico confici cœperint, non sequitur, quia ex lana erant, fuisse pallia, quasi pallia tantum fierent ex lana, & non omnia vestimenta, tunicæ, pænulæ, lacernæ, togæ. Neque Petronius pallia opponit linteis: *Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis*. Id enim ut cetera præter morem in luxu Trimalcionis notavit, quod cum alii in balneis linteo tergerentur, ille pallia non ex lino, sed ex lana confecta

A tersui adhibebat, sive quod molliora ex tenuissima lana erant, sive quod calidiora. Alii tamen pro *palliis*, *pannis* legunt. Potuisse tamen etiam pallia ex lino confici credimus, non quidem ad gestandum, sed quibus lecti operiebantur, etiam tricliniares, quæ passim a scriptoribus *pallia* appellantur, ut Catullus, *pertundo tunicamque palliumque*. & Ovidius:

Conscia de tergo pallia deme tuo.

Quæ *lintea toralia* dicta.

CAP. XIX.

B *Orarium in habitu Imperatorum, & Consulum inferioris ævi. In diptycho Leodiensi Orarium Consulis non esse Omophorion: neque tunicam interiorem esse subarmale.*

RECTE quidem putat Rubenius humeralem fasciam sive lorum ab Imperatoribus Byzantinis gestatum, esse orarium; sed ex serico, auro gemmisque distinctum. In Donat. Constantini: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, nec non, & superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale solet circundare collum*. Fascia scilicet auro gemmisque ornata, utrique humero imposita, deinde in pectore Crucis signum exprimens, ut stola sacerdotum. Præter nummum Theodosii, in quo tam in prima quam in aversa figura id conspicitur, alios hic adjecimus, ex thesauro antiquitatum Equitis Joannis de Lazara nunquam satis laudati, quo res clarius innotescat.

C





Præter hæc in *Diptycho Leodiensi*, quod Wilthemius V. C. publici juris fecit, totum hoc manifestius apparet. Fascia scilicet lata, & oblonga Consulis Anastasii. Quæ quidem *orarium* est, non *Omophorium*, ut eidem placere video. Nam omophorium, quod postea *mavortium*, *& maforte* corrupte dictum est, fuit breve pallium sive palliolum humeros tegens, ut supra indicavimus: nemo autem fasciam, & lorum, pallium dixerit, etsi humeris imponatur. Deinde *orarium* in habitu Anastasii, & nummis fere alteri vesti subjectum cernitur: *omophorium* autem reliquis vestimentis super imponebatur. Sed quinam sit ille Consularis amictus superior Cos. Anastasii, tam in Diptycho Leodiensi, quam in Bituricensi, & nummis Imperatorum, divinandum est. Neque enim est toga, vel trabea, quæ rotunda erat clausa, & fusior: non chlamys, quæ in summo fibula nectebatur: non pænula, quæ pariter clausa, non pallium, non aliud demum vestimentum Romanum. Etiam ipse injectus, ac modus amiciendi plane notabilis: cum vestis illa in superiore parte, a sinistro humero sub dextrum brachium in tergum recurrat: pars autem inferior a dextro latere ad sinistrum brachium extensa eidem juxta manum imponatur.

Eadem plane figura in Diptycho Bituricensi, nisi quod situs Delineatoris culpa inversus est, & pars dextra pro sinistra in conjectu expressa. In Diptycho Compendiensi, quod Sirmondus ad Sidonium exhibuit, sine ullo amictu superiore, solum orarium conspicitur, & quidem decussatim pectus amplectens more stolæ Sacerdotalis. At in altero Diptycho Asturii, nullum cernitur *orarium*, sed tantum amictus ille exterior plane similis circumjectu Anastasiani. Qui sane ex omni vestium genere proxime ad chlamydem accedit, & fortasse etiam fibula ad summam oram adnexa est, sed ea rejecta in humerum vestis parte inferiore, obtegitur. Cur autem pro toga chlamys eo tempore a Consulibus sumpta sit, quærant doctiores, dummodo constet, togam Romanam nullo pacto esse potuisse.

Et quoniam in hoc versamur, prætermittere non possumus, non videri nobis tunicam illam interiorem Consulis fuisse *subarmale*, quod Vir ille doctissimus existimat. De quo subarmali olim a nobis cum cura disputatum est: simul Turnebi, & Casauboni sententia expensa, quod Wilthemius non ignorabat. Scilicet *subarmale* ab armis, sive armatura dictum tradit Turnebus: ab armis sive humeris Casaubonus. Hoc postremum nos refutavimus. Nam cum vestis militaris esset, potius ab armatura, quam ab humeris dictam verisimilius videri. Deinde omnes hoc pacto vestes, quæ armis, seu humeris imponuntur subarmalia dici potuissent. Et cur potius subarmalia, quam superarmalia, cum armos, & reliquum corpus tegerent?

Hæc omnia credere cogunt, ab armatura, non ab humeris subarmale appellatum. Etsi enim ex Oratione Valeriani pro Aureliano, triplex vestis Consularis fuerit, *Tunica palmata*, *toga picta*, *& subarmale profundum*: non tamen inde sequitur, hæc omnia eodem tempore gestata. Sed togam & tunicam in officio solemni: subarmale autem cum esset vestis militaris, belli tempore, scilicet cum paludamento, atque armis. Ergo vestis illa inferior, nihil aliud fuit quam tunica interior: nam saltem duas tunicas Romanos gestasse notum est. Hoc ab antiquo habitu diversum, plane notabile, quod cum olim tunicæ talares probrosæ, atque infames essent, inferiori ævo non a Consulibus modo, sed vulgo gestari cœperunt, ut in his Diptychis, & nummis manifesto apparet. Neque obstat, quod *subarmale* vestis pompatica fuerit, quod sic, ut alias docuimus, intelligendum est, cum prætoriani milites armati stiparent Imperatorem, in supplicatione, & pompa, habitu civili, id est, sine armis, & subarmali amicti incedebant: quod aut sagum, aut quid simile fuisse diximus: ita ut Imperatoris, & Consulis purpureum esset, ac fusius, & ideo *profundum*, militum autem brevius, vulgarique tum colore, tum materia.

CAP. XX.

Utrum patricii in prætexta latum clavum gestarint? Statius explicatus: item Suetonius. Augustus post virilem togam a Cæsare patricius factus. Laticlavia tyrocinio non deposita.

Ad Cap. XIV.

QUÆRIT deinceps Rubenius, cum filii Senatorum etiam ante ætatem Senatoriam tunicam laticlaviam ex indultu Augusti gestarent, quo tempore id factum sit, & utrum promiscue ab omnibus, an vero Principis indulgentia ad hunc honorem consequendum opus fuerit. Addit, num etiam ante virilem togam latum clavum gestarint, & contra Manutii, atque Casauboni sententiam, patricios in puerili prætexta, hoc est, ab ipsa infantia laticlavios fuisse contendit.

Fundum novæ opinionis habet Statium lib. v. *Silv.* in Protreptico ad Crispinum. Nam cum hunc patricium fuisse iis verbis descripsisset:

Non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, & priscæ lucis egentem
Plebeja de stirpe tulit: non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo
Augustam sedem, & Latii penetrale Senatus
Advena pulsasti, sed præcedente tuorum
Agmine.

Postmodum subjicit:

Sic te clare puer genitum sibi Curia sensit
Primaque patricia clausit vestigia luna.
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Ubi non esse dubium ait per *Tyrios sinus* prætextam puerilem, per *tunicam potentem*, laticlaviam designari. Atque ita patricios cum prætexta puerili latum clavum sumpsisse. Fuisse autem tunc Crispinum in prætexta, verbis, quæ paulo post sequuntur declarari:

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

Sed si recte Statii verba expendantur, non aliud profecto innuunt, quam Crispinum patricium, cum togam virilem sumpsit, de more ceterorum, etiam laticlaviam induisse. Nam Tyrii sinus non prætextam, sed tunicam ad pectus, sive in sinu lato clavo insignem significant, & poetica, imo Statiana luxuria, idem est, tunica potens, id est, Senatoria, & Tyrii sinus, clavi in eadem ex ostro Tyrio. Non fuisse eum equestri genere, tribus adjunctis expressit: *sanguine turmali*, *trabea Remi*, *& paupere clavo*: sed Senatoria, & patricia stirpe, & ideo cum calceis lunatis, die togæ virilis laticlavia sumpsisse. Nam cum hæc scriberet Statius deposita prætexta togam puram Crispinus sumpserat. Erat enim jam XVI. annorum:

Et octonos bis jam tibi circuit Orbes
Vita.

Cum toga virilis ferme a XIV. sumeretur, licet quidam serius id facerent. Neque ex verbis illis,

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

sequitur, etiam tum fuisse in prætexta. Sed conqueritur Statius ereptum fatis parentem, cum adhuc puer esset Crispinus, & prætextatus: atque ita non potuisse interesse filii tyrocinio, & togæ virilis solemnitati:

Nec genitor juxta: fatis namque haustus iniquis
Occidit: heu geminam prolem sub præside linquens.

Non igitur Crispinus exuit prætextam, sed parens invidia fatorum interesse non potuit, cum eam exueret, & candentem amictum, id est, togam virilem sumeret. *Mox Tyrios ex more sinus*, id est, suo tempore, die nempe tyrocinii. Corruit igitur tota hæc opinio de puerili laticlavia ex male intellecta Statii mente. Nec frustra æstuat Casaubonus, & alii viri docti, dum quærunt, quomodo Octavio sumenti virilem togam tunica laticlavia, resuta ex utraque parte, ad pedes deciderit. Sed quo pacto ab hoc æstu Casaubonum Rubenius expedit? *Octavius enim*, inquit, *laticlaviam tunicam in prætexta gestabat, fuerat enim allectus inter patricios a Cæsare*. Sed infirmum auxilium est. Nam si id in more apud patricios jam tum fuisset, ut in prætexta laticlaviam gestarint, non erat cur idem Augustus, Suetonio teste, *liberis Senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus a virili toga latum clavum induere, & Curiæ interesse permitteret*. Quid enim opus erat concedere, quod more invaluerat saltem in patriciis? Addidisset Suetonius, *filiis Senatorum etiam non patriciis*. Sed nulli in prætexta laticlavii, verum sumpta demum virili toga. Licet Casaubonus suspicetur hunc morem gestandæ laticlaviæ tunicæ a prætextatis per confusionem bellorum civilium institutum, durasse ad tempora Augusti. Quod Suetonius scilicet tradat de Cæsare, *usum lato clavo, ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam supra eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde manasse Syllæ dictum constat, Optimates sæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent*. Et ideo Cæsar prætextatus in lato clavo. Quod miror Rubenio firmandæ opinioni prætermissum.

Sed ex verbis Suetonii id quod summus ille vir suspicabatur, nequaquam conficitur. Illud tantum, in duobus cultum Cæsaris fuisse notabilem. Altero, quod tunica lati clavi manuleata, sive ad manus fimbriata uteretur: altero, quod cum laticlavii non cingerentur, Cæsar laticlaviam cingeret: & quidem fluxiore cinctura, quod effœminati signum putabatur, licet in Cæsare falsum: qui cum puer etiam ante latum clavum de more cingeretur, laxiore pariter cinctura utens, mollis speciem præferebat, ex quo Sylla Optimates monebat, ne ex pueri male cincti habitu fractum animum, & nihil ausurum æstimarent. Non tamen sequitur fuisse puerum in lato clavo, nam & puer, & Senator, contra morem cingebatur, cum laticlavii discincti essent, utrobique laxiore cinctura. Neque cavendum ajebat Sylla, quia supra latum clavum cingeretur, sed quod tam puer, quam vir laxiore cinctu incederet. Verum occasione laxioris cincturæ supra latum clavum, Suetonius retulit dictum Syllæ de puero male cincto.

Redeamus ad Augustum, cui ex avunculi indulto concessum, die togæ virilis laticlaviam sumere viri docti recte existimant, non quia patricius factus esset, ut Rubenius credit. Nam hoc post togam virilem contigisse clare docet Dio lib. LXV. Postquam enim narrasset Octavio sumenti virilem togam, tunicam laticlaviam utrimque resutam ad pedes decidisse, quo omine, Senatoriam dignitatem pedibus suis subjectam, interpretatus est: *Hæc*, inquit Dio, *Cæsarem in magnam de Octavio spem adduxerant, ideoque eum retulerat inter patricios, & ad imperandum erudiebat*. Et tamen hoc ex Dione colligi, scilicet post togam virilem patricium factum, negare audet Rubenius. Neque id comprobat Damascenus in *Excerptis*, cum ait: *Dum in urbe moratur S. C. in patriciis allectus est*. Nihil hic, ante, an post togam virilem factum sit.

Sicut ergo plane falsum, laticlaviam a prætextatis gestatam, ita quod consequitur, eandem cum prætexta depositam, & cum toga pura tunicam rectam sumptam, qua in tyrocinio solum usos putat. Nam si laticlavia eo die deposita, quomodo Augusto, cum togam virilem sumeret, tunica laticlavia resuta ad pedes decidit? Quod autem solo tyrocinio eadem usos tradit, si solum diem tyrocinii intelligeret, posset utcumque excusari: sed tyrocinium significat apud Veteres annum integrum togæ virilis, quo etiam brachium toga continebatur, ut alias diximus. Quo anno toto sine laticlavia fuisse vetat credere, quod Augustus permisit filiis Senatorum tunicam lati clavi a toga virili protinus sumere.

Verisimilius ergo est, tunicam rectam, quæ ominis causa die tyrocinii sumebatur, & rectam fuisse, hoc est, a stantibus, ut ait Festus, sursum versus contextam, & lato clavo insignitam, aut una cum laticlavia sumptam, ut hæc superior, illa esset interior. Ait enim Suetonius: *Liberis Senatorum protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curiæ interesse permisit. Protinus*, ut ex Servio etiam Casaubonus notavit, est *continue, uno eodemque tempore*. Corrigit Rubenius. *Protinus a virili toga* (id antea fecerat Casaubonus) *Nec enim cum toga latum clavum simul accipiebant, sed tunicam rectam*. Quæ correctio, ut admittatur, vox *Protinus* facile revincit, falsissimum esse, latum clavum tantum sumptum, cum se ad Remp. gerendam, & honores capessendos accingerent, & tamen paulo supra dixerat: *Augustus autem permisit, ut statim post virilem togam sumptam, ante gestos honores clavum gestarent*.

Hæc inter se pugnant. Præterea Suetonius in *Nerone* cap. XXVI. *Ac sæpe in ejusmodi rixis oculorum, ac vitæ periculum adiit. A quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat prope ad necem cæsus*. Quem hic laticlavium Suetonius appellat, Tacitus lib. XIII. vocat Julium Montanum *Senatorii ordinis, sed qui nondum honores capessisset*. Ergo ante honores tunica laticlavia gestata. Quid autem erat opus laticlaviam cum toga virili indulgere, si ea non utebatur, nisi cum magistratus adipiscerentur? Etsi jure magistratus Curiam ingrediebantur, & cum eo tunicam Senatoriam sumebant, nulla fuisset Augusti indulgentia, concedendo laticlaviam, qui eam a magistratu consequebantur. Neque id Plinius arguit, sed contrarium; lib. VIII. ep. XXIII. *Latum clavum in domo mea induerat: suffragio meo adjutus in petendis honoribus fuerat*. Quasi uno eodemque tempore id factum sit. Duo necessitudinis argumenta affert Plinius, unum quod in domo sua clavum sumpserat, alterum, quod cum ad ætatem legitimam pervenisset, eundem suffragio suo ad honores capessendos adjuvisset, utrumque distinctis temporibus.

Ceterum eos, qui latum clavum sumerent, etiam mutasse calceos notat Rubenius: sumpsisse enim calceos e nigris pellibus ad medium crus pertinentes, cum ceteri albos portarent. Quod ut concedamus, ita non intelligimus, quomodo ex sta-

tuis veteribus, & quidem Consularibus id cognosci possit, scilicet pro albis calceis nigros indutos: cum nulla in illis coloris differentia, sed sola calceorum forma appareat, præterquam quod nullum, quod sciam, inter statuas Consulares, & reliquas togatas discrimen sit, nec purpura prætexta in lapide effingi possit.

Reliqua omnia hoc capite, quod non solum Senatorum, sed etiam Equitum illustrium, sive splendidorum filii, laticlavia in spem Senatoriæ dignitatis donarentur, idque nonnisi ex Principis indulgentia: quodque interdum evenerit, ut unus ex fratribus laticlavius, alter angusticlavius esset: quodque ii, qui latum clavum sumpserant in spem Senatus, vel quia non assequebantur honores, vel quia animo mutato diversum iter ingredi volebant, deposito lato clavo ad angustum redirent: hæc quidem omnia jam pridem ita accurate a Casaubono *in Sueton.* & ab aliis viris doctissimis pertractata sunt, ut ne spicilegio quidem locum reliquerint, & propterea totus hic labor Rubenio perierit.

CAP. XXI.

Tribuni laticlavii, & angusticlavii. Majores, & minores. Nulli de plebe angusticlavii. Qui de plebe Tribuni erant, Equites fiebant.

ITEM ea, quæ de Tribunis ex equestri ordine, & de iis qui de plebe legebantur, a Lipsio pridem didicimus: ut plebeii scilicet ab exercitu, equestris ordinis a Principe crearentur. Sed ut aliquid novi de more afferat, in eo dissentit a Lipsio, qui vere existimat Tribunos laticlavios esse, qui ex Senatu, angusticlavios qui ex equestri ordine sumebantur: Rubenius contra statuit, laticlavios fuisse qui tam ex Senatu, quam ex Equite (quasi omnibus Equitibus lati clavi jus esset, nullumque inter ordines discrimen) angusticlavios autem, qui ex plebe creabantur: quod tunica angusticlavia etiam plebi communis esset. Sed hoc paradoxon satis a nobis in superioribus explosum est. Nulli enim angusticlavii nisi Equites. Nam si Equites laticlavii fuissent, (paucis splendoribus exceptis, quibus hoc jus ex indulgentia Principis) frustra notasset Suetonius, Augustum liberis Senatorum, militiam auspicantibus, non Tribunatum modo legionum, sed & præfecturas alarum dedisse, adjicere enim debuisset, & filiis Equitum, quibus ejusdem clavi jus erat. Sic Vellejus Paterculus: *Finita equestri militia ex Tribuno angusticlavio, laticlavius factus est, Quæsturam adeptus.* Vera ergo Salmasii *ad Vopiscum*, sive potius Vegetii doctrina, Tribunos legionum majores dictos, cohortium autem minores; hos ex labore, illos per sacram epistolam creatos.

Sed probandum Rubenio fuerat Tribunos cohortium, sive minores, id est, plebejos angusticlavios appellatos. Nam Equites per Tribunatum, Senatorium gradum auspicatos notum erat: sicut interdum etiam Equites laticlavios fuisse, scilicet splendidiores, qui sicut in Urbe ex indulgentia Principis latum clavum sumebant, ut filii Senatorum, ita in militia ejusdem beneficio Tribuni laticlavii fiebant. Ut ille Julius Calvaster ex Xiphilino *Tribunus militum in spem Senatoriæ dignitatis præter omnium opinionem servatus est.* Quem Suetonius *Tribunum laticlavium* appellat. Si tamen Suetonius Calvastrum intellexit, potuit enim esse alius, cum eum non nominet. Non tamen inde sequitur falsum esse laticlavios Tribunos ex Senatu, angusticlavios ex Equite lectos: cum hoc vulgo fieret, exceptis paucis splendidioribus, quibus lati clavi jus concessum.

A Ut autem probaret Rubenius angusticlavios etiam fuisse plebejos affert locum Suetonii *Othonis* cap. X. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis* XIII. *legionis Tribunus angusticlavius*, scilicet ex ordine equestri, non autem plebejo, quod illi demonstrandum fuerat. Sed etsi fuisset plebejus, cum, ut Rubenius ex Appiano observat, qui de plebe Tribunatum gerebant Equites fierent, & annulorum aureorum usum adipiscerentur, & ita angusticlaviam gestabant, jam non amplius plebeii erant angusticlavii, sed Equites: & ita nullus de plebe angusticlavius, sed tantum Equites
B per Tribunatum facti.

CAP. XXII.

Stola matronalis. Nulli in ea clavi. Periscelia. Aureæ matronarum compedes. Plinius non uno loco explicatus.

Ad Cap. XVI.

C CUM in superioribus stolæ, id est, tunicæ matronali angustos clavos Rubenius perperam tribuisset, qui in veste purpurea conspici poterant, latos clavos eidem abjudicat, cum id nusquam apud scriptores inveniatur. Imo ab Imperatoribus Valentiniano, & Valente lib. XVIII. (est XVII.) C. Theodos. *de Quæstoribus, & Prætoribus*, fœminis lati clavi usum ademptum tradit. Sed adimitur id quod aliquando in usu fuit, non quod nunquam factum est. Verba Legis sunt: *Etsi injustum enim atque dedecus videtur, mulieres ad laticlavum, atque insignia procedere, tamen Carbonariam præturam juxta glebam paternæ substantiæ cognoscere poterunt.* Quam Legem primus explica-
D vit doctissimum Jacobus Gothofredus, & monstrum illud verbi *Carbonariam*, quod Cujacius *Onerariam*, ingeniose, ac feliciter in *Charonariam* vertit, quem operæ pretium fuerit legisse.

Non ergo ademptum lati clavi jus, quod nunquam in usu, sed injustum, atque dedecus mulieris, latum clavum, & Prætoris insignia gestare dixerunt Imperatores. Et sicut stola matronarum fuit, & quidem purpurea, cum aureis segmentis, ut notissimum est: ita quod tunica plebejarum alba esset cum aureo limbo, a vero alienum est. Nam limbi sive segmenta aurea peculiare matrona-
E rum insigne fuit, ut a nobis alias demonstratum est: sicut tunicas libertinarum, & plebejarum mulierum, aut albas, aut versicolores fuisse.

Sed quæ de aureis fœminarum compedibus, nos primi ex Plinio observavimus, pro suis apponit Rubenius, ita tamen, ut Dalechampii opinionem veræ præferat. Verba Plinii sunt lib. XXXIII. cap. III. de auro: *Habeant fœminæ in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant: ut in summo quoque unionum conscientia adsit: etiam ne pedibus induitur, atque inter stolam plebemque hunc medium fœmina-*
F *rum equestrem ordinem facit?* Hæc postrema nos de *periscelis*, & aureis crurum vinculis interpretati sumus. Perperam hoc factum contendit Rubenius, & cum Dalechampio, licet auctorem dissimulet, hæc vincula pedum, ansas, sive obstrigilla solearum fuisse putat.

Atqui Plinius ejusdem lib. cap. XII. in re simili inquit: *Argentum succedit ex re aliquando & auro, luxu fœminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Quis autem sanus dixerit compedes fuisse solea-

rum obstragula? Nemo ignorat *compedes* esse crurum vincula, sicut manuum *manicas*, colli *bojas*. Dictæ autem compedes, quia illis crura pedesque colligantur, atque adstringuntur, scilicet in imo, ac prope pedes. Talia aurea matronarum, argentea plebejarum periscelia erant. Aurei scilicet circuli, aureique annuli, & argentei, sicut compedes ipsæ annuli ferrei dicuntur Martiali lib. III. ep. XXIX.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Quos annulos ferreos in cruribus gesserat Zoilus, postea Eques factus, aureos in digitis. Ita illud Petronii: *Jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus*. Et Manilii:

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Demum Senecæ:

Crura distincto religavit auro.

De periscelio intelligenda sunt. Quia igitur annuli aurei in digitis, Equites, medium ordinem distinguebant a plebe, acute, & eleganter Plinius, de circulis aureis, sive annulis crurum matronarum Romanarum ait, *etiam ne pedibus induitur, atque inter stolam plebemque hunc medium fœminarum equestrem ordinem facit?* Quos annulos sive circulos argenteos in plebeiis fœminis propterea *compedes* appellat. *Pedibus* autem *induitur*, quia ad crurum extremitatem, qua pes cruri nectitur, circuli illi fuere.

In eo quoque Dalechampius, & qui eum sequitur, aberrat, quod putat plebeiis feminis aurearum periscelidum usum interdictum: & ideo Rubenius pro *mos tritior*, legit *tristior*. Quid autem esse dicemus *morem tristiorem*, & cur? Mos tritior, id est, jam vulgatus & passim receptus: scilicet præposterus fœminarum luxus, fastidientium jam aurum, & ejus loco argenteas compedes præferentium. Sequitur enim apud Plinium: *Vidimus & ipsi Arelium Fuscum ex argento annulos habentem, & quid hæc attinet colligere, cum capuli militum ebore etiam fastidito cælentur argento, vaginæ catillis, balthei laminis crepitent? Jam vero pædagogia in transitu virilitatis argento custodiantur.* Id est, fibula argentea pudendis adjecta. Ex ea ergo perversa luxuria, & auri fastidio, plebejæ mulieres, pro aurea periscelide argenteam habebant, jam trito & pervulgato more.

Sed ad primum Plinii locum redeamus, illum quoque Rubenius male accipit, & invertit: *Et inserta margaritarum pondera e collo dominarum, auro pendeant, ut in summo quoque unionum conscientia pendeat*. Legit Rubenius: *Ut in somno quoque pendeat*. Vere per somnium. Nam in *summo* constanter habent omnes tam impressi codices, quam manu exarati: & Plinii acumen in eo vertitur. Quod tolerabile fuisset, aurum, auroque inserta unionum pondera in collo, auribusque, id est, in summa corporis parte spectari: quis autem ferat, cruribus pedibusque indui, atque ad ima demitti? *Conscientia* autem pro consensu, & fœdere unionum cum auro.

Addebant quidem uniones etiam soleis, soccisque muliebribus, & obstragulis. Idem Plinius lib. IX. cap. XXXV. *Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt*. Sed aureæ, atque argenteæ compedes de perisceliis intelligendæ sunt. Ut & illud ejusdem Plinii initio lib. XXXVII. cap. III. *At hercules idem tu Brute mulierum pedibus aurum gestari, tacuisti*. Non quod, ut Dalechampius ex Brissonio censet, urbana calceamenta clavis aureis suffigerentur. Quod inauditum est. Nulli enim clavi in calceis urbanis, sed in solis caligis militaribus, & quidem ferrei, ut etiam pueri sciunt. Quanquam Antiochi milites, aureis clavis suffixas crepidas habuisse Scriptores tradant.

Porro de monilibus fœminarum plebejarum multa a nobis olim disputata sunt, simul Salmasii falsa in Juvenale correctio rejecta, quæ hic Rubenius solens exscribit.

CAP. XXIII.

Calasiris. Martialis explicatio rejecta. Locus Epiphanii expensus. Vestis cænatoria. Cubicularis. Forensis. M. Antoninus in libris de Vita sua *explicatus.*

Ad Cap. XVII.

LATICLAVIAS barbarorum tunica deinceps Rubenius recenset. Inter eas Calasirin, tunicam sacricolarum latiore purpura distinctam. Ex quo Martialem explicat, cujus acumen a nemine hactenus intellectum jactat. Lib. V. ep. XVII.

Dum proavos, atavosque refers, & nomina magna;
Dum tibi noster Eques sordida conditio est.
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere; nupsisti, Gellia, cistifero.

Hanc Gelliam, ait Rubenius, nobilitate tumentem & omnes, præter Senatoriam, conditiones respuentem nupsisse cistifero, id est, externæ religionis sacrificulo, qui laticlavius, quod haberet tunicam lineam lato clavo ornatam. Hoc est acumen Rubenii in acutissimo poeta enucleando.

Nos hebetiores neutrum acumen capimus. Nam ut cistifer ille fuerit sacrificulus, calasirin indutus, quæ mera conjectura est, cur ille cistifer dictus? Num omnes sacrificuli cistiferi, quia in quibusdam sacris cistæ secretorum capaces gestabantur? Et si ve fuerit Isiacus, quod Martialis interpretes tradunt, sive Judæus, quod verisimilius videtur, quorum *cophinus*, *fenumque supplex*, demonstrandum illi fuerat, omnes sacerdotes, Calasirin, sive lineam tunicam gestasse. Solus Hesychius, Calasirin laticlaviam tunicam appellat. Nam Aristophanes, & Herodotus, qui peculiarem Ægyptiorum tunicam tradunt, lineam fuisse dicunt, nullam purpuræ latioris mentionem fecerunt, quod insigne prætereundum non fuisset.

De veste Scribarum Hebræorum apud Epiphanium, magna contentio est inter Salmasium, & Petavium. Verba sunt lib. L. hæresi XV. *de Scribis:* Καὶ φυλακτήρια παρ' ἑαυτοῖς ἐπὶ τὰ ἱμάτια ἐπετίθεντο, τουτέστι πλατέα σήματα πορφύρας. *Adhæc phylacteria vestibus imponebant. Hæc erant signa, sive notæ latæ ex purpura. De quibus cum Evangelium meminerit, suspicari quispiam possit, de amuletis sermonem institui: quod a nonnullis amuleta Phylacteria vocentur. Verum longe alia ratio est.* Ἀλλὰ ἐπειδὰν στολάς εἴτ' οὖν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο, καὶ δαλματικάς, εἴτ' οὖν κολωβίωνας ἐκπλατυσήμων διὰ πορφύρας φυλακτήρια εἰώθασιν οἱ ἠκριβωμένοι μετονομάζειν. *Quippe cum stolis sive vestimenti genere quodam uterentur illi, quod Dalmaticas, aut Colobia appellare possumus, quæ latioribus ex purpura signis erant intexta. Ejusmodi porro signa, qui accuratius loquuntur, Phylacteria nominare soleant.* Has Scribarum vestes non fuisse laticlavias inde apparet, quod σήματα *segmenta* vertit Rubenius, quæ Latini nunquam pro clavis, sed pro institis, sive fasciis, ac limbis purpureis, aut aureis acceperunt, quibus stolæ matronarum prætexebantur. Magnum autem discrimen inter limbos, & clavos fuisse ne Rubenius quidem negaverit.

Illud majoris momenti erat, quod Epiphanius στολάς, sive ἀμπεχόνας, Dalmaticas, seu Colobiones

appellat. Cum ἀμπεχόνες fuerint pallia, dalmaticæ autem, & colobia, tunicæ. Deinde quod Dalmatica erat tunica manuleata, colobium manicis carens, & hæc tunica illi opposita.

Ex quo apparet ætate Epiphanii nullum discrimen fuisse inter Dalmaticam, & colobium, alioqui pro eadem veste non posuisset. Porro Petavii erratum merito Salmasio reprehensum, cum sic vertit, quippe cum stolis, sive vestimenti genere quodam uterentur, quod Dalmaticas, aut colobia appellare possumus. Cum ut diximus στολὴ ibi sit pallium, colobium & Dalmatica sit tunica. Apud Latinos autem stola pro tunica, & quidem muliebri semper accipiatur.

De Stola, inquit Rubenius, *certum est tenue amiculum fœminarum fuisse ex bysso vel serico*. Imo plusquam certum est, stolam non fuisse amiculum, sed tunicam muliebrem, præcipue matronarum Romanarum, adeo ut stola simpliciter pro veste matronali accipiatur, & illa quidem ex lana, postea etiam ex serico, nunquam ex bysso. Etiam stola *Medica* apud scriptores Græcos, sive *barbarica*, semper de tunica, sed virili accipitur, & quidem fluxa, & talari. Nam amiculum non nisi de pallio, & genere vestis, quod super induebatur, dicitur. Amictus enim est circumjectus (*am* est ἀμφὶ) unde amiculum, muliebre pallium, vestis superior, quæ Latinis proprie palla, id est, pallium muliebre. Et ideo Hesychio, ἀμπεχόνιον, & περίβλημα dicitur, & ἱμάτιον, quod semper de pallio, nunquam de tunica usurpatur.

Si Epiphanius solum stolas a Scribis gestari dixisset, cum ea vox apud Græcos generice, omnem vestem significet, potuisset etiam ea vox laxe pro Dalmatica, & colobio sumi. Sed cum dixit ampechonas, quæ proprie pallia fuere, vocari posse Dalmaticas & colobia, quæ tunicæ erant, defendi non potest, & cum eo Petavius, atque alio errore lapsus Rubenius. Concedit enim στολὰς, sive ἀμπεχόνας, diversum genus esse a Dalmaticis, sive colobiis, non tamen simpliciter στολὰς esse pallia, sed pallia muliebria: & ex Scribis alios habuisse stolas Dalmaticas, alios ἀμπεχόνια cum colobiis. Sed Dalmaticæ erant tunicæ, non igitur pallia muliebria.

Mihi igitur nondum liquet, quænam vestis illa Scribarum fuerit apud Epiphanium, cum Græce, ut diximus, στολὴ pro quolibet vestis genere laxe accipiatur. Utrum pallium, an tunica. Fuisse tunicam indicat vox Dalmaticæ, & colobii, quodque phylacteria, sive signa, ac notæ purpureæ, ut credit Epiphanius, non pallio, sed tunicæ intexerentur. Fuisse autem pallium arguit Epiphanius, qui tradit Scribas & Pharisæos muliebribus palliolis usos: διὰ τῆς ἀμπεχόνης, καὶ γυναικικῶν ἱματίων.

Valde etiam mirum mihi videtur, quod & Petavio videbatur, muliebribus palliolis usos esse Pharisæos. Nam Christus D. in Evangelio cavendum quidem a Scribis ait, qui volunt ἐν στολαῖς περιπατεῖν, *in stolis ambulare*. Nondum enim constat stolas illas fuisse pallia muliebria, ut censet Rubenius: sed tantum fuisse cultiora vestimenta, ut explicat Zacharias Chrysopolitanus Episcopus a Rubenio laudatus lib. III. cap. CXLI. Ut verisimile sit illam Scribarum vestem, sive pallium fuerit, sive tunica, ex tenuiore & pretiosa lana, fortasse etiam ex serico fuisse, & ideo ad muliebrem vestem proxime accessisse, etiam propter notas purpureas, sive phylacteria intexta, & ideo palliola muliebria invidiose ab Epiphanio dicta. Nemo enim credet, Scribas & Pharisæos, Legis custodes, & doctores in veste fœminea conspectos, sed cultu lasciviore, quique materia, non forma muliebrem referret, ἐν στολαῖς igitur ambulare, id est, in vestitu cultiore & operosiore, non autem in palliis muliebribus.

Sed Rubenius, qui paulo ante dixerat, Stolam esse pallium muliebre, ait, stolam materia & forma diversam fuisse a pallio & toga. Stolam enim fuisse longiorem. Sed cum tam pallium quam toga talare ac fusum indumentum esset, quo pacto stola longior esse poterat? Addit cum togæ ex lana essent, stolas fuisse byssinas, bombycinas, aut sericas. Sed etiam togas inferiori ævo fuisse bombycinas, & sericas nemo nescit, & vel unus Juvenalis docuerit Sat. II.

——— *Cum tu multicia sumas*.

id est, togam sericam, subjicit enim;

Damnetur etiam si vis Corfinia: talem
Non sumet damnata togam.

Cum meretrices in Cois essent, id est, bombycinis. Et paulo infra.

Cretice perluces

in toga serica. Nullum ergo in materia discrimen inter stolam & togam. Illud Martialis:

Tenuia ne madidi violent bombycina crines.

tam de stola, sive tunica, quam de palla, sive pallio muliebri intelligi potest, nam utrumque bombycinum. Et illud Varronis, *aliam cerneres cum stola holoserica*, de tunica accipiendum est, non de pallio.

Indignum autem est, credere Rubenium, Romæ viros muliebribus stolis usos, quod sicut probrosum, atque infame fuisset, ita hactenus inauditum. *Saltem in conviviis*, ait ille. Lege enim XXXIII. D. *de auro, argento legato*: *Nam & Q. Mutius ait, scire se quendam Senatorem, muliebribus cœnatoriis uti solitum: qui si legaret muliebrem vestem, non videretur de ea sensisse, qua ipse quasi virili utebatur*. Quasi eadem vestis fuerit stola, & synthesis, sive cænatoria. Qualis autem ista fuerit, non ita certum esse statuimus *de Re Vest.* lib. I. c. XXXI. Fuisse tamen pallium lineum æstate, sive sindonem, hieme, lænam diximus ex Lipsio, in quo depositis ceteris vestimentis discumbebant. Ubi etiam de cænatoriis muliebribus mentionem fecimus, viderique colore a virilibus distinctas fuisse ex Martiali diximus. Quibus addimus, potuisse etiam materia fuisse diversas, scilicet tenuiore, & pretiosiore. Nulla stolæ mentio apud Jurisconsultum.

Atqui Dio l. XLVIII. de Cornelio Frontone causarum patrono tradit: *cum aliquando alta nocte a cæna rediret domum, atque intellexisset a quodam, cui patrocinium promiserat, Hadrianum jus reddere*, ἔν τε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, *ut erat in cænatorio amictu, ad tribunal accessit*. Sed Dio eodem modo synthesim appellat stolam generice, ut Græce omnem vestem significat: eodem, inquam, modo, quo στολὴ ἀρχικὴ dicitur prætexta, βουλευτικὴ, vestis senatoria, Ἑλληνικὴ, pallium, sive vestis Græcanica: ita & στολὴ δειπνίτιδις, vestis cænatoria, sive synthesis.

Non satis fuerat Rubenio muliebrem stolam cum cænatoria confudisse, eandem etiam cubicularem facit, ita ut viri veste muliebri domi, atque in cubiculo uterentur. Quia scilicet M. Antonius lib. I. *de Vita sua* testatur, non solitum se ἐν στολῇ κατ' οἶκον περιπατεῖν, *in stola domi ambulare*. Recte Casaubonus *ad Suet. Aug.* c. LXXIII. stolam pro toga capit more Græcorum, qui, ut diximus, generice omnem vestem stolam appellant. Nec aliter ibi accipi potest. Nam domi deposita toga, & calceis, in tunica, & soleis erant, frigoris autem causa lacernas, aut lænas vulgo sumebant. Aliqui tamen interdum toga domi utebantur. Suetonius de eodem cap. LXXVIII. *Post cibum meridianum, ita ut vestitus, calceatusque erat, retectis pedibus paulisper conquiescebat*.

Nam ibi *vestitus* pro *togatus* intelligendum declarat vox sequens, *calceatusque*: nam calcei cum toga sumebantur, & cum eadem deponebantur, ut a doctis observatum est.

Cibus meridianus, est vel prandium, vel apud aliquos jentaculum: quod a stantibus, vel sedentibus sumebatur, nam in cæna discumbentes cænatoria accipiebant: hoc est, non modo sine toga, sed etiam sine tunica erant, hoc est, sola synthesi, sive sindone semitecti. Præter consuetudinem igitur Augustus, domi meridians togatus, cum ceteri sine toga, ut & ipse alias de more. Nam idem Sueton. cap. LXXIII. *Et forensia, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit, ad subitos, repentinosque casus.* Bene idem Casaubonus: *Intra ædes*, inquit, *inque omni remissione raro togati Romani, calceatique erant.* Cum igitur Augustus de more sine toga & calceis domi versaretur, togam tamen & calceos intra cubiculum habebat, ad subitos repentinosque casus, ut scilicet, si aliquis improviso adveniret ipsum invisurus, aut allocuturus, eum in habitu forensi, id est, toga, & calceis pro dignitate exciperet.

Ita Antoninus ait se non esse solitum domi ἐν τῇ ϛολῇ togatum ambulare, quod aliqui per ostentationem faciebant, & erat a Philosophi illius simplicitate alienum. Quid hic Rubenius? Non dubium esse ait, Marcum, per *stolam* vestem cubicularem intelligere: qua cum Imperatores, ut Nero, & alii etiam in publico uterentur, Marcus, ne per domum quidem ea indutus ambulabat. Sed Imperatores cum veste cubiculari in publico visos a nemine, quod sciam, traditum est; solum Xiphilinus refert, Neronem in cænatoria, sive tunicula aliquando in publicum processisse. Aliquos etiam in balneari, e balneis domum rediisse scimus, sed nec balnearis, nec cænatoria fuit stola muliebris, cum illæ, aut pallium, aut lacerna fuerint. Sed qualis demum ista vestis cubicularis fuit, & quare Marcus cum ea domi ambulare noluit? Nam domi deposita toga, aut in sola tunica erant, aut per frigus in lacerna, aut læna, quorum cum etiam usus foris esset, vel super togam, vel super tunicam tantum, etiamsi cum ea Imperatores prodiissent, nullum inde probrum, cum vulgo gestarentur. Nullam aliam vestem cubicularem apud Scriptores invenimus.

Ait Rubenius Marcum non ambulasse domi cum veste cubiculari (cum qua igitur?) quod tamen licitum fuisse ostendit verbis Suetonii, de Augusto supra memoratis: *Et forensia, & calceos, nunquam non intra cubiculum habuit.* Non hæc Augusti vestis cubicularis: sed ut diximus Augustus habuit semper forensia, id est, togam, & calceos, ad subitos, & repentinos casus, ut scilicet ea indueret, quoties honoratiores excipiendi erant, & si egrediendum esset, nonnisi cum toga conspiceretur. Sed putavit Rubenius, Augustum Forensia indutum, quia ea habuit intra cubiculum, & ideo Forensia esse vestem cubicularem, magno errore. Nam contra, quod habuerit ad subitos, & repentinos casus, satis arguit, non ea induisse, nisi cum occasio postularet, ne improviso alicujus adventu, in veste cubiculari deprehenderetur, & forensia sine dubio dicta, toga, & calcei, quibus foris, sive in foro utebantur, domi deponebant. Fuisse autem vestem forensem a domestica diversam declarat Lampridius in *Alex. Severo*, cum ait: *Ita ut Præsides Provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas.*

De forensibus alibi Suetonius *Caligula* cap. XVII *Posteriore epulo forensia insuper viris, ac fœminis fascias purpuræ & conchylii distribuit.* Viris togas, fœminis segmenta purpurea, aut fasciolas distribuit. Quinimmo etiam Græci ipsi togam, stolam forensem appellarunt. Dio lib. LXI. ubi Neronis insaniam in equos Circenses percenset, narrat ab eo insignes equos victores, & jam senio confectos ϛολῇ τε ἀγοραίᾳ ὡς ἄνδρας τινὰς κοσμῆσαι, *stola forensi*, id est, toga, *non secus ac homines ornatos.* Etiam pallium forense apud Græcos. Philostratus in *Hippodromo*: *Vestes inquit Hippodromus commutemus. Quippe Hippodromo chlamys erat, Megistiæ vero* δημηγορικὸν ἱμάτιον, *forense, sive urbanum pallium.*

CAP. XXIV.

Stola Medica. Stola matronalis. Ea perperam cum palla confunditur. Hæc pallium muliebre, illa tunica. Orarium non fuit pallium, sed fascia.

CUM igitur, ut diximus, ϛολὴ apud Græcos omne vestimenti genus laxe significet, ἀπὸ τοῦ ϛέλλειν, quod est *mittere*, quia scilicet vestes cum induimus in corpus mittimus, qui mos loquendi adhuc durat: presse tamen ac stricte vestem Medicam, sive barbaricam significat, sed apud Latinos nunquam nisi pro tunica matronali accipitur, quæ fluxa, & talaris, qualis etiam Medica, & Persica fuit. Nam Cyrus eam a Medis ad Persas transtulit. Xenophon lib. VIII. de Cyro: *Itaque elegit*, ϛολὴν Μηδικὴν, *& ipse ferre, & ut familiares ea uterentur persuasit. Hæc enim visa ei occultare si quis defectum aliquem haberet in corpore* (quod fluxa, & ad pedes cadens) *præterea illa indutos pulcherrimos, & maximos conspici: hoc est, decorem, & amplitudinem staturæ augere.*

Et initio quidem apud Assyrios stola muliebris tantum fuit, longa scilicet, & manuleata: postea Semiramis virilem fecit. Nam ut virum mentiretur, ne fraus deprehendi posset, etiam a viris gestari jussit, qua non solum pectus & humeri, sed brachia ad manus usque, & crura velarentur. De quo intelligendus Justinus lib. I. de Semiramide se Ninum filium simulante: *Igitur brachia, & crura velamentis, caput tiara tegit: & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet*, (id est, tunica longa, & manuleata) *quem morem vestis exinde gens universa tenet.* Inde ab Assyriis stola ad Medos cum imperio transiit, ab his ad Persas Cyrus transtulit.

Unde factum puto, ut tunica matronarum Romanarum, quæ & manuleata erat, qualis barbarica, propterea *stola* Græce appellata sit: nec alia unquam vestis a Latinis præter hanc stola dicta est. Quanquam & a ϛολὶς, quod rugam vestis significat, dici potuerit, a plicis nempe, ac rugis, quibus insignis erat tunica matronalis. Martialis:

Rugosiorem cum stola geras frontem.

Quales etiam Græcorum tunicæ, ϛολίδες, & ϛολιδωτοί. Non ergo stola Persica dicta est, ut ait Rubenius, quod esset muliebris & longa, nam & virorum propria: sed contra tunica mulierum Romanarum inde nomen invenit, quod Medicæ, ac Persicæ similis esset, nempe ad pedes demissa, ac manuleata.

Hæc cum ita sint, nullo modo ferri potest, quod Rubenius ibidem stolam, idest, tunicam muliebrem, cum palla, sive muliebri pallio confundit, vestimentum clausum, & interius, cum exteriore, & aperto. Primo ait, *ut pallium Græcorum utrumque humerum includebat, ita &* ἀμπεχόνιον, sive ἀναβόλαιον *pallium fœminarum*, stolam autem vult esse pallium muliebre. Quæ ratio si valeret, etiam tunica pallium esset, nam utrumque hume-

rum includit. Dein mira inconſtantia ſubjicit: A *Ut autem toga dextrum humerum excludebat, ita ſtola excluſo quoque dextro humero, in ſiniſtrum brachium rejiciebatur*. Ergo eadem ſtola, & utrumque humerum includebat, & dextrum excludebat. Hæc nimis patienter audimus.

Sed ſtola, quæ tunica erat clauſa, & corpori adſtricta, quomodo in ſiniſtrum brachium rejici poterat? Non ſtola, ſed palla, ſive peplum, & amiculum muliebre, ut & pallium virile Græcanicum hoc modo geſtabatur, & in humerum rejiciebatur. Diverſo modo toga excludebat brachium, ac pallium, & palla. Ex toga clauſa, qua ad cervicem patebat dextrum brachium exerebatur, ſiniſtrum eidem togæ allevandæ ſubjiciebatur: at mulieres pallam, id eſt, pallium apertum ita gerebant, ut partem ejus dextram exerto humero ſubjectam, vel in ſiniſtrum rejicerent, vel lævo brachio imponerent, ut ſubjectæ imagines demonſtrant.





Subdit: *Qui igitur ex Scribis, aut Phariſæis Dalmaticas geſtabant, ii amicula ſua, ſtolæ matronalis forma, circumjiciebant, & excludentes dextrum humerum, in ſiniſtrum brachium rejiciebant*. Præterquam quod id ex verbis Epiphanii elici non poteſt, qui modum geſtandi eas veſtes ne tangit quidem, & ſtolas cum Dalmaticis, atque colobiis confundit, ſtolam matronalem, id eſt, tunicam clauſam circumjici, & in ſiniſtrum humerum rejici potuiſſe, plane ineptum, & abſurdum eſt, ut ante diximus.

Progreditur, & Diaconos in vetere Eccleſia, C qui etiam Dalmaticas portant, eodem circumjectu oraria ſua geſtaſſe ait. Orarium enim fuiſſe amiculum longum ex lino, vel byſſo: unde & flammeum nuptiale a vetere Interprete Juvenalis *Orarium* appellari. Sed quis unquam credidit *Orarium* fuiſſe amictum, & quidem longum? Fuiſſe quidem linteum, ſive ſudarium, ac ſemicin- B ctium, & faſciam Veteres dixeruut, ut ſupra fuſe retulimus: tale etiam, vel non admodum diſſimile, flammeum nuptiale, velum ſcilicet ſic a colore dictum, quo ſponſæ caput nubebatur, unde & *nuptiæ*. Non tamen velum fuit amictus longus, quique ad pedes demiſſus in humerum rejiceretur, ſed caput tantum, atque pectus, & humeros tegens. Et ideo Diaconi non gerebant orarium dextro humero, & brachio περιβεβλημένον, id eſt, injectum, ſive circumjectum, cum ea vox tantum de veſte laxa, & fuſa, quæque corpus involveret uſurpari poſſit, non autem de linteo oblongo, & inſtar faſciæ anguſto, quod ſiniſtro tantum humero imponebatur, ut nunc quoque, in humerum rejici, aut circumjici, inſtar pallii non poterat.

Neque id ex Synodo Romana II. ſub Silveſtro colligitur: *Ita tamen, ut Diaconi Dalmaticis uterentur, & pallia linoſtima lævas eorum te-*

gerent. Ibi enim improprie *Oraria* dicuntur pallia, ſicut poſtea, & Archiepiſcoporum *Orarium* pallium dici cœpit. Si tamen illa pallia linoſtima (id eſt, ex lana, & lino contexta) oraria, ſive ſtolæ fuerunt, quod incertum eſt, ſicut, cur lævam tantum manum tegerent. Stolæ enim ſive oraria Diaconorum non ſolum ſiniſtram manum, ſed lævum humerum, ad pectus transverſe deſcendentes, tegebant. Fortaſſe igitur de manipulo, ſive mappula intelligendum eſt.

Illud poſtremo gratis dicitur, ſicut pro pallio Archiepiſcopali ſucceſſit zona quædam, quæ humeros ambiens amictum pallii exprimebat: ita pro ſtola vetere, ſive orario, receptas fuiſſe ſtolas, quæ circumjectum ſolum ſtolæ, aut orarii deſignabant. Non enim in locum pallii Archiepiſcopalis ſucceſſit illa zona, ſed ſemper zona illa fuit Archiepiſcoporum orarium, ſive ſtola, ſed diverſa forma, ut ſcilicet a Diaconorum, & Presbyterorum diſtingueretur, ſcilicet in Orbem deſcendentibus ante, & retro faſciolis, quæ poſtea ἀκύρως pallium dicta eſt. Et oraria ſemper, linteola fuerunt anguſta, & oblonga inſtar faſciarum, nunquam ad veſtiendum, & amiciendum, ſed initio ad os emundandum, poſtea ex lana, aut ſerico, inter veſtis ſacrificalis ornatum aſſumpta, nuſquam pallia, vel veſtimenta niſi improprie dicta.

CAP. XXV.

Tunicula pectoralis. Colobium communis tunica virilis. Ammianus Marcellinus, & Tertullianus explicati.

Ad Cap. XVIII.

QUOD ad colobia Monachorum, & Presbyterorum purpura clavata attinet, ex verbis Dorothei Abbatis Doctr. I. fuiſſe quidem ea clavo inſignita, ſed utrum latus fuerit an anguſtus, non apparet. Falſa igitur conſecutio: *Ex quo patet colobia Monachorum uno clavo purpureo diſtincta fuiſſe, atque ita laticlavia fuiſſe*. Quid ſi clavus ille anguſtus fuit? Sicut illud ſuſpectæ fidei eſt, quod idem Dorotheus tradit, omnes milites chlamydibus purpuram immiſiſſe, quod tam credibile mihi videtur, quam omnes vulgo Romæ tunicas anguſto clavo purpureo ornatas geſtaſſe. Niſi id Dorothei ætate factum eſt, cujus tamen nemo unquam, quod ſciam, meminit. Multo minus credibile eſt, colobia Monachorum, quia auſteriorem vitæ diſciplinam ſectabantur, quorum indumenta fuſci coloris erant, quique vilitatem in veſtitu affectabant, purpureo clavo fuiſſe diſtincta.

Quidquid illud ſit, non eſſe colobium, quod ab Ammiano Marcellino deſcribitur lib. XIV. certum eſt: *Poſt hæc*, inquit, *indumentum Regale quærebatur, & miniſtris fucandæ purpuræ tortis, confeſſiſque pectoralem tuniculam, ſine manicis textam, Maras quidam nomine inductus eſt, ut appellant Chriſtiani, Diaconus, cujus literæ prolatæ, ſcriptæ Græco ſermone, ad Tyrii textrini Præpoſitum, celerari ſpeciem perurgebat, quam autem, non indicabat*. Etiam tuniculam Pithœus colobium fuiſſe ſuſpicatur, quod eſſet ſine manicis: quem ſequitur Rubenius. Sed neque colobium fuit, neque Dalmatica. Hæc manuleata: colobium non quidem penitus ſine manicis, ſed curtis, quæque brachia, cubito tenus tegebant: cum manuleatæ ad manus uſque pertinerent, unde appellatæ.

Tales omnes olim Romanorum viriles tunicæ, ſive colobia, mutilis ac dimidiatis brachiorum ope

A rimentis, ut videre eſt in antiquis ſtatuis, ac nummis. Quod vidit Salmaſius *ad Tertull. de Pallio*, duoque apud Veteres tunicarum genera notavit: manicatas, ſive manuleatas, Græci χειριδωτὰς, quia χειρίδας, ſive manicas haberent: tales muliebres, & apud barbaros etiam viriles, ut apud Medos, ac Pœnos. Secundum tunicarum genus ſine manicis, quales Romanorum, Græcorumque. Has Græci colobia, & colobionas dixerunt, quaſi truncas manicis, & mutilas: non quod manicis prorſus carerent, ſed quod ita breves haberent, ut vix ad ima cubiti pervenirent. Gloſſæ, κολοβὸς, ὁ κόνδος. *Curta*. Iſidorus. B *Levitonarium eſt colobium ſine manicis, quali Monachi Ægyptii utuntur*. Non plane autem manicis caruiſſe docet Caſſianus lib. I. cap. v. de Colobiis Ægyptiorum Monachorum: *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubiti ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus*. At tunicarum manuleatarum manicæ, uſque ad καρπὸν manus pertinebant, unde & καρπωτοὶ dicebantur, Venetiis *Carpette*, tunicæ muliebres, quæ manuleatæ, & talares.

Non ergo tunicula illa apud Ammianum colobium fuit, cum prorſus manicis careret, & pectus C tantum tegeret, colobium autem totum corpus ad medium crus. Sed quærendum amplius, quod indumenti genus fuerit: fortaſſe ſubucula brevior, quæque pectus modo, ac dorſum velaret, & ideo *tunicula pectoralis* dicitur, qualia apud nos *Colletti* appellantur: aut exomis, quæ manicis pariter carebat. Ceterum neque ex Epiſtola Stephani *ad Hilduinum*, neque ex Abdia ſcriptore commentitio, neque ex Damaſo in *Eutychiano* colligitur colobium fuiſſe lato clavo ornatum, ſed clavum tantum, aut purpuratum, lato, an anguſto clavo, adhuc dubium.

Neque ideo Acron latum clavum exponit κολο- D βίωνα, quia omnia colobia latum clavum haberent, quod eſt abſurdum, ſed quod cum *latus clavus* a Scriptoribus accipiatur pro *tunica laticlavia*, ut ex Suetonio in *Cæſare* docuimus, *uſum lato clavo ad manus fimbriato*, & *ſumere depoſitum clavum* ex Horatio: quia tunica illa Colobium erat, & dicebatur, Acro *Colobium* pro lato clavo poſuit, ſive pro tunica laticlavia, nam & tunicæ anguſticlaviæ, imo aſemæ, ſive clavo carentes, omnes denique Romanæ tunicæ viriles colobia, ſive colobæ erant. Et ideo L. I. Cod. Theodoſ. *de habitu quo uti oportet intra Urbem: Sine exceptione* E *temporis matutini dumtaxat, intra mœnia conſtitutus, nullus Senatorum habitum ſibi vindicet militarem: ſed chlamydis terrore depoſito, quieta colobiorum, ac pænularum induat veſtimenta*. Ut ſcilicet in habitu civili ſint, tunica, ſive colobio & pænula. Qui habitus communis omnibus ordinibus, niſi quod colobium Senatorium ab equeſtri clavi qualitate diſtinguebatur, reliqui omnes etiam vetere Rep. & diu ſub Imperatoribus in colobio.

Dalmaticas Diaconorum hodie duobus anguſtis F clavis ornatas videre mihi contigit. Sed etſi fuerint, Dalmaticæ non ſunt colobia: & ſi concedamus Sacerdotum caſulas clavo diſtinctas, non proinde ſequitur & colobia, diverſa enim caſula, ſive planeta a colobio, hoc tunica erat, illa pænula. Quæ ſi fuit laticlavia, non idcirco colobium. Quanquam nulla adhuc mihi viſa caſula laticlavia. Crucis quidem figura paſſim caſulæ additur. Nemo tamen eam clavum appellaverit, & quomodo poſterior pars clavi in crucis figuram formetur, qualiſque ſit illa pars poſterior clavi, ſatis intellexerit. Tertullianus *de corona militis*, cum varia coronarum genera recenſuiſſet, ordinum pu-

blicorum, magistratuum, & provincialium, abdicans hæc omnia Christianis ait: *Sed tui ordinis, & tui magistratus, & ipsum Curiæ nomen Ecclesia est Christi. Illius es, conscriptus in libris vitæ.* (ita enim locus ille interpungendus est) *Illic purpuræ tuæ, sanguis Domini: & clavus latus in cruce ipsius.* Ex quibus latum clavum in casula sacerdotum non recte adstruit Rubenius. Sententia enim magni Patris est, Ecclesiam Dei esse Senatum sive Curiam, & Patres conscriptos, sive Senatores, esse Christianos in libris vitæ, & non in Senatu, conscriptos: pro purpura, id est, prætexta magistratuum, esse sanguinem Domini, clavum autem latum in cruce, ad crucis clavos alludens: non quod Sacerdotes, aut presbyteri in colobio latum clavum in modum crucis gestarent. Imo hæc clare arguunt, non aliud insigne fuisse magistratus, & Senatoris Christiani, quam sanguinem Domini, & clavum crucis.

CAP XXVI.

Palla muliebre pallium fuit, non tunica. Peplum generice pro qualibet veste: stricte pro pallio. Servii, Varronis, Horatii inepta correctio explosa. Palla Gallica, & citharœdica.

Ad Cap. XX.

INTER novæ Criticæ paradoxa illud insigne est, quod cum eruditorum consensus statuat, idque Veterum omnium testimonio comprobetur, pallam apud Romanos fuisse muliebre pallium, sive vestem exteriorem, quæ stolæ, id est, tunicæ muliebri imponebatur, neque unquam aliter a Latinis ea vox accipiatur, Rubenius solemni dissentiendi studio id pernegat. Sicut in superioribus stolam, quæ est tunica muliebris, pallium fuisse contendit. Servius ad illud,

Pallam signis auroque rigentem.

Significat autem, inquit, *tunicæ pallium, quod secundum Varronem palla dicta est, ab irrugatione, & mobilitate, quæ circa finem hujusmodi vestium, ἀπὸ τοῦ πάλλειν.* Nonius: *Palla est honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium.* Horatius lib. I. Sat. II.

Ad talos stola demissa, & circundata palla.

Ait primo pallam esse id vestimenti genus, quod Græci peplum appellant. Nemo id negat: & a nobis aperte demonstratum lib. III. cap. XVIII. Dubitat Eustathius quale vestis genus fuerit peplum, *ad Odyss.* Σ. Ubi Antinoo datur peplum, cum duodecim aureis fibulis. Nam si fuisset pallium, inquit, quod apertum erat, & quod ita aptabatur, ut sinistrum humerum tegeret, ante & retro adducens duas oras in dextrum latus, nudam sinens dextram manum, & humerum: quid opus erat fibulis, cum in modum chlamydis nexum esset? Putat ergo Eustathius, peplum fuisse vestimentum muliebre, in anteriore parte apertum, & propterea fibulis indigens. Ex his tamen non sequitur fuisse tunicam. Nam & chlamys, & pallium erat vestis superior, & aperta, illa infibulabatur, hoc nequaquam: non tamen tunica, quæ clausa erat, & interior.

Itaque mirum est ab eodem poni *Iliad.* E. peplum esse tunicam muliebrem, quam non induunt, sed fibulis constringunt. Omnis enim tunica, sive consuta, sive fibulis nexa induebatur. Nam veteres Critici illud discrimen posuere, inter induere, & amicire, ut illud de veste interiore, hoc de exteriore semper accipiatur: & ita tunica etiam fibulata induitur, non amicitur. Rectius igitur priore loco Eustathius peplum fuisse dicit μανδυοειδῆ, non tunicam, sed vestimentum chlamydis modo fibulis nexum.

Licet autem apud Sophoclem *Trachin.* Hyllus ad Dejaniram de Hercule, τὸ σὸν φέρων δώρημα, θανάσιμον πέπλον, *tuum donum ferens, exitiale peplum.* Mox appellet χιτῶνα, *tunicam*: peplum generice pro qualibet veste accipitur, ut & στολή: stricte tamen, & proprie, pro pallio tam virili, quam muliebri. Sane Homerus a tunica diversum facit. Nam *Iliadis* Ω. ubi dona recenset, quæ Priamus Achilli daturus erat, ponit duodecim peplos, duodecim chlænas, totidem tapetes, ac pallia, τόσσους δὲ χιτῶνας, *totidem tunicas.* Ubi etiam apparet aliquod discrimen fuisse inter pepla, & φάρεα, sive pallia, fortasse, quod ista ex lana, pepla autem ex lino essent. Nam Eustathius alibi appellat peplum περίβλημα σινδονοειδές, *pallium in modum sindonis*: περίβλημα est pallium, non tunica: subjicit anteriore parte fuisse apertum, laxum, fibulas habens, quibus stringeretur ubi opus foret. Quæ omnia pallio conveniunt, non tunicæ, & omnem Eustathio dubitationem tollere poterant, utrum peplum donatum Antinoo pallium fuerit, an chlamys, quod duodecim fibulas haberet, ut cum opus foret illis necteretur. Non ergo semper infibulabatur, & tunc more pallii communis, & rejici in humerum sinistrum poterat, & brachio dextro subjectum, humerum excludere. Quoties autem fibulis nectebatur, erat vestimentum μανδυοειδές, id est, in formam chlamydis circumpositum, ut lacernæ apud Romanos: & ut hodie quidam pallia ad fauces, vel in humeris fibulis, aut globulis nectunt.

Ceterum peplum apud Græcos fuisse vestimentum tam virile, quam muliebre, ita ex Homero constat, ut dubitari non possit. Fuisse autem apertum illa indicant apud eundem. Ubi Venus Æneæ peplum in prælio obtendit, ut ei esset ἕρκος βελέων; quod nonnisi expansa veste fieri poterat. Quod sedilia Alcinoi peplis constrata. Quod peplis & currus, & defunctorum cadavera teguntur. Quod Hectoris ossa purpureis peplis involvuntur. Peplum etiam Minervæ, quod in pompa ferebatur, variis figuris intextum, fuisse apertum nemo negaverit. Et ideo peplum non fuisse tunicam, quæ clausa etiamsi fibulis necteretur, atque ita pallam, etiamsi peplum fuerit, pallium fuisse, non tunicam.

Itaque merum Rubenii commentum est, pallam fuisse vestimenti genus ex pallio, & tunica conflatum. Quod quomodo fieri potuerit, viderint acutiores. Certe hoc Pollux non habet lib. VII. cap. XIII. Tantum inter vestimenta recenset tunicam, & peplum. Addit duplicem pepli usum ad induendum, & amiciendum (non insternendum, ut perperam Interpres) illud cum infibularetur, hoc autem cum apertum esset. Ἐπίβλημα enim est pallium, sive amiculum. Quod sit pallium ex Minervæ peplis conjici: quod autem tunica ex eo, quia dicit Xenophon: *laceravit in superiore parte peplum, detexit enim tunc pectus.* Quia cum peplum aliquando ad fauces fibulis necteretur, eo dirupto, & diffibulato potuit pectus, cum tunica in superiore parte laxa esset, inde apparere. Sed verisimilius est, tunicam a Xenophonte, peplum generica voce appellatam, prout omnem vestem significat, quemadmodum de tunica Herculis apud Sophoclem supra diximus. Utut sit, non ait Pollux, peplum fuisse mixtum ex tunica, & pallio, sed duplicem usum præbuisse.

At Rubenius ait, hoc vestimentum ex pallio, & tunica mixtum, fuisse tunicam fibulatoriam, quam fœminæ illustres sumebant, quando in publicum prodibant, & fibulis ad pectus constringebant, dein-

deinde aliud amiculum superjiciebant. Nam apud Theocritum Praxinoe primo sumit τὴν περονατρίδα, deinde τὸ ἀμπεχόνιον. Περονατρίδα exponit vetus Interpres peplum, & indumentum, quod primo incingebatur, quia scilicet infibularetur. Sed hæc tunica fuit, generice *peplus* dicta. Et si cingebatur, quomodo pallii usum præstare poterat? Ἀμπεχόνιον vero fuit amiculum, sive exterius vestimentum, quod tunicæ superimponebatur. Nam quia peplum infibulabatur, aliquando etiam tunica, propterea peplum fuisse tunicam, non puto Dialectica feret, hoc enim modo, & chlamys, & lacerna, quia fibula nectebantur, etiam tunica fuisset. Tunicam autem fibulis ad humeros nexam, & in veteribus monumentis, & in statua Romana, quam edidit Alberti patruus, vidimus, & a Græcis mulieribus factum ex Æliano docuimus, fibulas autem in pectore nondum observare licuit.

Quod sequitur plane absurdum est. Eodem modo Romanas matronas pallas, & stolas portasse in publicum prodeuntes, hoc est, infra pallam, quæ tunica, supra stolam, quæ pallium, ejusdem Rubenii sententia. Cum contra indubitatum sit, stolam fuisse tunicam muliebrem, pallam autem pallium. At si Rubenio credimus, matronæ Romanæ supra pallium tunicam gestarunt. Quid illi mentis erat cum hæc scriberet? Audax facinus, & quidem non unum. Nam quia vetus Interpres Horatii nugator ait pallam, *tunico-pallium* dici posse (si tamen locus ille menda caret, & non potius *tunicæ pallium*, ut apud Servium, & Nonium, legendum est) arripit illud Rubenius, & apud Servium *Palla significat tunicæ pallium*, *Tunico-pallium* reponit: etiam apud Nonium. *Palla est honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium*, idem verbi monstrum intrudit.

Hæc utique tolerabilia essent, nisi eadem licentia in Horatium grassaretur. Nam etiamsi tot scriptorum testimonio non constaret, pallam fuisse pallium muliebre, & stolæ superindui solitum, sola Horatii auctoritas id evinceret:

—— Multæ tibi tum officient res.
Custodes, lectica, ciniflones. parasitæ,
Ad talos stola demissa, & circundata palla.
Plurima, quæ officiant, pure apparere tibi rem.

Sine ullo interprete res ipsa clamat, stolam fuisse tunicam, eamque palla circumdatam. Quæ causa erat, ut occulta corporis vitia matronarum apparere non possent. Quod scilicet duplici veste, eaque fusa & talari, tunica, & pallio omnia præter faciem obvelarentur.

Quis ad hæc hiscere auderet? Rubenius opiniones suas nimium amans, & susceptam sententiam pertinaciter tuens, ait, hinc multos in errorem inductos, ut crederent pallam fuisse exterius amiculum, quod persuadere videtur Horatius. Non videtur persuadere, sed clarius ostendit, quam Sol lucet. Si enim non fuit exterius amiculum, quid tandem fuit? quonam illud a stola differebat? Nimirum, ut supra dixerat, stola pallæ super induebatur, id est, tunica pallio. Unde Horatium conrat omnium codicum, & interpretum fidem corrigere audet:

Et circundata palla Plurima.

Ut ejus sententia sit, *officere stolam dimissam* (demissam) *ad pedes, ac plurima alia, quæ palla circundantur: qualia supparum, indusium, aliaque hujus generis*. Demus matronas, eodem tempore, supparum, indusium, stolam, ac pallam gestasse, hæc omnia tamen palla circumdata erant, igitur exterius vestimentum, & quod ceteris supe-

A rimponebatur. *Non nego tamen*, inquit, *aliquando pallam, ut & peplum apud Græcos pro extima veste sumi, sed nunquam stolæ superjici*. Stolam circundare, nisi ipsi superimponeretur, non poterat. Siccine nobis his refutandis bonas horas perire!

Palla igitur apud Latinos cum pro veste muliebri accipitur semper pallium, sive exterius vestimentum significat. Nec aliud indicant verba Sidonii in Epithalamio Polemii, & Arondolæ:

Squameus ad medium thorax non pervenit album,
B *Post chalybem pendente peplo tegit extima limo.*
Circum palla pedes, qui cum sub veste moventur,
Crispato rigidæ crepitant in syrmate rugæ.

Quis non videt, *extima* de tunica interiore, sive stola accipi non posse? Ibi *pendente peplo*, est fluente velo, sive sinu ad pedes cadente, & quidem *limo*, id est, obliquo: non enim æqualiter pallæ ora cadebat ad pedes, cum pars dextra brachio, vel humero sinistro imposita subduceretur, sinistra autem ad pedes flueret: Illa autem,

—— qui cum sub veste moventur,
C *Crispato rigidæ crepitant in syrmate rugæ*

mirifice Servium, & Nonium explicant, qui pallam ab irrugatione & nobilitate, quæ est circa finem hujusmodi vestium dictam tradunt, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Videtur tamen Ovidius indicare, pallam fuisse tunicam lib. IV. *Metamorph.* de Circe:

—— Pallamque induta nitentem
Insuper aurato circumvelatur amictu.

Sed ibi amictus est amiculum, hoc est, velum capiti tegendo, quod breve, neque infra humeros cadens: vel more Græcorum pallam, sive peplum generice pro tunica accepit.

Ceterum pallam etiam inter vestimenta virilia,
D sed minime Romana adscriptam, alias docuimus. Nam Curtius lib. III. de Dario: *Purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam, aurei accipitres, veluti rostro inter se corruerent, adornabant*. Ubi tamen vestimentum exterius est, sive accipitres loco fibularum fuerint, rostro concurrentes, sive eorum figura pallæ injecta, aut acu picta. Nam quæ sequuntur; *& zona aurea muliebriter cinctus, acinacem suspenderat*: ea cinctura, de tunica, non de palla, accipienda est.

At Gallica palla, tunica fuisse videtur, sed a-
E perta. Martialis:

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Nam Strabo lib. V. de habitu Gallorum, ait hos *pro tunicis gestare vestes apertas, manuleatas, usque ad pudenda, & nates*. Quamquam hoc potius de sago Gallico intelligendum putamus, quod apertum, & chiridotum, sive manuleatum erat, & quoniam breve vix ad pudenda pertinens, ideo Galli, iis velandis braccas gestarunt.

Fuisse demum pallam citharœdorum vestem ostendimus ex Ovidio de Arione *Fast.* II.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam.

F & ex Cornificio lib. IV. ad Herennium: *Uti citharœdus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta*. Quo loco pallam nonnisi pro tunica accipi posse dicebamus, nam si fuisset pallium, & vestis exterior, quomodo chlamys supra pallium sumi potuisset? Si tamen locus ille menda caret quod sine veterum librorum auctoritate dicere non ausim. Nam citharœdi ubique apud scriptores, in stola, id est, tunica, & chlamyde. Varro lib. III. *de Re Rust.* cap. XIII. *Quintus Orphea vocari jussit, qui cum eo venisset cum stola, & cithara, &*

cantare esset jussus. Neronem etiam habitu citharœdico, cum tunica longa, & chlamyde veteres nummi exprimunt. Apulejus lib. II. *Florid.* de Bathyllo citharœdo: *Eique prorsus citharœdicus status, Deam conspiciens canenti similis, tunicam picturis variegatam ad pedes dejectus ipsos. Græcanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium usque ad articulos palmarum*. Et Lucianus in *Jove Tragœdo*, tunicam manicatam talarem, & chlamydem Tragœdis quoque assignat. Juvenalis Sat. x. citharœdis lacernam dat, quæ non admodum a chlamyde diversa:

—— Nam, quæ cantante voluptas,
Sit licet eximius, citharœdo, sive Seleuco,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?

Eandem tunicam orthostadion, sive rectam appellatam notavimus, qualem indutus Nero citharœdus a Dione inducitur: quam alii rectam dictam putant, quod a stantibus sursum versus texeretur, ut Regillæ Romanorum: alii, quod sine cingulo essent. Quibus nos tunc adstipulati sumus: sed nunc hæremus, quia in nummis Neronis citharœdi, tunica cincta conspicitur, & Bathyllus apud Apulejum Græcanico cingulo tunicam aptat.

CAP. XXVII.

Vetustissimi Quirites sine tunica, in sola toga. Rubenii inconstantia. Tunica Jovis. Thensas ducentium vestis triumphalis. Item Prætoris cum ludos ederet. Toga Regia, & purpurea, & picta.

Ad Cap. XXI.

NEGAT Rubenius se posse eorum opinioni accedere; qui Romulum, & veteres Quirites nullas tunicas gestasse credunt. Sed hoc duo gravissimi scriptores tradunt, Plinius, & Pædianus. Ille lib. XXXIV. cap. VI. eo præcipue argumento, *quod statua Romuli in Tapitolio esset sine tunica, sicut & Camilli in Rostris, & ante ædem Castorum Q. Martii Tremellii equestris togata, qui Samnites bis devicerat*. Asconius autem *pro Scauro* de Catone sine tunica judicium reddente: *idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam, & Romuli statuæ in Capitolio, & in rostris Camilli fuerunt, togatæ sine tunicis*.

Eos refelli, ait Rubenius, a Plutarcho, qui Romulum ἀλεργῇ tunica indutum fuisse tradit. Cui tamen adversatur Plinius lib. IX. cap. XXXIX. qui Romulo tantum in trabea purpuræ usum fuisse memorat, quæ toga, non tunica. Primum enim Tullum Hostilium lato clavo devictis Etruscis usum, id est, tunica laticlavia. Cui sicut Rubenius credere mavult, quam Plutarcho, ita & nos Græco scriptori Pædiani, ac Plinii auctoritatem opponimus. Mira autem hominis inconstantia. Cum dixisset ista se in medio relinquere, subjicit, Romulum vel purpuream, vel albam tunicam gestasse. Ergo plus credit Plutarcho, quam Plinio, aut Pædiano. Ut autem hoc credat, impelli se ait imagine Romuli, quam ex vetere signo expressam inter schedas patris invenerit, eamque se hic apponere. Verum illa desideratur, ab iis prætermissa, qui opus posthumum curarunt. Utinam illa extaret, fortasse illud disceremus, quod hactenus ignoramus, & Romulum tunicam gestasse, & tam in ea, quam in trabea purpuram habuisse, contra Veterum præcipue Plinii auctoritatem. Sed qualiscumque illa fuerit, videri in ea tradit Romuli tunicam, non solum clavis, sed etiam patagio distinctam, id est, clavis & purpureis, & aureis.

Ego certe nondum capio, quomodo in statua, signoque marmoreo, aut æreo, clavi purpurei, & aureum patagium conspici possint, nisi pictura, aut ex auro signa illa insererentur. Ex omnibus enim statuis, quas plurimas Venetiis vidi, & Romanas a Boissardo, atque aliis delineatas, nunquam clavorum figuram discernere potui. Alioqui nulla dubitatio superesset, de figura, numero, & latitudine clavorum.

De patagio autem satis supra dictum est. Cum nec patagiatam Gracchi tunicam apud Juvenalem esse ostendimus, neque spiram illam fuisse patagium: & si fuisset, non tamen ideo patagiata, quia gladiatores, & ad bestias damnati in vestibus pretiosissimis inducerentur. Nam si omnes, cur hoc insigne aureæ spiræ in Graccho Juvenalis invidiose notavit *Credamus tunicæ*, si tales omnium gladiatorum fuere? Licet autem Tragœdos, & Citharœdos, auratas pallas, & xystidas, imo & tunicas, & lacernas gestasse non negemus: ita gladiatores nonnisi in chlamydibus aureis, sive aureatis traductos, & quidem ab Adriano scimus, ita ut nulla in eorum tunicis, aut spira, aut patagium fuerit.

Ad Romuli tunicam redit, eamque angustis aureis clavis distinctam nullo Veterum testimonio contendit, usque ad Tullum Hostilium, aut Tarquinium: quos tunica palmata, id est, purpurea, & auro clavata ex Dionysio certum est, qui l. III. hoc tanquam peculiare de Tarquinio non retulisset, si ea Romulus antea usus fuisset. Eam tunicam palmatam, Jovis tunicam dictam ex Juvenale etiam notum est, illud nequaquam, sic dictam, quia ex Capitolio sumebatur, sicut & toga picta: sed quia Jupiter ipse ea induebatur in Capitolio: & ideo Suetonius in *Augusto*, *exuviat Jovis* appellat.

Porro recte idem statuit, eos etiam qui thensas in Circensi pompa ducebant habitu triumphali fuisse: haud recte tamen Suetonium interpretatur *de Augusto* cap. XLIII. *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans thensas deduceret*. Quod insolitum, ait Rubenius, nam curru triumphali solebant vehi thensas ducentes. Insolitum quidem, non quia thensas deducentes curru veherentur: sed quia Augustus in lectica cubans, cum ceteri de more pedites, id officium præstarent. Solus Prætor, aut Consul, penes quem ludorum editio, curru triumphantium cultuque per Circum vehebatur; scilicet, aut in honorem ludorum, aut ob maximas impensas, curru sublimis, ut ait Juvenalis, in tunica Jovis, & pictæ togæ Sarrana aulæa gestans, ferebatur. Ita Tacitus lib. I. *Ann.* Tribunis pleb. qui petierant, ut proprio sumptu ederent ludos Augustales, decretam pecuniam ex ærario tradit, utque per Circum triumphali veste uterentur, *curru haud vehi permissum*: ne scilicet Prætoribus æquarentur. Ita in eadem veste triumphali tam Tribuni, quam ceteri thensas ducentes, ut Tribuni scilicet ludis præessent, & totam pompam ducerent, reliqui thensas, omnes pedibus gradientes: absurdum enim fuisset, cum thensarum ductores curru veherentur, ludorum editores pedibus incessisse. Nullus ergo thensas ducentium curru vectus, & in Augusto notabile, quod valetudine coactus fuisset lectica cubans id officium præstare.

Nam quod sub Claudio, ut ait Tacitus *Ann.* lib. XII. *Circensium ludicro Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt*: id factum, quia illi tunc ludis præsidebant loco Prætoris, aut Consulis. Tantum autem abest, qui thensas deducerent curru vectos, ut M. Aurelius Commodum filium per Circum, triumphali curru vectum, pedes secutus sit. Capitolinus: *Jam in suos tanta fuit benignitate Marcus, ut cum in omnes propinquos*

cuncta honoris ornamenta contulerit, tum in filium Commodum, & quidem scelestum, atque impurum, cito nomen Cæsaris, & mox Sacerdotium, statimque nomen Imperatoris, ac triumphi participationem, & Consulatum, quo quidem tempore senex Imperator filio, ad triumphalem currum in Circo pedes cucurrit. Ita eum locum recte Salmasius emendavit: sed rectius Rubenius contra ejus sententiam, non de triumpho, sed de Circensi transvectione explicavit.

Utinam cetera in eundem modum. Inter immodicos honores, quos aut Cæsar recepit, aut decerni sibi passus est, præcipuus fuit, ut toga triumphali, non in spectaculis modo, sed ubique uteretur: si Dioni credimus lib.XLIV. *Additum, ut etiam sella aurea, & veste Regia uteretur.* Et paulo infra. ὡς δὲ καὶ τούτοις ἔχαιρε, δίφρος τε ὁ ἐπίχρυσος, καὶ στήλη, ᾗ ποτὲ οἱ Βασιλεῖς ἐκέχρωντο, ἐδόθη. *Sella*, inquit, *aurea, & columna, qua olim Reges usi, decreta.* Qui locus merito Casaubono *ad Suetonium* olim suspectus. Quia Dioni antea de statua dictum erat: præterea στήλην *statuam*, interpretari, & χρᾶσθαι στήλῃ, pro *statuam ponere*, ineptum est. Ipse nescio quid de cippo, sive suggestu, conjicit. Rubenius στολῇ corrigit, id est, veste qua Reges utebantur. Sed Dio antea vestis triumphalis meminerat, quæ Regia. Negat hoc Rubenius, & Regiam vestem tantum purpuream fuisse ait, cum triumphalis auro picta esset. Quod si verum est, Senatus nimiis honoribus Cæsaris invidiam aucturus, potius de ejus dignitate detraxisset, pro toga triumphantium auro picta, solam purpuream decernendo.

Sed Regiam vestem etiam pictam, sive auro intextam fuisse mirum est a Rubenio negari, qui paulo ante duo Dionysii loca adduxerat, quæ id manifesto comprobant. Lib.III. de Tarquinio: *Cum hoc responso legati dimissi, post paucos dies redeunt, non nuda verba tantum afferentes, sed & principatus insignia, quibus suos Reges ornare consueverant: coronam auream, & sellam eburneam, sceptrumque in summitate habens aquilam, qualia Lydorum, & Persarum Reges gestant,* χιτῶνά τε πορφυροῦν, χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον ποίκιλον, *Tunicam purpuream auro clavatam, & togam pictam, sive auro variegatam.* Cum *purpura*, ut ait Plin. triumphali auro misceretur.

Idem Dionysius lib.IV. tradit, exactis Roma Regibus, Brutum auctorem fuisse, ne Magistratibus insignia Regni concederentur: *E tam multis*, inquit, *Regiis insignibus, si quæ sunt invidiosa, & molesta populo, partim minuenda, partim plane tollenda judico. Sceptra ista dico, & coronas aureas,* καὶ τὰς ἁλουργεῖς, καὶ χρυσοσήμους ἀμπεχόνας, *purpureas, auroque distinctas vestes, nisi statis festis diebus, & in pompis assumantur.* Nam de toga locutum vox ἀμπεχόνας declarat, sicut supra περιβόλαιον, quarum utraque vestimentum exterius, pallium apud Græcos, togam apud Romanos significat. Ergo Regiæ vestes, sive togæ non purpureæ modo, sed pictæ, & auro intextæ, sive Phrygionis opere elaboratæ fuerunt. Qualis vestis Cæsari a Senatu decreta, ut ea semper, & ubique uteretur: & de Dionis loco adhuc deliberandum est. Nec me pœnitet, etiamsi id Plutarchi auctoritate non confirmaretur, olim statuisse, togam Cæsaris, cum ei diadema in Rostris ab Antonio offerretur, fuisse pictam, & triumphalem, etiamsi purpurea tantum a Cicerone dicatur.

CAP. XXVIII.

Trabeam non semper Gabino cinctu gestatam. Neque Senatores eodem cinctu usos. Sidonii locus expensus. Cicero explicatus.

Ad Cap. XXII.

SUB Imperatoribus inferioris ævi, triumphalia insignia Consulibus indulta, atque ab iis palmatam sumptam, eamque ab aureis segmentis, trabeam dictam, cum vetus trabea alba esset, fasciis, sive limbis purpureis, instar trabium discurrentibus distincta, satis constat. Illud non ita facile admittendum, non solum ab his segmentis aureis trabeam appellatam; sed quia Consules, Gabino cinctu eam portabant, ut trabeam Veteres. Non enim solam trabeam, sed omnem togam antiquissimi Romani, Gabino cinctu, gerebant in prælio, ut expeditiores essent, cum solius togæ usus esset, nondum chlamyde, aut sago invento. Postquam togæ in bello depositæ, eum tamen morem, cinctumque Gabinum retinuerunt Consules, in vetere trabea, cum Janum aperirent. Virgilius;

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul.

Eodem habitu, cinctuque, Duces, cum opima spolia, teste Plutarcho, referrent, ut Romulus Jovi; eodem Scipio, arma hostilia cremans, apud Appianum; eodem, cum Urbi locum aratro designabant Consules. Non igitur trabea solum, sed & prætexta, Gabino ritu cingebatur; nec semper, sed solemnibus illis officiis, quæ retulimus; nec ab eo cinctu trabea dicta. Sicut Consules inferioris ævi, palmatas, & trabeas non semper, & ubique, sed tantum solemnibus officiis gestasse, & tunc tantum Gabino ritu succinxisse credibile est, hoc est, Kalendis Januariis; aut si Janus aperiendus esset, Festisque diebus, ac pompis, cum magistratum inirent, & annum auspicarentur. de quibus Claudiani, & Corippi loca intelligenda sunt.

Neque adduci possum ut credam, omnes Senatores, eo tempore, cinctu Gabino fuisse. Hoc enim Cassiodori verba non indicant lib.VI. form.XIV. de referendis in Senatum magistris scrinii: *Sic nos virtutum jucundissimas laudes in cinctum Gajum desideramus includere.* Nam etsi cum Rubenio legamus, *in cinctum Gabinum*, quod non ita certum est, a nobiliori parte, Cassiodorus Senatum intellexit, in quo Consules, & Prætores, qui honorum auspicio, & statis diebus, Gabino cinctu notabiles.

Multo minus credimus, non Consules modo, sed exconsules, in publicis solemnitatibus, triumphalibus vestibus usos; idque a Sidonio comprobari, lib.V. de nuptiis Ricimeris: *Jam quidem virgo tradita est, jam corona sponsus, jam palmata Consularis, jam cyclade pronuba, jam toga Senator honoratur, jam penulam deponit inglorius.* Quæ verba Oedipo conjectore opus habent. Quid enim cyclas pronuba, vestis muliebris, ad sponsum? & quomodo, qui palmatam Consularis acceperat, toga Senator honoratur? quasi major dignatio in toga Senatoria, quæ aut communis, aut eo tempore prætexta, quam in palmata, sive triumphali. Etiamsi cum Rubenio legamus, *exoneratur*; illam enim deposuerat, cum palmatam sumebat; nisi quis duabus togis amictum dicat. Nunquid etiam cyclade pronuba exoneretur; certe enim ista cohærent, & ad idem verbum omnia referenda sunt. Postremo, cur penulam deponit inglorius, si ea deposita, in palmata illustrior erat? Nondum igitur sententiam loci illius assequimur, & pro deplorato habemus.

A Ceterum, etiamſi Prætorios, & Conſulares florente Rep. prætextas Conſulares (imo omnibus magiſtratibus communes) in ludis publicis geſtaſſe Rubenio concedamus; nondum tamen inſignis ille Ciceronis locus II. *Philippica*, in quo explicando mire ſe viros doctos torquere idem pronunciat, ad liquidum perducitur: *Neſcis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuiſſe, te autem ipſum ad populum tuliſſe, ut quintus præterea dies Cæſari tribueretur. Cur non ſumus prætextati? Cur honorem Cæſari tua lege datum deſeri patimur?* In Senatu Cicero loquitur, in quo non omnes Conſulares, aut Prætorii erant, ſed ſi ceterorum numerus attendatur, pars minima. B Nihil igitur hic Rubenii ſententiæ confirmandæ; nullaque cauſa eſt, cur a vetere opinione recedamus, quam attulimus lib. II. *de Re Veſtiaria* cap. IV. Aut Antonium, cum legem ferret de addendo die quatuor diebus ludorum, tuliſſe etiam ad populum, ut ad majorem Cæſaris honorem Senatores prætextati ſpectarent; aut certe, quod Manutio videbatur, hoc proprium fuit ludorum Romanorum, ut iis cum prætexta Senatores intereſſent, cum reliquis ludis, in communi toga pura ſpectarent.

C

CAP. XXIX.

Chryſoclavarica, & veſtes pictæ de chryſoclavo. Anaſtaſius explicatus.

Ad Cap. XXIII.

CUM tot, tamque præſtantes viri conſentiant, τὰ χρυσοκλαβάρικα apud Codinum; item veſtes pictas de chryſoclavo apud Anaſtaſium eſſe veſtes purpureas aureis clavis ornatas, receptæ opinioni, ut aliquid ſolus ſcire videatur, repugnat. Quia apud Anaſtaſium occurrant non ſemel veſtes ornatæ tabulis, & orbiculis, qui varias hiſtorias continebant, D *pyctas de chryſoclavo*. Præterea apud eundem ſæpe veſtibus inſertas cruces, rotas, & ſtellas chryſoclavas. Et ipſo picturæ potius ſpeciem eſſe chryſoclavum, quam clavum aureum antiquorum, apud quos veſtes pictæ a clavatis diverſæ, quod Salmaſius docuerat. Quia ſcilicet pictæ veſtes dicebantur purpureæ, acu, & Phrygionis opere variegatæ, vel auro undequaque intextæ. At clavatæ, quæ una tantum in parte, id eſt, ferme in pectore clavis aureis inſignes erant, quales tunicæ palmatæ.

Tales etiam inferiori ævo veſtes clavatæ erant; ſed quia loco clavorum, interdum tabulæ, orbi- E culi, ſtellæ, rotæ, cruces aureæ addebantur, de chryſoclavo, & chryſoclaviæ ſunt appellatæ, & ornamenta omnia aurea, loco clavorum addita, chryſoclavarica. Papias, *chryſoclavus, aurata purpura*, id eſt, veſtis purpurea, cui aurei clavi inſerti. Verba Anaſtaſii ſunt in *Leone* III. *Enimvero, iiſdem præcipuus Antiſtes fecit in eadem Eccleſia veſtem chryſoclavam, cum periclyſi, cum chryſoclabo unam: ſed & aliam veſtem de blattin, habentem in medio crucem de chryſoclabo, & tabulas chryſoclabas quatuor, cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipſa veſte chryſoclabas quatuor, cum periclyſi de chryſoclabo*. Ex quibus patere ait Rubenius, F chryſoclavum non eſſe aureum clavum veſtibus inſutum. Quid autem erat? Certe utraque illa veſtis purpurea fuit. Prima ex purpura marina; altera ex blattin, ſive ex cocco, purpura terreſtri. Utraque habebat periclyſin, & chryſoclabon, id eſt, in limbo, & in pectore clavos aureos, & ideo veſtes ipſæ chryſoclavæ, ſive chryſoclaviæ, crux autem, & tabulæ pariter aureæ, loco clavorum erant; & ideo tam illæ, quam gammadiæ chryſoclaviæ dicuntur,

Nam ſi chryſoclavus picturæ ſpecies erat, cur veſtis illa picta, & auro intexta, ut & triumphalis, non dicebatur? Proprie enim picta veſtis purpurea, variis ex auro figuris elaborata. Sed quia non per totum auro picturata erat, ut triumphalis, verum aliqua tantum in parte aureos clavos habebat, aut alias figuras loco clavorum, chryſoclava, ſive chryſoclavia dicebatur, & auro clavata. Præterea, ſi chryſoclavia erat veſtis picta, id eſt, purpura auro variata, quomodo ornari poterat chryſoclavo, eadem ſcilicet materia; ut ſi quis diceret, veſtem auream, auro fuiſſe diſtinctam. Ergo chryſoclava veſtis purpurea, aureis clavis ornata. Clavus quidem Latinis interdum ſumitur pro purpura; ſed tantum in veſtimentis Romanis, proprie tunica ſenatoria, & equeſtris dicebatur, cujus inſigne clavus purpureus erat: nemo enim de prætexta, aut trabea, aut toga picta id unquam uſurpavit, in quibus nulli clavi, ſed tantum faſciæ, aut limbi, & ſegmenta purpurea. Clavi ergo proprie de notis, ſive ſignis purpureis tunicæ inſertis; & ita cum aurei facti ſunt, chryſoclavi dicti, & quidquid loco eorum ex auro purpureæ veſti immittebatur. Licet autem χρυσοκόκκινον vocarent id quod auro, & cocco variatum erat, & χρυσοπράσινον, quod aureis praſini coloris liciis miſtum, non propterea χρυσοκλαβάρικον, quidquid ex auro, & purpura textum; ſed quod aureis clavis, aut ſimilibus ornamentis diſtinctum. Nam potius veſtis purpurea auro intexta, chryſoporphyra, aut chryſalethina dicenda fuiſſet, quam chryſoclavia. Sed me harum minutiarum tædet, pigetque.

CAP. XXX.

Clavi, tabulæ, & ταβλία. Aut rotundi, aut quadrati. Πλουμία. Plumandi ars.

Ad Cap. XXIV.

NONDUM tamen iis, per Rubenium, abſiſtere licet. Clavos veſtium, poſteriori ævo, *Tabulas*, & ταβλία appellatos, pluribus docuit Salmaſius *ad Vopiſcum*, dictoſque vult a forma tabularum. Nam infimæ Latinitatis Scriptores, *tabulas* dixerunt orbiculos ligneos, vel ex alia materia, quibus in tabula luditur, quæ vox adhuc durat. Hoc Rubenio non placet, & clavos tabulas appellatos contendit; quia tabulis longis, ſive aſſeribus ſimiles eſſent. Sed hoc nullius auctoritate confirmat.

Fuiſſe autem has tabulas, aut quadratas, aut orbiculares, inde colligit Salmaſius, quod eædem, partim teſſeræ dicantur, quæ ſine dubio, *quadratæ*, partim orbiculi. Salaminii, teſte Heſychio, hos clavos, etiam cubos dixerunt, id eſt, teſſeras. De teſſeris palliorum Phidiæ, ex Plinio ante diximus. De Orbiculis Anaſtaſius in *Leone* III. *Fecit in circuitu altaris B. Petri tetravela rubea, holoſerica, alithina, habentia tabulas, ſeu orbiculos de chryſoclavo, diverſis depictos hiſtoriis*. Demus Rubenio, particulam *Seu*, poſitam ibi, pro *Et*; non tamen inde ſequitur, clavos fuiſſe tabulas longas; ſed tantum aut quadratas, aut orbiculares: quomodo enim tabula longa orbiculus dicatur? Clavi illi, ſive chryſoclavi, aliquando quadrati, aliquando rotundi fuerunt, qualia ſunt clavorum capita, ſive umbellæ, pro libitu ſcilicet Phrygionum, variis figuris acu pingentium, & telam variantium. Et ideo Anaſtaſius aperte diſtinguit, in eadem *Leonis* III. vita: *Et alia tetravela alba holoſerica roſata, habentia tabulas, atque orbiculos de chryſoclavo*. Et in *Leone* IV. *In dextra, lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis-*

Quæ satis indicant, partim rotundis, partim quadratis tabulis fuisse pictas vestes illas, neque clavos fuisse tabulas longas, quod est ineptum.

Clavos autem illos aureos rotundos recte Salmasius censet esse πλούμια, *in plumam*, ut ait Virgilius, sive in modum plumæ pictos, quæ aut rotunda est, aut in rotunditatem vergit. Unde *plumandi ars*, sive *plumaria*, *& plumarii*, *qui plumas in vestibus faciunt*, & plumis eas variant, & acu pingunt. Plumas enim, ut idem observat, Veteres vocarunt notas ex auro, vel purpura rotundas, & in modum plumarum factas, quibus vestes intexebantur, aut acu pingebantur. Sic laminas rotundas, vel circulos ferreos, ex quibus loricæ conficiebantur, *plumas*, & *squamas* dixerunt, quod plumarum, & squamarum similitudinem referrent. Virgilius:

—— Quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Neque his assentitur Rubenius: non solum enim clavos, sed etiam tabulas πλούμια dictas vult, & quidquid plumaria arte intextum. Quis autem præter eum, tabulas longas *plumas* appellaverit? Sed Glossæ: πλούμια ποικιλτὰ ὑφάσματα. *Picta*, sive *variegata textura*. Sed etiam orbiculi, textura picta, & variegata. Sic apud Procopium *de Ædificiis*: *Tunica aureis ornamentis distincta*, *quæ πλούμια dicebantur*, id est, aureis orbiculis, non longis tabulis. Nam, quod hujusmodi signa, aurea, vel purpurea rotunda essent, inde probat Salmasius, quod Græci σφραγῖδας, & de annulorum palis, & de vestium signis, ac notis dixerunt, teste Hesychio. Σφραγὶς enim, & gemma, & pala, id est, pars annuli, quæ gemmam cohibet, rotunda, & cava, ut gemmam insertam, & inclusam teneat.

CAP. XXXI.

Virgatæ Gallorum vestes, & scutulatæ. Salmasii sententia defensa. Scutulæ notatio.

Ad Cap.XXV.

SI Salmasius, quærens quid essent Gallorum vestes virgatæ, & scutulatæ, scutulam idem esse, ac virgam dixisset, justa esset Rubenii in eum censura. Sed ille, virgata, & scutulata Gallorum sagula esse dicta ait, quæ pluribus virgis, hoc est, viis purpureis, in longum, latumque politis, sive transversim, decussatimque ductis erant distincta, unde multæ in medio quadratæ notæ relinquebantur, quales in retibus, aut reticulatis operibus apparent. Non enim virgata, quod virgis in longum modo distincta, sed in longum, & latum, quæ ita intercurrentes, scutulam reddebant; quæ quidem non erat perfecte quadrata, sed ut optime Turnebus, quadrata oblonga, qualis in retibus. Unde maculas retium ῥαβδοειδὲς σχῆμα, *virgatam figuram* efficere tradit Pollux, si extendatur rete, nempe ex virgis discurrentibus, & se intersecantibus, scutulam. Ita eodem Salmasio teste, Dionys. Halicar. lib.11. ῥαβδοειδῆ θυρεὸν, vocat scutum quadrangulum, & oblongum, quales erant peltæ Thracicæ. Et ideo hujusmodi quadras ῥαβδοειδεῖς figuras, in vestibus Gallorum Diodor. Siculus πλινθία vocavit, id est, ut ex Scaligero *ad Varr.* notat Salmasius, lateris, sive laterculi figura.

Quod autem Rubenius ait, scutulas Veteribus dictas, omne id quod rhombi figuram habebat, nihil novi affert; id enim Salmasius ante docuerat eodem loco. Subjicit enim: *Tales erant & Rhombi, quos vestibus suis intextos gerebant Ephesii, de quorum luxu ita scribit Democritus Ephe. apud Athenæum lib.XII.* Τὰ δὲ τῶν Ἰώνων ἰοβαφῆ, καὶ κρόκινα ῥόμβοις ὑφαντά. *Vestimenta, quæ rhombis, & figuris ῥομβοειδέσι, distincta erant, & virgata, qualia Gallorum sagula.*

Ceterum, si *scutula* est a *scutra*, & hæc a χύτρα, id est, *olla*, quod est verisimile, scutulæ rotundæ fuerunt, ut ollæ. Tales etiam apud nos rotundæ lances appellantur, *scutelle*, & omnes escariæ patinæ ferme rotundæ sunt; atque ideo recte Salmasius, non posse ab his scutulatum rete, & scutulatas vestes dici observat. Nam, quod Isidorus parapsidem, quadrangulum, & quadrilaterum vas appellat, aut Paropsis, sive Parapsis scutella non fuit; nam scutella, ut vox declarat, parvum vas significat, aut si fuit, cum Paropsidem quidam catinum, quidam discum interpretentur, utrumque vas rotundum fuit, & ab eo scutulatæ vestes dici non possunt. Si autem a *Scuto*, quanquam id Salmasius contra Turnebi opinionem negat; quia in *scuto*, prima longa, in *scutula* brevis, scutulæ fuerunt figuræ quadratæ oblongæ, ut *scuta*, & ab his *scutulæ* vestium dici potuerunt. Mihi tamen Salmasii opinio magis arridet, *scutulas* potius a σκυτάλη, *virga*, dictas, hoc est, a virgis se intersecantibus, & cancellatis, atque ita figuram quadram oblongam referentibus, quales retium maculæ, atque inde vestes virgatas, & scutulatas.

CAP. XXXII.

De Calceo Senatorio. Mullei, uncinati. Festi emendatio expensa. Salmasii sententia de mulleis Regum Albanorum rejecta. Mullei a Cothurnis diversi.

Ad Lib.II. Cap.I.

LATO clavo alterum insigne Senatorium adjicit Rubenius, scilicet calceos, non minus in his, quam in illo concinnando, ἐκ τῆς ἄγαν περιεργίας morosus. Controversum enim esse ait de calceis Senatorum, cum alii rubros, alii nigros fuisse contendant. Sed quoniam nemo hactenus satisfecerit, ipse pro sententia pronunciat, nascentis Reip. exordio, tam a Senatoribus, quam a vulgo, perones gestatos, id est, calceos ex crudo corio; solis autem qui Magistratum curulem gesserant, jus fuisse calceorum, ex aluta, qui mullei dicerentur, & essent rubri, vel phœnicei.

Nam Cato apud Festum, voce *Mulleos*, ait: *Qui Magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, alucinatos, ceteri perones.* Turnebus lib.XIX. cap. XXIV. *Alutacinatos* legit, hoc est, ex aluta confectos. Sed cur non *alutaceos*, vel ut alii, *alutatos*, quod mavult Rubenius, qui & *aluminatos*. Sed neutrum rectum est; cum enim perones a ceteris calceis eo distinguerentur, quod essent e crudo corio, id est, minime subacto, & concinnato, ceteri calcei ex aluta, id est, pelle confecta, & ita etiam mullei. Non opus ergo erat addere fuisse alutaceos; cum omnes calcei, præter perones, ex aluta conficerentur. Nam quid sint calcei aluminati nondum intelligo.

Non male igitur Scaliger *ad Festum* legebat, *alii uncinatos*, ex quo factum est *alucinatos*. Non tamen, quod uncinis, & clavis confixi essent, ut caligæ militares, quod ille summus vir putat; sed quod repandi erant, & acuminati, & in summitate reflexi. Salmas. *ad Tertull. de Pallio*, etiam mulleos fuisse repandos censet, quod essent μυλλοὶ, a μύλλειν, sive κάμπτειν. Sed Cato, mulleos ab uncinatis distinguit, cum ait: *Qui Magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, alii uncinatos, ceteri perones.*

Verum locus ille Festi plane defectus videtur; mirumque est, ipsum ignorasse, quid essent mullei, cum ejus ætate in frequenti usu essent: ait enim ibidem: *Mulleos, genus calceorum esse ajunt, quibus*

A *Reges Albanorum primi, deinde patricii usi sunt.* Ut hoc probet, verba Catonis adducit: *Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, alii uncinatos, ceteri perones.* Nihil hic de patriciis, sed de iis modo, qui magistratum curulem cepissent. Quid ceteri patricii, nondum magistratu functi: & num patricii tantum magistratum curulem capiebant? Aut igitur aliquid deest in verbis Festi, aut ejus, sive Catonis sententia est, eos, qui magistratum curulem cepissent, mulleos calceos gestasse, cum alii uncinatos, ceteri perones. Non ergo initio
B Reip. tam a Senatoribus, quam a vulgo perones ex crudo corio gestabantur, quod putat Rubenius; sed magistratu præditi mulleos, Senatores, & alii, uncinatos, reliqui perones.

Et mulleos quidem, a colore mullo, pisci nomen dedisse tradit Fenestella apud Plinium lib. IX. cap. XVII. *Nomen his Fenestella, a colore mulleorum calceamentorum datum putat. Mullum expirantem, versicolori quadam, & numerosa varietate spectari proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem.* Contra Isidorus, piscem calceamentis nomen fecisse tradit. Cum ergo mullei ab uncinatis, sive repandis, Catonis
C sententia, diversi, non recte Salmasius, ut supra diximus, eos a μύλλειν, quod est *flectere*, dictos putat, frustraque idem veram Tertulliani lectionem sollicitat, *de Pallio*: *Quam non expediat in algore, & ardore rigere nudipedem, quam in calceo uncipedem.* Legit *vincipedem*, quod calceati, vincti pedes sint. Nam etiam qui soleas, & crepidas gerebant, & ipsi vincti pedes erant; imo & vincula ipsæ crepidæ, & soleæ dicebantur, ut *Tyrrhena pedum vincula*, propter habenas, & obstrigilla, quibus religabantur. Ergo depositis cum
D toga calceis, palliati, cum crepidis, nihilominus vincipedes fuissent, ut omittam verbi novitatem.

Ceterum mulleos, ab Albanis primo, dein a Romanis Regibus gestatos, tandemque ab iis qui in curuli magistratu erant, non tamen semper, & ubique, sed diebus solemnibus, & ludorum celebratione, & cum thensas ducerent, cumque triumpharent, ante Rubenium Casaubonus, & Salmasius docuerunt ex veteri Inscriptione de C. Mario:

E DE MANVBIEIS CIMBRICIS, ET TEVTONICEIS AEDEM HONORI VICTOR FECIT VESTE TRIVMPHALI, CALCEIS PVNICIEIS.

Certe Senatores mulleis non esse usos illud convincit, quod nigri calcei eorundem insigne erat. Horatius:

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Et Juvenalis:

Et mediam nigræ Lunam subtexit alutæ.

F Ex quo Cæsar reprehensus, teste Dione lib. XLIII. *Quo provectiore ætate formæ studeret, & delicatiore veste luxuriaret; atque calceatu, quo interdum utebatur*, καὶ ὑψηλῷ, καὶ ἐρυθροχρόῳ, *altiore, & puniceo, more Regum Albanorum, ad quos genus suum referebat.* Non autem, quod diebus etiam non festis mulleos gerebat, ut ait Rubenius. Itaque etiam Salmasium falli necesse est, qui calceos mulleos eosdem cum Thuscis, sive Tyrrhenicis calceis facit: nam Tyrrhenica pedum vincula, crepidæ, sive soleæ fuerunt, ut notum est; mullei autem, & communes Romani calcei, cavi, & pedem, mediumque crus involventes. Non ergo credibile, Cæsarem pro calceo crepidas gestasse: illud modo in eo notabile, atque invidiosum, quod pro nigro calceo senatorio, rubrum, sive Puniceum. Et quidem altiore solo indueret, Regum Albanorum more.

Sed quod statuit Rubenius, nullo pacto admitti potest, mulleos fuisse similes cothurnis; quod utrique punicei, utrique solo alto, utrique tibiatim calcearentur. Ex quo sequeretur, non tam Cæsarem, quam omnes, qui curulem magistratum cepissent, fuisse Romæ cothurnatos, more Tragœdorum; frustraque a Suetonio pro monstro notatum, quod Caligula aliquando in publico cothurnatus visus sit. Fuerint Regum Albanorum, & deinceps patriciorum mullei rubri, & altiore solo; nemo tamen dixerit, eadem altitudine, qua cothurni, qui bus staturæ proceritas exstruebatur, ut veterum Heroum sublimitatem referrent. Quanquam diversas cothurnorum species fuisse recte statuit Marcilius, adversus Ramires; sive, ut alii tragici fuerint, alii urbani, alii venatorii, scilicet ad currendum habiles, omnes quidem figura inter se convenientes, sed depressiores, aut altiores alii aliis.

Præterea, si omnes mullei alto, & cothurnali solo erant, Cæsaris cultus minime notabilis fuisset, quod calceatu altiore uteretur; cum omnes magistratu curuli præditi in mulleis essent, saltem diebus, & officiis solemnibus. Cæsaris ergo mullei a ceteris, soli altitudine distincti, cum color communis esset. In eo Cæsar notatus, quod pro nigris calceis senatoriis, rubris uteretur: nam quod tam mullei, quam cothurni, tibiatim calcearentur, Virgilius:

Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Non tamen idem calceamentum fuerunt, alioqui etiam vulgaris senatorum calceus cothurnus fuisset, qui medium crus pellibus impediebat.

Verum tam mullei, quam communes calcei cavi erant, & tam pedem, quam crus medio tenus tegebant. Cothurni aperti, & vinculis ad suras usque religati; hi altissimo solo, illi humili, & si in Cæsare altiusculi, sive ad juvandam staturam, sive in generis Regii ostentationem. Vidit hoc Rubenius, ex Sidonio, quem laudat in *Panegyrico Anthemii*:

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vincto de fornice pollex,
Quæ stringant crepidas, & concurrentibus ansis
Vinclorum pandas nectant per crura catenas.

Quis ultra dubitat, cothurnos fuisse crepidas, sive soleas, vinclis ad suras pertinentibus religatas? cum mullei, clausi, & cavi essent, pedem cum crure ad dimidium tegentes; idemque inter eos discrimen, quod inter calceum Romanum, & soleas, sive crepidas Græcanicas. Sed nescio cur Ruben. receptam in Sidonio lectionem mutaverit:

— Retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vincto de fomite pollex.


Cum omnes editiones, etiam optima Sirmondi, pro *fomite*, *fornice* habeant; nec quid ibi *fomes* sit exponit. *Fornicem* non male mihi videtur explicare Balduinus, de parte pedis superiore, qua extremi digiti eidem committuntur, quod veluti in fornicis modum sit concamerata.

CAP. XXXIII.

Caligæ militares. Crepidæ. Calcei Albanorum Regum non fuerunt crepidæ. Mullei Patriciorum calcei.

RECTE quidem Rubenius existimat, crepidas, sive sandalia, item caligas militares non fuisse calceos, etiamsi ad medium crus habenis religarentur, dummodo pedem non operirent, quod calceorum proprium. Quanquam caligas manipu-

usque ad suram, retinacula extendisse, non ita certum est. Castalionis secundam Decadem *Observationum* nondum videre contigit; Julius tamen Nigronius *de Caliga* testatur se ex eodem arcu Constantini, unde Castalio caligam expresserat, eandem delineari curasse, cujus figuram apposuimus.



Vere, inquam, etiamsi corrigiæ illæ, ac retinacula ad medium crus pervenissent, caliga de genere erat solearum, crepidarum, & sandaliorum, quibus omnibus intecta superior pars pedis erat; frustraque delitigat cum Salmasio Kerckoetius, frustraque ille, ut se expediat, veterem caligam a recentiore diversam facit, vel *Gallicam* pro *caliga* reponit. Nam eadem semper caligæ forma fuit, nempe de genere solearum, quæ imam pedis calcem tegerent, superiore aperta; etiamsi habenæ, vel supra talos, vel etiam ulterius producerentur. Nam, quæ de Senatore caligato eidem Salmasio aliud cogitanti D excidērunt, excusari non possunt.

Neque venia dignum est, quod calceos Albanorum Regum, crepidas fuisse censet, nempe *Tusca*, sive *Tyrrhena pedum vincula* apud Poetam. Quæ Servius interpretatur, *crepidas, quas primo habuerunt Senatores, post Equites, nunc milites.* Nam si Cæsar calceis utebatur, Albanorum Regum more, altiusculis, & puniceis, & illi crepidæ fuerunt, sequeretur, nullum inter calceos, & crepidas, sive soleas fuisse discrimen: nam etiamsi mullei, in aliquibus, cum Tuscis calceamentis conveniebant, solo alto, corrigiis, colore, & fortasse lunula, in eo E quod est summum discrepabant; quia calcei sive mullei, cavi, & solidi, Crepidæ, & Tusca pedum vincula, soleæ fuerunt, infimam pedis modo partem tegentes, superiore nuda, vinculis religatæ; & ideo *pedum vincula* a Virgilio dicuntur. Non satis autem notum fuisse, quid ea vincula essent, indicat Servius, cum subjicit. *Alii calceos Senatorios volunt, quia hoc genus calciamenti a Tuscis sumptum.* Si fuerunt calcei Senatorii, non utique crepidæ, aut soleæ. Nam quod crepidas primo Senatores, post Equites gestarint, merum commentum est; tam enim hi, quam illi, cum ceteris Quiritibus, togati, & quod consequitur, calceati, nusquam crepidati, F aut soleati, nisi domi, aut extra Urbem, deposita toga. Nisi Servius de suis temporibus locutus est, quibus vestitus, & calceatus ratio immutata.

Præterea, cum idem Salmasius putet mulleos etiam repandos fuisse, & uncinatos, sequitur, tales fuisse & crepidas, Tusca vincula, cum idem calceamentum existimat. Sed quomodo simplices soleæ pedi subjectæ repandæ, & uncinatæ fieri potuerint, ipse viderit; cum in calceo, tam solea, quam pars uperior, solida, & cava ita compingi, & concin- A nari potuerit, ut in acumen flexum, ac veluti rostrum extenderetur, unde calcei repandi, & uncinati.

In eundem scopulum impegit Rubenius, cum calceos rubros Imperatorum Byzantinorum, ait omnino similes fuisse cothurnis mulleis Regum Albanorum; fuisse enim crepidas puniceas: nam quidquid sit de eorum forma, si erant cothurni, vel crepidæ, quæ tamen inter se diversa fuerunt, certe mullei esse non potuerunt, qui ut toties diximus, calcei cavi, & pedem tegentes.

Negat idem, calceos patricios fuisse mulleos, contra quam viris doctissimis, ex Festo visum est. B Quia si patricii iis utebantur, frustra notatus fuisset Cæsar, quod calceamento puniceo uteretur, more Regum Albanorum. Sed ipse supra dixerat, quod Cæsar etiam, extra dies festos, & ludorum celebrationem, eos indueret. Nobis, præterquam quod, ut diximus, suspectus est Festi locus, videtur fuisse discrimen inter Regum calceos, & mulleos magistratuum, ut illi puniceo colore essent, & altiusculi; hi rubro tantum, qualisque in mullo pisce cernitur. Et ideo notatus Cæsar, non quod in mulleis, qui patriciis communes, sed quod in calceis puniceis, sive purpureis, edi- C tiore solo, quales Regum Albanorum. Quæ etiam fuit opinio Casauboni *ad Suetonium*, licet eum Salmasius reprehendat. Illud verisimilius, quod cum Senatores, etiam patricii, nigros calceos vulgo gestarent, & fibulam, sive lunulam patriciatus insigne, nigræ alutæ subtexerent, in eo Cæsar lasciviæ notatus, quod contra morem, pro nigris calceis planioris soli, puniceos, & altius subvectos pedibus induceret.

CAP. XXXIV.

Perones ex crudo corio. Perones effœminati. Tertullianus explicatus.

Ad Cap. II.

QUOD ad perones attinet, fuisse illud calceamentum rusticum *ὠμοβυρσίνον*, ex crudo corio, aratorum, & venatorum proprium nemo ignorat, etsi Catoni fides, præter eos qui magistratum gerebant, nascentis Urbis primordio, omnibus commune; processu dein temporis, solis agrestibus relictum, cum calcei ex aluta, id est, corio subacto conficerentur, credere par est. Sed de eo insignis locus est Tertulliani, cujus sententiam nemo fortasse hactenus assecutus est, *de Pallio* cap. v. *Calceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verum & falsam. Quam enim non expediat, in algore, & ardore rigere nudipedem, quam in calceo uncipedem, magnum incessui munimentum, sutrinæ Veneriæ prospexere perones effœminatos.*

Salmasius, *Venerias sutrinas*, *Venetias* legit, id est, Venetas pelles, ex quibus calcei conficerentur; quod ibi optimæ pelles consuerentur, calceamentis aptæ, magna ibidem ovium copia, ut Altinarum, & Euganearum, & proinde etiam pellium. Perones autem Urbanos esse calceos, qui ad mediam usque tibiam ascendebant: nam licet perones rusticorum essent, hi tamen ex crudo corio, urbani ex aluta; & ideo effœminatos vocare; quem sequitur Rubenius, scilicet perones effœminatos dici, quia calcei ex aluta magis mulieribus conveniebant, quam viris: subjicit enim Tertullianus: *Pedes nudi magis, certe viriles magis quam in calceis.*

Quæ ut recte se habeant, ait Tertullianus, calceos non solum esse immundissimam pedum tutelam, verum etiam falsam. Ut hoc probet, ait, *quam*

A *non expediat, in algore, & ardore rigere nudipedem, quam in calceo uncipedem, magnum incessui munimentum, sutrinæ Veneriæ prospexere perones effœminatos*. Cur autem falsa tutela? quia Veneriæ sutrinæ prospexere perones effœminatos. Sed quare effœminati? Balduinus credit etiam a fœminis gestatos perones, sed ornatiores, & fortasse gemmis distinctos; ut Tertullianus *de Habitu muliebri*, Medorum, Parthorumque perones visos Romæ unionibus cultos testatur. *In peronibus uniones de luto emergere cupiunt*. Sed perones, calceamentum virile, & rusticum, B a fœminis usurpatos nemo Veterum tradidit, cum cetera muliebris licentiæ portenta distincte referrent, neque est verisimile.

Tota igitur vis in illis verbis est, *Falsa pedum tutela*. Nam si ideo falsa, ut ajunt, quia calcei magis mulieribus conveniunt quam viris, fœminas non calceis, sed soleis, & crepidis usas certum est. Deinde, etiamsi fuissent, potius falsus fuisset usus quam tutela: nam calcei tam ex corio, quam aluta, semper vera pedum tutela, adversus frigus, imbres, & lutum. Aut igitur omnia me fallunt, aut ista est Tertulliani sententia, perones per id C tempus, non ex corio, aut aluta; sed etiam ex lana confectos, & propter mollitiem effœminatos, & ideo falsam pedum tutelam. Quæ enim adversus imbres, & lutum ex laneo calceamento tutela?

Vetus Interpres Juvenalis ad illud,

Nuper in hanc Urbem pedibus qui venerat albis.

Vel pedules, inquit, *novos in braccis, quos pedornes* (legendum *perones*) *dicunt, habens, ut peregrinus*. Licet enim interpretatio inepta, nam de gypsatis pedibus venalium intelligendum est; apparet ta- D men, eo tempore, etiam pedules *perones* dictos, licet ex lana; nam pedules ex lana, aut hircorum pilis, sive cyniphii mariti barba conficiebantur. Dixerat Tertullianus, calceos, non solum esse immundam pedum tutelam, sed etiam falsam. Quare id? quia nempe sutrinæ illæ excogitaverant novum genus peronum ex lana, & ideo Ironice munimentum appellat: nam peronum ex corio, præcipue crudo, vera pedum tutela adversus imbres, & lutum, postquam texi ex lana cœperunt, falsa jam pedum tutela, aut nulla adversus pluvias, & cœnum, & reliquas Cœli injurias, in his peronibus effœminatis. Quare vera lectio E videtur, quam Salmasius probat, & veteres libri retinent, *Venetiæ*, sive *Venetæ sutrinæ*, pro *Veneriæ*. Non solum enim ex lana, sed ea mollissima, quæque in Veneto tractu laudatissima, Altina, & Euganea. Perones, inquam, quia eorum instar, cavi, & cum pede dimidium crus tegentes, sed effœminati, quia contra morem, ex lana mollissima, & ideo falsa tutela. Verisimile tamen est, soleam ex corio suppactam, in superiori parte, quæ pedem, & crus induebat, laneos, sive lanatos fuisse. Non aliam Tertulliani mentem fuisse putamus, daturi manus, si quis F meliorem interpretationem attulerit.

CAP. XXXV.

Calceum patricium non habuisse quatuor corrigias. Martialis vulgata lectio retenta, & explicata, Senatorii calcei nigri.

SED ut viriles calceos repetamus, quam optimis Auctoribus usus sit Isidorus haud scio, cum patricios calceos quatuor corrigias habuisse tradit; cum nullum hujus rei apud Veteres vestigium appareat, ac ne in statuis quidem, quas videre licuit; ut merum Isidori commentum sit. Nam etsi pene pudeat his frivolis operam perdere, quid iis corrigiis opus fuit? Cum enim calcei cavi essent, & solidi, pedem tibiatim vestientes, ad quid corrigiæ, & quidem quatuor? Nam ut concedamus, etiamsi clausi calcei fuerint, potuisse, ut facilius calcearentur, habere scissuram in medio, qua cruri pes jungitur, eamque, ut hodie solemus, habena, vel ligula stringi; quatuor tamen corrigias, sive lora fuisse gratis dicitur.

Nam etiam in calceis fuisse vincula, sive ligulas ostendit Juvenalis Sat.v.

Habet Trebius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus ne
Tota saltatrix jam turba peregerit Orbem.

Ubi quidam, ligulas, quibus vestes, vel braccæ thoraci alligantur, exponunt. Parum recte; nullæ enim tunc braccæ fuerunt, & rarus thoracis usus. Vetus Interpres. *Calciarii* (calceari) *cum festinant, ansas caligarum prætereunt nonnullas: dictæ autem ligulæ a ligando*. Ubi de more ævi sui, caligas pro calceis posuit; Trebius enim in calceis, nempe cum toga, in officio salutationis. Alii de ansis lunulæ patriciæ. Sed non constat illum patricium fuisse, sed potius vilem, sportulæ causa, ad salutandum festinantem. De ligula Martialis:

Non hesterna sedet lunatæ ligula plantæ.


Sed de lunulæ patriciæ ligula loquitur, de qua mox dicam.

Verum istas ligulas, sive corrigias quatuor fuisse probandum erat. Quod autem illæ ligulæ ad medium usque crus pervenerint, id nequaquam ex Horatio constat:

—— *Nigris medium impediit crus*
Pellibus.

Nam *pelles* pro calceo sumuntur Senatorio, qui ad suras usque extendebatur; cum ceterorum calcei solum pedem tegerent. Et ideo Senatorii altiores, sive longiores, non quod illas corrigias ad suram producerent; sed quod totæ, & integræ calcei pelles illuc extenderentur: nam quod plebeii calcei unam tantum ligulam habuerint, quod comminiscitur Rubenius, tam verum est, quam patricios quatuor habuisse. Zonaras loquitur de calceis patriciis, sub Imperio Byzantino, quorum forma immutata, quique aperti habenas reticulatim implexas habebant; & ideo a ceteris diversi, τῇ ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, *inflexione lororum*, ut ille loquitur; sed hæc lora fuisse quatuor non dicit. *Lora patricia*, apud Senecam *de Tranquillitate* cap.xi. si tamen certa lectio est, de quo dubitant Muretus, & Lipsius, quod vox *lora* in veteribus desit, de habenis, quibus lunula religabatur, non de corrigiis, quæ ad medium crus pertinebant, intelligenda sunt.

Prætor, qui Circensibus mappam mittit, in vetere monumento, apud Philippum Rubenium in *Electis*, habet quidem calceos cavos nostrorum similes; sed corrigias illas inter se implexas, usque ad suram ascendentes non magis videmus, quam senex ille Plautinus corniculas in pariete depictas. Sola enim ibi ligula apparet, eodem plane situ, & forma, qua nos calceos stringimus. Lepidum profecto, cum patrui sui, imo veteris monumenti auctoritate, confirmare vellet Rubenius, corrigias illas in calceo patricio fuisse (quanquam non constet, Prætorem illum fuisse patricium) figuram dedisse, quæ unam tantum ligulam habet. Sicut ejusdem confidentiæ fuit, ut ostenderet togam fuisse apertam, ab eodem patruo editas togatas figuras advocasse, quæ togam clausam viventibus oculis offerunt, ut cum illuc ventum fuerit, ostendemus.



I. Ex Gemmis Augustini. II. III. Ex Casalio. IV. Ex Io: Macario. V. VI. Ex Spanhemio VII VIII Ex Patin. IX Ex Grutero X Ex Pignorio XI XII Ex Sponio XIII Ex Grutero XIV Ex Sponio. XV Ex Cupero XVI Ex Pignorio XVII Ex Gemmis Augustini XVIII Sistrum Bosianum XIX Effigies Sistri Ægypty quod seruat in Museo Fran. Gualdi Ariminensis ab Hieronymo Aleandro explicata XX Sistrum ex ære, repertum Via Aurelia, in Suburbanâ Villa Ill.mi Laurenty de Corsinis et ab eodem dono datum D. Leoni Strozzæ, cuius in Museo hodie asseruatur. XXI XII. XIII XXIV. Apud Petrum Stephanonium. XXV In Ædibus Delphinorum. XXVI. In Ædibus Mathæorum.


Fig. I
Fig. II
Q FVRFANIO C F NIGRINO PROC FABRORVM VIXIT ANN XXIV M VII
FVRFANIAE FLORAE CONIVGI SANCTISSIMAE VIXT ANN XXIII M III
SEX FVRFANIVS TYRANNVS
HER FVNER ET AR FECIT III IDVS APRIL
MAIMILIO II ET MVNATIO PLANCO COSS
Romae in Aedibus Caesiorum
PLAVTILLAE
CONCORDIA
Fig. IV
Fig. III
TITI
DOMITIANI
PIETAS AVGVSTA
S C
S C



Sed in eo quoque operam ludit, cum ex his toties Criticis vexatum Martialis epigramma XXIX. lib. II. explicari posse putat:

Rufe, vides illum subsellia prima tenentem,
Cujus & hinc lucet Sardonychata manus;
Quæque Tyrum toties epotavere lacernæ,
Et toga non tactas vincere jussa nives.
Non hesterna sedet lunata ligula planta;
Coccina non læsum cingit aluta pedem.
Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

Sanior lectio est, *non hesterna*, id est, recens, & in dies nova. Rubenius, *non extrema*, retinet, atque ita interpretatur, ligulam illam, quæ in pede sedet, non extremam dici, *quia stigmatias ille calceos patricios quatuor corrigiarum portabat; atque ita ligula, quæ pedem tangit, haudquaquam extrema erat, cum eadem in calceis plebeiis extrema esset: illi enim non habebant alias illas ligulas, quæ inter se implexæ, usque ad suras ascendebant.*

Sed ut demus, quod falsum est, in calceo patricio quatuor fuisse corrigias, si illa, quæ pedem tangebat, erat infima, etiam fuit extrema, ultima scilicet quatuor aliarum, quæ per crus extendebantur. Etsi in plebeiis calceis una tantum erat, una, & sola, extrema dici non potest: extrema enim refertur ad præcedentes. Sedebat in calceo stigmatiæ non extrema. Hæc refellere nullum est operæ pretium.

Sicut in illa quæstione versari, an totus calceus

A niger fuerit. Quis enim dubitat? Horatius:

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Sed cum loqui ait, de calcei parte superiore, quæ nempe crus vestiebat, ita ut illa pars nigra esset, quæ vero pedem tegebat, rubra, vel alterius coloris. Quasi non idem calceus diceretur, qui crus, quam qui pedem velabat.

Addit, contrarium elici ex Juvenale, scilicet totum calceum non fuisse nigrum; sed tantum partem superiorem ad tibias pervenientem:

Adpositam nigræ lunam subtexit alutæ.

B Si vera interpretatio, idem est, non contrarium: nam paulo ante dixerat, ex Horatio, solam partem superiorem, quæ tibiatim calceabatur, fuisse nigram. Sed falsa interpretatio; cum ex verbis Juvenalis manifesto eliciatur, etiam partem inferiorem, quæ pedem tegebat, fuisse nigram. Apponam ejus verba, ut acumen Dialecticum clarius appareat: *Si enim lunula hæc*, inquit, *quæ circa talos adsuta erat, subtexebatur nigræ alutæ; ergo pars quidem calcei, quæ supra talos erat, & crus impediebat, ex nigra aluta erat, non illa, quæ talos, & pedem tegebat.* Imo lunula cum in pede esset, id est, ad talos (unde illud Herodis, *in astragalis nobilitas*) & nigræ alutæ subtexeretur, sequitur manifesto, alutam quæ in pede erat, nigram fuisse, ut illa pars etiam quæ in crure. Atque ita tota aluta, totusque calceus niger. Lunula autem subtexi dicitur, quæ habenis, vel corrigia sub ipso pede, sive calcaneo adstringitur, sive subnectitur, & religatur. Mira profecto, & antehac inaudita calcei Romani forma, superior nigra, inferior, id est, vere calceus, rubra, vel alterius coloris; atque ita calceus versicolor.

C

Illud sane difficile explicatu, illum stigmate punctum; apud Martialem, insignia patriciorum D gestasse, lunam scilicet in calceis, & eosdem calceos coccinos, qui a patriciis, nonnisi in magistratu gerebantur. Nisi temporum licentia factum putemus, ut omnes tunc Senatores lunam calceis apponerent, more patriciorum; ille autem mastigias, censu Senator factus sit. Nam Quintilianum, de quo loquitur Juvenalis, cum ait;

Adpositam nigræ lunam subtexit alutæ,

nemo patricium fuisse dixerit. Sed cum Senatores nigros calceos gestarent, cur idem nebulo in coccino calceo superbus? Non quod patricii omnes coccinos calceos gerebant, ut ait Rubenius, id E enim in magistratu factum diximus. Sed ex eadem temporum licentia, cum ceteri vulgo ferme calceos albos (exceptis Senatoribus) gestarent, ille coccineos; ex quo sequitur, non fuisse Senatorem. Sed cur nec patricius, nec Senator, lunulam calceis apposuerit, quærant doctiores.

Nam quod coccinos calceos habuerit, potuit esse illi cum aliis commune, eodem luxu, quo etiam lacernæ coccinæ, & purpureæ in usum venerant:

Quæque Tyrum toties epotavere lacernæ.

F Ut idem calceorum, & lacernarum color esset. Ceteros enim vulgo albis calceis usos, idem Martialis ostendit lib. VII. ep XXXIII.

—— *Calceus autem*
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive.

Coccinos ergo ille calceos, ex licentia eorum temporum, non quod qui læsos pedes habebant, sine reprehensione coccina aluta uti poterant. Unde hoc Ruben. didicerit, ignoro. *Quia*, inquit, *Parthicæ pelles fuco tinctæ, inferioris ævi Imperatorum, mollissimæ erant, & solis postea ipsis reservatæ.* Quis autem credat, ab omnibus vulgo, qui læso pede erant, calceos, & mollitie, & infectura pretiosos

usurpatos? aut non alias pelles, sive alutas molles fuisse, quam quæ Imperatorio conchylio tingebantur? Logi, & acumen irritum. *Non læsum* igitur *pedem*, ut Interpretes explicant, arctiore calceo minime pressum, nec strictiore vinctu offensum.

Corippi carmen de Parthicis Imperat. pellibus,

Parthica Campano dederant quæ tergora fuco.

eadem prurigine Critica corrigit:

Parthica campago dederant quæ tergora fucis.

Sed pelles illæ nihil aliud quam Campagus fuerunt, Imperatorius calceus. Neque sententia consistit: quo enim verbum, *dederant*, referendum? *Parthica, quæ dederant tergora Campago.* An *Parthica tergora dederant fucis?* Rectum igitur, Parthica calceamenta, quæ Campagi, dederant tergora, id est, pelles, tingendas Campano fuco.

Vetus Juvenalis Interpres, sicut male exponit ejus verba, *pedibus albis*: ita cum negat, Senatores eo tempore nigros calceos portasse, falsus est: nam eum revincit Horatius, imo ipse Juvenalis, cum nigram alutam patriciis, & Senatoribus assignat. Ergo vulgo cum toga alba, albis quoque calceis induti; Senatores nigris. Nisi quod, crescente luxu, quidam cum lacernis purpureis, etiam calceos coccinos usurparunt, aut alterius coloris. De purpureis autem calceis, auratis, & acu pictis, satis jam Salmasius disputavit.

CAP. XXXVI.

Luna in calceis, patriciorum insigne. In quo patricii calcei a Senatoriis diversi?

Ad Cap. IV.

LUNAM in calceo patricio fuisse fibulam eburneam, instar Lunæ corniculantis, Eruditorum pars magna consentit. Hoc etiam Rubenio improbatur; quod in antiquis statuis, fibulæ calceorum, non appositæ malleolis, sed in superiore parte pedis visuntur. Talis certe apparet in figura Prætoris mappam mittentis, supra memorata. Verum illa fibula non est lunula patricia; sed ad stringendum calceum, ut hodie fit. Ibi nulla lunulæ species visitur, sed nodus tantum duobus ansulis adstrictus. Ergo in calceo patricio duplex corrigia fuit; altera, qua calceus jungebatur, si tamen omnes calcei eam habuere: altera, qua lunula eidem nectebatur. Illa in superiore parte pedis; hæc ad talos, sive astragalos. Et ideo Herodes apud Philostratum, lunulam ἐν τοῖς ἀστραγάλοις cognoscit, & nobilitatem eo loco positam irridet.

Quærit deinde, quod discrimen esset inter Senatorios calceos, & patricios; cum Senatorii etiam a plebeiis diversi fuerint. Cicero *Philip.* XIII. *Est etiam Asinius quidam Senator voluntarius, lectus ipse a se. Apertam Curiam vidit post Cæsaris mortem; mutavit calceos; Pater Conscriptus repente factus est.* Revolvitur hinc ad Servii opinionem, quam supra refutavimus, scilicet de crepidis Senatoriis. Eam partim admittit in iis, qui magistratum curulem gesserant, quorum mulleos vult fuisse crepidas; partim damnat, quod crepidæ antiquis temporibus essent probrosæ. Cur non igitur etiam in iis qui magistratu præditi? Sed tam patriciorum, quam reliquorum omnium, etiam plebejorum calcei cavi fuerunt, sola lunula distincti. Quanquam & Senatores omnes, successu temporum, calceis lunam apposuisse, non levis conjectura est, quam supra attulimus. Atque ita, nullum per id tempus discrimen fuisse videtur inter patricium calceum, & Senatorium. Quidquid sit, Senatorii a plebeiis colore distincti. Illi nigri, hi albi, aut alterius coloris. Asinius ille, apud Ciceronem, qui se in Senatum intruserat, mutavit calceos, id est, pro albis, Senatorios nigros sumpsit. In eo etiam Senatorii a plebeiis diversi, quod Senatorii usque ad medium crus extendebantur; plebeii non ultra pedem. Et ideo Horatius, eum qui Senator factus erat, describens, ait:

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Quod si lunula tantum in patriciorum calceis fuit, id unum inter eos, & Senatorios discrimen fuit. Nam illa corrigiarum inflexio apud Zonaram, in calceo patricio, non ad calcei structuram, sed ad lunulam pertinebat, quæ ad talos, corrigiis, sive corrigiarum multiplici flexu nectebatur.

CAP. XXXVII.

Caliga, & Campagus, calceamentum militare. Quod inter ea discrimen? Campagi notatio. Salmasii opinio rejecta.

Ad Cap. V.

EJUS, qui carmen in Senatorem Isiacum scripsit, non est tanta auctoritas, ut nobis persuadeat, Senatores, posteriori ævo, caligis usos esse;

—— Caligaque remota,
Gallica sit pedibus molli redimita papyro.

Potuit enim auctor ille caligam per abusum, pro calceo posuisse. Quis enim alius Veterum Senatores caligatos induxit? Quis, ut credat, calceamentum militare, & quidem plebejum ac manipulare amplissimo ordini aptatum.

Rubenius ait non fuisse plane caligam; sed quos posterior ætas *Campagos* appellavit; nec multum tamen a caligis diversos: Capitolinus enim in *Maximino*, caligam, & campagum confundit: *Nam cum esset Maximinus, pedum, ut diximus, octo, & prope semis, calceamentum ejus, id est, Campagum Regium, quidam in luto, qui est inter Aquilejam, & Arziam posuerunt, quod constat pede majus fuisse hominis vestigio, atque mensura. Unde etiam vulgo tractum est, cum de longis, atque ineptis hominibus diceretur, Caliga Maximini.* Neque tamen omnino fuisse similes inter se Campagos, & caligas declarat Trebellius, qui de Gallieno ait; *Caligas gemmatas annexuit, cum Campagos reticulos appellaret.*

Hæc a nobis sunt curatius expendenda. Illud primo statuamus, tam Caligam, quam Campagum, militare calceamentum fuisse. Caligam, gregariorum, Campagum, Ducum, atque Imperatorum; postea ab iisdem etiam in pace usurpatum; & ideo Capitolinus appellat *Regium*. Quod ergo discrimen inter utrumque? Non aliud, quam quod, cum utrumque de genere solearum, sive crepidarum esset, id est, quæ imam tantum pedis calcem tegerent, superiore nuda, & ideo a calceo cavo urbano distinctæ, utrumque habenis religaretur, hac differentia, quod caliga non ultra pedem, campagus ad medium usque crus, habenas illas, & retinacula extenderet; & ideo campagus, a loris illis, sive corrigiis, per crus decussatim implexis, & se reticulato opere intersecantibus, ut optime Casaubonus, unde *reticulos* Gallienus appellabat. Nec aliter intelligi potest Trebellius, nisi quod, cum ceteri Imperatores campagos gestarent, ad medium crus reticulatos, Gallienus caligas induit; sed ut a gregario calceamento distinguerentur, eas gemmis annexuit, id est, ejus habenas, & vincula gemmata, vel gemmea habuit; cum festive campagos reticulos appellaret, propter causam, quam attulimus.

Quæ manifesto evincunt, caligas vulgares non multum ultra pedem habenas produxisse; nam si ad

suram usque & tibiatim, ut Salmasius putat, & ipsæ reticulum fuissent, ut campagus, nullo in figura inter utrumque discrimine. Nam imperatorios campagos etiam colore a caligis diversos fuisse, id est, puniceo, sive purpureo, saltem inferiori ævo, certum est. Etsi caligæ vulgaris retinacula etiam in crure cernantur; non fuisse tamen decussatim, & reticulatim implexa necesse est, aut nullum inter ipsas, & campagos discrimen.

Frustra igitur longam illam de campagis disputationem Salmasius *ad Trebell.* consumit, cum putat campagos, & mulleos patriciorum idem calceamentum fuisse. Nam campagi de genere crepidarum, & solearum; mullei autem Romani calcei, & cum toga sumpti, id est, cavi, & solide tibiam vestientes, ad mediam. Joannes Antiochensis *Cappagia* vocat, non campagos patriciorum, sed veros calceos Romanos, sic dictos, ut idem explicat, a Cappa littera, id est, lunula, instar Romani Cappa, sive *C.* & ideo idem subjicit, nunquam videri solitos in publico, neque Imperatorem salutare, sine hujusmodi calceis Cappagiis, id est, lunatis calceis; non autem in Campagis, quæ crepidæ erant, & calceamenta militaria.

Nam etsi, ait Salmas. *Calceus generale nomen, de quolibet calciamento, proprie tamen sic dictum est calceamenti genus, quo Senatores, & Equester ordo, & reliqui paulo honestiores* (imo omnes togati, etiam viliores) *in urbe utebantur. Hinc distinctus calceus a crepida, a solea, a Gallica, a peronibus.* (atqui idem, paulo infra p. CCXCII. & *ad Tertul. de Pallio*, peronem fuisse calceum cavum dixit, rusticorum, venatorum, & id genus hominum, quibus ad imbres, & nives hæc pedis tutela necessaria) *& aliis quibuslibet calceamentorum generibus*. Non ergo campagus, calceus Romanus, id est, *κοῖλον, ϗ βαθὺ ὑπόδημα, cavum, & profundum calciamentum*, quod usque ad mediam tibiam ascendit, ut ait Pollux; sed crepida, sive solea, habenis pedi innexa, quæ habenæ suram contingebant, reticulato opere decussatim implexæ.

Campagi duplicem originem attulit Casaubon. Quod campagi essent intercisi, ut æstivi calcei hodie sunt multifores. Altera, quod pars campagi superior, quam Aristot. *χιτῶνα τοῦ ὑποδήματος* appellat, e loris decussatim implexis esset contexta. Quæ vera originatio, & quam Salmas. sequitur. Addit Casaub. Scaligero videri, esse vocem mixto-barbaram, a Græco *καμπὴ*, pro crure, unde *Gamba*, apud Veget. in *Veterinaria*; quod scilicet campagus cruri, sive gambæ annecteretur.

Hoc oppugnat Salmasius, nunquam Casaubono æquus, negans, infimæ Latinitatis Auctorem unquam gambam, pro crure usurpasse; neque hoc sensu, eam vocem apud Veget. extare, sed tantum pro cruris commissura, & inflexione, quæ scilicet tibiam pedi jungit. Quod ut verum sit, nihil tamen obstat, quin a parte totum, crus gamba appellatum sit, ut nos hodie eam vocem usurpamus. de quo in *Originibus linguæ Italicæ* disputavimus. Quanquam prior notatio, nempe a vinculorum flexura, campagos dictos, verior videatur.

Ajebat Casaubonus, campagos, reticulos Gallieno dictos, quod intercisi essent, & multifores, quales hodie æstivi, quos Græci *πολυσχιδεῖς, σχιστὰς*, & *λεπτοσχιδεῖς* vocant. Negat, tales patriciorum, & Senatorum calceos fuisse Salmas. Sed necesse est fuisse tales, qui ejus sententia, non solidi, & cavi, sed pluribus habenis, aut corrigiis, ita crus velabant, ut per illas multi-

A plices flexuras, & veluti retium plagas, crus appareret, atque ita multifores. Verba ejus sunt: *Verius ergo campagos reticulis ideo similes, Gallieno visos, propter lororum, & corrigiarum, quibus circa crura alligabantur, variam, & multiplicem, decussatimque volutam implicationem, quæ reticulatum plane opus referret*. Ergo, & intercisi, & multiforatiles, quod ajebat Casaubonus: & ideo non erant calcei patricii, ac Senatorii, qui medium crus cum pede solide operiebant.

Etsi verum esset Isidori commentum, de quatuor corrigiis, quibus assuta luna patricia, illæ B in pede, non in crure fuerunt, ad lunulam illam nectendam. Atque ex his sequitur, campagum, calceamentum militare fuisse, non autem Urbanum; sed de genere crepidarum, a Ducibus, & Imperatoribus gestatum: hac differentia, quod caliga manipularis, habenis ad talos vinciretur; campagus, lora illa ad suram reticulatim extenderet. Cum igitur Gallienus campagos rejecisset, quasi reticulos, & eorum loco caligam sumpsisset, ut esset discrimen inter caligam Imperatoriam, & gregalem, eam gemmis, sive gemmatis corrigiis annexuit.

Ceterum, campagos non fuisse calceos cavos, C sed sandalia, sive crepidas, etiam *ex Donatione Constantini* patet, quam laudat Ruben. *Et sicut noster Senatus, calceamentis utitur, cum udonibus; sic utuntur & Clerici*. In Græco, *Ὑποδήματα, ἤτοι σανδάλια λευκά*. Si ergo Constantinus Clericis omnibus sandalia, sive campagos concessit; non ergo solorum Diaconorum fuere, ut vult Rubenius; nisi postea solis Diaconis id concessum est. Fuisse autem campagos sandalia, ex Scriptoribus Ecclesiasticis, quos idem adducit, apparet. Sed quomodo albo corio intrinsecus circundata essent, extrinsecus autem nigra, quæ neque cava erant, neque solida, sed solis habenis soleæ pedi, D crurique annexa, difficile est intellectu, nisi solæ corrigiæ tales fuerunt; etsi illæ nigræ extrinsecus, quomodo pars interior, quæque cruri adhærebat, alba videri poterat? Quod vero addit, Senatorios campagos hac forma fuisse, id est, extra nigros, intus albos; quia Scholiastes Juvenalis ait Senatores Juvenalis tempore nondum nigris calceis usos; & ideo ævo Scholiastis fuisse nigros, satis hoc supra refutavimus: etsi id verum esset, absurdum tamen credere, peregrinum illum, ac venalitium Senatorem fuisse.

Sed si nigri erant illi campagi, cur Græca Do- E natio Constantini appellat *λευκὰ* sandalia, id est, alba? Respondet Ruben. in Latina Donat. haberi, *calceamentum cum udonibus, candido linteamine illustratis*. Sed cur ipsa sandalia alba, etiam subjectis udonibus linteis, esse non potuerunt tam alba per se, quam udonum candore nitentia? Certe non aliter *λευκὰ ὑποδήματα*, quam *alba calceamenta* reddere possumus: quod enim nigrum natura est, per subjectos albos udones, sive pedules album dici non potest.

Hæc habuimus, quæ de calceis Senatoriis, fortasse nimis multa commentaremur, ne quid intactum relinqueremus. Illud tamen fateri cogi- F mur, hærere adhuc nos, valdeque incertos esse; cum inter veteres, & recentiores doctissimos constet, totque Scriptorum auctoritas evincat, calceum Romanum, togæ proprium, ac peculiarem, fuisse cavum, & solidum, quique pedem, & dimidium crus operiret; non unam tamen statuam togatam videri, cum crepidis, sive soleis, quæ habenis, & corrigiis nudo pedi nectuntur, ut illæ habenæ in quibusdam, pedem non excedant; in aliis, ad suram usque pertineant; cum in aliis, calceus cavus, & solidus appareat.



Nam in Statuis ab utroque Rubenio editis, Romanus calceus, cavus, ac solidus, nostrorum instar, apparet, præcipue in illa Prætoris mappam mittentis. Ita in nostro Commentario, Figura prima, & secunda, talem calceum præferunt; sed tertia, & quarta, in nummis Domitiani, M. Aurelii, & Plautillæ: item in sexta, & septima, soleas, & crepidas conspicimus, quæ loris nudo pedi innectuntur: Cujus diversitatis causam mentis ambigui adhuc quærimus: nam si dicere velimus, statuas illas cum crepidis, inferioris ævi fuisse, & temporum licentia, pro calceis, crepidas, & soleas inductas, & cum toga gestatas. Verum ætas Domitiani, M. Aurelii, Plautillæ, & aliorum credere id vetat, vixque ullum conjecturæ locum relinquit. Itaque videant doctiores, & hæsitantibus nobis, de ingenii penu opem ferant, grandem gratiam inituri.

CAP. XXXVIII.

Utrum Toga vestimentum clausum fuerit, an apertum? Vestimenta quadrata. Pallia Judæorum. Chlamys Macedonica a communi diversa.

Ad Cap. VI.

SED tædet, pudetque diutius in textrina taberna commorari. Itaque, relicto togæ tormento, Rubenii vestigia prementes, & calcem calce terentes, togam rerum dominam, summi velamen honoris denuo inspiciamus, a nuperis Criticis ita interpolatam, & scissam, ut

A vix ullum Romani cultus vestigium retineat. Nec erat, quod hic Rubenius Tragœdias excitaret, & togæ structuram, quamvis a Tertulliano, & Quintiliano accurate descriptam, a viris doctis ita implicatam, ut se extricare non possint, sed irretiti hæreant, non secus, atque Agamemnon apud Tragicos, nimis confidenter pronunciaret. Nec tam viris doctissimis, qui in hac palæstra desudarunt, quam Belgis suis injurius, quos crasso sub aere, hoc est, Bœotorum in patria natos pronunciat, Italos prope cœcos, & lollio victitantes inducit, queis cum tot statuæ ex Urbis parietinis in oculos incurrant, eosdem non videre quod vident invidiose criminatur.

B Itaque & nos togam componamus, intentique ejus Basilica edicta audiamus. De togæ forma, inter doctos controversum ait, non fuisse manicatam, aut quadratam, contra Criniti, Manutii, & Victorii sententiam statuit. Sed cum hæc a nobis satis superque refutata fuissent, quid attinebat cramben apponere? Eandem fuisse rotundam fatetur. Sed quod discrimen inter rotundas vestes, & quadratas fuerit, non bene exponi a viris doctissimis conqueritur: quorum rejectis, ut ipse ait, altercationibus, pro sententia pronunciat, amicula quadrata fuisse, quæ ex panno quadrato constabant, & quatuor angulos habebant, duos in superiore, duos in inferiore ora. Tale fuisse pallium Græcorum, & aliarum gentium.

Atqui hæc est ipsissima Salmasii sentent. *ad Tertull. Pallium*. Verba ejus sunt: *Angulum in veste*

vocabant partem extremam vestis, ubi aperta est, quæ in acumen desinit, tam in ima vestimenti ora, quam in summa. Et paulo post: *Rotundis contrariæ quadratæ; eæ absummo ad imum apertæ, unde quatuor angulos habuisse necesse est, duos in ima ora, duos in summa.* Nihil igitur hic novi, tanto promissor hiatu, attulit.

Huic opinioni nos olim id opposuimus, quod & Kerchoetius tetigerat, si omnia pallia aperta, etiam quadrata fuissent, frustra a Scriptoribus quadratorum palliorum mentionem factam, quorum loca adduximus; ut cum Festus, *Ricinium, pallium quadrum* appellat; & apud Petronium, Enothea *quadrato pallio incincta*, & alibi passim. Nam quod ajebat Salmasius, omne vestimenti genus, tam clausum, quam apertum, pallium dictum, ut togam, pallium rotundum; proprie tamen, & stricte, & communi loquendi usu, pallium accipitur pro Græco indumento, ut a toga distinguitur; & ideo semper apertum, & quadrangulum, ejusdem sententia. Si igitur tale omne pallium, quid opus erat quædam pallia appellare quadrata?

Itaque tunc credebamus, pallium Græcanicum commune, fuisse quadratum, scilicet ex duabus plagulis, altera anteriore, altera posteriore, pariter quadratis, quales Diaconorum Dalmaticæ. Atque ita pallium a lateribus apertum, & fibula in humeris adstrictum, unde quatuor anguli, in extrema ora, ante scilicet, & retro. Cynicum autem non plane quadratum; sed semirotundum, quale nostrum est; quod nempe rejici in humerum poterat, & duplicari, totumque corpus involvere, quod a Cynicis fiebat.

Quod autem vulgare pallium ita quadratum esset, ut quatuor in imo angulos habuerit, quod ex duabus plagulis confectum esset, idcirco statuimus, quia cum viris doctis credebamus, similia fuisse Judæorum, & Græcorum pallia. Nam Judæorum pallium, quatuor in imo angulos habuisse inde constat, quod in illis, Dei præcepto, fimbrias, & vittas hyacinthinas gestabant. Numer. xv. *Loquere ad filios Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in iis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Itaque Epiphanius Hæresi xv. ait, in Scribarum pallio quatuor angulos fuisse, in quibus mala Punica penderent, in ima scilicet ora; non autem duo supra, totidem infra, ut credit Rubenius.

Hanc sententiam mutare coacti sumus; quia in Statuis palliatis, quas exhibuimus, neque duæ illæ plagulæ, neque fibula usquam apparebat; sed pallium nostro haud absimile, quod vel in sinistrum humerum injicitur; vel lævo brachio pars ejus dextra imponitur: Unde suspicabamur, tale pallium quadrangulum, ab Asiaticis, Judæis, & ceteris gentibus ad Orientem sitis, gestatum; atque in hoc a Græcanico dissimile; utrumque apertum, Asiaticum quadratum, Græcum nequaquam. Nihil tamen in re obscurissima certi statuimus; quia Appianus lib. v. *Civilium*, stolam illam Antonii, sive pallium quadrangulum, appellat Græcanicum; & ita rem totam doctioribus discutiendam reliquimus.

Sed quod ait Rubenius, hos quatuor angulos facile conspici in Statua Euripidis marmorea, quam ex Ursino protulit, aut ego oculis non utor, aut nihil aliud ibi apparet, quam exigua pallii pars in summo dextro humero, hoc est, non quatuor, sed vix unus angulus. Nec minus oculi laborabunt, ut inspiciant, quomodo rotundæ ve-A stes in solo expansæ, circulari forma essent, ut pallia nostra, quibus vulgo utimur; nam sicut verum est, quod est rotundum, si expandatur in solo, futurum circulari figura: ita illud quod consequitur, falsum, *ut pallia nostra*, quæ cum sint aperta, etiam Rubenii sententia, erunt quadrangula, & ideo rotundis opposita; nec si expandantur, circularem figuram præferre poterunt.

De figura chlamydis, præcipue Macedonicæ, quæ rotunda erat, & clausa, cum ceteræ apertæ essent, & ut isti credunt, quadrangulæ, longa contentione inter Salmasium, & KercKoetium B decertatum est; & sicut ubique Kerchoetius impar congressus Achilli, ita hic, nihil præter maledicta, & virulentiam in Salmasium effundit. Et tamen ille KercKoetius est, qui sub vero nomine, Rubenio dicitur incomparabilis. Itaque mavult cum eo desipere, quam Salmasium vera docentem sequi, ut aliquid contra receptam opinionem afferre possit.

Nam cum Salmasius docuisset, pallia, & chlamydes communes apertas fuisse, & proinde in summa, atque ima ora, angulos, sive πτέρυγας habuisse, cum rotunda, & clausa vestimenta non C haberent, chlamydem Macedonicam excepit, quæ rotunda, & in ima ora clausa, sive conjuncta erat; vel uno irrefragabili Ammonii testimonio, qui rotundum vestimentum fuisse dicit, ὃς εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται, *quod ad plenum, & perfecte circa imam oram connectitur, & concluditur:* hoc est, quod nulla sui parte, circa extremitatem apertum est.

Addit Rubenius, formam chlamydis facile nos assequi posse ex Strabone lib. I. qui Terræ habitabilis σχῆμα χλαμυδοειδὲς *formam chlamydi similem* constituit. Deinde ex Plinio, qui tradit, Dinocharem Architectum, Alexandriæ aream desi-D gnasse *ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato laciniosam, dextra, lævaque, anguloso procursu.* Sed quis non videt, Strabonem loqui de chlamyde communi, quæ aperta, & extensa, Terram habitabilem refert; Plinium vero de chlamyde Macedonica, quæ orbe gyrato laciniosa, id est, rotunda, cum aliæ essent quadratæ, & in imo, ut ait Ammonius, commissæ & clausæ. Apponit deinde figuram Macedonicæ, pro figura chlamydis communis. Rectius vero anteriorem partem apposuisset; nam hæc figura tota est in imo, ac summo clausa; cum Macedonica, in imo tantum clausa esset, in supe-E riore parte aperta, ut mox dicemus.

Illud repugnare videtur, quod Plinius Macedonicæ chlamydi tribuit dextra, lævaque angulos, quos tantum in vestimentis apertis agnoscit Salmasius. Sed etiamsi vera sit Macedonicæ chlamydis figura, quam expressit Rubenius, cum esset rotunda, & clausa, cumque nonnisi duplex, sive duplicata extendi posset, ita ut superior pars inferiori incumberet, quod in omnibus clausis vestimentis evenire necesse est, hoc modo extensa, in imo duos veluti angulos habebit, sive, ut Plinius loquitur, angu-F lorum procursum. Sicut toga, licet clausa, lævo brachio subducta, normalem angulum apud Quintilianum efficit, & figuram semicircularem, sive hemicyclon apud Dionysium; nunquam tamen quatuor angulos habebit, ut vestimenta aperta, & chlamys Græcanica, aliis etiam gentibus communis.

Itaque Rubenio demonstrandum fuerat, Thessalicam chlamydem, quæ alas, sive πτερύγια habebat, a Macedonica non fuisse diversam: nam cum Ammonius, solam Macedonicam commis-

ſam in imo, id eſt, clauſam dicat, ſequitur, & Theſſalicam, & alias communes chlamydes fuiſſe apertas, & angulos, alaſque, & *πτερύγια* habuiſſe. Quid autem opponit huic ſententiæ Rubenius? Nullum inter chlamydem Macedonicam, & Græcam, ac Romanam chlamydem diſcrimen fuiſſe, ſatis indicare Strabonem, Plutarchum, & Diodorum, qui Alexandriæ, quam Dinochares, ut ait Plinius, ad effigem chlamydis Macedonicæ metatus eſt, ſimpliciter chlamydis figuram tribuunt; & ideo eandem figuram fuiſſe. Verum Strabo de figura Terræ habitabilis, non de forma Alexandtiæ loquitur. Nec mirum eſt Plutarchum *ἁπλῶς* chlamydem dixiſſe, quod Macedonica omnibus in Alexandri exercitu communis eſſet, ad cujus formam ille Urbem metatus eſt. Et ex Plutarchi verbis illis *κυκλοτερῆ κόλπον, ἤγουν ὥσπερ ἀπὸ κρασπέδου*, & quæ ſequuntur, id clare apparet. Nam ſi figura communis chlamydis fuiſſet, quid opus fuerat illa deſcriptione, circularem, ſive gyratam ſinu, & extrema parte, ſive ima ora fuiſſe? Unde Interpres, magis Plutarchi ſententiam, quam verba ſecutus, verbis Plinii reddidit, *orbe gyrato laciniosſam*, quæ manifeſto declarant, diverſam a communi Macedonicam fuiſſe.

Secundum Rubenii, ſive Kerchoetii argumentum erat, chlamydem Macedonicam non undique clauſam fuiſſe, ſed fibulatoriam, & a latere apertam declarat Plutarchus, qui de Alexandro, *τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα λύσας ἐπέβαλε τῷ σώματι*. *Solvens ſuam chlamydem, injecit corpori*. Addit Rubenius, omnes gemmas, quæ Alexandrum referunt, fibulatoria chlamyde ſpectari. Quod nos admittimus, neque chlamydem Macedonicam, a ſummo ad imum clauſam fuiſſe dicimus; ſed tantum, ut ait Ammonius, *εἰς τέλειον, περὶ τὰ κάτω συνῆκται*, *erat in imo perfecte commiſſa, & clauſa*. Cum ergo in ſuperiore parte aperta eſſet, ne humeris deflueret, fibula nectenda erat, quæ ſolvebatur, cum chlamys exuenda erat. Maneat ergo, Macedonicam chlamydem, non tantum rotundam fuiſſe; ſed in ima ora clauſam, quod vox *συνῆκται*, quidquid ſe torqueat Rubenius, manifeſto evincit, & per hoc a communi chlamyde diverſam, quæ aperta, & quadrata.

CAP. XXXIX.

Togam, nec apertam, nec chlamydis figura fuiſſe. Non unus Rubenii error detegitur. Artemidorus, & Feſtus explicati.

Ad Cap. VIII.

MINIME tamen obſcurum eſt Rubenii conſilium, cum illud *συνῆκται*, *rotondum* vertit, non autem commiſſum, & clauſum. Cum enim credi vellet, togam fuiſſe apertam, eamque non multum forma a chlamyde diverſam, ſed ſola magnitudine, & circumjectu, ſi chlamydem clauſam fuiſſe dediſſet, conſequens erat talem & togam fuiſſe, quæ non multum forma differebat. Iterum ſententiæ ſuæ fundum facit, quod ſupra a nobis exploſum eſt; quia nempe Artemidorus, cum de toga loquitur, ait, Temenon Arcadem primum ſuam chlamydem hoc modo circumjeciſſe, ſive circumpoſuiſſe *τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα τοῦτον περιεβάλετο τρόπον*. Ergo ſolo circumjectu, toga a chlamyde differebat. Cogimur hic ea repetere; quia ille errorem ſuum repetit.

Ut ergo ſupra diximus, chlamys Græca, & Romana cum aperta eſſet, & ideo in humero fibula necteretur, Temenus ille, ſi vera fides, primus hoc modo chlamydem circumpoſuit, id eſt, cum aperta eſſet, & fibula nexa, ut omnes chlamydes, præter Macedonicam, eam conſuit per totum, ſive commiſit, & eo more, qui poſtea a Romanis ſervatus, eam aptavit, & Jonium navigans in Italiam invexit; ut ſcilicet, poſtquam clauſa facta eſſet, per caput injecta, corpori circumponeretur, atque amota fibula, lævo ſuſpenſa brachio fulciretur. Hoc eſt, quod ait Artemidorus; indigenæ ab eo edocti, *τὸν αὐτὸν ἐσκεύασαν τρόπον*, quod non eſt, *præparaverunt*; ſed *hac forma*, quæ tunc Romæ in uſu, *compoſuerunt* ſive quod ſupra dixerat, *περιεβάλλοντο*, *circumjecerunt, circumdederunt*, quod veſtimentum clauſum indicat; cum antea chlamys Temeni aperta eſſet, & duæ ejus plagulæ in humeris fibula necterentur.

Alterum argumentum, chlamydem a toga non fuiſſe diverſam, non modo frivolum eſt; ſed & falſum. Feſtus ait, ex Cincio, *Salias Virgines eſſe conductitias, quæ ad Salios adhibeantur, cum apicibus paludatas; quas Ælius Stylo ſcripſit ſacrificium facere in Regia paludatas, cum apicibus, in modum Saliorum*. Atqui Dionyſius ait, Salias, quæ choros agebant, *Τηβέννας* id eſt, togas ſive traebas *ἐμπεπορπημένας*, infibulatas geſtaſſe. Si hoc a Dionyſio ſcribitur, eadem plane veſtis erit, toga, paludamentum & chlamys; ſi eædem Virgines, quæ trabeatæ, erant etiam paludatæ. Verum Dionyſius, non Salias, ſed Salios, cum trabeis infibulatis producit; cujus rei cauſam alias attulimus, cum togæ communes ſine fibulis eſſent. Saliæ igitur conductitiæ ſacrorum miniſtræ, non in toga, ut Salii, ſed paludatæ, & *illud in morem Saliorum, cum apicibus*, ad apices referendum, non ad togas. Saliæ apicatæ, non togatæ. Pravo igitur pede fultum argumentum, togam a chlamyde non fuiſſe diverſam; ſicut quæ de chlamydis uſu, a Numa invecto, Faſti Siculi, & Cedrenus commenti ſunt, ut in ſuperioribus declaratum eſt.

Tertia ratio, riſu magis, quam elencho digna eſt. Appianus tradit, Pompejum chlamyde Alexandri Magni amictum triumphaſſe. Quid tum? Num idcirco chlamys illa toga facta eſt, aut eadem veſtis fuit? Pro toga triumphali, geſtavit Pompejus chlamydem Alexandri Magni; quod quidem novum, & notabile, chlamydatum, non togatum Urbem invectum eſſe. Quis inde ſanus colligat, togam fuiſſe chlamydem, aut chlamydis forma? Sed quoniam ſupra dixerat Rubenius, chlamydem Macedonicam fuiſſe fibulatoriam, cum fibula circumjectum illum, quem comminiſcitur, omnino impedire potuiſſet; quam tamen, inquit, ut exiſtimo, non Macedonum modo portabat fibula adſtrictam; ſed in togæ ſpeciem, humeris circumjectam. Ut igitur Pompejus, Rubenii ſententiæ faveret, fibulam illam moroſam ex chlamyde evellit, ſive chlamydem diffibulavit, ut ex ea togam concinnaret. Sed ſit modus ineptiarum. Illud quidem chlamys Macedonica commune cum toga habuit, quod utraque rotunda, & clauſa eſſet; ſed chlamys in inferiori tantum parte; toga per totum clauſa, & ideo chlamys in ſumma ora fibulam habebat; toga nequaquam. Præterea, hæc longior, & fuſior, & diverſo poſitu, geſtatuque.

Colligit demum Rubenius, & ſi verum eſt, inquit, togæ ſchema fuiſſe *χλαμυδοειδές*, ſane corruit Manutii opinio, qui togam cenſet fuiſſe veſtimenti genus, a ſummo ad imum clauſum. Utinam vero opinio, quæ de Rubenii judicio, & eruditione invaluit, non corrueret: nam etſi toga chlamydis ſpe-

ſpeciem habuerit, aliqua chlamys, nempe Macedonica, clauſa fuit. Non modo autem Manutius, ſed quotquot ille in oſtentationem enumerat, ſi unum Sigonium excipias, viri eruditione præſtantes, inſcitiæ, & cæcitatis inſimulantur, qui cum Manutio recte ſentiunt, togam per totum fuiſſe clauſam, jureque Sigonium nugari ajunt, qui αὐτοψία plane revincitur.

Ne igitur ſolus Sigonius deſiperet, magna confidentia ejus partes tuetur; & cum ſupra dixiſſet, omnes illos viros doctiſſimos ita togæ ſtructuram implicaſſe, ut ſe inde extricare non potuerint, ſed hærere irretitos, ut ille Agamemnon apud Tragicos, ut ſe ab illo involucro expediat, Alexandri æmulus, quod ſolvere non poteſt, ingenii acie ſecat, togamque aperit & diſcindit; atque ita eandem cum chlamyde, imo cum pallio, lacerna, & id genus veſtibus, facit.

Ego ſane, inquit, *Romæ & alibi multas ſtatuas togatas accurate contemplatus ſum; ſed αὐτοψία non me docuit, togam fuiſſe undique concluſam*. Ergo tot viri eruditiſſimi, ac præcipue Itali, luſcitioſi, qui quod lynceus ille contemplatus eſt, ſatis perſpicere non potuerunt, & in aperto veſtimento rimando, clauſis oculis fuerunt. Cur non ocularius aliquis advocatur, cujus ope, quæ non ſunt videantur?

Sed quid opus eſt Roma, aut aliunde Statuas arceſſere? Si quas patruus Alberti Philippus egregie delineveavit, togam undique clauſam oculis ſubjicere, nemo negare poteſt, niſi ſit Hypſæa cæcior, ac perditæ frontis. Inſpice ſodes, non has modo, ſed quaſcumque ex veteribus monumentis, & nummis ſpectandas propoſuimus; & fidem oculorum appella; niſi forte aliis Belgæ, aliis Itali oculis utuntur.

CAP. XL.

Alio modo toga, alio pallium in humerum rejiciebatur. Cinctus Gabinus. Quid toga aperta apud Val. Maximum? Rubenii in ſummos viros maledicentia. Toga a Tertulliano Rhetorice deſcripta. Ejus ſtructura, & Rubenii in eam obſervationes accuratius examinatæ.

NEc αὐτοψία modo, ſed ratione pugnat Rubenius. *Niſi forte quis*, inquit, *pallia noſtra concluſa aſſerat, ſi laciniam dextram in lævum humerum conjiciamus*. Quis enim inde dixit togam clauſam eſſe, quia ejus lacinia in lævum humerum conjiceretur? aut adeo mentis inops, ut hæc crederet? Non pallia modo noſtra, ſed & Græcorum, in humerum rejiciebantur, quæ erant aperta; nec, niſi aperta fuiſſent, hoc modo rejici poterant, ut pars, ſive ala dextra in lævum humerum conjiceretur. At toga clauſa hoc modo rejici non poterat; ſed brachio lævo ſubjecto fulta, ſubducebatur, & aliquando in humerum lævum attollebatur, ſive rejiciebatur; nec ad pedes cadere poterat, niſi brachium demitteretur. Quod ſecus in pallio aperto, cujus pars, ſive ala dextra ſiniſtro humero impoſita, facile ab humero defluebat; ſicut læva pars ejuſdem ſemper cadebat ad pedes, ut in noſtris palliis; cum togæ clauſæ utraque pars æqualiter ſubducta, in brachio, vel humero lævo conſiſteret.

Subjicit, ſe non videre, qua ratione, ritu Gabino toga cingeretur; nec quomodo Scipio Naſica apud Val. Maximum, Gracchum interfecturus, lævam manum apertæ togæ circumdederit, ſi toga undique clauſa fuit. Sed cinctum Gabinum, non aliud fuiſſe diximus, quam cum togæ lacinia, lævo brachio ſubducta, in tergum ita rejiciebatur, ut contracta retraheretur ad pectus, atque ita in nodum necteretur; qui nodus, ſive cinctus, togam contrahebat, brevioremque, & ſtrictiorem reddebat.

Quod ad Scipionem Naſicam attinet, pariter diximus, cum læva togæ pars, ſive lacinia, ſubjecto brachio elevaretur, atque in ſinum contraheretur, ea parte togam apertam viſam eſſe, quod nempe lacinia ſubducta hinc inde brachio dependeret, ac veluti divideretur, & aperiretur; & ideo a Valerio dici, Scipionem Naſicam, cum in Gracchum duceret, lævam manum apertæ togæ circumdediſſe, id eſt, utraque parte brachium involviſſe, ut eſſet illi pugnaturo inſtar clypei, ſive ut ea brachium clypearet; ſicut paludamentum, in re ſubita brachio intorquebatur; quod pluribus auctorum locis confirmavimus, Hoc Rubenio non ſatisfacit; viris tamen doctis ſatisfactum eſſe non ignoramus.

Ceterum, ex togæ circumjectu, quem Quintilianus, & Tertullianus deſcribunt, probari togam fuiſſe apertam manifeſte contendit; ex quorum verbis, & ex vetere Perſii Scholiaſte, atque ipſis ſtatuis, verum togæ circumjectum ſe deſcripturum pollicetur. Quanquam hoc a patruo Philippo in *Electis*, tam accurate præſtitum dicat, ut miretur, viros, omnis antiquitatis, & eruditionis apprime gnaros, poſt inventas fruges, adhuc βαλανοφορεῖν. Immodeſtum facinus, & inclemens, Viros in re literaria primorum principes, quia ex iis, quæ ex veteribus monumentis, & nummis in oculos incurrunt, totque inſuper argumenta evincunt, togam clauſam fuiſſe, conſenſu tradant, frugibus mulctatos ad glandes ablegare.

Verum hoc ille convicium a Salmaſio mutuatus eſt, qui *ad Jus Atticum*, illud in auctorem libri *de Re Veſtiaria* jecit, quod ab eo in notatione veſtium holoverarum, modeſte, & cum præfatione honoris, diſſentire auſus eſſet, eum ad concutiendam ilicem damnavit. Neque vero abnuit Ferrarius, & hic, & ibi, eorum numerum augere, qui quod recte ſentiant, effrenis linguæ maledicta effugere non poſſunt.

Ceterum, immaturo patrui obitu factum tradit, ut totam togæ formam plane deſcribere non potuerit. Itaque vicariam ipſi operam locat, & quæ ille recte, magnoque judicio ſcripſit, invertit, ac depravat, atque in ſtatuis ab eo productis, togam, quam nemo, niſi Tireſias, clauſam eſſe negaverit, aperit, & diloricat. Verum grandia minatus, nil præter Gloſſas Perſiii, Quintiliani, & Tertulliani loca, toties ab aliis producta, & diſcuſſa in medium affert, quæ nos vitandæ nauſeæ omittemus.

Hæc loca, ait ille (in quibus tamen, quod toga aperta fuerit, ne veſtigium quidem apparet) *hæc*, inquit, *loca magnam omnium oculis nebulam offuderunt*, quam novus Sol depulſurus ſit. Sed contra, mihi aniculæ illi ſimilis videtur, apud Senecam, quæ cum ætate caligaret, de tenebris, atque obſcuritate cubiculi conquerebatur. Et nos ergo oculos perfricemus, ſomnumque morantem pellentes, ad novi jubaris exortum, diem admittamus. Sed fatum noſtrum infelix, poſtquam diu luminum fidem tentavimus, nihil novi plane videmus, & in illis ad Quintilianum, & Tertullianum obſervationibus, ac metaphraſi, nonniſi abſona, & ipſi authori contraria diſpicimus.

Primo, Quintiliani & Tertulliani ætate, togam ab antiqua diverſam fuiſſe ait. De Quintiliani ævo nemo ſanus hoc dixerit, qui ejus verba ad veteres ſtatuas exegerit. Imo, neque de Tertulliani temporibus: nam ille, ut alias docuimus, to-

gam Rhetorice, & Declamatorie magis, quam vere delineavit; ut quæ de cippo artifice, & forcipibus, & rugarum contabulatione non fortuita, luxus castigator immodicus commentatur. Quis enim credat hæc ab omnibus usurpata, eamque in structura togæ operosissima, curam, & morosissimam diligentiam vulgo adhibitam? Nam ruga illa in humero Hortensii, loco mota, apud Macrobium, magis nimias ejus delicias, quam vulgarem morem arguit.

A Sed fuerit diversa, Tertulliani ævo, togæ structura Num ille alam, sive πτερύγιον togam habuisse memorat, quam, ut togam apertam probaret Rubenius, *de lævo promissam* tradit? Verba sunt: *Partem de lævo promittat, ambitum vero retrahat a scapulis*. Quæ rotundam fuisse togam, & clausam potius indicant partem togæ, ita lævo humero impositæ, ut inde pars ea cadat, *ambitum vero retrahat*. quæ vox, clausæ togæ circumjectum, totum hominem involventem demonstrat: ambire enim est circumire, & circumquaque operire, quod de clausis, quam apertis vestimentis melius intelligitur.

B Sed quod ferri non potest, id ex patrui statuis comprobare nititur, in quibus, togam apertam esse nemo dixerit, nisi qui oculis caret. Nos interim, ejus ad illas statuas adnotata ad disquisitionem vocabimus, ipsaque Rubenii verba apponemus,



1. *Pars togæ prior mediis cruribus optime terminatur. Quintilianus*. Sed in hac statua, toga pedes ipsos perfundit. 2. *Rugæ, quæ pridie ab exordio formabantur, & inde deducebantur in tibias*. Hoc ut verum fuerit, apud Declamatorem, in vulgari toga minime factum apparet; cum ipso togæ amictu, injectuque fortuitæ illæ rugæ, ex sinus redundantia formarentur. 4. *Ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis, id est, ubi tabulata illa congregatio finitur, retrahat a scapulis, Tertullianus*. Sed neque contabulatio illa ibi finiebat, uti apparet, neque a scapulis; sed tantum a dextro humero detrahebatur, ut brachium exereretur, & eadem contabulatione ad sinistrum brachium recurrebat, veluti baltheus pectus cingens. 6. *Pars togæ, quæ postea imponitur, sit inferior*. Nempe, quæ ab humero sinistro redundans fluebat; & una cum baltheo conficiebat umbonem. 3. *Tum sinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejecisse non dedecet*. Hoc plane ineptum est, sinum appellare Partem illam, dextro humero inhærentem; cum certum sit, sinum fuisse in pectore, ut vox ipsa declarat, tam qui subducebatur lævo brachio, & inferior dicebatur, quam qui a sinistro humero cadebat in pectus, quo sinus superior, & ex utroque umbo conficiebatur, protuberantia rugarum in rotundum convolutarum. 9. *Ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis, retrahat a scapulis, & exclusa dextra, in lævam adhuc congerat (nempe baltheum) cum alio pari tabulato in tergo devoto. Tertullianus*. Hæc ad partem eam togæ spectant, quæ dextro brachio subjecta, ad lævam recurrebat, ut baltheus; non autem ad eam partem, quæ lævo brachio subducebatur. Quod manifeste declarant verba illa. *Et exclusa dextra, in lævam adhuc congerat*. Poro *tabulatum in tergo, sive terga devotum*, Tertulliano non est inferior sinus, qui in anteriore parte, ima scilicet togæ ora, lævo brachio subducta; sed pars togæ superior, quæ excluso dextro brachio, in tergum cadebat, quæ pariter ex multis plicis, rugisque contabulata erat. Sed tabulatum illud, apud Quintilianum, fuisse πτερύγιον sive alam, & partem togæ apertam, tam falsum est, quam obscurum, quid sit apud eundem, *Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur*; *posterior, eadem proportione, altius quam cinctura*.

Nam & olim locus ille valde nos torsit, & nunc quoque incertos habet. Leviter conjiciebam, *cincturam* positam ibi esse, pro tunica quæ cingebatur; non tamen ut hoc affirmarem, ac Rubenio persuaderem, quod nondum mihi persuaseram, & ideo adjeci: *Si quis tamen priorem interpretationem malit, haud repugnaverim. Utramque trepide, & hæsitanter posui, donec alius meliora promat*. Neque tamen mihi Rubenius persuaserit, legendum esse, *altius quam junctura*, id est, crurum, aut genuum; ita ut posterior togæ pars supra poplites fuerit. Nam præterquam quod id statuæ Rubenianæ refellunt, in quibus pars illa posterior ad talos usque defluit; illud perfacetum est, cum pars togæ prior mediis cruribus optime terminaretur, posteriorem supra genua fuisse.

CAP. XLI.

Lacinia, extrema vestis pars, sive ima ora. Non pinnæ, aut πτερύγια. Loca Scriptorum, quibus hoc probat Rubenius, contrarium evincunt.

Ad Cap. IX.

NUlla operis pars Rubenio exit, in qua aliquid novi, & præter omnium opinionem non afferat;

afferat; adeo φιλόνεικος est, animoque ejus penitus insedit immoderatum studium trahendi in contrarium. Nam cum inter omnes constet, laciniam esse vestimenti oram, sive partem extremam, quanquam Apulejus improprie, pro toto vestimento non semel accipiat, ipse censet, laciniam esse pinnas chlamydis, sive togæ, quas Græci πτερύγια, & κράσπεδα appellant. Sed pinnæ, & alæ, sunt anguli vestium; & ideo laciniæ pars, non tota lacinia. Etsi hujusmodi pinnæ, & anguli in chlamyde, vestimento aperto, fuerint, in tota clausa esse non potuerunt; ubicunque lacinia, extrema vestimenti ora, & κράσπεδα fimbriæ, quæ imæ oræ assuebantur, aut ejus pars erant.

Recte igitur Beroaldus *ad Apulejum*, ait, laciniam esse partem vestimenti flexuosam, sinuosamque: nam cum vestes in extrema parte, præcipue togæ, & pallia, fusiores essent, & laxiores, plicas, & rugas, veluti sinus, imæ oræ flexu efficiebant. Nec male Elmenhorstius, & alii, laciniam vestis cum ora confundunt: eadem enim res erat: & optime Cujacius *Obser.* lib. XII. cap. XXIV. laciniam ait esse oram, sive extimum vestis.

Quid ad hæc Rubenius? *Ego credo*, inquit, *laciniam nihil aliud esse, quam ipsas pinnas chlamydis, sive togæ*. Sed loca omnia, quæ ad hoc probandum adducit, aperte evincunt, laciniam nihil aliud fuisse, quam imam vestimenti oram, nihil de pinnis, & alis, sive πτερυγίοις: Plautus *Mercatore*.

At tu ædepol sume laciniam, atque absterge sudorem tibi.

Id est, pallii, aut tunicæ partem extremam, quæ facilius apprehendi potest; quanquam ibi lacinia, pro orario, sive sudario accipi potest. Idem *Asinaria*:

Lachrymantem lacinia tenet lachrymans.

Id est, ima vestis ora, quæ in descendentibus, aut fugientibus retineri solet. Suetonius in *Claudio*: *Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo Causidicos patientia ejus solitos abuti, ut descendentem e Tribunali, non solum voce revocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso, retinerent*. Idem in *Cajo*: *Ita se proripuit e spectaculis, ut calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret*. Certe, nonnisi extrema pars vestis pedibus implicita ad casum impellit. Clarius in *Nerone*: *Circuitis templis, cum in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhæsit*. Quibus adde Macrobium lib. II. *Sat. Jocatus in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam, veluti mollis incederet*. Et Servium: *Cinctus Gab.nus est toga, ita in tergum rejecta, ut una ejus lacinia* (legendum, *ima*) *a tergo revocata hominem cingat*.

Quamvis autem πτερύγια, & κράσπεδα Pollux pro eodem statuat, utraque extrema pars vestis fuerunt. Sic Plutarchus de Scipione Nasica. Τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Laciniam togæ imponens capiti*, id est, imam togæ oram revocans, capiti veluti galeam, pugnaturus, imposuit, sive ut expeditior foret. Valerius Maximus de Pisone, Titium præfectum equitum ignominia notante: *Jussit eum toga, laciniis abscissis, amictum, discinctaque tunica indutum militiæ adesse*. Id est, abscissa extrema togæ parte, sive toga decurtata, & mutila, ludibrio omnium exposuit. Quod genus ignominiæ etiam apud Hebræos usurpatum, ex Sacris Literis notum est.

Quæ Cap. X. affert de togæ tiliis, ac tabulis, omnia jam pridem a viris eruditis ita exacte pertractata sunt, ut nullus racemationi locus relictus sit, nihilque Rubenius producat, quo literaria penus locupletior fiat.

CAP. XLII.

Umbo, & sinus in toga. Eadem Casauboni, & Lipsii sententia. Fortunatianus, Apulejus, & Macrobius explicati.

Ad Cap. XI.

IN hujus capitis epigraphe est: *Umbo non fuit sinus*. Quid ergo fuit? Paulo post: *Si libri*, inquit, *Casauboni de re Vestiaria lucem vidissent, non magnopere laborandum esset de tota materia*. Utinam vero illi extarent! Sed aperte Casaubonus ait: *Lautiorum toga ita componebatur, ut corrugata in multa πτύγματα, clypei speciem præberet, cujus centrum proprie appellatur Umbo*. Id rejicit Rubenius, & optime a Lipsio statui ait: *Latinos, vestis positum, qui ad pectus exibat in tumorem, umbonem vocasse*. Sed plane eadem est Lipsii, & Casauboni sententia: nam centrum clypei est Umbo, & translate, plicarum, rugarumque in toga, ad pectus redundantia protuberans, est togæ umbo, ut est a nobis cum cura demonstratum: *Lipsio*, inquit, *assentior, & existimo, umbonem dictum fuisse partem illam togæ, quæ circa humerum sinistrum, in varias rugas contracta descendebat in pectus, & imponebatur baltheo illi, qui sub humero dextro ad sinistrum ducebatur, atque ita umbonem cingebat*.

Sed neque hoc Lipsius ait, neque ex ea modo parte, quæ a sinistro humero cadebat, sinus, & umbo formabatur; verum ex ea, quæ etiam lævo brachio subducebatur, id est, ex sinu superiore, & inferiore umbo conficiebatur, ex rugis scilicet, ac plicis, quæ supra, & infra conglobabantur in tumorem, qui umbo dicebatur, sicut in clypei centro pars protuberans; falsumque est, umbonem baltheo cinctum fuisse: nam ex sinu qui balthei instar, sub humero dextro ad sinistrum ducebatur, ut ait Quintilianus, & ex ima togæ ora subducta umbo conficiebatur.

Curius Fortunatianus non quærit quomodo baltheus umbonem decenter cingat; sed quomodo tunica cingenda, & qualis umbo esse debeat. *Quemadmodum cingemur? nec submisse, nec succincte. Quid in umbone? nec fluxe, nec adstricte*. Nihil hic de baltheo cingente umbonem; sed ita tunicam cingendam, ut neque laxiore cinctu demitteretur, & flueret; neque arctiore brevior esset, & succinctior. Umbonem autem, id est, sinum plicarum protuberantem, ita componendum, ut neque laxior esset, quod delicatiorum, neque strictior, ut strangularet. Omnino enim Curius Quintilianum expressit: *Sinus qui sub humero dextro ad sinistrum ducitur, velut baltheus, nec strangulet, nec fluat*. Idem Curius: *Umbo nec fluxe, nec adstricte*. Licet Quintilianus, non umbonem, sed sinum tantum appellet, qui idem cum umbone. Nam cum Curius verba illa, *qui sub humero dextro* (sinus) *ad sinistrum ducitur, veluti baltheus*, de umbone acceperit, satis indicat, umbonem, & sinum eandem rem fuisse.

In Apulejo nullus correctioni locus est: recte enim omnia se habent, lib. XI. de Iside: *Palla sub dextrum latus, ad humerum lævum recurrens, umbonis vice dejecta, partem laciniæ, multiplici contabulatione dependula*. Legit Rubenius, *dejecta parte laciniæ*. Frustra: nam Isis pallam, sive pallium muliebre, more communi, ita induerat, ut partem dextram, dextero brachio subjectam, in lævum humerum rejiceret; ita tamen, ut ejus partis rugæ, ac plicæ defluentes, sive dependulæ, multiplici contabulatione umbonem referrent, qualis in toga, ex eadem plicarum rotunda congerie. *Palla* autem *laciniæ partem dejecta*, Græcæ locutionis as-

fectator dixit, ut *nuda genu*, & similia, id est, palla habens partem laciniæ, sive imæ oræ dejectam multiplici contabulatione, umbonis vicem, sive speciem referebat.

Quod autem ait Rubenius, umbonis vice, bene positum esse, quod palla quadrangula esset, id est, aperta, & ideo umbonem non habebat ut toga, sed ejus vice, gerebat laciniam ab humero dejectam, nempe oblitus erat, se in superioribus statuisse, pallam fuisse tunicam, quæ clausa, & ideo minime quadrangula. Quem lapsum ut satis supra arguimus; ita Apuleii sententia est, partem illam dejectæ laciniæ, ex concursu plicarum protuberantium, umbonis loco fuisse, qualis in toga: nam sive aperta vestis sit, sive clausa, ex rugarum convolutarum contabulatione, & redundantia umbo efficitur globosus, qualis in clypei medio spectatur.

Quod autem umbo totam togæ structuram stringeret, nec fuit, nec fieri potuit; neque a Macrobio nodus ille artifex, *umbo* vocatur, cum de Hortensio loquitur: *Fuit in vestitu, ad munditiem curiosus; & ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat, ubi se intuens, togam corpori sic applicabat, ut rugas, non forte, sed industrie locatas* (quæ verba, communes togas hoc artificio caruisse evincunt) *artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens, nodum lateris ambiret*. Hoc est, quæ in toga communi, rugarum plicatio fortuita erat, quæque facile defluere poterat, eam Hortensius artifice nodo compositam adstringebat, ne turbata deflueret, ac laberetur. Sed qualis ille nodus esset, incertum est: nam cum umbo nihil aliud esset, quam rugarum congeries in rotundum extuberans, quomodo se ipsum cingere poterat, & ut ait Rubenius, togæ structuram cingere, cum ipse umbo, ex plicarum concursu, & structura conficeretur?

CAP. XLIII.

Togæ sinus duplex, superior, & inferior. Quintilianus, & Horatius explicati.

Ad Cap. XII.

VERUM quid attinebat sententiam, de sinu togæ adsuto, & adtexto, jam satis a nobis rejectam revocare, & viris doctis obstrepere? Recte quidem, si pauca excipias, Philippus Rubenius sinum in toga delineavit. Sed quinam sint illi eruditi, qui post Philippum, de sinu ita disputant, ut quasi in tenebris micent, haud scimus. Illud satis constat, quid esset sinus, a nobis explicatum esse, antequam Philippi *Electa* videremus. Sed dum Albertus, patruo, in hoc nimis, ut ipse ait, succincte versanti suppetias it, non tam ipsum exponit, quam sinum involvit, & implicat,

Nascebatur, inquit, *sinus ex toga, quæ sub dextro brachio duplicabatur*. Verum, non ex parte modo togæ dextro brachio subjecta; sed ex ea, quæ sinistro subducebatur, sinus fiebat; & ita duplex erat, superior, & inferior, & ex duplici sinu umbo formabatur, ut diximus. Adjicit: *Cum igitur pars togæ sub brachio dextro duplicaretur*. Imo triplicabatur interdum, & quadruplicabatur, prout toga laxior, & inundantior erat. *Superior quædam pars τοῦ πτύγματος formabat baltheum; inferior autem tabulis constabat, id est, plicis longis, per dextrum humerum descendentibus, exclusa dextra. Deinde in deficientibus tabulis curvabatur in sinum, qui deinde rejiciebatur in lævum humerum, rursus in tabulas conglomeratus.*

Hoc vere est micare in tenebris, & lectori illudere: non solum enim superior pars, verum etiam inferior constabat tabulis, si tabulas, sive tilias, pro rugis, ac plicis accipiamus. Quæ quidem plicæ, ac tabulæ, non descendebant per dextrum humerum; neque hoc fieri poterat, cum pars ea togæ, excluso humero, (non dextra tantum) dextro brachio subjecta esset. Deinde, quod indeficientibus tabulis, pars ea curvaretur in sinum, plane absonum est; cum tabulæ illæ, & plicæ nihil aliud quam sinus essent. In quo cum patruo erravit Albertus, quem nos olim in secunda editione, postquam ejus *Electorum* copia fuit, arguimus, quod numero 5. posuisset, sinum humero injiciendum, qui a dextro brachio in tergum cadit: nam togæ partem, quæ a dextro humero in tergum cadebat, nemo sinum appellaverit, qui tantum ad pectus; neque dextro humero injici poterat, qui exertus, & toga liber.

In quo a patruo dissentit Rubenius, & in lævum humerum rejectum tradit, rursum in tabulas conglomeratum. Sed quod rursus conglobaretur, nulla causa apparet. Quintilianus ait, sinum injiciendum humero; quia, cum ut diximus, sinus superior, id est, pars togæ de sub dextro brachio, humero lævo injecta interdum in brachium laberetur, iterum humero reponebatur, & una cum inferiore sinu, id est, parte togæ lævo brachio subducta humero injiciebatur, ut brachium sinistrum in actione expeditius esset.

De angusto togæ sinu severiorum hominum, laxo & inundante lautiorum; & cur Cæsar moribundus sinum ad ima crura deduxerit, omnia pridem a nobis observata sunt; neque tamen has racemationes e nostra vindemiola sublectas invidemus. Illud justæ reprehensioni subjicimus, si umbo togæ decideret in brachium sinistrum, rejicere, rustici, & negligentis fuisse; idque ex Horatio probari posse putat:

Rusticius tonso toga defluit.

Nam nec umbo defluere poterat in brachium sinistrum, cum in ipso brachio, & pectore semper resideret; sed pars togæ, quæ ita subducebatur, ut normalem angulum efficeret, interdum ad pedes fluere inæqualiter a negligentibus permittebatur. Quod ita Quintilianus expressit: *At si incipientibus, aut paulum progressis decidat toga* (id est brachio sinistro) *non reponere, prorsus negligentis, aut pigri, aut quomodo debeat amiciri nescientis est*. Et apud Horatium, nihil de umbone; & rusticitas illa, non ad togam, sed ad inæqualem tonsuram pertinet, pari negligentia, fluente ad pedes toga. Locus Juvenalis,

—— *Fatum est in patribus illis;*
Quas sinus abscondit.

satis declarat, fuisse etiam sinum inferiorem, intra quem partes illæ fatales condebantur; nisi quis in superiore pectoris parte eas fuisse credat. Quanquam Juvenalis ibi de sinu tunicæ loquatur, sicut illa apud Petronium: *Manum demisit in sinum, & pertractato vasculo tam rudi; hoc inquit, belle cras in promulside libidinis nostræ militabit.*

CAP. XLIV.

Togam nec cingi, nec præcingi potuisse. Laxa Cæsaris cinctura. Dio Cassius, & Cicero explicati. Prava Suetonii interpretatio notata. Cinctus Gabinus. Accinctus, Præcinctus, & alte cinctus.

Ad Cap. XIII.

INSIGNIS Rubenii inconstantia. Togam nequaquam cingi solitam nobiscum sentit, quod raro facit; sed ut in aliquo dissentiat, eandem præcingi consuevisse contendit. Quasi, quod præcingitur non cingatur, & sit aliquod discrimen inter

cincturam, & præcincturam. Id adstruit auctoritate Macrobii, qui Hortensii Oratoris in vestitu præcinctum, & Cæsaris præcincturam commemorat; quod scilicet, *ita togam præcingeret, ut trahendo laciniam mollis incederet*.

Sed nos olim Macrobium falsi arguimus, tum quod reliqui Scriptores omnes de tunicæ cinctura id sunt interpretati; tum irrefragabili argumento, quod nullo pacto cingi toga potuerit; quæ cum clausa, & corpori injecta, ita gestaretur, ut sinistro brachio subducta, dextrum humerum excluderet; si cincta, aut præcincta fuisset, cinctura sinistrum brachium cum toga alligasset; & ideo, aut errasse Macrobium, aut pro *toga*, *tunica*, legendum esse.

Respuit correctionem Rubenius, tanquam supervacuam; non enim ait, a Macrobio tradi, Cæsaris togam cingulo aliquo substrictam; sed illum ita toga præcingi solitum, ut trahendo laciniam mollis incederet, fluxiore præcinctura usus. Idque a Dione tradi ait, qui Cæsaris *χαῦνον τοῦ ζώματος αὐτοῦ*, *laxam ejus cincturam* a Sulla notatam narrat; & ideo monuisse Optimates, ut male cinctum puerum caverent. Sed de tunicæ cinctura, non de toga locutum Dionem manifestum est. Demus, de toga intellexisse Dionem; doceat nos Rubenius, quomodo toga cingi, aut præcingi posset.

Præcingebantur, inquit, *Romani*, *in habitu ordinario*, *toga ipsa*, *nempe baltheo illo*, *qui sub dextro brachio ad sinistrum humerum oblique ducebatur*, *ut ait Quintilianus*. Erat quidem pars illa togæ a dextro in sinistrum recurrens, instar balthei, sive cinguli militaris; sed quomodo hominem cingeret, demonstrandum erat: neque enim aliter cingere poterat, nisi corpus undique complexa adstringeret. Veteres statuæ id refellunt, in quibus nihil tale apparet, & fieri non potuisse ratio evincit. Ad quid enim ea cinctura? Non jungendis togæ partibus, quæ commissa, & clausa; non continendæ togæ, ne deflueret; nam sinistro brachio sustinebatur. Præterea, si baltheus hominem cingebat, quomodo sinus, qui nihil aliud quam baltheus, fluere interdum, injici humero, revocari, ac rejici poterat?

Fortunatianum, non de togæ, sed de tunicæ cinctura locutum supra diximus; nec Quintilianus togam cingi, aut præcingi solitam dixit. Multo minus id ex Cicerone colligitur lib. II. epist. ad Q. Fratrem XII. qui de tunica capiendus est. *Cæsarem illum in sinu fero; nec ego discingor*. In sinu ferre, est amare, colere, observare, ut etiam pueri sciunt; sumpta translatione a rebus charis, quæ in sinu gestabantur; nec aliter ferri poterant, quam cincta tunica, alioquin sinu excidissent. Ait ergo Tullius, cum Cæsarem observet, & in sinu ferat, perseverare se in eodem cultu; nec discingi, id est, tunicam non solvere, aut pati Cæsarem e sinu excidere.

Errat pariter in loco Suetonii, quem contra Auctoris mentem manifesto accipit, de Cæsare: *Etiam cultu notabilem ferunt: usum enim lato clavo ad manum fimbriato; nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Unde emanasse Syllæ dictum constat, Optimates sæpius monentis, ut male præcinctum puerum caverent*. Duo hic notari, ait Rubenius. Primum, quod interiores tunicas nullo cingulo castigabat; sed sola toga præcingebat tunicas. deinde, quod cinctu ipso togæ fluxiore utebatur. Utrumque falsum. Nam latum clavum hic esse tunicam laticlaviam certum est; nisi ad cetera paradoxa illud quoque adjicere Rubenius velit, clavos fuisse in toga, non in tunica. Illud quoque certum, hoc cultu notabilem Cæsarem fuisse, quod cum laticlavii tunicas non cingerent, Cæsar, contra morem, super latum clavum cingeretur. Alterum autem notabile, quod laxiore, sive fluxiore cinctura, ex quo falsum fracti animi indicium Syllam non fefellit. Quomodo autem toga tunicas præcingere posset, ipse viderit, nisi cinctu Gabino id fieret. Quod vero laticlavii, etsi latum clavum non cingerent, tunicas interiores zona substrictas portarent, ut credam, sine auctore, adduci adhuc non possum; cum contra ex Æliano constet, tunicas interiores cingi non consuevisse, *Var. Hist.* l. XIII. c. XXXVII. *Gelon Syracusiorum Tyrannus*, *mansuetissimum se in Imperio præbebat*; *seditiosi vero quidam ejus vitæ tendebant insidias*; *quod cum rescivisset Gelon*, *convocata Syracusiorum concione*, *armis indutus processit*, *& commemoratis suis erga illos meritis*, *insidias detexit*; *atque exutis armis*, *dixit ad universos*; *En igitur ἐν χιτωνίσκῳ*, *in tunicula inermis adsto*, *& dedo me vobis*, *ut pro voluntate*, *libitoque mecum agatis*. *Quum igitur Syracusii mirati*, *supplicio afficiendos insidiatores ei tradidissent*, *& illum regnare jussissent*, *statuam ei posuerunt*, *ἐν ἀζώστῳ χιτῶνι*, *in discincta tunica*; *scilicet interiore*, *qua*, *exutis armis*, *in concione steterat*. Cæsarem autem cinctu togæ fluxiore usum, quam sit a vero alienum, ex supra dictis constat.

Porro hanc togæ præcincturam a cinctu Gabino diversam fuisse ait: *Quo habitu*, inquit, *amicti*, *non præcincti a Scriptoribus vocabantur*; *sed incincti*, *sive circumcincti*. Hoc plane est *μικρολογεῖσθαι*. Quid? si etiam cinctu Gabino *præcincti*, sive quod idem est, *procincti* a Scriptoribus vocantur, perit tam morosa distinctio. Veteres Critici, cum quærerent, quid esset *in procinctu*, ita exposuerunt. Cum antiquissimis temporibus, toga, tam urbanum quam militare vestimentum esset, ne laxum fusumque ad pedes impedimento pugnaturis esset, in ipsa acie illud præcingebant, id est, ima togæ ora contracta, & retro rejecta, rursus revocabatur ad pectus, & in nodum colligabatur; qui cinctus Gabinus erat. Ergo Gabino ritu præcincti, & procincti. Unde testamentum militare, *in procinctu*, cum toga hoc modo præcincta testamentum condebatur. Ita nullum discrimen inter togæ præcincturam, & cinctum Gabinum. Et *cinctus*, *præcinctus*, sive *procinctus*, *accinctus*, *incinctus*, & *circumcinctus*, eadem res fuit. Et si ita toga præcingebatur, omnes tunc in cinctu Gabino fuisse necesse est.

Non igitur præcingi dicitur proprie, quando non circum circa cinctus ambit hominem; sed ab anteriore tantum parte: nam Gabinus, & præcinctus, & circumcinctus. Deinde doceri vellem quomodo aliquis cingi possit, ut cingulum, sive baltheus totum hominem non ambiat, atque amplectatur. Quid porro fiet verbis Horatii lib. I. sat. V.

Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Præcinctis unum.

Nunquid de togæ præcinctura in iter habentibus, intelligendum est, an vero de tunica, non circum circa, sed tantum in anteriore parte cincta? Eadem plane istarum vocum, *Accinctus*, *alte cinctus*, *incinctus*, & *præcinctus*, significatio est, ut nos quoque minutias inviti sectemur. Hyginus Fabula IX. *Niobe superbius locuta est in Apollinem*, *& Dianam*, *quod illa cincta viri cultu esset* (id est, altius cincta, sive succincta, ut venatrix) *Apollo vestem deorsum*, *atque crinitus*, id est, longam, talaremque haberet, more mulierum.

Locus Martialis nihil ad rem facit, *de semicinctio*:

Det tunicam dives, ego te cingere possum.

A Non solum enim tunica, sed semicinctium totum hominem, ante, & retro cingebat, eo discrimine, quod tunica ab humeris ad crura pertingebat, semicinctium, ut vox declarat, inferiorem tantum corporis partem tegebat, superiore nuda, quod etiam cinctus dicebatur; unde cincti Cethegi Horatio, sine tunica, solo cinctu, & toga velati. Ita lintea mulierum, quæ tunicæ adponuntur, & gremium tegunt, semicinctia dici possunt, Italis *grembiali*, & *traverse* dicuntur; licet aliqua anteriorem tantum partem, quædam utrinque inferiores partes vestiant. Hæc *cinctus*, illa semicinctia proprie dici possunt. B Nihil quod togæ præcincturam adjuvet.

Ex his facile apparet, neque apud Veteres, neque apud inferiores Quirites ullum in toga cinctum, aut præcincturam fuisse, præter cinctum Gabinum. In quo Rubenii judicium requiro, qui ut probaret, apud antiquissimos Romanos nullum in toga cinctum fuisse, quia nullos sinus habebant, angustis tum, atque adstrictis togulis, Albinovanum adducit, in Epicedio Mæcenatis:

Quod discinctus eras, animo quoque carpitur unum.
Diluitur nimia simplicitate tua.
C *Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo,*
Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit.
Invide quid tandem tunicæ nocuere solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

Quasi Albinovanus de toga loquatur, & non de tunica Mæcenatis, quæ discincta, & soluta ab omnibus carpitur. Etsi omnes silerent, verba ipsa poetæ evincunt. Quid enim verbis illis, *bene præcinctos*, opponit? *Quid tandem tunicæ nocuere solutæ?* Ergo tunicæ, non togæ præcinctæ.

CAP. XLV.

D *Vestis sacrificantium Prætexta. Num Augures in Trabea? Ea nequaquam cocco, & purpura bis tincta, sive dibapha. Cicero explicatus.*

Ad Cap. XIV.

DIU se quæsisse narrat Rubenius, quis esset habitus sacrificantium apud Romanos. Neque tamen longa, aut difficili quæstione opus erat: fuisse enim Prætextam exploratum est, quæ & magistratuum, & ingenuæ pueritiæ, & sacris operantium gestamen fuit. Nam purpuram Diis placandis advocari, ex Plinio notum. Eam autem fuisse Prætextam docet Tacit. l. III. de Germanico: *Vidit se operatum, & sanguine sacro respersa* E *Prætexta, pulchriorem aliam manibus Augustæ accepisse*. Lampridius in *Alexandro*: *Accepit Prætextam, etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis Max. non Imperatoris*. Quem locum alias explicavimus. Et de Triumviris epulonibus, idem ut Pontificibus, jus togæ prætextæ habendæ datum, ex Livio agnoscit Rubenius.

Augures etiam Prætexta usos diximus. Cicero *pro Sextio*, Lentuli Spintheris filium Augurem creatum indicans, ait; *Cui superior annus idem, & virilem patris, & Prætextam populi judicio dedit.* Idem epist. IX. libri II. *ad Atticum*: *Vatinii strumam sa-* F *cerdotii διβάφῳ vestiant*. Rubenius tamen existimat, Augures Trabea amictos fuisse, ex purpura, & cocco. De Trabea satis in superioribus disputatum est; nemoque ignorat, fuisse togam, purpureis fasciis, sive institis, instar trabium discurrentibus distinctam. Eam non a Regibus modo, sed etiam Auguribus gestatam indicat Servius *ad* VII. *Æneidos*; idque ex Suetonio. Sed mihi suspecta Servii fides est; cum locus Suetonii hodie non extet, omnesque consentiant, Augures Prætexta usos, non Trabea.

Quidquid sit, Rubenio minime credimus, eam Trabeam primum cocco, deinde purpura tinctam fuisse, quod Servius, sive Suetonius tradat, fuisse de cocco, & purpura. Verisimilius enim est, eas fascias, sive institas, partim ex cocco, id est, purpura terrestri; partim fuisse ex purpura marina, sive pelagia. Quis enim credat, Urbis primordio, in illa paupertate, nondum dibaphæ, sive purpuræ bis tinctæ usu inducto, Trabeas duplici infectura tinctas fuisse, & quidem maximo impendio. Quem luxum recenter invectum facunde castigat Plinius: nam cum diversos purpuræ colores in temperatura mistos fuisse doceret, addit: *Gemina demonstrata via luxuriæ, ut color alius operiretur alio, suavior ita fieri, leniorque dictus. Quare & Amethystinum Tyrio inebriatum, ut esset ab utroque nomen improbum, simulque luxuria duplex; & cum confecere conchylia, transire melius in Tyrium putant. Quin & terrena miscere, coccoque tinctum, Tyrio tingere, ut fieret Hysginum.* Quid opus fuerat tam invidiosa declamatione, si jam inde ab Urbe condita, Augures Trabea utebantur?

Multo minus eidem assentimur, qui hac tinctura dibapha chlamydem fuisse putat, quam Christo Domino ad illudendum, protervi milites injecerunt; quia Matthæus eam coccineam; Marcus purpuream appellat. Fuisse enim paludamentum verisimile est, quod in Ducibus, atque Imperatoribus, ut alias monstravimus, erat cocceum, sive coccineum, ut Matthæus appellat. Marcus autem purpureum dicit; quia etiam coccum, sive granum, laxe loquendo, purpura erat, sed terrestris.

Prætextam autem, non Trabeam fuisse Augurum gestamen, verba Ciceronis convincunt, quæ Rubenius pro se adducit, lib. II. epist. XVI. *Sed tamen togam prætextam texi Oppio, puto te audisse: nam Curtius noster dibaphum cogitat; sed eum infector moratur.* Recte enim de Auguratu Curtii loqui Ciceronem conjicit Manutius; quia epist. IX. libr. II. *ad Atticum*: *Proinde isti, licet faciant, quos volunt Consules, Tribunos; denique etiam Vatinii strumam, sacerdotii διβάφῳ vestiant.* Ibi enim Cicero loquitur de Auguratu Q. Metelli Celeris, paulo ante mortui, cui subrogari Vatinius cupiebat.

Quod ad dibaphum attinet, non credit Rubenius, Ciceronem loqui de dibapha Tyria, quæ ipsius Consulatu primum Romanis visa, teste Plinio. Quid igitur ibi erit dibaphum? scilicet Trabea, non Prætexta, cocco, & purpura tincta. Atqui Cicero Auguralem vestem Prætextam diserte vocat, non Trabeam. Sed fuerit Trabea, cum illa, ut credit Rubenius, cocco prius, deinde purpura tingeretur, erat bis tincta, atque dibapha. Sed dibapha primum Ciceronis Consulatu visa. Non igitur trabea Augurum ab Urbis initio bis tincta, scilicet cocco, & purpura. Hæc sunt inter se valde pugnantia.

Ceterum dibapha, licet Consule Cicerone, in Lentulo Spinthere Ædili improbata, brevi ideo invaluit, ut Nepos, qui fuit Ciceroni æqualis, cum hæc apud Plinium narrasset, eamque purpuram mille denariis in libram emi non potuisse dixisset, subjicit: *Quia purpura; quis jam non tricliniaria facit?* id est, vestem lectorum stragulam. Maneat ergo, sacrificantium vestem fuisse Prætextam; Trabeam autem, aut nunquam ab Auguribus gestatam, & Servium Suetonii auctoritate male usum; cum nullus Scriptorum id prodiderit, & ceteri Prætextam Auguribus assignent; aut Trabeam in desuetudinem abiisse, & in ejus locum successisse Prætextam. Sane certum, & indubitatum, Trabeam non fuisse dibapham, id, cocco, & Tyrio inebriatam. Nam

posterioris ævi Trabeæ Consulares, & Imperatoriæ, pictæ fuerunt, id est, purpura, & auro intertextæ, & variatæ, sicut palmatæ, ac triumphales.

CAP. XLVI.

Læna, commune vestimentum. Quod inter eam & Abollam discrimen? Prætexta in ima tantum ora purpuram habuit. Umbo purpureus, item candidus. Suffibulum. Varro explicatus. Purpura plebeja.

LÆNAM non solum Flaminum velamen fuisse, sed commune vestimentum, etiam viliorum, præcipue in conviviis, alias ostendimus, & quid illud esset primi perquisivimus; ea inde petat studiosus Lector. Discrimen, quod inter illam, & Abollam ponit Rubenius, nullum est: quia Læna Chlamydis, Abolla pallii species esset; & ideo hæc quadrata, illa rotunda: utraque enim vestis aperta, & ideo quadrata. Sed Læna brevior; Abolla fusior. Illius ferme usus in conviviis; Abolla philosophorum, præcipue Cynicorum amictus, licet etiam pro communi pallio accipiatur. Præterea, si Læna fuisset toga, & quidem duplex, ut Grammatici nugantur, nihil opus fibula fuisset, cum Flamines, qui Lænam gestabant, infibulati sacrificarent, ut ait Festus.

Ut autem Lænam Flaminum purpuream fuisse concedamus, sicut Persius divitibus hyacinthinam tribuit, Juvenalis sat. III. coccinam:

—— *Cavet hunc, quem coccina Læna*
Vitari jubet,

ita communem, & plebeiis quoque usurpatam, eodem colore fuisse non est credibile; multo minus Lænam Flaminum auratam, sive auro intertextam; quod neque Appianus tradit: & Servius, illud Virgilii de Læna Æneæ,

—— *Tenui telas discreverat auro*,

ad mysterium retulit. Alioqui nullum inter Flaminum, & triumphantium vestem, quæ purpurea, auroque picta, discrimen fuisset; quod nulli Veterum proditum est.

Neque illud facile concesserim, Prætextam, non solum in ima ora, sed circumcirca, id est, in superiore etiam purpura fuisse distinctam. Nam λέγνα fuisse extremitates togæ, vel pallii, quæ ab ora sursum ibant, neque ex Polluce, neque ex Hesychio colligitur. In togis autem prætextis umbo fuit purpureus, non quia λέγνα illa, sive partes laterales purpureæ ab ora sursum ascenderent, quæ nullæ erant; sed quia, cum ima togæ ora, quæ erat purpura prætexta, lævo brachio subduceretur ad pectus, ubi ex collectione rugarum, sinus, & umbo, inde fiebat, ut ipse sinus, & umbo, non totus, sed ex parte purpureus esset, scilicet sinus inferior; nam in summa togæ ora nulla purpura; & ideo in toga pura, sive communi, candidus umbo Persio dicitur.

Cum autem Virgilius ait,

Purpureo velare comas adopertus amictu,

non de Prætexta, sed de veste tota purpurea locutus est; nisi quis credat, etiam Trojanos togatos, & prætextatos fuisse, licet hoc poetica prolepsi excusari possit. Vestis, inquam, illa tota purpurea. Servius ad illud ejusdem: *Puraque in veste sacerdos: Impolluta, & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi. Est autem linea, & purpurea: purpura enim maris vicem ad piandum præbet.* Inde factum est, ut postea Romani sacrificaturi, Prætextam sumerent, ob inditam purpuram, & caput eadem velarent, propter causas, quas Servius lib. III. ex Virgilio adducit.

Hanc Pontificum Prætextam, sicut Pallam Ve-

A stalium, suffibulum dictam, Rubenius credit, ex Varrone lib. V. *de L. L. Opeconsiva dies; a Dea Opeconsiva, cujus in Regia sacrarium. Quod ideo actum, ut eo, præter Virgines Vestales, & sacerdotem publicum introeat nemo. Is cum eat, suffibulum haud habebat tritum. id dicitur a suffiendo, ut subligaculum.* Nihil hic de Palla, nihil de Prætexta. Imo sacerdos haud habebat suffibulum, si vera Rubenii lectio. Sed ille corruptum locum adducit: nam in vulgatis legitur: *Haud habeat suffibulum, scriptum*, id est, hoc in lege scriptum erat, ne haberet suffibulum, ut recte censet Scaliger, quem Popma etiam B sequitur. Vox enim *tritum* nihili est, & a correctorum audacia. In eo tamen a Scaligero dissentimus, qui vocis suffibuli notationem *a suffiendo* probat, & ad suffitiones refert; cum omnino legendum sit, *a suffigendo*. Subfibulum enim *a fibula*, quæ veluti *fibula*, & contracte *fibula*. Sicuti, inquit Varro, *subligaculum*, id est, a subligando. Neque vero, *suffibulum* fuit subligaculum oblongum, ut credit Popma: hæc enim vox tantum de campestri accipitur, sive panno, quo ad velandas partes inferiores athletæ, cetera nudi, utebantur. *Ergo suffibulum* a figendo, sive infibulando. Clare Festus: *Suffibulum est vestimentum album,* C *prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Virgines Vestales, cum sacrificant, semper habent, idque fibula comprehenditur.* Non igitur toga prætexta, aut palla facit; sed capitiis velamen, quod fibula infrenabatur, ne caderet.

Quod autem hanc sacrificantium purpuram non fuisse pretiosam, sed vilem, ac plebejam contendit Rubenius, id ex opposito cum iis pugnat, quæ supra posuerat de Trabea Augurali, ex cocco, & Tyrio bis tincta, sive dibapha, quæ pretiosissima; cum præterea Cicero, Vatinii dibapham, qui Auguratum petebat, in invidiam vocet; cumque idem Ci- D cero in *Sextiana*, de habitu Pisonis loquens: *Vestitus aspere, nostra hac purpura plebeja, ac pene fusca.* Non dicit *nostram*; quia ipse Augur erat, & ideo in purpura plebeja; sed ceteris communem, & vulgarem indicat, quia pauci admodum ea tempestate, dibapho, in prætexta, aut clavis tunicæ uterentur, qui quidem ob luxum, reprehensioni obnoxii; ceteri in purpura violacea, ut ait Nepos apud Plinium, sive Tarentina rubra, quæ vegeto colore, ut Tyria dibapha non erat, nec bis tincta, & ideo languido lumine, ac prope fusca, centumque denariis venibat, cum Tyria vix mille emi posset.

E

CAP. XLVII.

Pileus peregrinantium, Petasus. Scabilla. Salmasii opinio defensa. Cymbala.

Ad tria extrema Capita.

NON ita recte Thomas Morus, πῖλον, apud Lucianum in *Necyomantia*, de habitu Menippi ad Inferos descendentis, *clavum* vertit, cum sit pileus. Recte tamen Alexander in *explicatione Tabulæ Heliacæ*, tribuit Ulyssi pileum umbellatum. Licet enim in nummo Mamilii, pileolus sit rotundus, qualis Venetorum, & nautarum, F qui proprie pileus, ut etiam in nummis Bruti; peregrinantium tamen, atque iter facientium fuisse Petasum, id est, Pileum umbellatum, docuit Lipsius, & apud Plautum non semel occurrit, & Mercurii statuæ demonstrant.

De Tiara Orphei, & braccis omnia pervulgata sunt. Porro de Scabillis recte Salmasius censet, fuisse scabella, quæ pedis pulsu, lignea solea, vel ferrea percutiebantur, & cum aliis instrumentis musicis in choro personabant. Nec tam reprehen-

dendus Salmasius, quam vetus Statii Interpres, qui ad illud, *inspirata rotari buxa*, ait, *tibiam, vel scabellum, quod in Sacris tibicines pede rotare consueverunt*. Errat quidem ille, si *buxa inspirata*, id est, tibiam, putavit idem fuisse cum scabello. Quod Salmasius non ponit; non enim adeo hebes erat, ut hoc diceret: sed tantum extrema verba adducit, ut probet, Scabellum fuisse, quod pedis pulsu, lignea solea, vel ferrea percutiebatur. Nihil ergo novi, præter statuam cymbala pulsantis, & pede scabellum percutientis attulit Rubenius. Rectius illud confirmasset insigni loco Philostrati Junioris in *Iconibus* de Orpheo; *Ipse vero considet prima cingens lanugine genas, tiaram auro fulgentem in capite rectam gerens. Pedum lævus, terræ nitens, citharam sustinet incumbentem femori:* ὁ δεξιὸς δὲ ἀναβάλλεται τὸ ῥυθμὸν, ἐπικροτῶν τὸ ἔδαφος τῷ πεδίλῳ. *dexter vero orditur modulum, pulsans pavimentum solea*. Læsæ Latinatis dicam remittimus, cum ait: *Videmus musicum, scabillum pedibus sonantem.* & paulo infra: *Nec aliud erant cymbala, quam semirotundi quidam pelves, quos concutiebant*. Porro de cymbalo, & tympano, & utriusque figura, & differentia Pignorius in *Commentario de Servis* abunde disputavit: eratque ingenui hominis profiteri, per quem profecisset.

Cum hæc in manibus essent, pervenit ad nos Opus Musteum, cum titulo, *Romanarum Antiquitatum*; cujus Auctor omnia fere hinc inde cum pulvisculo corradit. Præcipue libri IV. cap. V. de *Vestimentorum habitu*, ut ipse loquitur, non pauca ex nostris fontibus derivat; satis esse putans, ad excusandam aliena occupandi licentiam, si in iis, quæ sunt ceteris Scriptoribus communia, Auctorem quem exscribit, semel, atque iterum laudet; sed, si quæ sunt noviter observata, aut primum exposita, & acute disputata, dissimulato nomine, pro suis venditat.

Exempli causa, primi nos Martialis epigramma LXXXIII. libri XII. exposuimus, & acumen deprehendimus:

Brumæ diebus, feriisque Saturni,
Mittebat Umber aliculam mihi pauper,
Nunc mittit alicam; factus est enim dives.

Et quid Alica, quid Alicula esset, contra doctissimorum virorum sententiam disputavimus. Id totum ille pro suo obtrudit. Sed quod ait, Prætextam in latere dextro recinctam fuisse, ut homini libertatem movendi sese permitteret, & supra humerum dextrum fibula constrictam, id pro suo habeat, per nos licet: non enim facile inveniet, qui hunc errorem sibi vendicet. Nam neque cinctam, neque recinctam, neque infibulatam togam fuisse, validis rationibus, & statuarum αὐτοψία, ostendimus.

Quod vero Germanicus apud Tacitum, lib. II. prætextatus sacris operetur, non solum ut Augur, quemadmodum Lipsio visum, sed ut Proconsulari potestate præditus, a nobis indicatum est. De togæ forma, quod clausa esset, & rotunda, quoque modo injiceretur, ac sinum efficeret; & cum Cæsar moribundus, sinum ad ima crura deduxerit, omnia indidem desumpta sunt, & quidem iisdem fere verbis.

Quod populi Orientis gestarent togas, & eas cinctas, quia essent manuleatæ, merum ipsius somnium est. Quod vero Romani eas non cingerent, & cur cingi non potuerint, contra quam credit Sigonius, id se a nobis didicisse dissimulat. Sicut quæ de creta vestimentis addita, ad explicandum illud Plauti.

Qui vestitu, & creta occultant sese.

Quod Pænula, & Lacerna idem vestimentum sit, a nemine accepit: nemo enim tam stultus est, ut hoc dicat: cum hoc vestimentum apertum fuerit, illud clausum. Ergo sibi habeat; sicut quod tibialia fuerint militum caligæ. Sed quod Stola muliebris, neque aperta esset, neque alas haberet, ut credit Bayfius; quodque libertinarum tunica, ita ad cervicem pateret, ut humeris quoque, & lacertis conspicuæ essent; cum in Matronis nihil præter faciem appareret, auctorem indicare debuerat, ut se culpa servili exsolveret. Præterea Svernæ litat, cum de modo toga caput operiendi disserit, quæcunque a nobis contra Casauboni, & Lipsii sententiam disputata sunt, pro suis apponit, nec indicem veretur.

Et tamen ille est, qui in Operis vestibulo, cum Rosinum, & Dempsterum perstringat, quod Sigonium exscribant, & promiscua convasent, se nihil alienum in humerum tollere præfatur, eosque laudare, per quos profecerit. Sed magnam illecebram apud desides alieni labores habent, & difficile admodum est hoc seculo fucos præsepibus arcere.

JOANNIS BAPTISTÆ DONII DISSERTATIO DE UTRAQUE PÆNULA,

ROMÆ HABITA IN ACCADEMIA BASILIANA IDIBUS SEPTEMBRIS MDCLVIII.



ANTEQUAM de habitu, quo Sacerdotes nostri in re divina facienda utuntur, summatim disserere incipio, deprecor a vobis, Eminentissimi Patres, doctissimique Academici, ne me vel confidentiorem, vel Ordinis vestri, atque hujus loci parum reverentem existimetis; quod immaturam adhuc ac tumultuariam inscriptionem hodie vobis obtrudam; minime alioqui novitius tiro, sed qui emeritæ militiæ potius (si per vos liceat) adscribi cupiat. Non prætexam qualicumque huic facto (quamquam verissime id facere possum) desuetudinem studiorum, non occupationes multiplices ac varias, non gravissimas animi curas; sed simpliciter quod res est, atque ingenue fatebor: Cum dies Academicus instaret, ac nemini, quantum scire potui, indictæ essent disserendi vices: ne nonnulla mea culpa vacuus hic dies abiret, succedaneam operam huic muneri impendere aggressus sum: eo sane fidentius, quo vestra mihi humanitas perspectior erat: quoque magis ex aulicæ vitæ usu intellexi, viris principibus, ac sapientibus, non tam seram morosamque diligentiam, quam promptitudinem obsequii in rebus gerendis plerumque placere. Quod potui, operam dedi, ut argumentum seligerem, instituto hujus loci maxime, ni fallor, consentaneum. Cum enim in hoc ornatissimo Cœtu, sacræ eruditionis studia præcipue pertractentur, profana vero, quatenus dignioribus illis inserviunt; ita sane congruenter de eo habitus genere edisseram, quod profanis usibus ab initio destinatum, rei divinæ peragendæ tandem cessit. Deinde sicut Græcanicæ Ecclesiæ instituta illustrari hic maxime solent: non tamen sine comparatione Latinorum; ut una eademque Christi sponsa, quamquam substantia & corpore indivisa, attamen diversitate rituum quasi vestimentorum ornatu multifariam conspicienda, &, ut divinæ Litteræ loquuntur, *circumamicta varietatibus*, contemplantum oculis cultiorem se exhibeat; ita certe non incongrue de Pænula differetur, quæ, ut & vocabulum ipsum, primum a Græcis inventa, deinde ad Romanos traducta; postremo hic atque illic in usum sacrorum venerabilis mansit: & quamvis utrobique non eamdem prorsus speciem retinuerit, nihilo minus una eademque, cum origine, tum usu censeri debet. Quam quidem tractationem eo lubentius suscepi, quo clarius ac testatius prisci hujus ve-

A stimenti speciem indicare atque ostendere vobis posse videor. Nam cum superioribus annis quædam obiter annotarem in eam partem Pandectarum mearum, quæ ad rem vestiariam pertinet, destinaremque, si per otium & fortunæ meæ tenuitatem licuisset, ex veteribus statuis, aliisque monumentis, farraginem aliquam iconismorum seu picturarum colligere, quæ comparatæ cum testimoniis veterum scriptorum multifariam conquisitis, insignem huic negotio lucem afferre posse videbantur; evenit, ut in statuam quamdam inciderem, quam proculdubio pænulatam esse primo aspectu cognovi; quales hodie haud sane multæ reperiuntur: quam cum diligentius contem-

B plarer, omnia ei plane congruere deprehendi, quæ de istiusmodi habitus genere Veteres prodiderunt: ac tum demum intellexi, cur istud nomen sortitus sit sacrificalis cum Græcorum, tum Latinorum habitus, qui jam inde a primis Ecclesiæ temporibus usurpari cœpit. Imago est, quantum conjectura mea fert, oratoris cujusdam: quod protensa paululum æqualiter brachia subostendunt. Habitus vero ejusmodi est, ut plane totum hominem, excepto capite atque infimis cruribus, circumdet. Nulla vero in eo lacinia, nulli sinus, atque umbones, ut in toga; sed plane simplex, atque unico circumjectu hominem ambiens. Me-

C dia vero sui parte dumtaxat patere cognoscitur, qua caput exerebatur, alioqui rotunda & clausa; & qualem togam fuisse Veterum nonnulli existimant: sed quantum ex statuis cognosci potest, parum certe εὐστόχως. Etsi vero minus sinuosa, minorique amplitudine panni quam toga fuit; non tamen ei deerat suus decor & gravitas, quam plicæ seu rugæ vestimentis potissimum insinuant. Verum tamen quantum majestate a toga superabatur, tantum illam commoditate vincebat, adeo ut, si opus esset, nullo negotio ab artifice quopiam vestiario, ope illius statuæ restitui posset: quod in tanta statuarum togatarum copia vix ei fortasse succederet, in vera togæ specie restituen-

D da, quantumvis perito atque ingenioso. De origine vocabuli convenit inter Grammaticos, φαινόλην sive φαινόλαν Dorica terminatione vocitatam fuisse: *quod tota conspiciatur*, ὅτι ὅλη φαίνεται, non quod corporis figuram ostenderet (nihil enim minus huic vestimento convenit) & quod ὅλον τὸ σῶμα φαίνει, ut falso credidit Casaubonus, & ex eo Bulengerus, qui astrictam fuisse vestem putarunt; & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret; decepti opinor ex prava illius veriloquii seu etymologiæ acceptione, cui activum significatum, non passivum,

ut opus erat, tribuebant: tum etiam ex eo quod Artemidorus Oneirocriticus inter vestes quæ θλῖψιν ac στενοχωρίαν in somniis significabant, hoc est, *angustias ac pressuras* pænulam quoque (τὸν φαινόλην) recenset; διὰ τὸ, inquit, ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα, *quod undique corpus ambiat*, non quod membra pressim constringat, ut illi opinati sunt. Hinc apertior est Ciceronis locus oratione *pro Milone*, qui ut probaret nequaquam insidiandi animo, occidendique Clodium, ab Urbe cum profectum fuisse, *Quid minus*, inquit, *promptum ad pugnam? cum pænula irretitus, rheda impeditus, uxore pæne constrictus esset?* quod cum dixit, in animo, opinor, habuit, Retiariorum sinuatum illud rete, quo adversarios suos secutores (Gladiatorum ea genera fuerunt) repente constrictos fuscina demum convulnerabant. Hujus vestis primi inventores Lacedæmonii produntur, vel Tertulliani gravissimi scriptoris testimonio: qui in *Apologetico* sic scribit: *Nam ne vel hieme voluptas impudica cessaret, primi Lacedæmonii pænulam ludis excogitarunt*. Verum apud Romanos, ut opinor, usitatior fuit, qui aspirata littera in suam tenuem detorta (qua forma Pœnos a Phœnicibus demutarunt) pro φαινόλας, *pænulam* vel *pœnolam* vocitarunt. Erat autem habitus hibernus ac viatorius, & ad propulsandos imbres, ceterasque asperioris cæli injurias peridoneus: ideoque in spectaculis potissimum (hiberno videlicet tempore) usurpabatur. Hinc M. Tullius Mulionicam pænulam commemorat. Idem lib. XIII. *ad Atticum*: *Sed ego ita egi ut non scinderem pænulam*. Juvenalis sat. V.

—— fremeret sæva cum grandine vernus
Jupiter, & multo stillaret pænula nimbo.

Seneca vero scorteæ pænulæ meminit; de qua accipiendus Martialis:

Ingrediare viam cælo licet usque sereno,
Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

Fiebant autem pænulæ ex crassiori lana, non ex tenuiori prolixiorique, ut togæ. Hinc Plinius, *Appulæ lanæ*, inquit, *breves villo, nec nisi pænulis utiles: circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent*. Nihilominus quædam pænulæ prolixis villis fiebant, quæ *Gausapinæ* proprie dicebantur: de quibus Martialis:

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta,
Ut me vel media sumere messe velis.

Ad summam, vestis fuit ponderosior; quæque commoditate magis quam elegantia commendaretur: quamobrem Tertullianus libro *de Corona militis*, *Ibidem*, inquit, *gravissimas penulas posuit, revelari auspicatus*. Quod ad usum pertinet, Ulpianus in cap. *Sive lege*, ut dicunt, XXIII. Digestor. tit. *de auro, argento mundo, legatis*, inter communia vestimenta, quibus promiscue vir & mulier sine reprehensione uti poterant, pænulas sive pænularum quasdam species connumerat: *Communia sunt*, inquit, *quibus promiscue utitur mulier cum viro: veluti pænula palliumve est, & reliqua hujusmodi; quibus sine reprehensione vel uxor utatur*. Quamvis autem stante Republica, ac sub primis Cæsaribus, forensis habitus pænula non fuerit; postea tamen res mutavit; sub Domitiano enim jam pænula invaluerat, toga paulatim obsolescente: quod sane gravioribus viris, & novitatum osoribus, displicuisse cognoscimus. Quintilianus, sive quis alius auctor est eruditissimi dialogi, *De caussis corruptæ eloquentiæ*: *Quantum humilitatis*, inquit, *putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas; quibus adstricti, & velut inclusi, cum judicibus fabulamur?* Ideoque Castritius Rhetor magni nominis, qui

A Hadriano imperante floruit, quosdam discipulos Senatorii Ordinis, teste Aulo Gellio, acriter reprehendit, quod lacernati, non pænulati, prodijssent in publicum: *Equidem maluissem*, inquit, *vos togatos esse. Pigitum est cinctos saltem esse & pænulatos*: quoniam videlicet quanto pænula quam lacerna dignior erat, tantum togæ dignatione cedebat. Quod autem doctissimus vir hinc colligit, pænulas præcipue serviles cingi consuevisse, minime assentiri ei possum: nihil enim impeditius foret, aut brachiorum usibus, quibus servorum ministeria potissimum constant, minus aptum. Crediderim potius Castritium non modo B lasciviam usurpantium lacernam pro pænula vel toga reprehendisse; sed etiam mollitiem tunicam discinctam sub lacerna gestantium. Nam quod ex Petronio affert in suam sententiam: *Ultimo Cinædus supervenit myrtæa subornatus gausapina, cinguloque succinctus*; nihil vetat tunicam quoque mollibus ac prolixis villis confectam gausapinam vocatam fuisse, non minus quam pænulam, quamvis gausapina tunica alibi non memoretur. Ceterum quod supra ostendimus, jam inde a Flavianis temporibus cœpisse pænulas in promiscuo usu esse, labefactari videtur duobus C auctorum veterum locis, qui inferioribus etiam sæculis togæ suum honorem atque usum mansisse testantur. Alter est Lampridius, qui de Imperatore Commodo sic scribit: *Et contra consuetudinem pænulatos jussit spectatores, non togatos ad munus convenire: quod funeribus solebat*. Ubi Casaubonus pro *spectatores* legit *senatores*, conjectura ex Dione sumpta. Alter locus est Spartiani in *Alexandro Severo*, qui ait: *Pænulis intra urbem frigoris causa ut senes uterentur permisit; cum id vestimenti genus semper itinerarium fuisset, aut pluviæ*. Quo loci Spartianum Lipsius reprehendit, si modo ita scripserit; suspicatur enim ibi quoque D legendum *Senatores*. Quod si recipimus, est cur gratiam pænulæ Senatores habeant, cujus beneficio excuriati quodammodo prius librariorum incuria, per duos istos rei litterariæ antistites, tamquam censoria virgula in ordinem pristinum restituuntur. Quod autem stante Imperio præcipua semper in veneratione toga fuerit, idem Spartianus in *Hadriano* testatur, dum pænulas numquam gestasse Imperatores prodit: *Nam illi*, inquit, *adhuc privato, cum tribunus esset, factum omen Imperii, & perpetuæ tribunitiæ potestatis, ex eo quod pænulas amisisset, quas tribuni plebis pluviæ tempore gestabant; Imperatores vero nunquam*. Il- E lud etiam οὐδὲ πάρεργον notaverim; sicut albus color olim in toga & tunica, saltem apud lautiores, solemnis erat, ita pullus vel niger in pænula. Quo pertinet sarcasmus ille Augusti Cæsaris populo Romano succensentis: qui (ut Suetonius refert) *visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, En, ait, Romanos rerum dominos, gentemque togatam*. Et certe colores ii nativi, sicut ad luxum ac lautitiam minus apti, ita ad pluviam & lutum arcendum opportuniores. Erat igitur pænula proprie habitus viato- F rius, quam idcirco Galba orator apud Quintilianum per jocum se dixit domi gestare. Nam cum ejus cœnaculum (id est, altior domus pars juxta tectum, quam Galli *granarium* vocant) perplueret, amico pænulam petenti, *Non possum*, inquit, *commodare: domi maneo*. Illud etiam per occasionem hujus vocabuli circa Gallorum veterem vestitum observasse videor, pænulam apud eos fuisse frequentem. Conjecturam hujus rei duco ex multis veterum cipporum iconismis, quamvis minus belle delineatis atque excusis, quos initio suæ historiæ Metensis Ecclesiæ Meurissius Episcopus Madau-

Madaurensis appofuit. Multæ enim in iis figuræ conspiciuntur pænula indutæ: quarum nonnullæ etiam capitium adjunctum habent: cujus mentionem fieri video apud Plinium, ubi pænularum capita (pro capitiis accipio) centunculo (herbæ id genus est) comparat: qua nota haud difficulter eorum formam agnoscere possumus; siquidem naturæ partus cum semper sui similes sint, certo satis indicio demonstrare possunt inventa hominum, quæ magnam tractu temporis suscipere solent varietatem. Ceterum quod Grammatici nonnulli, & glossæ quædam veteres tradunt, pænulæ fimbrias (hoc est, villosa quædam ornamenta in oræ ambitu (adfuisse, quoniam perpetuum non fuisse videtur (certe ea quam dixi statua non habet (obiter tantum dictum esto.

Verum, ut ad sacram speciem tandem deveniam (cujus gratia institutus est hic sermo) quo tempore in Missæ sacrificio adhiberi apud nostros pænula cœperit, in tanta rerum vetustarum caligine haud proclive dictu est. Illud constat, ejus usum antiquissimum esse, & a primis prope nascentis Ecclesiæ temporibus inceptum. Cur autem hoc potissimum vestimenti genere in sacrosanctis mysteriis usi sint veteres illi Christiani, quamquam arduum est assequi, quædam tamen πιθανῶς saltem afferri posse videntur. Primum enim suspicari licet, pænulam iis maxime placuisse, ut quam longissime a gentium ritibus abessent, quæ superstitiosis suis ceremoniis numquam eam adhibuisse videntur. Secundo, quod cum inter frequentes tyrannorum persecutiones propria & peculiaria rei divinæ vestium genera excogitari non facile potuerint, eam præ ceteris eligere voluerint, quæ tunc temporis inter civiles quidem, sed ordinarios habitus (ut excludam Imperatorios, & Magistratuum) & honestior & usitatior esset. Par enim fuit in re omnium gravissima & sanctissima, non vulgari plebejoque amictu, sed honesto ac decoro uti: quod cum in privata saltem oratione minus necessarium sit, minime reprehensi a Tertulliano forent, qui priusquam orarent, pænulam deponebant, si non tamquam superfluum pondus eam exuissent, sed (quod is potius judicabat) ut Gentiles imitarentur. Tertio suspicari possumus, habitum viatorium prælatum fuisse cæteris; ut ostenderent sacrosanctum hoc sacrificium a viatoribus fieri, & cælestis patriæ extorribus: ad quam illius maxime viatici ope corroborati pervenire tandem speramus. Quamobrem poetica quadam & philologica licentia vir ætatis nostræ doctissimus, sacrificium Propterviam indigitare illud ausus est. Fiebat autem a priscis Romanis sacrificium, quod *propter viam*, seu *propterviam* unica voce dicebant, Herculi (ut opinor) Viali. *Propter viam* (inquit Festus Pompejus) fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco: qui scilicet idem est Deus: in quo quidquid profanabatur, consumi necesse erat. Sed ne diutius ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν, ut Græci ajunt, exspatier, sicut singula vestimenta quæ rei divinæ adhibentur, significare creduntur unum ex iis quæ Jesus Christus Dominus noster in passionis suæ actu gestavit (quamquam ejusmodi mysteria posterius fere excogitari soleant, quam ea quæ iis denotantur inventa fuerint) ita sciendum est, sacram pænulam indicare nobis vestimentum illud purpureum, quo Christum Dominum ludibrii gratia impii milites cum corona spinea insigniverant. Germanus Patriarcha in libro *Theoriæ Ecclesiæ*: Τὸ δὲ, inquit, φελόνιον ἐμφαίνει τὴν ἀπὸ κοκκίνου πορφυρᾶν, ἣν περ τῷ Ἰησοῦ οἱ ἀσηβεῖς ἐμπαίζοντες ἐφόρησαν. *Pænula*

A *autem ostendit vestem purpuream seu coccineam, quam impii homines illudentes Jesu obtulerunt*. Quæ similitudo non perinde ad formam pertinet; longe enim diversa fuit a pænula chlamys (qua proprie, ut D. Matthæus tradidit, Christum Dominum induerunt) quam ad colorem: purpura siquidem, seu quovis alio rubro colore sacra pænula plerumque olim tingi consuevisse videtur. In Ecclesia certe Constantinopolitana toto jejunio Quadragesimæ, exceptis his diebus, Nuntiationis, Palmarum, & magni Sabbati, presbyteros & diaconos purpureas, sive rubras pænulas, & B tunicas (στιχάρια Græci vocant) gestare consuevisse, Codinus scribit. Porro celebris valde quæstio illa est, qualis pænula accipienda sit, cujus D. Paulus *Epistola* II. *ad Timotheum* meminit his verbis: Τὸν φαινόλην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. *Pænulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas*. D. Ambrosius & ex eo Haimo & Anselmus accipiunt pro veste senatoria, quam Paulo pater reliquerit. Et sane proditum est D. Pauli patrem, qui Giscali Palæstinæ oppido oriundus Tarsum migraverat, civitatem Ro- C manam adeptum fuisse: sed ut Senatorii Ordinis fuerit, nusquam legitur, nedum ut Consularis: quod Haimo, inscitia suorum temporum ductus, dicere non dubitavit: itemque Consules induere pænulam solitos, dum curiam ingrederentur. Alii quibus favere creditur Tertullianus loco supra laudato, qui est libri *de Oratione*, existimant vestem sacram fuisse. Verum si pro vestis sacræ specie accipiant, quæ in sacris usurparetur, sed etiam profanis usibus inserviret, facile credi potest, Apostolos pænulam in Missarum solemniis usurpasse: quod si intelligunt ve- D stimenti genus rei divinæ proprium, & ab aliis diversum, primum haud credibile est, in iis angustiis ac pressuris vacasse primis Christianis, peculiarem habitum ad rem divinam excogitare: deinde cum antiquior sacerdotum pænula ad amussim fere congruat cum ea quam Gentilium ætate in foro usurpabant, jam clarum manet, sacram vestem eo modo accipi non posse. Quod autem Tertullianum in testimonium advocant, ipso sane id faciunt invito; is enim locus ostendit vestem potius fuisse profanam: siquidem eam, oraturi vel precaturi Deum, deponere solebant. E Tertio putarunt nonnulli, in quibus eminentissimus Baronius, pænulam accipiendam esse pro Legis volumine, eo quod Syrus interpres vertit *Bet Ketobe*, id est, *thecam librorum*; cui Hesychius astipulari videtur; qui φαιλόνης interpretatur, εἰλητάριον μεμβράινον, ἢ γλωσσόκομον. Verum hæc sententia, ut parum probabilis, ab omnibus fere rejicitur. Quarto demum Joannes Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus Dial. III. *contra Pelagianos*, intellexerunt vulgarem & communem eam pænulam, quam adversus pluviam & frigus olim gestabant. Quæ F sententia proculdubio reliquis præferenda est: eoque sane probabilior videtur, quo magis apparet, Paulum pænulam reliquisse tamquam onus per id anni tempus supervacaneum; quod confirmatur ex eo quod sub finem Epistolæ scribit: *Festina ante hiemem venire*. Quod pertinet autem ad vocabulum, sciendum est, sacrum hoc indumentum a vetustioribus Græcis (de Christianis loquor) φαιλόνιον seu φελόνιον dici, a posterioribus φελόνιν, corruptius; quam vocem, etsi liquido apparet per transpositionem litterarum φαιλόνιον pro φαινόλιον ortam esse; doctissimus Salmasius tamen contra aliorum opinionem censet ab an-

tiquiore voce φελλόνης, quæ Cretenſibus (teſte Heſychio) tunicam ſignificabat, deduci. Quidquid ſit, miror ſane in pleriſque novi Teſtamenti Grçcis editionibus corruptum vocabulum φαιλόνιον pro φαινόλιον legi; cum minime credibile ſit, jam tum divi Pauli ætate ſinceram ejus pronuntiationem deſiiſſe. Ceterum apud Scriptores Eccleſiaſticos Eccleſiæ Latinæ (omnes videlicet ſemiantiquos) minus uſurpatum pænulæ vocabulum comperio; ſed partim caſulam, partim planetam vocitari. Prius apud Hiſpanos manſit, quibus *caſulla* eſt, imo apud Gallos, qui *chaſuble* corruptius vocant; poſterius apud noſtrates. Caſulam porro Rabanus Maurus dictam vult, quod ſicut caſa quædam, alia omnia tegit, ac complectitur. Planetam dici volunt, quod circum errans, totum corpus ambiat, quaſi παρὰ τὸ πλανᾶσθαι. Sed cum apud Latinos natum ſit hoc vocabulum, eoque tempore, quo Græcæ linguæ non erat adeo frequens uſus, crediderim potius ejus radices in Latio quærendas: quoniam ſic appellata fuerit, quod plana eſſet: hoc eſt, nullis vel paucis plicis corrugata, ad diſcrimen fortaſſe pænulæ veteris, quæ rugoſior fuit. Ceterum proavorum ætate, ejuſdem fere formæ apud noſtrates fuit ſacrum hoc veſtimentum, quam apud Græcos hodieque conſpicimus: rotundum videlicet, æquatoque im ambitum gyro; non autem in duas ſemirotundas plagas, anteriorem ac poſteriorem diviſum; quam in ſpeciem paulatim degeneravit, dum ſacrificaturi, onus illud brachiorum pertæſi, & commoditati magis quam decori ſtudentes, ſenſim ab utroque latere eam reſecant, donec cubito tenus pertingeret. Olim vero neceſſe fuit circa medium cubitum, ne brachia impedirentur, vel ut caſus tulerat, corrugari; vel certe ordine quodam plurifariam replicari. Et quidem ut Auctor ſemiantiquus oſtendit in Opere, quod *Gemma animæ* inſcribitur, in utroque brachio triplicabatur: quod cum fit, interios facies tegitur, exterior apparet: circa pectus & inter humeros duplicabatur; ita ut interior facies circa collum detegeretur. Quæ notitia ſatis liquido oſtendit, qua ratione hic habitus ſacrificanti aptaretur, quamdium primævam ſpeciem retinuit. Alia etiam differentia eſt inter utramque pænulam, Græcam videlicet & Latinam, quod in illa ab antiqua conſuetudine complures crebræque cruces depingi conſueverint; in noſtra vero unica tantum, eaque ampliori forma, ex latiori faſcia a ſummo ad imum pertigens, quam alia tranſverſim ſecat. Hanc Itali anteriori plagæ aſſuunt, Galli vero poſteriori: nec deeſt utrique conſuetudini ſua ratio & probabilis cauſa. Porro Conſtantinus Cabaſilas in *quæſtionibus Eccleſiaſticis* docet, ejuſmodi crucium picturam ἐν τῷ φελονίῳ ſolemnem & ordinariam eſſe, ſicut in ſtichario fluminum: quibus fortaſſe denotari voluerunt eos fluvios qui e terreſtri paradiſo effluebant. Ejuſmodi pænulas crucibus inſignes Balſamo *de Privilegiis Patriarcharum* τὰ διὰ πολυςαυρίων φαιλόνια appellat. Animadverſione etiam digna eſt ea pænulæ ſpecies, quæ capitium adjectum habet, in tabula III. cœmeterii Pontiani apud Boſium in *Roma ſubterranea*, ubi B. Vincentii imago eam geſtantis conſpicitur. Poſtremo hoc addam, ſicut pænulam primario ſignificaſſe oſtendi veſtimenti genus profanum; ita certe caſulæ & planetæ vocabulum, ſecundario denotaſſe videri habitum non ſacrum, ſed profanum, quod antiquæ pænulæ (niſi idem plane erant) ſimilis foret. Colligo id ex Concilio Ratisbonenſi, quod ſub Carlomanno coactum fuit; in quo ſtatutum eſt, ut presbyteri vel diaconi non ſagis, laicorum more, ſed caſulis uterentur, ritu ſervorum Dei. Item ex *Vita Gregorii Magni* apud Joannem Diaconum, ubi ſcriptum eſt, D. Gregorii patrem indumentum hoc geſtaſſe, planetam caſtanei coloris, & ſub ea dalmaticam: neque enim, quod ſciam, uſquam proditum legitur, Gordianum (ſic enim appellabatur) ullo tempore ſacræ militiæ fuiſſe aſcriptum. Atque hæc ſunt quæ in præſentia circa pænulam utramque ſacram & profanam, circumciſis pluribus, annotanda cenſui, reliquis in commodiorem locum ſepoſitis. Metui enim profecto, ne plurifariam tædio vos afficerem, dum hibernam hanc veſtem, per æſtivos hoſce calores non tam auribus quam humeris veſtris diutius ingererem; præſertim tam craſſo villo contextam, niſi eam, quantum fieri licuit, circumciderem; imitatus eos, quorum brachiis antiqua illa ponderoſior viſa eſt.

BARTOLI BARTHOLINI

CASP. F.

COMMENTARIUS

DE

PÆNULA.

ACCESSIT

CLARISSIMI VIRI

HENRICI ERNSTII

EJUSDEM ARGUMENTI

EPISTOLA.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI

FREDERICO III.

DANIÆ ET NORVEGIÆ

REGI CHRISTIANISSIMO

BARTOLUS BARTHOLINUS

PERPETUAM FELICITATEM.



LIBITINÆ discincta libertas, atque insecuta pestilentiæ, qua annum fere jam laboratum est, quies, sicut publicam urbi lætitiam reddit, ita me hactenus inter preces & suspiria viventem invitat, ut versis in gratulationem cunctorum animis, vota quoque mea addam, quibus salutem Regis mihi ac civibus gratularer. Cum enim sine aliquo ætatis aut sexus discrimine vis morbi non modo per vulgus late stragem daret, sed etiam in ipsa literarum capita, virosque superum cultu reverendos sævissime debaccharetur, literatis & orbi Statorem nostrum superi indulserunt, ut urbis salus atque tutela, rerum nostrarum columen grandeque decus ac præsidium post brevem absentiæ moram has sedes repeteret. Scilicet caussam nostram egerunt in cœlestium consilio collocati, qui accuratis adorantium precibus lætati & moti, productiora brevis ævi spatia Regi nostro clementissimo largiri voluerunt. Hoc unum tamen gravius ferre solent qui serio Rectores populorum rerumque dominos amant, quod bonos Principes æternos optare magis possint quam habere. Cæterum cum penes nos non sit de nostris annis aliquot tibi largiri, ut diu rebus humanis intersis votorum summa est, & votis damnari cupimus. Nam de salute & incolumitate tua solliciti sumus tam tua causa quam nostra. Nimirum cum eximiæ virtutes Justitia & Pietas inter alia Imperii insignia per successionem tibi traditæ sint, ita vitam instituis, ut omnia post religionem ponas. Ea certe insignior est ac notabilior, quod hac tempestate plerique mortalium nulla fere pietatis cura tangantur. Luxus quippe, improbitas, avaritia, ambitio, & si quod aliud nomen scelus invenit, pectora invasit. Priscæ virtutis vix ullum vestigium, cum nuda jam non placeat. Pietatem docemus, ut impune peccare liceat; & quicquid peccatur, quasi Dii scelerum custodiam agant, religione defenditur, cujus sanctissimo nomine tanquam larva abutuntur. Verum hæc impietatis monstra, Tu Rex Christianissime, severissimis legibus vitæque sanctitate ac moribus castissimis expugnasti. Itaque nulla re magis in admirationem rapimur, quam quod in tot occupationibus rerum, in administratione totius Imperii, non solum ad sacrarum literarum lectionem, verum ad umbraticas quoque curas divertere solitus es, ut cum iis contendere possis, qui totum vitæ tempus istis studiis impenderunt. Quo magis connivere in studiis nostris oportet, cum audimus Regem inter regnandi artes & dominationum arcana, inter tot opes & obsequia Fortunæ, non modo amare bonam men-

tem, ſed iis ingenii dotibus abundare, quæ jam ab ignavo ſeculo non niſi ut inopiæ ſubſidia infimæque ſortis ornamenta quæruntur. Itaque literarum amatores foves princeps ipſe literatorum, quorum etiam ingenia præmiis excitas, ut cum alii de literarum litetatorumque infelicitate ac triſtiſſimo fato ſcribant, tua liberalitas Muſarum cultores ab inopia defendat, præſtetque, ne de Fortunæ acerbitate quiſquam queri poſſit. Audet jam aliquid Apollo ſperare, & ad Majeſtatis tuæ aram confugit,ut favente te,ſi non abundantes opes ac gloriam,ſaltem ſecuritatem adverſus eos,qui bellis pluſquam civilibus Muſarum pacem inquietare volunt, conſequatur, Et totus Aonidum chorus orbi facturus invidiam factum ſuum ſolabitur, quod nunquam eum deſprexeris. Quis enim ſtudia alacrius producit ac fovet? Quis hac ætate benignius ac magnificentius Muſas hoſpitio excipit? Quis propenſiorem in literarum cultores favorem explicat? Id certe unum inter maxima humanitatis documenta numeramus, quod non habita Majeſtatis ratione ad Profeſſorum ſubſellia divertere ſæpius volueris, quos præſentia tua illoque venerabili ore non modo in publico eruditorum conventu beaſti, verum ut impenſius foveres, adytis tuis propius admoviſti. Genium tuum iratum habeam, niſi in Te uno ſpes ſuas doctorum cohors collocavit. Verum tua, Rex Sereniſſime, in publicam ac litterariam rem merita per memores faſtos præclara ingenia in ævum ſacrabunt. Ego, quem ſerena fronte ſæpius excepiſti, Muſæoque tuo venerandæ antiquitatis ſacrario, præfeciſti, quamquam recens meritum in tui admirationem cultumque rapiat, nihil tamen difficilius experior, quam quod magnitudinem beneficiorum paribus verbis exprimere non poſſim. Quoniam autem obſequium & obſervantiam aliter deferre non licuit, hunc tenuis ingenii conatum, de Veterum videlicet Pænula, Auguſto nomini tuo inſcribere volui, nullus dubitans, quin votorum meorum exile monumentum placido vultu excepturus ſis.

Quod ſi vexatam pluviis veſtem inter palmatas ac trabeatas non faſtidiveris admittere, inuſitatum decus ei accedet, meoſque recte collocatos labores credam, quos meque Majeſtati tuæ æternum addico

AMICE LECTOR.



AGNO verborum apparatu non morabor tempora tua melius gravioribus rebus vacatura. Antiquitatis cognitionem tibi commendo, quam indocti fastidiose contemnunt, communi eruditione imbuti, inter supervacuas curas numerant. Illorum studium est ingenia delere, operis nostri alere & enutrire. Quæ a Veteribus tradita, risumque potius quam laudem merentur, ea nec commendare nec nimia curiositate scrutari, in animo est. Criticis veteribus suas nugas relinquimus, eorumque tristes ineptias, magnum *cum D. Augustino* curiosis tormentum *interpretamur. Equidem mirari soleo, quomodo præclara ingenia impetrare a se potuerunt, ut relictis necessariis & insuper habitis utilibus, minus necessariis se obruerent; quarum illecebris capti, ridicula prorsus & Abderitica diligentia posteris testari voluerunt, quam diligenter otium suum luserint. Non hæc est perita illa Antiquitas, cujus ope & præsidio nos ab ignorantia vindicamus. Equidem sic sentio, nec sacros commentarios, nec Romanam Græcamve historiam ab eo posse accurate explicari, qui hujus studii gloriam non fovet. Verum hac de re operose disserere, supervacui est laboris, cum unusquisque ejus necessitatem & utilitatem vel sponte sua satis agnoscat: Abunde quoque hoc labore defuncti sunt eruditi Viri, quorum libros non sine invidia legimus. Sed utinam omnem Antiquitatem illustrassent, omniaque ingenii sui monumenta scriptis reliquissent, præclare de studiis nostris ageretur, & consuluissent labori meo. Magna illa literarum columina puto, Casaubonum & Salmasium, qui si fidem suam aliquando liberassent, prolixos de Re Vestiaria commentarios haberemus, quos jam non sine gemitu desideramus. Vicit interea omnium conatus Vir seculorum memoria dignus, qui exornat ætatis nostræ gloriam, Octavius Ferrarius; quo, vere dixerim, nemo felicius & copiosius Romani cultus monumenta explicuit; cujus fidem omnibus faciunt libri ab ipso de hoc argumento relicti; ut opus non habeamus aut Bayfium, aut sparsim viris doctissimis explicata legere. Verum dum ille altioribus curis distringitur, inque pallio exponendo & toga, Togatorum doctissimus, occupatur; quæ de Penula omisit, supplevi ego, plurima adjeci ab aliis aut neglecta, aut non observata, non omnium sententiam, amicitia tamen salva, probavi. Neque enim inter eos sum, qui se cujusquam sectæ, velut quadam superstitione imbuti, addixerunt. Cum unicuique, ubicunque ingenio erit locus, quid sentire velit, liberum sit. Ceterum meam de hoc argumento sententiam facile intelliges, Amice Lector, si inter seriarum rerum curas, hujus libelli lectioni paulum tempus impendere haud gravaberis. Quod si laborem hunc meum in aliquo pretio abs te habitum iri intellexero, plebejaq; judicia facile contemnam, neque aliud laboris præmium petam. Interim vale tui & nostri memor.*

IN DISSERTATIONEM
DE PENULA
CLARISSIMI VIRI
Dn. BARTOLI BARTHOLINI
Eloq. P. P. & Antiquarii Regii, Fratris sui antiquissimi.

PENULA decedens tacitosque aboleta per annos
Destituit viduas dilacerata togas.
Scortea purpureas peperit per compita vestes,
Nataque luxuriæ sunt tegumenta novæ.
Vindice Te pluvios terret jam penula nimbos,
Et dudum algentes protegit illa togas.
Penula restituit veterum compendia; tecum
Sic redeant longo quæ periere die.

TH. BARTHOLINUS,
Med. D. & Prof. P.

VIRO AMPLISSIMO
BARTOLO BARTHOLINO,
In Acad. Hafn. Prof. Regio, suum DE PENULA *scriptum edenti.*

SIc fluxere sinus; sic colla humerosque premebat,
Mordebatque imos scortea longa pedes;
Penula sic rigidos ambibat prisca lacertos,
Et pluvium arcebat fulmineumque Jovem,
Externum nil Roma videt. Se spectat in illis
Materiemque operis eloquiumque sui.
Gratia sit BARTHLINE tibi, quo vindice jam nunc
Oenotriæ poterunt abdita prisca legi.
Qui post excussi sinuosa volumina Juris,
Erutaque in titulis quæ latuere suis;
Eloquium, fandique decus, Suadæque lepores,
Sive tuos Latium, Græcia sive tuos;
Nunc tandem Ausoniæ pandens secreta senectæ
Immortale tibi conficis author opus,
Disjectosque diu melioris originis annos,
Et Romæ reparas deficientis opes.
Hæc pridem ignavi tantum pro! nominis umbra,
Occubat, & cineres vix tegit alta suos,
Heus ubi sunt tua magne pater Tiberine fluenta,
Illaque sidereis digna theatra locis?
Campus ubi, fascesque,arcusque,& ab hoste fugato
Victrici toties fixa trophæa manu?
Et Capitolini penetralia celsa tonantis?
Obruit immensus nomina tanta cinis.
Concidit urbis honos, parsque exiguissima restat,
Inqua nova tegitur Roma sepulta vetus;
Rudera sola manent, miserandaque restat imago,
Et reliquum est, præter nomen inane, nihil.
Urbs æterna tamen gaude: rediviva resurgis
Et tumulis crescis celsior ipsa tuis,
Nobiliora novis adolescunt secula fastis,
Et pretium famæ non morientis habent,
Ecce iterum mores, ritus, Sacra publica, leges,
Rostraque, & augustum cum Cicerone forum:
Doctorum hæc passim pia cura resuscitat orbi,
Et partem tanti muneris Arctos habet.
Condere magnum erat e nihilo tua mœnia: plus est,
Exstinctam te iterum restituisse tibi.

VIVUS BERING.

INDEX CAPITUM.

BARTOLUS

BARTOLUS BARTOLINUS

CASP. F.

DE PÆNULA.

CAP. I.

In ſcribenda voce φαινόλης variant auctores. φαινόλης origine Græca vox eſt. Ejus ſignificatio.



RÆCORUM φαινόλην Latini pænulam interpretantur. Et quamquam in ſcribendo hoc vocabulo neque Grammaticorum filiis, nec librariis conveniat: eadem eſt tamen φαινόλης, φενόλης, φελόνης, φαιλώνης ſignificatio. De literarum ordine, diphthongis & vocalibus litigent, dummodo veſtimenti genus eſſe omnes uno ore affirment. In Etymologico Magno φαινόλης ſcribitur: φαινόλης, χιτών. οἱ δὲ παλαιοὶ, ἐφεςρίδα, ὡς τὸ, τὴν φαινόλαν ἀποδύσασθαι, τυτέςι τὸ ἱμάτιον. Tranſpoſitis poſtea elementis φελόνης ibid. legitur: φελόνης, εἰλητὸν τομάριον, μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον, ἢ χιτώνιον. Nec aliter fere Suidas: Φαινόλης, χιτωνίσκος. οἱ δὲ παλαιοὶ, ἐφεςρίδα. Idem φενόλην, ῥωμαικὴν ςολὴν appellat. Literarumque immutatione φαιλώνης: φαιλώνης, εἰλητὸν τομάριον, μεμβραϊνον, ἢ γλωσσόκομον, ἢ χιτώνιον. Fuit cum exiſtimarem diverſas eſſe φαινόλην & φαιλόνην voces: Illam videlicet, veſtem; hanc, involucrum membranaceum. Fundus mihi ſubſcriptorque ejus ſententiæ videbatur Heſychius, qui φαιλόνην, εἰλητάριον μεμβραϊνον, ἢ γλωσσόκομον interpretatur. Nam quod in Etymologico Magno & Suida vox χιτώννον adjecta eſſet, in oſcitantes librarios hanc culpam transferebam, qui ſuo ingenio abundare viſi ſunt. Poſtea ſententia mutata φαινόλην ad originem ſuam retuli, quam παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον dici Etymologici Magni Auctor affirmat. Φελόνην item a φελλόνης, quam Cretenſium eſſe vocem Heſychius docet. Ἀμφινώτυς χιτῶνας, ἢ φελλόνας. Κρῆτες φελλόνην λέγυσιν. Ex quibus manifeſtum fit inter φελόνην & φενόλην, Salmaſio judice, nullum eſſe diſcrimen, fallique Meurſium, Bezam, Donium, viros doctiſſimos, qui metatheſin eſſe literarum ajunt. Nec minus peccant qui Romano fonte cadere dicunt, cum origine Græcam eſse, argumento eſt, quod παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον, dicatur. Ejus quoque, citante Euripidis Scholiaſte in *Oreſte*, mentio apud Sapphonem exſtet:

> Εσπερε πάντα φέρων ὅσα φαινολὶς ἐσκέδασ' αὔως.

Eſt etiam Rhinthonis apud Pollucem locus: Καὶ αὐτὸς ἢ ὁ φαινόλης ἐςὶν ἐν Ρίνθωνος Ιφιγενεία τῇ ἐν Ταύροις, ἐχύσῃ ραινόλαν. Quod ſi quis eam Latio infercire velit, riſumque eruditis movere, cum Gloſsæ autore in l. 23. ff. *de auro & argento legato*. *pænulam* dicat *quaſi pene nullam*.

Etiam de genere controverſia eſset, niſi hanc litem idem Salmaſius expediviſset, cujus copioſſiſimo ingenio, ut quamplurima, ita & hoc debemus, quod in Etymologico Magno, τὴν φαινόλαν ἀποδύσασθαι: apud Heſychium & Pollucem, ἔχουσα καινόν φαινόλαν, non ut antea ſatis corrupte, τὴν φαινόλαν & καινὰν φαινόλαν, legamus.

A Quid vero verba ſibi Suidæ velint, φαινόλης, ὁ ἀπατεών, ingenue fateor me ignorare. Citat eadem verba Gloſſarium manu exaratum Bibliothecæ Thomæ Bartholini fratris chariſſimi.

CAP. II.

Origo Pænulæ.

HABET hoc conditio mortalium, ut origines, proximaque originibus minus habeant perfectionis. Intervallo nimirum opus eſt, ut ad maturitatem perveniatur. Ipſa Roma documen-B to erit, quæ ab initio omnibus fere rebus indiguit. Hinc a Sabinis uxores petitæ: Apparitores, lictores, ſella curulis, toga prætexta, ludiones, ab Etruſcis finitimis: Ab Athenienſibus aliiſque Græciæ civitatibus leges: A Spartanis pænula; cujus inventores primos in *Apolog.* dicit Tertullianus; *Video, inquit, & theatra, nec ſingula ſatis eſſe, nec nuda. Nam ne vel hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonii pænulam ludis excogitaverunt.* Theatra enim quia tectis carebant, ut non ſine moleſtia ludis intereſſe ſpectatores poſsent, tempore præſertim hyberno: Lacedæmonii ut & voluptatibus indulgerent, & arcendo frigori pares C eſsent, pænulam invenere primi. Horum poſtea Romani morem ſunt ſecuti. Suetonius in *Galba*: *A Cajo Cæſare Gætulico ſubſtitutus, poſtridie quam ad legiones venit, ſolenni forte ſpectaculo plaudentes inhibuit, data teſſera ut manus pænulis continerent.* Æl. Lampridius in *Commodo Antonino*: *Ipſe autem prodigium non leve ſibi fecit. Nam quum in gladiatoris occiſi vulnus manum miſiſſet, ad caput ſibi deterſit: & contra conſuetudinem, pænulatos juſſit ſpectatores; (vel ut alii legunt, ſenatores) non togatos, ad munus convenire, quod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidens.* A Græcis itaque D ut nomen ita & uſum pænulæ habuerunt Romani.

CAP. III.

De Pænulæ materia. Seneca correctus.

NEC ab inſtituto noſtro alienum fuerit pænulæ materiam noviſse, quæ lana erat. Et Apulam quidem in pænularum textura cæteris præfert Plinius libr. VIII. *Apulæ lanæ breves villo, nec niſi pænulis celebres. Circa Tarentum Canuſiumque ſummam nobilitatem habent.* Plinianæ ſen-E tentiæ Martialis accedit, qui, quo ordine æſtimari debeant lanæ libr. XIV. accurate exponit:

> *Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis*
> *Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.*

Nec lanis & velleribus contenta pænula fuit, etiam corium ſollicitatum eſt. Varro *de LL.* libr. VI. *Scortea ea quæ ex corio & pellibus ſunt facta.* Et pænulas ſcorteas fuiſse ex Martiali diſcimus libr. XIV. epigr. *Pænula Scortea:*

> *Ingrediare viam cœlo licet uſque ſereno,*
> *Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.*

Ejuſdemque apud Varronem Scorteæ in Manio mentio fit: *Cum corrigias diſruptas tenet, pænula*

reliquum pedem scortea pertegere. Pænulas tamen a scorteis vulgati Senecæ Codices distinguunt. Locus est *Natural. Quæst.* libr. IV. *Hi cum*, inquit, *signum dedissent adesse jam grandinem, quid exspectas? ut homines ad pænulas discurrerent, aut scorteas*. *Scorta* aut *scortea* male quidam legunt, quia *pellem non solum antiqui dicebant scortum, sed etiamnum dicimus scortea, ea quæ ex corio & pellibus sunt facta*, ut Varro auctor est libr. VI. *de L. L.* Neque vulgata lectio, *aut scorteas*, satis proba. Quoniam igitur locus male affectus videtur, ejus curationem tentabo. Supervacua est quippe vox *aut*, incuria librarii aut adscripta, aut ex ultimis præcedentis verbi literis, *ent* nimirum, repetita, ex quibus levi mutatione *aut* natum. Scribendum itaque, si verum divinat mens, *ut homines ad pænulas discurrerent scorteas*. *Pænulas scorteas* conjungit Lemmate antea citato Martialis, ut & Fragmentum illud Varronis apud Nonium Marcellum. Et studio deditaque opera Seneca, ne unica illa voce *pænulæ*, suspensum Lectorem redderet, de itinerariis pænulis locuturus ad arcendam pluviam factis, *pænularum scortearum* mentionem facit. Quæ enim in urbe hyemis tempore pellendoque frigori adhibitæ, eas *Gausapinas* vocat Martialis libr. VI.

Et dolet, & queritur sibi non contigere frigus,
Propter sexcentas Baccara gausapinas.
Optat & obscuras luces, ventosque nivesque,
Odit & hibernos, si tepuere, dies.

Ingentem pænularum vim Baccara habuerat, quarum tamen usu ob serenum tempus abstinere cogebatur. Dolet eo nomine quod vestes ex præstantissimis lanis contra frigus, aliasque cœli injurias contextas intra ædium suarum claustra servare cogeretur. Ex crassiori autem lana constabant hæ pænulæ. Martialis libr. XIV. epigrammate, *Pænula Gausapina:*


Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Ut me vel media sumere messe velis.

Hinc ponderosiores & magis onerosæ; ut, quod Tertullianus *de Corona* dicat, *ibidem gravissimas pænulas posuit, revelari auspicatus*, non sit de nihilo.

CAP. IV.

De Pænulæ forma. Casauboni & Bulengeri opinio rejecta. An pænula cingeretur, aut fibulis necteretur?

HAUD parum ad rem nostram facit, formam pænulæ novisse, cujus picturam hactenus nemo, quod sciam, tradidit. Credo quia in tanta statuarum antiquarum penuria, nemo, de quibus dubitavit, affirmare sustinuit. Non defuere tamen virorum magnorum conatus, qui certi aliquid hac de re definivere, in quibus Casaubonus & Bulengerus, par Eruditorum nobile, nomina profitentur sua. Vestem haud alioqui laxam, ad majores redigere conati sunt angustias, ut partium corporis, quas tegit, figuram exprimeret. Interim patronis suis pænula non caruit, quæ multis fuit præsidio. Johannes Baptista Donius erudita *de Pænula Dissertatione* edita, tam astrictam fuisse, ut illi volunt, negat. Rationes ex Artemidoro cum illis contra ipsos petit lib. II. Verba sunt Artemidori. Χλαμὺς δὲ, ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βηρίον καλοῦσι, θλίψιν καὶ στενοχωρίαν, καὶ τοῖς δικαζομένοις καταδίκην σημαίνει, διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα: τὸ δὲ αὐτὸ καὶ λεγόμενος φαινόλης; καὶ εἴ τι ἄλλο τούτοις ὅμοιον εἴη. Ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα non est membra presse exprimere, ut illi volunt, sed corpus involvere. Nec quia in somniis θλίψιν & στενοχωρίαν vestes significabant, ideo tam angusta erat pænula, ut membrorum vestigia per vestem exprimeret. Melius Etymologici Magni Auctor disputat: Τὸν φαινόλαν ἀποδύσασθαι, τουτέστι τὸ ἱμάτιον, παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον. Et certe aliud est τὸ σῶμα, aliud τὸ ἱμάτιον φαίνεσθαι ὅλον, quod eo nomine φαίνεται, quia nullum in hoc amictu sinus aut contabulationis, ut in toga, laxissimo vestimento, vestigium apparet. Hinc Auctor *Dialogi de causis corruptæ Eloquentiæ*. *Parvum*, inquit, *& ridiculum fortasse videtur, quod dicturus sum: Dicam tamen, vel ideo ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas, quibus astricti & velut inclusi cum judicibus fabulamur?* Et quanquam pænula temporum conditione mutata sit; quantum tamen ex antiquis statuis conjicere licet, vestis est fere rotunda, quæ, si caput, jugulum mediaque crura quibus terminatur excipiamus, totum hominem operit. Strictior est ejus ora quæ collum ambit, tam laxe tamen patens, ut caput exeri possit, operiri aut involvi. Unde Pomponius in Penicea: *Pænulam in caput induce, ne te noscat*. Non in ea sunt quæ appellantur μανίκια seu manicæ, ut Simeon Thessalonicensis inquit. Non pectus patet: Manus & brachia veste continentur, quæ aliter expediri non possunt, nisi aut per scissuram exerantur, aut hinc inde extremis oris subjiciantur, ita ut pænula in rugas & plicas contrahatur; Pars ventrem spectans, aperta est, alioquin vestimentum clausum & rotundum esset. Hujus formam adjecta pictura uberius explicabit.




A Quod vero pænulas cinctas fuisse Vir Magnus affirmet ex Gellio, *Pigitum est cinctos saltem esse & pænulatos.* Et Petronio Arbitro; *Ultimo cinædus supervenit myrtea subornatus gausapina, cinguloque succinctus*: Quamquam auctoritas ipsius pro ratione mihi sufficiat, huic tamen opinioni accedere non possum. Conjectura ex Quintil. petitur lib. XI. *Orat. Instit. Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur, posterior eadem portione altius quam cinctura.* Ubi cincturam non togam, sed tunicam cinctam significari certum est. Pænulati igitur cincti sunt, sed ratione tunicæ, quod etiam ex constitutione Gratiani, Valentiniani & Theodos. l. 1.
B Cod. Theodos. *de hab. quo uti oport. intr. urb.* liquet: *Officiales quoque per quos statuta complentur, ac necessaria peraguntur, uti quidem pænulis jubemus, interiorem vestem admodum cingulis observari.* Interior vestis, tunica est, quæ cingi debet. Seneca *de brevitate vitæ*: *Quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingunt. Pænula* autem *est vestis, quam supra tunicam accipimus*, ut Nonius Marcellus docet.

Pænulas quoque fibulis necti solitas doctissimus Octavius Ferrarius ait, in suo *de Re Vestiaria commentario*. Verum cum nullus in eis fibularum sit usus, neque in statuis nostris earum vestigium ap-
C pareat, idem fateri non possum. Nisi eandem rem pænulam cum lacerna facere velit, quæ fibulis jungebatur, ut vult P. Faber libr. I. *Semestrium*, emendatione sua in libr. XIV. Ammiani Marcellini. Qua de re V. Cl. Joan. Rhodius in erudito suo *de Acia* opere.

Tunicæ cinctæ imaginem heic habes Lector.

D



E

Erat & alia pænula, capitio adjecto, de qua Plinius lib. XXIV. ubi pænularum capitibus centunculum comparat: *Itali*, inquit, *centunculum vocant, rostratis foliis, ad similitudinem capitis pænularum jacentem in arvis.* Eandemque formam Vitruvius lib. X. expressit: *Supra catinum pænula, ut infundibulum inversum, est attemperata, quæ etiam per fibulam cum cuneo trajecto continetur & coagmentatur, ne vis inflationis aquæ eam cogat elevare.* Atque de hac intelligendus est Martialis libr. XIV. Epigr. cui titulus, *Bardocucullus*.



Quod si alicui quæ jam dicta sunt haud suffecerint, pænulatorum imagines oculis subjiciat. Has autem Nobilissimus Eques Cassianus a Puteo e Cimeliis suis Roma transmisit. Quo illi nomine plurimum debemus. Hic enim ut nihil de solito in nos amore remittit, ita in eam incumbit curam
F ut Reipubl. literariæ prosit.

CAP. V.

Color Pænulæ.

A LANARUM varietate vestibus quoque colores fluxere, quorum plura genera Plin. recenset. *Hispania*, inquit, *nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes, Cani: Asia rutili, quas Erythræas vocant: Canusium fulvi: & Tarentum suæ pulliginis.* Lanas autem Canusinas & Tarentinas ad pænularum commendationem facere idem Plinius ostendit lib. VIII. Et nihil si-

gnificationis, pænulæ an Canusinæ voce utamur, interest. Canusinatos quippe servos, pænulis hujus coloris indutos auctores vocant. Athenæus *Deipnosoph.* lib. III. *ἄχρηστον φαιόλην καλὸν κανυσινὸν* vocat. Et Martialis libr. XIV. epig. *Canusinæ Russæ*:

Roma magis fuscis vestitur, Gallia russis,
Et placet hic pueris militibusque color.

Quem alibi colorem explicaturus, turbato mulso comparat epigr. CXXVII. ejusd. libri:

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit. gaude: non cito fiet anus.

Pænulam hanc ex Appula lana confectam turbati mulsi colorem ait imitari, ex quo etiam commendatio petitur. Ita enim recens fere semper videbitur, frequentique usu numquam sordida aut obsoleta: Secus se res habet in illa cui candor inest, cujus hæc est conditio, ut usu continuo splendorem amittat. Mulsum autem turbatum subnigro est colore. Hinc fuscus pænulæ color. Magnus Emessenus jatrosophista *περὶ οὔρων*: *καὶ κυανοῦν ὁποῖον τὸ τῶν ἰκτερικῶν, καὶ φαιὸν ὁποῖον ὁ καλούμενος φελόνης.* Et ab hoc colore pænulam castaneam dixere. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus Epist. ad Romanum Pontificem: *Mittimus tunicam candidam, & pænulam castaneam inconsutilem*, &c.

Obsoleti coloris meminit in *Nerone* Suetonius: *Erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit.* Obsoletam pænulam sordidam vocat Martialis lib. I.

Sordidior multo post hoc toga, penula pejor:
Calceus est sarta terque quaterque cute.

Alium vestis hujus colorem apud Lampridium in *Diadumeni vita* invenimus, russeum nempe. *Paraverat*, inquit, *fane penulas populo coloris rosei dare Macrinus Imperator in honorem Antonini filii sui, quæ vocarentur Antoninianæ, ut Caracallæ Bassiani dictæ sunt, asserens melius filium suum* Penuleum *vel* Penularium *dicendum, quam Caracallus esset dictus Bassianus.* Quamquam pænulas hic Lampridius pro lacernis reddiderit; quod scriptoribus esse frequens, magnum illud seculi & orbis nostri decus Cl. Salmasius non semel docuit.

Ex his manifestum fit, errare Th. Farnabium, qui divitum pænulas purpureas fuisse, pauperum & tenuiorum pullas, suspicatur. Nam pullis nullus nisi in funeribus usus: Nec purpureas fuisse, scriptoribus notatum est. Scio idem sentire magnum illum Lipsium *Elect.* lib. I. Sed nihil persuadet.

CAP. VI.

Usus Penulæ in prophanis & sacris. Etiam cognomen Pænula.

PÆNULÆ usum nemo adhuc in dubium vocavit. Nec quemquam tam exhausti pudoris esse crediderim, ut neglecta antiquitate, quæ nobis in hisce rebus præit, suo abundare velit ingenio. Ante Ciceronis quippe tempora ejusque ætate pænulis in itinere & ad arcendam pluviam utebantur. Lucillius:

Pænula, si quæris, canterius, servus, segestre
Utilior mihi quam sapiens.

Varro virgula divina:

Non quærenda est homini, qui habet virtutem, pænula in imbri.

A Qui locus doctissimi Lazii sententiæ refragatur. Hic enim in *Republ. Rom. Commentariis*, ex scriptoribus classicis Quintilianum ait fuisse primum, qui pænulas pluviæ præsertim tempore usurpatas, dixerit. Horat. lib. I. Epist. XI.

Incolumi Rhodos & Mitylene pulcra facit, quod
Pænula solstitio.

Cicero *ad Attic.* XIII. Epist. XXXIII. *De Varrone loquebamur; lupus in fabula, venit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus esset. Sed ego ita egi, ut non scinderem pænulam. Memini enim*
B *tui, & multi erant, nosque imparati. Quid refert? paulo post C. Capito cum T. Carrinate. Horum ego vix attigi pænulam; tamen remanserunt.* Et Orat. *pro P. Sextio*: *Mulionicam pænulam arripuit, cum qua primum Romam ad comitia venerat. messoria se corbe contexit.* Et quemadmodum pænula hominem ab imbrium frigorisque injuria tutum præstabat; ita libertati debebatur, quod in tergum nullum verberibus esset jus, quod more suo Plautus festive dixit in *Mostellaria* Act. IV. Sc. II.

Libertas pænula est tergo tuo.

C Post Tullii ætatem idem pænulæ mansit usus. Quintil. *Instit. Orat.* VI. *Galba pænulam roganti, Non possum commodare, domi maneo. cum cœnaculum ejus perplueret.* Idem: *Galba pænulam roganti respondit, Non pluit, non est opus tibi: si pluit, ipse utar.* Etiam de pænulis itinerariis Sen. Epist. LXXXVII. *Culcita in terra jacet, ego in culcita. Ex duabus pænulis, altera stragulum, altera opertorium facta est.* Juvenalis Sat. V.

Fremeret sæva cum grandine vernus
Juppiter, & multo stillaret pænula nimbo.

Martialis:

Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

D Antiquissimis igitur temporibus pænula nonnisi itineris vestimentum, ut a pluvia & grandine tuti essent.

Erant etiam in Funeribus pænulati. Æl. Lampridius in *Commodo*: *Et contra consuetudinem, pænulatos jussit spectatores* (vel, ut alii legunt, *Senatores*) *non togatos, ad munus convenire, quod funeribus solebat, ipse in pullis vestimentis præsidens.* Inscriptio Romæ:

C. VIUS. PATER. NATUS. MISER.
DESIDERIO. NATÆ. DIEM. ET.
NOCTEM. CUM. LACRIMIS. TRA-
E XIT. VITAM. MALAM. MORTUUM.
ME. QVOQVE. FVNERARI. JUSSI.
REBUS. LUGUBRIS. QVIBUS. VI-
VOS. PARAVI. LECTO. STRAGU-
LIS. FORENSIS. PÆNULA. NI-
GRIS. OMNIBUS. OSSA. MEA. IN.
ARAM. MIXTA. CUM. FILIÆ. U-
NA. REQUIESCUNT.

Fuisse quoque inter sacras vestes Pænulam auctor est Codinus *de Officiis Constantinop.* Ὁ *ἀρχιδιάκονος φορῶν μὲν τὸ σύνηθες αὐτῷ στιχάριον, φορῶν δὲ ἐπ' αὐτοῦ καὶ φελώνην.* Ut vera non videatur
F opinio, jam doctis explosa, Gretseri, qui pænulam sacris abjudicat. Sane Moschopulus *vestem sacerdotalem* appellat. *φελόνης*. inquit, *ἱερατικὸν ἔνδυμα.* Et Suidas; *Χιτῶνα ἱερατικόν.* Recte igitur Germanus in *Liturgicis*, Philotheus *de Sacris officiis*, Constantinus Cabasilas in *Quæst. Ecclesiasticis*, & alii, vestem hanc sacris adscribunt. Quorum Bulengerus sententiam tuetur. Cavendum tamen ne cum Planeta sive Casula confundatur pænula. Nam quod in tab III. Cœmeterii Pont.

apud Bosium in *Roma subterranea* B. Vicentius, ex Donii sententia, pænula indutus adjecto capitio conspiciatur, accuratius scrutantibus non pænula, sed planeta videbitur. Quarum tamen vestium, quod sit discrimen, Octavius Ferrarius vir omni laude major, jam antea docuit.

Et hæc quidem de Christianis accipienda. Pœnulam enim extra sacra potius quam in sacris adhibuisse idolorum cultores, gravissimo Tertulliani testimonio liquet: *Ut est quorundam*, inquit, *expositis pænulis orationem facere: sic enim adeunt ad idola Nationes. Quod utique si fieri oporteret, Apostoli qui de habitu orandi docent, comprehendissent, nisi si qui putant Paulum pænulam suam in oratione penes Corpum reliquisse. Deus scilicet non audiat pænulatos, qui tres sanctos in fornace Babylonii Regis orantes cum sarabaris & tiaris suis exaudivit?*

Porro quærere curiosior aliquis posset, qua materia pænula in sacrorum cultu a prophana illa distingueretur. Dicam quod sentio, nullum in ea discrimen. Scorteas tamen in sacris adhibitas vix crediderim, quod satis ostendit Varro lib. VI. *de L. L. Scortea ea quæ ex corio & pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus, Ne quid scorteum adhibeatur, ne morticinium quid adsit.* Ovidius *Fast.* I.

Scortea non illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos.

In congiariis pænulæ usum fuisse Æl. Lampridius in *Diadumeno* auctor est: *Paraverat sane pænulas populo coloris rosei dare Macrinus Imperator in honorem Antonini filii sui*, &c. Et inter dona Claudio missa pænulam numerat Trebellius Pollio in *ejus vita: Zanchas de nostris Parthicas paria tria. Sangiliones Dalmatenses X. Chlamydem Dardanicam mantuelem unam. Pænulam Illyricianam unam.*

Quin imo ipsis Diis eam voverunt. Inscriptio vetus:

IN. H. D. D.
M. M. SEJUS
FORTUNATUS
IIIII VIR AUG.
NEGOTIATOR
ARTICRETA
PÆN. PÆNUL.
OMNII. PEN.
DEO VO. FECIT
DEXTRO COS.

Transiit aliquando in cognomentum. Centurionis enim cujusdam meminit Patavinus scriptor lib. V. Decad. III. *M. Centenius fuit cognomine Pænula.* An vero hujus vestis usum primus invenerit, incertum est. Hoc certum, M. Popilium Lænam ob inventum lænæ usum sic cognominatum.

CAP. VII.

Ὁμωνυμία *Pænulæ. Pauli locus expenditur*, II. Tim. IV. v. 13.

NON male Nonius Marcellus, *pænulam abusive omne quicquid tegit, nobilissimi Veteres transtulerunt.* Erit igitur & charta, si quis ea, ut aliquid tegat, utatur, pænula. Martialis epigr. I. lib. XIII.

Ne toga cordylis & pænula desit olivis,
Aut inopem metuat sordida blatta famem.

Quem tunicis usum idem Martialis adscribit lib. IV. epigr. LXXXVII.

A *Nec scombris tunicas dabis molestas.*

Et lignum quod libros tegit, pænula erit. Martialis lib. XIV. Lemmate, *Manuale:*

Ne toga barbatos faciat, vel pænula libros;
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Alias vocis hujus significationes capite primo exposui, heic non repetendas, ne Lectoris otio abutar.

Hæc certe Ὁμωνυμία optimos viros haud parum exercuit, qui *in* II. *Epist. ad Timoth.* commentati sunt. Locus est cap. IV. v. 13. Τὸν φαιλόλω, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ Βιβλία, μάλιςα τὰς μεμβράνας.
B Theophylactus, Chrysostomus & alii, φαιλόνλω pallium interpretantur. Tertullianus *de Corona*, vestem: *Plus*, inquit, *est quod & Christus vestietur: habebit etiam pænulam Paulus.* Primasius, vestem consularem: *Penula vestis erat consularis antiquorum Romanorum.* Pro eadem veste consulari Ambrosius & Haymo disputant. Hieronymus volumen Hebræum Pentateuchi reddit. Nonnulli arculam librorum ex Syro Interprete. Atque hæc est Baronii sententia; quem tamen hac re falsum esse, dixerunt etiam qui purpuram viri venerantur.

In hoc sententiarum divortio nequicquam erra-
C bit qui Apostoli verba diligentius expenderit. Etenim Paulus æstate iter facturus, vestimentum quod præcipue pluviæ causa sumebatur, penulam videlicet, ne esset oneri, Troade reliquerat apud Carpum, quam iterum, instante hyemis tempore, exspectabat. Quocirca Timotheum precibus urget, ante hyemem venire festinet, pænulamque cum libris ac membranis ad se perferat. Certe si penula theca esset qua libri continerentur, loculos a libris separasset Paulus, quod credibile non est. Pænulam igitur hic cum librorum theca, sive penulario, confundere, ridiculum est; omnibusque ejus sententiæ patronis jocum, qui apud
D Quintil. extat, opponimus: *Cicero, cum in Pansam declamans, filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, Quid? aliæ*, inquit, *in penula solent ferre?*

CAP. VIII.

Pænula vestis servorum, militum, Oratorum in foro, Rhetorum & Grammaticorum in Scholis, Senatorum, Matronarum.

SICUT toga Romanorum gestamen, ita & pæ-
E nula tandem. Vestimentumque erat cujus usus promiscuus. Præter servos quippe, Milites, Oratores, Rhetores, Grammaticos ac Senatores penulatos fuisse tradunt scriptores. Et de servis quidem ac militibus, præter Martialem antea citatum, Seneca lib. III. *de Benefic. Quo te*, inquit, *pænulati isti in militum & quidem non vulgarem cultum subornati, quo, inquam, te isti efferunt?* Et lib. V. *Esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis, unica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus pænulam suam substravisse*, (sc. Cæsari.) Militarem hanc pænulam, Thoracomachum Glossæ veteres vocant.

F Sed unum est, quod huic sententiæ refragari videtur; qua ratione milites, si pænulati erant, ad pugnam apti ac parati essent. Ciceronis verba sunt *pro Milone: Si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis, tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, cum alter veheretur in rheda pænulatus, una sederet uxor, quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promtum ad pugnam, cum pænula irretitus, rheda impeditus, uxore pene constrictus esset?* Magno verborum apparatu non est opus, cum ipse Tullius difficulta-

tem solvat *pro eodem Milone : Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut solebat : sine uxore, quod nunquam fere. Cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, pænulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum, puerorumque comitatu*, &c. *Cum autem hic de rheda, rejecta penula, desiluisset, seque acri animo defenderet*, &c.

Etiam Tribuni plebis pluviæ tempore pænulati incesserunt. Æl. Spartianus in *Adriano*: *Tribunus pl. factus est Candido & Quadrato iterum Coss. in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quod pænulas amiserit, quibus uti Tribuni plebis pluviæ tempore solebant, imperatores autem nunquam. Unde hodieque imperatores sine pænulis a togatis videntur.*

Oratores quoque pænula induti, quam tamen multum humilitatis eloquentiæ attulisse, Auctor *Dialogi de caussis corruptæ Eloquentiæ* queritur. Quia videlicet Orator pænula astrictus ac velut inclusus, brachia & manus exerere nequit. Cultu enim atque ornatu is se quoque commendat. Nec alio nomine Senatores qui Castricii erant discipuli ab eo reprehenduntur, quam quod tunicis & lacernis induti essent, & Gallicis calceati: *Equidem*, inquit, *maluissem vos togatos esse. Pigitum est cinctos saltem esse & pænulatos., Lacernis induti*, sunt qui postea pænulati; & cincti, qui tunicis induti. Lacernas enim & pænulas sæpissime confundi, docti non ignorant, quod video Martiali in mentem venisse, quem ad testimonium citabo, lib. II. epigr. LVII.

Quem non lacernis Publius meus vincit.
Non ipse Codrus alpha pænulatorum.

Gellii locum alii aliter explicant. Sed si verum facere judicium volumus, Senatores illi, non quod togam negligerent, lacernas induebant, sed ut Oratorem externo quoque amictu ad seculi istius habitum exprimerent.

Augustinus *Confessionum* lib. I. Rhetores, pænulatos Magistros vocat: *Quis autem*, inquit, *pænulatorum magistrorum audiat aure sobria, ex eodem pulvere hominem clamantem & dicentem: Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat, divina mallem ad nos.*

Grammaticos fuisse pænulatos discimus ex Martiano Capella lib. III. ubi *Grammaticam suam Senatum Deorum ingressam esse pænulatam scribit.*

Censuales quoque pænulati fuere. Sidonius Apollinaris lib. VIII. Epist. VI. *Adhærebam sellæ curuli, etsi non latens per ordinem, certe non sedens per ætatem: mixtusque turmæ censualium pænulatorum Consuli proximis proximus eram.* Nam ex constitutione Gratiani, Valentiniani & Theodosii, officiales auctoritate Principum pænulis uti jubebantur: adeo ut qui earum usum contemneret, ei viginti librarum mulcta indiceretur, de qua lib. I. Cod. Theodos. *de hab. quo uti oport. intr. urb.*

Senatorum quoque vestem pænulam fuisse, Æl. Lamprid. in *Alexandro Severo* tradit: *Pænulis*, inquit, *intra urbem frigoris causa ut senes uterentur permisit, quum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluviæ fuisset.* Quamquam viri docti *senatores* non *senes* legant. Nec male: cum in lib. I. Cod. Theodos. *de hab. quo uti oport. intr. urb.* huic sententiæ haud parum sit præsidii: *Sine exceptione temporis matutini duntaxat intra mœnia constitutus nullus Senatorum habitum sibi vindicet militarem, sed chlamydis terrore posito, quieta colobororum ac pænularum induat vestimenta:*

Matronas pænulatas fuisse, sed extra urbem tantum, Lampridius in *Alexandro Severo* docuit. *Matronas intra urbem pænulis uti vetuit; in itinere permisit.* Aliquod tamen fuisse inter virilem pænulam ac muliebrem discrimen suspicamur. Ulpianus quippe l. *Vestis* 23. ff. *de auro & argento*, inter muliebria, quibus vir non facile uti potest, nisi reprehensionem incurrere velit, pænulam ponit. Jam communia recensens, quibus promiscue utitur mulier cum viro, pænulæ meminit, additque: *veluti si ejusmodi penula palliumve est, & reliqua hujusmodi, quibus sine reprehensione vel vir vel uxor utatur.*

Muliebres pænulas Matronales vocat Trebellius Pollio in *Quieto Tyranno*: *Alexandrum Magnum*, inquit, *Macedonem viri in annulis & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt: eousque ut tunicæ, & limbi, & pænulæ matronales in familia ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigem deliciis variantibus, monstrent.*

Unde conjicere licet, pænulas, quas habere ex instituto mulieres debebant, hoc aliis secretas, quod aut essent auro contextæ, aut Phrygio opere figuris quibusdam distinctæ, quæ Macedonis Alexandri effigiem exprimerent. Harum enim usum viris non convenire. Reprehensus propterea fuit a Suetonio Cæsar Caligula, quod cultu atque vestitu nimium sibi indulgeret, pænulisque uteretur depictis & gemmatis, quæ viros non decerent: *Vestitu*, inquit, *calceatuque & cætero habitu, neque patrio neque civili, ac ne virili quidem, ac denique non humano semper usus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus pænulas, manuleatus & armillatus in publicum processit.*

Alexander contra Severus ad imitationem aliorum iis se pænulis induit, quæ naturali colorum pulchritudine se commendarent, de quo sic Lampridius: *Veste, ut & pingitur, alba usus est, nec aurata, pænulis togisque communibus.*

In Legis verba jam citata, nihil, quod sciam, commentati sunt,

Qui juris nodos, & legum ænigmata solvunt.

De quibus quid sentiret, interrogatus Vir. Cl. D. Henricus Ernstius Juris in Academia Sorana Antecessor, amicus noster, multis literis imbutus, mentem suam epistola ad calcem adjecta exposuit.

CAP. IX.

Lacernæ, Lænæ, Sagula, τριβώνιον cum penula non confundendæ.

QUI vertere Græca volunt in sermonem Latinum, partibus suis bene fungentur, si Romanis verbis utantur quæ vim vocum Græcarum exprimunt. Ut infinitos heic non recenseam errores, quibus, in versionibus nonnulli abundant, aliquot citabo qui ad rem nostram faciunt. Et pace Dalechampii diligentiæ dixerim, male apud Athenæum lib. x. χλαίνην Pænulam interpretatur, cum Lænam vel Chlænam reddere debuerat. Jure quoque Pollucis interpres reprehenditur, qui lib. VII. in eundem impingit errorem, quem tamen lib. x. emendat, χλαίνην lænam vertens. Gravius peccat cum φαινόλην sagulum vertit. Et male Hadrianus Junius apud Eunapium in *vita Ædesii* τριβώνιον penulam Latine reddidit. Nec melius qui Dionem vertit, φαιὰν μανδύην pullam pænulam interpretatus est. Aliquod inter pænulam ac lacernam esse discrimen notat Isidorus *Orig.* l. XIX. *Lacernæ quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis ut sunt pænularum.* Eucherii hæc sunt: *Pænula Latinum est: est autem quasi lacerna descendentibus clavis*, id est, *lacerna clavata*, ut Sedulius interpretatur. Et

Julius Pollux lib. VII. Βαβυλονίων δ' ἐστιν ὁ καυνάκης. ἡ δὲ μανδύη, ὁποιόν τι τῷ καλημένῳ φαινόλῃ. Sed hoc loco si quis uteretur ut Mandyam cum penula confunderet, næ ille optimo scriptori vim faceret; cum simile non esse idem Philosophorum filiis constet. Accedit, quod horum si sententia staret, falsa forent quæ narrat Æl. Spartianus, qui Adriani ætate pænulæ usum Imperatoribus abjudicat, cum & Tiberius φαιὰν μανδύλιω ἐπενεδυ, ut docet Dio. Et χλαμὺς, μανδύη, χλαῖν, φαινόλη, sicut in Dictionario Græco-Barbaro Simon Portius vult, eadem esset vestis, solo nomine diversa. Distincte quidem de iis Capitolinus in *Gordiano Juniore* loquitur: *Junius Cordus*, inquit, *dicit & quos servos habuerit unusquisque principum, & quos amicos, & quot pænulas, quotve chlamydes*. Et in *Pertinace*: *Vestis subtegmine serico aureis filis insignior, per tunicas pænulasque, lacernas & chirodotas*, &c. Codex Theodos. Chlamydi terrorem tribuit, cum colobos ac pænulas inter quieta vestimenta numeret. Quod Chlamydis ac Lænæ sit discrimen docet Pollux libr. x. Ομηρος δὲ καὶ τὰ λεπτὰ, χλαῖνας καλεῖ. οἱ μὲν τοι ἀττικοὶ τὸ λεπτὸν χλαῖναν, καὶ τὸ ἱππικὸν χλαμύδα, ὡς θετταλοί. Et leviorem vestem lænam fuisse, Martialis in *Apophoretis* auctor est, Lemmate *Læna*:

Tempore brumali non multum levia prosunt:
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Lacerna tamen si non eadem cum pænula, ei certe parum absimilis, de qua vetus interpres Persii, ad illud:

Scis comitem horridulum trita donare lacerna:

Scis birrum, inquit, *attritum comiti condonare. Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Pænula, pallium cum fimbriis longis*. Quæ verba ex Scholiaste more suo Isidorus transcripsit.

De lacernis, quibus pluviæ tempore utebantur in ludis, Dio lib. VII. ὑετοῦ δὲ ἐν πανηγύρει γινομένου, φαιάν μανδύλιω ἐπεν' δυ καὶ τοῦτο οὐκέτ' οὐδεὶς αὐτῶν ἀλλοῖον ἔσθημα λαβεῖν ἐτόλμησε. Et Martialis, titulo *Lacernæ Albæ*.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Ubi *Albentes* legit Cod. Flor. non *algentes*, ut in Bibliotheca Medicæa ante annos aliquot notavimus. Favet huic lectioni, præter ipsum Lemma, nativus ille lanarum color, qui plerumque albus, Et *albentes lacernæ* erunt quæ ex lana alba confectæ sunt. Quod si quis vulgatam lectionem malit, haud equidem repugnem, cum ea quoque Martialem auctorem habeat lib. XII. Epigr.

Algentemque togam, brevemque lænam.

Toga videlicet algens erit, quæ hyberno tempore alio vestimento egebat ut eam gestantem tueretur. Læna enim togæ superinjiciebatur sicut & Lacerna, de qua Juvenalis Sat. IX.

—— Pingueis aliquando lacernas
Munimenta togæ.

Sic *lugentes lanas* eodem loquendi modo in *Apophoretis* dixit Martialis.

Sed de his aliquando plura, si DEO volente plures ad curas vitam produxero.

VIRO CLARISSIMO

D^N. BARTOLO BARTOLINO
PROFESSORI REGIO
IN ACADEMIA HAFNIENSI,

S. P. D.

HENRICUS ERNSTIUS.



CLARISSIME BARTHOLINE, amice vetus, & longe carissime, ut nihil dissimulem, lætitiam mihi nuper, cum tecum eram, faciebat elegans a te conscriptus libellus *de Pænula*, maxime vero placebat, cum viderim, te JCtorum quoque *halantes floribus hortos* adire, ex eisque decerpere, quæ tuum institutum promovere possint. Macte vir magna diligentia. Opponis mihi Ulpiani nostri verba, quæ exstant in *l. vestis*. 23. *§. vestimenta*. 2. *D. De auro, arg. mund. leg.* e quibus acute arguteque colligis, ἀντινομίαν esse in illa ipsa Lege, meque recte docuisse in Annotationibus meis ad *l. omnes* 2. *§. Apud* 1. *D. De Off. Proconf.* dari omnino ἀντινομίας in Jure, affirmas. Quam tamen litem nostram nunc non faciemus: Sed quæ mea sit mens de Ulpiani verbis, paucis tibi aperiam. Memineris, me statim tibi respondere; dictam Legem, duo penularum fuisse genera, docere: qua in sententia etiam adhuc persisto, cum certum sit, penulam ex eo fuisse vestium genere, quas Ulpianus in communibus numerat: *communia enim sunt*, inquit; *quibus* (sive ut apud Charondam scriptum, *quia*) *promiscue utitur mulier cum viro: veluti, si ejusmodi penula, palliumve est*. Non tantum dicit penula, sed *ejusmodi penula* (pro quo male legit Exemplar Parisiense *ejusdem penula*,) ut nimirum lector disceret, aliam fuisse penulam virorum, mulierum aliam. E quibus una utrique sexui convenit; altera vero, qua vir sine reprensione (quod Apost. Paulo 1. *Cor.* 11. v. 14. ἀτιμία est) uti non potuit, ut JCtus loquitur in cit. Lege. Quare a Trebellio Pollione in *vita* XXX. *Tyran.* penulæ hujusmodi

vocantur *matronales*. Quomodo autem penula communis fuerit, licet Ulpianus id in hac Lege non indicaverit, alibi tamen non tacuit: consilio enim ejus, ut mihi quidem videtur, Alexander Imperator apud Lampridium constituit, *penulis intra urbem frigoris causa ut senes uterentur, cum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluviæ fuisset. Matronas tamen intra urbem penulis* (nimirum communibus in itinere) *uti vetuit, in itinere permisit*. Puto enim ratione hujus usus vocatas fuisse *communes*. Simili modo adhuc hodie videmus penulam, sive ut Græci vocant μανδύαν (unde Latinorum *Mantelum*, & Germanicum *Mantel*) viris fœminisque in itinere essere communem; qua tamen extra iter mulier sine reprehensione nunquam uteretur. Μανδύαν sive μανδύην significare penulam, non obscure nobis indicat Julius Pollux lib. VII. cap. XIII. ubi ita: ἡ δὲ μανδύη ὅμοιόν τι τῷ χαλυμένῳ φαινόλη. Quæ ita vertenda: *Mandya vero simile quid est ei, quod penulam vocant*. Id enim, ut ante notavit Turnebus *Adverſ.* XXV. cap. XVII. (apud quem tamen corrupte legitur μανθύαν) quod Dion in *Commodo* scribit, καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν, Lampridio est, *penulatos jussit spectatores, non togatos ad munus convenire*. Verum hæc ἐν παρόδῳ. Sic, ut ad priora revertatr, Quintilianus, quod & aliis notatum, libro XI. *Instit. Orat.* cap. ult. viriles tunicas a muliebribus & militaribus distinguit: *Cui*, inquit, *laticlavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra, mulierum est; supra, centurionum*. Cum vero veste longa, eodem authore, viri deformentur, mulieres contra exornentur, facile me deduci in eam sententiam patiar, ut credam, Matronalem penulam, virili fuisse longiorem. De aliis penulæ generibus, sive speciebus, ut Logicorum filii loquuntur, subalternis; de diversa item penulæ significatione Varronis apud Nonium *de Impropriis, & de genere vestimentor. in penula* nihil apud te, virum in hoc genere eruditionis eximium, attinet dicere, qui ea, quæ a Lazio *libro* VIII. *Comment. Reip. Rom.* cap. XI. (unde Rosinus transscripsit, quæ libro X. *Antiq. Rom.* cap. X. *ad Tertul. librum de Coron. Milit.* notavit. Quibus ex d. l. 23. §. 2. sub finem D. *de aur. arg. mund. Familiaricam* penulam qui addunt, eis nondum assentiri possum, nisi eadem opera etiam e Lampridii loco citato extorquere velint, penulam quoque fuisse *senilem & itinerariam*) Tiraquello lib. III. *Legum connubial.* inter vestimenta muliebria; aliisque scriptoribus de re hac sunt prodita, minime ignoras. Hæc ad te saltem dare placuit, ut de egregia in te mea voluntate semper tibi constaret. Bene vale cum tuis omnibus, & fratrem tuum Clariss. D. Doctorem THOMAM insignis eruditionis virum salvere jube. Dab. Soræ XVI. Cal. Mart. CIƆ IƆC LIII.



ALDI MANUTII

PAULLI F. ALDI N.

DISSERTATIONES TRES EPISTOLICÆ

I. DE TOGA ROMANORUM.
II. DE TUNICA ROMANORUM.
III. DE TIBIIS VETERUM.

ALDUS MANUTIUS PAULLI F. ALDI N.

DE TOGA ROMANORUM

AD JACOBUM SUPERANTIUM EQUITEM,

ET

D. MARCI PROCURATOREM.



ANTIQUARUM rerum scientiam, Jacobe Superanti, plurimum ad omnia adjumenti afferre, quis ignorat? quod Tu optime omnium nosti: qui cum prudentia, quam Tibi summam a Natura ingenitam omnes fatentur, ita Antiquitatis cognitionem conjunxisti; ut, in utra excellas, dijudicari vix possit. Quo fit, ut omnes Te observent, eumque esse judicent, qui Reip. Venetæ maximis in negotiis utilissimam operam navare possit. Quod cum præclare in omni Tua vita præstiteris, indies Te ipsum vincis, qui alios jam virtute viceris. Non igitur potui diutius me tenere, quin aliquod meæ observantiæ signum ad Te mitterem. quod si Tibi non ingratum fuisse cognovero, lætabor, sin minus, voluisse me saltem hoc exiguo munere Tibi gratificari, idque posteris testatum relinquere, tam mihi gratum erit, quam quod gratissimum.

De Togæ forma primum agemus, de mensura, de colore: præterea quærendum putavimus, utrum ea Romani tantum, an Itali pariter omnes uterentur: utrum mares, an etiam fœminæ: utrum viri, an omnis ætas; utrum vulgo, an soli honestiores; utrum urbani, an milites quoque. Sed, ante quam hæc aggrediamur, togarum genera videntur explicanda: sunt enim multa, variis nominibus, sicuti materia, colore, pictura distinguebantur. ac primum agemus de prætexta: deinde trabeam pictam, purpuream, undulatam, soriculatam, rasam, Phrygianam, papaveratam, Attalicam, Babylonicam, Alexandrinam, ordine persequemur: nam pura communis erat, quæ reservatur in extremum locum.

Prætexta non omnes passim, sed hi tantum utebantur; pueri, pullæque ingenuæ, illi ad initium anni XVII. hæ donec nuberent; magistratus omnes, non modo Romæ, sed in coloniis etiam & municipiis; magistri vicorum, & collegiorum; sacerdotes, quorum in numero augures fuere; senatores ludorum Romanorum diebus; postremo, mulieres nonis Caprotinis. Puerorum prætexta cognoscitur ex multis. Filii triumphantium prætextati leguntur apud Ciceronem in orat. *pro Murena*, & *in Verrem: Neque te tam commovebat, quod cum toga prætexta, quam quod sine bulla venerat*. Et *in Antonium* orat. II. *Tenes ne memoria prætextatum te decoxisse? sumsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti*. Quibus verbis ostenditur, & virilem togam sumi solitam deposita prætexta; & meretrices toga usas esse. Subjungit enim, *Primo vulgare scortum: sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quæstu abduxit. &, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo locavit. Ut enim togatæ meretrices, sic matronæ stolatæ*. Et in *Lælio: Amores puerorum sæpe una cum prætexta toga deponuntur*. Plinius etiam lib. IV. cap. XXIII. perspicue pueros designat, cum ait: *Murenis tenuissimum tergus, contra anguillis crassius, eoque verberari solitos tradit Verius prætextatos*. Omitto Ma-

A crobii, Suetonii, aliorum testimonia. sunt enim multa. De puella vero prætextata Cicero *in Verrem: Eripis pupillæ togam prætextam?* Catullus: *Mitte brachiolum teres Prætextatæ puellæ*. Prop. lib. IV.

Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera victa comas.

Festus: *Nubentibus, depositis prætextis, a multitudine puerorum obscœna clamabantur*. Legimus & illud in Institutionibus de Injuriis: *Sive quis matrem familias, aut prætextatum, prætextatamve assectatus fuerit*. Nec aliter accipio Varronis illud
B apud Nonium, ex libro de liberis educandis: *Ut pullæ habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata, ac arnacidas, quam togas*. Opinor enim de togis prætextis, non de togis puris, locutum esse. nam quis credat, puellas ingenuas puris togis uti solitas, quas fuisse meretricum, & jam significavimus, & infra probabimus? Libertinis autem pueris ac puellis adimo prætextam auctore Pediano, qui ait: *Prætexta honestorum, toga viliorum*. Verum Papinii versus, de Glaucia liberto prolatus, dubitationem omnem tollit:

Sola verecundo deerat prætexta pudori.

C In quo tamen illud animadvertendum, libertinorum filios, modo justa matre familias nati essent, ingenuorum in numero positos esse. quod si quis in dubium vocat, legat illud Suetonii in *Claudio* c. XXIV. *Latum clavum, quamvis initio firmasset, non lecturum se senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset*. ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cœcum censorem, generis sui proauctorem libertinorum filios in senatum adlegisse docuit, ignarus, temporibus Appii, & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex
D his procreatos. Aperte docet, ingenuos fuisse natos ex iis, qui serviissent. quod etiam posteriores Jurisconsulti suos in libros retulerunt. Caussam & originem attributæ prætextæ libertinorum filiis, Macrobius libr. I. *Sat.* exponit his verbis: *Libertinis nullo jure uti prætextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo: sed postea libertinorum quoque filiis prætexta concessa est, ex caussa tali, quam M. Lælius augur refert: qui bello Punico secundo duumviros dicit, ex S. C. propter multa prodigia libros Sibyllinos adiisse; & inspectis his, nuntiasse, in Capitolio supplicandum, lectisterniumque ex collata stipe facien-*
E *dum, ita ut libertinæ quoque, quæ longa veste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent*. aucta igitur obsecratio pueris ingenuis, itemque libertinis pronuntiantibus carmen, ex quo concessum, ut libertinorum quoque filii, qui ex justa dumtaxat matre familias nati fuissent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent. De prætexta magistratuum quis ambigat, qui modo paullo sit humanior? in oratione *post reditum in senatu: Consul, cum vos vestem mutandam censuissetis, cunctique mutassetis, unguentis oblitus, cum toga prætexta, quam omnes prætores ædilesque tum*

abjecerant, irrisit squalorem vestrum. Et *in Pisonem: Quid? tu in lictoribus, in toga prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio, te consule, esse voluisti*. Censores, & tribunos pl. excipio, admonente de censoribus Polybio, Plutarcho de tribunis pl. Polybius enim lib. VI. cum ornamenta mortuorum narrat, & illa ipsa persequitur, quæ viventes habuerant, consulibus, prætoribusque togam purpura circumdatam: id est, prætextam, censoribus vero non prætextam, & iis, qui triumphaverant, auro contextam tribuit. Plutarchus, ubi tribunum pl. magistratum esse, negat, hoc utitur argumento, quod prætextam non habuerit.

Prætores, aliquem capitis condemnaturi, prætextam prius deponebant: quod lib. IX. cap. XII. Valerius docet: opinor, quia tristem sententiam in veste lætitiam indicante ferri non deceret. Coloniarum quoque & municipiorum magistratibus prætextæ jus fuit: quod Livii testimonio probatur. *Purpura*, inquit lib. XXXIV. *viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis; liberi nostri prætextis, purpura, togis utentur: magistratibus in coloniis, municipiisque, hic Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permittemus, nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur: feminis dumtaxat usu purpuræ interdicemus*? Exstat illud Ciceronis *in Pisonem*, qui Capuæ duumvir fuerat: *Capuæ te prætextatum nemo adspexit, qui non gemeret desiderio mei*. Magistri vicorum, & collegiorum, æque prætextati reperiuntur, illi apud Livium loco proxime recitato, hi apud Pedianum. Nam, cum illud *in Pisonem* interpretaretur: Sex. Clodium, qui numquam antea prætextatus fuisset, ludos facere, & prætextatum volitare passus es: hæc subjunxit: *L. Cæcilio. Q. Marcio Cos. S. C. collegia sublata sunt, quæ adversus remp. videbantur esse*. Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalicios prætextati. qui ludi, sublatis collegiis, discussi sunt. Post novem deinde annos, quam sublata erant, P. Clodius tribunus pl. lege lata restituit collegia. Invidiam ergo, & crimen restitutorum confert in Pisonem, quod cum consul esset, passus sit, antequam lex ferretur, facere prætextatum ludos Sex. Clodium. Sacerdotum prætextam adducta paulo ante Livii verba demonstrant. in quo quærendum videtur, cum sacerdotum plura genera fuerint, omnes ne pariter, an aliqui tantum prætextam habuerint: nostri autem instituti est, quod Veterum testimoniis confirmare non licet, in incerto relinquere, omissa conjectura, nisi si ejusmodi sit, ut magnam habeat speciem veritatis. Prætextatorum omnium sacerdotum exemplum illud exstat apud Capitolinum in *vita Galieni: Cum picta toga, & tunica palmata, inter patres, omnibus sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit:* Pontificis max. apud Lampridium prætexta cognoscitur in *vita Severi: Accepit*, inquit, *prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis max. non imperatoris*. De auguribus non videor posse dubitare, cum dicat Cicero ep. IX. lib. II. ad Atticum, *Vatinii strumam Sacerdotis διβάφῳ vestiant*. quod satis aperte cognoscitur ex ep. IV. l. XV. agebatur enim de Vatinio in auguris locum Q. Metelli Celeris mortui subrogando. Dibaphus autem non modo purpura fuit, sed purpura bis tincta: Et in oratione *pro Sextio* Lentuli Spintheris filium augurem creatum significans, *Cui superior*, inquit, *annus idem & virilem patris, & prætextam populi judicio dedit*. Inter sacerdotes & decemviri fuere: de quibus Livius lib. XXVII. Virginum ordinem sequebantur decemviri, coronati laurea, prætextaque. Senatorum sequitur prætexta: quam probare non facillimum puto. unus enim, nisi fallor, locus est, in II. *Phil.* quem cum legerem, adductus sum in hanc opinionem; sic tamen, ut affirmare non audeam. *Nescis*, inquit, *heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quinctus præterea dies Cæsari tribueretur? cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsaris, tua lege datum, deseri patimur?* Cum dixit, Cur non sumus prætextati? dixisse arbitror de toto senatu: siquidem in senatu loquebatur. id autem significavit: Cur qui actum ludorum Romanorum diem attributum Cæsari tua lege, prætextati non celebramus, ita ut reliquos quatuor? Quod si ita est: considerandum, an reliquis quoque publicis ludis ordini senatorio prætextam habere licuerit. fortasse enim proprium hoc fuit ludorum dumtaxat Romanorum. nam, si commune ludorum omnium fuisset, Pompejo Magno, ex Mithridatico bello revertenti, honoris caussa tributum non esset, ut ei Scenicis ludis prætexta uti liceret. Extremum posuimus, prætextatas fuisse mulieres nonis Caprotinis. hoc si ostenderimus, omnes erunt promissi nostri partes absolutæ. quo igitur potissimum teste utemur? uno, qui instar omnium esse potest, M. Varrone. is lib. V. sic: *Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres sacrificant, & sub caprifico faciunt, & e caprifico adhibent virgam*. ob hoc toga prætexta data eis. Prætextam ne quis putet purpuream totam fuisse. purpureum enim, præter limbum, extremam vestem ambientem, nihil habuit: unde prætextæ nomen. Eo autem limbo quia communis toga caruit, ideo pura est appellata. quod si prætexta tota purpurea fuisset, non dixisset Livius lib. XXXIV. *Liberi nostri prætextis purpura togis utentur:* nec Polybius, ut supra demonstratum est, consularem prætextam a purpureo censorum amictu diversam fecisset. Jam Macrobius lib I. *Saturn. Putant*, ait, *Priscum Tarquinium instituisse, ut patricii bulla aurea, cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur*. Græci quoque omnes περιπόρφυρον appellantes, limbum solum, non totam vestem purpurei coloris fuisse, satis ostendunt. Jam prætexta pulla a Festo nominata, prætextam esse posse, nec tamen purpuream, demonstrat. Hic mihi tamen illud objicitur, quod ait Plinius l. XXXIII. c. IX. *Cyprio æri, si addatur plumbum, colos purpuræ fit in statuarum prætextis*. Verum, cur de tota veste intelligatur, non video. potuit enim artifex, cum ex ære statuam faceret, separatim in limbo prætextarum purpuram imitari. Occurrit Ciceronis quoque locus. nam in *Sextiana*, invehens in Pisonem consulem, id est, prætextatum, *Vestitus*, inquit, *aspere, nostra hac purpura plebeja, ac pœne fusca*. Consularem vestem, id est, togam prætextam, videtur dicere, purpuream fuisse: verum non togam, sed tunicam lati clavi significat, quæ purpurea fuit. propterea subjungit, *Nostra*: quia senator ipse erat, & latum clavum habebat. non enim, *Nostra*, referri potest ad togam prætextam: cum Cicero prætextatus tum non esset. Nam si quis, cum legerit versum Statii *Silv.* lib. V.

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exsuit:

ostrum dicat pro tota purpurea prætexta usurpatum: respondebitur, togam quidem puerilem, id est, prætextam indicari, cujus in limbo ostrum, id est, purpura cernebatur: non tamen hoc dici, totam prætextam purpuream fuisse.

Toga pura, virilis, libera, recta, eadem erat. Pura vocabatur, quia nulla diversi coloris fascia prætexeretur. Dabatur in exitu anni XVI. sicuti data est M. Ciceroni filio: qui cum natus esset Cotta, &

Torquato cos. quod epist. I. *ad Atticum* ostendit, puram togam accepit Lentulo, Marcello cos. ut epist. VI. lib. IX. *ad eundem.* mos tamen ille Imperatorum ætate mansisse non videtur. nam Caligula togam puram anno XIX. M. Aurelius XV. accepit, auctoribus Suetonio & Capitolino. Ea vestis initium virilis ætatis indicabat: propterea virilis etiam dicebatur. Qui vero eam sumebant, tyrones appellabantur. Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. Tanaquil prima texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura tyrones induuntur, novæque nuptæ. Suetonius de Cajo: *Uno atque eodem die togam sumsit, barbamque posuit, sine ullo honore, qualis contigerat tyrocinio fratrum ejus.* In quo illud animadvertendum, togam simpliciter dixisse Suetonium pro toga pura: quamquam prætexta, quæ a pueris puram sumturis deponebatur, ipsa quoque toga esset, verum addito limbo purpureo. Sic Appianus lib. IV. *Atilius, prætexta deposita, togam sumturus.* Licuisse tamen pueris non exspectato ætatis anno XVI. per unum tantum diem Baccho dicatum toga pura uti, ostendit Ovidius *Fast.* lib. III. his verbis:

Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
Luce geri pueris, candide Bacche, tua.

Liberam vocat, quia pueris toga pura initium quoddam libertatis erat, cum antea custodirentur a pædagogis. Recte nomen ex Festo cognovimus, cujus hæc sunt verba: *Recte appellantur vestimenta virilia, quæ patres liberis suis conficienda curant ominis caussa, ita appellata, quod astantibus, & in altitudinem texuntur.* Et alio loco: *Regillis, tunicis albis, & reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum versum astantibus, pridie nuptiarum diem virgines indutæ cubitum ibant, ominis caussa: ut etiam in togis virilibus dandis observari solet.* Plinius etiam, cujus verba paulo ante recitavimus, tunica, & toga, utraque recta, tyrones indui solitos declarat. Locus in quo sumebatur, Capitolini Jovis, ut opinor, templum fuit: aut certe, post eam domi sumtam, statim in Capitolium ad Jovis ædem ibatur: quod Valerius Maximus lib. V. cap. IV. declarat his verbis: *Hanc pietatem æmulatus M. Cotta, eo ipso die, quo togam sumsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, Cn. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit.*

Trabea inter togarum genera videtur esse referenda. nam Dionysius lib. II. qui de Saliis loquitur, *χιτῶνας*, ait, *ποικίλες, χαλκέαις μίτραις κατεζώμενοι, καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρες, φοινικοπαρύφες, ἃς καλῦσι τραβέας.* Latine sic; *Tunicas pictas æreis zonis cincti, togasque fibulis adstrictas induti, purpura prætextas, puniceo colore alternis intertexto: quas vocant trabeas.* Hæc est trabeæ descriptio, quam cum appellaverit *τήβεννον*, togam esse plane liquet. nam idem lib. III. quam Romani togam, Græcos appellare *τήβεννον* aperte demonstrat. Descripsit igitur sacerdotalem trabeam: quam & Suetonius e purpura & cocco ait fuisse. Fuere enim duo præterea trabearum genera, unum Deorum, e sola purpura, alterum regum, e purpura quidem, sed non sine albo: ut a Servio didicimus, Suetonii verba ex libro de genere vestium recitante.

Toga picta, vestis Etrusca fuit, purpurei coloris, auro distincta, a triumphantibus geri solita. eam, ut ait Florus, subactis duodecim Tusciæ populis, Tarquinius Priscus Romam transtulit. *Inde*, inquit, *fasces, trabeæ, curules, anuli, phaleræ, paludamenta, oræ texta: inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora, & insignia, quibus imperii dignitas eminet, sumta sunt.* At Macrobius libro *Satur.* I. non hoc Prisco tribuit; sed Tullo Hostilio. Dionysius, non dubiæ scriptor fidei, consentit in Prisco. Plinius de Tullo potius videtur credere. Hunc enim, superatis Etruscis, prætexta, & latiore clavo primum e regibus usum esse demonstrat. Quod si verum est; venisse in urbem eodem tempore cum prætexta, & lato clavo togam pictam possit aliquis existimare. Propertius lib. IV. togam pictam Romulo tribuit: sed, ut poeta, rationem historiæ non habuit. apud eum sic alloquitur Tarpeja virgo Tatium Sabinorum regem:

Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Purpuream fuisse Dionysius ostendit, quia *περιβόλαιον πορφυρῦν ποικίλον* vocat. Picta vocabatur, quod in ea variæ figuræ ita fingerentur, ut ea species ad picturæ similitudinem accederet. Figuræ autem illæ, ut opinio mea fert, auro, non serico, fiebant. quid enim, nisi pictam togam, illa Plinii verba lib. IX. cap. XXXVI. significant? *Purpura in triumphali miscetur auro.* Quid Polybius libr. VI. cum eos, qui funus comitabantur, si triumphalis mortuus esset, vestem purpuream ait gestasse auro contextam, qualem scilicet is, qui efferebatur, in triumpho gestaverat? Adde Plutarchum, qui de Paullo Æmilio sic inquit: *Ἀλυργίδα χρυσόπαστον ἀμπεχόμενος*, id est, purpuream vestem, intextam auro, indutus. Quod planissime Livius libr. XLV. *Paullus, auro purpuraque fulgens.* Fortasse etiam huc spectat illud Ciceronis in *Oratore*: *Quos numeros cum quibus, tamquam purpuram, misceri oporteat, nunc dicendum est.* Veterum testimoniis accedit ratio. quid enim cum purpura misceri præter aurum, decuit? in ea præsertim veste, quam ferret is, qui triumphans, Jovis habitu, aureo curru quadrijugo, per urbem, pompa præeunte veheretur: quo nihil augustius cogitari potuit. Quærebam, texerentur auro, an insuerentur togæ pictæ? laborem quærendi Plinius ademit. *Apud Homerum*, inquit, *pictas vestes inveni: unde triumphales natæ. acu facere id Phryges invenerunt.* Nisi si quis primis temporibus acu insutum, postea intextum esse aurum dixerit. Ostendimus, togam pictam ex Etruria translatam, auro variatam, ac triumphantibus geri solitam. hoc enim postremum si quis in dubio ponet, ratus ea, quæ diximus, non satis ad probandum valere, testem Livium adhibebo: cujus hæc sunt lib. XXX. *Scipio Massanissam, regem appellatum, aurea corona, aurea patera sella curuli eburnea, scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. addit verbis honorem: neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem ornatum esse.* Et Ovidius *Fast.* lib. VI.

Vidimus ornatos ærata per atria picta
Veste triumphales succubuisse senes.

Quæramus igitur, soli ne triumphantes, an etiam privati pictam togam habuerint. Duos historiæ memorant, quorum virtuti tributum est, ut picta toga, quamquam privati, uterentur; Paullum Æmilium, qui de ultimo Macedoniæ rege Perseo triumphavit; & Pompejum Magnum, Sertorio devicto. Paulli honorem omissum a Plutarcho, (nam Livius mutilus est) qui totam ejus vitam literis mandandam suscepit, equidem valde miror: auctorem tamen non contemno, eum, qui scripsit librum de viris illustribus. Pompeii notitia certior: de quo Vellejus libr. II. T. Ampius, & T. Labienus, tribuni pl. legem tulerunt, ut Pompejus ludis circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium uteretur. Et Dio libr. XXXVII. concessum ait Pompejo, *ἐπινίκιον ἐνδύειν ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσι*: id est, *vestem triumphalem induere in equestribus certaminibus*: Cicero autem epistol. XVI. libr. I. *ad Att.* Pompejus togu-

Iam illam pictam ſilentio tuetur ſuam. Propriam poſtea ſuam habuit privatus Gordianus: cum eam de Capitolio, vel de Palatio imperator accipere ſolitus eſſet: quod a Capitolino didicimus. Putabat Verius, ut ex Feſti liquet epitome, pictam togam purpurea poſteriorem fuiſſe, & purpurea pura eos, qui triumpharent, primum eſſe uſos, deinde picta; mihi fidem non facit: utitur enim argumento parum firmo. *Picta*, inquit, *toga quæ nunc dicitur, purpurea ante vocitata eſt, eaque erat ſine pictura; ejus rei argumento eſt pictura in æde Vertumni, & Conſi: quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papirius Curſor triumphantes ita picti ſunt*. Hæc Verrius. mihi alia mens eſt. qui enim poſſum credere, Flacci & Curſoris ætate triumphalem habitum non fuiſſe togam pictam, cum in ea multo ante, ſi Plinio, Floro, Macrobio credimus, Romanos reges triumphaſſe videam? Accedit illud, quod M. Flaccus belli Punici anno primo triumphavit: at pictam togam aliquot ante annis triumphantibus conſulibus geſtari ſolitam, indicat Livius lib. x. cum ait: *Quos vos tunica palmata & toga picta, & corona triumphali, laureaque honoratis*. Videbat eam picturam, dicet aliquis, Verrius, cum illa ſcriberet. Non abnuo: ſed morem communem ſi quis ex una re probat, imperite facit. fortaſſe enim, & Curſor & Flaccus, viri graves, aurum contemnentes, puram purpuram adamarunt. fortaſſe etiam, cum in picta triumphaſſent, pictor tamen illo rudiore ſeculo, qui purpuram auro intextam penicillo neſciret exprimere, aurum omiſit.

Togam palmatam pauci, tunicam multi nominarunt. eam opinor a pictis palmis eſſe dictam, Martialis lib. VII. ad loricam Domitiani.

I comes, & magnos illæſa merere triumphos,
Palmatæque d[illegible], ſed cito, [illegible]de togæ.

At, nequis eum putet, cum, Tunicæ, ſervati metri ratione dicere non poſſet, pro tunica togæ vocabulum uſurpaſſe: quia toga picta, tunica palmata triumphantes uterentur: Suetonius, Craſſi, Claudium triumphantem ſecuti, palmatam veſtem appellat: nec dubitandum, quin eam prætextæ, quam proxime nominaverat, oppoſuerit: nam cum dixiſſet, *Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, ſed ceteri pedibus & in prætexta:* ſubjunxit, quaſi contraria referens: *Craſſus equo phalerato, & in veſte palmata*. Eſt enim veriſimilius, togæ togam, id eſt, prætextæ palmatam, quam togæ tunicam, oppoſitam eſſe. Nec opinor de tunica, ſed de toga locutum Valerium lib. IX. cap. I. *Quid ſibi voluit*, inquit, *Metellus Pius, cum palmata veſte convivia celebrabat?* Auſonius quoque, ubi gratias agit pro conſulatu Gratiano Imperatori, palmatam veſtem in pace conſulis, in victoria dicit eſſe triumphantium: nec diſtinguit eam a trabea, vel a picta veſte. *Dimicaturus*, inquit, *palmatæ veſtis meæ ornamenta diſponis. parum eſt, ſi qualis ad me trabea mittatur, interroges: te coram promi jubes. hæc eſt picta, ut dicitur, veſtis, non magis auro ſuo, quam tuis verbis*.

Toga purpurea differebat a picta & a prætexta: a picta, quia pura erat, quod jam oſtendimus: a prætexta, quia prætexta erat alba, cum limbo purpureo circumducto; purpurea vero limbum non habebat. & Livius lib. XXXI. ſeparatim eas nominat. *Dona*, inquit, *ampla data, quæ ferrent regi, vaſa aurea, argenteaque, togaque purpurea, & palmata tunica cum eburneo ſcipione, & toga prætexta*. De hac locutum in *Cluentiana* Ciceronem crediderim, cum de Quinctio trib. pl. ait: *Facite, ut non ſolum mores ejus, & arrogantiam, ſed etiam vultum, atque amictum, atque illam uſque*

A *ad talos demiſſam purpuram recordemini*. Non enim prætextam ſignificare potuit: quam tribuni pl. non habebant: ex quo arguit Plutarchus tribunatum non fuiſſe magiſtratum.

Togarum alia genera, undulatam, ſoriculatam, Phrygianam, ſcutulatam, raſam, nominant Plinius, Martialis, Juvenalis, deductis nominibus a vario genere picturæ: quanquam raſa nihil ad picturam: ſicuti nec pexa: de qua Martialis lib. II.

Emi ſeu puerum, togamve pexam.

Et ibidem:

Pexatus pulcre rides mea, Zoile, trita.

B Nunc aggrediamur illa, quæ propoſuimus: ac primum de togæ forma. Semicircularem dixit eſſe Dionyſius Halic. Idem oſtendit Quinctilianus: ait enim lib. XI. *Rotundam eſſe togam, & apte [illegible]ſam velim*.

Togas a ſummo ad imum integras, nulla ſciſſura, nullis manicis fuiſſe, multis argumentis adducor, ut credam. Primum, ſi apertæ ſint, patere pectus, indecorum videtur. nam tunicæ priſcis temporibus non fuere: quod Pædiano, & Gellio teſtibus probare poſſum. Pædianus hæc in commentario orationis *pro Scauro: Cato Prætor judicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus: in forum quoque ſic deſcenderat, juſque dicebat: idque repererat, ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ſtatuæ in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt, togatæ ſine tunicis*. Quod Plutarchus etiam notavit his verbis: *Ἀπρεθὴς ὁ Κάτων στρατηγὸς ἀνυπόδητος, ἀχίτων πολλάκις ἐπὶ τὸ βῆμα προσερχόμενος*. Verum quod omiſit Plutarchus, de vetere conſuetudine Pædianus addit. Gellius aperte lib. VII. cap. XII. *Viri Romani primo quidem ſine tunicis, toga ſola amicti fuerunt: poſtea ſubſtrictas, & breves tunicas, citra humerum deſinentes, habebant*. Subjungit idem: *Ennius quoque tunicatam non ſine probro juventutem Carthaginienſium vocavit*. Quibus verbis inuſitatas fuiſſe tunicas Ennii ætate, id eſt, inter ſecundum, & tertium Punicum bellum, ſatis conſtat. cœpere tamen paulo poſt, ſed breves, & citra humerum deſinentes. Itaque Africanus minor P. Sulpicio Gallo homini delicato, probro dedit, non quod tunica uteretur, ſed quod tunica manus totas operiente. Hoc etiam licet ex Livio conjicere. nam lib. III. Cincinnatum, ait, cum ei ſenatus dictaturam aranti, aut fodienti, detuliſſet, togam e tugurio, ne nudus, & reſperſus pulvere mandata ſenatus audiret, proferri juſſiſſe; eaque ſimul abſterſo pulvere, ac ſudore velatum proceſſiſſe. Tunicæ mentionem nullam facit: qua pulverem, & ſudorem abſtergi decuit potius, quam toga. ut mirari non ſatis poſſim, cur ſcripſerit Plutarchus in *Coriolano*, eos, qui magiſtratum petebant, deſcendere ſolitos in forum togatos ſine tunicis, vel ut ſupplicarent humilius, vel ut vulnerum cicatrices, quæ pro rep. pugnantes acceperant, populo patefacerent. nam multis poſt Coriolanum annis ignotam fuiſſe tunicam, & tunicatos probri cauſſa dictos ab Ennio Carthaginienſes, jam oſtendimus. Quinctilianus etiam lib. II. cum de oratoris amictu præcepta dat, apertam togam agnoſcere non videtur. Hodieque aliquot in locis togatæ extant ſtatuæ, noſtram opinionem comprobantes: ut apud ædes viri omni laude cumulati, Aſcanii Cafarelli, item in hortis Cæſianis, & alibi.

De manicis cur ambigam? nam, ſi tanquam laſcivæ reprehendebantur in tunica, quanto magis in toga? Præterea ſi manicas togæ habuiſſent; non manum ſubter togam Decius ille, qui ſe Latino bello pro patria devovit, ad mentum exemiſſet, ut ait Livius lib. VIII. *Pontifex*, inquit, *cum togam præ-*

textam sumere jussit, & velato capite, manu subter togam ad mentum exserta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere. Non igitur per manicas brachium emittebatur, sed, rejecta in humerum ima toga, expediebatur. Quo spectat illud Quinctiliani lib. VI. *Afer venuste Manlium Suram, multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem, & reponentem, non agere dixit, sed satagere*. Per annum tamen, sumta virili toga, modestiæ caussa toga in humerum non rejiciebatur. qua de re sic in oratione *pro Cælio: Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus*.

Cingeretur, necne, (nam & hoc ad ejus formam pertinet) considerandum. Cingi solitam ostendit Macrobius lib. II. *Satur.* his verbis: *Post victoriam Cæsaris interrogatus Cicero, cur in electione partis errasset, respondit: Præcinctura me fefellit: Jocatus in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, ut, trahendo laciniam, velut mollis incederet: adeo ut Sulla, tamquam providus, dixerit Pompejo: Cave tibi illum puerum, male præcinctum*.

Valet apud me plurimum, sicuti debet, auctoritas Macrobii: sed locum vacare mendo non arbitror. quod enim togæ Macrobius, id tunicæ gravis auctor Suetonius tribuit. *Cultu*, inquit, *notabilem ferunt*. usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter, quam ut super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde emanasse Sullæ dictum optimates sæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent. Cum igitur inter eos controversia sit; ego, si litem dirimere mei sit arbitrii, secundum Suetonium judicare malim; tum quod Romanæ historiæ diligentissimus, qui etiam de genere vestium, auctore Servio, librum scripsit; tum etiam, quod major mutatio fiat, si pro lato clavo, reponas, *Toga*, quam si pro, *Togæ*, *Tunicæ*. Ac mihi quidem, rem ipsam ante oculos proponenti, majorem habere dignitatem discincta toga videtur, quam cincta. Præterea, cum Quinctilianus oratori præcipiat, ut acturus caussam utrique humero togam imponat, id qui fieri possit, si cingatur, non video. Moverent me Valerii Max. verba: scripsit enim hæc lib. III. cap. I. *Æmilius Lepidus puer etiam tum, progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit*. Cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta, S. C. posita: *Hæc*, inquam, *me moverent, nisi subsidium ab historia peterem*. Prætexta enim illa cincta militarem morem, non urbanum, declarat. Mos enim fuit apud antiquos Romanos, ut incinctis togis pugnarent. de quo sic Plutarchus in *Coriolano*: Ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι ἐπὶ θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγφάρους τίνεθαι. Quod enim Romani togam, Græci τήβεννον vocant. itaque Dionysius lib. III. Τοιαῦτα, inquit, τῶν ἀλφιασμάτων Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, ἕλληνες καὶ τήβεννον καλοῦσιν. Sinum togæ nominat Suetonius in *Julio*: *Ut animadvertit*, inquit, *undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata*. Et Tibullus lib. I.

Tunc procul absit is, quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.

Sed hic sinus extrema pars togæ fuit. alii vero sinus illi, qui apud Quinctilianum, Tertullianum, Apulejum, Statium, & alios leguntur: qui Cæsaris, & Ciceronis ætate non fuere. ait enim Quinctilianus: *Veteribus nulli sinus, posterioribus perquam breves*. Veteres autem cum dicit, Ciceronis ætatem significat: ut ibidem, qui attente legerit, animadvertet. quo ductus argumento, si quæ nunc togatæ statuæ sine sinibus cernuntur (sunt autem Romæ aliquot quas inspeximus) eas ante Imperatorum tempora factas esse crediderim. atque hi quidem posteriorum temporum sinus non attexebantur, ut existimo, sed assuebantur, vel appendebantur in toga: quorum alter superior a dextro latere ad sinistrum humerum, tamquam baltheus oblique ducebatur, alter inferior ab umbilico demittebatur, sic ne infra imam togam deflueret: ab oratore autem in dextrum humerum rejiciebatur, quemadmodum ille superior in sinistrum: quod Quinctiliani verba declarant.

Togæ mensura non eadem omnibus, sed, ut inquit vetus Horatii interpres Porphyrio, pro opibus varia fuit. quibus enim domestica res angustior, iis togæ parvæ; quibus ampla, majores, hinc illud Horatii epist. XIX. lib. I.

Arta decet comitem sanum toga.

Et ep. XX.

Exiguæque togæ simulet textore Catonem.

Justa vero togæ mensura sex ulnarum fuit. Horatius *Epod.* IV.

Viles ne, sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga.

Quo loco subjungit Porphyrio: Hanc esse justam togæ mensuram, intelligendum. Nec discrepant Quinctiliani verba. *Pars*, inquit, *togæ prior mediis cruribus terminatur*, posterior eadem proportione. Longiores tamen stante rep. togas fuisse video, ad calceos videlicet. de quo sic Quinctilianus: Togam Veteres ad calceos usque demittebant, ut Græci pallium. idque ut fiat, qui de gestu scripserunt, Plotius, Nigidiusque præcipiunt. quo magis miror Plinii Secundi, docti hominis, & in hoc utique libro pæne etiam nimium curiosi, persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem velandarum varicum gratia tradit: cum hoc amictus genus in statuis eorum quoque, qui post Ciceronem fuerunt, appareat. Togæ componendæ quæ cura fuerit, quod artificium, ut rugæ, tiliæ, tabulata, umbones fingerentur, indicat in libro *de Pallio* Tertullianus.

Color togæ qui fuerit, nemo diserte narravit: sed album Isidori Hispalensis verba videntur indicare: *Fit*, inquit, *toga addito quodam cretæ genere candidior*. Quasi hoc dicat: communis togæ color, si quoddam cretæ genus addas, ad candorem deducitur. est enim in colore candido splendor quidam, qui non est in albo, itaque candidam nivem, qui proprie loquuntur, appellant, albam non item: contra album pallorem, non candidum. Genus autem illud cretæ, cujus nomen omittit, opinor illud fuisse, quod inter Cimoliæ genera Saxum Plinius appellat his verbis: Candidis vestibus Saxum utilius a sulphure, inimicum coloribus. Argumentum ex oratione *in Vatinium* pro alba toga certius elicitur, reprehendente Cicerone, quod in publico epulo Q. Arrii accubuerit Vatinius cum toga pulla: cum tot hominum millia, & ipse dominus epuli Arrius, albati accumberent. Cum igitur ad epulum, in funere dari solitum, non propinqui, aut amici nominati invitarentur, sed populus universus; in quo propemodum innumerabiles erant sic a re domestica imparati, ut vestitum epuli gratia mutare non possent; verisimile non videtur, albam togam eos pro tempore sumsisse, ut mox, epulo finito, aliam induerent. Pertinet ad hanc opinionem locus Martialis: ex quo liquet, populum universum alba veste indutum spectaculis interesse. versus hi sunt lib. IV. ep. II.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.

Et illud ejusdem libro VIII. ad togam sibi a Parthenio vate donatam, ep. XXVIII.

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.

Et lib. IX. ep. L. de eadem toga usu trita:

Nunc anus, & tumulo vix accipienda tribuli,
Quam possis niveam dicere jure suo.

Jocatur enim & in colorem, quo laudari toga olim poterat, & in vetustatem, quod ita consumta detritaque jam esset, ut nivea potius, quam lanea, jure dici posset. Nec Gellii testimonium contemno. is lib. III. cap. IV. *Legimus*, inquit, *P. Scipioni, Paulli F. postquam de Pœnis triumphaverat, censorque fuerat, diem dictam esse ad populum a Claudio Asello trib. pl. cui equum in censura ademerat; eumque, cum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse cultu solito reorum.* Candida veste, pro alba toga, dixit: ut Martialis, Candidus sederet, pro albatus sederet. non enim tunc magistratum Scipio petebat, ut vere candidatus esse deberet. Utor etiam ea ratione, quod, si albo colore togæ non fuissent, certe pullo potius, quam aut rubeo, aut violaceo, aut flavo, aut alio quolibet, fuissent. at pullus color in mœrore tantum a viris sumebatur: quemadmodum albus a mulieribus: quod Græci scriptores duo, Plutarchus in *Problematibus*, Herodianus lib. IV. demonstrant. propterea turbam pullatam, ut apud Suetonium legimus, cum vidisset Augustus, colore offensus insolito, indignabundus, & clamitans,

En, ait, Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.

Non igitur tantum eo nomine accusabat illam turbam Augustus, quod pullata, sed etiam, quod sine toga esset. ex quo liquet, pullam togam non fuisse. Quænam igitur, dicet aliquis, pullatorum vestis erat, si toga non erat? Lacerna. Subjunxit enim idem Suetonius: *Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis, togatum consistere.* Et infra, cum dixit: *Sanxit, ne quis pullatorum media cavea sederet: fortis extremæ homines colore vestis ab honestioribus*, id est, a togatis, distinxit. Idem color apud Prudentium, in libro I. *contra Symmachum*, non dubie perspicitur, in illis versibus:

Exsultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum,
Candidiore toga niveum pietatis amictum
Sumere.

Et apud Juvenalem Sat. X.

—— Niveos adfrena Quirites.

Sed nihil apertius Papinii testimonio. is lib. V. *Sylvarum* ita scriptum reliquit:

Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis,
Exsuit, albentique humeros induxit amictu.

Accedit Tertullianus: si famulum tuum, ait in libro *de resurrectione carnis*, libertate mutaveris, & vestis albæ nitore, & anuli aurei honore, & patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur. Omitto enim quasi obscurum argumentum, quod in *Domitiano* scripsit Suetonius: *Generum fratris indigne ferens albatos & ipsum ministros habere, proclamavit*, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. quamquam licet conjicere, quicumque Principibus servirent, eos albam vestem, id est, togam præcipuo jure concessam ferre potuisse. quod cum Titi gener suis & ipse ministris largiretur, indignatum Domitianum exclamasse: Non expedit multos dominari. Hic Romæ mos: quid in reliqua Italia? Togati tan-

A tum, qui Romanis uterentur legibus, ut in præfecturis, coloniis, municipiis. Capua præfectura fuit bello Punico secundo: & Campanum adolescentem, qui Hannibalis de nece cogitavit, Livius lib. XXVII. togatum fuisse ostendit. Tacitus lib. XVIII. *Ornatum ipsius municipia, & coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo, brachas tegmen barbarum, indutus, togatos alloqueretur.* Sociorum vero nec leges, nec amictus Romanus erat. mortui tamen, honoris gratia, cum toga efferebantur. Unde Juvenalis Sat. III.

B *Pars magna Italiæ, si verum admittimus, in qua*
Nemo togam sumit, nisi mortuus.

Nec vero aut Virgilius, aut mimorum poeta Laberius togatam gentem pro Romanis usurpassent; id quod lib. VI. *Sat.* notavit Macrobius; *nisi Romanorum toga propria fuisset.* Unde Suetonius in *Claudio* peregrinis togæ usum adimit, pallium assignat his verbis: *Peregrinitatis reum, orta inter advocatos levi contentione, togatum ne an palliatum dicere caussam oporteret. quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitum sæpius, prout accusaretur, defendereturque jussit.* Exsulibus etiam Romanis, quibus aqua & igni esset interdictum,
C uti toga non licuisse docet Plinius *Epist.* l. IV. Age, Romæ toga utebantur viri: numquid fœminæ? Si ex honesta familia, stolatæ; sin obscuri loci, togatæ: neque hæ solum, sed ancillæ, & impudicæ omnes. de ignobilibus auctorem habeo Pedianum. *Toga*, inquit, *communis habitus fuit & marium, & fœminarum: sed prætexta honestorum, toga viliorum: quod etiam circa fœminas servabatur.* Quamquam non de adultis fœminis, nec de adultis viris, sed de pueris, & innuptis puellis loquitur Asconius. quis enim ignorat, vel viros, absoluto ætatis anno decimo sexto, togam puram, prætexta deposita, sumere consuevisse; *vel matro-*
D *nas uti stola, non toga, solitas esse?* propterea stolatam Ulyssem Caligula Liviam Augustam vocabat. Jam Sulpicia, Servii filia, togatæ mulieris consuetudinem exprobrat Cherinto apud Tibullum, iis versibus:

Sit tibi cura togæ potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servii filia Sulpicia.

Et Horatius Sat. II. lib. I.

——— quid inter-
Est, in matrona, ancilla, peccesve togata?

Et paullo post:

——— Num quid ego a te
Magnum prognatum deposco consule cunnum,
E *Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?*

Et infra matronæ togatam opponit his versibus:

Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus,
Nec magis huic inter niveos, viridesque lapillos,
Sit licet hoc Cherinte tuum, tenerum est femur, aut crus,
Rectius: atque etiam melius persæpe togatæ.

Ubi Porphyrio: Togatæ in publicum procedere cogebantur feminæ, adulterii commissi convictæ. Quo spectat illud Juvenalis Sat. II.

—— est mœcha Labulla:
F *Damnetur, si vis, etiam Corphinia. talem*
Non sumet damnata togam.

Martialis autem lib. I. ep. XXXVI.

Quis floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Et lib. VI. ep. LXIV. cum ignominia dixit:

Matrisque togatæ filius.

Miror autem & Servium in lib. I. *Æneid.* & Nonium Marcellum tribuisse togam probis etiam feminis, ac nobilibus, non modo ignominia notatis, & igno-

ignobilibus. *Sexus omnis*, ait Servius, *& conditio toga utebatur: togas autem etiam feminas habuisse, cycladum & recini usus ostendit.* Nonius: *Toga non solum viri, sed etiam feminæ utebantur.* Servium autem & Nonium de priscis reip. temporibus, non de posterioribus, locutos esse licet existimare. quam conjecturam adjuvat ipse Nonius, hæc subjungens: *Varro de vita populi R. lib.* I. *Præterea, quod in lecto togas ante habebant. ante enim olim fuit commune vestimentum, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Nec vero possum aliter credere, cum videam eundem Varronem lib. VIII. *de L.L.* aperte viris togam, mulieribus stolam tribuere. *Similitudines*, inquit, *sequemur, ut virilis tunica sit virili similis, item togæ. sic mulierum stola stolæ proportione, & pallium pallio simile.* Omitto locum ex *Phil.* II. supra recitatum de togatis meretricibus. iterare enim eadem non placet. Tertulliani verba non omittam. *Habes*, inquit in libro *de Pallio*, *spectare, quod Cæcina Severus graviter senatui impressit, matrona sine stola in publico.* denique Lentuli auguris consultis, quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna: quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quædam desuefecerant. at nunc, in semetipsas lenocinando, quo planius adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulum, & calliandrum, ipsas quoque jam lecticas, & sellas, queis in publico quoque domestice ac secrete habebantur, ejeravere. Hic mihi venit in mentem, rogare aliquem posse, forense ne tantum, an etiam domesticum toga vestimentum esset. huic quæstioni satisfacit Nonius his verbis: *Toga, sicut in consuetudine habetur, vestimentum est, quo in foro amicimur.* Quænam igitur domestica vestis erat, si toga non erat? Lacerna, ut opinor: quod tamen plane non affirmo: loca ostendam, ex quibus conjecturam facio. Gellius lib. XIII. cap. XXI. *Castritius, cum discipulos quosdam suos, senatores, vidisset die feriato tunicis & lacernis indutos, & gallicis calciatos: Maluissem, inquit, vos togatos esse.* Et Suetonius in *Augusto*: *Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis, togatum consistere.* Videtur etiam Cicero forensia opponere domesticis. cum ait *Phil.* II. *Redii cum calceis, & toga, nullis nec caligis, nec lacerna.* Et Horatius quidem, cum in domestica veste ad spectacula venisset, sedente in alba toga populo universo, ridetur a Martiale lib. IV. his versibus:

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.

Quibus etiam versibus nigri coloris fuisse lacernam constat. quod clarissime demonstrat Suetonius in *Augusto*, nam, cum dixisset: *Visa quondam pro concione pullatorum turba*: subjunxit: *Indignabundus, & clamitans, En, ait, Romanos rerum dominos, gentemque togatam: negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis, togatum consistere.* Quo loco doctum hominem Budæum, pro Pullatorum, Palliatorum legisse miror: si modo ita ipse sensit. constat enim ex sequentibus verbis non de palliatis, sed de lacernatis Augustum locutum esse. & infra de

A eodem Suetonius, *Sanxit*, ait, *ne quis pullatorum media cavea sederet.*

Relinquitur ea quæstio, urbanæ tantum, an etiam castrenses togæ fuerint. Quis putet, milites, cum pugnarent, impediri longa veste voluisse? demus igitur, saga, militibus; in urbe commorantibus togas. quamquam in urbe quoque, propinquis hostibus, ac periculo impendente, saga sumta esse legimus. ut in *Phil.* VIII. *Consulares togati esse solent, cum civitas est in sagis.* Et *Phil.* XIV. *Si D. Brutum egressum jam Mutina cognovissem; propter cujus periculum ad saga issemus, propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum sine ulla dubitatione censerem.* B Exspectatione tamen longioris belli togæ videntur ab urbe ad exercitum esse missæ, non quibus in acie, sed quibus in otio castrorum uterentur. Livius lib. XXII. *Venusiam ad consulem ad quatuor millia peditum equitumque, qui sparsi fuga per agros fuerant, pervenere.* eos omnes Venusini per familias benigne accipiendos curandosque cum divisissent, in singulos equites togas & tunicas dederunt. Et lib. XXIX. *Hispanis populis pax reddita: stipendium ejus anni duplex, & stipendium sex mensium eis imperatum, sagaque & togæ exercitui.* Et infra eodem libro: C *Vestimenta exercitui deerant.* id mandatum Octavio prætori, ut cum prætore ageret, si quid ex ea provincia comparari, aut mitti posset. ea quoque haud segniter curata res mille ducentæ togæ brevi spatio & duodecim millia tunicarum missa. Et lib. XLIV. *Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: equis* CC. *ferme opus esse, maxime Numidis.* S. C. *ut ea omnia ex literis consulis fierent factum est. C. Sulpicius prætor sex millia togarum, triginta millia tunicarum & equos deportanda in Macedoniam, præbendaque arbitratu consulis, locavit.* Ex numero togarum satis licet suspicari, non universo exercitui, sed honestioribus, distributas esse, ut centurioni- D bus, & equitibus. quod eo verisimilius est, quia Livius lib. XXII. loco supra recitato, cum quatuor millia peditum equitumque nominasset, solis tamen equitibus attributas togas esse ostendit. De centurionibus ideo suspicor, quia peditibus cunctis honore præstabant: & cum his conjungo reliquos, qui deinde locum in militia, qualem cujusque virtus postularet, obtinebant. Hoc si credimus; vitabimus illam difficultatem, ne loca locis adversari videantur. nam & lib. III. idem Livius togarum usum in castris insolitum esse demonstrat, cum ait: *Virginius, præterquam quod agmine prope* E *quadringentorum hominum veniens, qui ab urbe indignitate rei accensi, comites ei se dederant, conspectus est; strictum etiam telum, respersusque ipse cruore tota in se castra convertit: & togæ multifariam in castris visæ, majoris aliquantum, quam erat, speciem urbanæ multitudinis fecerant.* Et paulo post: *Immixti turbæ militum togati*, &c. Cicero autem *in Pisonem*: *Togula*, inquit, *lictoribus ad portam præsto fuere: quibus illi acceptis sagula rejecerunt, catervam imperatori suo novam præbuere.* Quibus testimoniis (ut alia omittantur multa) infirmantur superiora, sic, ut videantur in castris togæ non fuisse. verum hæc ita conciliantur, si non omnibus F militibus, sed honestioribus togas esse datas arbitremur. Priscos tamen in toga pugnasse cinctos, in *Coriolano* Plutarchus docet. Hæc de toga.

ALDUS MANUTIUS PAULLI F. ALDI N.

DE TUNICA ROMANA,

AD M. ANTONIUM BARBARUM,

D. MARCI PROCURATOREM.



QUi vel mediocriter in literarum studio versati sunt, *M. Antoni Barbare*, quantum Hermolaus Barbarus, quantum Franciscus pater ejus, quantum Daniel frater tuus, quantum tot alii Illustres ex Familia Tua Viri pro re literaria desudarint, optime norunt. Quibus Tu accessisti, ut Familiam illustrares, maximum Venetæ Reip. ornamentum; in quo cum omnis virtus eniteat, eam tamen præcipue laudem Tibi omnes tribuunt, ut dicant, magis Te de Reip. salute, quam de Tua, solicitum esse. recte. quis enim bonus, vel si contingat pro Reip. vitam effundere, umquam recusabit? Gravitatem illam tuam, integritatem, magnitudinemque animi, quis oratione ulla se assequi posse confidit? Onus hoc haud mearum esse virum, facile intelligo: neque hujus loci. In aliud igitur tempus reservemus de tuis summis virtutibus sermonem facere. Interim hæc ad Te mittimus, animi nostri pignus. ut me scias in Tuis numerari vehementer cupere.

Veteres Romani togam habuere sine tunica. qua de re sic Gellius lib. VII. cap. XII. *Tunicis uti virum prolixis, ultra brachia, & usque in primores manus, ac prope digitos, Romæ, atque omni in Latio, indecorum fuit. Viri autem Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: postea substrictas, & breves tunicas, citra humerum desinentes, habebant.* hac antiquitate inductus P. Africanus, Paulli filius, P. Sulpicio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. Et D. Augustinus in tertio *de doctrina Christiana*: *Talares, ac manicatas tunicas habere, apud Romanos flagitium erat.* quod etiam videtur Virgilius confirmare, cum dicit *Æn.* IX.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitbræ.

Quo in loco Servius hæc: *Tunicæ vestræ habent manicas.* Quod etiam Varro vituperat, dicens, *Manicatis, & talaribus tunicis.* Nam colobiis utebantur antiqui. Lato clavo, quod genus tunicæ fuit, primus Romæ usus est Tullus Hostilius rex, devictis Etruscis, ut ait Plinius lib. IX. cap. XXXIX. nec dubitandum videtur, quin eadem tunica reliqui reges usi sint. Pulsis regibus, per aliquot annos toga sola amictos fuisse senatores, & Gellii verba, paullo ante recitata, demonstrant; & id confirmat Pedianus, qui Camilli ætate, a quo urbs Roma Gallorum obsidione liberata est, tunicas non fuisse, indicat his verbis: *Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. in forum quoque sic descenderat, jusque dicebat: idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ætatis statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt togatæ sine tunicis.* Post obitum Camilli annis XXXI. latos clavos, audita pace Caudina, depositos, docet Livius lib. IX. itaque nec vivente Camillo, nec multis tamen post ejus interitum annis inductus videtur gestandæ tunicæ mos. Ac, ne quis putet, tunicam lati clavi communem omnium fuisse, tunicarum duo genera reperio, cum clavis unum, alterum simplex. clavi autem vel lati, vel angusti: lati omnium, qui vel patre senatore, vel equite nati essent, non a primis annis per omnem ætatem, sed ab anno XVII. quo etiam virilis toga sumebatur, ad annum ætatis senatoriæ, quo anno curiam ingredientibus remanebat ejusdem tunicæ jus, addito præterea omni reliquo jure, quo senatorius ordo præcipue fruebatur: sin autem senatoriam dignitatem non assequerentur, vel quia nollent, otiosam, ac tranquillam vitam honoribus anteponentes; vel quia non possent, gratia destituti; lato clavo deposito angustum sumebant. id cognoscitur e sequentibus Ovidii versibus: qui & sumtum ab eo significant latum clavum cum toga virili, & eundem, recusante poeta senatorium locum, restrictum significant. natus autem est, ut ipsemet testatur, patre equite Romano, non senatore: & lato tamen clavo citra ætatem senatoriam ita usus est, ut qui patre senatore nati erant: quos opinor semel sumto lato clavo semper usos esse: facile enim admissos in curiam, qui senatorum essent filii: quibus etiam quo anno togam virilem accepere, aditum in curiam solis Augustus permisit: ut infra ostendam. Sed versus Ovidii recitentur, qui sunt elegia X. lib. IV. *Trist.*

Interea tanto passu labentibus annis,
Liberior fratri sumta mihique toga est:
Induiturque humeris cum lato purpura clavo:
Et studium nobis, quod fuit ante, fuit.
Cepimus & teneræ primos ætatis honores:
Deque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat: clavi mensura coacta est:
Majus erat nostris viribus illud onus.

Nemo jam, opinor, dubitabit, si Ovidius, equestri loco natus, latum clavum gestavit ante senatoriam ætatem, quin eundem ii gestare potuerint, quorum patres senatores fuerant. sed conjectura sæpe fallax: igitur adjuvetur exemplo. C. Cæsarem, qui deinde perpetuam dictaturam invasit, patritii generis, ortum nobilissimis majoribus, lato clavo adolescentem usum esse, Suetonius narrat. *Cultu*, inquit, *notabilem ferunt: usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter, quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde manasse Sullæ dictum, optimates monentis, ut caverent puerum male præcinctum.* Hæc de Cæsare nondum senatore Suetonius. idem de Augusto sic: *Sumenti virilem togam tunica lati clavi, resuta ex utraque parte, ad pedes decidit.* Quod si quis contendat, non simul cum toga virili sumtam esse tunicam lati clavi, sed ab iisdem antea quoque gestari solitam, & mansisse post sumtam virilem togam: hic si Ovidii versum jam a nobis recitatum consideret,

Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

non dubito, quin sententiam mutet, mecumque sentiat, primum annum lati clavi & virilis togæ eundem fuisse, vel in senatorum, vel in equitum filiis. Postea mutavit eam consuetudinem Augustus, permisitque solis senatorum filiis; ut cum

toga virili latum clavum sumerent, curiamque sine mora introirent. qua de re Suetonius, *Liberis*, inquit, *senatorum, quo celerius reip. assuescerent, protinus virili togæ latum clavum inducere, & curiæ interesse, permisit.* Hoc necesse videtur ab Augusto factum esse post latum clavum ab Ovidio cum toga virili sumtum: nam is equitis Romani, non senatoris, filius fuit. Angustus clavus equitum fuit post annum ætatis senatoriæ decursum. Vellejus lib. II. *Mæcenas non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe vixit angusti clavi pæne contentus.* Inde mos obtinuit, ut laticlavii, angusticlavii dicerentur, quibus gestandi latum, aut angustum clavum, jus esset. ac laticlavii & apud Suetonium, & in antiquis lapidibus non infrequens mentio. de angusticlavio autem sic idem Suetonius in *Othone*: *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, XIII. legionis tribunus angusticlavius.* sic enim scriptum est in libro Vaticanæ Bibliothecæ, non, ut in impressis, *Augusti clavius*. Hos clavos insutos fuisse tunicis, non, ut quidam putarunt, intextos, demonstrat Ulpianus, *De auro & argento legato, L. Vestimentum*: *Vestimentorum*, ait, *sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, incubandive caussa parata sunt; & quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ, clavique qui vestibus insuuntur.* Et Quinctilianus lib. VIII. cap. V. *Porro, ut affert lumen clavus, purpuræ loco insertus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis.* Tunicæ manicis carebant. Ideo Suetonius de Cæsare dixit: *Usum ferunt lato clavo ad manus fimbriato.* animadversum enim significat, non modo quod ad manus demitteretur, verum etiam quod fimbriatus esset Cæsaris latus clavus. & Gellius lib. VII. cap. XII. *Tunicis uti virum prolixis, ultra brachia, & usque in primores manus, ac prope in digitos, Romæ, atque omni in Latio, indecorum fuit: fœminisque solis vestem longe lateque diffusam decere existimaverunt.* Viri autem Romani primo quidem sine tunicis, toga sola amicti fuerunt: postea substrictas, & breves tunicas, citra humerum desinentes, habebant. hac antiquitate inductus P. Africanus, Paulli filius, P. Sulpicio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. Quod si manicatæ civium Romanorum tunicæ fuissent; non dixisset Cicero illa, quæ leguntur oratione II. *in Catilinam*: *Quos videtis manicatis & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* reprehendit enim quod ab improbis, luxuque diffluentibus adolescentibus præter communem consuetudinem fieret. De longitudine tunicæ, hæc ipsa, quæ proxime recitata sunt, Ciceronis verba, ad talos non demitti solitam ostendunt. Idem reprehendit in Verre talarem tunicam, ut indignam viro. quod Quinctilianus lib. XI. comprobat his verbis: *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant.* nam infra, mulierum est; supra, centurionum. latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis summissior. Porro, si quis roget, an lati clavi pariter & angusti cingerentur: de angustis annuere, de latis negare videor posse. nam, quæ tunicæ latum clavum non haberent, eas cingi solitas esse, declarat Quinctilianus lib. XI. iisdem verbis: *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant.* latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis summissior. Non cingi solitum latum clavum, & cingi tunicam lato clavo carentem, plane cognoscitur. Suetonius quoque de lato clavo, non cin-

A ncto significat his verbis: *Usum ferunt lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter, quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura.* Quibus verbis aperte notat Cæsaris morem in cingendo lato clavo contra communem consuetudinem. Horatius autem de tunica non lati clavi locutus est, cum dixit Sat. II. lib. I.

Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo.

Hæc de clavatis tunicis. de simplicibus inde conjicio, quod, ut equites a senatoribus clavi magnitudine, post ætatem senatoriam distinguebantur:

B sic eorum, qui equestris ordinis non essent, dissimilem equestri tunicam fuisse, atque omnino clavis caruisse, credibile videtur. nec tribuni nominarentur angusticlavii, quod est argumentum honoris ab Imperatore accepti, si communis inter equites & infimi ordinis homines latus clavus fuisset. Restat color, quem fuisse purpureum non modo in latis clavis, verum in reliquis etiam tunicis, Veterum testimoniis probabo. nam, si tunicæ expertes lati clavi purpureæ sunt: cur latos clavos, id est, nobilissimum tunicæ genus, purpura privemus? tunicas autem lato clavo carentes purpureas fuisse, aperte docet lib. XI. Quinctilianus his verbis: *Ut purpuræ recte descendant, levis cura est:*

C *notatur interim negligentia.* Non loquitur de tunica lati clavi, & purpuras tamen nominat. Cicero etiam purpuream tunicam non modo in ordine senatorio, verum in plebeiis quoque hominibus videtur agnoscere, cum ait de L. Pisone in oratione *pro Sextio*: *Vestitus aspere, nostra hac purpura plebeja, ac pæne fusca. Nostra*, dixit, qua nos utimur senatores: *Plebeja* vero, quia purpurea Pisonis tunica fili crassitudine plebejæ purpuræ similior, quam senatoriæ, videretur. Deinde subjunxit de colore, *Ac pæne fusca:* quia varius erat purpurarum color, ut ex Plinio liquet. Verum de tunica lati clavi purpurea, ut omittantur dubiæ for-

D tasse fidei testimonia, satis aperta fit significatio in hoc Ovidii versu:

Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Plinius autem lib. IX. c. XXXVI. dum dixit: *Purpura distinguit equitem a curia*: non significavit, in senatoria tunica purpuram fuisse, in equestri non fuisse: jam enim probavimus, purpuram in omni tunica fuisse: sed de lato clavo purpureo locutus est, qui senatorem ab equite purpureum quidem clavum, angustum tamen gestante, distingueret. id explanat idem Plinius lib. XXXIII. cap. I. cum ait: *Annuli distinxere alterum ordinem a plebe,*

E *sicut tunica ab annulis senatum tantum.* quamquam & hoc sero: vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones. Quis non videt latum clavum significari? nam, si solus purpuræ color senatum ab equitibus distinxisset, non dixisset, Purpura latiore tunicæ, sed purpurea tunica. Nec vero iis assentior, qui, Festum secuti, si modo Festus ita scripsit, tunicam palmatam a latitudine clavorum dictam, & eandem esse cum lato clavo arbitrantur. quid enim simile habet clavus cum palma? ego tunicam fuisse palmatam existimo, quam triumphantes, toga picta superimposita, tamquam insigne victoriæ gestarent. propterea Li-

F vius eam simul cum toga picta nominat lib. X. *Quos*, inquit, *vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & tota picta, & corona triumphali, laureaque honoratis.* Quo loco satis patet non significari latum clavum: non enim post togam prætextam nominaretur; cum toga prætexta sit honoratior, quia non ea senatores omnes ut lato clavo, sed tantum qui magistratum gererent, utebantur. magistratuum, & triumphantium insignia posuit Liv. magistratuum, sellam curulem, togam prætextam; triumphantium autem, tunicam palmatam, togam

pictam, coronam triumphalem lauream. sic idem Livius lib. XXX. Massanissam Scipio sella curuli eburnea, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat, addit verbis honorem: neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse. Quis autem putet non differre tunicam triumphantium a tunica senatorum, cum eorundem togas diversas esse videat? Purpureæ igitur tunicæ & lati clavi, & angusti, & fortasse etiam quæ clavorum expertes. Itaque purpuram plebejam Cicero nominavit in oratione *pro Sextio*, & Quinctilianus lib. XI. cum dixit, *Purpuræ rectæ descendant, de solis equitum tunicis, quæ angustum clavum habebant, locutus non est, sed de tunicis omnium oratorum, qui latum clavum non haberent: qui tum equestris ordinis, tum de plebe etiam fuerunt.* In eam tamen sententiam adducor, primum ut equestrem tunicam plebeja, equestri senatoriam colore præstitisse putem: deinde, ipsos clavos clariore purpura, quam reliquam togam, fuisse, ut discerni scilicet possent. ideo dixit in Modio Varro, cujus testimonio utitur Nonius: *Quorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos*. Non puto, qui hæc superiora legerit, dubitare quemquam posse, de communi omnium tunicarum purpura: quamquam, cum dixit Horatius, *Tunicato scruta popello*, fateor de purpurea tunica non esse accipiendum. absurdum enim, si credamus, qui propter inopiam expers togæ tunica tantum corpus tegat, eum purpura uti. Sed, cum dicimus, communem fuisse omnium tunicarum purpuram, nimirum de tunicis eorum intelligi volumus, qui toga quoque uterentur. Hic miror, qui venerit in mentem nonnullis opinari, quod etiam literis mandarunt, jus purpuræ solis fuisse aut senatoribus, senatorumve filiis, aut magistratibus, aut patritiis hominibus. iidem, quod togæ fuit, tunicæ lati clavi tribuerunt, prætextam purpuram fuisse asserentes, errore ita perspicuo, ut in refellendo supervacanea prorsus opera videatur. non enim tunicæ, sed togæ prætextæ nominantur, nec omnes togæ, sed quibus uterentur quinque hominum genera, pueri ad ineuntem ætatis annum XVII. magistratus omnes, excepto tribuno pl. ut ait Plutarchus; sacerdotes omnes, quorum in numero augures comprehenduntur; senatores diebus festis; magistri collegiorum, cum ludos Compitalicios facerent. qua de re aptior alias erit locus. Fortasse hic aliquis requirat; cum tunica lati clavi ab imperatoribus dabatur, utrum equitibus tantum, an etiam plebeiis hominibus daretur. Licuisse imperatoribus existimo, quidquid libuit: equitibus tamen solis latum clavum dari solitum, indicat Suetonius in *Claudio*, cum ait: *Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit*. Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum se senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit. sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. Institutum autem hoc supplendi ex equestri ordine senatus antiquissimum video fuisse. nam, ut Livius docet, L. Brutus, is qui Tarquinium ejecit, cædibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus electis, ad trecentorum summam explevit. Eos autem equites plebejarum fuisse gentium, non patriciarum, & Livius ipse demonstrat, cum subjungit: *Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis, jungendosque patribus plebis animos*: & Festus etiam planius: *Regibus*, inquit, *urbe expulsis, P. Valerius consul propter inopiam patriciorum ex plebe allegit in numerum senatorum* CLXIV. *ut expleret numerum trecentorum*. Sed, ut aliquando de tunica concludamus; subuculam primum, deinde tunicam, postremo togam viri induebantur. ac de subucula sic Varro lib. IV. *Capitium ab eo, quod capit pectus, id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit: alterum, quod subtus, a quo subucula; alterum, quod supra, a quo supparus*. Et Horatius:

— si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ.

Et Suetonius de Augusto: *Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, & subuculæ thorace laneo muniebatur*. Varro autem lib. I. *de vita populi Romani*, indicat, cum binas tunicas Romæ habere cœperunt, subuculæ, & intusii orta esse nomina, quo scilicet ab inferiore superior tunica distingueretur; & subucula esset inferior viri tunica, quod jam exemplis probatum est; intusium inferior tunica mulieris; tunicæ vero nomen in superiore tantum tunica remaneret. Varronis verba, quæ ad hanc rem pertinent, desiderari non patiar: *Postquam*, inquit, *apud Nonium, binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam, & intusium*. Nec Varro morem suæ ætatis, sed longe superioris ostendit. nam intusium semel & iterum a Plauto nominatur. Intusium autem non fuisse virilem, sed muliebrem inferiorem tunicam, primum ex Plauti locis intelligitur, muliebrem vestem plane significantibus; deinde Varronis verbis, quæ cum palla intusium conjungunt, lib. IV. Nam, cum de capitio dixisset, subjunxit hæc: *Alterius generis item duo: unum quod foris, ac palam, a quo palla; alterum, quod intus, a quo intusium*. Pallam vero mulierum fuisse, stolæque imponi solitam, vel Horatii versus perspicue demonstrat, lib. I. Sat. II.

Ad talos stola demissa, & circumdata palla

Nec vero sibi Varronem adversari quisquam putet, quia cum de vetustiore duarum tunicarum usu scripsisset, in alio libro, cujusmodi Nonius testimonio utitur, de unica tunica mentionem fecerit, hoc modo: *Mihi puero modica una fuit tunica, & toga, sine fasciis calceamenta, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus*. Non enim dicit, *Me puero modica una fuit tunica*. quibus verbis morem omnium communem ostenderet; sed, *Mihi puero*, ut continentiam suam, domesticamque disciplinam ostenderet. nam, licet ante Varronis ætatem secunda tunica esset inducta, quam in mulieribus intusium, subuculam in viris appellatam dixi: non tamen ita increbuerat Varrone puero hic mos, ut omnium communis esset. Supparus autem, ut Varro, & Festus appellant, vel, ut Lucanus, & Nonius, Supparum, non virilis tunica, sed muliebris, eaque puellarum fuit, pectus capiens, ut ait Varro, id est, indutu comprehendens, angusta, lacertosque cingens, ut Lucanus lib. I. ostendit:

— humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

Inter Varronem autem, Festum & Nonium, in eo non convenit, quod Varro diversum a subucula supparum, & a supra dictum, subuculam a subtus, demonstrant: Festus autem non distinguit supparum a subucula, cum ait: *Supparum, vestimentum puellarum, quod & Subucula appellatur*. Quibus verbis videtur existimasse, quod & Nonius plane narrat, supparum appellatum a subtus, non, ut Varro, a supra. nisi si mutuam consuetudinem putemus: ut, cum supparum Varronis ætate pectus dumtaxat comprehendisset. vel etiam, ut ex Lucano colligitur, lacertos cinxisset; postea, Festi, Noniique temporibus, ad talos usque penderet. ait enim Nonius: *Supparus est linteum femorale, usque ad talos pendens, dictum, quod subtus appareat*. Quid, si nec Nonius, & Festus inter se satis congruunt? nam

Nonius linteum femorale ad talos usque pendens vocat supparum: Festus autem subucula: quæ si est capitii genus, ut ait Varro, certe ad talos non descendit, ac fortasse ne ad femora quidem. Hic mihi venit in mentem, posse supparum & a supra, & a subtus vocari: a supra, habita ratione intusii, quæ fuit inter omnes muliebres tunicas, hærebatque carni, ut ait Nonius; a subtus, quia subesset stolæ, & subtus appareret ad talos pendens, ut idem Nonius docet. ita, quod ad nominis caussam attinet, non discrepabit a Varrone Nonius. Fuere igitur, ut summatim agamus, & sparsa colligantur, muliebres quatuor vestes, intusium intra tunicas omnes, supparum, stolam, pallam: supparum autem subuculam esse dictum non Varronis ætate, cum præter subuculam esset supparus: quod ipsius Varronis verba declarant; sed scribente Festo, cum subuculæ virilis nomen ad suppari muliebris tunicæ significationem transisset. Ac, ne quis erret in nominibus; tunicam Nonius etiam stolam appellavit, pallium autem pallam. Palla, inquit, & honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium. Aperte tunicam vocat stolam: nam stola pallæ suberat, ut Horatio teste probavimus: pallium autem pro palla accipit. Varro etiam videtur opponere togæ virili pallium muliebre: quod, nisi fallor, accipit pro palla, in quo sentit cum Nonio: tunicæ autem virili stolam muliebrem. ejus verba sunt hæc lib. VII. *de L. L. In vestitu, cum dissimillima sit virilis toga tunicæ, muliebris stola pallio, tamen inæqualitatem hanc sequimur nihilominus.* In viro togam, & tunicam nominat, in muliere stolam, & pallium. ac pallium esse operimentum tunicæ, & pallam significare, Nonii te-

A stimonio demonstratum. ita fit, ut, quemadmodum virilis tunica sub toga, sic stola muliebris sub pallio sit, & pallium a palla non differat. idem Varro lib. VIII. cum stola muliebri pallium jungit, nulla pallæ mentione; cum tunica virili togam: ut necesse sit, respondere tunicæ virili muliebrem stolam, togæ pallium. Nam, si quis respondere putet pallium virili tunicæ potius, quam togæ: is intra stolam pallium indui solitum opinetur, necesse est. quod absurdum plane videtur, & cum Nonii, & Horatii sententia pugnabit; quorum alter pro palla pallium posuit, alter autem pallam stolæ circum-

B dedit, non stolam pallæ in illo versu:

Ad talos stola demissa, & circumdata palla.

nec aliter Virgilius lib. II. *Æn.*

—— *pro longæ tegmine pallæ*

Tigridis exsuviæ per dorsum a vertice pendent.

& Varro lib. IV. inde Pallam nominatam ait, quod foris, ac palam. Ulpianus etiam, *De auro & argento legato. L. vestimentum*, ideo pallium in muliebrium vestimentorum commemoratione omittit, quia pallam nominari satis arbitrabatur. nam, si quis omissum arguat, quia muliebre vestimentum non esset: refelletur duobus Varronis locis, pal-

C lium cum stola conjungentibus. Nec tamen negaverim, virorum quoque, & puerorum pallia fuisse: verum, ut hoc idem Ulpianus docet, sic dissimilia palliis muliebribus, idest, pallis, fuisse, declarat his verbis: *Muliebria sunt, quæ matris familias caussa parata sunt, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione, veluti stolæ, pallæ, tunicæ, capitia.* Nam, si palla vir uti non potest, sine vituperatione; & palla pallium est: sequitur, ut virile pallium a muliebri pallio, id est, palla, differat.

ALDUS MANUTIUS PAULLI F. ALDI N.

DE TIBIIS VETERUM,

AD BARTHOLOMÆUM CAPRAM.



INGRATUS sim, Bartholomææ Capra, si quæ in Patrem meum officia contulisti, ea mihi in animo fixa non hærerent. Memini, quam grata, & jucunda Tui memoria Patri esset. nec ego ei dissimilis in eo unquam ero. &, cum eximiis tuis erga nos meritis vix ullo pacto respondere possim, enitar saltem, ut, iis agnoscendis, & prædicandis, non omnino ingratus judicer.

Dextræ tibiæ erant, quæ dextra histriones spectabant, sinistra scilicet spectatores. Sinistræ contra, quæ sinistra histriones, dextra spectatores. Opinor autem, sinistras gravem sonum reddidisse, dextras acutum. sinistræ enim ex ea arundinis parte fiebant, quæ proxima terræ nascitur: quæ cum crassior sit, & foramen latius habeat, quam quæ longinquior a radice est, graviorem sonum reddat, necesse est. dextræ autem ex superiore arundinis parte fiebant, testis Plinius lib. XVI. in extremo cap. XXXVI. his verbis: *Sed tum ex sua quamque tantum arundine congruere persuasum erat: & eam, quæ*

D *radicem antecesserat, lævæ tibiæ convenire: quæ cacumen, dextræ.* Hinc legas, *Acta est tibiis dextris, & sinistris*, id est, sono acuto, & gravi, tibiis utrimque constitutis. Ubi autem legitur, *Paribus dextris, & sinistris*, Sarranas significat, dextrorsum sinistrorsumque positas, quæ Pares vocabantur, quod foraminis caverna, ut ait Servius, par erat; ideoque sonum parem reddebant, ut Phrygiæ impares, quod cavernam imparem habebant, ex quo sonum reddebant imparem, acutum scilicet partim, & partim gravem. Ex quo Servius interpretans illud Virgil. lib. IX. *Æneid.*

E *O vere Phrygiæ, (neque enim Phryges) ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat Tibia cantum:*

explanat, *Biforem*, dissonum, imparem, & dissimilem, juxta Phrygiarum tibiarum naturam, quæ hoc a Sarranis distabant, quod, ut ait Servius, cavernam foraminis imparem habebant; ut Phrygiæ distabant, quod dextræ unicum foramen habebant, ut sonitu uniformi sonarent; sinistræ vero, duo: quorum unum gravem, alterum acutum sonum reddebant. Quod vero dextræ tibiæ acutum, sinistræ gravem sonum reddiderint, præter Plinii, Varronis quoque testimonium exstat, *de Re Rust.*

lib. I. cap. II. quo loco ait, *Tibias dextras, & sinistras*, cum uno eodemque tempore sonarent ut histrionum vocem sequerentur, alteram incentivam, alteram succentivam fuisse. Quod autem, ubi Incentivam nominat, dextram significet; ubi Succentivam, sinistram; nihil dubito. subjungit enim: *Agricultura succinit pastorali*, quod est inferior, ut tibia sinistra dextræ foraminibus. Cum igitur sinistra succentiva sit, gravis sonus erit; dextræ autem acutus, quoniam incentiva, sinistræque foraminibus superior, cum majorem foraminum numerum habeat sinistra, cui, ut graviter sonet, pauca foramina sufficiunt. Quo loco vero dicit: *Tibiis Sarranis*, idem est, ac si dicas, *Paribus*: cavernam enim
B parem habebant, ex quo parem quoque sonum reddebant. Et, quoniam eruditi quidam Artis Musicæ scriptores, scripsere, ideo in Terentii *Adelphis*, quæ comœdia acta fuit ludis funebribus Q. Fabii Maximi, sonuisse Sarranas sine Phrygiis, quod par sonus rebus mœstis aptior esset, quam acutus: opinor ego, Sarranas, id est, pares, non solum in rebus mœstis, verum etiam in lætis sonuisse; cum videam non tantum in *Adelphis*, sed & *Andria*, & in *Hecyra* fuisse *Tibias pares*, id est, *Sarranas*. nisi si tres eas comœdias actas fuisse ludis funebribus alicujus summi civis credamus; quod falsum est: Hecyra enim primum acta ludis Romanis. Et, quo-
C niam Acro, *in Horatii Artem Poeticam*, ait, ex Varronis sententia, Tibias veteres quatuor foraminum fuisse: potest id dupliciter intelligi. prior explanatio est quod, cum Acro legerit in Varrone, Tibias veteres, indicio id est, Varronis tempestate Tibiarum foramina mutata fuisse, cum Veteres nominet. Verum, si Acro ex persona sua Veteres nominat, quemadmodum ego arbitror, cum ipse inferior multis annis, sæculisque a Varrone fuerit: dicamus, ita locutum Acronem, ut rem alienam a temporibus suis designaret, Tibias scilicet non habuisse quatuor foramina, quemadmodum Varronis
D tempestate; vel quod prorsus in usu esse desiissent, nec amplius in Comœdiis sonarent, ut hodieque in usu non sunt. Donatus dextris tibiis gravem sonum tribuit, sinistris acutum. in quo aperte fallitur: quod non solum Plinii jam recitato testimonio probavimus, qui Tibias dextras ex arundinis cacumine fieri ait, sinistras ex ea quæ radicem antecesserit; sed etiam Varronis, qui dextram incentivam, succentivam sinistram appellat. Fallitur quoque in eo, quod ait, Tibias Sarranas, sinistrasque easdem esse. nam, si Sarranæ pares sunt, & Phrygiæ impares, ob foraminis æqualitatem, in-
E æqualitatemque, quod ait Servius: manifesto patet, Sarranas tam dextras, quam sinistras esse posse: quales in *Andria* Terentii fuisse existimo: ideoque in inscriptione legitur, *Tibiis paribus dextris, & sinistris*, id est, Sarranis. Et in *Adelphis*, ubi legitur *Tibiis Sarranis*, easdem opinor fuisse cum paribus dextris, & sinistris. Et in *Phormione*, *Tibiis imparibus*, ex plano *Tibiis Phrygiis dextris & sinistris*. Hanc opinionem meam id confirmat, quod numquam reperi Phrygias, aut Sarranas nominatas una cum paribus, aut imparibus. quod indicio est, *Paribus*, ad indicandas Sarranas; & *Imparibus*, ad Phrygias, satis fuisse. Illud etiam animadverti, Sarranas,
F Phrygiasque in una eademque comœdia nunquam sonuisse, sed vel has, vel illas. ideoque legitur, *Paribus, aut imparibus*; nec unquam una, *Paribus, & imparibus*. Opinor etiam, ubi legitur, *Dextris*, intelligendum esse, non unam tantum, sed plures Tibias a dextris sonuisse sinistrisque scenæ: aliquandoque sonuisse tantum ex altera parte, quo modo in *Eunuchi* inscriptione legitur, *Tibiis duabus dextris*: itaque est in scriptis libris, & recte. Quo loco dubitavi interdum deesse *Paribus, vel imparibus*: ut ostenderet, Phrygiæ ne, an Sarranæ essent; quod in aliis dixerat. sed postea, cum neque *Paribus*, neque *Imparibus* ibi scriptum sit, intelligi debere existimavi, Pares potius, quam impares fuisse: Sarranas scilicet potius, quam Phrygias: cum æqualis sonus gravior sit, qui Sarranarum erat, ideoque convenientior, & Romanorum auribus jucundior. Quod autem dextræ Tibiæ sint pares, id patet ex *Heautontimorumeni* inscriptione, ubi est, *Acta primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris*. nam, si dextræ non eædem sunt cum imparibus, sequitur pares esse. pares autem easdem fuisse cum Sarranis, jam diximus. impares igitur Phrygiæ sunt, a sinistraque sonabant. Ex quo patet, Sarranas modo utrimque sonuisse, tuncque dicebant, *Tibiis paribus dextris, & sinistris*, ut in *Andriæ* inscriptione; modo a dextra tantum, ut in *Heautontimorumeno*, ubi ait, *Deinde duabus dextris*, cum dixisset jam, *Acta primum tibiis imparibus*. In *Eunucho* quoque sonuerunt tantum a dextra: dicit enim, *Tibiis duabus dextris*. Ubi vero neque dextræ, neque sinistræ nominantur, ut in *Phormionis, Hecyræque* inscriptionibus: credendum est, ab uno tantum latere sonuisse: a sinistro scilicet, in *Phormione*; cum dicat, *Tibiis imparibus*: a dextro autem, in *Hecyra*, cum dicat, *Tibiis parilibus*, testimonio enim inscriptionis *Heautontimorumenu* jam demonstravimus, impares, Phrygias scilicet, sonuisse tantum a parte sinistra. Sarranas vero sonuisse opinor modo a dextra solum, ut in *Eunucho*, & in *Heautontimorumeno*: tuncque in Comœdiæ inscriptione id apertte significabatur, & dicebatur *Tibiis dextris*: modo a dextra, & sinistra, ut in *Andria*, ubi, tanquam de re, quæ interdum variaret, *Dextris, & sinistris*, dicitur. Diomedes Tibiarum tria genera nominat, *dextras, Sarranas, sinistras*. in quo dupliciter errat. Primum, quod, si Sarranæ aliæ sunt a dextris & sinistris, non tria, sed quatuor Tibiarum genera erunt; cum sint & Phrygiæ, quas Servius Sarranis opponit. errat & in eo, quod Sarranas a dextris, & sinistris distinguit, cum Sarranæ possint esse dextræ, sinistræque. quod & jam probavimus, & ex *Adelphorum* inscriptione patet. in qua cum sit, *Tibiis Sarranis*, neque dicatur, *dextris aut sinistris*: quis non videt, in Sarranis inesse dextris & sinistris, vel saltem dextris? cum ex altero scenæ latere, vel ex ambobus sonuisse necesse fuerit. utriusque autem moris exempla dedimus, cum de Sarranis loqueremur. Phrygias enim a latere sinistro tantum sonuisse videtur: quod ex *Heautontimorumeni* inscriptione elicitur.

Tibiæ autem non semper ex arundine factæ sunt, sed Plinii ætate sacrificæ e buxo, ludicræ autem e loto, ossibusque asininis, & argento. Qua de re in nostro *commentario Artis Poeticæ Horatii*, quem ad te mittimus, Bartholomæe Capra, diximus; & apud Plinium in extremo cap. XXXV. lib. XVI. quædam leguntur.

THEOPHILI RAYNAUDI

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

T R A C T A T U S

D E P I L E O,

Cæterisque Capitis tegminibus, tam ſacris quam profanis.

IN EFFIGIEM
D. DE MARIDAT,

ABSQUE PILEO, HUIC OPUSCULO DE PILEO PRÆFIXAM,
DUM PRIMUM EDEBATUR.

DE tot honorificis Capitis, quæ pagina claudit,
Tegminibus nullum clare Senator habes;
Nam vaſtum ingenium, ſpatioſaque gloria mentis,
Pileoli exiguo non valet orbe tegi.

A. S. C.

ALIUD.

Impoſuit Capiti nullam ſculptura coronam:
Nam male tot meritum cingeret una Caput.

B. D. S.

ALIUD.

Pileus eſt clypeus, Caput undique muniat illis,
Quos tela invidiæ non toleranda petunt,
Ingenioſorum MARIDAT dominatus in orbe,
Et ſupra invidiam, cur egeat clypeo?

J. D. C.

ALIUD.

Pileoli nulla in vultum diffunditur umbra,
Sic candor animi & vera libertas patent.

C. D.

ALIUD ANONYMI.

Non potuit Cœlum Capiti par addere tegmen,
Hoc Cœli effigiem perficientis erit.

VIRO


VIRO CLARISSIMO D. D.

PETRO DE MARIDAT,

MAGNI CONSILII REGIO PARISIIS SENATORI,

THEOPHILUS RAYNALDUS

E SOC. JESU.



NON iſtud opuſculum modo, ſed ſi quid a calamo noſtro recti unquam profectum eſt, tuum omnino nexu ac mancipio, parum eſſet profiteri, Senator Integerrime, ſi iis quæ in me contuliſti beneficiis, aliqua ex parte reſponderi a me poſſe aliquando ſperarem. Neque enim tantum publicus omnium in te amor, quem uſque a puero, dum in hoc Lugdunenſi Collegio humaniorum literarum ſtudiis tenera tua ætas informaretur, mirabiliter excitabas, & ſingularis animi propenſio erga te mei, pignus hoc amicitiæ a me jure quam optimo exigebant; ſed quæ tua eſt humanitas ac morum ſuavitas amorque literarum, ceſſaſti nunquam ab eo tempore novis me cumulare benefactis, jamque adultis virtutibus, quorum olim ſemina emicuerant, magnorum virorum in te oculos atque admirationem convertere. Nec in Urbe modo ſapientiæ partus educas & foves, verum etiam cum languere ſtudia noſtra, in remotis hiſce & deſtitutis Mœcenàtum præſidio ac patrocinio Provinciis, præſens aliquando oculis uſurpaſſes; qua laudibus, qua adhortationibus, & ubi e re fuit munificentia ac liberalitate adduxiſti me, ut mea quæ jacebant in ſitu ac pulvere tuo juſſu excuterem; fore enim æquiora aliquando tempora, & quorum vix exemplaria aliquot aſpirarant Pariſios, dum ἀποσπασμένα prodierant, ſi unum in corpus compingerentur, apud eruditos aliquo numero futura. Specimen habes in hoc volumine liberatæ vaticiniorum tuorum fidei, & quæ tanto ante Augur mei amantiſſimus ceciniſti, animos porro faciunt ad ea quæ mihi tam multa ſuperſunt, publicæ luci comparanda. Iſtud vero qualecunque De Pileo Commentariolum, quod etiam me inſcio evulgari voluiſti, peccaret in amicitiæ, imo vero in juſti officii leges, ſi alio quam unde primum emanavit, reditum ſibi eſſe ſuſtineret. Numeras in generoſæ familiæ Nobili ſtemmate illuſtria capita, omnibus civilis ac divini honoris notis inſignia, Magiſtratuum pileis, Infulatorumque diadematis coronata. Quid quod debebatur maxime tibi hæc de Capitis humani integumentis Diſſertatio, qui eruditorum apex es, & diſciplinarum verticem attigiſti? Teſtis eorum omnium qui hac ætate florent in humanioribus literis, ſingularis in te cultus & obſervantia, ut tua uti familiari conſuetudine certatim ambiant; Teſtis, Magnorum Virorum datæ undecunque ad te Epiſtolæ; Teſtis denique, infinita librorum curioſorum ſuppelex, quibus undique conquirendis & in Muſeum importandis nec labori ulli, nec ſumptui a te parcitum eſt; idque felici uſque eo ſucceſſu, ut privatæ Perſonæ ali-

cui raro contigerit parem voluminum delectum; Principibus multis, vix majorem Codicum brevi tempore copiam parare potuisse. Scis quam ex animo hæc a me commemorentur, qui si voluntati erga te meæ obsequi vellem, finem nullum dicendi facerem: nec porro faciam, ubi in aliis, quæ supersunt, operibus nostris locus erit significandi tibi, ac eruditis omnibus gratam & immortalem tui amoris apud me vigere recordationem. Vale.

Lugduni IV. *Calendas Octobr.* MDCLXII.

ARGUMENTUM.



D tegmina humani capitis exponenda & illustranda eo præsertim consilio aggredi placuit, ut membri quod est in homine pretiosissimum & tutelam simul & ornamentum aperirem. Continetur autem ea tutela atque exornatio his tegminibus, ut proxime monstrabo. Inter tegmina porro prædicta peculiare nobis qui in Dei obsequio, titulo Clericorum *meremur, gestamen est quotidianum & usurarum, quo in templis, in scholis, etiam in foro cum publice in Ordine Clericorum proceditur, teguntur capita: Pileum dico quadratum, cujus considerationi tantulam operam navare quis improbarit? Pallium pererudita lucubratione celebravit Tertullianus, occasione accepta ex scommate, quo togatus quispiam ipsum Tertullian. palliatum notarat. Filius parentis qui calceariam factitarat, nuperrime docta simul & amœna scriptione calceum exornavit. De re vestiaria Romanorum, accuratæ complurium lucubrationes leguntur. Eandem ad sacros homines restrictam, multi diligenter sunt executi. Jus itaque nobis esto de hoc vestium veluti apice, pauca proponere. Et si vel aliæ defuissent causæ calamum ad hanc materiam admovendi, hæc posset idonea videri. Ne tamen jejunior & hiulca instituеretur tractatio, repetito altius principio, de aliis & virilis & fœminei capitis tegminibus, sive sacris sive profanis, (quæ quidem vere tegmina sunt, atque adeo coronis seclusis) differere consilium fuit. Argumentum hactenus intactum. Nam alio plane spectavit scriptio Pandulphi Collenucii, cui titulum fecit,* Capitis & Pilei Dialogus, *ut est apud Lilium Gyraldum Dial.* II. de Poetis suorum temp. *Quæ fortassis illi causa fuit, de alta trabe obnuptum pendendi anno* MDVII. *Improvide enim communicasse visus est, quæ caput ejus sub pileo agitarat. Synopsim totius Tractationis habes hic annexam.*

INDEX
SECTIONUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

THEOPHILUS RAYNAUDUS
DE PILEO,
ET CÆTERIS CAPITIS TEGMINIBUS.

SECTIO I.

Capitis in humano corpore dignitas.



QUAM ob causam amputatis reliquis humani corporis membris bene multis, vita superstes sit homini, resecto autem Capite, absque dilatione moriatur, rationem reddit D. Ambrosius lib. *de Noe & Arca* cap. x. quia *Non est eadem cæterorum membrorum prærogativa, quæ Capitis: Ideoque abscisso eo, unde sensus nostri in reliquum corpus prodeunt, moriuntur etiam omnia membra.* Idem lib. vi. *Hexaem* cap. ix. in hanc rem egregie: *Cognoscamus*, inquit, *humani corporis fabricam, instar esse mundi. Siquidem ut cælum eminet aeri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi: Ita etiam Caput, supra reliquos artus nostri corporis, cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tanquam arcem inter reliqua urbis mœnia. In arce autem hac, regalem quandam habitare sapientiam, secundum Propheticum dictum, quia* Oculi sapientis in capite ejus. *Hanc esse cæteris tutiorem, & ex illa omnibus membris vigorem prudentiamque deferri. Quid enim robur & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi Capitis velut Principis sui imperialis quædam adminiculetur potestas? Ex hoc enim aut destituuntur universa, aut omnia fulciuntur.* Quod S. Ambrosius humanum caput cum cælo & arce componit, astipulatores habet alios. Cum cœlo, suprema mundanæ hujus fabricæ parte, Caput confert Artemidorus lib. i. *Onirocr.* cap. xxxvii. & lib. ii. cap. viii. Fuereque ex priscis, qui *Cæli* nomine Caput donarent, ut author est Eustathius *Iliad.* A. Ipsique Ægyptiorum sapientes humana specie Serapidis simulachrum effingentes, cœlum ei imponebant pro Capite, ut idem testatur Eustathius: quem Joanni Grammatico Hesiodi Interpreti in hanc rem adjungens Ludovicus Cœlius lib. xx. cap. xiii. ita scribit: *Idem Interpres* (Joannes) *alibi. Olympus cœlum est, & universus mundi ambitus, quod undique colluceat. Sed & cœli quadam similitudine Sphæroides hominis Caput, in quo est* το ὁλολαμπὲς λογιστικὸν, *id est, hinc inde enitescens rationis facultas, Olympus dicitur.* Sed & in primum *Iliados* Eustathius, οὐρανὸν apud Homerum, ab antiquis pro Capite accipi scribit. Proinde Pallada e cœlo fingi descendisse.

Quod præterea Caput S. Ambrosius nomine arcis imperialis donabat, belle confirmatur a Theodoreto serm. iii. *de Provid.* ubi de Capite ait: *Illud arcis instar in summo civitatis hujus* (*humani nimirum corporis*) *fastigio, situm conspice, in quo opulentissimus quoque hominis thesaurus, nempe cerebrum, quasi in munitissimo castro custoditur Capitolium humani corporis*, scite Caput nominat Isi-
A dorus Pelus. lib. v. epist. CCXLIX. tanquam arcem in corpore munitissimam. Hæc est arx sublimis, in qua juxta Lactantium lib. *De opif. Dei* capit. viii. mens hominis imperatrix, sedem fixisse videtur; quatenus ibi maxime ostendat vim suam, per connexam sibi in operando phantasiam. Unde Caput κρατα dictum, notat Etymol. quod sit potens in cætera corporis membra, & illis imperet. Hoc rursus accipe ex S. Ambrosio capite illo ix. *Quid*, inquit, *sine Capite est homo, cum totus in Capite sit? Cum Caput videris, hominem agnoscis: Si Caput desit, nulla agnitio esse potest; jacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine. Sola*
B *ære fusa principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore, ab hominibus adorantur. Non immerito igitur huic quasi consultori suo, cætera membra famulantur, & circumferunt illud servili gestamine, sicut Numen, atque in sublime locatum vehunt. Unde censoria potestate, quo vult dirigit quorundam obsequia servulorum, & præcepta singulis obeunda decernit. Videas Imperatori suo singula gratuito stipendio militare. Alia portant, alia pascunt, alia defendunt, & ministerium suum exhibent; parent ut Principi, ancillantur ut Domino. Inde velut quadam procedit tessera; quam debeant*
C *pedes obire regionem, quæ militiæ munia manus consummandis operibus exequantur; quam venter abstinendi vel edendi formam, impositæ teneat disciplinæ.* Insigniter in hanc rem idem S. Ambrosius lib. *de Arca & Noe* cap. vii.

Scripturas in eandem sententiam, his verbis profert Clemens Alexand. lib. iv. *Strom. Caput est quod principale, & quod principatum obtinet. Si est autem Dominus viri caput; mulieris autem vir; vir est Dominus uxoris, ut qui sit imago & gloria Dei. Quocirca dicit etiam in epistola ad Ephesios: Subjecti invicem in timore Dei. Mulieres suis viris subjectæ sint, sicut Domino; quoniam Vir est Caput*
D *mulieris, ut etiam Christus Caput Ecclesiæ; ipse Salvator corporis. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo; ita etiam mulieres propriis viris in omnibus.* Aperte loca Scripturæ, quibus Christus dicitur caput Ecclesiæ, & Vir caput uxoris, præferunt eam capitis potestatem imperialem, quam ex D. Ambrosio adduximus, & prius etiam tradiderat Plato in *Timæo* illis in hanc rem illustribus verbis: *Est caput membrum corporis divinissimum, reliquorumque membrorum Princeps, cui totum corpus connexum, Dii subesse & parere jusserunt. Excogitaverunt enim motuum omnium quotcunque esse queunt, compos id fore.*

E An ob hanc ipsam rationem, cum cæteris humani corporis partibus varia minuta Numina essent attributa, capiti ut principalissimo membro dictus est præesse, præses & caput Deorum Jupiter? Notavit hoc Fulgentius Placiades lib. iii. *Mythol.* in *Peleo*. Quod enim Pelei & Thetidis nuptiæ, procreationem hominis significarent, idcirco ex Democride in *Physiologicis*, censet Fulgentius Poetam finxisse, Jovem eo advocasse omnes Deos, ut eorum cuilibet certum fœtus membrum con-

crederet. Et ipsum quidem Jovem sibi caput assumpsisse tutandum; aliis vero Numinibus, alia corporis membra adscripsisse; Minervæ oculos, Junoni brachia, pectus Neptuno, cinctum Marti, renes & inguina Veneri, pedes Mercurio. Adeundus qui hoc minutius prosequitur Adrianus Junius lib. IV. *Animadvers.* cap. II. Itaque per caput, tanquam per rem maxime sacram, & ipsi Deorum supremo addictam, receptissimum erat concipere juramentum, ut Athenæus lib. II. observavit. Præsertim vero juramentum per Principis caput, habebatur solemnissimum. Quanquam despuendus est Jovius apud Zozimum lib. III. qui ad æternum cum Alarico bellum se obstringens juramento per Principis caput, ait hujusmodi juramentum esse firmius illo, quod per Deum ipsum concipitur. Non refugisse sane Christianos hujusmodi juramentum, & id pro magno juramento habuisse, aciem mentis inter sic jurandum dirigendo in Deum, habetur ex Tertulliano capit. XXXIII. *Apolog.* respuente juramentum per genium Cæsaris; approbante vero juramentum per salutem, sive vitam, aut caput illius.

Manuducit hæc loquendi formula ad aliam, ex qua nobilitatem ac dignitatem capitis æstimare facile licet. Passim namque *Caput*, pro toto homine dicitur. Locutio est Græcis ac Latinis pervulgata. Græcis *charum caput*, pro amico, perpetuum prope est. Latini *mille capita*, pro mille hominibus dicere soliti: & Tullius *Philipp.* II. *Duo capita nata sunt, post hominum memoriam teterrima & spurcissima.* Congessit multa in eam sententiam ex Latinis æque ac Græcis Claudius Rangolius, I. *Reg.* XV. v. XVII. q. VIII. & Lælius Bisciola Tom. I. *Subsec.* lib. IX. capit. VII. addens, frequens esse Græcis, & Latinis, ac Hebræis, ut quicquid principale ac summum in re quapiam est, *caput* dicatur. Qua ratione Tullius lib. II. *de Offic.* in omni procuratione negotii & publici muneris, *caput* esse ait, ut avaritiæ etiam minima suspicio pellatur. Plato in *Gorgia*, *fabulis caput addere* dixit, pro eo quod est perfectionem ac consummationem illis apponere. Apud Philonem lib. *de Sacrif. Abelis, & Caini*, *caput negotiorum* dicitur finis & perfectio eorum. Delrio in hanc rem plura suppeditabit adagiali LXXXVII. *Vet. Test.* quem adeat qui hæc Grammaticalia captat.

Mihi satius videtur, præcellentiam Capitis humani supra omnia membra, colligere ex eminentia & supremo in homine situ, ac ex illis quæ continet. Fixa in eo est sedes Sensoriis omnibus, quæ nuspiam alibi simul locum habent. Imo alibi solus tactus, qui omnium sensuum carissimus & maxime materialis est, reperitur, quia ob vitæ indemnitatem negari non potuit. Inhabitant in capite artes omnes, ex Hippocrate epist. *ad Philopœmenem:* Leguntur in eo omnes affectus, juxta illud Fabii lib. XI. *Instit.* cap. III. *Præcipuum in actione, sicut in corpore ipso, caput est, cum ad decorem, tum etiam ad significationem decoris. Illa sunt, ut sit primo rectum & secundum naturam. Nam & dejecto humilitas, & supino arrogantia, & in latus inclinato languor, & præduro ac rigente, barbaria quædam mentis ostenditur.* Vita universa per caput dispensatur, & ex eo pendet. Itaque Lactantius lib. VI. *Instit.* cap. IX. demonstrans omnes virtutes morales absque vera religione & fide inanes esse; & cætera justum, si id desit, non vivere vita justitiæ, sic disserit: *Omnis justitia ejus similis est corpori caput non habenti, in quo tametsi membra omnia & locis suis constent, & figura, & habitudine; tamen quoniam deest id quod est omnium principale, & vita & omni sensu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, usum non habent; tam scilicet, quam caput sine corpore. Cui similis est, qui cum Deum non ignoret, vivit injuste. Id enim solum habet, quod est summum; sed frustra; quoniam virtutibus tanquam membris eget. Itaque ut sit vivum, ac sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est, quasi caput; & omnes virtutes, quasi corpus: ita fiet homo perfectus, ac vivus. Sed tamen summa omnis in capite est, quod quamvis constare non potest sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quidem animal vitiosum ac debile, sed tamen vivet: sicut & is, qui & Deum novit, & in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque sine membris aliquibus, vivi potest, sine capite nullo modo.* Aperte supponit in hac ratiocinatione Lactantius, vitam universam a capite esse, nec nisi eo incolumi posse consistere. S. Chrysostomus homil. ultima *in* II. *ad Thessalon.* expendit præcellentiam capitis ex directione quam debet corpori universo. Unde urget virum ut uxorem corrigat cum sit ejus caput: *Caput es uxoris*, inquit, *corrigat ergo caput reliquum corpus. Non vides quomodo caput, non tantum loco supra reliquum corpus emineat, quantum providentia, quasi gubernator quidam, totum ipsum corrigens? Nam in capite sunt tam corporis, quam mentis oculi. Illinc dimanat istis videndi vis, illinc ratio. Et reliquum quidem corpus ordinatur ad ministrandum, caput vero ad imperandum, est positum: Omnes sensus illinc initium habent & fontem. Organa vocalia illinc prodeunt, videndi vis, vis odorandi, & omnis tangendi virtus. Etenim nervorum radix & ossium, illinc consistit. Vides quod caput providentia magis quam honore excellat.*

De Capitis dignitate, & micante in eo Dei sapientia, vide alia in *Scalis a visibili creatura ad Deum*, gradu XI. Videndi insuper Riolanus lib. IV. *Anthropographiæ* cap. I. Tiraquellus ad lib. II. *Genial.* cap. XIX. initio, & Commentar. *in Consuetudines* tit. III. §. IX. gloss. IV. Cresolius lib. II. *Vacat. Autumn.* cap. I.

SECTIO II.

Congruum fuisse, tantæ dignitatis membrum contegi, sive ad tutelam, sive ad honestationem.

QUANTI sit in homine caput, constat ex dictis. Indidem vero eruendum est, consentaneum fuisse, ut membrum adeo nobile subduceretur injuriæ, adhibito operimento, sine quo male affici facilius posset, & incommodis patere. Et ut per ostium necessitatis subivit gloria, juxta egregiam Gregorii Nysseni ratiocinationem homil. III. *in Eccles.* & orat. *de mortuis*; par fuit, integumentum esse, quod honestando item capiti, suum usum haberet.

Adversus primum finem adhibendi operimentum capiti, quo foveretur & prohiberetur injuria, videtur adduci posse frequens olim usus (teste Polydoro lib. III. cap. XVIII.) habendi semper caput intectum. Sic Ægyptii, tantum in gravissimo luctu operiebant capita. Extra eum eventum nudi erant, ut est apud Herodotum lib. III. sub initium.

Judæi in mœrore operiebant caput, non quomodocumque, sed illud obvolventes undique lacinia togæ ab humeris reducta. Et sic opertus incessit David, II. *Sam.* cap. XV. vers. XXX. fugiens truculentiam Absalonis. Item in jejunio, quia lugebant, operiebant capita, juxta illud: *Operui in jejunio animam meam.* In mœrore item,

ob defectum longum pluviæ; Judæi *Jerem*. cap. XIV. verf. IV. operuerunt capita. Reliquo tempore, nudis erant capitibus, ut contendit Sancius *Actor*. XIX. n. X. & Sopranis *digreff. de re vestiar. Judæor*. difp. II. cap. I. §. I. refragante licet Abulenfi in cap. XIII. *Levit*. q. X. qui paffim, & in communi vita Hebræos (uti nobis nunc ex ufu eft) inceffiffe tecto capite exiftimavit; allegans quod Leprofi vetarentur Capita operire, *Lev*. XIII. & quod fummus Sacerdos ibidem c. XXI. caput aperire vetaretur. Quæ peculiares prohibitiones viderentur fupervacuæ, fi Judæi omnes in communi vita habuiffent intecta capita. Quanquam apertio capitis fuper mortuo, vetita Sacerdoti intelligitur de rafura. Cæteræ vero rationes tantum probant, in certis occafionibus, Hebræos togam ad cervices adhærentem, tegendo Capiti adduxiffe, etiamfi, ut plurimum, effent intecto Capite, nec ullum haberent certum ac determinatum operimenti genus, Capiti duntaxat tegendo addictum, non galerum, non pileum, non aliud quidpiam tale. Erant ergo nudi Capite, ut plurimum, in vita communi. Neque enim Capitis nuditatem excludebant tæniæ illæ, five vittæ, quibus fluentem cæfariem extra luctum coercebant & religabant, non fœminæ tantum, fed & viri. Erant enim admodum anguftæ, puta minimi digiti latitudine, & in modum coronæ cingentes Capita, ad capillos circum tempora coercendos. Unde quia tempore luctus, vel tondebatur coma, vel finebatur fluere, dicebatur deponi corona. Et idcirco *Ezechiel*. cap. XXIV. verf. XV. ubi Deus vetat lugeri mortuos quos ipfe letho daturus erat, fic habetur: *Fili hominis, ecce ego tollo a te defiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ. Ingemifce tacens, mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata fit tibi, & calceamenta tua fint in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes*. Et mox ad omnes, ipfe Ezech. verf. XXII. *Filii veftri, & filiæ, gladio cadent; & facietis ficutfeci, ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis. Coronas habebitis in Capitibus veftris, & calceamenta in pedibus, non plangetis, neque flebitis*. Quia vetabat luctum fufcipi, vetat præter cætera luctus argumenta, deponi coronam Capiti circum ligatam, id eft, tæniam feu vittam tenuem, quæ præ tenuitate non obftabat nuditati Capitis, in communi Hebræorum ufu receptæ, ut afferebam. Emanuel quidem Sa, ad prædictum locum Ezechielis, cenfuit apud Hebræos, in luctu, verbi gratia, deflendo mortuos, fuiffe Hebræis in more, aperto Capite & nudis pedibus effe. At Bellarminus prolatis variis Scripturæ locis puta II. *Sam*. XV. verf. XXX. & *Efther*. cap. VI. verf. XII. & *Ifaiæ* cap. cap. LVIII. verf. V. confirmat, Hebræos in luctu operuiffe capita, & quidem arcte & valide appreffo tegmine: Hoc enim eft quod ait, voluiffe Ifaiam cum dixit loco annotato; *Nunquid hoc eft jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam fuam? Nunquid contorquere quafi circulum caput fuum?* Hanc Capitis contorfionem *quafi circulum*, putat Bellarminus aliud non effe quam operire undique Caput, & tegmen arcte conftringere. Idem volebat David Pfalmo illo LXVIII. cum dicebat, *Operui in jejunio animam meam*; id eft, operui me, & texi Caput jejunando. Hebræa habent, *flevi in jejunio animam meam*, id eft, adhibui luctus ac fletus fignum, operiens Caput: Sicque LXX. intellexerunt Hebræam vocem *flendi*. Nam fæpe verbum *flendi* fumitur pro fletus fignificatione, five pro nota luctus & doloris. Ut cum Ægyptii *Genef*. ultimo, dicuntur fleviffe Jacobum LXX. diebus: quod Sanctus Hieronymus recte accipit de fignis luctus, per totum illud tempus adhibitis. Ratum igitur efto Judæos in luctu & mœrore operuiffe Capita, quamvis in communi ufu nudarent Caput, ut affirmabam.

Apud alias nationes, idem ufus frequens erat. De Annibale, Catone Uticenfi, & Mafiniffa, notatum eft, quantacunque cœli inclementia urgeret, nunquam operuiffe Capita. Idem paffim fervaffe Græcos, obfervavit Turnebus lib. VIII. *Adverf*. cap. VI. Idipfum de Romanis docet Kirchmannus lib. *de Funer*. cap. I. Sopranis tract. *de veftiaria Hebr*. difput. II. cap. I. §. II. & Lipfius lib. *de Amphit*. cap. XIX. qui excipit paucos eventus tantum, puta Sacrorum, Ludorum, Saturnalium, Peregrinationis, Militiæ. De Saturnalibus Turnebus loco cit. accipit Martialem lib. XI. epigr. VII. vocantem, *Romam pileatam*. In luctu item operta fuiffe Romanorum Capita, docet forte illud Perfii Satyr. III. verf. CVI.

Hefterni capite induto fubiere Quirites.

Alia lectio probata Schegkio in *Præmiffis* epift. X. habet, *Capite obnupto*. Eodem referri poteft obnuptio Capitis fufpendendorum infelici arbori, ut loquitur Livius lib. I. memorans legem horrendi carminis. Et quanquam Tullius orat. *pro Rabirio*, id antiquatum docet, unde Verrina V. crimini dat Verri, quod cives Romanos obvoluto Capite ad fupplicium abduci mandaffet; tamen initio alius viguit ufus, qui item in aliis luctuofis functionibus tenuit; ut cum quis pro Republica fe devovebat, & ruebat in mortem, velato Capite id faciebat, ut eft apud Tullium lib. III. *de natura Deor*. & apud Livium lib. VIII. Tribunus item plebis, bona alicujus damnati confecraturus, Caput velabat tanquam in re luctuofa. Videfis Tullium Orat. *pro domo fua*. In vere, quod facrum vocabant, & cæde omnium proximo vere natorum peragebatur, puerorum & puellarum velabant capita, ficque extra fines fuos exigebant, fubducta majori crudelitati, hoc eft, morti, ut Feftus tradit, & bene illuftrat Pithœus l. I. *Adverf*. c. VI. Hæc ergo omnia, quod luctuofa & triftia effent, adhibita Capitis velatione peragebantur apud Romanos, & manavit is Romanorum ufus in luctu, ad plerofque. Exemplum luculentum legitur apud Gregorium Turonenfem in *Vitis Patrum* cap. VI. in fine. Ait enim mortuo S. Gallo Epifcopo Sanctiffimo, Arvernenfes viros operuiffe capita, ut in morte uxorum.

Sed ut ad Romanos regrediar, quamvis in luctu, & aliis occafionibus ex Livio fignatis, operirent capita, extra eos tamen eventus erant intecto capite. Quæ poteft effe idonea conciliatio dididii, quod ea in parte agitat Pancirolus cap. *de Fibula* Tomo I. qui eft deperditorum.

Æque primos Chriftianos, intecto Capite exhibet Lucianus in *Philopatore*. Et perfuafum fane plerifque olim fuit, apertione & nuditate conciliari Capiti firmitatem, quod ex Varrone habet Plinius lib. XXVIII. cap. VI. & egregie afferitur ex Synefio in difputatione pro Calvitio; qua evincit, Capita excæfariata firmari & obdurefcere; comata autem mollefcere ac imbecilla reddi. Id quod multo magis valet de capitibus artificiofo tegmine fupra naturale capillorum operimentum obductis. Unde Herodotus lib. III. Perfarum obtecta Capita, adeo fragilia fuiffe tradit, ut jactu lapilli pertunderentur: contra quam deprehenfum eft accidere Ægyptiorum Capitibus a pueritia apertis. Videbantur enim

A ærea aut ferrea. Hæc sunt, quibus primus ille finis tegendi humani Capitis quati videtur.

Negari tamen non poteſt, quin nuditas Capitis ei plurimum incommodare poſſit. Nam idcirco non pauci, etiam cum uſus nudandi capitis vigeret, neceſſitate adacti, adhibebant Capiti integumentum. Notavit hoc de Auguſto Suetonius cap. LXXXII. Hippocratem eam ob cauſam pileatum exprimit *Vitæ* Auctor, quanquam non me latet varietas placitorum de eo Hippocratis pileo, obſervata a Pierio lib. XL. Sed quod dixi, eſt veriſimillimum. Periclem a capite ſupra modum acuto, dictum σχοινοκέφαλον, produnt pileo uti ſolitum, quo Capitis B incommodum arceret. L. Tarquinius pileum ab aquila ereptum, & alte ſubvectum, mox vero Capiti reſtitutum, habuit pro regni omine, ut narrat Dionyſ. lib. III. habebat ergo pileum. Nummos quibus Conſtantinus Caput obvelatus exhibebatur, refert Euſebius lib. IV. *Vitæ* cap. VII. De pleriſque gentibus idem contra Polydorum notat Brodæus lib. VIII. *Miſcell.* cap. XVII. Quæ omnia docent, etiam cum uſus nuditatis Capitum vigebat, fuiſſe qui ad fovendum Caput, illudque incommodis gravibus ſubducendum, adhiberent integumentum. Idque demum in uſum communem tranſiit; ita ut extra ſacra, aut niſi debita alteri, cui quis C aſtet, veneratio, ſecus ſuadeat, Caput ſit opertum atque contectum.

Ajo, in ſacris ex uſu communi nudari Capita, quod intelligo de uſu Chriſtiano. Nam apud Romanos olim, & apud Hebræos, ſecus erat. Romani omnibus falſis Numinibus ſacrificabant operto Capite, præterquam Saturno, & Honori, ac Herculi. Cauſas veſtigat Plutarchus quæſt. XI. & XIII. *Roman.* In aliis ſacris, operti capite erant. Et ex eo uſu, apud Minutium in *Octavio*, ſic legitur: *Nudi cruda hyeme diſcurrunt, alii incedunt pileati, ſcuta vetera circumferunt, pelles cæ-* D *dunt, mendicantes vicatim Deos ducunt. Tutulum* dictum illud Capitis operimentum, a Sacerdote ſacrificante adhibitum, ex Numa Pompilio in Pontificalibus, notat Fulgentius lib. *de vocibus antiquis*, V. *Tutulus*. Alia addit Gyraldus ſyntag. XVII. *Hiſtor. Deor.* & Interpretes ad illud III. *Æneid.* verſ. CCCCV. quo Helenus Æneam monebat, ut tranſgreſſus æquora, poſitis aris, meminiſſet:

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes, in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat.

E Et ad illud lib. ejuſ. verſ. DXLV.

Et Capita ante aras, Phrygio velamur amictu.

Lucretius lib. V. verſ. MCXCVII. eodem reſpexit cum dixit:

Nec pietas ulla eſt, velatum ſæpe videri,
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante Deum delubra.

F *Velatum* ibi, non refertur ad lapidem, ſed ad perſonam velatam, quæ verſus lapideum ſimulachrum velata vertebatur. Videndus Livius lib. XXIII. cap. XIX. cum de Manitio Præneſtinorum Prætore. Idem lib. X. cap. VII. *Si conſpiciatur cum capite ac lituo: Capite velato victimam cædat.* Varro lib. IV. *de lingua Lat. Ricam* ait, a *ritu* dictam, quod Romano ritu, fœminæ, ſacrificium cum faciunt, Capita velent. Apud Propertium lib. ſecundo eleg. XIX.

Ante tuoſque pedes illa ipſa adoperta jacebit.

Apud Plautum in *Amphytr.* actu II. ſc. I. ab Alcmena parturiente, Dii operto Capite invocantur: & apud eundem in *Curcul.* actu III. ſc. I. unus quiſpiam operto Capite Æſculapium ſalutat. Alopſus Vates apud Valerium Flaccum lib. V. Manes venerando, Caput obnubit. Et quia hic erat mos patrius Romanorum, Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. X. ritum ſacrificandi Saturno, aperto Capite, vocat *inſtitutum peregrinum*. Et lib. I. *Saturn.* cap. VIII. ac lib. III. cap. VI. vocat eum ritum *Græcanicum*, a Romano quo ſacrificantes & orantes Capita operiebant, diſcrepantem. Nam Itali, Authore Ænea, operiebant Capita in religioſis functionibus, ut eſt apud Aurelium Victorem in *Breviario Rom. Hiſtor.* ac apud Feſtum V. *Saturnia*. Nec aliter accipio, quod eſt apud Sanctum Cyprianum initio libri *de Lapſis*, ubi deſcribens conſtantiam Sanctorum Confeſſorum, qui in tormentis fortes perſtiterant, & urgentibus Ethnicis nunquam aſſenſi erant ut ſacrificarent, ſic habet: *Illuſtres manus, quæ non niſi divinis operibus aſſueverant, ſacrificiis ſacrilegis reſtiterunt. Sanctificata ora cœleſtibus cibis, poſt Corpus & Sanguinem Domini, profana contagia & idolorum reliquias reſpuerunt. Ab impio ſceleratoque velamine quo illic velabantur ſacrificantium Capita captiva, Caput veſtrum liberum manſit*. Singulare eſt, quod velamentum, quo Caput operiebatur inter ſacrificandum fidei, erat ex panno albo, ut notavit Acron ad Od. XXXV. libr. primi: (Juxta Servium *in* I. *Æn.* manus obducebatur panno albo,) Factum id, inſinuando albori & puritati: quo pertinere poteſt illud Symmachi lib. IV. epiſt. XLII. *Alba velamina, non ſegmentati amictus, fidem veſtiant*. Liquet de uſu Romanorum in operiendis Capitibus inter ſacrificandum & orandum. In quam rem plura addenſat Schegkius in *Præmeſſis* Epiſtola X. Briſſonius lib. I. pag. mihi 40. Idem ab Hebræis ſervatum affirmabam. Turpe enim ac probroſum ducebant orando aperire capita: idque ab Hebræis hauſtum in uſu eſſe apud Turcas ſcribit Giergiovitz lib. I. *de Ceremon. Turcar.* cap. I. de Hebræis late id proſequitur *Abulenſis* in cap. XIII. *Levit.* poſt q. X. cum de leproſi Capite nudando. Obſervat enim, Hebræos cum alibi, tum maxime in Templo, inſtantes orationi, velaſſe Capita, opertos caputiis: id quod eos feciſſe docet imitatione Moſis, non audentis aſpicere contra Deum, ad rubi conſpectum, & idcirco abſcondentis faciem ſuam tegendo Caput caputio. Sacerdotes quoque idcirco ait Abulenſis, habuiſſe varia Capitis tegumenta, quæ ibi deſcribit minutatim, ut ſacris operando ſemper haberent Caput velatum, quod colligit ex cap. XXVII. & XXIX. *Exodi*.

Cauſam cujus ritus, ſunt qui ad reverentiam, ac veluti verecundiam comparendi coram Deo, reducant. Quod enim notavit Braſſicanus in *Adagiorum farragine*, Capitis operimentum, nota eſt pudoris. Qui enim *verecundantur* (ut Theophraſtus in *Characteribus* dixit) faciem & Caput operiunt. Unde apud Plautum non uno loco, frons perfricta & inverecunda ſignatur his vocibus, *adeo nudo & aperto capite*. Et in convivio Alcinoi *Odyſſeæ β*. Ulyſſes canentem Demodocum audiens, præ verecundia Caput operit. Et apud Arbitrum juvenis, *Execratus aniculæ inſidias Caput operui*. Socrates apud Platonem in *Phædro*, ad parum pudicam orationem, Caput operit; quem locum notavit Antonius Julianus Rhetor apud Agellium lib. XIX. cap. IX. Helenam verecundantem, Q.

Calaber lib. XIV. *Paralipom.* Caput operientem inducit. In ipsa deinque divina Scriptura, quod Cherubin suam ad Deum reverentiam faciei operimento testantur, ad totius Capitis obnuptionem pertinet. Atque ita Hebræam vocem פנף *Panaf*, accepisse videtur Chaldæus *Isaiæ* cap. VI. vers. II. & passim Patres ac Intrepretes, operimentum Capitis Seraphinorum, ad verecundiam eorum de suo imperfecto in Deum affectu, referunt, & ad metum reverentialem, quo astantes tantæ Majestati corripiebantur. Similiter ergo possumus philosophari de ritu operiendi Capita inter orandum, apud Hebræos recepto. Nec multum abest, quod eum ritum Abulensis supra refert ad subjectionem & timorem; quorum index est Capitis velatio; habere enim supra Caput aliquid, est signum subjectionis ac metus. Unde Apostolus, velamen Capitis, vocat *potestatem*, quia est nota timoris & subjectionis, quæ spectabant ad Legem Mosaicam in timore & subjectione constitutam. Nec minus commode S. Epiphanius Hær. LXXX quæ est *Messalianorum*, indictum Judæis, in sacri operimentum Capitis, refert ad Christi Capitis nostri obductionem respectu Hebræorum. Neque enim patens illis & manifestus erat Christus, ut hodie est: idcircoque lecturi Mosis libros, velabant Capita.

Nunc e contrario, orantes & sacrificantes, Caput aperimus; nam lex nova, est lex perfectæ libertatis, ut Jacobus cap. II. vers. XII. vocavit, nec timore, sed amore ducimur: quam duorum Testamentorum differentiam, ipsis *Ecclesiæ* & *Synagogæ* vocibus insinuatam, S. Augustinus frequentissime agnoscit. Idcrico sacrificamus & oramus nudatis Capitibus. Ago de Catholicis. Nam Armenii, qui communi amictu sacrum faciebant, attendendi non sunt. *Eorum Episcopi*, (inquit Isaac in II. *adversus eos Invectiva*, hæresi XXV.) *ac Præpositi, nedum sacris operando Caput tectum habent; sed & inter celebrandum, duplex Capitis operimentum assumunt; sicque duplici pileo rem sacram peragunt*. Catholici e contrario fere omnes, præ reverentia nudant Capita super sacrificium. Nec potest opponi positio amictus super Caput sacrificantis. Nam amictus super os Casulæ revolvitur, ut notavit Rupertus lib. I. *de Div. Offic.* cap. XIX. Tametsi primo superponitur capiti, quia spineam Domini coronam exhibet. Idque spectantem Episcopum Alexandrinum, cum aliis quibusdam Episcopis, sacrificasse tecto Capite, scribit Simeon Thessalonicensis; affirmans, visos sibi ea ratione melius repræsentare spineam Domini coronam, vel sudarium quod fuerat super Caput ejus. Et de his valet quod Alcuinus lib. I. *de Div. Offic.* cap. XXXVIII. ait, Græcos inter sacrificandum gestare pileos, seu *Cuphias*. At e contrario Simeon Thessalonicensis ait, toto Oriente, (iis paucis quos referebam exceptis, (omnes Episcopos & Sacerdotes, aperto Capite sacrificare, ut juxta Paulum honorent Christum Caput suum. Et quia par est, inter sacrificandum, esse eo habitu, quo quis inauguratus est. Atqui is qui consecratur, accipit consecrationem Capite denudato, præsertim Hierarcha, cui in consecratione Caput nudatum habenti, liber Euangeliorum superponitur. Is usus est toto Occidente sacerrimus; ita ut ne pileolum quidem inter sacrificandum gestare liceat, ullave id consuetudine præscribere, quæ potius vetustas erroris dicenda est, quam consuetudo, ut bene ex S. Cypriano Epistola *ad Pompejum*, dixit Franciscus Meinardus disputatione *de Juribus Episcoporum* pag. 59. agens contra perpaucos quosdam etiam inter consecrandum Capite obvolutos; haud dubie pileolo mobili. Neque enim qui futiles ac textiles (ut Tertullianus loquitur *l. de cultu fœmin.* cap. VII) alieni Capitis exuvias Capitibus suis supparant in galeri modum, quasi vaginam Capitis, & opericulum verticis, (*Calceum Capitis*, quod ex corio fiat, appellat Martialis lib. XII. epigram. XLV. alias XXXVII. vulgo *Perruque*) jubentur illud Capitis operculum sacrificando deponere; cum unum moraliter faciat cum Capite, nec a coma nativa internoscatur; contra quam accidit in calantica sive pileolo, cujus idcirco usum super sacrificium Ecclesiastica decreta plane vetant, ut refert Gavantus in Comment. *ad Rubr. Missalis* P. II. titulo II. Unde tametsi olim ad celebrandum ex causa cum pileolo, sat erat necessitas celebrantis, abque alia licentia, ut vult Ugolinus *de potest. Episcopi* cap. XVI. §. II. num. III. saltemque sufficiebat facultas Episcopi, aut facultas Superioris, si ageretur de Regularibus: juxta tradita ab Henrique lib. IX. cap. XXIX. num. II. & a Laymanno tract. V. cap. VI. num. VI. tamen nunc facultas dispensandi, ut sacrificetur cum pileolo, est solius summi Pontificis. Notatque Scortia lib. III. *de Missa* cap. IV. Gregorium XIII. ægre dispensasse cum Nicienii Episcopo, ut excepto Sacro Canone, posset esse opertus pileolo, reliqui sacrificii tempore. Excutit late hoc jus novum, Annellus Persic. lib. II. *de præcipuo Sacerd. Offic.* cap. III. dub. VIII.

Piis fidelibus ex usu olim fuisse, pileolum deponere ad recitationem Evangelii, colligo ex Hildeberto, in opere metrico *de sacrificio Missæ*, qui veniens ad ritum recitandi super sacrum Evangelii, ait:

Plebs baculos ponit, stat, retegitque Caput.

Tres attingit uno versiculo sacros usus, in reverentiæ notam adhiberi solitos ad Evangelii lectionem, positionem baculorum, stationem, & Capitis retectionem. Positio sive abjectio baculorum, vel spectat depositionem ensis per accinctos, uti nunc assolet cum acceditur ad tribunal pœnitentiæ, vel ad sacram mensam: Nam præ reverentia, & ad testandam subjectionem, qui accincti sunt, ponunt gladios; quos non est novum dici *baculos*; cum plerumque vagina, & operimentum externum ensis intus additi, sit baculus viatorius, qua de re alibi ex Martiale, ipsoque Christo vetante usum hujusmodi virgæ seu baculi, ense intus abdito velut gravidi, cum simplicis virgæ usum alibi concedat Apostolis viatoribus: vel certe poni baculos cum audiebatur Evangelium, erat, baculum materialem, qui ad manum alicui esset, deponere ad significandum non esse opus alio præsidio, homini qui Evangelio auscultaret. Addit Hildebertus stetisse populum. Assurgimus enim audientes Evangelium; ad obedientiæ significationem: idque fecisse etiam Regem & simul deposuisse diadema, S. Chrysostomus testatur homil. in illud, *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. Stare enim, est expectantis nutum mandantis heri: quanquam stabant fideles incurvi ac cernui, ut est apud Anastasium I. Decretali prima, & Pamelius in *Liturg.* initio quinti sæculi; recte illustrat. Retectio denique Capitis, non erat submotio galeri; qui in ipso Ecclesiæ ingressu submovebatur, multo magis inter audiendum sacrum. Erat ergo retectio Capitis, deposito pileolo. Nam si coram Rege Caput adeo nudandum est, ut ne pileolus quidem contegens supersit; quanto magis coram Deo, cujus vox est Evangelium, & qui adesse

esse censetur, ubi adest Codex Evangeliorum, ut docebat ritus antiquus locandi super throno exquisite ornato Codicem Evangeliorum in media Concilii aula; in signum præsentis & Concilio præsidentis Christi; quod in Concilio Ephesino ac Florentino servatum constat. Retegebat ergo Caput submoto pileolo plebs fidelis, cum Evangelium legebatur, astans venerabunda, & subjectionem suam testans Christo Regi suo, quasi præsenti; idque volebat Hildebertus. Quare multo minus Sacerdotem sacris operantem, cum verbis Christi utens, ipsius Christi Corpus conficit, obitque tremenda & horrenda mysteria, fas est pileolum Capite præferre, sed nudandum est Caput in subjectionis & reverentiæ testimonium. Et ita accipienda est mandata sacris mystis apertio Capitis super sacrificium.

Fuisse hunc quoque usum Græcorum Ethnicorum, ut sacrificarent aperto Capite, scribit ex Varrone Gyraldus Syntag. XVII. *Histor. Deor.* In ara maxima idem a Romanis servatum, habet Macrobius lib. III. *Saturn.* c. VI. ex Balbo. Et rationem addit C. Bassus, quia ara maxima ante adventum Æneæ in Italiam constituta erat; ante quod tempus ex usu erat sacrificare aperto Capite, quod ab Ænea primum ajunt immutatum, ne in agri Laurentis parte sacrificans ab hoste perceptus abrumpere sacrificium cogeretur. Alii id referunt ad habitum simulachri, quod in ara maxima erat Capite operto. Ne igitur qui ibi sacrificabat Numen æmulari videretur, aperiebat Caput præter morem alibi receptum sacrificandi operto Capite. Sed ritus Romanis antiquiores in Italia, aliud ferebant; & aliud item (ut dixi) habuit usus Græcorum, qui semper erant aperto Capite inter sacrificandum. Utique ad testandam Numini subjectionem in sacrificio quod ad supremæ Dei potestatis recognitionem dirigitur. Ac proinde qui illud obiit, eo debet esse habitu, qui reverentiam præferat, qualem ex communi sensu præfert Caput apertum.

Erat hæc (ut præmittebam) altera occasio aperiendi Caput: ad venerationem quippe pertinere visum est, tam nobilis membri nudationem. Verum est, hunc usum non ubivis olim viguisse, aut etiamnum vigere. Nam alicubi ad testandam venerationem non aperiebatur Caput, sed Caput contectum inclinabatur, vel corpus universum Capite aperto incurvabatur. Alibi osculum manui imprimebatur; de quo usu Pithœus I. *Adversf.* cap. VII. Sinæ fronte humum feriunt, ex antiquo in hanc rem apud eos more. Caput autem aperire, apud eos nefastum est, nec nisi iis qui ad supplicium rapiuntur, aperiunt Capita. Unde qui ex eis fidem Christianam suscepere, tunc tantum Caput aperiunt, cum ad sacramentum Pœnitentiæ accedunt, ut criminosos se fateantur; alias autem operto sunt Capite. Et cum apud eos incongruentissimum esset, Sacerdotem sacrificantem esse aperto Capite, exoranda fuit facultas a Summo Pontifice Paulo V. ut fas esset tecto Capite sacrificare, qua de re inferius, cum de pileo quadrato. Japonei pedem calceo exuunt ad testandam venerationem, non item Caput. At Romani, quod notavit Alciatus lib. VIII. *Parerg.* cap. X. si tecti Capita in virum honoratum incurrerent, ea aperiebant. Idque Syllam erga Pompejum solum servasse, Salustius in *Fragmentis* est Author, & Plutarchus in *Causis*. Nimirum signa reverentiæ, & honoris, cum sint ex instituto, possunt variis locis ac temporibus varia esse, imo pugnantia. Usus tamen aperiendi Capitis ad testandam venerationem, videtur admodum congruus; quandoquidem membrum principalissimum hominis, veluti exponitur ad nutum ejus qui honore dignus censetur. Extra binas occasiones propositas, (sacrorum, inquam, & venerationis deferendæ) usurpatum jam olim merito est; ut Caput tegeretur, ad tam Pretiosi membri conservationem atque tutelam. Et ita primum circa pusiones, ac infantes factum, apposito Capitibus eorum cucullo, qui postea adhibitus est erga Monachos, ut docerentur infantilem simplicitatem ac innocentiam custodire, ut philosophatur Cassianus lib. I. *de Instit.* cap. IV. & S. Dorotheus doctrina I. n. XVII. adducendi infra Sectione XIV. ubi etiam alia de hoc tegmine proferemus.

Per occasionem necessitatis tegminum Capitis, ad tam nobile membrum fovendum atque tuendum, ajebam accessisse plerasque honorificas tesseras, tegminibus illis assutas aut impositas; unde decus & honestatio Capitis in usu omnium fere gentium. Et sane honoris insignia nullo corporis membro præferri convenientius possunt, quam Capite; quod & membrum nobilissimum est, & eminentissimum, atque adeo maxime conspicuum. Quæ enim e collo suspenduntur, ut torques, aut thoraci vel pallio assuuntur, haud difficile occultantur, & contuentium oculos effugiunt. Facillime item visui subducuntur periscelides, quæ sunt in Anglia tesseræ honoris amplissimi, & a Gallis antiquis usurpantur ut honoris notæ, de quo Henricus Canisius ad epistolam XXXVIII. Alcuini. At quæ Capite gestantur occultari non possunt. Itaque non abs re pleraque hujusmodi honoris argumenta vel signa, ad honestandum hominem instituta, Capiti imponuntur; quo ipso Caput quoque honestant atque condecorant. Neque vero Apostolus docens gloriam viri esse, habere Caput obtectum, & ignominiosum illi esse; Caput habere nudatum, abhorret a sensu proposito. Tametsi mandat, virum orantem habere Caput nudum tempore orationis, quo homo sistit se Deo, illiusque imaginem in se repræsentat, per dominium quod nactus est in mulierem.

SECTIO III.

De Pileo naturali, utrique sexui æque communi.

HABEMUS duplex tegminum (ut sic dicam) capitalium munus, tutelam scilicet & honestationem Capitis: In quo utroque munere, perbelle natura arti præivit. Quam belle enim coma Caput & tutatur & honestat? Tutamen est per se perspicuum: Nam & ad arcendum frigus & ad depellendas injurias Capitis ab aeris inclementia, nihil præsentius naturali hocce galero, ut vocat Chrysostomus homil. XI. *ad popul.* Venustas autem & condecoratio Capitis ab hac naturali calantica, ejusmodi est, ut merito dixerit Dio Prusæus orat. XXXV. *Qualisnam fieri possit pileus, vel Arcadicus, vel Laconicus, qui melius Capiti quadret, quam sua coma?* Quid vero e contrario invenustius, Capite calvo & capillis nudato? Renitatur quantumcunque Synesius: & collectis omnibus viribus ingenii, quo valuit plurimum, nitatur suadere, nihil decedere Capitis elegantiæ ob calvitium. Oculus ipse æquus æstimator aliud statuit. Monstrant quod dico, artes calvorum aptantium Capiti galericulum; & subdititia coma imponentium oculis spectatorum, ne turpitudine nudi Capitis offendantur, quod ab Othone Imperatore factum, Suetonius cap. XII. testatur, & facete de more in Phœbo derisit Martialis lib. XII. epigr. XLV. sic scribens.

Hœdina tibi pelle contegenti,
Nuda tempora, verticem calvæ,
Festive Phœbe tibi dixit ille,

Qui dixit, Caput esse calceatum.
Quod enim Galericulus hic ex pellibus & coriis pararetur, æque ac calcei, non inficete Caput a calvo Phœbo *calceari* jocatur. Apud Ruffum Avienum carm. x.

Calvus eques Capiti solitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas.

Ridiculum populo conspiciente, Caput exhibuit ab adversis Boreæ spiraminibus:

Nam mox detecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita quæ fuit ante coma.

Capillamentum vocat, eoque celatum Caligulam exhibuit in ejus vita Suetonius cap. x. Scio non semper galericulum tegendæ calvæ adhibitum, sed plerumque a fœminis quæ ægrius calvescunt, ad nigras vel albentes comas occulendas appositum, juxta illud Tertulliani libro *de cultu fœmin.* cap. IV. *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum; nunc in galeri modum quasi vaginam Capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Et mox: *si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuvias alieni Capitis, forsitan immundi, forsan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano Capiti suppares.* Ex variis alia in eandem rem corrogat Adrianus Junius libro *de Coma* cap. VII. Alia item adhibitum galericulum constat, ad capillos defendendos ab inquinatione; vel ut Plautinam vocem adhibeam *collutulatione* per unguenta, juxta illud Martialis libro XIV. epigr. L.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Itaque ad prohibendam capillitii nativi inquinationem, vel ad ejusdem colorem externa specie demutandum, & ementitionem personæ, (ut de Caligula in nocturnis discursationibus dixit Suetonius, & de Messalina Juvenalis describens eam subeuntem Lupanar, *nigrum flavo Caput abscondente galero*, quod varii de galericulo accipiunt) adhibitum quandoque galericulum, & ita applicitum ut cutis vera videretur, admitto. Ex primaria tamen, & frequentius recepta institutione, ad probrum nudi Capitis avertendum videtur inductus, quia naturalis illius tegminis defectus, non secus se habet ad humanum Caput, quam viduitas foliorum ad arborem, & cornuum a cornigeris animalibus absentia, unde admodum devenustantur.

Neque ago de fœminis solum, in quibus argumentum magnum laudis a coma ducitur, ut liquet ex poemate *de coma Berenices*: & e contrario, comæ & quidem promissæ, defectio in muliere, ducitur ignominiæ, ut Apostolus quoque attigit, & pereleganter expressit Apulejus lib. II. *Miles.* non multum a principio, sic scribens: *At vero quod nefas dicere, neque sit hujus rei ullum tam dirum exemplum, si cujuslibet eximiæ pulcherrimæque fœminæ Caput, capillo exspoliaveris, & faciem nativa specie nudaveris; licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipsa fuerit; licet omni gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, calva processerit; placere non poterit, nec Vulcano suo. Quid? cum capillis color gratus & nitor splendidus illucet; & contra Solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat aspectum, & nunc ut aurum coruscans in levem deprimitur umbram, nunc corvina nigredine cœruleos columbarum colli flosculos æmulatus, vel nunc guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatus, & pone versum coar-*
A *ctus, amatoris oculis occurrens, ad instar speculi reddit imaginem gratiorem? Quid? cum frequenti sobole spissus cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat? Tantaque denique est capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit ornata non possit abire.* Idem monstrat usus decalvandi adulteras, de quo Petrus Faber libro tertio *Semestr.* cap. XXI & XXII. Fœminas item Christianas ab Ethnicis ignominiæ causa decalvatas, habetur ex Actis S. Martinæ cap. VI. quæ eam ob causam acriter expostulavit cum Alexandro Imperatore. Idem habetur ex Actis S.
B Faustæ, & ex actis S. Charitinis.

Non igitur de sequiori duntaxat sexu ago, cum devenustationem a defectu naturalis galeri agnosco; sed etiam de viris, quos capillitio decorari monstratum est in opella, cui titulus, LAUS BREVITATIS, & illustrari præterea potest, ex eo quod pulchritudo cœli, quæ juxta Siracidem species est in visione gloriæ, confertur cum Pileo, a Juliano orat. V. cum agit de pileo stellato Atydi per Cybelem imposito; quasi eodem plane modo cœlum tellurem condecoraret, quo præclarum comæ tegmen nostra Capita. Quanquam non sicut venustas fœ-
C minæ ex capillitii promissione proxime petita est, ita in viro similem comæ prolixitatem ad decus pertinere contendo; qui sciam plerisque sapientibus, memorato proxime opere adductis, quin etiam Apostolo displicuisse in viris comæ nutritionem. Præter cæteros vero Sanctus Gestacus fertur in comatos conclamasse; & capilli, quos alicui resecuisset, non renascebantur ultra mensuram a Sancto Viro definitam, ut est in ejus Actis cap. IX. S. Simeon Salus petiit a Deo & exoravit, ne cresceret coma Capitis sui. Sanctus Godefridus Ambianensis Episcopus, in die Natalis Domini coram Roberto Flandriæ Comite, repulit super sacrum oblationem
D omnium prolixe comatorum instar mulierculatum. Quamvis igitur studiosa comæ nutritio, & promissionis ejus affectatio virum non honestat; tamen moderata comæ diffusio consentanee ad uniuscujusque statum, non modice confert ad virilem speciem. Adeundus in hanc rem præter cæteros Sanctus Ambrosius lib. *de Noe & Arca* cap. VII.

Nugivendus quispiam, argumentum præterea duxerit ex alio naturali pileo. Nam est & alius infantium naturalis galerus, quem aliqui & decori & tutelæ esse volunt. E triplici enim membrana qua fœtus in materno utero obvolvitur; quarum prima χόριον seu *secundina* appellatur; secunda ἀλλαντοϊ-
E δὴς a farciminis forma; tertia ἄμνιος a mollitudine; contigit interdum duas posteriores, faciem ac Caput infantis sic obvolvere, ut galeatum videatur. Nomen *Diadumeni* tributum esse Imperatori, qui sic pileatus e matris utero prodierat, scribit Lampridius in *Diadumeno*. Et æque obvolutum Ferdinandum Davalum prodiisse ex utero, notavit Paulus Jovius lib. *Piscar.* inde conjectans eximii illius Ducis insignia decora postea consecuta. Quod si veritate niteretur, (cum sit ineptum & vanum) magnam Capitis ab eo tegmine honestationem contineret. Quando in hunc naturalem pileum incidi, nolo prætermissa quæ de eo scribit his verbis Antonius Mizal-
F dus centur. I. *Memorab.* num. XVIII. *Infantes plerique in lucem prodeunt, obducto Capite veluti pileo, aut vitta quadam membranosa, vel caputio Monachali; quod maritos in suspicionem suarum uxorum quandoque pertraxit, ut de historia testatur Antonius Guainerius. Ab hoc tegmine obstetrices & deliræ aniculæ, infantibus bona ex colore rubicundo; vel mala ex nigricante, præsagire solent. Hinc sane crediderim, Gallicum proverbium natum fuisse,* il est ne coiffe, natus est vittatus vel pileatus, *de eo cui ultro*

ſuppetunt bona, partumque eſt amplum a parentibus patrimonium. Non omittam, quod obſtetrices apud nonnullos, magno ſolent vendere hujuſmodi pileos infantiles, credulis Advocatis, qui hinc ſe adjuvari putant. Auctor Levinus Lemnius. Locus Lemnii habetur lib. II. *de occultis natur. mirac.* cap. VIII. Eſſeque eam fatuitatem olim Romanis Cauſidicis perſuaſam, Lampridius ſcribit in *Diadumeno*. Stolidum præfectum, Synodice damnatum quod deprehenſus eſſet habere ἔνδυμα ad os occludendum iis qui adverſus eum dicere conarentur, ſcribit Theodorus Balſamon ad canonem XLI. Sextæ Synodi. Hoc ἔνδυμα aliud non erat quam naturalis ille pileolus, obvolvens aliquorum infantium capita, quod obſtetrices rapiunt, & credulis cauſidicis vendunt, munimentum adverſus eloquentiam æmulorum, ut fert fabula. Ego tametſi tutelam Capitis infantilis, dum in inferioribus terræ degit, ex hoc tegmine non inficior; tamen venuſtationem ullam capitis, aut infantis ex eo operimento, vel præſignificationem inſignis alicujus dotis ei tegmini conſertam, non cognoſco; repudiavitque etiam eam prænunciationem Delrio lib. IV. *Magic.* cap. II. quæſt. VIII. ſect. I. tractans decimam quartam ariolationem. Itaque non utor hoc naturali galero, ſive ex capillitio. Præterivi eum naturalem pileum, qui in puello Paderbornæ nato viſus eſt, ut ſcribit Delrio lib. I. *Magic.* cap. III. quæſt. III. & Petrus Servius in opere *de unguento armario* numero XXXIII. Cum enim hæretica mulier Sacerdotibus Catholicis eſſet infenſiſſima, puerum peperit amictum pileo, & pallio Catholicorum Sacerdotum. Hoc dimiſi tanquam miraculo factum, ut quod bos vitulum peperit cucullatum, cum Lutherus cucullum abjecit, ut notatum eſt in opere *de Apoſtaſia* cap. V. initio.

SECTIO IV.

De primo artificiali inter Chriſtianos Capitis tegmine, æque communi utrique ſexui.

EXpoſitis naturalibus humani capitis integumentis, progrediendum eſt ad artificialia; qualia per ſatyram quam plurima congeſſit Hadrianus Junius in Nomencl. num. CXXVII. & CXXVIII. Sed rudibus duntaxat ſingularum notionibus propoſitis prætergrediens, quod aliud non ferret inſtitutum Lexicographi, cujuſmodi ipſe eo loco erat. Vix plura dedit Lazarus Bayfius *Comment. de Re Veſtiaria* cap. XIX. & XX. quibus Capitis fœminei & virilis integumenta recenſet. Quare relictus nobis eſt liber campus, in quo nemine præpediente exſpatietur oratio.

Primum inter Chriſtianos Capitis tegmen, ſacrum eſt, & utrique ſexui commune, & idcirco hic attingendum, hoc eſt, velamen impoſitum Capiti infantis baptizati. Non dico veſtem candidam, cujus crebra fit mentio cum de Baptiſmi ritibus agitur, (tametſi hoc quoque *Velamenti* nomine inſignitur a S. Ambroſio lib. *de iis qui myſter. initiantur* cap. VII.) Sed ago de velamine ſoli Capiti impoſito: quod item ſecerno a *corona*, quam ex uſu erat imponi baptizatis, ex myrto, vel palma, aliiſve ſimilibus, ut diſerte habetur in Ordine Confirmationis ex ritu Æthiopum, & apud Severum Alexandrinum, ſub finem operis *de ritibus Baptiſmi*. Longe aberat ab hujuſmodi florea corona, velamen Capitis de quo agimus. Erat enim ex panno. Unde in Concilio apud Belluacum, cujus plagulam refert Gratianus *de Conſecrat.* diſtinct. IV. cap. *Si qui voluerit*, (eſt numero CXXI.) vocatur *pannus*. A Nicephoro lib. III. cap. XXXVII. cum agit de Baptiſmo pueri Hebræi, vocatur *arcana & myſtica galea*. In Ordine Romano cum deſcribitur ritus Ba-

A ptiſmi conferendi Sabbatho Sancto, vocatur *Chriſmale*. Sic enim ibi habetur: *Deportantur ipſi infantes ante Pontificem, & dat ſingulis ſtolam candidam, & Chriſmale, & decem ſiliquas*. Quæ verba expreſſit Albinus Flaccus *de divin. offic.* cap. *de Sabbatho Sancto*.

Finem collati recens baptizato hujus velaminis, attigit paucis verbis Gloſſa ad cap. *Si quis, de conſecrat.* diſtinct. IV. Quod enim baptizati vertex a ſacerdote liniretur Chriſmate, oportuit Caput hoc tegmine obvolvi, ne Chriſma difflueret. Et quia unctio Chriſmatis, Symbolum eſt unctionis Sacerdotalis ac Regiæ, propterea Veteres hoc vela-
B men exponentes, ajunt, velamen Regii diadematis, aut cidaris Sacerdotalis, Symbolum fuiſſe. Ad Sacerdotium Chriſtianum late dictum, quo omnes baptizati inaugurantur in Sacerdotes juxta Sanctum Petrum refert hanc unctionem Tertullianus libro *de Baptiſm.* cap. VII. verbis illis: *Egreſſi de lavacro, perungimur benedicta unctione; de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant. Ex quo Aaron a Moſe unctus eſt, unde Chriſtus dictus a Chriſmate, quod eſt, unctio, quæ Domino nomen accomodavit: facta ſpiritalis, quia ſpiritu unctus eſt a Deo Patre*. Verum quia Reges non
C minus quam Sacerdotes inungebantur ad regiam dignitatem; idcirco ad jus regni in Baptiſmo collatum ei qui initiatur, refertur chriſma ab aliis Patribus, ut a Salviano lib. III. *de Provid.* ubi ait, aſſignatum Chriſtianis eſſe, *generationis novæ munus; ſancti baptiſmatis gratiam, divini Chriſmatis unctionem. Scilicet ut ſicut apud Hebræos quondam, id eſt, peculiarem ac propriam Dei gentem, cum Judiciarius honor in poteſtatem Regiam tranſcendiſſet, probatiſſimos & lectiſſimos viros, per unguentum regium Deus vocavit in regnum, ſic omnes homines Chriſtiani, cum poſt Chriſma Eccleſiaſticum omnia Dei mandata feciſſent, ad capiendum laboris præmium vocarentur ad*
D *cœlum*. Quæ accipio de inunctione Chriſmatis in Sacramento præciſe Chriſtianis ad ſalutem neceſſario, hoc eſt, in Baptiſmo. Eam enim Chriſmationem a Sacerdote in vertice factam, aliam fuiſſe a Chriſmatione Confirmationis, recte agnoſcit, priorem ſuam opinationem retractans, Pamelius *ad librum Tertulliani de Baptiſmo, num.* XLVIII. & bene aſſeritur a Fevardentio *ad* I. *Irenæi* cap. XVIII. num. VII. ac in appendice *ad Caſtrum* V. *Baptiſmus*, hæreſi VIII.

Commodius ad Regiam ſimul & Sacerdotalem dignitatem myſtice Chriſtianis per Baptiſmum obvenientem, referri poſſit ea in Baptiſmate inun-
E ctio, per Chriſma, quod paſſim pro utriuſque dignitatis Symbolo proponitur. Ita inſigniter Aug. in appendice *ad Sermones* XL. *novos*. Serm. III. & creditus Cyprianus *de unctione Chriſmatis*. Itaque conſequenter, hoc velamen ad utramque illam dignitatem pertinere cenſetur. Ita perſpicue Rabanus lib. I. *de inſtit. Clericor.* cap. XXIX. *Tegitur* (inquit de baptizato,) *poſt ſacram unctionem, Caput ejus myſtico velamine, ut intelligat, ſe diadematis Regii, & Sacerdotalis dignitatis portitorem, juxta Apoſtolum*, I. Petr. c. II. v. V. *Vos eſtis* (inquit) *genus Regale, & Sacerdotale, offerentes voſmetipſos*
F *Deo, hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem*, & reliqua. Nam Sacerdotes in Veteri Teſtamento, quodam myſtico velamine, Caput ſemper ornabant. Ivo ſimiliter ſerm. *de Sacramentis Neophytorum: Completis jam Baptiſmi Sacramentis, cum baptizatus de fonte aſcenderit, ſacro Chriſmate ungitur in vertice, ut cognoſcat ſe promotum eſſe in Regium genus, & Sacerdotale; id eſt, ut a Chriſti conſortio, vocetur Chriſtianus, & æterni regni ſit cohæres*, &c. *Exinde traditur Chriſtiano veſtis candida; ut qui primæ nativitatis decorem vetuſtatis pannis*

obfuscaverat, habitu regenationis; gloriæ præferat indumentum. Tegitur etiam post sacram unctionem, ejus Caput sacro velamine, ut intelligat se diademate Regni, & Sacerdotali, (sicut dictum est) dignitate potiri. Similia Gulielmus Durandus lib. VI. *Ration.* cap. LXXXII. num. XV. nisi quod velamen, de quo agimus, vocare videtur rotundam mitram, & ad regnum mysticum referre: vestem autem candidam, ad Sacerdotium item mysticum. Græci tametsi non inungebant verticem Baptizati, tamen hoc tegmen Capitis adhibebant in Baptismo, ad significationem mysticam, non Regn aut Sacerdotii, sed tutelæ militi Christiano in tam pretioso membro necessariæ. Unde *galea* vocabatur, ut colligitur ex illo Nicephori loco, quo describit pueros imitantes ritum Baptismi: *Lacinias vestis lineæ dividentes in partes, simulacbra amictus, qui in talibus usurpantur, faciebant, & super Caput mysticam galeam præclare efformabant.*

Quia vero omne decus nobis in Baptismo collatum, promanat a Christi sanguine, ejus mentio facienda merito fuit in hoc Symbolo ornamentorum per Baptismum advenientium. Baptismus sane non est in aqua solum, sed in aqua & sanguine, juxta Apostolum: *Quid est enim aqua sine Cruce Christi? Elementum commune sine ullo Sacramenti effectu*: Verba sunt S. Ambrosii lib. *de iis qui initiantur* cap. IV. Eoque spectavit Theophanes Nicænus lib. *contra Judæos*, adductus a Turriano lib II. *de dogmat. character.* vocans Ecclesiam, *Porphyram*, & Christianos, *Porphyrogenitos*, qui nascuntur in purpura, hoc est, in Christi sanguine; quo aqua, Christianorum uterus, perfundatur necesse est, ut ad Christiani regenerationem fiat idonea Itaque ut id significaretur, panno illi, de quo agimus, alicubi insuebatur filum rubeum, ut scribit Guilielmus Durandus lib. VI. *Rationalis* cap. LXXXII. num. XVII. & XVIII ut intelligeretur aquas nostras genitales, rubrari sanguine, quod de mari rubro in nostri Baptismi typum dixit Prosper p. I. *de Prom ss.* cap. XXXVIII.

Gestabant Neophyti hoc Capitis tegmen per octiduum a Baptismo, æque ac vestem candidam. Et ita colligitur ex D. Augustino sermone CLX. *de Tempor.* cap. II. ubi hæc præter cætera: *Hodie octavæ dicuntur infantium: revelanda sunt Capita eorum, quod est indicium libertatis. Habet enim libertatem ista spiritualis nativitas, proprie autem carnis nativitas servitutem. Revelata* post octiduum, ait Capita infantium; *quo nomine*, ut mox exponit, *etiam adulti corpore, tunc baptizati donabantur, quia facti erant infantes Dei.* At revelatio illa Capitum, remotionem tegminis Caput operientis supponit. Itaque illuc usque gestabatur sacrum hoc velamen; & cum deponebatur, poterat adhiberi ad tegendum alium, quod de veste candida non erat in usu. Nam hæc unicuique propria erat, ut notavit Vicecomes lib. V. *de Baptis.* cap. XV. & perspicuum est ex narratione quam de Murita & Elpidophoro contexit Victor Uticensis lib. III. *Persecut. Vandal.* At velamentum Capitis, de quo agimus, poterat esse usui in alio Baptismo, juxta illud Concilii Belluacensis apud Gratianum cap. *Si quis, de Consecrat.* dist. IV. *Si quis voluerit chrismate pannum iterum linire, & super alium baptizatum mittere, non est absurdum.*

Duravit Velamen hoc Capitis recens baptizatorum, sat longo tempore; cum ejus meminerit Ivo Carnotensis, qui sæculo duodecimo ineunte florebat. Post illum tamen videtur abiisse in desuetudinem. Unde ab Hugone Victorino, qui non ita multo post vixit, nulla fit ejus mentio, in satis minuta rituum Baptismi expositione, quam adhibet lib. I. *Erudit. Theolog. de Sacram* cap. XIX. & XX. Fini autem cui hoc Capitis tegmen deserviebat, nempe prohibendo effluxui sacri Chismatis, ejusque dehonestationi, si Caput recens linitum mansisset intectum, alia ratione consultum est; nempe abstersione sacri Chrismatis, adhibito albo gossypio. Neque tamen prorsus obliterata est usurpatio hujus ceremoniæ, quandoquidem, (ut Pamelius notavit exponens ritus Baptismi in *notationibus ad librum Tertulliani de Baptismo)* usus etiamnum viget, ut post Baptismum & unctionem verticis a Sacerdote peractam, imponatur Capiti baptizati vestes candida; ad usus antiqui memoriam, quo Caput baptizati obvolvebatur sacro tegmine, statim a Baptismo & verticis inunctione.

SECTIO V.

De Operimento fœminei Capitis universe.

AD artificialia Capitis humani tegmina delabens, ordior a muliebribus; quod juxta Apostolum maxime proprium sit fœminei Capitis operiri, nec in iis duntaxat quæ sunt vulgati corporis, (ut fert omnino mulierum sensus, late refragante Andrea Pinto Ramires lib. I. *in Cant.* cap. I. vers. VII. num. LIX.) sed etiam in iis quæ honestate commendantur. Priusquam vero sigillatim dicam, præmittendum generatim est aliquid de fœminei Capitis operimento.

Congruere fœmineo Capiti tegmen, quo operiatur, Apostolus diserte tradit I. *Corint.* c. XI. vers. V. VI. ubi interrogatus a quibusdam Corinthiis, salvusne esse deberet mulieribus usus patrius procedendi aperto Capite, respondet id esse plane indecorum; nec tam videri debere consuetudinem, quam corruptelam meritissimo recidendam. Et quanquam Apostolus non agit de mulieribus alio quam ad orandum procedentibus, & in templo vacantibus orationi; tamen rationes ejus perspicue ferunt, omnem fœminæ processum in publicum intecto Capite, esse indecorum, ac refugiendum. Argumentatur ergo in primis Apostolus ex eo quod mulier subjecta sit viro, velut Capiti suo, & toti e quo decisa est, ut bene expendit ibi creditus Ambrosius, ac proinde velanda sit in signum subjectionis. Perinde enim esse videtur, mulierem intonsam esse, ac invelatam. Tonsuram autem comæ muliebris (extra religiosum ritum, de quo postea; & extra paucos eventus ex causa idonea, quos Apostolum non exclusisse bene notat Turrianus *ad lib.* I. *constit. Clem cap.* III.) omnes habent ut probrosam, quia amolitur naturale signum subjectionis, viro a muliere debitæ. Et idcirco Tertullianus lib. *de corona militis* c. XIV. tegmen Capitis fœminei, vocat *humilitatis fœmineæ sarcinam*. Et lib. *de vel. Virg.* cap. XVII. vocat *Jugum illarum.* Concilium Gangrense c. XVII. vocat *subjectionis materiam*. Chrysostomus I. *Corinth.* c. XI. *Signum muliebris subjectionis*. Roborat Paulus hanc argumentationem a contrario. Probrosum quippe est viro Caput inter orandum obtegere, quia ipse Deo soli subjectus est, & principatus divini terrena imago. Unde non debet subjectionis ad terrenum quippiam indicia præferre, sed Caput habere nudum.

Agit (ut vides) Apostolus, de viro & fœmina orantibus; & hanc, in signum subjectionis, vult precando ad Deum adire contectam: Illum vero, in signum exsolutionis a mulieris potestate, vult esse nudo Capite inter accedendum ad Deum. Si tamen aliquando testanda viro esset sua ad eum subjectio, non vetaret Apostolus, virum donare tegmine Capitis eam subjectionem testante. Quo pacto eliditur apparens collisio Apostoli, & Auctoris homiliæ *de uno legislatore*, perperam inscriptæ Divo Chryso-

ſtomo. Is quippe Auctor expendens amictum Pontificis Aaronici, cujus prima pars erat Tiara Caput operiens, ſic diſſerit: *quandoquidem Pontifex Caput erat populi, par erat eum, qui Caput eſſet omnium, in Capite ejus rei ſymbolum exhibere. Abſoluta ſi quidem & remiſſa auctoritas ferri nequit: quæ vero ſui imperii ſymbolum impoſitum gerit, legi ſubjicitur & paret. Itaque jubet Caput minime eſſe nudum; ſed coopertum, ut diſcat populi Caput, ſe Caput habere. Idcirco etiam in Eccleſia cum ordinatur Sacerdos, Evangelium Chriſti Capiti imponitur; ut diſcat, quamvis omnium ſit Caput, ſe tamen legibus iſtis ſubjici; & eum qui omnibus imperet, legis imperio ſubeſſe, eumque qui omnibus dat mandata, a legibus accipere: Propterea nobilis vir quidam ex Veteribus, cui nomen Ignatius, quique Sacerdotio ſimul & martyrio decoratus fuit, ad Sacerdotem quendam ſcribens dicebat; nihil ſine tua voluntate geratur, neque item tu quicquam abſque Dei facias voluntate. Quod igitur impoſitum habeat Evangelium Pontifex, ſignum eſt eum eſſe ſub poteſtate conſtitutum. Propterea dicit Paulus de muliere, quæ velamen habebat, quod erat imago poteſtatis. Erat igitur Tiara figura poteſtatis.*

Eſto igitur, ſi quando viri ad Deum ſubjectio ſit teſtanda, operiat vir quoque Caput ſuum; at in quotidiana precatione in publico cœtu, ubi promiſcue viri mulieresque conveniunt, par eſt, ut gloriam & imaginem Dei ſe exhibeat, atque adeo præferat apertum Caput. Neque ob præſentes Angelos neceſſe eſt Caput operiat, cum ipſe quoque ſit quodammodo Angelicæ dignitatis, ut S. Baſilius lib. *de vera virginitate* philoſophatur. Mulierem vero, quia propter virum facta eſt, eique reverentiam & obedientiam debet, par eſt habere Caput obductum, ſive (ut Apoſtolus loquitur,) poteſtatem, *ἐξουσίαν* ſupra Caput habere *propter Angelos*. Id eſt, ut malos Angelos inter orandum & de ſpiritu concipiendum, ea ſigni ſubjectionis ſuæ oſtentatione confundat, ut S. Paulinus Epiſtola IV. *ad Severum* ſcite & pie admodum diſſerit. Quamquam de ſenſu qui magis literæ inhæret, actum plene in tractatu *de ſobria ſexus mollioris per ſacros homines frequentatione* cap. VIII. Sed hæreamus in loco propoſito.

Vox *ἐξουσία*, quam ibi uſurpat Apoſtolus, proprie ſonat *potentiam* & *authoritatem*. Unde quod Latine apud Marcum cap. VI. verſ. VII. legitur, *dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum*. Et Johannis cap. I. verſ. XII. *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; Græce eſt *ἐξουσία*. Et apud Lucam cap. XXII. verſ. XXV. *qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur*. Verbum Græcum eſt, *ἐξουσιάζω*, quod ſonat *principiari*, & *dominium habere*, ut etiam Plato epiſt. III. *δύναμιν ἐξουσίας facultatem & jus dominandi* appellavit. Mulier ergo orans debet habere ſuper Caput poteſtatem, id eſt, tegmen Capitis, quod teſtetur mulieris ſubjectionem ad virum, & viri in eam principatum, & auctoritatem a Deo naturæ inſtitutore collatam. Eaque geſtatio adeo decet mulierem, ut accipere vel habere poteſtatem, paſſive intellectum, idem ſit quod eſſe fœminam. Locus eſt in eam rem inſignis *Eccleſiaſtici* cap. XLVII. verſ. XXII. XXIII. ubi Siracides deſcribens probroſam Salomonis mulieroſitatem, ait: *Inclinaſti femora tua mulieribus: poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua*. Quid ſit Salomonem habuiſſe in corpore ſuo poteſtatem, varii varie exponunt, ut late proſequitur Pineda lib. VII. *de Salomone* cap. VII. num. IV. Nam aliqui id accipiunt de miro Salomonis corporeo robore in conſueſcendo mille uxoribus. At hoc eſt a ſcopo Sapientis alieniſſimum. Janſenius accipit de

A poteſtate, verius licentia, abutente ſuo corpore. At textus primigenius aperte ſonat ſubjectionem ſive poteſtatem paſſivam, non activam. Verus itaque & genuinus Siracidæ ſenſus eſt, exprobrare Salomoni, non quod habuerit ipſe poteſtatem & dominium in corpus ſuum; ſed quod præ ſumma enervatione corporis per monſtroſam libidinis effrænationem, adeo degeneraſſet a maſcula fortitudine, ut veluti tranſiſſet in fœminam; ita ut videretur habuiſſe in corpore ſuo poteſtatem, id eſt, tegmen fœminei Capitis, indicem effœminationis, & veluti degenerationis in mulierem, præ ſubjectione

B naturali ad virum, obnoxiam poteſtati ſive velamento. Qua ratione de Hercule effœminato dictum eſt actu. I. *Hippol. crinem mithra preſſit*. Et Phryges ab effœminatione dicti *Phrygiæ*. Eadem loquendi forma, Joannem VIII. quod a maſcula Nicolai deceſſoris fortitudine deſciſcere viſus eſſet, jactatum eſt, eſſe fœminam. Unde fabula de Joanna Papiſſa, quam mendacii & nugacitatis fere fruſtra revincunt, Panvinius, Baronius, Remondus, ac Leo Allatius; cum veriſſimus ſenſus, ex quo Joannes audivit fœmina, ſit quem attigi. Et e contrario, mulie-

C res ſi quæ virili animo, quaſi in viros evaſiſſent, donatæ ſunt nominibus maſculinis; ut Melania dicta eſt *Melanius*, vel *Melanium*, Albina audivit *Albinus*, ut bene notavit Roſvedius ad epiſtolam XLIV. S. Paulini. Et S. Franciſcus referente Piſano lib. III. conformit. IV. part. II. Jacobam matronam Romanam maſculi pectoris, volebat vocari *Fratrem Jacobum*. Salomon ergo habuit in corpore ſuo poteſtatem, non ſecus ac Herculis, canente Deianira, nullam muliebritatis notam rejecit. Et idem de Sardanapalo habet Juſtinus lib. I. & quodam Syriæ Rege Dio Orat. IV. Mulier autem, hanc pote-

D ſtatem viro probroſam habere debet. Nam ſi omittat demiſſionem ſuam ſigno illo externo teſtari, incurret in odium Sanctorum Angelorum Eccleſiæ præſidium, qui ſuperbam, & debitæ viro reverentiæ ac ſubjectionis ſigna dedignantem, averſabuntur. Hæc Apoſtoli argumenta univerſaliter probant, decere ubivis in publico fœminas velamentum Capitis. Et hanc fuiſſe Apoſtoli mentem, confirmat Tertul. lib. *de vel. Virg.* fere per totum. De Melania Romana ita ſcribitur in *ejus vita* apud Surium Tomo I. Unde liquet de ejus mente in hoc negotio, & de B. Pauli juxta eam ſententia: *Erat

E quidem hæc lex apud Romanos, ut nullus vir nec mulier ad Imperatorem aut Imperatricem operto Capite accederet. Ea vero legem nihil curans velata acceſſit: non Tyrannorum mores, ſed Pauli legem maxime dicens, oportere conſervare; qui non ſinit mulieres nudo Capite incedere*. Late de hoc Apoſtoli præſcripto, præter Interpretes ad hunc locum, Andreas Sauſſayus lib. *de myſtic. Galliæ ſcriptor.* in *Paulo*, ritu X. & in *S. Lino* præcepti Paulini renovatore, ritu II. qui recte notavit, Centuriatores centur I. lib. II. cap. X. occaſione illius præcepti allatrantes S. Linum,

F quod ad rem minimam & Pontificia cura indignam deſcenderit, proponendo præceptum de velamine Capitis muliebris, non advertiſſe, ſe eadem opera Apoſtolum impetere, cui non eſt viſum indignum Apoſtolica cura, eo ſe demittere. Ita execrarunt Illyricus & ſocii, ſpurcitiam ſuam atque laſciviam prodentes, quibus obnubi muliebria Capita ita ut libere non paſcant oculos plenos adulterii, indignum viſum eſt Pontificia ſollicitudine.

A Explorata ergo eſt mens Apoſtoli, de mulieribus in publico velandis. Idem ſemper tulit omnium bene moratarum gentium uſus. S. Macarius Homil. XII. ſub finem, ait mulieres Apoſtolorum tempore, loco velaminis habuiſſe crines paſſos. Sed hoc non video quam vere dicatur. Apud Hebræos enim jam a gentis exordio velari ac contegi ſexus fœminei Capita, ex uſu fuit. Ita ferunt verba illa Abimelechi ad Saram divina revelatione ab injuria ereptam *Geneſ.* cap. xx. verſ. XVI. *Hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt, & quocunque perrexeris memento te deprehenſam.* Senſus eſt, Abraham vere vir

B tuus, cui te reſtituo intactam, erit pudicitiæ tuæ protector, cui hoc veluti flammeo, quali nubentes & illuc uſque intactæ ſponſo traduntur, te addico puram. Idque omnibus in quos incides teſtatum volo. Utere hoc flammeo, ut omnes te uxorem norint; ac deinceps quiſquis Abrahamum eſſe virum tuum reſcierit, a te & ancillis tuis oculos avertat. Munuſculum quo te dono, erit omnibus in ſignum quod ſis velata & viro aſtricta. Quare ne deinceps illius conjugium verbo ejures. Memento te hac ex cauſa, deprehenſam in ſimulatione periculoſa, & ſpecie mendacii, quæ poſſet in cauſa eſſe, ut

C ab alio, tanquam viro non alligata, vitiareris. Itaque *velamen oculorum*, de quo agit Amibelech, eſt tegmen ſubducens oculis contuentium, Caput & faciem Saræ. Ita eum locum exponunt, Prado in cap. XIII. *Ezech.* ad verſ. XVIII. & Delrio ad cap. xx. verſ. XVI. *Geneſ.* Nec me movent quæ in contrarium late urget Salazarius cap. III. *Iſagoges in Cant.* §. IV. (in quem his pridem conſcriptis incidi,) & Martinus de Roa Tom. II. *Singular.* lib. III. cap. IV. ſubdens cap. v. ſuam expoſitionem, qua vult, *per velamen oculorum*, ſignificari prætextum, ne videatur & incurrat in oculos dome-

D ſticorum Saræ, injuria ei illata, cum abducta eſt in domum Abimelechi. Sed non adſcribo; quia nulla erat injuria Saræ, quod ad Regium conjugium non renitens & viro non addicta (ut putabatur, & vir ejus aſſerebat) abduceretur, ipſo inſuper ejus fratre exiſtimato, optime propter eam habito. Denique propoſita interpretatio videtur diſtorta, & omnibus retro Patribus incomperta, nec ab ullo Interprete hactenus tradita: Apud Lippomanum quidem, in catena ad eum locum, inter omnino multas iſtius locis interpretationes, refertur una, qua

E operimentum oculorum ſumi dicitur pro prætextu excuſationis a Sara adhibendæ, & ad domeſticos, & ad externos, cum audituri eſſent tantam Abimelechi erga Saram liberalitatem. Sed neque ea interpretatio quadrat: cum potius in ſuſpicionem vocanda videretur Sara, præ tanta largitate. Et hic prætextus eſt longe alius, quam qui ab auctore, cum quo agimus, proferebatur. Quare ſiſtamus in aſſignata primum interpretatione, quæ & ſimpliciſſima eſt & genuina, fertque velationem faciei fœmineæ, in-

F ter Hebræos jam a tempore Abrahami invaluiſſe.

Uſus jam tunc vigens apud Hebræas mulieres, deinceps tenuit, ita ut Tertullianus lib. *de corona militis* cap. IV. dicat: *Apud Judæos tam ſolemne eſt fœminis eorum velamen Capitis, ut inde dignoſcantur.* Quod ſtatim confirmat exemplo Rebeccæ, ad primum Iſaaci conſpectum, invadentis peplum, quo velaretur: & exemplo Suſannæ, quæ cum judicio ſiſteretur, *Danielis* cap. XIII. verſ. XXXII. operta erat Caput, pro more cæterarum mulierum Hebræarum. Quamquam a ſpurcis ſenibus qui videbantur regere populum, juſſa eſt diſcooperiri, re ipſa quidem ut vel conſpectu tantæ pulchritudinis fœdam cupiditatem paſcerent qua tenebantur, ut Scriptura notavit; in ſpeciem autem, ut oſtenderent, Suſannam fidem conjugii violaſſe. Idcirco enim in ſacrificio Zelotypiæ *Numer.* cap. v. Mulier adulterii ſuſpecta, adducebatur ad Sacerdotem Judicem Capite nudato, ut inſinuaretur ejus impudentia; qua tranſgreſſionis cubilis ſui inſimulabatur. *Detecto Capite* (ait S. Cyrillus lib. IV. *de ador.* eum *Numerorum* cap. v. verſ. 18. locum verſans) *mulier ad Judicem ducitur, id eſt, non conſueto decentique ornatu. Et quænam eſt hujus rei ratio? Dedecoris namque crimen eſt, & turpitudinis accuſatio. Recordare vero, mulierem, aperto Capite orare Deum, a Paulo legis peritiſſimo non permitti: cum velari eam debere ex ipſa naturæ lege ducto argumento, probet. Nam comæ (inquit) ei pro velamine dato ſunt. Non ergo decenti ornatu mulier erat, quæ de indecenti crimine accuſabatur.* Itaque decens & conſuetus mulierum Hebræarum habitus erat, Capita habere contecta.

Idem apud alias gentes uſus viguit. De Græcis mulieribus habetur ex Apulejo lib. VII. *Miles.* ubi Græcæ mulieris Caput, mitella textili opertum repræſentat. Nec obſtat quod Plutarchus lib. *de Apophtgm. Laconicis* in *Charilla*, & Clemens Alex. lib. II. *Pædago.* cap. x. docent Virgines Lacænas intecta facie, mulieres operta prodiiſſe in publicum: quod hæ maritum jam nactæ, cui ſoli placere debent, faciem merito tegerent, extra domum & viri conſpectum: illæ faciem oſtentarent, & quaſi publicarent; inde ſi placerent, captandæ a maritis. Hoc, inquam, ante dicta non convellit. Neque enim Virgines erant intecto Capite, tametſi erant intecta facie; quod utrumque habebant mulieres jam viris addictæ. Propterea enim in earum mundo muliebri, numerabantur *Faciales*, vulgo *maſques*. Unde in veteribus Gloſſis adductis a Rigaltio *ad Onoſandri Strategeticon* cap. I. δὸς προσωπίδιον, *Da facialem*. Fuiſſeque olim eas larvas, purpureas, idem Auctor demonſtrat. Plinius lib. XII. cap. XIV. *perſonas* vocat. Potuerunt igitur Græcanicæ illæ virgines nudari faciem tecto capite. De Romanis mulieribus velato Capite procedentibus, ſicut mares nudo & aperto, teſtis eſt Plutarchus quæſt. XIV. *Rom.* Idque aſtruunt exempla non vulgarium modo mulierum, ſed etiam Auguſtarum, Liviæ, Marciæ, Fauſtinæ, quas nummi antiqui Capite obducto repræſentant, addito lemmate PUDICITIA. Poppæam item Sabinam, Neronis conjugem, tradit Tacitus lib. XIII. *Annal.* cap. XLV. non niſi velatam, (quia ſic decebat) & infrequenter, in publicum prodiiſſe. Quid quod Valerius lib. VI. cap. III. ex. x. ſcribit C. Sulpitii Galli uxorem, a marito rejectam, quod Capite aperto foris verſatam cognoviſſet? Etiam barbaris mulieribus perpetuum fuiſſe Capita tegere, Tertullianus auctor eſt lib. *de Vel. Virg.* cap. XVII. referens, Arabicas mulieres non Caput modo habuiſſe tectum, ſed & faciem, contentas dimidiam frui lucem, procedendo, unum duntaxat oculum liberatas, ne totam faciem proſtituerent. Idque apud eas ſuo tempore retentum, ait S. Hieronymus *in cap.* III. *Eſaiæ*.

Inter Chriſtianos quoque, hujuſmodi velamentum nubentibus eſſe jam olim adhibitum, docemur ex S. Ambroſio, qui lib. III. *de Virgin.* cum retuliſſet exprobratum ſibi eſſe quod puel-

A las nubere prohiberet, consecrans eas integritati, respondet: *Utinam possem flammeum nuptiale pro integritatis mutare velamine*. Et lib. *de Viduis*: *Suasimus (fateor) ut vestem mutares, non ut flammeum sumeres*. Scite in *exhortat. ad Virgines*, cum præmisisset, Virgines esse nubes leves, & lucidas, addit e contrario de conjugatis: *Nubes sunt & graves nubes, quæ nupserunt. Namque a nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur ut nubes, cum acceperint nupturæ velamina. Et vere graves nubes, quæ sustinent sarcinam Matrimonii. Nam etiam gravari alvo feruntur, cum semina conceptionis acceperint*. Non B pugnat hæc notatio *nubendi*, cum ea quam ex ipso S. Ambrosio lib. I. *de Abrahamo* cap. IX. retulimus superius, ducta ex eo quod puellæ Caput obumbretur pudoris gratia. Nam *nubes* quoque ab operiendo & obnubendo sunt dictæ. Quæ nubendi & nuptiarum notatio Ælio & Cincio apud Festum V. *Nuptiæ*, merito est probata, aliis explosis frivolis notationibus ibidem adductis. Quod ergo inter Christianos quoque sponsa nubens velamine operiretur & obnuberetur, merito verba quoque *nubendi*, & *nuptiarum*, apud nos usurpantur. Apud S. Ambrosium, quia hoc velamen a Sacerdote imponebatur, vocatur *velamen Sacerdotale*. Sic enim ha- C bet Epistola *ad Virgilium*: *Cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?* Et eodem pertinet quod Siricius Papa, Epistola *ad Mediolanenses contra Jovinian.* ait: *Nos sane nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamine intersumus*. Videtur hanc ob causam, hoc est, quia velamen a Sacerdote imponebatur, & certa prece sanctificabatur, dictum esse *cœleste velamen* a Nicolao I *ad Consulta Bulgar.* cap. III. cum explicat ritus nuptiales Latinæ Ecclesiæ, ubi etiam addit, ta- D le velamen non suscipi in secundis nuptiis, sicut neque suscipitur benedictio, quia receditur ab unitate, cui soli Deus in conjugiis benedixit. Quod autem Nicolaus, non puellæ duntaxat, sed utrique conjugi velamen a Sacerdote impositum significet, non est opus eo loquendi modo dictum arbitrari; quo ob nexum, quod unius proprium est, alteri item adscribitur: sed potest simpliciter accipi ut sonat; cum hodieque in plerisque Ecclesiis is usus vigeat; ut sponsus & sponsa inter exprimendum coram Sacerdote consensum, velo operiantur. Sicut olim, E sub thalamo, id est, sub velo suspenso utrumque inumbrante, contrahebatur nuptiale fœdus, ut advertit Sancius *Proleg.* III. *in Cant.* & in cap. II. vers. III. ad illud, *sub umbra illius quem desideraveram sedi*, sub quam umbellam quia sponsus & sponsa admodum ornati subibant, nihil mirum, Solem orientem Ps. XIX. vers. VI. dici procedere ut sponsum de thalamo.

Fuere tempore Tertulliani, quibus videretur usum adeo universalem tegendi fœminea Capita, ab Apostolo ad Corinthios firmatum, ad solas fœminas virum expertas pertinere, saltem F in templo. Nam extra templum quidem, usum ubis receptum servabant, ut diserte tradit Tertullianus cap. XIII. cujus hæc est oratio: *Quid singula prosequor? Solemnem manifestæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem. Sed virginari volunt sola Capitis nuditate, uno habitu negantes quod toto suggestu profitentur. Si propter homines habitu abutantur, impleant illum etiam in hoc, ut & apud Ethnicos Caput velent. Certe in Ecclesia Virginitatem suam abscondant. quam extra Ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur & fratres: aut constanter audeant & in vicis Virgines videri, sicut audent in Ecclesiis. Laudabo vigorem, si aliquid & apud Ethnicos Virginitatis nundinarint. Eadem natura foris, quæ intus; eadem institutio apud homines & apud Dominum eadem libertate constat. Quo ergo foris quidem bonum suum abstrudunt, in Ecclesia promulgant?* Hanc abusionem Tertullianus toto eo libro potenter evertit; & Virgines quoque, etiam in templis, tecta debere præferre Capita, accuratissime confirmat. Nec assentior nupero scriptori, qui disp. III. *de re vestiaria Judæorum* cap. I. §. VI. librum illum a Tertulliano jam Montani somniis dementato conscriptum ait, & contra usum Ecclesiæ Virgines habendi invelatas, pugnare contendit. Sed hæc omnia gratis dicta sunt, & præter cæterorum omnium mentem.

Quoad fœminas vero, supponit Tertullianus, ut per se notum ex usu receptissimo, & Apostoli mandato, indubie ac nemine refragante illas astringente, neque in templo, neque alibi potuisse tegmen Capitis abjicere: unde cap. XVII. sic concitatur in quasdam mulieres, ad quas orationem convertit, post discussam Virginum causam: *Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ* (hoc est, conjugalis) *mulieres, quæ in nuptias incidistis, ne sic a disciplina velaminis exolescatis, ne quidem in momento horæ, ut quia rejicere illam non potestis, alio modo destruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant Caput, sed conligant, a fronte quidem protectæ: qua proprie autem Caput est, nudæ. Aliæ modice linteolis, (credo ne Caput premant) nec ad aures usque demissis cerebro tenus operiuntur. Misereor si tam infirmo auditu sunt, ut per tegmen audire non possint. Sciant, quia totum Caput mulier est. Limites & fines ejus eo usque porriguntur, unde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervice quoque ambiantur; ipsæ enim sunt quas subjectas esse oportet; propter quas potestas supra Caput haberi debet: velamen jugum illarum est*. Tantumne? Protensius certe tegmen passim fuisse adhibitum, mox dicam. Sed Tertullianus Capitis tegmen, *nec in momento quidem horæ rejiciendum*, quod in omni rigore, ac etiam intra domesticos parietes, præferre mulier teneretur, exponere eo loco contentus fuit. Et mox idem Tertullianus Angelum in somnis Christianæ cuidam fœminæ, velaminis spatia metatum esse, a Capite ad lumbos usque testatur. Itaque quod cap. XV. dixerat, velamen fœmineo Capiti esse galeam, & clypeum protegentem adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones & susurros æmulationum, accipiendum est de clypeo oblongo, quales olim in usu, majorem partem corporis obtegentes. Quanquam aliquæ adeo tenuibus velis operiebantur, ut subtus posita retiola crines complectentia apparerent, & capillorum elegantia in oculos incurreret. Quod cavendum monebat S. Augustin. epist. CIX. verbis illis: *Ne sint vobis tam tenera Capitum tegmina, ne retiola subter appareant*.

Quod tamen etiam domi velari mulierem volebat Tertullianus, ex austeriore ejus genio profectum est, nec ab Apostolo Patribusve inductum. Clemens certe Alexandrinus pereleganti in hanc rem loco contrarium tradit. Ita enim habet lib. III. *Pædag.* cap. XI. sub finem: *Mulier semper tecta sit, nisi domi fuerit. Est enim honestus habitus, & ex quo nihil possit offensionis suscipi. Ipsa enim nunquam labetur, si & verecundiam & vestem ante oculos posuerit; nec ad peccati lapsum, alium provocabit, dum vul-*

tum suum aperit. Hoc enim verbum requirit, quandoquidem convenit eam tectam orare. Dicunt autem, Æneæ uxorem propter insignem honestatem, nec cum Troja quidem caperetur perterritam, se detexisse: sed etiam dum ab incendio fugeret, mansisse coopertam. Ejusdem operis lib. II. cap. X. ad finem, Clemens cum retulisset laudes, a petulantibus quibusdam tributas fœminis, quarum intectas partes quaspiam conspexissent, addit: *Nolo pudicas fœminas præbere talium laudum causam, iis qui per hujusmodi laudes, ut probrum eis afferant, venantur. Nec vero solum calcaneum nudare est prohibitum; sed etiam Caput tegere, & vultum adumbrare jussum est. Neque enim honestum est, Corporis pulchritudinem, esse hominis aucupium.* Hæc ratio tegendi Caput mulieris, non urget eam, cum intra domum versatur. Video S. Ambrosium adscribi Clementi. Nam lib. I. *de Pœnit.* cap. XIII. præfatus, non esse alligandum sinui ignem impuri amoris, qui edaci flamma libidinis consumat animam, ideoque coercendum esse vultus alieni aspectum, addit: *Vel consuetudo nos doceat: ideo velamine obnubit Caput suum mulier, ut etiam in publico tuta verecundia sit; non facile vultus ejus in adolescentis oculos occurrat; nuptiali velamine tecta sit, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus, vel ad alienum, vel suum. Sed utrumque suum vulnus est. Quod sit tegmine caput velat, ne temere aut videatur, aut videat, (dum enim Caput velatur, vultus absconditur) quanto magis velare se debet pudoris tegmine, ut etiam in publico habeat suum ipsa secretum?* Quin etiam juxta creditum Ambrosium I. *Corinth.* cap. XI. Apostolus mandans ut fœminæ Caput velent, non agit nisi de Ecclesia & conventu publico ad psallendum, vel etiam ad prophetandum. Sic enim format Apostoli eo loco argumentationem: *Mulier ergo idcirco debet velare Caput, quia non est imago Dei, sed ut ostendatur subjecta. Et quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, ut in Ecclesia propter reverentiam Episcopalem, non habeat Caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi, quia Episcopus personam habet Christi. Quasi ergo ante judicem, sic ante Episcopum, quia Vicarius Domini est, propter reatus originem subjecta debet videri.* Affine est quod Tertullianus lib. *de Cor. milit.* cap. IV. observat, Susannam in pomario, & (ut ipse vocat) in stadio mariti, aperto visam Capite, in judicio tamen comparuisse velatam, quia rea venerat, erubescens de infamia sua. Mulier ergo in Ecclesia, coram Episcopo, Judice, & locum Dei tenente, velatur, de suo reatu & invecto per eam peccato erubescens; domi autem ad Caput velandum non adigitur, quicquid Tertullianus affirmarit, contrarium ut proxime audisti, de Susanna fassus. Quod Laurentius Landmeter lib. I. *de vetere Clerico & Monacho* part. I. c. III. ex Oecumenio I. *Corinth.* cap. XI. & ibidem Estio, perpetuum ipse quoque, operimentum ubivis mulieri indictum contendit, audiendus non est.

SECTIO VI.

Sigillatim de profanis usuariis Capitis fœminei integumentis.

Quia juxta Apostolum, prius est animale quam spirituale, & ex sæculi fœminis Virgines Deo dicatæ oriuntur, recensebo sigillatim primo loco, tegmina profana mulierum sæculi, deinde ad sacrarum mulierum integumenta progrediar, quæ adeo sunt illis congruentia, ut Tertullianus lib. *de vel. Virg.* cap. XVI. hortetur Virgines, assumpto velamine mentiri aliquid conjugii, ut statum Viiginum servare possent: nam subjectio ad virum per velamen expressa, earum maxime propria est, quarum est ad virum conversio, hoc est, quæ nupserunt. Unde aliquatenus se nuptas mentiuntur, quæ assumunt eam notam, conjugatarum præcipue propriam. Itaque jure ordimur a tegminibus profanis fœminarum de sæculo, sive quæ jam viris serviunt, sive quæ destinantur ut serviant, & *Virgines hominum* nominantur a Tertulliano eodem lib c. III. nec semel alibi.

Inter hæc Capitis tegmina ordiendum a flammeo quasi initiante mulierem. Nonius enim *flammeum* ait *tegmen esse quo Matronæ Capita operiunt, utique cum nubunt, & Matronæ primum dicuntur.* Unde Tacitus *Annal.* l. XV. propudiosas Neronis cum Pythagora pocillatore, ut viro, nuptias referens, cum reliqua omnia in nuptiali pompa adhiberi solita, auspices, faces nuptiales, thorum genialem, intervenisse docet, tum nominatim ait *Imperatori impositum flammeum.* Et Quintil. declam. CCCVI. vetulam nubentem alloquens. *Operis (inquit) flammeo canos.* E contrario S. Hieron. in Epitaphio Paulæ, ut Viginem notaret consecrandam, ait: *Neptis Christi flammeo reservatur. Flammeum* porro aliqui dictum volunt a Flaminica, quæ eo semper utebatur, nec facere divortium poterat. Bene, nisi geminum *m* obstaret, & a colore potius ductum fuisse id nomen, suaderet: Erat enim primum flammei, id est, lutei coloris, Plinio teste lib. II. cap. VIII. & juxta illud Lucani lib. II. *Pharsal.*

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Sicut luteos nubentis soccos Seneca exhibet in *Medea.* Et insinuat Catullus apud Brissonium *de ritu nupt.* pag. 29. Postea tamen mutatus est flammei color. Nam album fuisse Festus docet; purpureum vero antiquus Interpres Juvenalis *ad Satyr.* VI. Utrumque colorem nectit S. Isidorus, adductus cap. *Fœminæ* XXX. q. V. alborem referens ad vitæ munditiam, purpuram vero ad sanguinis posteritatem. Ni mavis eum colorem cum eodem Juvenalis Scholiaste, referre ad ruboris custodiam eo colore insinuatam; in quem finem adhibitum nubentis Capiti tegmen, & ab ea obnuptione dictas nuptias, S. Ambrosius auctor est lib. *de Abrah.* cap. IX. Ad imitationem nuptialis hujus velamininis, & ob proportionem cum eo, velum consecratum, quo piæ Virgines Christo nubebant, dictum *flammeum*, proxime dixi ex Hieronymo, & infra plenius prosequar. Quamquam quod Latinus Interpres *vitæ Chrysostomi*, per Georgium Alexandrinum cap. LV. cum de sacris Virginibus, abrepto Capitis operimento dehonestatis agit, Græcam Georgii vocem μαφόρια, expressit per Latinam vocem *flammei*, perperam expressit, ut mox patebit.

Mitra tametsi nomen est polysemon, proprie tamen significat tegmen Capitis muliebris. Non dico significare vestem (ut male aliquibus visum apud Petrum Fabrum l. I. *Semestr* cap. XV.) sed tegmen Capitis. Varias quas dixi hujus vocis notiones, recensuit Paschalius lib. IV. *de Coron.* c. XX. & XXI. Nam interdum quidem sumitur pro nocturno virilis Capitis pileolo: alias pro fascia, seu lamina pectus muliebre contutante, cujusmodi item æreas mitras, interius, circa imam ventris partem gestabant prægnantes, ad majorem fœtus securitatem & indemnitatem, easque mitras in primo partu solvebant, & Dianæ appendebant: quod dicebatur *Zonam solvere* juxta Paschalium: reclamantibus omnibus aliis, qui solutionem Zonæ referunt ad cinguli novæ nuptæ ex lana ovis confecti, & vincti nodo Herculano, exsolutionem per virum. Videsis Brissonium *de ritu nupt.* pag. mihi 25. Sed & *mitræ* notio pro diademate, non infrequens Antiquis

quis. Cæterum maxime proprie, mitra tegmen fuit ad fœmineum Caput operiendum. Sed aliquando quidem sonat Capitis muliebris redimiculum, e quo pendebant fasciolæ, quæ *phylla* dicebantur, quod florum instar dependerent, ait Onuphrius in calce libri *de vocibus Ecclesiasticis obscurioribus*. De hac *mitræ* notione, pro fascia citra apicem capillos obligante, videndus Ludov. Cœlius lib. XVI. cap. X. & Pradus *ad cap.* XXI. *Ezech.* vers. XXXI. ad illud *tolle cidarim*. Hoc sensu, Judith c. X. vers. III. dicitur imposuisse *mitram super Caput suum*. Et apud Nasonem in Epistola Dejaniræ ad Herculem subsannatur vir:

Ausus & hirsutos mitra redimire capillos.

Id quod etiam Jarbas *Æneid.* IV. ridet in Paride, cum semiviro comitatu. Et lib. X. ridentur Troes obsessi, habentes redimicula mitræ. Alias vero mitra integrum Capitis tegmen signat. Quæ videtur notio *mitræ* apud Papinium lib. IX. ubi Atlantiades negans se esse effœminatum, ait, *haudquaquam deformes vertice mitras induimus*. Lyranus Judith cap. X. muliebre hujusmodi Capitis tegmen *Calanticam* esse censet. Ipse *Cuffam* vocat, Gallice *une coiffe*. Et suffragatus videtur Servius *ad locum Maronis annotatum*, qui pileum contraponit mitræ; & hanc muliebri Capiti tegendo, illum virili addicit. Utraque ex variis locis Auctorum illustrata mitræ forma, per multiplicatas spiras, variis locis ac temporibus habuit locum. Quare non ab re mitram inter Capitis fœminei tegmina recensitam voluimus, non inter nuda ornamenta, cujusmodi erant *vittæ*, sive Matronales multiplices, sive Virginales simplices, de quibus plene Bernartius *ad lib.* V. *Thebaidos* sub fin. Matronales autem duntaxat, aut Virginales vittas dixi, quia famosis mulieribus, æque vittarum ac stolæ usu interdicebatur. Unde Naso scripta obscœna non pudicis, sed impudicis scripta excusans, ajebat:

Scripsimus hæc illis, quarum non vitta pudicos
Contingit crines, nec stola longa pedes.

Et idem iterat, negans se de illis, aut ad illas scripsisse:

Quas stola contingi, vittaque sumpta vetat.

Præterea alibi, sic canit in eandem sententiam:

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Queisque tegit medios instita longa pedes.

Non potuit distinctius vittas pudicis innuptis aut nuptis mulieribus adscribere.

Stolam Caput quoque mulierum operuisse, monstrat illa ejus descriptio apud S. Isidorum lib. I. cap. XXV. *Stola matronale operimentum quod cooperto Capite & Scapula, a dextro latere in lævum humerum mittitur.* Stola *autem Græce vocatur, quod supermittatur. Eadem &* ricinum *Latino nomine appellatum, eo quod dimidia ejus pars retro rejicitur, quod vulgo* Mavortem *dicunt. Vocatam autem dicunt* Mavortem, *quasi Martem. Signum enim maritalis dignitatis & potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est; inde & super Caput mulieris est.* Hæc stola metonymice esse videtur illa instita insigne pudoris in Matronis, de qua Ovid. lib. I. *de Arte Amandi* proxime adducto disticho:

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegit medios instita longa pedes.

In eodem libro, ut proxime quoque referebam, pudicas describens, vocat:

Quas stola contingi, vittaque sumpta vetat.

Matronarum quippe honestarum propria erat stola, juxta illud Cæcinæ Severi apud Tertullianum lib. *de Pallio* cap. IV. *Matrona sine stola, in publico?* Et consonat illud Martialis lib. I. epigram. XXXVI. vers. VIII.

Quis floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Et Flaccus lib. I. *Serm.* Satyr. II. vers. XXIX. eodem respexit cum dixit:

—— Sunt qui nolunt tetigisse, nisi illas
Quarum subsuta talos tegit instita veste.

Quia solæ Matronæ pudicæ, stolatæ erant; & stolam ad talos vel medios pedes demissam ambiebat instita. Et idcirco interdum *stola*, pro Matrona usurpatur, ut apud Papinium corruptos mores sub Domitiano describentem:

Omnis plebejo teritur Matrona tumultu,
Hinc eques, hinc juvenum cœtu stola mixta laborat.

Probrosum enim antea erat, Matronam & honestam mulierem, in publicum procurrere. At si absque stola apparuisset, exautorasse se videretur; & Lentuli Auguris consultis, pro stupro erat pœna, ait Tertullianus capite illo IV. libri *de Pallio*.

Quod addebat S. Isidorus, *Mavortem* ad stolam & fœminea Capitis operimenta pertinere, firmatur ex Servio *ad lib.* I. *Æneid.* ubi ait: *Ricinius dicitur, ab eo quod post tergum rejicitur, quod vulgo* Mavorte *dicitur*. Similiter Nonius: *Ricinium, quod nunc* Mafortium *dicitur*. Suidas cum *Cridemno* idem esse ait. Passio Pauli, ex Lino, & Beda in Martyrol. XX. Septemb. Faustam & Plautillam Mavorte opertas Capita, referunt. Et idem ipsum fuit tegmen Capitis S. Soteris, quæ palmis cædi jussa: *Ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit; soli invelata atque intecta Martyrio*; ut de ea loquitur S. Ambrosius sub finem *exhortationis ad Virg.* & lib. III. *de Virg.* attingens martyrium, hujus *piæ* (ut vocat) *parentis*, ac *auctoris generis sui*. Quomodo ergo Virginis, ut habent tabulæ Ecclesiasticæ X. Februarii? Erat itaque *Mavors* hujusmodi, (aut *Maphorium*,) ut ex Glossis Arabicis Latinis habet Meursius, & Suidas, ac Phavorinus; vel *Mafors*, V. Litera pro *digamma* F. & vicissim de more usurpata: erat, inquam, *Mavors*, tegmen, sed latius & protensius, quam ut Caput solum contegeret. Unde S. Hieronym. epist. XXII. sugillans sacras Virgines ineptientes, & luxum sæcularem absurde usurpantes, ait præter cætera: *Et per humeros Hyacinthina læna, mavorte volitans.* Ubi Marianus notari ait Virginum illarum vanitatem, quæ Mavortem (ut ex Cassiano lib. *de habitu Monachi* cap. VII. patet,) angustum alioqui amictum, adeo laxum haberent, ut per humeros, quos tegebat, una cum eo Hyacinthina læna illi adjuncta velare videretur. Longe etiam ampliorem Mavortem exhibent Acta Concilii Pictaviensis, in causa Regiarum puellarum, & Abbatissæ Cœnobii Sanctæ Radegundis. Hæc enim a puellis accusabatur, quod ex Mavorte holoserica, per Didimiam donata Ecclesiæ, ornasset sponsam neptem suam, iis in illam usurpatis, quæ pallæ altaris ex tali Mavorte confectæ superfuissent. In statuis eandem Mavortis formam conspici, notat Baronius anno DXCIII. num. LXXX. recte a matronali Mavorte & prælonga & laxa, angustam Monachorum, brevemque Mavortem secernens; de qua rursus Cassianus lib. IV. cap. XIII.

Pallia fœminea, quæ item prælonga & laxa erant, Caput quoque operiebant. De cujusmodi pallio, valet quod *Genes.* cap XXIV. vers. LXV. Rebecca adventantem Isaacum sponsum audiens, cito pallium suum arripuit & vultum operuit, ut Tertul-

lianus exponit lib. *de vel. Virg.* cap XI. nec non A S. Ambrof. lib. *de Isaac* cap. II. ac Hieronym. *in cap.* III. *Esajæ*, & scite S. Paulinus in *Epithal. Juliani & Jæ*, sic canens:

Pulchra Rebecca sacrum cum Sponsa veniret ad Isaac
Simpliciter velo tecta pudoris erat.
Non legitur variis venisse ornata lapillis,
Sed super obducto prædita palliolo.
Quo pudibunda suum texit velamine vultum,
Oblatam sponsi Virgo pavens faciem.

Esse nuptialem amictum, & una cum capite faciem quoque velasse, ait Nyssen. homil. XII. *in Cant.* B θέριστρον dixere LXX. quod esse æstivum peplum Pollux docet, ac Suidas, & bene Lippomanus *Genes.* cap. XXXVIII. vers. XIV. ubi de theristro quod Thamar, ementiens fornicariam, sumpsit. Hebrææ siquidem mulieres, peplum a Capite ad talos fere demissum, gestare solebant; quo Virgines, & faciem (quantum per viæ initionem licebat) & corpus totum operiebant; Uxoratæ corpus quoque dempta facie; Fornicariæ autem habitum Virginum ementiebantur, & se totas peplo contegebant, ut fecit Thamar *Genes.* cap. cit. Unde quod *Cant.* cap. I. ait Sponsa, *ne forte vagari incipiam*, C juxta textum primævum, sic habetur: *Cur ero quasi desuper amicta*, id est, *velut meretrix huc illuc oberrans*, quæ est superamicta, & contecta per totum, præferens externa specie Virginem, ut procos facilius abducat? Iidem LXX. *Ezech.* cap. XVI. voce novata, hujusmodi theristrum dixere τρικάπτον; de qua voce pulchre ibi S. Hieronymus, qui vertere maluit, *indui te subtilibus*: quia hoc peplum valde tenue erat & subtile, interque ea textilia numerandum, quæ Seneca *nebulam lineam, & ventum textilem* appellavit. Idem Hieronymus *ad Lætam*, statuit hoc pallium esse pudicitiæ signum, & humeros texisse docet in Epistola *de suspecto contubernio*.

D Quid est autem, quod Luitprandus Cremonensis Episcopus, suam ad Nicephorum Phocam legationem describens, Imperatorem Græcorum ait fuisse theristratum? Idem lib. III. *Historiæ* cap. V. ait, Imperatorem pene laceratum fuisse per canes ab Hugone Rege missos, eo quod Græcorum more opertus theristro, veluti monstrum canibus apparuisset. Num Theristrum, a viris quoque Capiti tegendo adhibitum? Idem Luitprandus describens eandem legationem suam ad Nicephorum Phocam pag. 102. *Cum pileatus equitarem*, inquit, E *meque Curopalates a longe prospiceret, filio celeriter directo, mihi mandavit, fas non esse, quempiam, ubi Imperator esset, pileatum, sed theristratum incedere. Cui mulieres, inquam, nostræ tiaratæ, & theristratæ, viri equitant pileati.* Aliud plane est virile hoc theristrum a fœmineo, quod peplum a tegendis ἐν θέρει, hoc est, *in æstate* & caumate, fœmineis corporibus, est denominatum, ut S. Hieronymus docet *Isaiæ* cap. III. & in *Hebraicis Traditionibus*, utrobique notans, esse pallium & genus Arabici vestimenti, quo mulieres Arabiæ ac Mesopotamiæ tegebantur. Cum Maphorte, aut (ut ipse loquitur) Maphorio, *theristrum* confundit Philo Carpathius *in cap.* V. *Cant.* F Apud Suidam, Maphorium est operculum Capiti colligatum κεφαλόδεσμον, ut apud eum videre est, V. κρήδεμνος. Apertius vero Eustathius *Iliad.* ξ. κρήδεμνον ait Capitis esse velamentum ad humeros usque demissum, quod, ne ventorum vi decuteretur, Capiti obligaculo quopiam astringebatur; unde a Suida κεφαλόδεσμον est appellatum. Hoc igitur breve Capitis operculum, quod non nisi ad humeros demittebatur, viris quoque in usu erat, ut habetur ex Cassiano, *Maphortem* illud denominante lib. *de hab. Mon.* cap. VII. meminitque ejusdem *Maphortis*, cui postea pallii nomen indit Fortunatus lib. II. *de Vita S. Hilarii*. Sed Tertullianus lib. *de Pallio* cap. IV. Herculem in Theristro fuisse referens hujusmodi maphortem signabat.

Calyptram Delrio *Genes.* cap. XXIV. vers. LXV. agens de pallio quo Rebecca se operuit, censet idem esse quod *theristrum* & *flammeum nuptiale*. Hadrianus Junius, quorumvis fœminei Capitis tegminum nomen esse vult calyptram. Verum proprie calyptra erat speciale Reginarum tegmen: ut propterea Aetio pictor, apud Lucianum Alexandri & Roxanes nuptias repræsentans in tabula, expresserit Alexandrum detrahentem Reginæ calyptram. Plato item in *Alcibiade* I. meminit agri in Perside, cui nomen erat *Reginæ calyptra*, quia agri illius proventus erant attributi Reginæ in sumptus Calyptræ. Sicut pendi solitam Reginæ Lusitaniæ, nomine soccorum, certam pensitationem Acta S. Xaverii produnt. Similia ex Tullio *Verrina* V. Athenæo ac Diodoro notat Brissonius lib. I. *de Regno Persar.* pag. 100. Legesis item Dausquejum *ad orat. Basilii Seleuc. de Adamo*. Videtur Calyptra idem esse cum *Regillo*, quod Reginas operuisse & inde nomen traxisse ait S. Isidorus lib. XIX. *Orig.* cap. XXV. Inter supellectilem Deorum atque Dearum, enumeratam ab Arnobio in calce libri sexti, habentur *caliandria*, aut, ut alii legunt, *caliendra*; quæ videntur esse Regilla, & Calyptræ Dearum, ut exposuit Turnebus lib. XXV. *Adversi.* cap. XXVII. dicens idem esse quod recina, utique restricta ad Reginas, cujusmodi censebantur Deæ omnes. Rursusque lib. VII. cap. XX. *caliandra* Arnobii arbitratur esse ea Capitis operimenta, quæ Græci κάλυπτρα vocant: quo allegat illud ex lib. I. *Sermonum* Flacci Satyr. VIII. vers. XLVIII.

—— *altum Saganæ Caliendrum*,

ubi non omnes Interpretes veram illius vocis notionem expresserunt. Lambinus enim & alii quidam, Gualtero non improbante, exponunt comam ascititiam. Sed quod dixi, verius videtur. Meminit item Caliendri tanquam fœminei pepli, Tertullianus cap. IV. *de Pallio*, expostulans, sui ævi fœminas ejeraffe omnia, quibus oberrare facile, & videre ac videri prohiberentur; & inter cætera Caliendrum prætermisisse commemorat.

SECTIO VII.

Sigillatim de tegmine Capitis mulierum Deo devotarum, & sacrarum Virginum.

UT in cæteris omnibus prælucere exemplo par erat seculi mulieribus atque virginibus, mancipatas Divino obsequio fœminas, sive viduas, sive quas Tertullianus lib. *de vel. Virg.* cap. III. nominat *Virgines Dei*; ita hac quoque in parte studiose præluxerunt, cum sedulo velantes capita, tum adhibentes tegumentum, quod modestiam & humilitatem insinuaret. Nec obest, quod aliquando legimus, virginem sacro velamine operiendam non esse, ante annum ætatis quadragesimum. Sic enim edicitur in Concilio Agathensi cap. XIX. & in Concilio Cæsaraugustano cap. VIII. firmaturque in Majoriani Imperatoris Novella. Imo apud S. Gregorium lib. III. epist. I. dicitur, non nisi sexagenariam esse velandam, hoc, inquam, non obest antedictis. Quamvis enim velamen sacrum, quod certo ritu ab Antistite consecrabatur, alicubi non imponebatur ei, quæ longi illius temporis in Conciliis prædictis præscripti virginitatem non probasset, tamen cum

multo anterius virginitatem profiterentur, hoc est, anno ætatis XVI. vel XVII. (ut habetur ex S. Basilio Epist. I. *ad Amphiloch.* cap. XVIII. vel anno XXV. ut est in Concilio Carthaginensi III.) nemo non videt velamine usas; id quod S. Ambrosius infinities testatur, sed expressissime lib. III. *de Virgin.* At S. Gregorius non agebat de velo consecrationis, sed de velo prælationis. Vetat enim eligi Abbatissam ante eam ætatem: & verisimile est irrepsisse mendum, ac ubi legitur *velari permittat*, legendum esse *creari permittat*, ut bene conjecit vir doctissimus Petrus Monodus in *Hierologio* V. *velum prælationis*. Omitto paucas, quas occulta flamma concupiscentiæ in ipsa sacra vita vastabat, quas pœnitebat professionis, & pigebat confessionis; (verba sunt D. Augustini lib. *de Sancta Virginit.* cap. XXXIV.) addens de aliis: *in quibus est quidam placendi appetitus, aut de elegantiore vestitu, quam tantæ professionis necessitas postulat, aut capitis ligamento notabili, sive pro tumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris utuntur, ut retiola subtus posita appareant*. Ligamentum illud notabile, & tumidos umbones capillorum, a S. Cæsario suis Monialibus improbatos legimus, verbis illis capitis septimi recapitulationis: *Moneo specialius, ut sicut jam diximus vestimenta lucida vel nigra, vel cum purpura vel bebrina, (id est, castorinis pellibus,) nunquam in usu habeant, nisi tantum in laia & lactyna. Capita nunquam altiori ligent mensura, quam in hunc locum de incausto fecimus*. Nimirum adhibito atramento, (id intelligit Cæsarius per *encaustum* vel *incaustum*; ut etiam factum est a S. Augustino lib. XIII. *contra Faustum* cap. ultimo, & a S. Isidoro in *Glossis*) constituta erat in pariete, aliove loco, mensura altitudinis, ad quam religandum erat Caput: ne Moniales pro more sæcularium mulierum turrito Capite apparerent. In Fœmina enim de sæculo, illud sic notat Juvenalis Sat. VI. vers. DI.

—— *Tot adhuc compagibus altum*
Ædificat Caput.

Legunt alii:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Turrificat caput: Andromachen a fronte videbis.

Quod plerumque ascititiis capillis factum, monstrant illa S. Hieronymi *ad Demetriad. Ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere*. Lucanus quoque de ea (ut Tertullianus dixit lib. *de cultu fœmin.*) enormitate futilium capillamentorum affixa capiti, *Turritamque gerens frontem*. Petrus Bellonus lib. II. *Observat.* cap. XXXV. ad capitis ornamentum in turriculæ modum, refert *turritæ* appellationem. Quanquam Magdalenam alia de causa (ob fidei scilicet ardorem) turritam denominat S. Hieronymus Epistola XV. Videndus de eo titulo, Joannes Antonius Castellioneus in opere *de Basilica Vincentiana Medit. fascic.* VII. pag. 219. & Paschal. lib. V. *de Coron.* cap. V. & lib. VII. cap. III. & lib. IX. cap. X. Sanctius *Ester.* cap. IV. vers. IV. Illas ergo sacras Virgines, quæ in tutulos (sic vocat Varro lib. IV. *de ling. Lat.*) fastigiabant sæculariter capita, merito S. Augustinus coercitas voluit. Has liquet non fuisse de capite obtegendo sollicitas; sed quæ initæ professionis memores erant, magno studio, ea quoque in parte serviebant modestiæ, & humilitati decenti sacram virginem.

Habemus studii prædicti insignia exempla in Actis Sanctorum. Ac primum Sancta Matrona, cum deserto ex revelatione marito, inter viros specie Eunuchi, professa esset vitam Monasticam, deprehensa ex divino viso a Bassiano Abbate, audivit increpantem: *Quomodo cum sis mulier, ad Divina Sacramenta accessisti nudo capite, & in pacis salutatione os tuum secure exhibuisti fratribus?* Illa vero, ait Metaphrastes, sanctæ mulieris exercitationem describens VIII. Novemb. *Quod ad divina quidem dona attinet*, inquit, *simulans imbecillitatem, non omnino auferens tegmen quod erat in capite, ita ad Sacramentorum accedebam communionem: Charitatis autem apud fratres signum, nunquam recusabam. Neque enim hominum vultibus, sed hominibus Angelicam imitantibus impatibilitatem, meipsam offerre existimabam*. Admisit excusationem Bassianus, sed ita ut adderet, *de cætero, o filia, oportet te vittam tuo capiti imponere, propter legem naturæ*. Non existimabat pius Abbas, fas sibi esse dispensationem interponere in ea lege, quæ mulierem, etiamsi Deo addictam, jubet caput contegere. Acta Sanctæ Melaniæ junioris, quæ a marito Apeniano ex consensu divulsa, Deo se mancipárat, aliud studii prædicti exemplum luculentum continent, ut jam supra retuli. Contra legem namque vigentem apud Romanos, ut nullus vir, nec mulier ad Imperatricem operto Capite accederet, Melania legem nihil curans, velata accessit, non tyrannorum mores, sed Pauli legem maxime dicens oportere conservare; qui non sinit mulieres nudo capite incedere. Sic ibi de accessu S. Melaniæ ad Verinam Imperatricem. Describens item res gestas S. Rictrudis Hugbaldus Elnonensis, refert eam perempto Adabaldo conjuge, cum a Dagoberto Rege ad alias nuptias destinaretur, super convivium cui Rex accumbebat, velum e sinu promptum, suo capiti imposuisse, signum addicti Deo obsequii, & alieni a mortalibus nuptiis animi. *Ut vero* (addit Hugbaldus) *quod in interiori gerebatur homine, id etiam exterior præ se ferret, sicut mentis mutarat habitum, ita mutavit & corporis*, &c. *Imposuit autem capiti tetrum quendam amictum, ut interioris hominis luctum & pœnitentiam designaret*.

Quis hic esset teter capitis amictus, Rictrudi impositus, æstimare posse videmur, ex operimento capitis, quod adhibebat inter Tabennesiotas sancta illa Virgo anonyma, cui cognomen fuit *Salem*, id est, *insana*, juxta Palladium cap. XLI. *Laus.* vel *a Dæmone vexata*, juxta Pelagium lib. V. *vitæ Patrum*, libello XVIII. num. XIX. Eam in Parthenone, trecentarum, juxta Palladium, imo juxta Pelagium quadringentarum Virginum, vilissimis quibusque coquinæ ministeriis addictam, & vere juxta Proverbium *spongiam Monasterii*, omniumque sororum peripsema, Spiritus Sanctus per Pitirum, sive Poyterium Abbatem, cui ab Angelo est antelata, similem fecit in gloria Sanctarum, & magnificavit. Monitus enim est Abbas, ut in eo Parthenone quæreret virginem, ipso religiosiorem; & notam accepit: *Unam ex ipsis illic invenies, habentem in capite coronam, ipsamque cognosce te esse meliorem*. Corona illa, quæ esset, sic paulo post exponitur a Pelagio: *Cum ad eum fuisset exhibita, vidissetque panno frontem ipsius involutam, projecit se ad pedes ipsius*. Palladius distinctius: *Aliarum quidem virginum erat ejusmodi habitus, ut essent tonsæ, & haberent cucullos in capite: ipsa vero panno caput obvoluta, obibat earum omnium ministerium*, &c. *Ea ergo adducta, vidit magnus ejus faciem, & pannum in capite & fronte ejus, & cadens ad pedes ejus dixit ei: Benedic Amma*. Ajebam operimentum usuarium, quod a S. Rictrude adhibitum capiti referebat Hugbaldus, fuisse hujus rationis; fasciam scilicet crassam & vilem, in modum coronæ, incondite obvolventem caput, & in frontem usque

demissam, cujusmodi est plerumque in vilissimis ancillis, & rusticanis mulieribus, tegmen Capitis. Quanquam velum quoque a S. Amando consecratum, quod sibi super convivium testem calcati seculi imposuerat; adhibuisse non dubito. Sed ea ancilla Dei, anonyma, pro more cæterarum ejus oræ Sanctimonialium, tonsa erat, quod de Sancta Rictrude non est proditum.

Hoc ipsum servatum esse in Monasteriis Orientalibus, tradit in hunc modum S. Hieronymus Epist. XLVIII. *Moris in Ægypti & Syriæ monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint; & seculo renunciantes, omnes delicias seculi conculcarint; crinem monasteriorum matribus offerant desecandum; non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato: Nec hoc quispiam præter tondentes novit & tonsas; nisi quod, quia ab omnibus fit, pene scitur ab omnibus. Hoc autem dupli*cem ob causam de consuetudine versum est in naturam: vel quia lavacrum non adeunt; vel quia oleum nec capite, nec ore norunt; ne a parvis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni solent, & concretis sordibus, opprimantur.* En desectum capillum, nec tamen intectum caput, sed ligatum pariter & velatum per Sanctas Virgines & viduas. De usu illo tondendi sacratum Virginum capita per Orientem; est locus illustris in Actis S. Syncleticæ, conscriptis per Sanctum Athanasium cap. II. Postquam enim narravit, eam parentibus defunctis, accepta secum sorore cœca, distribuisse omnia sua in pauperes, subdit: *Accersito sene quodam provectæ ætatis, curavit præcidi comam capitis sui. Tunc enim primum dicitur abjecisse omnem κόσμησιν; hoc est;* mundum & compturam. *Nam in usu erat apud mulieres, ut comam vocarent κόσμον; & cum comam ponerent, dicebantur posuisse mundum & compturam. Erat autem præcisio ista comæ, symbolum, jam animum purum esse, & expurgatum ab omnibus superfluitatibus & excrementis: & tunc primum dignata est, ut solemni nomine vocaretur Virgo.* Fortassis quia coma muliebris est nota potestatis viri in mulierem, juxta Apostolum; ut significaretur, per addictionem puellæ ad Dei obsequium, excussum ab ea esse jugum virilis potestatis; idcirco attondebatur. Sed sunt præterea mysticæ causæ complures, de quibus Hipparchus non indiligenter §. v. a num. IX. De vario variis in locis usu tondendi aut non tondendi Moniales late Franciscus Meinardus *ad cap. VII. recapitulationis Regulæ Monialium S. Cæsarii*, & Benedictus Haeftenus lib. V. *disquisit. Monastic.* tract. IX. disp. VI. Neque vero cum usum, sacra Virginum capita attondendi, absolute reprehendit S. Hieronymus, cum epist. XXII. ait: *Sunt nonnullæ exterminantes facies suas, ut appareant hominibus jejunantes, quæ statim ut aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium, & operta facie, vix unum oculum liberant ad videndum: vestis pulla, cingulum sacceum, & sordidis manibus pedibusque venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. His quotidie Psalmus ille canitur:* Dominus dissipavit ossa hominum sibi placentium: *Aliæ virili habitu, veste mutata erubescunt esse quod natæ sunt: crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas. Sunt quæ ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.*

Non reprehendit (ut dicebam) in his Virginibus & devotis mulieribus S. Hieronymus crinem amputatum & opertam faciem, vix uno oculo ad videndum liberato, quæ ipsa in aliis probaverat.

A Reprehendit ergo duntaxat vanitatem, ex qua ista fiebant ab aliquibus, præsertimque resectionem capilli fœminei, ut mares viderentur, veste etiam muliebri in masculinam commutata; sane illaudabiliter. Aliquando quidem ex peculiari inspiratione Spiritus Sancti, cui nulla lex est posita, Sanctæ mulieres, viros habitu sunt ementitæ, ut Eugenia, quæ *Eugenius* dicta est; Euphrosina, quæ *Smaragdus*; Pelagia, quæ *Pelagius*. De Antonina, Theodora Alexandrina, Athanasia, Susanna, Marina, Anastasia patricia, Anna Matrona, Apollinari, Glaphyra, Jachelina, Hildegunde, Raderus in *Virid.* pag. 1.4. & XX.
B Septemb. Hallucinatus tamen quoad Annam Matronam, quæ dicta est *Euphemianus*, ut est in Menæis XXIX. Octobris. Ipse vero Euphemianam quandam excogitat, quæ dicta sit Euphemianus, ab Anna Matrona diversam. Suppetunt item aliarum multarum exempla; Anonymæ apud Sophronium in *Prato* cap. CLXX. & Papulæ apud Gregorium Turonensem *de glor. Confessor.* cap. XVI. Videndus Baronius ann. CCCXVI. & anno DXXVII. Honestavit hunc agendi modum peculiaris afflatus Spiritus Sancti; cæteroqui enim prostat divinum edictum, ne fœmina virili sche-
C mate amiciatur, nec vir fœmineo, prospiciente Deo, ne viri effœminentur, & mulieres sint plus æquo viriles, ut disserit Philo lib. *de fortitudine*. Itaque merito arguebantur a D. Hieronymo, quæ talia præstabant, præsertim ad vanitatem aucupandam. Nec alia fuit mens Concilio Gangrensi, cujus Canones Apostolica auctoritate conditos, (quippe Osio Cordubensi Sedis Apostolicæ Legato præsente) dixit in VI. Synodo Romana, Symmachus Papa. In Concilio itaque Gangrensi Canon XVII. sic habetur: *Quæcumque mulier, religioni judicans convenire, comam sibi amputaverit, quam Deus ad velamen ejus, ad memo-*
D *riam subjectionis illi dedit, tanquam resolvens jus subjectionis, anathema sit.* Intentant hunc Canonem, non secus ac arietem validissimum, Sectarii in ritum Catholicum attondendi Virgines sacras. Sed perperam & præter Concilii mentem, quæ ex Sozomeno lib. III. cap. XIII. eruenda est. Agens ibi Sozomenus de Eustathii Sebastiani Episcopi novis ritibus in ea Gangrensi Synodo damnatis, sic rescribit: *Mulieres non paucæ adductæ in fraudem, primum viros deseruerunt, nonnullæ pietatis simulatione Caput totondere, & contra quam sexum muliebrem deceret, virilem habitum induere. His de causis Episcopi finitimi Gangris in unum*
E *convenerunt, & istis Catholica Ecclesia interdicunt, nisi singula dogmata quæ modo recensuimus, secundum decreta Concilii rejiciant.* Manifestum igitur ex Sozomeno est, Gangrensem Synodum non damnasse usum tondendi Virgines sacras, sed improbasse factum impudens hæreticarum mulierum a viris suis se abjungentium præter eorum consensum, & virilem habitum induentium. Idem habet Balsamon ad XVII. Canonem Gangrensem. Itaque Canon Gangrensis nullatenus incommodat usui variis locis recepto tondendi Virgines sacras, quem S. Pachomius in Regula ab Angelo tradita, suis Tabennesiotis Virginibus præscripsit, teste
F in *Lausiaca* Palladio: sed Canon ille ferit duntaxat eas quas dixi, plus justo viriles mulieres; id quod etiam in aliis damnabat (ut præmisi) S. Hieronymus.

Tectum igitur atque ligatum erat, tametsi variis locis attonsum, sacrarum Virginum & viduarum caput, nonnullo tamen discrimine, & inter ipsas, & inter seculi mulieres. Nam viduæ non velabantur eo velamine ritibus specialibus consecrato, quod erat virginum proprium; juxta illud Ge-

lasii Epist. ad Lucaniæ Episcopos, postquam edixerat servanda in velandis Virginibus: *Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisque sic Ecclesiastica sunt ferenda præsidia, ut nihil committatur illicitum*. Donavit quidem velamine Consecrato S. Rictrudem viduam B. Amandus, ut supra ex Actis ejus retuli; sed id de simplici quapiam benedictione veli, accipiendum est, longe alia ab ea, qua vela sacrarum Virginum consecrabantur; nisi a S. Amando bona fide factum est, ex ea abusione, quam Gelasius improbavit, nondum tunc exstirpata inter suos. Passim velum viduis impositum vocabatur *velum conversionis*, nisi si aliquando late accepta voce, consecrari dicebantur viduæ quoque, quatenus Deo se addicebant. Qua ratione in Concilio Aurelian. cap. III. (quod refertur XXVII. quæst. I. can. XVI.) Sic editur: *Viduas, quæ spontanea voluntate, ab altari conversionis sacræ velamen suscipiunt, decrevit S. Synodus, in eodem proposito permanere. Non enim fas decernimus, postquam se Domino semel sub velo consecraverint, iterum eis concedi Spiritui Sancto mentiri*. Late accepta voce, (ut præmisi,) dicitur vidua consecrare se Deo sub velo, & sacræ conversionis velamen suscipere, quamvis abesset consecratio solemnis, adhiberi solita in velatione & vera consecratione Virginum. Et idcirco Gelasius scribens ad Episcopos Lucaniæ cap. XXIII. diserte ait, viduas sub nulla benedictione velari. In Concilio Nicæno can. XXIX. ex Arabicis, benedictio viduæ præ benedictione Virginis, dicitur *benedictio Laica*, quod est additum valde diminuens, & pene sonans profanam & non sacram benedictionem. Et in Concilio Triburiensi cap. XXV. dicitur; *Vidua, si sponte velum conversionis, quamvis non sacrum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas, oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, Sanctimoniæ habitum ulterius debet habere: licet Sacramento firmare velit, eo tenore velamen sibi imposuisse, ut deponere possit*. Aliqui codices mendose legunt, *velum conversationis*. Nam quamvis apud S. Gregorium lib. VII. epist. XVIII. conversatio sumatur pro vita religiosa, tamen ut plurimum ea vox non nisi addito adjuncto quopiam, *Sanctæ* videlicet, aut *sacræ*, eam habet notionem. *Conversio* autem, ut patet ex toto titulo *de convers. conjugator.* absolute & simpliciter tribuitur iis, qui soluto per viduitatem, aut ultro dissociato quoad convictum conjugio, renunciant seculo. Ejusmodi itaque erat velum viduarum Deo se addicentium. Videsis Suarem tract. IX. *de relig.* cap. XI.

At velum Virginum sacrarum illud erat, quod Tertullianus lib. *de vel. Virgin.* capit. X. *honorigeram notam Virginitatis* appellavit: *qua Virgines suspiciantur & circumspiciantur, & magnificentur a fratribus*. Et cap. XVI. vocat *armaturam pudoris, vallum verecundiæ, murum sexui fœmineo structum, qui nec virginis emittat oculos, nec admittat alienos*. A D. Ambrosio in confutatione relationis Symmachi, pugnantis pro præmiis Vestalium Ethnicarum, vocatur *ignobile velamen, usu nobile castitatis*. Opponit enim velum Sacrarum Virginum Christianarum vittis, quas capita Vestalium Ethnicarum decorasse testatur. Id quod etiam Prudentius lib. II. *contra Symmachum* attigit, cum dixit de Vestali:

—— Sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris.

Idemque describens Vestalium capillum, in spiras quasdam plexum & divisum, tum vittis illigatum ait:

Perfundunt quia colla comis bene, vel quia cingunt
Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt.

Præ illa ergo Vestalium, Diaboli Virginum, vanitate in Capite ornando, velum Christianarum Virginum Deo dicatarum, dicitur a S. Ambrosio *ignobile velamen*, quia constabat crassa & vili materia, & personæ seculum calcanti, & fastui ac pompis secularibus abrenuncianti deserviebat, dignitate tamen, & significatione mystica erat nobilissimum, & nota sublimissimi in Virgine gradus.

Hoc ut intelligatur, recolendum est, velum hoc consecratum impositum esse sacris Virginibus, ad imitationem quandam veli, quo Virgines seculi obnubebantur, cum viris tradebantur; unde *nubendi* & *nuptiarum* vocabulum, ut supra notavi ex S. Ambrosio lib. I. *de Abrah.* cap. IX. Observatque Varro lib. IV. *de lingua Lat.* & Arnobius lib. III. mare dici *Neptunum*, quia terras *obnubit*, id est, operit, ut nubes cœlum, voce derivata a *nuptu*, id est, *opertione*; a quo *nuptu* dictæ *nuptiæ*, quia quæ viro tradebatur, velamine obtegebatur. Unde Caper. lib. *de Orthogr. Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit Caput suum genasque*. Etiam apud Ethnicos (ait Tertullianus lib. *de vel Virg.* cap. II.) *velatæ ad virum ducuntur. Si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu masculo mixtæ sunt, per osculum & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritu, per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem; quanto magis tempus illas velabit, sine quo sponsari non possunt, & quo urgente, sine sponsalibus virgines desinunt esse*. Itaque Virgo seculi nubens, tegebat Caput, sive obnubebatur, indeque *nupta* dicebatur, ut supra contra aliam vocis illius notationem a Festo adductam, dixi.

Per proportionem ergo ad hoc velamen carne nubentium, Virgo sacra velamen accipiebat, quia spiritualiter Christo nubebat, ut loquitur S. Innocentius I. Epist. II. *ad Victricium Rhotomag.* cap. XII. Idque est quod Hieronymus epist. XXVII. intendebat, vocans *Socrum Dei*, matrem Virginis Deo consecratæ. Risit quidem hoc Ruffinus, invehens in S. Hieronymum. Sed hujus auctoritas in Dei Ecclesia est longe potior, & idcirco illi inhæremus. Facit ad hanc rem, quod Monialibus in earum consecratione conferebatur annulus, tanquam Christi sponsis. In quam rem Nebridius a Mundelheim in *Antiq. Monasticis* Epistola CXXI. adducit Acta S. Genovefæ. Sed in eis nihil invenio. Habetur illustre exemplum in Actis S. Radegundæ, cum de elevatione corporis ejus post annos supra octingentos ab obitu. Annulus item ad pectus e collo S. Macrinæ dependens, ut narrat Gregorius Nyssenus, potest videri fuisse annulus pronubus ab Episcopo collatus, quamvis non digito insertus esset, sed e collo appensus gestaretur a beata illa Virgine, tantorum virorum, quantos alios vix Græcia tulit, sorore. Erat vero annulus ferreus, cui sub palo excavato, particula ligni S. Crucis indita erat; superadjacente pala, æque signum Crucis præferente. Verisimile igitur est, eum annulum, quem æque ac ferream cruciculam e collo ad cor dependentem semper gestabat B. Macrina, fuisse illius digito insertum, in sua per Episcopum consecratione; sed postea præ reverentia de collo suspensum, veluti sacrum Monile; cum ob con-

ditas intra eum reliquias, tum quia pignus erat suæ cum Christo desponsationis. Non ita gestabant annulum Moniales illæ Anglicanæ, quas coercuit Concilium Oxoniense anno MCCXXII. verbis illis: *Sola Monialis consecrata deferat annulum, & uno solo sit contenta*. Aliquæ enim plures annulos gestabant; & aliæ absque consecratione se gerebant pro sponsis Christi, jure a Concilio reprehensæ, sicut Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. XVI. Clericis usum annuli dempsit, solis Episcopis tanquam Ecclesiarum suarum sponsis convenientem. Siquidem juxta Blesensem omnis annulatus, aut fatuus est, aut conjugatus. Sunt ergo Moniales Christi sponsæ, & idcirco nubunt Christo atque velantur. Verum est, primariam Christi viri sponsam, esse Ecclesiam, e qua progignitur Christo nova soboles, ut Apostolus sæpe tradit, & declaratur late in tractatione *de Cereo Agno* cap. I. Tamen ad virgines quoque sacras, ut Ecclesiæ partem lectissimam, eadem denominatio extenditur. Sunt enim ipsæ quoque absque macula, & ruga, ac dignæ Christi consortio, quia Ecclesiæ & Christi conjunctionem purissimam congrue repræsentant. Unde, quia in iis quæ sunt vitiatæ, deest mystica illa significatio; etiamsi vitiatæ essent ante Baptismum, ex D. Augustino l. *de bono conjug.* cap. XVIII. velari & consecrari non possunt. Valetque id etiam, quando vitiatio sine culpa & renitente puella intervenisset, ex S. Leone Epist. LXXXVII. cap. V. Et verum quidem est, ex doctrina S. Augustini lib. I. *Civit.* cap. XVIII. quamvis renisus ille possit ad retinendam formaliter virginitatem & jus ad aureolam sufficere; tamen ejusmodi puella defectu significationis propositæ consecrari non potest. Sicut neque Catechumenus bigamus admitti potest ad Ordines, ob exclusionem significationis prædictæ per bigamiam. Esto, in foro Ecclesiæ valeat quod Rupertus affirmat lib. *de læsione Virginit.* cap. XVI. corruptam occulte posse velari & consecrari. Virgines autem, & materialiter & formaliter, hoc est, vitii cum virginitate materialiter sumpta pugnantis expertes, quia apte Christi cum primaria sponsa sua nitentissimam conjunctionem repræsentant, merito censentur sponsæ Christi. Quid in hanc rem clarius, quam quod spirituale hoc nubendi genus esse, ait Optatus lib. sexto? & ideo acriter expostulat, quod Donatistæ solverent crinem ancillarum Dei, quasi eas jam Christo nuptas vellent, sponso non demortuo, qui in æternum vivit & vivet, nubere iterato. Sed præclare præter cæteros, has nuptias spirituales expressit Auctor libri *ad Virginem lapsam* (sive Ambrosius, sive quispiam alius) cap. V. *Non es* (inquit) *memorata diei sanctæ Dominicæ resurrectionis, in quo divino altari te obtulisti velandam. In tanto itaque solemni conventu Ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendida, inter candidatos Regni cœlestis, quasi Regina Regi nuptura processeras. Non es memorata, qualis allocutio facta est illa die ad te: Aspice filia, & intuere, & obliviscere populum tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus, aspice ergo, quantus ad sponsi tui & Domini nuptias convenerit populus. Servare te oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare, cui virginitatem spoponderis. Facilius te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem tuam. His tunc in illo die consecrationis tuæ dictis, & multis supra castitatem tuam præconiis, sacro velamine tecta es, ubi omnis populus dotem tuam subscribens, non atramento, sed spiritu, pariter clamavit*, Amen. *Vincor lachrymis, cum hæc recordor, compungor stimulis, cum hæc exempla considero. Nam si inter decem testes, confectis sponsaliis, nuptiis consummatis, quævis viro fœmina conjuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium; quid putes fore si inter innumerabiles testes Ecclesiæ, coram Angelis, exercitibus cœli, facta copula spiritualis, per adulterium solvitur? Nescio an possit ei digna mors, ac pœna cogitari. Dicet aliquis, melius est ergo nubere, quam uri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Et jam si voluerit nubere, communi lege conjugii adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur*. Vocat *sacrum velamen*, quia & conceptis precibus consecrabatur ab Episcopo solo, & ad altare Dei conferebatur: de quo extat apud eundem Ambrosium insignis locus l. I. *de Virg.* in ipso fine. Et sicut in Ecclesia, non omnes dies sunt Nuptiales, ita neque Virginum consecratio, atque velatio, quacunque die peragi poterat. Constat, diem, dierum Reginam (ut dicam cum Nazianzeno orat. XIX. & XLII. Augustino q. CXXI. ex utroque mixtim, Ephremo serm. *de Cruce Domini*, Epiphanio orat. *de resurrect. Dom.*) his nuptiis fuisse solemnem, consentanee ad latum postea a Gelasio decretum epist. ad Episcopos Lucaniæ: qui tamen alios præterea dies his Virginum cum Christo nuptiis addicit, his verbis: *Devotis quoque Deo Virginibus, nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis, sacrum minime velamen imponant, nisi forsitan (ut de Baptismo dictum est) gravi languore correptis, ne sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur*. Collati die Paschatis velaminis meminit S. Ambros. *ad Virg. lapsi.* cap. V. & in *exhort. ad Virg.* Quanquam Liberius Papa, S. Marcellinam, ipsius S. Ambrosii germanam, in Salvatoris natali velo sacro contexit; ut scribit ipse S. Ambrosius initio libri tertii *de Virgin.* Et maxime accommodatum censet fuisse talibus nuptiis eum diem, quo Virgo posteritatem acquisivit. Et *bonas* ejusmodi *nuptias* appellasse in sua allocutione Liberium, ibidem testatur S. Ambrosius. Postea Alexander III. dominicæ cuivis diei, velaminis impositionem addixit, *de tempor. ordin.* l. I. tit. XI. c. I.

Tandem solemnitatem hanc habitam esse Nuptialem (ut præmisi,) monstrat Augustinus Epist. CLXXIX. gratulans Probæ Demetriadis aviæ, & Julianæ matri, nobilissimæ illius Virginis consecrationem, ait id esse *cœleste consortium*, id est, conjugium, (ut mox subdit;) quod non habet finem. Et in calce Epistolæ, missum ad se velationis apophoretum, testatur. Unde licet æstimare summam solemnitatem, qua hæ sacræ nuptiæ peragebantur, cum in eis darentur apophoreta, ut assolet in magnificentissimis nuptiis. Nomen ipsum *veli sacri* confirmat quod dico. Dicebatur enim *flammeum virginale, ad imprecationem Pontificis Sanctum operiens Caput*; ut est apud S. Hieronym. Epist. VIII. *Christi flammeum, consecrans puellam* vocat Epist. XLVIII. At hæc vox ut apud Nonium videre est c. XIV. est vox Matronalis, & ad conjugio illigatas pertinens. Et idem *Mitella*, vel *Mitrella* dici potest, ut ex Apulejo VII. *Milef.* habetur. Et tamen eo nomine, Afri Christiani donabant operimentum capitis sacrarum Virginum, ex lana, auro ac purpura contextum, ut est apud Optatum lib. VI. ubi flebiliter expostulat, Virgines sacras spoliatas mitrellis, ab Episcopo impositis, cineribus aspersas Capita, & salsa aqua perfusas, ut exuerent primam consecrationem; & ritu Donatistarum de novo consecrarentur, vel potius profanarentur, solventes iterato crinem; id est, repetentes ritum illum, qui in nuptiis crinium solutione adhibebatur. Veteres enim cœlibari hasta, quæ in corpore gladiatoris abjecti occisique stetisset, nubentis Caput comebant, juxta illud ex l. II. *Fastor.*

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.

Aberrant, qui *hastam recurvam* interpretantur calamistrum. Quid enim calamistro & hastæ? Agit igitur de hasta cœlibari, sacra Junoni, Nuptiarum præsidi, quæ de nomine Sabino *hastæ*, dicebatur Junonis Curetis nomine. Videsis Philippum Beroaldum initio *Annotationum*, qui alia in eam rem ex Festo & Plutarchi *Problematis* adducit. Sensus ergo Nasonis est, mense Februario, quem eo libro describit, supersedendum fuisse nuptiis, & hastæ cœlibaris admotione, ad discriminandam nubentium comam, eo quod nuptiæ eo mense (quippe parentalibus addicto,) futuræ essent ominosæ & inauspicatæ. Ejusmodi ritum cœlibaris hastæ suo tempore desuevisse, Arnobius lib. II. sublatos ritus enumerans, ita monstrat: *Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis, nubentium crinem cœlibari hasta mulcetis.* Quasi dicat, non sane quoad hastæ gladiatoriæ admotionem. Nam solutio crinium novæ nuptæ retenta videtur, etiam post Arnobium; & inde fortassis manavit, ut Virgines nondum viris addictæ, dicerentur *esse in capillo*, quod multis testimoniis confirmat Hotomanus in Dictionario Feudali V. *In capillo*. Ex tali ergo usu solvendi novarum nuptarum crines, impii Donatistæ Virginum sacrarum, pridem Christo junctarum, crinem solverunt. quasi tunc primum nuberent Christo sponso immortali; cujus connubium (quantum ex ipso est,) nunquam solvitur. Concinne ergo Afri Christiani tegumentum Capitis matronarum, conjugio illigatarum, accommodabant Christi sponsis, tanquam ei sancto fœdere copulatis; nisi quod cum mitra matronarum esset amplior, Virginum vero sacrarum angustior, illa simpliciter *mitra* dicebatur, hæc *mitrella* vocabatur; sive *mitella* eliso *r*: quo pacto ea vox legitur apud Tullium orat. *pro Rabirio*, & apud Apulejum lib. VI. *Milesf.* *mitrulam* dixit Solinus cap. XXX. agens de basilisco. Aurum huic mitræ Virginum intexebatur. Sic enim accipio quod Optatus l. VI hæc signa professæ voluntatis describens, vocat *mitrellas aureas*, quas a Donatistis projectas queritur, ut alias imponerent. Nihil quippe est necesse arbitrari, hæc capitis sacrarum Virginum ornamenta, apud Afros fuisse ex puro auro, vel etiam ex Circello auri solidi integrata esse, qualem in Romani Pontificis Callisti II. phrygio expressit Sugerius Abbas, in vita Ludovici Crassi. Aliena esset hæc structura a Virginum sacrarum statu, ut per se liquet. *Aurea* ergo *mitrella* dicitur, quæ ex aureis aliquot filamentis intexta erat, cujusmodi haud ita pridem erat tegmen Capitis Matronarum nostratium. Purpura vero tingebantur hæ sacrarum Virginum mitellæ, ut Optatus docet: *Nec ulla*, inquit Optatus, *sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitella fieret, vel de qua purpura pingeretur. Non enim panno hoc potest Virginitas adjuvari.* Concilium item Toletanum X. cap. IV. admittit (tametsi non præcipit) hujusmodi tegmen Capitis in sacris Virginibus, cum ait: *Pallio purpureo vel nigri coloris, Capus contegat ab initio susceptæ religionis.* Hæc purpura sacrarum Virginum tegminibus Capitis vel appicta vel impensa juxta Franciscum Menardum *ad cap.* VII. *recapitulationis regulæ Monialium S. Cæsarii*, eo spectabat, ut sacræ Virgines, *Quasi Regalis purpuræ coronamento, Regis æterni sponsæ denotarentur.* Vel quia ipsæ Ancillas Dei humillime se denominant, dici potest notaculum purpureum illis impositum fuisse, ad significandam transcriptionem earum in domum Regis æterni: id quod significasse clavum purpureum, vestibus Monachorum assutum, docet S.
A Dorotheus doct. I. Nisi malis eam purpuram referre ad sacrarum Virginum perpetuum martyrium: quo etiam in Monachis referre potuit illud assumentum purpureum. In quam rem plene actum est in Tractatione *de Martyrio per pestem* part. I. quoad Martyrium vero religiosæ vitæ cap III. Quanquam autem sacrarum Virginum calyptra, ut plurimum *mitella*, vel *mitrella* dicebatur, ut præmonui; quæ vero matronarum Capita tegebat, simpliciter nominabatur *mitra*; tamen aliquando *mitræ* nomen, pro Virginibus erat in usu, juxta illud Optati lib. II. de Felice Donatistarum Episcopo agentis:
B *Compressam ab eo puellam, cui mitram ipse imposuerat; a qua paulo ante* Pater *vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit.*

Quandoquidem igitur velamen consecratum, erat flammeum nuptiale Christo nubentium, merito affirmabam, summam esse hujus velaminis nobilitatem, nec a D. Ambrosio dictum esse *ignobile*, nisi ratione materiæ. S. Augustinus velationem Demetriadis, nobilissimæ Virginis ex Anicia familia, celebrans ep. CLXXIX. decus ab hujusmodi velo præfert dignitati Consulari, quæ apex erat & vertex dignitatum seculi: & gloriosius esse decernit illi familiæ, Virgines Christi fœminas habere, quam
C Viros Consules, mundi rectores. Concludit vero: *Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quod sit per divinum consortium præcipuam in cœlis consecutura sublimitatem, quam si esset per humanum connubium, prolem propagatura sublimem.* Quanquam, quia apud Deum nulla dignitas æque honestat, atque gratia interior, virtutes habens comites, jure S. Ambrosius in *Instit. Virginis* cap. XVII. anteponit velamini adeo nobili & augusto, velamina virtutum, sic commendans Deo sacram Virginem, quam tunc consecraverat: *Non solitaria dos pudoris est. Succingat sacræ virginis crinem, modestia, sobrietas, continen-*
D *tia, ut virtutum accincta comitatu, purpureo Dominici sanguinis redimita velamine, mortificationem Domini* JESU *in sua carne circumferat. Hæc sunt enim meliora velamina, quæ sunt indumenta virtutum, quibus culpa obtegitur, innocentia revelatur.* Hoc dixit S. Ambrosius eodem loquendi modo, quo S. Augustinus maternitatem B. Virginis, quæ eminentissima est dignitas, postponit Sanctimoniæ, qua Christum corde concepit.

Ut hic velaminis Virginei, puellam Christo plane addicentis, nexus cum Christo esset expressior, ea externa specie ejus efformationem præscribebat Petrus Abelardus, quæ ad id esset accommodata.
E Sic enim sanciebat epist. VIII. *Vela sponsarum Christi, non de serico, sed de tincto aliquo lineo panno fiant. Duo autem velorum genera esse volumus; ut alia sint scilicet virginum, jam ab ipso (sponso Christo) consecratarum, alia vero minime. Quæ vero pudicarum sunt virginum, Crucis sibi signum habeant impressum: quo scilicet ipsæ integritate quoque corporis, ad Christum maxime pertinere monstrentur: Et sicut in consecratione distant a cæteris, ita & hoc habitus signo distinguantur: quo & quique fidelium territi, magis abhorreant in concupiscentiam earum exardescere. Hoc autem signum virginalis munditiæ, in*
F *summitate Capitis, candidis expressum filis virgo gestabit. Et hoc nullatenus, antequam ab Episcopo consecretur, gestare præsumat. Nulla autem alia vela, hoc signo insignita sint.*

SECTIO VIII.

Integumenta profana virilis Capitis in usu communi, apud varios varia.

PROFANA & Sacra fœminei Capitis tegmina prosecuti hactenus sumus. Nunc ad virorum integumenta progredimur, initio facto a tegminibus profanis usuariis; dicturi consequenter de tegminibus sacrorum hominum. Inter profana tamen secernemus tegmina Capitis, quæ in usu communi usurpabantur, ab iis, quæ potestatum sublimiorum propria erant, apud Romanos, Græcos, & Barbaros.

Ac primum, quod ad tegmina capitis Romanorum in communi usu attinet, recolendum est, quod Sect. II. præmisimus, Romanos passim capitibus nudatis incessisse, extra Sacra, Ludos, Saturnalia, Peregrinationem, Militiam, grandis Luctus expressionem, ac nominatim Damnationem; ac cum Sol aut imber aliudve simile incommodum urgeret: tunc enim capita tegebant; ut Lipsius lib. *de Amphit.* cap. XIX. & XX. erudite monstrat. Tegebant autem vel togæ parte, vel palliolo, vel pileolo, aut galero, ac posterioribus etiam temporibus, linteolo. Quod de toga dixi, diligenter exponitur ab Octavio Ferrario lib. I. *de Re Vestiaria* capite X. & XI. Monstrat enim exeri solitum e toga brachium, & summam togæ oram a dextro humero defluxisse. Eandem tamen togæ partem dejectam, cum res ferebat, facile fuisse revocatam; ita ut Caput tegeret, aut involveret. Recte summam togæ oram inservisse tegendo Capiti tradit; contra quam Lipsius, qui imam togæ laciniam ad velandum Caput tractam censuit. At veteres nummi & lapides plane monstrant, trahi solitam partem togæ superiorem ad cervicem, quæ dextro humero dejiciebatur, & sinistro insidebat. Idemque habetur ex facto Cæsaris, qui casurus, Caput ut in magno luctu obvolvit, simulque sinistra manu ad ima crura togam deduxit, honestati consulens, ut narrat Suetonius cap. LXXXII. Et idem fecisse Pompejum cum oppressus est, scribunt Dio atque Plutarchus. Non nego, quin aliquando rejecta sit pars togæ inferior, ad Caput ea involvendum. Sic enim Scipio Nasica, togam imam in rugas contractam ac complicatam Capiti imposuit, ut esset ei pro galea in subito contra Gracchos incursu, de quo Plutarchus. Et idem videtur accidisse iis, qui præ desperatione, in summo discrimine Caput involvebant, reducta toga, aut quibus obtorquebatur collum, vestis circa illud astrictione & involutione. Sic ille apud Flaccum lib. II. Sat. III. v. XXXVIII.

Nam male re gesta, cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit.

Et Livius lib. IV. agens de plebe, famem non ferente: *Capitibus obvolutis se in Tiberim præcipitaverunt.* Similiter Tullius Orat. VI. *in Verrem: Quem obtorta gula, de convivio, in vincula atque in tenebras abripi jussit.* Et Orat. VII. *Cives Romanos, Capitibus involutis ad necem rapiebat.* Idque est quod obtorto collo, & faucibus intortis vel adstrictis, aut cervice adstricta tractos aliquos legimus apud Plinium lib. VII. cap. XLIV. Juvenalem Sat. X. Suetonium in *Julio* cap. LXXXII. Tacitum lib. IV. *Annal.* & alios. Veste enim ab imo reducta, & supra Caput ac circum collum & fauces intorta, rapiebantur. Et hæc videtur ea *multa toga* de qua Naso lib. V. *Fastor.*

Non pudet, & vultus velamine celat amictos.
Oraque sunt multa, regia tecta, toga.

Tegebantur igitur Romanorum Capita per togam, vel summam, vel imam reductam. Facta tamen interdum contectio capitis, adhibito palliolo. Sic enim Suetonius Claudium ægrum, caput palliolo texisse scribit, cum ludum gladiatorium memoriæ matris ederet. Tullius item testatur, Pisonem involuto Capite prodiisse soleatum; quod de involutione Capitis pallio facta necessario accipitur, cum neminem soleatum, (qualis tunc Piso erat,) simul fuisse togatum, idem Tullius doceat *Philipp.* II. & Orat. *pro Cœlio.* Diserte Seneca epist. XIV. de Mœcenate: *Hunc esse qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuit, ut pallio velaret Caput, exclusis utrinque auribus.* Plautus item in *Curcul. Isti Græci palliati, Capite operto qui ambulant.* Denique Petronius: *Operuerat Ascyltos pallio Caput.* Et: *Coccino pallio adrasum incluserat Caput.*

Alias pileo, aut galero, vel linteo factam obductionem, monstrant varia Autorum loca. Nam pileo usum Tarquinium, constat ex ejus abreptione & in Caput repositione per aquilam, ut est apud Dionysium Halicarn. lib. III. De Nerone sic Suetonius cap. XXVI. *Post crepusculum statim arrepto pileo vel galero, popinas inibat.* In saturnalibus (quippe liberrimæ vitæ diebus,) usurpatus pileus, nota libertatis. Eoque spectat illud Martialis lib. II. epig. VII. vers. IV.

Permittis puto pileata Roma.

Item illud ejusdem, lib. XIV. epigr. I. vers. II.

Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem.

De pileo incantato Sereniani Ducis, affectantis Imperium, Ammianus lib. XIV. A nonnullis adhibitus pileus Thessalicus, sive petasus, de quo mox. Et ita de Augusto Suetonius cap. LXXXII. *Domi non nisi petasatus sub divo spatiabatur.* In militia usus erat pileorum ex pellibus, quos *Pannonios* vocat Vegetius lib. I. cap. XX. ex pellibus, inquam, ovium, villosis, ut ex Athenæo lib. VI. habetur. Passim tamen pilei e lana conficiebantur: cujusmodi plerumque sunt pileoli lecticarii, quali usum S. Bernardum, eoque in Hispaniam transmisso, edita esse miracula, scribitur lib. IV. *Vitæ* cap. IV. Alias pilei apud Romanos e lacernis cæsis concinnabantur, ut apud nos pilei quadrati: quod ex Papinio & Martiale scribit Pierius lib. XL. cap. *de pileo.* Plenius in eam rem Magius lib. III. *Miscell.* cap. VII.

Quod de linteolis tegendo Capiti usurpatis addebam, ad posteriora tempora pertinet, & tanquam mollitiem sapiens, sugillatur a S. Hieronymo *ad Pammach.* verbis illis: *Caput opertum linteo, galeam recusat.* Ad Marcellam quoque comatos linteatosque juvenes improbat. Aliter tamen accipiendum est illud Salviani lib. VII. *de Provid.* quod vir eruditus in hunc quoque sensum allegavit: *Cum muliebrem viri habitum sumerent,* &c. *& fœmineis tegminum illigamentis Capita velarent.* Ajo hæc tegmina a Salviano memorata, non fuisse tegmina linteolorum viris aptata, sed vere fuisse tegmina fœminea, quæ spurci illi, ementientes sexum, assumebant; cum omni detestatione proscissi ibi a Salviano, & a S. Asterio homil. in festum Calendarum, ac etiam a S. Maximo homilia de iisdem Calendis. Quare tale capitis tegmen non est inter virilia Romanis recepta numerandum.

Venio ad virilia Capitis tegmina a Græcis usurpata. Nam Græci tametsi passim nudis erant Capitibus; tamen aliquando ex iisdem causis, ex quibus Romani, assumebant pileos. Negat id universe Polydorus lib. III. *de Invent. rerum* cap. XVIII. Sed recte affirmat Brodæus lib. VIII. *Miscel.* capit. XVII. Sic Ulyssem pileatum plerunque exhi-

exhibent. Et Hippocratis imago pileata visebatur. Castores item soliti pingi cum pileis, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos fuit, ut Festus scribit. Itaque Catullus *pileatos fratres* vocavit, eo Scazonte:

A pileatis, nona fratribus pila.

Quem vero latent pilei Thessalici, & Macedonici, & Atheniensium crobyli? De Thessalicis galeris, arcendo Soli accommodatis, multa habet Adrianus Junius lib. II. *Animadvers.* cap. VI. Erant enim marginati, ac iidem cum Petaso; quales sunt galeri nostrates: at pilei communes marginati non erant, sed quales pilei nostri dormitorii. Commmunis Macedonum pileus erat *Causia*, ex Polluce lib. X. cap. XCVI. Quanquam enim erat Regibus Causia peculiaris, cui diadema apponebatur, ut ex Plutarcho in *Demetrio*, & Athenæo lib. XII. liquet, eratque etiam potentioribus Macedonibus certum Causiæ genus, illustre supra communem omnibus Causiam, ut demonstrat in *Eumene* Plutarchus; tamen pileus quoque vulgaris Macedonicus, *Causiæ* nomine donatus est: sicut Tiara apud Persas, & popularis & Regius pileus erat. De hujusmodi Causia communi accipiendus est Strabo lib. XV. cum ait, risisse Calanum, conspecto Onesicrito, Alexandri ad Indicos Philosophos Legato, ferente Causiam. Hoc ipsum esse, quod Demosthenes Orat. *de legatione male obita*, vocavit πιλίδιον, male a Budæo transformatum in *comam ascititiam*, notavit Adrianus Junius lib. II. *Animadvers.* cap. VI. Vetus Etymologicum, *Causiam* confundit cum *Camelaucho*, de quo postea. *Crobylum* Atheniensibus erat capitis involucrum, causiæ & tiaræ simile. Quanquam est crobyli apud Tertullianum lib. de *vel. Virg.* cap. X. alia notio: sumit enim crobylos pro plexis crinibus; & Atheniensibus tribuens cicadas pro insigni & nota, *Crobylos* juxta Rhenanum sumpsit pro Scrobiculis, seu Scrobulis & foraminulis aurium, ad inserendas gemmas. In altera vero editione, sumpsit *crobylum* pro *strobulo*, sive pro nuce pinea ex auro, quod erat Barbarorum gestamen. Verum bis impegit Rhenanus, cum *Crobylus* nusquam tale quid sonet, ut bene advertit Adrianus Junius lib. II. *Animadvers.* cap. I. Apud Thucydidem in l. I. & Lucianum in *Navigio*, crobylus sonat plexum crinium, desinentem in acumen; quo etiam pacto sumpsisse videtur *Crobylos* Tertullianus. At apud S. Asterium homil. in Festum Calend. *Crobylus* pro tegmine Capitis fœminei accipitur, in ea acri castigatione virorum, effingentium se in mulieres, & vestitum quoque muliebrem adhibentium, quasi pœniteret illos esse quod erant, ut S. Maximus eandem insaniam castigans dixit homil. de Calendis. Apud Athenienses *Crobyli* erant pilei, ad tegenda virorum Capita, quales ante descripsi.

Tiara passim tegebat Persarum Capita, indeque apud omnes conspicui Persæ. Unde astus Cimonis, qui navibus aliquot Persicis interceptis, ut est apud Diodorum lib. XI. fefellit & oppressit Persas, nihil sibi metuentes a navibus, quarum vectores tiaris insignes, Persas se esse mentiebantur. Erat porro tiara quintuplex, ut erudite prosequitur Paschalius lib. X. *de Coronis*. Unus erat omnibus communis; alter procerum; Judicum tertius; quartus sacrificantium, de quo Valerius Flaccus:

Subligat extrema patrium cervice tiaram.

Quintus ac postremus, majestati Regiæ peculiaris. Hærendo autem in tiara omnibus apud Persas communi, S. Hieron. *Daniel.* III. ait, genus fuisse pileoli Persis Chaldæisque commune. A mitra secernebatur, quod tiara in occipitio substringebatur. Unde illud docti Poetæ in IV. *Æneid.*

—— *Et longæ redimicula mitræ,*
Mœonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus, &c.

Plerisque Barbaris fuere in usu pilei, sed varie efformati. Parthi ex usu patrio pileati procedebant. Unde Parthos *pileatos* dixit Martialis lib. X. epig. XXII. Et in nummis quos Goltzius exhibet, Romano Imperatori, ob recepta a Parthis signa de Romanis exportata, supplex proponitur Parthia, pileum demisse porrigens. Apud Scythas, soli honorati erant pileati. Videndus Lucianus *de Scyth.* & Dionys. Trajanus, cum de Decebalo. Garamantæ pileo usi ex dimidio ovo struthionis in æquas partes diffisso. Ex uno quippe tali ovo duplex pileus efformabatur absque margine, ut Lucianus in *Dipsade* tradit. Eaque forma visitur pileus in nummo Gordiani Imperatoris, ut refert Pierius lib. XL. cap. *de Pileo*, addens, se in nonnullis statuis ac nummis observasse aliqualem sursum versus tantisper inflexum pilei marginem extremum; alibi vero deprehendisse, pileos alia forma effictos; nunc admodum patulis marginibus, nunc cava parte pressos, alios planos, plerunque eadem ex parte acuminatos. Pileus seu potius petasus Æthiopum adeo patet, referente Nicolao Godino lib. I. *de rebus Abassinor* cap. XII. ut decem hominibus inumbrandis par esse queat. Pileos Sinarum describit Trigaultius lib. I. *de Sinica expedit.* cap. VII. & VIII. Moscorum nobilium pileos sic describit Sigismundus Herbestenius: *Vestes habent oblongas, pileos albos apicatos ex lana coacta, qua penulas Barbaricas confectas videmus, solidosque ex officina gestant.*

Tegmen capitis, quod Turcæ *Turbantem* vocant, satis accedit ad tiaram Persicum popularem; Græci recentiores vocant φακεώλιον, quasi fasciam complicatam. Gretserus ad lib. II. Codini cap. V. derivat vocem *Turbant* a Corybantio Græcorum. Hujusmodi Turbantes albos gestant Turcæ. Ita ut Judæi, quibus in usu est color flavus, peregrinantes ex ora Turcarum in Italiam, albos Turbantes gestent, ut Turcæ videantur; ait Petrus Bellonus l. III. *observat.* c. XIII. Malunt enim Turcæ haberi, quam agnosci Judæi, eo quod plus fidei tribuatur Turcis quam Judæis, adeo perspecta est ubivis Judæorum mala fides atque malignitas: gestant ergo albos Turbantes Turcæ. At Tartari, (& ipsi quoque Mahumeto mancipati,) virides habent; hoc Tartarorum capitis tegmen sic describit Martinus Martinius in *historia de bello Tartarico*: *Birctum capiti æquale, rotundum gerunt, at humile; hoc pretiosæ pellis fascia per circuitum ambit, ad duorum vel trium digitorum latitudinem: (ea plerunque Castoris vel Zibellinarum est;) hæc pellis aures, frontem ac tempora a frigore defendit: quantum vero bireti supra pellis fasciam eminet, tantundem rubra byssus undique sparsa tegit, vel nigri aut purpurei equorum crines, quos pulcherrime tingere norunt. Plane res commoda, nec inconcinna.* Est igitur ruber Tartarorum pileus; (nunc saltem) olim viridem fuisse produnt; rubrum autem pileum gestant Persæ, qui Mahumeti sub Ali sunt addicti. Nec mirum colore Turbantum diffidere, qui implacabiliter diffident occasione superstitionis, aliter a Turcis, a Persis aliter acceptæ, ut fusius tradunt Joan. de Barros decade II. *Asiæ* lib. X. cap. VI.

Osorius *de rebus Emman.* lib. x. Sansovius *de Rebus Turicicis*. Florim. Remondus *de Hæreseos natalibus* lib. I. cap. IV.

Quod hic ruber pileus transierit in notam discriminatoriam Sectæ, ac Imperii, perstringo ejus initia perpaucis. Ales ergo frater patruelis Mahumetis, ac gener, ipsi defuncto succedens, legem soceri suis interpretationibus adeo interpolavit, ut plane alia videretur. Itaque Homar, affinis Mahometis, pro legis a Mahomete propositæ integritate, & recepta interpretatione, acriter adversus Alim certavit; unde superstitionis in duas sectas discissio, hodieque vigens, manavit. Arabibus Homaris sectatoribus, Persas Ali addictos, non secus ac exleges & disertores, ac legis patriæ corruptores aversantibus; nec Persis mitius agentibus in Arabes Homari addictos. Cum autem non exiguo tempore pars Homaris prævaluisset, exortus est circa annum Christi MCCCLXX. qui se ex Ali prognatum diceret *Sofi*, & acerrimos vindex sectæ ab Ali constitutæ haberi vellet, & revera esset. Is ergo, ut suos ab Homaritis discriminaret; pro lineo albo Turbante, quo Homaritæ utebantur, in memoriam duodecim filiorum Hocemi Alis filii, Turbantem instituit, e cujus medio pileolus acuminatus, e lana constipata colore rubro confectus, & senis utrinque gradibus distinctus, accommodate ad contractionem vel diffusionem emicaret. Eum pileum, notam sectæ Persicæ Ali inhærentis, Ismael Sofi potentissimus Rex Persarum, Usumcassanis ex filia nepos, magno studio & partim blanditiis ac precibus, partim vi & armis, usurpari a multis populis curavit, magna Turcarum concitatione; qui adversarios ob rubros pileolos, exprobraturi defectionem a Mahumete, vocant *Kisulbassi*, hoc est, *capita rubra*. Sicut a lana qua constant pileoli illi, sunt qui velint Persarum Regem per excellentiam dictum *Sofi*, quod nomen Arabice *lanam* sonat: cum Turbantes Turcici sint lintei. An ex veteri usu Regum Ægyptiorum? horum enim judicio, laneæ vestes profanæ erant, unde linteis in templis utebantur, & funebres tunicas, quibus in sepulchra, religione consecrata inferrentur, habebant linteas. Id quod Orpheo & Pythagoræ addicti servabant. Causas scrutantur Plutarchus, tract. *de Iside*, & Philostratus lib. VIII. *vitæ Apollonii*, Apulejus in *Apologia*, & qui *linigeros* dictos enucleant apud Juvenalem Satyr. VI. v. DXXXII. & Martialem lib. XII. epigram. XXIX. *Linigeræ* item denominatæ Isidis Sacerdotes. Quod si Tertullianus lib. *de coron. mil.* cap. VIII. linteum quo se Christus ad lavandos Discipulorum pedes præcinxit, vocat *propriam Osiridis vestem*, idcirco ita locutus est, quia iidem erant Isidis ac Osiridis Sacerdotes. Sed de his alibi.

SECTIO IX.

Tegmina Capitis Mundanorum Fastigiorum.

SUSCEPI agendum de tegminibus. Itaque non huc advocabo coronas, quæ duntaxat caput cingunt, non etiam obtegunt. Verum est, coronam Imperatoriam esse superne opertam, & ut Anastasius Bibliothecarius in *Leone* III. appellat, *epanoclistam*; id quod etiam de Pontificia corona est admittendum. Cæterorum vero Regum ac Principium coronæ radiatæ, superne patent; vel (ut verius dicam,) superne patebant, non ita pridem, quamvis abusione ab uno temere cœpta, omnes fere Regiæ coronæ aliter nunc habeant. In coronarum ergo tractationem a tam multis conscriptam, non est consilium excurrere, sed in tegminibus principalibus sistam, initio facto a tegminibus Capitis summorum Dynastarum; tum progrediendo ad ea quibus inferiores Magistratus operiebantur.

Imperatores Romani, in bello, & ubi operiri Capita mos erat, pileis Laconicis contecti Capita, describuntur a Synesio in orat. *de Regno*. De fastu namque & pompa Augustorum sui temporis multa prælocutus, qui Homericam imprecationem, (lapideam scilicet tunicam,) in seipsos trahebant, gemmis ubique & lapillis distincti, pavonum instar, interrogat; *Nam melius nunc vobiscum agitur a quo hæ circa Reges ceremoniæ institui cœperunt, latibulisque vos, lacertarum in modum continetis; ægre si forte ad Solis splendorem prodeuntium, ne vos homines esse, homines ipsi deprehendant? An potius tunc cum cum exercitibus præficiebantur homines, in propatulo vitam agentes, Sole adusti, reliquoque in victu, sine ullo artificio simplices: non Dythyrambicum ac Tragicum timorem spirantes, sed Laconicis pileis tecti, quos in statuis pueri spectantes derident; quosque senior plebs felices fuisse non putat, imo vero si vobiscum conferantur, plane infelices*. Nec ita multo post, describens Carinum Imperatorem in fines Parthorum progressum, advenientibus Parthorum Legatis, detracto pileo, calvum Caput ostentasse ait, minatum, ni satisfacerent justis Romanorum postulatis, ferro & igni vastandum perbrevi omnem hostilem agrum: territumque Carini abstinentia & magnis animis Parthorum Regem, qui Tiara & Candye ornabatur, cessisse ei, cui ex vilissimis lanis amictus pileusque essent. Itaque Carini pileus laneus erat.

Imperatores Constantinopolitani in usu communi utebantur pileo, ut videre est apud Codinum *de offic. Constantinopol.* cap. VI. num. XVIII. Eum vero pileum, (ut ibidem additur,) in solemnitatibus mutabant alio tegmine; puta *crinonia*, vel *tetraphyllo*. Crinoniam a specie lilii nomen invenisse existimat Gretserus ad eum locum lib. III. *Commentar.* cap. I. §. VIII. ut & tetraphyllum, censet sic denominatum a quatuor foliis. Idem Codinus c. VI. num. XXXVI. meminit variorum Imperatorii Capitis tegminum, ac nominatim ejus quod dicebatur *Tropæuchia*, a tropæo seu trophæo; & *Justinianæi*, quod scilicet Justinianus assumpsit. Certant de ejus tegminis forma Alemannius *ad arcanam Procopii historiam*, & Gretserus tomo III. *de Cruce* lib. I. cap. XX. & ad Codinum in supplemento pag. 304. & 305. Et fortassis immerito certant, cum Codinus diserte notet, Justinianum varia habuisse Capitis tegmina propria: & nunc unum, nunc aliud gestasse pro arbitrio. Notanda vero sunt Curopalatis verba in opere *de Offic. aulæ Constantinopol.* pag. 100. *Quod nunc appellatur* stemma, *id olim nominatum fuit* diadema. *Id autem erat texile aureum, cum lapillis & margaritis, positum ad Imperatoris frontem, & pone revinctum, cerebrum versus: (quamobrem etiam dicitur* diadema*:) quod ex eo paulatim mutatum, effectum est quale videtur hodie, & nominatur* stemma, *quod autem nunc vocatur* diadema, *id olim* militaris zona *dicebatur, honorem indicans, qua olim Tyranni Christianos milites primum privabant, tum eos tortoribus dedebant*. Aliqua in his Corupalatæ verbis recte habent, alia deposcunt censuram. Quod enim vocis *diadema* etymologiam, a circumligatione & nexu repetit, bene habet. Inepti siquidem Joannes Andreas, in Clement. *Romani*, de jurejur. derivans *diadema*, a δύο, id est, *duo*, & *demo* quia demit principium & finem sua rotunditate. Dicitur ergo diadema ἀπὸ τοῦ διαδεῖν, quod est *circumligare* ac *cingere*, ut bene censuit Curopalates. At non bene *diadema* cum militari zona antiqua permiscet. Neque enim omnes, zonæ militaris jure donati, erant diademati, ut est notissimum: cum diadema semper fuerit nota supremæ potestatis Regiæ, unde Tryphon. I. *Machab.* XIII. v. XXXI. dicitur sibi imposuisse Asiæ

diadema; & pro numero Regnorum, multiplicabantur diademata, ut videre est apud Herodianum lib. VI. cum de Artabano: & lib. I. *Machab.* cap. XI. verf. XIII. dicitur Ptolemæus imposuisse *duo diademata capiti suo; Ægypti, & Asiæ*. Erat ergo diadema, manifestum Regni insigne; & idcirco vel in necessitate imposuisse capiti diadema erat crimen læsæ majestatis, & morte luendum; ut contigit illi nautæ, qui desiliens in mare, ut Alexandri diadema, in aquas prolapsum, educeret, cum illius conservandi gratia suo Capiti inter natandum illud imposuisset, ita præmio luculento ob receptum diadema donatus est, ut mox sit Capite minutus. Rem describit Arrianus lib. VII. Multa de diademate collegit Alex. Neapol. lib. I. *Genial.* cap. XXVIII. & Josephus Stephanus Opusc. *de Coronat. Rom. Pontificis*, ac in cap. I. libri primi *Machab.* ad verf. X.

Persarum tiara Regum longe differebat a tiaris reliquorum; erat enim rectus, tantisper a fronte remotior, & qua frons media est, exacutus ac fastigiatus in mucronem, ut ex Aristophanis *Avibus* colligitur. Nummi a Goltzio exhibiti, Tiaram Persicum Regium, repræsentant, figura erecta, & summa sui parte turrita, cum infulis a posteriori parte pendentibus, & bucculis ad labra usque ex anteriori parte demissis: cujusmodi bucculas in Magorum quoque tiaris describit Strabo lib. XV. Diligenter de hoc tiara, Paschalius lib. X *de Coron.* c. II. Erectam tiaræ formam Regibus Persicis fuisse peculiarem, habetur ex Seneca lib. VI. *de Benef.* cap. XXXI. & ex Trisapherne apud Xenophontem lib. II. *Cyriped.* Hujusmodi rectum tiaram, Zonaras in *Basilio Imperatore* ait vocari *tupham*, ob typhum quem ingenerat. Et merito sane expostulabat Dio Prusæus orat. XIV. in fine, tanto studio Persarum Regem cavisse, ne quis alius rectum tiaram assumeret, illico interficiendus si assumpsisset: *Ut autem rectum haberet animum, & nemo alius prudentia eum superaret, nunquam illi curæ fuisse*. Regium hunc tiaram, cumulabat diadema, id est, fascia fronti applicita, non corona: ut contra vulgarem persuasionem bene confirmat Alexander Neapolitan. lib. I. *Genial.* cap. XXVIII. Apud Persas ergo eam fasciam comulasse tiaram, liquet ex Xenophonte lib. VIII. *Cyriped.* ubi Cyrum describit in publicum prodeuntem, Regio apparatu conspicuum; *habentem* (inquit) *diadema circa tiaram*. Idipsum tradit Dio Prusæus orat. XIV. Et inter alias quidem gentes, diadema cingebat nudum caput, & pro *insigni Regio* usurpabatur: ut loquitur Tacitus lib. II. *Annal.* & Virgilius l. XI. *Æneid.* agens de Rege Tyrrheno, ac Silius lib. XVI. agens de Syphace; ubi diadema Africanis Regibus fuisse album ostendit, quale etiam fuisse Julio, habet Suetonius cap. LXXIX. unde *alba fascia* vocatur a Luciano in *Navigio*. At apud Persas (de quibus agebam,) diadema ex cœruleo & albo interstinctis constabat, ut habet Curtius lib. III. c. III. quod item volunt, qui illud contexunt ex albo & purpureo. Nam cœruleus color non raro *purpureus* dicitur: ut cum mare dicitur *purpureum*, id est, *cœruleum*, & viceversa, pro purpureo cœruleum dicitur IV. *Georg.* & X. *Æneid.* Reginas quoque usas tali diademate, monstrat Bayfius lib. *de Re Vestiaria* cap. XX. & constat ex Plutarcho in *Lucullo*, cum de Monima. Sic igitur confectum diadema, & multiplicatum pro numero Regnorum, (ut diserte habetur de Ptolomæo I. *Machab.* c. II.) adponebatur tiaræ apud Persas: de quibus proinde potest valere utcunque, id est, materialiter, & propter appositionem, ac nexum, quod falso aliqui universaliter dicunt, diadema fuisse pileolum cum fascia. Et in eundem sensum accipio Sidonium, qui carmine XXIII. sic canit de tiara Persico:

Ut fastu posito tumentis aulæ,
Qui supra Satrapas sedet Tyrannus;
Ructans semideum propinquitates,
Lunatum tibi flecteret tiaram.

Et carmine II. *ad Anthemium*:

Flectit Achæmenius Lunatum Persa tiaram.

Vocat *Lunatum tiaram*, qui revera Lunatus non erat: ideoque a Bulengero reprehenditur lib. *de vestim. Pont.* cap. V. Sed præterquam quod Sidonius facile exponi posset de tiara, in quo effícta acu aut appicta esset imago Lunæ, quam Persarum fuisse symbolum dixit Curtius lib. IV. & fuisse omen augendi subinde imperii, sensit Paschal. lib. IX. *de Coron.* cap. XVIII. Præter eam, inquam, Lunati tiaræ expositionem, optime dicitur tiaram Persicum fuisse Lunatum, ratione diadematis tiaræ appositi, quod erat Lunatum. Erat & aliud Persarum Regibus capitis tegmen pellitum, ut habetur ex Polluce lib. VII. cap. XIII. *Candya* appellabant. Sed hic cavenda est æquivocatio. Nam *Candys* alibi nomen est vestimenti, ut jam ex Dione Chrysostomo retuli, & multis signatis Autorum locis illustrat Brissonius lib. II. *de Regno Perf.* Videndus Paschalius lib. X. *de Coronis* cap. III.

Cidarim idem fuisse quod diadema, censet Budæus *in Pandectas*, & Pancirol. lib. I. *Variar.* cap. IX. At Cidarim, vix nisi nomine a tiara discrepasse notat Alexander Neapolit. lib. I. *Genial.* cap. XXVIII. & patet ex Curtio lib. III. qui tegmen Regum Persarum appellat *Cidarim*. Agathias item lib. IV. Regium Persarum pileum, promiscue nunc *tiaram*, nunc *cidarim* nominat, agens de Artaxerxe. Itemque agens de Varanne Persa, cui in utero adhuc latenti, imposita est Regia cidaris recta, id est, tiara Regia. Genus erat pilei, e pilis contexti. Pollux lib. X. cap. XXXVI. ex Herodoto, *cittarim*, vel etiam unico *t. citarim* scribit; quod Grammaticale litigiosum non moror, contentus notasse, usum invaluisse ut *cidaris* dicatur. Mirum videri potest, S. Augustinum q. CXXIII. *in Exod.* scripsisse, ignorari quid sit *cidaris*; & putare se, non esse Capitis tegmen, ut nonnullos censuisse refert. Bene, quod ipsemet D. Augustinus q. LXXXI. *in Levit.* agnoscit cidarim esse Capitis operimentum. Usi sunt hoc Capitis tegmine Reges Armeniorum, & Ponti: ut de Mithridate agens, tradit Plutarchus in *Pompejo*. Item Reges Ægypti, ut proditum est in *Æsopi vita*. Nec dissonat Diodorus Siculus lib. IV. asserens Regum Ægyptiorum ac Æthiopicorum tegmen Capitis fuisse pileum oblongum, aspidibus circumvolutum, ut monerentur omnes Regii Capitis violatione abstinere, ni vellent patere morsibus mortiferis. Non, inquam, pugnant ista cum cidari Regibus Ægyptiis attributa. Nihil quippe vetat cidarim oblongum pileum dicere. Male tamen aliqui, de hujusmodi cidari seu pileo accipiunt illud Martialis lib. I. epigrammate L. v. XXXV.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga;
Olidæque vestes murice.

Quamvis enim erant plerique Summatum pilei pelliti, quales hodie Germanis nonnullis Principibus sunt insignia potestatis, ut late prosequitur Paschalius lib. I. *de Coronis* cap. XXIII. Tamen Martialis eo loco qui proferebatur, non spectabat gestamen capitis, sed pedum, in quo erat Lunula, insigne nobilitatis, juxta illud Juvenalis Satyr. VII. v. CXCI.

——— *Nobilis & generosus,*
Appositam nigræ Lunam subtexit alutæ.

A Videsis proverbium, *Nobilitas in Astragalis*, quod ab Herode Attico in Bradeam levirum suum, magnifice crepantem generis nobilitatem, jactatum refert Philostratus lib. II. *Sophist.* Agit de simili pedis gestamine, idem Martialis lib. II. Epigr. XXIX. cum de nobilitate non nupera & hesterna, sed antiqua supertalari luniformi notata, ait,

Non hesterna sedet Lunata lingula planta.

De eodem ergo tegmine agebat priori illo loco; qui proinde male ab aliquibus ad Capitis tegmina est detortus. Medorum Regum Capitis tegmen, quod commune esset Judicibus Persarum, mox ex B Codino describam.

Russorum Imperator, vulgo *magnus Dux Moscoviæ*, pileum habet, quem in hæc verba describit Sigismundus Baro, in rerum Moscoviticarum commentario: *Pileus ipsorum lingua*, Schapka *dictus*, *quo Wolodimerus Monomach usus est*, *& quem geminis ornatum*, *aureis item laminis*, *quasi quibusdam spirulis subinde se vibrantibus*, *mire concinnatum reliquit*.

Magnatum Summatibus inferiorum, tegmina capitis peculiaria alicubi fuere. In Imperio Constantinopolitano, magna hac in parte erat varietas. Andronico, cum creatus est Imperator, detractum C esse pullum & acutum pileum, quo antea utebatur, & rubram mitram ejus capiti fuisse impositam, Nicetas autor est, libro singulari *de Alexii Comneni imperio* num XVIII. Biretum acuminatum Nicephorus Gregoras lib. II. in fine, proceribus ætate provectioribus in usu fuisse ait, serico tectis, pro dignitate cujusque, adolescentibus Capite nudato agentibus. Andronicum vero Palæologum omnibus concessisse pileos, & variis varios placuisse, his Latinos, aliis Mysios & Triballicos, aliis Syrios & Phœnicios, prout cuique libebat. Ita ille de pileis in usu communi procerum. Nam tegmina Capitis, quæ erant veluti tesseræ ac notæ dignitatis, non vi- D dentur abrogata. Apud Codinum lib. *de Offic. Eccles. & aulæ Constantinopol.* muulta de hujusmodi tegminibus Capitis inferiorum Magnatum & Magistratuum legere licet, præsertim cap. III. & IV. *Tegumentis Capitis* (inquit eo cap. III) *quo Despota utitur*, *quod* umbella *seu* umbraculum *appellatur*, *totum ex margaritis constat*. *Umbo seu ambitus præfert nomina ejus qui gestat illud*, *auroclavatum*, *fimbriatum*, *τὰ σεῖα*, *qualia sunt Imperatorii pilei*, *exceptis nodo & palmulis*. Hæc illius pilei *σεῖα*, *apicem* exposuit Junius. Quid sint, ambigit Gretserus lib. II. *Comment.* cap. IV. Notat vero paulo post Codinus, E de eo ipso Despotæ pileo: *Cum Despota adhuc puer est*, *nullum tegumentum fert in Capite*, *dum in palatio versatur*; *sed manet aperto Capite*. *At quando equitat*, *tunc fert eum quem antea descripsimus pileum*, &c. *Cum ad ephebi ætatem processit*, *tunc fert eum quem ante descripsimus pileum*, *idque etiam in palatio*. Inferius, de pileo generi Imperatoris, sic scribit: *Pilei generorum Imperatoris*, *si sint Despotæ*, *aurei & coccinei coloris sunt & fimbriati*, *habentque Cruces ex margaritis*, *& gyros seu circulos*. *Pileus Sebastocratoris aurei & coccinei coloris est*, *& limbatus*. *Umbo ejus & τὰ σεῖα qualia Despotæ*, &c. F *Cæsaris pileus fimbriatus est*; *aurei & coccinei coloris*, *qualis est Sebastocratoris*. *Umbo & densitas*, *qualia ejusdem*. Addit cap. IV. Codinus de tegminibus Capitis aliorum Magnatum: *Pileus magni Domestici*, *aureo & coccineo colore tinctus est*; *clavatus cum umbone aureo & coccineo*, *qui & ipse clavatus est*, *τὰ σεῖα instar umbonis chrysococcinea*, &c. *Pileus magni Ducis colore aureus & coccineus est*, *clavatus absque umbone*. Huic pileo similes fuisse pileos Logothetæ & magni Stratopedarchæ, ait inferius. Subdit vero: *Magni Primicerii pileus fimbriatus est*, &c. *Protosebasti pileus aureo & prasino colore nitet*, *excepta fimbria quæ purpurea est*, &c. *Logothetæ generalis ærarii pileus*, *est albus pannus*, *cum margellis*, &c. *Protovestiariæ pileus clavatus est*, &c. *Primi Secretarii pileus est blattinus*, *duplicis coloris purpurei & albi*, *habens margellica fimbriata*, *lata non in Crucis formam*, *sed in orbem circa verticem pilei*, *ambitumque trullæ*, *quæ supra habet figuram trifolii*, *margellis ornatam*. Vocat trullam partem summam pilei, qua clauditur & quasi concameratur; voce ab ædificiis translata. Demum addit, *Præfecti exercitus pileus clavatus est*. Erant hæc tegmina capitis Magnatum & aulicorum. De Judicum vero Pilaticiis mox dicam.

Inter Persas erat pecnliaris tiara Judicum, de qua Paschalius. A Medis accersit, & *Pilaticia* vocat hujusmodi judiciaria Capitum tegmina Codinus, sic scribens cap. VI. num. XLVI. *Cum Persarum gens parva esset*, *& vitam pastoritiam ageret*, *Cyrus*, *relictis Pesarum moribus*, *utebatur ritu & consuetudine Medorum*, *utpote gentis magnæ & magnificæ*. *Horum vero Judices ferebant epilorica seu superulas*, *& in capite lineum tegmen*, Phaceolidem *appellatum*. *Ex quolibet Phaceolio pendebat a sinistra parte margellium sive fimbria ex margella*, *alteram aurem ejus qui gestabat obtegens*. *Quo significabatur*, *aurem quidem retectam accusatoribus dari*; *tectam vero aurem accusatis*, *sed absentibus reservari*. *Ex collo Judicum pendebant in sericis filis margellia*, *cum fimbria*. *Longitudo erat spithama minor*, *latitudo unius palmæ*. *Quæ Rex Medorum ferebat*, *similiter & Judices*. *Quemadmodum igitur olim exercituum Duces ferebant torques*, *qui erant honores indices*, *sic & pilaticia honorem Judicum manifestabant*.

Apud Sinas peculiaris est Magistratibus omnibus pileus, quem sic describit Nicolaus Trigaultius lib. I. *expedit. Sinicæ* cap. VI. *Omnes Magistratus*, *sive philosophici*, *sive militares*, *infimi juxta ac summi*, *eodem pileo insigniuntur*. *Is est e velo nigro*, *& utrinque duas velut alas habet*; *fere supra aures ovatæ figuræ*, *eæ ita pileo adhærent*, *ut tamen facile excidant*. *Hoc ajunt modo se ad modeste rectaque incedendum cogi*; *& a capite leviter inflectendo*, *prohiberi*: *quod si fecerint*, *Magistratuum violant majestatem*. In Gallia, qui in supremis Curiis eminent Præsides, habent peculiare Capitis tegmen. Is est honorarius cudo, vulgo *mortier*; voce per scomma ei pileo indita, quod nonnihil accedat ad formam mortarii, in quo pinsuntur & pistillo deteruntur, quæ operæpretium est terere. Pileus est, ex nigro heteromallo villoso, in orbicularem formam contextus, auri vitta fimbriatus, qui in usu Regum quondam erat extra solemnem apparatum. Ut autem liqueret, hujusmodi supremis Judicibus, indultam esse Regiæ potestatis participationem, ea parte Regii amictus usuarii donati sunt. Sane pleræque Regum icones antiquæ in Regio sacello etiamnum prostantes, jam a tempore S. Ludovici Noni, ad eum modum pileatos Reges exhibent, ut refert Ludovicus ab Aurelia in opere *de forensibus Curiarum prolusionibus* cap. XXIII. qui observat alias quidem hos pileos fuisse acuminatos & fastigiatos; postea tamen etiam Regum pileos fuisse depressos & planos; quali etiam forma sunt nunc Præsidum pilei, de quibus agimus. Cum e contrario, Persicus fastus non tiaram deletam, sed acuminatam & rectam præferret, ut Seneca lib. VI. *de Benef.* agens de Demorato prodidit, & in *Themistocle* Plutarchus, nec non Arrianus, agens de Besso Persici imperii occupatore.

SECTIO X.

Pileus Doctorum.

PErantiqui moris est, ut sit Doctoribus certus habitus, cujus usu interdicatur iis, qui judicio illorum, penes quos est ea potestas, probati non fuerint, ac velut inaugurati. Sic enim Sophistæ olim Athenis pallium Philosophicum, unaque Sophistarum dignitatem, certis ritibus servatis, assequebantur, ut scribit Olympiodorus apud Photium Cod. LXXX. Neque sermo duntaxat est de facultate assumendi pallii, quasi ad tyrocinium Scholasticis illico ac adventabant, facta a Magistris, non absque annumeratione pecuniæ, & plerisque ludicris, ut memorat orat. XX. Nazianzenus, liberatum ea Pompa Basilium Athenas appulsum describens; sed sermo est de pallio veluti Magistrali, quod concedebatur solis ad docendum idoneis, qui simpliciter ἐγγεγραμμένοι appellabantur; eo quod inter sapientes allecti, & legitime inscripti, ut diligenter ex plerisque antiquis notavit Cresolius lib. III. *Theatri* cap. XVI. Et perspicue habetur ex can. LXXI. Trullano, ubi memoratur usus Ethnicorum in veste certa, candidatis Sapientiæ, & certa item, jam decurso studiorum curriculo assignanda, quod Synodus fieri deinceps vetat (utique adhibitis ritibus illis, e cœnosa Ethnicismi scrobe haustis, & alicunde lutulentis.) Inter eas autem Magisterii ac Doctoratus notas, numerabatur corona, quæ ab initiatore mysta imponebatur, ut est apud Aristophanem in *Nubibus*, cum describitur Strepsiadis inauguratio per Socratem. Et tunc nomen *Sophistæ*, sive Doctorum titulum assequebantur, ut est apud Philostratum lib. II. *de vita Sophist.* Præcessisse porro hujus tituli delationem, suffragia judicum ad id authoritate instructorum, docet Lucianus in *Eunucho*, & Eunapius in *Prohæresio*. Quamvis ergo Synodus Trullana, ob mixturas aliquas impuras, vetuerit peragi quas dicebant *cylistras*, & ritus illos Ethnicos, qui usurpabantur in Tyronum initiatione, & jam consummatorum inauguratione, retineri noluerit a Christianis, tamen esse suas Doctoribus peculiares notas, non prohibuit. Imo cum id spectet ad honorem artes alentem, prohiberi nec decuit, nec debuit. Ut enim bene in hanc rem ratiocinatur Rebuffus tract. *de privil. studio*. & Jacobus Middendorpius l. I. *de Academiis* cap. XIII. post Juvenalem Satyr. X. & Bionem in *Bucolicis*, Jamblichum, & alios, virtus inhonorata jaceret, nec esset qui vellet labores in literarum adeptione devorandos exantlare, nisi esca præmii & honoris pelliceretur. Is autem honor præsertim cernitur in peculiari amictu & peculiaribus externis notis, inter quas eminet pilei concessio. *Biretum* vocat Bertachinus, aitque esse signum victoriæ & gratiæ, nec non Sacerdotii & superioritatis; & has omnes ob causas merito concedi Doctoribus cum inaugurantur, addito in vertice hapso, seu flocco, pro Doctorum varietate, coloris diversi.

Tangit his paucis Bertachinus compagem & colorem, ac fines pilei Doctoralis, quæ breviter percurrenda sunt, & distinctius exponenda. Et pileus quidem alicubi non ejusdem est coloris, tamen apud nostrates semper est niger. Ajo alicubi aliter rem se habere, quia ut scribit Middendorpius lib. I. *de Academiis* cap. XIII. & Maximilianus Sandæus in *Theolog. Jurid.* commentat. L. apud Germanos (inter quos ipse scribebat,) solus Doctoralis pileus Theologorum est nigri coloris, ad innuendum eos esse mundo mortuos. Est quippe nigredo mortis symbolum; ut propterea Satyricus, *nigros maritos* dixerit pro *mortuis*. Qui vero apud eam gentem in aliis facultatibus promoventur ad lauream Doctorum, pileos habent alterius coloris quam nigri, Nempe Jurisperitorum pileus est ruber, eo quod adsint Regibus & Principibus terræ, quorum præcipuum ornamentum est purpura. Medicorum vero & Philosophorum pileus Doctoralis est violaceus, aut cœruleus, ut moneantur oculos suos non declinare in terram. Ex Godelmanno lib. I. *de Magis* cap. I. Dæmon in Marchia, specie Advocati objectus, pileum cœruleum prætulit. Cum enim quidam Miles perfide deceptus a caupone, cui iin morbum incidens vim magnam pecuniæ crediderat, non modo re sua spoliatus esset, sed etiam accusatus apud Judicem de impostura & vi allata, adjudicandus esset morti, nec esset qui pro misero causam susciperet, obtulit se Diabolus causæ ejus tuendæ, multis argumentis & auctoritatibus comprobans ejus innocentiam, & cauponis perfidiam atque malignitatem. Erat enim Diabolus externa specie Advocatus, pileum cœrulei coloris Capite præferens. Adeo vero perite & fortiter miseri militis causam egit, ut caupone omnibus se diris devovente, & Diabolo se addicente si falleret, Diabolus palam acceptum cauponem per fenestras, & forum medium, omnibus horrescentibus abduxerit, nullis postea infelicissimæ Orci victimæ uspiam deprehensis reliquiis. En teterrimum sub cœruleo pileo more Advocatorum illius regionis Borealis causidicum. Hæc igitur est coloris quoad pileum alicubi multiplicitas, quæ apud nostrates locum non habet. At floccus apud nos quoque, pro variis est varius. Eum floccum aliqui superiore seculo Genevæ, cum ea urbs sub auspiciis Spiritus sancti reformati, omnia susquedeque evertit, porro hortensi mutavere, quem pileis assuerunt vel adjunxerunt: quod quantam bilem Farello, meri Dei verbi pincernæ inter primos strenuissimo, exciverit, docet in *Calvini vita* Langæus cap. VII.

Nunc intactos ex Bertachino pilei Doctorum fines, ejusque quadratam formam inquiramus. Victoriæ signum haud injuria statuitur pileus Doctorum; nec abs re, cum oleastro Olympionicarum confertur ab Adriano Junio lib. V. *Animadverſ.* cap. II. quia diligens studium, quod necesse est in Doctore præcessisse, perinde est ac lucta & agon cum ignorantia & ignavia. Et quemadmodum Agonistici varie probabantur & examinabantur, priusquam ad certamen & victoriæ viam admitterentur; ita qui Doctorum lauram captant, variis probationibus & examinibus subjaceant necesse est. Proportio est manifesta. Triplicem enim Athletarum coronam, pro triplici eorum gradu, agnoscit Imperator lege *Athletas ita*, Cod. *de Athletis*, ubi Bartolus & D. D. passim. Similiter igitur inter studiosos sapientiæ, alii depositi Tyrocinii insignibus donati, dicuntur *Baccalaurei*; sive a lauri baccis, ut significetur spem fieri, quod a baccis ad laurum, seu plenam lauream denique pertingant; sive a bacillis, quorum olim collatione creabantur, ut vult Renatus Barrensis, in *Admonitione de Tertulliani dogmatibus*. (Quanquam in Italia primum hunc gradum honorum Scholasticorum non requiri ad Doctoratus titulum & decus adipiscendum, notat Quintilian. Mandos. *ad Reg. Cancell.* XVI. q. XI.) Alii ulterius progredientes, denominantur *Licentiati*, & *Prodoctores*. Tertio denique alii, ad ipsum provecti apicem honorum Scholasticorum, *Doctores* plene & absolute appellantur. Atque ita hi Athletæ sapientiæ, servant proportionem cum antiquis athletis; sicut quoad probationes & examina agonisticis præmitti solita, ut Faber in *Agonistico* lib. III. cap. XVII. aliique notarunt, ita quoad gradus,

& varia externa signa, tanquam laborum præmia, merito rependenda iis qui probati sint laurea digni, atque notaculo quo ab aliis secernerentur, Videndus Faber eod. lib. III. cap. XXVIII. Hæc porro nota nullibi statui convenientius ac principalius potest, quam in Capite. Inprimis, quia ob necessariam, dum hic vivimus, intellectus ac phantasiæ in operando connexionem, & phantasmatum inter intelligendum speculationem, Capitis per studia fatigatio major fuit, quam reliquorum membrorum. Præterquam quod eminentia Capitis, ut supra Sect. II. disputatum est, notas victoriæ in Capite collocatas, conspicuas omnibus facit. Quare post luctam & certamen, optime hac quasi laurea donantur Doctores, imitatione Dei, qui in cœlo speciale decus, quod *aureola* Doctorum dicitur, conferet Doctoribus probatis, de quo bene differit Carolus Regius lib. I. *Orator. Christ.* cap. XXII. & Joannes Bagotius in *demonstrationibus Christianis* tit. II. lib. V. disp. VII.

Quod gratiæ simul ac victoriæ notam, pileum Doctoris statuebat Bertachinus, existimo referendum ad probatos mores, & vitæ sanctitudinem veri Doctoris. Supponitur enim non excepturus tot labores, quot exantlare necesse est eum qui digne ad assecutionem hujus decoris pertingit, nisi virtute & gratia præcelleret, qua tot illicibus voluptatum & avocamentis a recto, constanter obstiterit. Erasmus sane Adag. *ad pileum vocare*, existimat pileum esse notam virtutis spectatæ, & idcirco conferri Doctoribus. Quo etiam pertinet longa disputatio Lucæ de Penna ad leg. *Murileguli*, C. *de Murileg. & Gynæcior.* monstrantis, pileum Doctoris dici *biretum*, quia supponit duplicem rectitudinem in eo cui confertur. Eam vero duplicem rectitudinem ita explicat idem Doctor, ut omnem plane sanctimoniam comprehendat.

Eodem revolvitur *Sacerdotium*, cujus pileum Doctorum, tesseram esse statuebat Bertachinus: & idem habet Mar. Socinus cap. *Quanto de Magistris*. Disciplinæ enim etiam humanæ, sub quodam Sacerdotio exercendæ sunt, & facultates, quibus partis decernitur pileus, veluti quædam numina habentur, ut de Justitia & Justitiæ administris pronunciavit Ulpianus, quatenus ex Celso dixit, Jurisperitos boni & æqui Sacerdotes esse, atque adeo juris atque Justitiæ. Quod Hotomannus in *Epitome ad titulum* I. *Digestorum*, & in *commentario renovato ad Institutiones titulo* I. *de Justitia*, Dea Ethnicorum dictum contendit, θέμιδα, aut θέμιϛα, vel δίκην dixere Ethnici, ut ex Eustathio observat Budæus *ad lib.* I. *tituli primi ff.* Institere Hotomanni vestigiis, in eo sensu definitioni ab Ulpiano assignatæ admittendo, Donellus Tomo I. lib. I. cap. IV. & Henrichus Salmuth *ad Pancirolum de rebus deperditis*, circa procemium. Et quanquam Ulpianus, homo gentilissimus & acerba Christiani nominis insectatione infamis, dignus non est pro quo fatagamus, tamen longe aliam fuisse ejus mentem, cum Jurisperitos dixit esse *Justitiæ Sacerdotes*, monstratum est lib. III. *de Virtut.* num. XXXIX. & ibid. num. XLVIII. Hoc Sacerdotium, in sancta tractatione & dictione juris consistens, est illustratum. Addo nunc Julianum Imperatorem in longo fragmento sive orationis, sive epistolæ, eodem modo ac sensu pronunciantem: *Civiles magistratus, quodam veluti Sacerdotio fungi, quatenus legum sunt custodes*. Indeque infert Julianus, dici posse, parem honorem ac cultum, Sacerdotibus & Magistratibus tribui oportere. Quod approbasse videtur apud Cassiodorum Rex Theodoricus lib. VI. e-

A pist. III. in calce formulæ Præfecti Prætorio, cum dixit: *Quod Sacerdotium est, præfecturæ prætorianæ competenter agere dignitatem*. Affine est quod doctus Poeta lib. VI. *Æneid.* vers. DCLXI. & viris doctrina præstantibus, & Sacerdotibus communes post obitum vittas decernit. Ait enim:

Quique Sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii Vates, & Phœbo digna locuti;
Inventas aut qui vitam excoluere per artes;
B *Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.*

En capitibus Sacerdotum & Doctorum, vittæ in Elysiorum camporum beatitate decretæ; perinde ac si utrique fungantur Sacerdotio; & illi Numinis, hi sapientiæ Antistites statuantur. Plinius sane lib. VII. cap, XXX. Platoni tanquam sapientiæ Sacerdoti & Antistiti vittatam navem a Dionysio missam, testatur.

Facit huc non incongrue, quod Theon Smyrnæus, nuperrime editus, cap. I. *Mathematicorum* ex Platone pag. 18. tradit, de initiatione my-
C starum, respondente traditioni sapientiæ philosophicæ, & initiationi in ea. Præibat enim purgatio. Tum deinde sequebatur traditio Sacrorum. 3. Concedebatur Sacrorum inspectio. 4. Interveniebat scopus & finis inspectionis, hoc est, capitis religatio, & impositio coronæ, inferens potestatem tradendi aliis sacra, Mystæ collata. Hæc proportione servata, locum habuisse in traditione potestatis alios imbuendi philosophia, (qui est vere Doctoratus Philosophicus,) affirmat Theon eo capite I. quod ex Platonis libris *de Republica* & *Epinomide* consarcinatum esse, observat ibi in *Notis* Ismael Bullialdus pag. 215. Ex sensu igitur Theonis Platonem exprimentis, corona Philosophico
D Doctori imponebatur, tanquam Mystæ perfecte initiato, post examen & probationem, ac veluti expurgationem ab ignorantia. Et sicut corona illa, a Sacerdotibus ad Magistros Philosophos traducta erat, ita pileus Doctorum, qui ei coronæ Magistrorum suffectus est, pro Sacerdotali tegmine haberi debet. Sunt enim etiam Philosophorum Magistri inter Doctores; & eo nomine jam olim usos esse pileo, constat ex iis quæ de Philosophis scribit Palladius, agens de Serapione Sindonita cap. LXXXIII. *Lausiacæ*.

E Quod denique adducebatur a Bertachino, de concessione pilei Doctoribus facta; eo quod pileus sit nota superioritatis & potestatis, supponit antiquum usum, quo pileus statuebatur nota libertatis, quam Philosophi & Theologi, præeunte Apostolo, definiunt potestatem suæ voluntatis, & dominium in actum suum. Esse porro pileum notam libertatis, vulgatissimum est, & fuse illustratur a Bodino lib. I. *de Repub.* c. V. & a Pancirolo l. II. *Var. Lect. juris* cap. CCXX. Inde *vocare servos ad pileum*, idem est ac vocare ad libertatem, ut videre est apud Senecam epist. XLVII. & Livium lib. XXXIV. Suetonium in *Tiberio* cap. IV. passimque alios. Et quoties li-
F bertatis expressio vel professio facienda fuit, adhibitus est pileus. Sic Henricus II. Galliæ Rex, ei publico scripto quo rationem reddebat initi abs se fœderis contra Carolum V. cum Mauritio Saxone aliisque Lutheranis, præfixit in scripti fronte, pileum inter duos pugiones, ut scribit Spondanus in *Annalibus Gallicanis* ad ann. MDLII. num. VI. Pileus enim Symbolum est libertatis, quam Gallicis & Germanicis copiis, Germaniæ quæri, prætexebatur eo bello. Imitatione Veterum sic factum. Nam Brutus tyrannidis excussor, in veteribus nummis pileum manu præfert. Et in variis nummis Cæsarum, mulier cum pileo, imago est libertatis, ut

teſtantur Pancirolus lib. I. *Var. lect. juris* cap. XVII. & Pierius lib. XL. cap. *de pileo*. Tito Flaminio triumphanti, civium Romanorum duo millia aſfuiſſe pileata, ut profiterentur ſe ab eo accepiſſe libertatem, ſcribit in *ejus vita* Plutarchus. In Neronis obitu, Suetonio cap. LVII. atque Victore referentibus, plebs Romana univerſa diſcurrit pileata, quaſi tum demum donatam ſe libertate conteſtans. Terentius Culleo, ut Scipionem libertatis ſuæ autorem profiteretur, triumphanti aſtitit pileatus, juxta Oroſium lib. IV. cap. XIX. Mancipia ipſa, ut ſcribit Servius *ad lib.* VIII. *Æneid.* verſ. DLXIV. cum libertate donabantur, raſis capitibus pileum in Feroniæ templo accipiebant; fuiſſe pileum album, ſcribit Diodorus, agens de Pruſia Rege, qui ut ſe Romanorum libertum profiteretur, Legatis eorum raſo capite & pileatus occurrit. Et raſura quidem capitis in ſervi manumiſſione, nota erat declinatæ tempeſtatis ſervitutem comitantis. Nam qui e naufragio emerſerant, radebantur, juxta illud Juvenalis:

—— Gaudent ibi vertice raſo,
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Ad illorum ergo ſimilitudinem, qui ſervitutem evaſerant radebantur, ait Nonius in V. *pileus*. Et ſic raſis imponebatur pileus, vulgata apud Romanos libertatis teſſera. Unde votum mancipii apud Plautum in *Amphitruone* actu I. ſcena I. verſ. ult.

—— Quod ille faciat Jupiter,
Ut ego hodie raſo capite calvus, capiam pileum.

Erat igitur pileus nota & teſſera libertatis; quod ſervi contumaces, ut ex Cælio Sabino prodit Gelſius lib. VII. cap. IV. pileati proſtabant venales, cum eorum nomine nihil vellet præſtare, qui venum illos exponebat, quod male carpit Straccha parte II. *de Mercat.* num. LXXVI. Videndus Jacobus Durantius lib. I. *Var.* cap. X. Sed hoc ex adjunctis dijudicabatur. Alibi autem pileus libertatis jam aditæ nota erat. An quia pileus inſigne erat jam olim nobilitatis? Ulyſſes ſane, cujus cum Ajace de nobilitate contentio apud Naſonem proſtat, ut nobilis exprimeretur, pingebatur pileatus. Item Dioſcurorum nobilitas pileis eſt adumbrata. Byzantini exules, (ut ait Pierius lib. XL. cap. *de pileo*) qui quidem genere nobiles erant, ut nobilitatem ſuam teſtarentur, appulſi in Italiam, pileos geſtabant. An inſigne libertatis pileus, quia ingenuis, tametſi nudo capite incedere ſolerent, jus tamen erat tegendi capita, quo carebant mancipia? Nam mancipiis quamdiu ſervitutem ſerviebant, caput neceſſario nudum erat, quicquid demum accideret incommodi; non ita iis qui liberi erant. Quæ eſt germana expeditio nodi, quem in hac re proponit, nec ſatis extricat Heraldus *ad lib.* II. *Martialis epigr.* LXVIII.

Ex his ſatis ſuperque liquet, pileum fuiſſe teſſeram libertatis, atque adeo etiam poteſtatis, cum libertas poteſtate definiatur. Idque fortaſſis voluit Pipinus, concedens decimarum dominium per pileum ſuum ut teſſeram ut eſt in Actis S. Momonis, in fine. Sunt qui ad Noemum autorem id referant. Ab eo quippe ſub Jani nomine, apud Latium regnante, Latinos ajunt donatos pileo poſt diluvium, in Symbolum libertatis a tot malis, ut ſcribit Maximil. Sandæus in *Theol. Jurid.* comment. L. Mirum igitur non eſt, donari pileo Doctores, qui exſolvuntur ſcholaſtica ſervitute; & poteſtatem accipiunt, ſive docendi, ſive exercendi certa munera, ad quæ neceſſaria eſt eruditio, cujus teſtimonium publicum accipiunt. Scholaſtica ſervitute exſolutos dixi, quia diſcipulus alterius fert nomen; nec ſi ſapit, ſuo ductu, ſed Magiſtri dirigitur; in eius verba jurat, & ejus ſe ſententiis addicit: quæ tanta eſt ſervitus, & quidem præſtantiſſimæ ac ſupremæ in homine facultatis, ut faſtidiens eam addictionem quiſpiam, *Serva pecora* appellarit, qui non auſint ab alienis ſenſis placitiſque diſcedere. Hanc igitur ſervitutem excutiunt, & per Doctoratum quaſi manumittuntur, qui a doctrina ſufficienter inſtructi deprehenduntur; nec ultra indigent ductu Magiſtri, ſed aliis potius dirigendis atque informandis idonei declarantur. Ex ea autem ſignificatione pilei, manavit concertatio, de qua Menardus diſp. *de jure Epiſcop.* cap. V. an excipere benedictionem a Judice pileato, pugnet cum exemptione, & benedicentis poteſtatem ſupra benedictos aſtruat, quia pileus videtur teſſera poteſtatis. Quanquam quoad Doctores, pileus tantum libertatis & poteſtatis teſſera eſt, de qua dixi. Decoratur pileus apice, ſive hapſo e ſerico, pro variis facultatibus colore vario; quia apex erat Flaminis geſtamen peculiare. Doctores autem quaſi inaugurati in Flamines ſapientiæ, quam ſancte & pie tractare debent, jam præmiſſum eſt. Hæc igitur eſt cauſa, aſſignati Doctoribus pilei inauguratione, ut notavit Stephanus Paſchaſ. lib. IV. *obſervat. Francic.* cap. VII.

Forma pilei Doctoralis apud varios varia eſt, Rotundum ſuo tempore fuiſſe, notat Petrarcha lib. I. *de remediis* dialog. XII. non ſignata tamen regione. Apud ſuos Cadomenſes eſſe rotundum, ſcribit Petrus Lenaudiere tract. *de privilegiis Doctorum* parte I. q. III. referens hanc tradendi pilei formulam: *Accipite biretum rotundum ad modum coronæ, in ſignum ſanctitatis & veritatis ac doctrinæ, ut tales ſitis in mente, quales fueritis in converſatione; nec a docendo ceſſaveritis, quia non coronabitur in regno cœlorum, niſi qui legitime certaverit.* Addit idem Autor, delectæ in pileo rotunditatis rationem: quia corona ſignum eſt perfectionis, cum ſit ſphæricæ figuræ, angulis carentis, in ſignum quod abſint ſordes, quas in angulis non deeſſe monuit Gloſſa Clement. I *de vita & honeſt. Cleric.* verb. *tonſuram*. Videtur eandem formam pilei innuere, quod Signorellus *de Homodeis* Conſilio XXIII. num. VII. tractans Doctoris & militis, uter utri præferendus ſit, prærogativas, vocat pileum Doctoris *diadema*, quod figuræ eſt ſemicircularis, & ſapit rotunditatem; quæ ex eo maxime capite accommodata videtur huic pileo, quod æternitatis Symbolum ſit: at Doctorum fama, æternitati adæquanda eſt, nec labefactanda cum tempore.

Nihilominus forma quadrata, cujus pleriſque locis eſt pileus Doctorum, non minus commodas aut minus fœtas myſteriis rationes ſuppeditat. Ut propterea, non modo Italis, (teſte Pancirolo lib. I. *Var. lect. juris* cap. XXIII.) ea figura in hoc pileo jam olim ſit probata, tametſi ſuo tempore in deſuetudinem abiiſſe non neget; ſed etiam Sinæ (ut ſcribit Nicolaus Trigaultius lib. I. *expedit. Sinicæ* cap. VIII.) eam formam in pileis litteratorum adamaverint, cæteris non niſi rotundorum pileorum uſu conceſſo. Et eſt ſane forma quadrata, ſymbolum immobilitatis & ſtabilitatis, ut conſiderat creditus Auguſtinus q. LII. & LXV. & S. Gregorius homil. XXII. *in Exech.* At Doctoris, qui vere id nomen impleat, doctrina, non eſt facile mobilis: omni quippe doctrinæ vento circumferri in vitio ponitur ab Apoſtolo; idque fortaſſis expreſſum voluit, qui Mercurium, diſciplinarum cœleſtium, juxta Manilium

lib. I. *Aſtronom.* ac etiam eloquentiæ & veritatis præſidem, cubicum & quadratum effinxit, ut ex Leonide refertur lib. I. *Anthol.* epigrammate ad Deos agreſtes: ubi Mercurium vocat πετραγλώχιν. Eſto vero, forma illa Mercurii quadrata, alio juxta nonnullos pertineat, ut refert Brodæus ad locum prædictum Anthologiæ: tamen ſenſus, quem ei ſubjicimus, non male quadrat. Eam ergo firmitatem & ſtabilitatem doctrinæ, forma pilei quadrata melius adumbrat quam rotunda: cum rotunditas ſit ſymbolum volubilitatis: ut propterea S. Auguſtinus *in Pſalm.* LXXXV. ſub initium, obſervaverit, pecuniam apud omnes gentes ſignari rotundam, quia facile volvitur, & ab uno Domino ad alium tranſit. Itaque qui propter probatam doctrinam ſententiæ præconceptæ optime inſiſtit, nec facile dimovetur de ea; (qualem par eſt eſſe eum qui Doctor publica autoritate renunciatur,) merito teſſeram doctrinæ accipit, non rotundam, ſed quadratam; quæ innuat, illum adeo firmum & ſtabiliter in doctrina conſtitutum eſſe, ut nullis adverſus flabris. nullo contrario impetu concutiendus ſit, nedum dimovendus, aut evertendus.

Hinc perſpicue deprehenditur, quanta ſit ſtoliditas eorum, qui pileum Doctoris caro emunt, male a doctrina, cujus teſſera pileus eſt, conſtituti. Quales innumeros jam ſuo tempore, orbem vacuis nominibus impleſſe, deplorabat Petrarcha lib. I. *de remed.* cap. XII. & XLVI. Abuſio ejus plane germana, qua plerique titulo tenus habentur Chriſtiani, quia Baptiſmi Sacramento initiati ſunt, & Chriſti charactere inſigniti, tametſi profeſſione & vita, nihil minus ſint quam Chriſtiani, quos cum ſimia perſonata merito confert Gregorius Nyſſenus lib. *ad Harmonium de notione Chriſtiani nominis.* Nec diſſimile eſt, quod de fele in nuptiali convivio refert Nazianzenus Orat. *de Epiſcopis*, & accommodat iis, quos Scriptura vocat paſtores & idola. Haud aliter ergo ſe habent, qui doctrina vacui, & titulo ac gradu quem emercantur indigni, vacuum Doctorum nomen præferunt; vaſa vacua, tametſi ſignata, ut Dæmoniacam vocem huc transferam, de homine non Chriſtiano, qui externum Chriſtiani ſignum uſurpaverat. Nihil talibus prodeſſe quæ oſtentant diplomata, nec poſſe Doctorum privilegiis potiri, ex Ancharano, Panormitano, Baldo, ac Felino confirmat Petrus Lenaudiere Tract. *de privilegiis Doctorum* parte I. q. XIII. Peccati mortalis tetra labe ſordere eam inſignium Doctoratus poſtulationem vel acceptionem, tradit Gloſſa Clement. *cum ſit*, de Magiſtris V. *honorem*, in quam etiam ſententiam alios adducit & ſequitur Bonus de Curtili Tract. *de Nobilitate* parte III. num. CVII. Verba quibus Joannes Ludovicus Vivaldus lib. *de perſecutionibus Eccleſiæ* id exponit, adſcriptu digna videntur. Recenſet ille inter Eccleſiæ perſecutiones, decimam, quæ exiſtit ab indigna Doctoris titulorum aſſumptione: & poſt expenſam ac illuſtratam doctrinæ parandæ in futuro Doctore neceſſitatem, concludit *§. porro quantis*: *Patet itaque ex dictis, quod gradus Magiſterii vel Doctoratus, non poteſt rationabiliter appeti, niſi prius qui talia ambiunt, ſub diſciplina labores & tædia multa ſufferant, & diſcant ab idoneis præceptoribus, quod poſtea alios docere valeant: quia teſte Vegetio in I. libro de re milit. cap. I. nemo facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit. Et per conſequens, reſponſio ad quæſtionem; & quod Doctores noſtri non excuſantur a laqueo culpæ mortalis, ſi indigne aſſumuntur ad gradum. Contra quos Gloſſa ſuper Matth. cap.* IV. *ait: Diabolus multos decepit, honore Magiſterii inflatos, quibus pro mercede ambitionis ſuæ, ſi pœnitentiam non egerint, apud Inferos dabitur* LUTEOLA, *non autem* Aureola, *quia talis convenit veris Doctoribus in æterna gloria.* Hæc ille; pro ſigno Luciferianæ ſuperbiæ ſtatuens, appetentiam Doctoratus, in eo qui vere doctus non ſit: Qui tamen in particulari, quoad gradum Magiſtri in Theologia, tot & tanta depoſcit, ut deſperanda fere videatur idoneitas ad eum titulum. Nam teneri, qui talis eſſe affectat, & Grammaticam, & Rhetoricam, & Dialecticam, & Arithmeticam, & Muſicam, & Geometriam, & Aſtrologiam, & naturalem Philoſophiam, & Medicinam, & Jura callere, late contendit. Neſcio an auditurus ipſemet; *Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras!*

Inferre præterea ex dictis de Doctoris pileo licet, quantopere peccent, qui pro pecunia Doctoris pileum & titulum indigno conferunt. Hoc in Medico & Theologo a peccato mortali non liberat, Cajetanus in ſumma V. *Doctor*, & Fumus *eodem* V. Et ratio eſt, quia ſunt Medici, ille corporum, hic animarum: ac proinde ingenti cum damno Reipublicæ proponuntur authentice, tanquam digni quibus fidatur, in curatione ægritudinum, ſive corporis, ſive animæ. Anceps vero nonnihil eſt Cajetanus, quem Fumus de more aſſectatur, an idem ſit pronunciandum de Doctore Juris Civilis. Eſſe tamen admodum veriſimile, peccare item mortaliter eos qui in jure civili promovent aperte indignos, uterque agnoſcit, & diſerte tradit Sa V. *Doctor*; habeturque etiam ex Quintiliano Mandoſio ad XVI. *regulam Cancellar.* q. XIII. & XIV. Nec ratio eſt obſcura. Proponunt enim ut dignos qui clientum cauſas ſuſcipiant, aut populis jura dicant, eos, qui præ imperitia præſtare revera talia non poſſunt. Unde fortuna, & non raro honor, ac vita Clientum, manifeſto periculo exponitur, quantum eſt in ipſis, atteſtantibus dignum eſſe ea munera obire eum, qui revera non eſt dignus. Inter ipſos Civilis juris peritos, peccati mortalis damnat conferre indigno gradum Doctoris in jure, Petrus Lenaudiere Tract. *de privil. Doctorum* parte I. q. XIV.

Inferri denique ex dictis poteſt dijudicatio agitatæ non ita multo ante controverſiæ, ſitne pileus Doctoris cucullo Monaſtico potior. Rem deſcribo ex Prato ſpirituali *de varia Chriſtiana hiſtoria ævi noſtri* num. LXXIX. Non ita pridem in Academia Arauſicana Promotor Hæreticus, Religioſi Ordinis deſertorem inaugurabat Medicinæ Doctorem. Et cum de more pileum ei imponeret, amplificata tantiſper formula; *Ego te*, inquit, *dono hoc pileo, potiore quovis cucullo*. Soluti ſunt in riſum, qui aderant Catholici, & inter ipſos Sectarios non nemo de his propudiis erubuit. Rubore ſane dignum fuit, cernere excucullatum hominem, captare inſignia Medici Doctoris, cujus profeſſio a ſtatu Clericali, ac Religioſo (juxta Canones) abhorret: vetantur enim cap. *Non magnopere, ne Cler. vel Monachi*, & cap. *ſuper ſpecula* eod. adire ſcholas Medicinæ, qui Eccleſiæ vel Religioni ſunt mancipati: Et vero ea inſignia doctrinæ non vulgaris adeo eviluerunt, præ eorum qui illa conferunt ſocordia & captantium averſa a recto mente, ut videatur univerſum negotium joco agi: Unum exemplum nuperum eſt in hanc rem luculentum. Notarius Avenionenſis ab elephantino Barritu nomen merito nactus, cogitavit promoveri in Juris utriuſque Doctorem,

homo

homo tricarum fori peritissimus, & de illis Metaphysicis Sophistis, quos Domnolus designatus in Episcopum Avenionensem depinxit suis coloribus, ut est apud Gregorium Turonensem lib. VI. *histor. Franc.* cap. IX. Canonum autem ac legum adeo ignarus, ut qui ne lineam quidem e Gratiani aut Justiniani voluminibus usurpasset oculis. Ut tamen ex uno tabularum forensium subsellio gradum faceret ad altiora cogitavit de pileo Doctoris obtinendo. Et cum in patria desperaret eum honorem, vigentibus inibi præclaris institutis, ad aliam apud Cavares Academiam iter arripuit. Interclusfo tamen ob luis timorem urbis aditu, ex pacto apud excubitores publicæ incolumitatis, deposuit pecuniam ad emercandum Doctoris titulum necessariam. Post paucarum horarum capedinem, nullo interposito examine, homo ejus loci prorsus ignotus, accipit diploma, quo renuntiabatur DOMINUS DOCTOR. Vel non intellecto (quippe Latine scripto) vel ne lecto quidem diplomate, novus ex Syngrapha publica Doctor quam citatissime regreditur Avenionem, ubi literis quibus Doctoris titulo decorabatur communicatis, deprehensus est Medici Doctoris, non Jurisperiti, ut expetiverat, titulo cohonestatus. Res cum effuso risu, multorum sermonibus disseminari cœperat, cum suasione amicorum consilium iniit eas literas premendi, & relegendi iter quod confecerat ad novum diploma exorandum, quo Juris utriusque Doctor renunciaretur. Et factum est ita, postquam pecuniæ summam novo titulo assequendo necessariam prodegit in umbraticum titulum; eodem modo & Artium Magister & S. Theologiæ Doctor ac Magister in sacra pagina renunciandus, si ad eos quoque titulos oculum adjecisset, pecuniamque convenientem appendere induxisset in animum. Hujusmodi tu pileum Doctoralem Promotor Asinissime, cum cucullo Monastico, totius sanctimoniæ indice componas & anteferas? Næ tu dignus cuculo pro cucullo proscisso, & pileo supra Simeonis pileum ventoso, religiosæ tesseræ anteposito.

SECTIO XI.

Integumenta capitis Sacrorum hominum apud Ethnicos.

FUERE Ethnicis, fuere Hebræis, sunt hodieque Christianis, sacra quædam Numini addictorum capitum tegmina, quæ consequenter ad hactenus recensita, operæ pretium est attingere.

Quoad Ethnicos, Suetonius lib. *de genere vestimentorum*, observat, Romanos triplex pileorum genus habuisse, Sacerdotum & Sacrorum hominum proprium; *apicem*, *tutulum*, *galerum*. Apicem, quem alias *pileum Epiroticum*, sive *Albanum* vocari ferunt, Straboni πῖλημα πυργωτόν. Dionysius Halicarn. lib. II. agens de Saliis qui sacra in Palatio celebrabant, ita describit: *Gestant etiam capitibus, quos vocant*, apices, *fastigiatos in coni formam pileos; Græci appellant* Κυρβασίας. Non est hæc apicis Sacerdotalis descriptio sic accipienda, quasi solus apex esset turbinatus & fastigiatus in coni aut metæ formam; aut quasi solum id genus pilei, nomen *apicis* proprium haberet. Nam etiam pileum lanatum, cui nomen *tutulus*, metæ figura erat. Et in albogalero, qui Flaminibus Dialibus usui erat, & ex pelle hostiæ albæ Jovi cæsæ conficiebatur, teste Festo, ac Gellio lib. X. cap. XV. Pontificales Codices exscribente, apex affigebatur virgula oleagina: ut proinde liqueat verum esse quod Vives lib. II. *Civit.* cap. XV. variis testimoniis demonstrat, apicem quandoque, non pileum totum sonare, sed pilei fastigium duntaxat, ac veluti hapsum. Qui igitur *apex* peculiariter dicebatur, inde a cæteris item turbinatis pileis secernebatur, quod pileum subtile esset, circa medium virga eminente. Eum pileum Flamines, amentis, *qui offendices* dicuntur, sub mentum adductis, religabant; cum ne excideret capite, tum ut pone pendere pro libito posset ac regeri: Cum alii Flamines apicem, duntaxat sacra obeuntes, gestarent; Flamen tamen Dialis eum semper gerebat, teste Appiano lib. I. *bellor. Civil.* & Plutarcho in *quæst. Romanis:* quod tamen ex iis quæ Gellius lib. X. cap. XV. ex Fabio Pictore & libris Pontificalibus excerpsit, limitandum est ad Flaminem sub dio existentem. Nam B sub tecto, liberum erat pileum deponere. Imo necessarium fuisse Flamini morituro illum deponere, ne insigne Sacerdotii esset inter feralia, observat superius Appianus. A pileorum gestatione, dictos *Flamines*, quasi *pileamines*, nonullorum sententia fuit, cui adscriptus est Pierius lib. XL. Alii tamen magis probant alias notationes, quas Vives loco allegato, & Lilius Gyradus *Syntagm.* XVII. pag. 458. proferunt; & omnes revolvuntur ad aliquid capiti impositum. Absurdissime vero Suidas V. ποντίφιξ Flamines Romanis dictos censet, quasi *flumines* a cura fluminis, sicut *Pontifices* a *pontis effe-* C *ctione* denominatos, multi sunt arbitrati. Quomodo hic apex ad tutulum se haberet, ac etiam ad galerum, sive albogalerum, a galeæ forma denominatum, & ex pelle hostiæ confectum, jam attigi.

Sed non est omittendum, fuisse qui Romanum tutulum confunderet cum Phrygio amictu, cujus est mentio apud Maronem eo versu:

Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.

Gyraldus Syntag. XVII. *histor. Deor.* hunc Phrygium amictum accipit de tutulo Romano; quem Fulgentius ad Chalcidium, ait fuisse pallium, quo Sacerdotes ad sacrificium accedentes caput tectabant. Sed melius antiquus interpres Juvenalis ad D illud Satyræ sextæ —— *Phrygio vestitur bucca tiara*, ostendit *Phrygium* fuisse tiaram, seu galeam Sacerdotis, quæ per malas veniens, mento subligabatur. Unde lux affunditur Valerio Flacco libr. VI. dicenti:

Subligat extrema, patrium cervice tiaram.

Nec non Senecæ, cujus illa sunt in *Thyeste* Actu IV.

—— *Hoc Phrygius loco*

Fixus, tiaras Pelopis

Quod autem Phrygium per malas veniens subligaretur mento, inde factum videtur, ut Andreas Balensis ex Hebræo Christianus, referente Petrio Nannio in *Notis ad S. Ambrosii expositiones in Exo-* E *dum*, dixerit; inaures quas Jacob una cum idolis sepelivit & infodit, non fuisse vulgares inaures; (quid enim illæ ad cultum idolorum, ut propterea idolis consepeliri debuerint?) sed fuisse hujusmodi tegmen capitis Sacerdotum, in cultu idolorum aures tegens, quales fuere apud Romanos infulæ; eaque inaurium interpretatione, exemptum sibi antiquum scrupulum profitetur Nannius. Sed non deest alia ratio scrupulum omnem eximendi, & inaurium cum idolis nexum monstrandi, etiamsi de inauribus vulgatis sermo esset, ut dicitur lib. *de Stigmatismo*, sect. II. cap. VII. post D. Augustinum F q. CXI. *in Gen.* & Epistol. LXXIII.

Apud alios Ethnicos certa signantur sacrorum hominum tegmina capitis. Summus Sacerdos Syriæ Deæ, qui solus erat purpuratus, aureo tiara usus proditur a Luciano libello *de Syria Dea*, cujus hæc sunt verba: *Sacerdotes ipsis multi eliguntur; quorum alii quidem hostias mactant, alii autem libamenta ferunt: rursus alii flammiferri vocantur, & alii aræ ministri. Vestis autem tota candida est, & pileum in capite gestant. Summus autem Sacerdos, alius ac novus unoquoque anno subro-*

anno ſubrogatur ; ſoluſque hic purpuream veſtem gerit , & tiara aurea redimitur . Sacerdotes Ægyptios & Æthiopicos , Diodorus lib. IV. *autor eſt fuiſſe Pileatos .*

Sacerdotes Perſarum ſacrificantes,Strabo lib.XII. ait geſtare ſolitos tiaras τοιλωτὰς καθηκύας ἑκατέρωθεν. Unus interpres vertit *filtraceas infulas ex utraque parte dependentes*.Repræſento contextum ex altera interpretatione . In Cappadocia , (etenim maxima eſt ibi Magorum multitudo , qui *Pyrethi* vocantur , & multa Perſicorum Deorum templa) non cultro , ſed ſtipite quodam mactant , tanquam malleo verberantes . Sunt & pyratheia , ſepta quædam ingentia in quorum medio ara eſt . In ea Magi , & cinerem multum & ignem perennem ſervant , & eo quotidie ingreſſi imprecationes faciunt , per horam ante ignem virgarum faſciculum tenentes, pileis infulis velati ex utraque parte dependentibus ; adeo ut vittæ labia contegant ac malas .

SECTIO XII.

Tegmina Capitis ſacrorum hominum apud Hebræos .

ALIUD apud Hebræos fuit tegmen ſacrum Pontificii capitis, aliud capitis Sacerdotum ; tametſi LXX. & S. Hieronymus, communi *cidaris* nomine utraque illa tegmina deſignant , ut novit qui de ea voce diligenter differit Ribera *in cap.* III. *Zachariæ a num.* XIV.

Pileum Sacerdotalem,(quem tamen Pontificibus quoque communem ſtatuit , ſalvis appendicibus de quibus mox, ſoli Pontifici propriis,)S. Hieronymus ita deſcribit in Epiſtola *ad* Fabiolam de veſtitu Sacerd. *Quartum genus eſt veſtimenti , rotundum pileum, quale pictum in Uliſſeo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa,& pars una ponatur in capite,hoc Græci & noſtri* τιάραν, *nonnulli* galerum *vocant , Hebræi Miznepſeth : Non habet acumen in ſummo , non totum uſque ad comam caput tegit , ſed tertiam partem a fronte inopertam relinquit : atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt , ut non facile labatur ex capite . Eſt autem byſſinum , & ſic fabre opertum linteolo , ut nulla acus veſtigia appareant .* Quid illud *in Ulyſſeo ?* Eraſmus divinavit hac in re aliquid jure a Mariano rejectum . Vera illius vocis notio eſt , porticus , in qua geſta Ulyſſis depicta cernebantur . Ulyſſem autem cum pileo depingi ſolitum , ex Plinio habetur lib. XXXV. cap. X. Nicomachus enim Ariſtodemi filius , Ulyſſem pileo primus operuit . Pileolus itaque qui in Ulyſſeo,multiplici Ulyſſis imagine exornato cernebatur , ſimilis ex parte erat pileo ſummi Hebræorum Sacerdotis , juxta Hieronymum . De eodem Hebræi Pontificis pileolo Joſephus lib. III. *Antiquit.* cap. VIII. alias XI. hæc in eandem ſententiam habet : *Super caput geſtat pileum , non faſtigiatum , neque totum caput comprehendentem , ſed paulo plus quam medium. Hic vocatur* maſna emphthes.*Eſt autem tali paratu , ut videatur vitta linea ſæpe in orbem replicata & conſuta,quam ſuperne alia tela integit,uſque ad frontem deſcendens , & per ſuperficiem verticis futurarum deformitatem occultans.Hic adaptatur accurate , ne inter ſacrificandum delabatur .* Corrupte codex Joſephi, non Latinus modo , ſed & Græcus , vocem Hebræam cidaris Sacerdotalis,ait eſſe *Maſna emphthes* , cum legendum ſit *Maſnephthes* , vel *Miſnephthes* , ut inveſtigato themate equo ea vox prodit , recte advertit Ribera *Zach.* III. num. XIV.

Cęterum aut appareat,quid cidaris Pontificia ſupra Sacerdotalem proxime ex Joſepho expreſſam haberet , audiendus eſt idem Joſephus, mox de proprio Summi Sacerdotis ornatu differens, & tegmen capiti ejus impoſitum , deſcribens . Sic porro habet Joſeph. *Pileo quali cæteri Sacerdotes, utebatur: ſuper quem extabat alius conſutilis , ex hyacintho variatus . Hunc aurea corona triplici ordine circundabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei , quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur* daccharus *apud Græcorum herbarios* hyoſcyamus. *Quod ſi quis,aut viſam aliquando non ſatis animadvertit , aut nomine tenus auditam de facie non novit , huic etiam deſcribere eam non gravabor. Herba eſt tres palmos ſępe in altitudinem excedens, napo ſimilem radicem habens ; vix enim hac parte eſt alia ſimilior ; folia vero apio . Hæc e ramis emittit calyculum ipſis inhærentem, veſtiturque tunica quadam, quam exuit fructu ad maturitatem tendente . Calyculus autem eſt,quantus articulus minimi digiti,circumferentiam habens , crateri ſimilem . Quod ipſum clarius faciam propter ignorantes. Ima ſui parte circa fundum dimidiato globo eſt rotunditate ſimilis , mox in proceſſu, paulatim coarctatur ; donec in extremitate rurſum dilatatus in labrum exeat , mali punici umbilico inciſuris ſimile , cui operculum orbiculare inhæret , quaſi de induſtria tornatum , eminentes habens inciſuras quas dixi , ut in malo punico , aculeatas , & in acutos mucrones deſinentes. Continet autem ſub operculo fructum per totum calyculum, herbæ Sideritidis ſemini ſimilem. Florem vero fert, qui papaveris videri poſſit. Ejuſmodi corona , ab occipitio circum tempora utraque procedebat : nam fronte iſti calyculi non ambiebant ; ſed ceu lorum quoddam latum aureum, quod Sacris characteribus Dei nomen inciſum habebat .*

Videtur Joſephus coronulas ſoli Pontificiæ cidari adſcribere , cum hic eas expreſſerit , non item deſcribens cidarim Sacerdotalem . Lyranus tamen *in cap.* XXXIX. *Exodi*, in Sacerdotali quoque cidari agnoſcit coronulas ; non quidem aureas, quales erant Pontificiæ , ſed byſſinas . Quod videtur diſerte habere Scriptura *Exodi* XXXIX. verſ. XXV. ubi ſic mandatur : *Facies & tunicas byſſinas opere textili Aaroni & filiis ejus , & mitras cum coronulis ſuis ex byſſo.*Quid clarius ? Et ex his Sacerdotum coronulis byſſinis , denominari potuere coronati . Qua ratione expedire fortaſſis liceat nodum , quem Proſper Stellartius in opere *de Coronis*, habuit pro Gordio, in D.Auguſtini ſerm. XIII. *de tempor.* Ait enim ibi S. Auguſtinus : *Tunc ille Simeon ſenex , famoſus , annoſus , probatus , coronatus , tunc cognovit , tunc adoravit infantem .* Hæret Stellartius, quomodo dictus Simeon *coronatus* . Hoc puto de multis Simeonis meritis accipiendum conſentanee ad locum ex *vita S. Epiphanii* §. de Philoſopho converſo: *O qui geſtas coronam, Epiphani* ! Id eſt , o vir multotum meritorum ! favet item locus in *vita Simeonis Sali* I.Julii de corona ſolitudinis toleratæ , & de corona animarum Deo oblatarum meritis & labore ſapientis illius fatui . Eſt enim corona Symbolum meritorum ; unde qui inibant conjugium , coronabantur in ſignum ſervatæ illuc uſque pudicitiæ , & victoriæ de hoſte interno, per conſervatam corporis integritatem . Ideoque , cum celebrabantur ſecundæ nuptiæ, præter alium apparatum , qui deerat , omittebantur quoque coronæ nuptiales, ut S.Chryſoſtomus tradit Tractatu altero *ad viduam juniorem* , ſive libro *de non iterando conjugio* pag. mihi 539. Erat ergo ea corona , in primis nuptiis, ſymbolum inſignis virtutis, & præclarorum meritorum , ob ſervatam ad eum diem caſtimoniam . Et ſimiliter qui multorum eſſe meritorum ſignificatur , poteſt dici *coronatus* . Qua ratione (ut dixi ,) Simeonem ſenem , multorum meritorum virum,dictum eſſe ab Auguſtino *coronatum*, alibi cenſui. Sed fortaſſis poteſt quoque ex doctrina propoſita, de coronato Sacerdotum Judaicorum capite , erui ratio alia ejuſdem denominationis . Non enim eſt improbabilem Simeonem fuiſſe Sacerdotem, ut S. Cyrillus Hieroſol. homil. *de occurſu Dom.* & S. Epiphanius l. *de Prophetarum vita* , tra-

diderunt; quamvis Maldonato & Jansenio secus visum sit, ob silentium Lucæ de ea prærogativa: quod tamen non est adeo firmum argumentum, ut probabilitatem sententiæ contrariæ prorsus excludat. Inhærens ergo ei sententiæ D. Augustinus, Simeonem inter Sacerdotes habere potuit, atque adeo *coronatum* denominare. Est enim sua Sacerdotio corona, juxta illud Rabbi Simeonis in *Capitulis Patrum: Tres sunt coronæ; corona Legis, Sacerdotii, & Regni: corona autem boni nominis, ascendit supra omnes.* Apud ipsos quoque Ethnicos, *coronatum*, idem sonare quod gerentem Sacerdotium, probat Paschalius lib. IV. *de Coron.* cap. XIII. ex eo quod Theopus apud Plutarchum *de Socratis Dæmonio*, jugulans Cabirichum Sacerdotem Tyrannorum fautorem, dixit; *Jace cum his, quibus es adulatus: Neque enim liberis Thebis, tu coronabere:* id est, *Sacerdotium geres.* Addit enim continenter; *Neque posthac sacrifices illis Diis, quorum Numina perjurio violasti, dum sæpe pro hostibus vota fecisti.* Tertullianus item lib. *de Idololat.* memorat aureas provincialium Sacerdotum coronas: & Prudentius corona repexum aurea Sacerdotem describit. Est enim regium quid, aut etiam regio principatu multo sublimius, Sacerdotii majestas: ut proinde mirum videri non debeat, auream coronam tametsi regium insigne, adscribi Sacerdotibus. Potuit ergo D. Augustinus, ei inhærens sententiæ, quæ Simeonem censuit Sacerdotem, denominare eum *coronatum*, quia vere apud Hebræos coronabantur Sacerdotes: sin minus omnes corona aurea, quæ summi Pontificis propria erat, at lanea, ut dictum est.

Pontificem autem Hebræorum, ob præcellentiam supra Sacerdotes reliquos, aurea corona splendere par fuit, ut quanto aurum lanæ præstat, tanto ipsum cæteris præstare Sacerdotibus, fieret manifestum. Celebrat magnifice eam Pontificiam Hebræorum cidarim, Siracides c. XLV. vers. XIV. quem locum ex Josepho proxime adducto, illustrat ibi Jansenius. Vocat Siracides tegmen illud Pontificium, *gloriam honoris*, id est, claritatem & veluti emphasim ac præcellentiam honoris, tantæ sublimitati merito debiti. Vocat præterea *opus virtutis*, sive *fortitudinis*; quia erat opus repræsentans autoritatem & potestatem Pontificiam. Addit fuisse *desideria oculorum ornata*, quia micabant in eo opere, quæ visum mirabiliter pascerent ac oblectarent. *Sic pulchra, ante ipsum* (Aronem primum Hebræorum Pontificem,) *non fuerunt talia usque ad originem.* Fuerunt tamen post ipsum pulchriora, ut mox attingam.

SECTIO XIII.

Quæ Nostrorum Pontificum, Cardinalium, & Episcoporum Capitis tegmina.

PONTIFICIA Hebræorum cidaris proxime tacta, non obscuram præferebat imaginem cidaris Pontificiæ Christianæ, ut dicitur, in præfatione ad opus de attributis Romani Pontificis, cui titulus *Corona aurea super mitram*. Continet enim Pontificium hoc insigne, triplicem coronam, supra simplicem Episcoporum inferiorum mitram. Inventum, ut plerisque visum, Bonifacii VIII. in quo multa mysteria detegunt Antonius Mazaronius libello *de tribus Pontificiis coronis*, & Car. Paschalius lib. IX. *de Coron.* cap. XIV. & lib. IV. cap. XXI. Fuisse tamen hoc gestamen antiquius, quam ipsi arbitrentur, nec a Bonifacio adinventum, vel (quod alii sunt arbitrati,) a Paulo II. primum inductum; sed a Paulo, cum exolevisset, fuisse revocatum, monuit Jacobus Cardinalis Papiensis lib. II. *Commentar. de rebus Pauli* II. Sed quando coronas hinc jampridem ablegavimus, non est in ista hærendum, sed obiter duntaxat dicendum, eam nunc, unico texto, mitram & diadema comprehendere, ad binas Pontificis potestates insinuandas: æque ac in Pontificia Hebræorum cidari, idem expressum esse, notavit Josephus lib. III. *Antiq.* cap. VIII. & attingit etiam Philo lib. IX. *de vita Mosis.* Sive autem operis majestatem: sive mysteria eo comprehensa quis attendat, vel perfunctorie; liquido deprehendet, tanto magnificentius esse hoc nostri Pontificis gestamen supra Aaronicum, quanto differentius, præ Hebræo Pontifice, nomen hæreditavit.

Sed his in præsentia dimissis, integumentum Pontificii Capitis quasi usuarium, est *camelaucus*: Ita legendum, non ut apud Suidam *camelauxin*; vel ut apud Bedam lib. III. *de tabernac.* cap. VIII. *camelaucum*, vel *calamacum*. Nec magis commode Achmet. Onirocriticus cap. CCXIX. vocat *calymauchium*. Etymologicon derivat eam vocem παρὰ τὸ ἐλαύνειν τὸ καῦμα, *quod prohibeat calorem.* A Beda supra, dicitur esse pileus, in modum parvulæ cassidis extensus supra summitatem Capitis. Hujusmodi ergo Capitis tegmine, uti solitum Romanorum Pontificem, scribit Anastasius in *Constantino Papa*, cujus magnificentissimum ingressum Costantinopolim, describens, ait: *Pontifex & ejus Primates, cum sellaribus Imperialibus sellis & frænis inauratis simul & mappulis, ingressi sunt Civitatem. Apostolicus Pontifex cum camelaugo, ut solitus est Romæ procedere.* Non videtur hoc tegmen capitis, tum Pontifici usuarium, aliud fuisse, quam pileolus purpureus, quo semper operitur; cujusmodi Camelauciis usos item Imperatores, docemur ex Constantino Porphyrogenito in *Chorographia*. Alterius materiæ erant, quæ eo nomine passim apud Italos donabantur Capitis tegmina, quæ Cedrenus in I. ita memorat: *Est & aliud genus Sportæ, quæ pilei loco capiti imponitur; Italis* Camela *dicta, unde &* Camelaucia. De Camelaucio pluscula Rosvedus in *Onomastico* V. *Camelauchium*

Secundum Pontificem, eminent in Dei Ecclesia Cardinales, ut late probat Manfredus lib. *de Cardinalibus* cap. VI. & Albanus *de Cardin.* q. VI. Cardinalibus ergo pileus & galerus ruber, concessus primum ab Innocentio IV. in Concilio Oecumenico Lugdunensi anno MCCXLIV. vel anno MCCXLV. (ut Spondanus in *Breviario* statuit,) in pervigilio Natalis Domini, creatis XII. Cardinalibus eo loco dignissimis, inter quos Hugo de S. Caro Ordin. Prædicatorum scriptis gestisque notissimus. Non desunt tamen, qui multo antiquiorem pilei rubri usum fuisse contendant, & initio omnibus Episcopis fuisse communem statuant. Ita Erasmus lib. III. *de ratione concionandi*; eo referens factum D. Augustini, qui repudiavit pileum *pyrrhum*, id est, *rubrum*; dicens talem byrrhum decere Episcopum; at non decere pauperem Augustinum. Ita vir Sanctus serm. L. *de Divers.* Verum neque D. Augustinus repudiavit pileum *pyrrhum*, ut absurde refertur: neque byrrhus, quem ob pretiositatem repudiavit, erat merum capiti tegmen, cujusmodi est hodiernus Cardinalium pileus, atque galerus. Æque extra rem est quod Pancirolus l. I. *thesaur. var. lect. juris* c. LXXXI. ait *byrrhum* significare pileum quadratum, quod probat ex *Actis S. Cypriani*, qui capite minuendus byrrhum deposuit. Sed quid hoc ad pileum quadratum, vel etiam ad pileum? Non minus absurde vetus Juvenalis Scholiastes ad illud Satyræ octavæ:

—— *Si nocturnus adulter*
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Existimavit his verbis significari, quem Græci Κόκκον, Latini *byrrhum* appellant. Absurde omnino. Nam *coccus*, granum est valde rubens, unde vestes *coccineæ*, vel neutro genere *coccina*, apud Martialem lib. II. epigr. XLIII. aut *cocceæ*, ut habet

lectio emaculata apud Jeremiam, eo versiculo, *qui nutriebantur in coccis* (vulgo minus, *in croceis*) *amplexati sunt stercora*. Quid igitur & cocco & Byrrho? cum coccus grani vel coloris nomen sit, byrrhus vero indumenti, quod poterat non esse pretiosum, quale semper est coccineum? Nam *byrrhum* fuisse quoque pauperibus accommodatum, Augustini proposita verba demonstrant, nec non Acta S. Deicoli cap. IV. & habetur etiam ex illo Persii Sat. I.

Scis comitem byrrhi tetra donare lacerna.
Nec non ex illo Ausonii *ad Drepanium*:
Nobilis horribili jungatur purpura burræ.

Burrum enim dicebant antiqui, Festo teste, quod postea *ruffum*, vel Græca voce *byrrhum* est dictum. Quanquam S. Gregorius lib. VII. *reg.* epist. V. *byrrhum album* in baptismo datam agnoscit. Denique in Cod. Theodos. cum habitus cuique pro conditione definitur, lib. XIV. l. *sine exceptione* tit. *de habitu*, in hunc modum legimus: *Servos omnium, (quorum tamen Dominos sollicitudine constat militiæ non teneri) aut byrrhis uti permittimus, aut cucullis.* Ubi vides, byrrhum aliquem, fuisse vile indumentum, & servis accommodatum. Esto, possint item dari byrrhi pretiosi, quales a se ablegat D. Augustinus, & a Monachis Isidorus in *regula* cap. XIV. nec non Cassianus lib. I. cap. VII. E contrario, Episcopis in usu fuisse byrrhos, legimus: ut S. Athanasio ex Palladio in *Laus.* cap. LI. S. Nono ex Actis Pelagiæ pœnitentis cap. XII. S. Brictio ex Gregorio Turonensi lib. II. *Histor. Franc.* cap. I. & ex Honorio serm. *de S. Brictio.* Item S Cypriani acta ferunt, cum plectendus esset, exuisse *byrrhum*; inde Dalmaticam, & sic in linea expectasse spiculatorem. Alibi dicitur exuisse se *lacernam byrrhum*. Ubi junguntur *byrrhus*, & *lacerna*, quæ Severus I. Dial. cap. XIV. discriminat, byrrhum rigentem statuens, lacernam vero fluentem. Erat ergo byrrhus in usu Episcoporum; proindeque potuit esse pretiosus: unde in Concilio Gangrensi cap. XII. compescuntur sub anathemate Monachi, qui palliis utentes, damnabant utentes byrrhis cum reverentia. Quod Cujacius ad lib. XI. Cod. tit. VIII. *de vestib. holos. byrrhos* fuisse sericas vestes censuit, quas Græci Βήρυς appellabant, ut ajunt Zonaras, & Theodoretus ab eo adducti, non placet: Cum byrrhum fuisse genus vestis, quod servile esse poterat, nec pretiosum necessario erat, sit demonstratum. Plura de byrrho Laurentius Landmeter lib. I. *de vet. Cler. Mon.* parte I. cap. XII. Salmasius *ad Vopisci Carinum*, Rosvedius in *Onomast.* V. *byrrhus*, Molanus lib. III. *de Canonic.* cap. VIII. Lælius Bisciola tom. II. *subsec.* lib. XVI. cap. VIII. & Pennotus l. I. *histor. Canon. regul.* cap. XXII. qui concludit *byrrhum* fuisse cappam cum caputio, cujuscunque demum esset coloris. *Palliolum* vocat Gregorius Turonensis agens de S. Brictio, qui in suo byrrho prunas collocavit ad innocentiæ suæ assertionem; ut suspicio esse possit, byrrhum fuisse pallium multo brevius, quale super albam tunicam gestant Episcopi. Qualecunque vero indumentum fuerit; (venit enim nomine vestis, & ejus definitionem admittit, ex Martiano Capella *de nupt. Philol.* lib. IV.) longe aliud fuit a pileo rubro, nec fuit solis Episcopis peculiare capitis tegmen, ut blaterabat Erasmus.

Pileum itaque & galerum rubrum, qui ex Innocentii IV. decreto, quod referebam, Cardinalibus in usu est, nunquam fuisse proprium Episcoporum, ratum esto. Quanquam aliquos Antistites, extra Cardinales, post Innocentium IV. id genus tegminis sibi arrogasse, intelligitur ex Pauli II. decreto; & pœnis in delinquentes statutis, ut Platina qui aderat, scribit in *Paulo* II. Usus tamen legitimus, Cardinalium duntaxat semper fuit: quos Martinus

A Polonus, qui Innocentii ævum attigit, testatur purpureo illo colore donatos, ut meminissent si res ferret, occumbendum sibi esse pro Ecclesia, & cervices gladio messori subjiciendas. Acris enim hyems a Frederici II. Imperatoris malignitate Ecclesiam infestabat, nec deerat Martyrii occasio. Eodemque revolvitur, quod ait Lodov. Vivaldus in *Opere Regali*, Tract. *de* XII. *persecutionibus*, in suasione ad Carolum de Carreto, creatum Cardinalem: *Pileus* (inquit) *rubeus datur Cardinalibus, quia igne amoris & charitatis, pro Ecclesia Christi ardere debent, & ex Charitate omnia facere, ut mente ac spiritu,*
B *etiam Martyrio non deficiant.* Idem fortitudinis & charitatis sive monimentum, ex attributo Cardinalibus purpureo colore, proponit S. Antonius III. p. *summæ majoris* titulo XXI. cap. I. §. II. & Ciacconius in *Innocentio* IV. Et eodem recidunt quæ in hanc rem profert Petrus de Alliaco lib. *de potest. Eccles.* part. I. cap. III. Possumus etiam meditari cum Facundo Hermianensi lib. XII. cap. IV. Zenonem Imperatorem admonente, purpuræ colorem significare flammam curarum, quibus perpetuo circundari debent Cardinales. *Si hoc ipsum* (ajebat Zenoni Facundus,) *quod tibi omnia licent, caminum esse tuæ probationis intelligeres, etiam ip-*
C *sius purpuræ, qua vestiris, specie, id est, colore, semper admonitus, velut in medio flammæ te crederes constitutum.*

Germanissima tamen ratio purpuræ Cardinalibus attributæ, petenda videtur ex significatione participii, aut potius viciniæ potestatis Cardinalium, ad summam & Regiam Pontificis in Ecclesia potestatem. Fuit enim purpura jam olim Regium indumentum: ut idcirco Constantinus Magnus, usum purpuræ Pontifici Romano in signum Regiæ potestatis attribuisse legatur, & eo privilegio caruisse Patriarcham Constantinopolitanum testetur Balsamon in prima Meleta: *quia* (inquit)
D *non coronatur loco Regni: & idcirco neque cocco tinctis calceis se spectandum præbet, alio privilegio veteris Romæ utitur.* Apud Nicetam Choniatem lib. I. *Histor.* Alexius datis purpureis calceis designatus est Imperator: similiter apud Nicephorum Gregoram lib. VI. Irene filia Alexii, quia destinata hæres Imperii, jubetur rubras inducere. Literæ rubro sigillo & serico munitæ & conchæ sanguine pictæ, propriæ erant Imperatoris. Videsis Nicetam Choniatem lib. I. *de gestis Manuelis* fere initio, & Georgium Logothetam in *Chronico Constantinopol.* Ipsi Domestici Imperatoris, ut spectare ad e-
E jus familiam agnoscerentur, Clavo purpureo vestem inoculabant, ut affirmat S. Dorotheus doctr. I. Ut ergo innueretur conjunctio Cardinalium cum Romano Pontifice, tanquam Ecclesiæ Principum cum Rege, donati sunt purpura. Et videre est apud Georgium Logothetam in *Chronico Constantinopol.* pag. mihi 399. Pelagium Romani Pontificis Legatum, (utique Cardinalem,) ante Innocentium IV. habuisse talaria purpurea, & vestem, ac sagum, ac etiam frænum purpurei coloris; in signum participatæ Regiæ in Ecclesia potestatis summi Pontificis. Eodem ergo spectat pileus, & galerus purpureus Cardi-
F nalium ab Innocentio IV. attributus. Nam vestem purpuream, communem omnibus Cardinalibus fecit post Innocentium IV. Bonifacius VIII. ut in *ejus Vita* asserit Ciacconius, & Hieronymus Albanus *de Cardinal.* q. VIII. quanquam plures tribuant Paulo II. a quo id statutum dicunt anno MCCCCLXIV. Sabellicus *Ennea* XI. l. VI. Platina, & Volaterranus. Quanquam Azor Tomo II. lib. IV. cap. III. q. XVIII. coccineum duntaxat pannum ad ephippiarium instragulum a Paulo Cardinalibus concessum tradit.

Et congruit ſane Cardinalibus veſtis eo colore, tum ob conjunctionem cum Summo Pontifice nunc tactam, tum etiam quia eorum eſt Duces agere in præliis Domini. At præliantibus & maxime Ducibus appoſita eſt veſtis rubra & purpurea, idque eſt quod Plinius lib. XXII. cap. II. coccum ait Imperatoriis dicatum paludamentis. Et ita olim tulit uſus, quod de Laconibus agens ſic tradit Ælianus lib. VI. *Var. Hiſtor.* cap. item VI. *Purpuram in præliis induere neceſſitas fuit. Color ipſe habet neſcio quid auguſti. Deinde fluorem ſanguinis e vulneribus occulit. Denique cum purpuræ aſpectus acrior ſit & terribilior, hoſtem percellere poteſt.* Sic recte eum locum, ab alio Interprete luxatum, exprimere par eſt. Carthaginenſibus pugnantibus idem color placuit, ex Silio, cujus illa ſunt lib. III.

—— Rubræ velamine veſtis,
Ars erat in pugna fuſum occuluiſſe cruorem.
His rector fulgens oſtro ſuper altior omnes
Germanus nitet Annibalis.

Iberos purpureis veſtibus in pugna amictos more patrio fuiſſe hoſtibus terribiles, prodit Polybius lib. III. Potuit ergo hanc quoque ob cauſam, præter aliam jam propoſitam, attribui Cardinalibus purpura, tanquam Ducibus in bellis Domini; aut Triariis in præliis Eccleſiæ, contra Satanam & Dei hoſtes.

Si quis malit ad dignitatem in Eccleſia veluti Senatoriam, uſum purpuræ Cardinalibus attributæ referre, non refragabor. Senatorum quippe Eccleſiæ munus, dignitate Cardinalitia conferri, Palæotus in Opere *de ſacris conſultationibus*, & alii tractantes de Cardinalibus, agnoſcunt. At purpura Senatoribus in uſu erat. Idque eſt quod Plinius lib. IX. cap. XXXVI. ait, purpuram diſtinguere ab Equite Curiam. Nec illud ab hoc loco alienum, quod Plinius ibidem ait, purpuram Diis placandis advocari, omnemque veſtem illuminare; nimirum quia prætexebatur. Addit Hieronymus Catena, differtatione de concedendo Cardinalibus e Religione aſſumptis, pileo rubro; qui inter Philoſophos ſapientiæ laude fuere celeberrimi, purpura eſſe amictos, Empedoclem, Hippiam, Gorgiam, Porphyrium, & alios: quod unde habuerit, mitto quærere. Hæc omnia ad purpuram Cardinalibus attributam, non difficile poſſunt accommodari; & nominatim ad pileum purpureum, cujus uſus ad Gregorium uſque XIV. negatus Cardinalibus e Monachiſmo aſſumptis, ad iſtos quoque ab eo Pontifice extenſus eſt anno MDXCI. Nono Junii.

In pileo Crux ſuperne efformatur æque ac in pileo Clericorum. Unde etiam monentur Cardinales, teſſeram hanc Regiæ ſuæ dignitatis, non minus Crucem & Martyrium præferre, quam coronam Regiam, cui nomen *Martyrii*, in ſcriptura inditum, notavit Procopius in lib. IV. *Reg.* ad cap. XI. Sane S. Carolum Borromæum, quo flagrabat Crucis amore, nunquam purpureum pileum ſuum Cruciatum deponere ſolitum: & in ipſa etiam ægritudine extremos trahentem ſpiritus, eo amiciri voluiſſe, produnt ejus Acta pleniora. De hoc pileo librum edidiſſe fertur Scapius, hactenus mihi non viſum.

Unum ſingulare pilei hujus privilegium proferunt aliqui, ut ſi alicui reo, dum ad ſupplicium deducitur, ſuper Caput ab obvio Cardinali imponatur, liber demitti debeat, effugiatque ſupplicium. Non ſecus ac olim Veſtales, referente Plutarcho in *Numa*, ſi caſu incidiſſent in reum morti addictum, exolvebant illum & ſubducebant cruciatibus. Tradunt quod dixi de Cardinalibus, Bald. in l. *addictos* Cod. *de appellat.* & ibidem Abbas & Salicetus & Paulus de Caſtro. Cepolla cautela II. Barbat. Tract. *de præſtant. Cardin.* q. IX. Jaſon §. *pænales* Inſtit. *de action.* Hippol. *de Marſil. ſingul.* CCLXXIII. Martinus Laudenſis Tract. I. *de Cardinal.* q. VI. & tract. II. q. XLVII. Felin. ad c. *quærenti de Offic. deleg.* Tiraquellus *de pœnis* cauſa LV. Marquardus de Suſanis tract. de *cœlibatu Sacerdotum non abrogando* c. IX. num. XXVI. Hieron. Albanus *de Cardinal.* q. XLII. qui unum adducit in contrarium Antonium Corſerum in *ſuis ſingularibus* verſ. *Cardinalis*, & ſingula ejus argumenta diſſolvit. Fatetur tamen Albanus, excipi crimina quædam, ut læſæ Majeſtatis & falſi; Idem de crimine falſi notant plerique adducti a Cenedo pag. 2. *Collectan. ad Decretales*, Collect. XXVI. & CXV. num. IV. ac. CXXXIX. num. X.

Cæterum quod de pileo rubro dictum eſt, æque aptari poteſt ad rubrum galerum, quo item utuntur Cardinales. Et ſimili galero rubro ob ſimilem finem donatum piiſſimum Regem Scotorum Willelmum ad Innocentio III. inſuperque enſe, ſcribit Hector Boethus.

Epiſcopis peculiare capitis tegmen eſt, viridis galerus & mitra. Utuntur quidem mitra alii quoque; ſed vel prout Epiſcopi, vel ex privilegio; quod in Abbatibus improbabat Petrus Bleſ. Epiſt. XC. & S. Bernardus ad finem Epiſt. XLII. Viridi autem galero utuntur ſoli Epiſcopi; ita ut in Clero Chriſtiano, hæc ſit nota gradus in religione ſublimioris, ſicut Petrus Bellonus lib. III. *obſerv.* cap. XXIV. notavit, apud Turcas, viridem tiaram eſſe majoris religionis inſigne, nec caligarum aut veſtium viridum uſum ulli concedi, præterquam iis inter ipſos nobilioribus, qui ad Mahumetem genus ſuum referre poſſint. Nolo ego ex adeo cœnoſa ſcrobe haurire uſum Chriſtianum, hac in parte vigentem. Sed malim dicere, viridem colorem admonere vigentis ſtudii, quod vividum ſit, nec marceſcat. Sicut plantæ quamdium virent, vigent; nec vel a colore ſub nube torrente tabeſcunt, vel ab uligine nimia putreſcunt. Quid ſi etiam viror, qui in herbis nota eſt propagationis, juxta illud *Geneſ.* I. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen*, commoneat qui ejus coloris galerum præferunt, non eſſe illis otiandum, ſed eorum eſſe, propagare ſobolem ſanctam Deo, in agro Eccleſiæ. Viderint vero quibus venuſtas muneris Epiſcopalis arridet, ne ſignificatum ſit illis, hunc eſſe virorem mox exſiccandum. Sicut corporea pulchritudo, mox marcens, caducitate fœni virentis, mox exſiccati, adumbratur in Scripturis, ut perpulchre proſequitur S. Ambroſ. III. *hexaem.* cap. VII.

Mitra Epiſcopalis bicornis, & patulo curvamine ſuperne hians, reſpondet pileo cornuto priſcorum Sacerdotum Ethnicorum, quem in Nabide, Ammonis Sacerdote, ſic deſcribit Silius lib. XV.

Ardebat gemma garamantide, cærula veſtis:
Ut cum ſparſa micant ſtellarum lumina cœlo,
Et gemmis galeam clypeumque accenderat auro:
Caſſide cornigera dependens infula, ſacros
Præ ſe terrores Divumque ferebat honorem.

Cornuta item erat Bacchi mitra, ut meminit Lucianus in *Baccho*: indeque Bacchus Κεράσφορος ſive *corniger* eſt denominatus. Non nemo mitram vocat *infulam*. Imo Hugo Victorinus lib. I. *de Sacram.* cap. LV. mitram, tiaram, infulam, pileum, pro eodem accipit. In rigore tamen, aliud fuit *infula*, aliud *mitra*. Infula enim erat faſcia lanea, partem capitis capillo tectam ad bina tempora aperiens, utrinque aſtricta ac dependente vitta; ut propterea vittæ & infulæ ſæpe confunduntur; in quam rem diſſerit copioſe & erudite Bernartius ad lib. V. *Thebaidos* Statii verſ DCLXXVIII. ac proinde idipſum

erat *infula* in Pontifice, quod *diadema* in Rege: Videsis Paschalium lib.IV. cap.XXII. At mitra aliter se habet, ut notum est. Non raro mitra *phrygium* dicitur. Ut cum S. Cœlestinus I. dicitur misisse S. Cyrillo *phrygium*. Baronius quidem anno CCCCXXX. id accipit de pallio, indice plenissimæ potestatis. Nicephorus autem lib.XIV. cap. XXXIV. id accipit de mitra. Nam eodem modo accipitur phrygium in edicto Constantini, quod agnoscit ea in parte Leo IX. Epist. *ad Michaelem & Leonem* cap.XIII. Item S. Isidorus lib.XIX. *Orig.* cap.XXXI. *phrygium* interpretatur, pileum caput protegentem. Optime Suggerius Abbas in *vita Ludovici Crassi: Circumdantes capiti ejus phrygium, ornamentum Imperiale, instar galeæ, circulo aureo concinnatum, imponunt*. Et optime quoque ex ipsis Græcis hanc phrygii notionem illustrat Eugubinus sub finem libri primi *contra Vallam* pag. mihi 263. Phrygium ergo a Cœlestino transmissum Cyrillo, est mitra phygio opere constans; quali fortassis post Constantini donationem utebatur Romanus Pontifex. Quod enim in eo donationis Constantini edicto, Balsamon *lorum*, cujus ibi quoque fit mentio, accipit pro mitra, recte rejicitur a Gretsero ad Codinum lib.I. cap.XVI. num.XII. Diserte enim in edicto illo, *lorum* secernitur a *phrygio*, quod mitram sonare non est dubium. Novum porro videri non debet, quod mitram a Cœlestino transmissam dicamus ad S. Cyrillum, cum constet Gregorium VII. transmisisse B. Anselmo Lucensi *mitram capitis sui, tanquam potestatem suam ligandi & solvendi*, ut refert Baronius anno MLXXXV. Similiterque Innoc. II. ablatam de capite suo mitram, capiti S. Malachiæ imposuit, indicem plenitudinis potestatis. Sic igitur sentio de phrygio ad S. Cyrillum transmisso, a Cœlestino Papa, quo postea usos S. Cyrilli successores, prodit Nicephorus. Ex quo vides, usum mitræ esse in Ecclesia perantiquum, quamvis recentius sit, ut auro, & attextis gemmis exornetur: quod non ante annos sexcentos accidisse, scribit Onuphrius in calce libri *de vocibus Ecclesiasticis obscurioribus*. Et sane mitra S. Sylvestri, Avenione Romam transmissa, linea erat & alba, eamque procedentem gestasse Eugenium IV. scribit in ejus Actis Platina. Et verisimile est fuisse mitram, qua ante phrygium a Constantino acceptum, utebatur S. Sylvester; vel certe fuisse mitram minus solemnem, & quasi usuariam. Qui autem scripsit, usum mitræ ante annos sexcentos fuisse Ecclesiæ incompertum, vel ex hoc exemplo satis revincitur. De significatione geminorum cornuum mitræ Episcopalis, varii varia statuunt. Petrus Gregorius lib.XV. *Syntagm.* cap.XII. existimat insinuari binis illis cornibus, necessariam Episcopo cognitionem utriusque Testamenti. Paschalius lib.IV. *de Coron.* cap.XXI. putat significari geminas dotes præcipuas, Episcopo consentaneas; scientiam videlicet & sanctitatem. Quo eodem jure dicere licet, significari charitatem in Deum & in proximum, Episcopi propriam quarto modo. Vel certe significari sui & aliorum curam. Eo quippe Blesensis serm.XL. refert binos cereos ardentes, quos ait adhiberi, cum Pontifex Romanus aliquem inaugurat. Quodcunque horum eligatur, perinde est ad rem nostram.

SECTIO XIV.

Pileus Sacerdotum & Clericorum.

RELIQUO Clero communis est pileus, quem etiam Episcopi extra solemnitates usurpant. Alicubi tamen non Clerus universus, sed soli Sacerdotes, aut qui in Clero eminent, jam insigniti sacro ordine, pileo utuntur. Ita servatur in Ecclesia Metropolitana Lugdunensi, in qua nulli infra Sacerdotes, sive in choro, sive extra chorum, conceditur usus pilei, præterquam iis e prima nobilitate Canonicis; (*Comites* passim audiunt, titulo ei gradui conferto,) qui jam subdiaconatu sint initiati. Cæteri omnes, ac ipsi etiam Comites nondum sacro ordine insigniti, nudis capitibus in choro adsunt, & domum nudis regrediuntur capitibus, ut me vir Doctus Comitis primarii frater Joannes a S. Albino admonuit. Affine est, quod item apud Gothos soli Sacerdotes, omnibus laicis exclusis, sunt pileati. Audi enim Jornandem lib. *de rebus Gothicis* num. XXXV. *Dicerus Gothus e Gothorum gente, elegit nobilissimos & prudentiores viros, quos Theologiam edoctos, fecit Sacerdotes, nomen illis* pileatorum *contradens: (ut reor,) quia opertis capitibus tiaris, quos* pileos *alio nomine nuncupamus, litabant: reliquam vero gentem,* Capillatam *dicere jussit; quod nomen Gothi pro magno suscipientes, adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur*. Viderit Curiosus Lector cui sano D. Augustini Codice frui contigerit, num tale quippiam de Africanis ab eo insinuetur, Tract. VII. *in Joan.* cum de seductione Christianorum agit, per adhibitum dolose nomen Christi. Nam noster quidem Codex fœde corruptus est, nec bonus sensus elici potest ex illis: *Novi aliquo tempore, illius pileati Sacerdotem, solere dicere, & ipse pileatus Christianus est*.

Forma pilei Clericalis, inter Christianos non est ubivis eadem. De extremis orbe toto Moschis, ita Sigismundus Baro Commentario *de rebus Moscoviticis: Sacerdotes vestitum prope laicorum habent, extra biretum parvum & rotundum, quo rasuram tegunt, pileum amplum contra calorem & imbres superimponentes: aut pileo oblongo ex castorum pilis, colore griseo utuntur*. Usus hujusmodi oblongorum pileorum, frequens est Clericis in oris Septentrionalibus. Alicubi forma pilei Clericali est rotunda, ut videre est apud Barbosam allegat. IX. Passim alibi usurpatur forma quadrata, quam pilei formam ad Clericos Christianos derivatam esse a Regibus Persarum, Armeniorum, ac Medorum, affirmat Pancirolus lib.I. *Var. lect. juris* cap.XXI. Persas quoque & Lydos Dynastas pileo quadrato usos, ait Caracciolus *ad regulam Theatinor.* parte II. cap. II. §. *pileus*, adducto Dionysio Halicarnasseo lib.III. Sed Dionysius non agit de tegmine capitis, sed de veste quam Lydis & Persis fuisse quadratam, (cujusmodi apud nos est Diaconorum,) observat Hadrianus Junius lib.I. *Animadvers.* cap XIII. Verba Dionysii rem clare conficiunt. Describens enim reditum Legatorum Ethruriæ, ad Tarquinium, ait eos attulisse *Principatus insignia, quibus suos Reges ornare consueverant; coronam Regiam, & sellam eburneam, sceptrumque in summitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro distinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum atque Persarum Reges gestarunt: nisi quod non quadrata, ut illa, sed figura erat semicirculi. Hoc vestimenti genus, Romani* togam, *Græci* τήβεννον *appellant*. Nihil (ut vides) apud Dionysium est, pro pileo quadrato ad Lydos vel Persas referendo. Allegantur vero in eandem sententiam a Pancirolo cap. illo XXI. Plutarchus in *Artaxerxe*, & in *Antonino*, Arianus lib. IX. *gestor. Alex.* Curtius lib.III. Athenæus lib.XII. cap. III. & Alexander Neapol. lib.I. cap.XXVIII. Sed quod hi autores de veste quadrangula dixerunt, cur ad pilei formam quadratam sit relatum, non adverto: Et fortassis ab hoc Autore in errorem impactus est, prior quem adducebam. Neque tamen inficior, formam quadratam in pileo Clericali esse

perantiquam. Argumentum ducit Caracciolus *ad regulam Theatinor.* parte II. cap. II. §. *pileus*, ex effigie Tertulliani, quæ eum pileo quadrato opertum exhibet, cui triplex pilula seu globulus, forte ad Trinitatis adumbrationem inseritur. Idem fere pileus cernitur Romæ, in perantiqua pictura S. Sylvestri, astante Sacerdote pileato. Item quod Pierius lib. XL. cap. *de pileo* ait, sua ætate renovatum esse pridem antiquatum Romanorum morem, pileos e frustis consutis concinnandi Sacerdotibus, si de Romanis Christianis, & quadratorum pileorum apud eos pro Clericis usu intelligatur, belle favet antiquæ formæ hujusmodi Clericalium pileorum: quicquid sit an usus ille sub ætatem Pierii, (hoc est, ante seculum) exolevisset, quod ægre admiserim; & fortassis a Pierio refertur non ad formam, sed ad materiam nostratium pileorum, ex pannis consutis concinnatorum.

Cur quadrata sit pilei forma, variæ causæ excogitari possunt. Plerique ad Crucis expressionem in pileo referunt: atque ita in Crucis formam, Clericalem pileum efformatum volunt. Qua ratione non aliqui duntaxat Clerici essent Cruciferi, sed omnes: contra quam apud Græcos, aliqui tantum a Cruce in pileis efformata dicebantur *Cruciferi Cardinales*, ut notat Spondanus anno MCCCCXXXVIII. num. XII. Facit vero ea Crucis expressio in pileo, ne unquam excidat Christi in quatuor orbis plagas Dominatus, per Crucem comparatus, ut philosophatur S. Prosper in Opere *de Promiss.* parte II. cap. X. exponens virgam nucinam Aaronis, & monstrans nucem continere septum medianum, in formam Crucis, quod Christi crucifixi dominatum in quatuor orbis plagas belle repræsentet. Videntur sic accepisse quadratam hujus pilei formam, ut sit formæ Crucis expressio, Homobonus I. part. tract. III. qu. VII. (referens tamen quatuor pilei angulos ad quatuor ligna, quibus Crucem compactam ferunt,) & Caracciolus *ad reg. Theat.* parte II. cap. II. §. *pileus*: inde admonens, & mane cum sumitur pileus, & vesperi cum deponitur figendum esse pileo osculum. Pierius ad quatuor mundi cardines, quadrangulam pilei formam refert, ut mox subjungam.

Quid si dicamus insuper, eandem esse hujus formæ quadratæ rationem, quæ quondam quadrati, quod viris aut ex muneris quod obibant debito, aut virtutis eximiæ decore perfectis, quondam supra verticem collocabatur? Hoc vero fuisse superstitum indicium, dixit Joannes Diaconus lib. IV. *vitæ S. Gregorii* cap. XXXIV. ita ut ex usu pictorum illius temporis, homo cui ea tabula appingebatur, significaretur adhuc vivere, & superstes posuisse alterius monumentum. Quod Alemannus differt. *de parietibus Lateran.* cap. VII. sexcentis priscarum imaginum testimoniis confirmari posse scribit; etiamsi perraro vita quoque functis adhibitum id genus ornamenti esse contigerit, more, erga viventes servato, ad defunctum quempiam, extenso, per oscitantiam vel imperitiam opponentium id genus ornamenti. Cum autem idem cap. IX. ex innumeris antiquis imaginibus confirmet, iis tantum, qui cum dignitate ac imperio essent, puta Pontificibus maximis, Episcopis, nonnunquam Monachorum Præsulibus, Imperatoribus, ac Regibus, qui cum potestate populis præsunt, adhibitam esse hujusmodi tabulam; quid vetat arbitrari, hanc fuisse veluti mortis aliquando consecuturæ monelam, quæ postea, ut fert abusio, in plerisque ad pompam ex necessario usu translatis, degeneraverit in umbellam solis Principibus adhiberi solitam? Mortis monelam dico, id est, operculum loculi condentis cadaver, qua plane ratione efformatur illud quadratum: (sic dicatur a quatuor angulis, tametsi revera erat altera parte longius, non exquisite quadratum.) Sicut ergo triumphatori pone assidebat, qui mortis & caducitatis fortunæ submoneret, ne efferretur; ita viro Principi, aut sub potestate constituto, dum viveret, & tumoris periculum ex potestate ingrueret, videri potest esse adhibitum illud quadratum, operculi mortuarii formam referens, quod mortis commoneret. Unde non male a Joanne Diacono dictum est *indicium superstitis*, quia defuncto supervacua foret ea monitio. Non video cur hæc conjectura debeat vana videri. Neque tamen obluctabor pertinaciter, si cui hæc sit tanquam nota præcellentiæ, eodem modo quo nunc umbella quadrata, considentibus viris Principibus superponitur. Nunc superponi dico, non quod sit usus novus aut recens inductus, sed quod nunc quoque vigeat, etiamsi jam olim usurpatus, ut sapienter monuit vir doctissimus D. Petrus de Maridat, in magno Concilio Regius Senator: Et constat. Id enim est, quod Judit. cap. X. vers. XIX. legitur eam adorasse Holophernem sedentem in conopæo, quod erat ex purpura. Ibi quippe non agitur de conopæo cubiculari, quale fuit de quo mentio est cap. XIII. ubi dicitur, Juditham abscisso capite Holophernis, disjecisse conopæum quod erat circa lectum, eoque obvolvisse truncum corpus Holophernis: sed capite X. agitur de conopæo, sub quo Holophernes audiebat adventantes. Et tale etiam fuit quod ab Athenæo lib. V. ex Masurii Callixeni Rhodii libr. IV. de Alexandria describitur in pompa Ptolemæi Philadelphi. Vox Græca quam Dalechampius expressit nomine *Conopæi* est οὐρανίσκος. Alii σκιάδιον appellant. Hesychius Κυκλοτερὲς Κάλλυμα. Servius contignationem *cælum* dixit. Quid si eodem pertinere dicamus, ἀκροστήριον in Julii Cæsaris æde ornatus majestatisque causa positum, Plutarcho teste. Non nemo *Cadurchum* dici putat eo Juvenalis loco Sat. VI. vers. DXXXVI. *violato pœna cadurco*. Sic nuncupavit peplum sive velum de quo agimus, eo quod ut est apud Plinium Cadurci Galliæ populi, exquisite in eo genere laborarent. Qui *apicem* quoque Flaminis Dialis huc transtulerunt, minus apposite sunt locuti; tametsi *apicem* absolute dici potuisse hoc conopæum, insinuat illud Claudiani:

Ædificetur apex, qualem non Lydia dives
Erexit Pelopi; nec quem struxere Lyæo.

Juxta Mercurialem lib. I. *Gymnast.* cap. I I. nomine *aulæorum* denotatur hujusmodi conopæum; quo spectat illud Flacci libr. II. *Serm.* Sat. VIII. vers. LIV.

Interea suspensa graves aulæa ruinas
In paginam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanus excitat agris.

Accipit hæc aulæa in hunc sensum vetus Scholiastes. Ait enim: *Aulæa sub cameris tendebantur, ut si quid pulveris caderet, ab ipsis exciperetur.* Consonat Servius ad illud lib. I. *Æneid. Cum venit Aulæis*, dicens: *In domibus tendebantur aulæa. Ut imitatio tentoriorum fieret, sub quibus bellantes semper habitavere majores: unde etiam in lectis hoc fieri, hodie conspicitur. Varro tamen dicit, vela solere suspendi ad excipiendum pulverem, quia tunc usus cameræ ignorabatur.* Longe alia ergo significatione usurpata sunt in eo sensu aulæa,

quam passim fiat, cum ea vox adhibetur ad ornatum parietum per tapetes sive peripetasmata denotandum. Quod quondam *aulæum*, vel frequentius *aulæa*, nunc Italis *Baldachinum* appellatur; alias *Pallium*, ut est apud Matthæum Villanium lib. IV. *Histor.* cap. XLIV. Gallis *Daiz* voce obtorta, a *dorso* vernacule *dos*. Nam ea vox ut scribit Mesnage lib. *de orig. linguæ Gallicæ*, tabulam designat superne opertam, ne pulvis in subjecta decidat. Morellus lib. *de insignibus Galliæ* cap. *de pallio*, huc accommodat pallium magno Galliæ sigillo circumpositum; & eam loquendi formulam *Rex suo Justitiæ lecto insidet*, id est, *sub pallio*. Quam dixi tabulam dorso primum appositam, in signum hominis quadrati, ut supra philosophabar, mutato primo situ quo ad dorsum locabatur superpositam ad præcellentiæ notam, originem præbuisse huic usui, haud invitus dederim. Et ab hominibus inter morales præcellentibus, is usus ad ipsam quoque divinam Majestatem inter nos exhibendam est traductus. Videmus enim super divinam Eucharistiam, cum circumgestatur, deferri umbellam, quæ vulgo dicitur *baldachinum*. Super altaria absque asservata inibi Eucharistia, ex usu est attolli hujusmodi umbellam, & operimentum quadratum. Cujus rei luculentum exemplum recitatur in Actis S. Theoctistæ Lesbiæ, cum agitur de altari in templo B. Mariæ in Insula Paro. Ex quibus colligitur, illud quod dicebam, quadratum, significasse videri viros illos esse tetragonos: qua ratione Methodius lib. *de virginat.* actione vitæ & consilio χερσί τε νόῳ τετραγώνυς *quadratos* dixit, viros perfectæ virtutis. Nec aliter Christianum perfectum, *quadratum* esse oportere, S. Gregorius tradit homil. XXI. *in Ezech.* Et affinia habent, Origenes, ligna arcæ quadrata ad Christianos sapientes accommodans, homil. II. *in Genes.* & qui eum expressit S. Ambrosius lib. *de Noe & Arca.* cap VI nec non Nyssenus lib. *de vita Mosis*. In pictura certe Lateranensi, Constantini Magni, quatuor virtutum distincte exhibitarum tetractis, capiti ejus imminens, expressa est, jussu Leonis III. Eodem igitur, symbolice (si lubet) referatur quadratum, viris præcellentibus appictum, & consimilis sit quadratæ pilei formæ causa.

Quærit porro loco supra allegato Pierius, quorsum in quadrata hujus pilei forma, desideretur fere semper quarta costa. Neminem quippe fugit, hujusmodi pileum e quatuor costis assurgere, quibus Crux integra extans efformaretur, nisi quarta introrsum mersa lateret. Rationem ducit idem Autor, ex significatione quatuor mundi cardinum per costas illas: unde quarta in plicam desidit, quasi describens polum, quem *sub pedibus styx atra videt, manesque profundi*. Ut ergo significetur, nos semper cœli memores esse oportere, ejus figura quadam caput contegimus. Quamvis autem supponamus cum aliis, quadrangularem formam pilei, Crucem exhibere, dici potest, Crucem non extare supra totum pileum, nisi imperfectam, ut significetur, nostrum esse adimplere quæ desunt passionum Christi, ut Paulus dixit. Esse, inquam, Clericorum, subjungere mortificationem suam, perpessionibus Christi, Physica vero ratio sic efformandi pileum, ut una costa subsidat, est, ut structura pilei sit firmior, nec costæ omnes concidant introrsum, & gravent caput.

Alio schemate mystico, pileum quadratum, quo in sacris duntaxat utuntur, expressere nuper Sinæ Neophyti; ut lego in *annuis litteris Sinensibus* anni MDCXVI. pag. 236. In quam rem est recolendum, quod supra attigi, apud Seres, sive Sinas, nefas, & saltem apprime inurbanum esse, A capite unquam esse nudo. Is enim est habitus eorum, qui ad patibulum rapiuntur. Itaque Sinæ Christiani, tunc tantum capita aperiunt, cum de peccatis confitentur. Tunc enim, ut se criminosos ac reos profiteantur, nudant capita. Cum ergo esset apud eos probrosum, quod Sacerdos sacrificans, esset aperto capite, institere apud Paulum V. ut pateretur eos servire consuetudini, nec Sacrificium dehonestari vellet nudatione capitis Sacerdotis sacrificantis. Annuit Pontifex, dummodo tegmen capitis, super Sacrum duntaxat & rem Divinam, usui esset; & a pro- B fano discreparet. Quare Neophyti novum genus pilei ingeniose sunt architectati, quod esset in superiori parte perfecte quadratum, & a vertice usque ad medium uniuscujusque e quatuor ejus angulis, pendente filo pretioso tripartito ornatum: ita ut in toto tegmine, appareant duodecim partes, ad invicem sejunctæ. Ad quamlibet partem, extat porta acu facta, Phrygio opere. Sic exhibere voluerunt Hierusalem sanctam in quadrato positam, & duodecim portis insignem.

Clausulam apponam, si obiter retulero potius quam discussero solemne dubium, de laicis, ad C sacra ministeria non destinatis, & ut est per se evidens, a literarum professione alienis, qui in quibusdam Clericorum Regularium cœtibus, sicut communi toga utuntur, ita & pileo. An is usus ad abusionem pertineat, jure ambigi potest, non modo quia a principio non fuit sic; sed etiam quia gestatio insignium probatæ doctrinæ, vel sacri ordinis, aut destinationis ad illum, non debet falsitate & reali mendacio laborare. Adhæc, origo hujus usus fuisse videtur superbia laicorum, affectantium supra gradum suum eminere, saltem externa specie; Et accessit mollities eorum, qui hujusmodi laicorum obsequia D propensiora captabant. Tandem in talium insignium doctrinæ vel ordinis gestatione, per laicos, non deest periculum implanationis simplicium. Nihil enim proclivius est, quam ut alii laici cernentes personam pileo Sacerdotali decoratam, adeant ad eam, tanquam ad alterius conditionis personam, consilia petituri, vel etiam exquisituri suam cum Deo conciliationem per Sacramenta, ad quæ conferenda inidonei sunt Religiosi laici. Et utinam nunquam evenerit, aut nunquam eventurum jure timeri possit, ne per immanitatem sacrilegii nunquam satis detestan- E dam, pullus onagri in superbiam erectus, refugiens agnosci quod est, tentet ementiri quod non potest. Indignitas est, falcem severitatis Apostolicæ merito interpellans. In ordine item Præmonstratensi, cum propter indistinctionem habitus fratrum Conversorum, sive laicorum, ab habitu cæterorum, extra essent scandala; Capitulum Generale anno MCCCVI. edixit ut scapulare conversum, efformaretur angulariter ad modum scuti, decisum antrorsum, æque ac retrorsum, usque ad cingulum; quæ forma procul abest ab ea qua cæterorum vestitus effingitur. Et cum aliqui conversi cappas albas, quæ illius ordinis Ca- F nonicis in usu erant, gestare cœpissent, rescidit eum abusum Capitulum Generale, & firmavit scissionem Gregorius IX.

Non videntur laici Templariorum dedisse occasionem talia timendi, & tamen cum inter eos aliqui vestem albam, militum propriam, assumpsissent, sic in eos decretum est in *regula Templariis* a S. Bernardo conscripta cap. XXI. *Hoc quod erat in domo Dei, ac suorum militum templis, sine discretione ac consilio communis Capituli, obnixe contradicimus, & funditus quasi quoddam vitium peculiare,*

culiare, amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli & armigeri alba vestimenta, unde veniebant damna importabilia. Surrexerunt namque in ultramontanis partibus quidam pseudofratres & conjugati, & alii, dicentes se esse de Templo, cum sint de mundo. Hi nempe tantas contumelias, totque damna militari ordini acquisiverunt, & clientes remanentes, plurima scandala oriri inde superbiendo fecerunt. Habeant igitur assidue nigra. Sed si talia non possunt invenire, habeant qualia inveniri possunt in illa Provincia, in qua degunt; aut quod vilius unius coloris comparari potest, videlicet burella. Nulli ergo concessum est, candidas chlamydes deferre, aut alba pallia habere, nisi nominatis militibus Christi. En quanto studio Templarii, initio probatissimi Religiosi suos laicos arcuerint ab usurpatione vestis proprie militum Templi absolute dictorum. Affine est, quod Claudius de la Sangle, Magnus Magister Ordinis S. Joannis Hierosolymitani in suo Ordine cavit quoad Donatos, (ut ipse loquitur,) sive Confratres, vetans, ne Crucem albam quadrimembrem deferrent, qua equites absolute dicti utuntur; sed non nisi trimembrem præferrent, dempto stipite superiori, ut habetur in *statuis Ordinis S. Joannis Hierosolymitani* tit. II. cap. XXXI.

SECTIO XV.

De Camelaucho, & cucullo Monastico.

JAM supra Sect. XII. attigi, quid sit *Camelauchum*, vel *Camelauchium*: (utrumque enim legitur in Glossariis.) Parvam Cassidem quæ supra capitis summitatem extendatur referre, dixit Beda lib. III. *de tabernac.* cap. VIII. Extendi vero etiam aliquando supra faciem, ita ut operta hujusmodi Camelaucho subduceretur prospectui aliorum, & in eum finem usurpatum esse a Monialibus, legimus in *vita Mariæ*, Neptis Abrahæ, quæ est inter opera S. Ephrem. Ibi cap. V. sic habetur: *Camelauchium quoque longum capiti suo, ut facies ejus velaretur, imposuit.* Et cap. IX. *Auferens quoque Camelauchium a capite suo.* Sicut ergo cucullis usas quoque Moniales, ut mox dicemus, ita usæ etiam sunt oblongis hisce capitis integumentis, quæ subducerent eas conspectui externorum. Antiquos item Canonicos almutia in eundem finem adhibuisse, quæ nunc Canonici seculares brachio immittunt, monstrat Molanus lib. III. *de Canon.* cap. V.

Commune permultis Monasticis cœtibus capitis tegmen est cucullus; & quam (*cucullam a cucullo* secernit Autor *Vitæ S. Deicoli* cap. II.) tamen *Cucullam* æque dicere liceat, cum Hieronymo in *Hilarione*, de quo ait: *Omnes divitias suas ei derelinquens, Evangelium scilicet, & tunicam saccineam, cucullam, & palliolum.* Mox etiam addit, jussisse S. Hilarionem, se sepeliri sicut vestitus erat, in tunica cilicina, & cuculla. Item S. Paulinus carm. XIII. *ad Cytherium* de homine Dei Martinianum naufragum excipiente:

Donumque tunicæ qua Sodalem ornaverat,
Geminat cucullæ munere.

Ennodius item lib. IX. Epist. XVII. cucullæ ad se transmissæ, tanquam religionem profitenti, meminit. Idem haberi in Manuscript. Cassiani libris, ait Ciacconius in *Onom. Cuculla* ergo, vel *cucullus*, plerisque, ut dicebam, Monasticis cœtibus est attributus. Cucullum S. Simeonis Stylitæ, missum ab ipso ad Leonem Imperatorem, Sergius Monachus dedit S. Danieli Stylitæ. Apud Abassinos, ex solius cuculli gestatione internoscuntur Monachi, cæteroqui profanissimi, ex Godino lib. I. cap. XXXIV. Apud S. Sidonium lib. VII. epist. XVI. quæ est *ad Chariobaudum Abbatem*, mentio est transmissi ad eum villosi cuculli nocturnalis, quo membra confecta jejuniis, inter orandum cubandumque dignanter tegerentur. Hinc vides, vocem *cuculli* non semper sonare solum capitis tegmen, sed vestem multo diffusiorem. De qua cuculli notione apud posteriores Monachos, plene autor *disquisitionum Monasticarum* lib. V. tract. III. disquis. I.

Proprie cucullus est tegmen capitis infantilis. Itaque ut Religiosi docerentur simplicitatem & mores quasi modo genitorum infantium, inductum est in usum Monachorum, gestare cucullum. Audi Cassianum lib. *de habitu Monachi* cap. IV. *Sunt quædam in Ægyptiorum habitu, non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia, quo simplicitatis & innocentiæ observantia, etiam in ipsa vestitus qualitate, teneatur. Cucullis namque perparvis, usque ad cervicis, humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus: scilicet, ut innocentiam & simplicitatem parvulorum jugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur. Qui reversi ad infantiam Christi, cunctis horis cum affectu ac virtute decantant, ut* Psalm. CXXXI. vers. I. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatus est super matre mea.* Eadem Nicephorus lib. IX. cap. XIV. infra adducendus. Hanc rationem attributi Monachis cuculli, S. Dorotheus doctr. I. num. XVII. jungit cum alia, ex beneficiis cuculli in pusionem deprompta. Sic igitur habet: *Gestamus & cucullum, quod symbolum quidem est innocentis animi, puri, & vere humiliati. Pueri enim infantuli & innocentes cucullum gestare solent, non viri perfecti. Nos autem præterea illum gestamus, ut malitia simus parvuli, (uti ait Apostolus;)* Nolite pueri esse mente, & sensu; malitia estote parvuli. *Quid vero est, parvulum esse malitia? Parvulus absque malitia est, etiamsi contemnatur, non irascitur: si honore afficitur, non in vanam gloriam effertur; si rebus suis spolietur, non dolet, neque affligitur. Parvulus enim est malitia. Non ulciscitur injuriam; non gloriam affectat inanem. Est etiam cucullus, divinæ gratiæ symbolum. Quoniam quemadmodum cucullus tegit ac fovet pueruli caput, ita & Dei gratia mentem nostram tuetur & fovet; ut majorum nostrorum monimenta testantur. Est igitur cucullus, signum gratiæ Salvatoris nostri Dei, mentem nostram tuentis, ac protegentis, nec non simplicitatem nostram & innocentiam, quæ in Christo est, circumfoventis, propter eos, qui nos quotidie vulnerare ac devorare conantur.*

Potuit præterea in cucullo Monachis assignando, haberi ratio vilitatis hujusmodi operimenti. Erat enim cucullus tegmen capitis simul & humerorum, aut etiam reliqui corporis, ad genua usque protensum, quo servi utebantur, & viles personæ: Cujusmodi etiam hodie sunt penulæ cucullatæ mulionum & rusticorum, præsertim pastorum, ad arcendos imbres & frigus repellendum excogitatæ. Sic apud Columellam l. I. cap. VIII. & lib. II. cap. I. legimus, usum Veterum tulisse, ut familiam haberent munitam Sagis cucullatis, adversus imbres & algores. Unde Martialis lib. X. epigr. LXXVI. expostulans de fortunæ iniquitate, *pullum cucullum* pro servili habitu posuit, dicens:

Pullo Mævius alget in cucullo;
Cocco mulio fulget Incitatus.

Mævius siquidem, vir bonus & Poeta, lingua utraque disertus, cucullo mulionico præ egestate utebatur; cum e contrario mulio, curator equi, cui nomen erat *Incitato*, splendidissime vestiebatur. Nam talis nominis equo, prius Cajus Caligula, præter cætera insani affectus argumenta, & destinatum consulatum, familiam illustrem, ac splendidam supellectilem assignarat, ut Suetonius cap. LV. memorat. Et ad eum equum & equisonem, alludere videtur sub Domitiano, mulionem vel agasonem aliquem splendide habente, Martialis. Vel certe designat aurigam nomine *Incitatum*; ut significatur l. XI. epigr. I. Expostulans, quod is coccineis vestibus, admodum pretiosis, uteretur, non cucullo, (sive ut Lampridius in *Heliog* appellat *cucullione*) qui fuisset mulioni convenientior, & humilitatem personæ ac conditionem servilem redolens. Et idcirco Tacitus lib. XIII. *Annal.* Neronem veste servili ad dissimulandam personam suam, amictum describens, exhibet illum, noctu percurrentem lupanaria, atro pallio, cum cucullione adopertum. Quod aliter dixit Juvenalis Sat. VIII. vers. CXLIV. Neronem sugillans sub Damasippi nomine:

——Quo si nocturnus adulter,
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Incommode igitur Suetonius *Nerone* cap. XXVI. has ipsas nocturnas Neronis discursationes describens, pileo & galero contectum proponit. Sed confirmat quod dixi, Capitolinus in *Vero*. Nam de similibus ejus discursationibus ait: *In tantum, vitiorum Cajanorum, & Neronianorum fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite, cucullione vulgari viatorio.* Id quod æque de spurcissimo Elagabalo, aut ut vulgus vocat Heliogabalo, notat Lampridius, dicens sic discursasse tectum cucullione mulionico, ne agnosceretur. Quem porro *cucullum Santonicum* vocabat Juvenalis, *bardocucullum* a Martiale dictum lego lib. XIV. epig. CXVII. alias CXXVIII. quod sic habet:

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum pænula nuper erat.

Libro I. Epigr. XLVI. alias LIV. vocat *Lingonicum*, a regione æque Gallicana, Lingonum. Componens enim versus suos cum versibus Fidentini, ait non minus internoscenda esse carmina a Fidentino sublecta, ab iis quæ ipsemet confecisset, & suis admiscuisset, quam internoscitur crassus & barbarus Lingonum bardocucullus, Tyrianthinæ purpuræ admistus. Id est sensus illorum versuum:

Sic interpositus villo contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Juvenalis Sat. VII vers. CCXXI. *Cadurcum* dixit, utique ab alia Galliæ Regione, in qua etiam in usu erat. Est ergo *bardocucullus*, idem quod *cucullus* crassus, & rupicibus ac petronibus, (qui fere sunt crassi ingenio & bardi) accommodatus. Unde a Martiali, opponitur *urbicis*, id est, Romanis purpuris, perelegantibus ac pretiosis. Cæterum bardocucullus, non sicut cucullus tegebat caput duntaxat, sed penulæ attexebatur, ulterius tegenti corpus; juxta illud de hoc ipso indumento apud eundem lib. I. epigr. XCIII.

Cerea si pendet lumbis & trita lacerna;
Dimidiaque nates Gallica palla tegit.

Quæ est bardocuculli Gallicani periphrasis. Fuit qui ad epigr. CXVIII. lib. XIV. jam allegatum, scriberet, bardocucullum esse pallium viaticum, attexto cucullo, a βάρδος quod Gallorum lingua *viam* sonat apud Hesych. inemendatum. Nam sana lectio, βάρδοι ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις. Hoc est, *Bardi vates apud Gallos*, de quibus ex vetere Glossario Heraldus ad librum IV. Martialis epigr. IV. &

A memoratus etiam a Lucano lib. I. illis carminibus:

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas,
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Alii a Bardaicis sive Bardæis militibus, quibus ea crassa penula cum suo cucullione usui erat, derivant hanc vocem: ut propterea *bardaicus cucullus*, aliquando dicta legatur, ut apud Capitolinum in *Pertinace*. Ut ut sit, constat ex dictis, bardocucullum & cucullum, fuisse humile & crassum vestis genus, accommodatum vilibus personis, ac servis privatorum vilioribus, ut Lipsius animadvertit, lib. I. *Elect.* cap. XXV. Videndus item Petrus Faber lib. II. *Semestr.* cap. XX.

B Ob hanc igitur causam, haud abs re, cucullus Religiosis Monachis attributus est, ut significaretur humilitas status eorum, & conditio servilis. Non dico Religiosum, respectu superioris, quem super caput suum habet impositum, annumerandum esse servis: quod recte diffitentur Suares Tract. VII. *de Relig.* lib. VI. cap. II. num. XVIII. & Basilius Poncius lib III. *Scholast.* cap. V. & qui

C contrarium existimantes, dominatum exercent in sacris cœtibus, Tyranni audiunt, Judice Joanne Sarisberiensi in *Polycr.* lib. VIII. cap. XXXVII. Hoc igitur non assero. Sed tantum contendo, Religiosos, respectu Dei, servire gloriosam servitutem, & humilem subjectionem profiteri: ac idcirco merito præferre servilem habitum. Et quia nemo potest duobus Dominis servire, ac qui se Deo in servum addicit, mundum & quæ mundi sunt, calcare ac despuere tenetur, propterea S. Germanus in *rerum Ecclesiastic. Theoria*, declarans mysteria habitus Monastici, ait cucullum significare, impleri a Monacho quod dixit Aposto-

D lus, *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*.

Tantum de fine attributi Monachis cuculli. Materia, tamen ubique vilis, tamen variis locis ac temporibus varia fuit. Lineam insinuant illa S. Hieronymi ad Heliod. *Caput opertum linteo, galeam non recusat*. Icones Monachorum Monasterii Susa Constantinopoli, talia linea amicula capitibus præferunt. Clare idem habet Nicephorus lib. IX. cap. XIV. agens de Tabenneliotis. Iisdem tamen laneum cucullum assignat Sozomenus l. III. cap. XIII. ubi præfatus, Monachos Tabennesiotas sub S. Pachomio aliud indumentorum genus

E assumpsisse, quam quo uterentur reliqui Ægyptii Monachi, nempe quoad totam complexionem indumentorum, numerat cucullum inter eorum vestes: *Caput* (inquit) *integumento, quod cucullum appellare solent, operiebant; quo ostenderent, se vitam perinde simplicem ac synceram degere, atque pueros lacte nutritos, quorum caput quod in membris, obtinet principatum, ejusmodi tiaris obvolvitur, uti tum tegatur ab æstu & frigore, tum undique foveatur*. Et mox: *Si quis cum ipsis habitare cuperet; ut primo omnium ad triennium gravioribus laboribus exerceretur; & ita eorum convictus particeps fieret*, mandavit: *Et ut vestiretur pellibus, & caput tiaris*

F *laneis tegeret: Has autem tiaras, tanquam punctis purpureis notari jussit*. Cujusmodi essent hæ purpureæ notæ, sic exponit Palladius c. XXXVIII. *Laus.* agens de Pachomio Monachos suos informante: *Fecit eis cucullas molles, tanquam pueris, in quibus etiam jussit imponi figuram Crucis purpureæ*. Quas *laneas tiaras* dixerat Sozomen. Palladius *molles* nominat, quales esse puerorum solent, hoc est, *laneas*. Ex qua etiam materia, Sidonius, Chariabaudo Abbati cucullum, his verbis transmittit l. VII. ep. XVI. *Per libertos tuos nocturnalem cucullum, quo membra con-*

fecta jejuniis inter orandum cubandumque dignanter tegeres, transmisi. Quanquam non opportune species villosa mittatur hyeme finita. Speciem villosam, atque adeo non lineam, sed laneam, cucullo hyemali conficiendo adhibuerat Sidonius. Sicut etiam S. Benedictus cap. LV. reg. alias LXII. indicit, *cucullam in hyeme villosam, in æstate puram, aut vetustam.* S. Danielis Stylitæ cucullum, ex pelle fuisse confectum narrant ejus acta. Vix autem arbitror hunc fuisse illum S. Simeonis Stylitæ cucullum, quem ab eo transmissum ad Leonem Imperatorem Sergius illius Discipulus non valens ad Leonem penetrare, tradidit S. Danieli, cui fuit pretiosissimus. Ac proinde vix eo usus passim esset S. Daniel. Non plura de cuculli materia.

Formam cuculli antiqui petere licet ex illis Nicephori verbis lib. IX. cap. XIV. *Capitis vero tegmen acuminatum, ut simplices sint, & injurias non vindicent, pureque & innocenter vivant, lactentium puerorum instar, quorum capita ejusmodi lineis mitris operiri solent, quæ partem, rationis principatum imperiumque obtinentem, tegunt atque fovent.* Expende voces illas *mitra*, & *tegmen acuminatum*. Evagrius I. *Histor.* cap. XIII. *tiaram* vocat. Ex quo patet, fuisse κωνοειδῆ. Et vero cucullus proprie dicitur de papyraceis illis involucris forma pyramidali, quibus pigmentarii & propolæ aromatum obvolvunt suas merces, juxta illud Martialis ad suum libellum lib. III. epigr. II.

Festina tibi vindicem parare:
Ne nigram cito raptus in culinam,
Cordyllas madido tegas papyro;
Vel thuris, piperisve sis cucullus.

Ubi Raderus, cum Scaligero ad Catullum, Scombrorum laxas tunicas e chartis subsannantem, *cucullum* dici notat, chartam sic involutam ut conum inversum exprimat. Talis ergo erat forma cuculli. Ejus longitudinem jam exhibui ex Cassiano, qui eum ait, ad cervicis tantum & humerorum confinia, fuisse demissum. Posterioribus tamen plerisque Monachis fuit protensior. In sancti namque Benedicti Anianensis vita, sic lego: *Monachos in habitu dissimiles, fecerat multorum consuetudo. Siquidem nonnullis usque ad talos cucullæ pendebant. Quamobrem Vir Dei, uniformem cunctis tenendum Monachis instituit modum; ut non amplius a duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere posset.* Ea mensura duorum cubitorum in cucullo probata est in Additione I. *ad Capitularia Regum Francor.* cap. XXI. Antiquum cucullum profanum, apud Gallos, dimidias tegentem nates, jam supra ex Martiale retuli.

De protensione ac forma cuculli Franciscanorum, acris & longa jam pridem est contentio. Verum est, initio S. Franciscum aliquando incessisse ritu Pastorali, aperto capite, capillis promissis, & diffluentibus; & verum item est, Minoritas eodem Pastorali modo incessisse usque ad S. Bonaventuram, qui Narbonæ in Comitiis Generalibus anno MCCLX. caputium tunicæ adjecit, ut habet Volaterr. l. XXI. *Anthr.* & Galesinius in *vita S. Bonaventuræ*, cap. IX. Ita igitur fere vestiebantur Minores, initio, ex usu S. Francisci: tamen & ipse S. Franciscus, & plane primi Fratres, usurparunt aliquando cucullum; de quo (ut dicebam) est contentio: quibusdam affirmantibus formam cuculli a S. Francisco usurpati, fuisse pyramidalem. Ita late Zacharias Boverius Tract. *de habitu Minorum*, qui adjunctus est Tomo I. *Annalium Cappuccinorum*. In quam rem profert multas antiquas picturas, & imagines musivo opere expressas; in Basilica Lateranensi, & S. Mariæ majoris, & alibi. Profert præterea oculatos testes ipsiusmet vestis S. Francisci, qui pyramidale ei vesti fuisse caputium testentur. Quæ narratio non est obnoxia cavillo, quo aliqui eum cucullum longiorem referunt ad laxatam per Fratrem Eliam, superstite S. Francisco, disciplinam, & immutatum præscriptum a viro Sancto habitum; ut ex Mariano habet Wadinghus anno MCCVIII. n. VI. Et præmiserat num. V. visum abs se Assisii, in æde Clarissarum unum, & alium esse in monte Alverniæ, ac etiam Florentiæ, ipsiusmet S. Francisci habitum, cujus caputium esset quadrata prope forma, tantisper acuminatum. In qua etiam sententia de vera forma Caputii Franciscani, est Frater Arturus a Monasterio, Autor *Martyrologii Franciscani* ad III. Augusti, tractans a §. X. de caputio pyramidali, assumpto a B. Matthæo Bascio. Fortassis non improbabiliter quis dixerit, S. Francisc. bardocucullum pastoritium & rusticanum ad sui contemptionem usurpasse, cui esset capitis tegmen acuminatum; eoque vestis genere ab initio conversionis assumpto, semper deinceps usum esse: sed interdum pro offerentium liberalitate, magis vel minus acuminatum & oblongum caputium habuisse: unde ea varietas extare potuit, quæ in antiquis picturis, ipsisque etiam Sancti viri vestimentis, ad hæc usque tempora asservatis, notatur. Sane F. Bonaventura Columbi, in *Apologia Seraphica* cap. X. ex antiquis picturis & vestibus huc usque asservatis, contendit, verum sancti Francisci caputium, ex quo is Religionem suam fundavit, fuisse rotundum, quale nunc habent Conventuales. Quod non videtur posse aliter extricari, quam eo modo quem attigi.

Non videtur quoque posse aliter expediri, quod apud Cardinalem Vitriacum habetur in historia cap. XXXII. Is in perillustri elogio quod contexit Ordini Minorum, hæc de illis verba habet: *Non utuntur pellibus, neque lineis; sed tantummodo tunicis laneis capputiatis, non cappis, vel palliis, vel cucullis.* Et poterat hic autor certa scribere, cum testetur se vidisse S. Franciscum; cum Ordine jam constituto, Ægyptum petiit, Evangelii disseminandi gratia. Quomodo ergo de S. Francisci cucullo litigatur, cum oculatus hic testis, neget suo tempore Minores, atque adeo ipsum S. Franciscum, habuisse cucullum? Sensus Vitriaci est, non habuisse Minores cucullum; per se (ut sic dicam) cohærentem, & a veste exemptilem, cujusmodi est cucullus Monasticus in plerisque cœtibus, & in plerisque familiis S. Francisci. Habuisse tamen cucullum assutum togæ, quem vocat *caputium*. Id quippe aperte admittit Vitriacus, eo ipso quod admittit tunicas Minorum sui temporis fuisse caputiatas. Contrarium late contendit F. Bonaventura Columbi in *Apologia Seraphica*, contra asserentes S. Franciscum fuisse aliquando Augustinianum, cap. IX. affirmans, omnia quæ proferuntur pro cucullo assuto togæ, spectare ad primum statum S. Francisci, cum vixit more Eremitarum secularium. Ex quo autem Ordinem suum instituit, habuisse caputium a toga sejunctum, quod probat ex verbis *regulæ Seraphicæ*, & ex nonnullis locis *Chronicorum*, ac ex antiquis statuis. Verum pleræque antiquæ statuæ & picturæ, aperte exhibent S. Franciscum, vel primos illos Minoritas, cum cucullis assutis, ut videre est in ea imagine S. Francisci, quam Joachimus Abbas spiritu Prophetico confici curavit, servaturque Venetiis, in templo S. Marci. Idem cernitur Assisii, in imagine Fr. Eliæ ad pedes Crucifixi. Et de plerisque ipsius S. Francisci antiquis iconibus, idipsum admittit idem F. Columbi. Testimonium

quoque prolatum ex Cardinale Vitriaco, qui S. Franciscum in Ægypto satis diu post constitutum Ordinem vidit, suffragatur cucullo consuto: ut proinde S. Franciscus, etiam jam Religiosus, videri possit in hoc fuisse varius: vel aliquos Minoritas, quos eæ imagines exhibeant, vel qui eas ad suum sensum aut gustum effici curaverint, jam ab initio a cæteris in hoc puncto discrepasse. Sicut negari non potest, deflexisse aliquanto post a prisca forma habitus Minorum, & ipsius S. Francisci Minores illos, quos Alvarus Pelagius, & ipse Minorita, ac summi Pontificis Joannis XXII. Pœnitentiarius lib. II. *de planctu Eccles.* cap. LXXVI. refert & expostulat, caputia habuisse usque ad nates protensa; & in ea visos existimatione esse, ut qui longius & diffusius caputiatus esset, Sanctior & religiosior haberetur, persuasione vana & insulsa. An vero omnes quoque Religiosæ propagines Ordinis S. Francisci, quæ nunc in Christi vinea feliciter sobolescunt, desciverint a vera forma cuculli & habitus S. Francisci, quod affirmat F. Arturus supra num. XVII. pronuncient alii.

Satis de Religiosorum cucullo, & de Caputio quod revolvitur in cucullum assutum togæ, vel unius cum ea texturæ. Nunc addendum est; Moniales quoque, jam olim, ob easdem causas, quibus Religiosi, usas esse cucullis. Ita enim habetur ex S. Athanasio libro *de Virginitate*, & ex Palladio in *Lausiac.* cap. XLI. cum agit de Anonyma Virgine, quam S. Pitirum divino monitu sibi prælatam agnovit. Etiam inter Moschos, Moniales cucullam induunt, ut scribit Sigismundus. Neque id absolute carpit Sanctus Hieronymus Epistola XXII. sub medium, damnans in quibusdam Sanctimonialibus fabricam cucullorum; idque annumerans iis, quæ mox vocat argumenta Diaboli; ineptiis, inquam, variarum muliercularum, speciem pietatis habentium, virtutem autem ejus abnegantium. Hieronymi verba sunt *ad Eustochium: Sed ne hoc ipsum tibi jactantiam generet, quod sæculi jactantiam contempsisti: ne cogitatio tacita subrepat, ut quia in auratis vestibus placere desiisti, placere coneris in sordidis: & si quando in conventum fratrum veneris, vel sororum, humilis sedeas, scabello te causeris indignam: vocem ex industria, quasi confectam jejuniis, non tenues: & deficientis imitata gressum, humeris ne innitaris alterius. Sunt quippe nonnullæ, exterminantes facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: quæ statim, ut aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium, & operta facie, vix unum oculum liberant ad videndum. Vestis pulla, cingulum sacrum, & sordidis manibus, pedibusque: venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. His quotidie Psalmus ille canitur:* Dominus dissipabit ossa hominum sibi placentium. *Aliæ virili habitu, veste mutata, erubescunt esse quod natæ sunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies Eunuchinas. Sunt quæ ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactatis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.* En quo loco habere videatur S. Hieronymus Sanctimonialium cucullos; ut illis utentes, jungat illis aliis adeo turpiter impingentibus. Sed dicendum est, S. Hieronymum ibi carpere duntaxat ostentationem fictæ sanctimoniæ, & hypocrisim, ex qua nonnullæ Sanctimoniales, vel certe Agapetæ, eo tempore, non ex communi cœnobii lege, sed ex privato studio vanitatis & singularitatis, assumebant cucullos. Qua ratione alia nonnulla, cum in viris, tum in fœminis reprehendit ibi S. Hieronymus, quæ pie obiri posse, non est dubium, ut nudipedem in patientia frigoris esse, hircinam barbam atque promissam præferre, & nigro amiciri pallio; catenis ad carnis macerationem assumptis gravari, crinem amputare virgines sacras, & nonnulla alia. Hæc tametsi per se pura & sancta, idcirco tamen ibi a S. Hieronymo sugillantur, quia ex vanitate fiebant, atque adeo favillacea Pentapoleos poma referebant, quæ oculis tenus poma, cinerescebant contacta, Tertulliano teste cap. XL. *Apolog.* Cæteroqui pleraque ex eis, pure & religiose obita, alibi effuse celebrantur ab ipsomet S. Hieronymo.

SECTIO XVI.

De Galero Pontificia benedictione initiato.

HIC, nudum Sectionis numerum consignasse contentus, transilio. Nam de hujusmodi sacro Galero, quæ hic brevius alias ac pressius dixeram, seponere visum est, eo quod justa tractatione postea sim executus illustrationem sacri illius ritus, eo Opere, cui titulus est, *Splendorum nascentis Christi emblematica insignia; Galerus Sole ac columba intextis, cum apposito gladio, Pontificia benedictione consecratus, in nocte Natalis Domini.* Ne ergo in Tractatione de Sacris tegminibus capitis, hunc galerum præteriisse videremur, retinere numerum capitum placuit, Tractatione in illud alterum opus dimissa.

SECTIO XVII.

De Sudario capita Mortuorum operiente.

PERCURRIMUS tegmina capitis quorumcumque mortalium superstitum. Nunc priusquam excedamus, attingenda sunt tegmina capitis mortuorum. Est enim eorum mentio Joan. XI. vers. XLIV. & XX. v. VII. Cum enim narratur resurrectio Lazari e sepulchro prodeuntis, dicitur *fuisse ligatus manus & pedes institis, & faciem ejus sudario fuisse ligatam.* Item cum narratur Apostolorum adventus ad monumentum Christi, nominatim annotatur, *sudarium, quod fuerat super tumulati caput, repertum esse, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* Quo utroque loco, linteum operimentum capitis hominis demortui, appellatur *Sudarium*. Itaque frustra Sopranis, tractatu *de re vestiaria Judæorum* disp. II. cap. I. §. III. expostulat, Sudarium, capitis tegminibus esse annumeratum a Sanctio in cap. XIX. *Actor.* num. V. Id enim ille de mortuorum capitibus vere pronunciavit.

Non assero omne Sudarium, fuisse ad usum mortuorum. Cum enim vox ipsa *Sudarii*, usum ejus ad tergendum sudorem aliosque superfluos humores naribus, oculis, ore effluentes præferat, nec is usus in defunctis habeat locum; liquet vocem *Sudarii* latius patere, quam ut ad mortuos restringi possit. Sicque videmus *Actor.* XIX. memorari Pauli viventis sudaria ab ejus corpore delata, quibus mira edebantur. Et idcirco S. Proclus or. XIX. (quæ est Pauli encomium,) ait Pauli Epistolas fuisse *salutis retia*; linguam, *Crucifixi tubam*; plagas, *universi orbis medelam*; Sudaria, *falces morborum*. Nec dissimiliter S. Nilus in *Ascetico*, præfert Regum diadematis hæc sudaria, quod diademata nunquam expulerint mortem, sicut fecerunt sudaria Apostolorum. Præterea *Lucæ* cap. XIX. servus piger & incurius, re-

fert Domino suo minam, quam ait se habuisse in sudario repositam. Suetonius in *Nerone* cap. LI. ait eum plerumque, ligato circa collum sudario prodiisse. Juxta Nonnum in Paraphrasi capitis undecimi ac vigesimi Joannis, vox *Sudarii* est Syrorum popularis, ad significandum cingulum capitis, Ζωςῆρα κεφαλῆς. Et a Theophilacto *Actor.* XIX. inde secernitur sudarium a semicinctio, quod sudarium capiti imponatur; semicinctium vero manu teneatur ab iis, qui *oraria* gestare non possunt: sicut sunt qui Consulares gestant stolas, sive *Gubia*. Ubi vox Græca ὠράρια sonat sudarium a semicinctio distinctum, & semicinctium tamen & sudarium Suidas φαλεόλιον esse dicit, Italice *faccioleto*. Verisimilius tamen est, semicinctium idipsum fuisse, quod Plautus *cincticulum* seu *cinctulum* appellat, vulgo *gremiale* aut *ventrale*, vel *Epigonatium*; cujus ad fasciæ modum præcincti, & per limbum manu prehensi, atque sursum absque solutione elati, usus operariis plerumque fit, ad humores detergendos. Diligenter de his Grammaticis minutalibus Lorinus, & alii Interpretes *Actor.* cap. XIX. vers. XII. & Vicentius Ricardus *ad Orat.* XIX. *S. Procli*; ac Jacobus Chiffletius *de Linteis Christi sepulchralibus* cap. V. observans Catullum *Setaba sudaria* celebrasse, a Setabi oppido Hispaniæ; cui olim in Europa, lini palma dabatur. In Sacris, *manipulum* pro *sudario* accipi multorum testimoniis firmat Steph. Durantus lib. II. *de Ritib.* cap. IX. num. XVI.

Non pertinent porro ad præsens institutum, pleraque sacra Sudaria, quæ memorantur in hac significatione; pro linteolo nimirum faciei extergendæ accommodato, *Strophiolum* passim appellant. Arnobius lib. II. a muci detersione vocat *mucinium*; unde Gallica vox *mouchoir*; sicut Italica *Fazzoleto*, a faciei detersione. Ejusmodi est sudarium Edessenum, quod Abagaro Toparchæ a Christo ipso submissum, impressa suæ faciei effigie, produnt Damascenus IV. *fid.* cap. XVI. & Evagrius lib. IV. cap. XXVII. Estque etiam ejusdem sudarii mentio in secunda Nicæna Synodo, actione V. Plura de eo inter tractandum anomalias sacrarum imaginum, cum de imaginibus non manufactis. Affine est, sudarium Veronicæ, Romæ in sancti Petri Ecclesia asservatum. Piam hanc Marronam, Christo in Calvariam tendenti, & undecumque sudore diffluenti, lineum capitis sui peplum, ad extergendam faciem porrexisse, & in eo imaginem faciei Dominicæ fuisse exquisite expressam, scribit Adricomius in *descriptione urbis Jerusalem* n. XLIV. & omnino multi quos notavit Malonius ad cap. I. Palæoti *de S. Sindone* num. XII. Scripsit tamen S. Brigitta lib. IV. cap. LXXXI. ex Christi ipsius revelatione, hunc sudorem exisse de Christi facie, *propter qualitatem rogantis Christum*, *ad consolationem futurorum*: quasi Veronica, ad solamen posterorum, sudarium porrexerit ea mente, ut Christus effigiem suam imprimeret illi linteo, etiamsi non egeret extersione, neque sudor extergendus ex divina ejus facie efflueret; quod ægre admittendum video, etiamsi ex abundanti, ea posterorum consolatio, proposita Christo videri possit.

Negabam hæc sudaria ad præsens negotium spectare: tum quia non fuere mortuorum, tum quia non fuere tegmina capitis simpliciter dicti, sed duntaxat faciei, quam operiebant, admota ad extergendum sudorem vel lavationem adhibitam. Et idem dico de sudario, quo obtectum Neronem prodiisse Roma, quatuor duntaxat comitantibus, scribit Suetonius, quod nuperus Scriptor de sudario mortuali accipit: quasi Nero habens se pro conclamato, tegmen mortuarium assumpserit. Qua ratione dicendum esset, eum reliquam quoque vestium, quibus defunctorum corpora amiciebantur, varietatem assumpsisse, quod liquet esse commentitium. Prodiit ergo cum sudario, non ut mortuus, sed ut lateret, & fuga non præpediretur. Atque ita illud sudarium est extraneum ab hac disputatione. Idem dico de sudario, quo dato S. Salvinus incendium Ambianense restinxit. Jacebat in lecto vir sanctus febribus æstuans, & injectis per Satanam flammis urbs pene tota conflagrabat; accurrentibus autem civibus, & adversus tantam calamitatem præsidium exposcentibus, tribuit vir sanctus sudarium suum, jubens ignibus objici: ad cujus objectum, illico flamma resedit. Neque de hoc sudario, (quippe minime mortuali) agimus.

Nobis hic vox *sudarii* usurpatur prout in re funebri habuit locum, ut notatum est ex Joannis cap. XI. ac XX. Ex eo autem cap. XX. manifestum est, sudarium a sindone corpus totum contegente aut obvolvente, esse secernendum. Nam seorsum linteamina exhibita sunt, & seorsum sudarium, quod fuerat super caput. Mira de isto refert Beda lib. *de Locis Sanctis* cap. V. ex relatione Arnulfi Episcopi. Inventum enim ætate Bedæ, & jussu Regis Saracenorum igne probatum, mansit illæsum; & eum cui hæreditate obtigerat, ditavit affatim. E contrario autem qui ejus possessionem præ aliis bonis neglexerat, ad extremam est redactus inopiam. Hoc sudarium, quod super Christi in sepulchro jacentis caput est positum, M. Attilus Serranus in *Syllabo reliquiarum*, quem adjunxit tractatui *de* VII. *urbis Ecclesiis*, ait asservari in Basilica Lateranensi. Verum cum Beda loco allegato addat, hoc sudarium habuisse longitudinis pedes octo, verisimile admodum est, visum nonnullis hoc capitis Christi involucrum illud ipsum esse, quod Vesontione apud Sequanos magna cum veneratione asservatur. Est enim ejus longitudo octo pedum. Taurinense autem sudarium (quod Alfonsus Palæotus cap. I. *de Sacra Sindone* vult esse hoc sudarium capitis Christi in sepulchro jacentis,) est longum pedes XII. Ac proinde sudarium Taurinense, aliud est a sudario quod fuerat super caput Domini; cujus longitudo a Beda assignata, quadrat exquisite in sudarium Vesontionense, ut Chiffletius supra cap. VIII. plenius confirmat; sumens tamen sudarium capitis, pro linteo alteram tantum cadaveris partem a capite ad pedes usque contegente, & superinducto toti antico corpori, sed tæniis ad collum religato. Quod autem institis supra hoc sudarium circumvolutis a collo ad imas usque calces, sola hujus sudarii pars faciem operiens & caput obtegens extaret, dici potuit sudarium obvolvens caput, & sudarium faciei resupinæ jacentis Christi. Circa quem tamen nihil in hac re factum est singulare, cum Joannes cap. XIX. vers. XL. diserte notarit, Sanctos pollinctores *accepisse corpus Christi* e Cruce depositum, *& ligasse illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire*. Itaque communi more, quo cæteri apud Judæos, involutum est sanctum corpus demortuum, quamvis in sindonis munditia, & sudarii pretiositate, potuerit esse differentia, sicut erat magna differentia in quantitate & pretio aromatum, pro varietate personarum, condiendis corporibus adhibitarum.

Hoc sudarium faciem ligans & super demortui caput positum, non est cogitandum ejusdem fuisse formæ, cujus velum illud breve, quod ex more morientium (ut loquitur S. Gregorius homil. XXXVII. *in Evang.*) S. Cassius Narniensis dedit assistentibus, ut sibi contra faciem tenderetur. Quali etiam velo Monachus Engolismensis, describens funus Caroli Magni, ait faciem ejus opertam fuisse sub Diademate. Et Græci, ut est in *Euchologio*, Sacerdotis

mortui faciem velant breviori illo velamine, quo panem & vinum ad futurum sacrificium contegi ex usu erat. Erit qui eodem referat operimentum madefactum expansum abHazaele super faciem Benadad Regis Syriæ, de quo II. *Regum* cap. VIII. vers. XV. Quamquam id operimentum, & ut vulgatus vertit *stragulum*, villosum pannum, superstiti injectum est, non demortuo. Quod autem faciei mortuorum superjiciebatur, panniculus erat ad faciem duntaxat operiendam, ne vel tetro objectu, vel incondito motu, spectantes offenderet, ad quod sat erat æquans faciem latitudo. At sudarium obvolvens defunctorum capita, erat multo amplius atque prolixius, iisque affine oblongis linteis, quibus pœnitentium sodalium, cum apud nos linteati incedunt, operiri capita undecunque, & ad pectus usque protendi ex usu est: nisi quod in istis, Sudarium hujuscemodi facco lineo, reliquum corpus operienti assuitur, quod in Hebraico mortuorum sudario non habebat locum; unde sudarium quod Christi demortui sacrum caput obvolverat, a reliquis linteaminibus separatim involutum, ab Apostolis est repertum. Et de hujusmodi sudario accipiendum esset, (si veritate niteretur,) quod Gregorius Papa apud Bedam in Opere *retractionum in Acta Apostolor.* ad cap. XIX. interrogatus a quodam Britanno, quid esset semicinctium, dixit, fuisse sudarium genus tegminis, quo caput ab Hebræis operiebatur, quod restringendum est ad capita mortuorum: Nam vivorum capitibus, tegmen illud non adhibebatur. Fuit Gregorius ille tunc Archidiaconus; postea superstite Beda, Romanus Pontifex, Gregorius II. potius quam Gregor. III. ad cujus initium pertigisse Bedam centenario majorem, existimat Card. Baronius anno DCCXXXII. Dixi ergo, responsum Gregorii, postea Papæ, circa semicinctii notionem, a sudario non discrepantem, si placeat eam admittere, accipiendam esse de sudario, quale proposui: quamvis revera non putem admittendam talem semicinctii notionem; cum semicinctium esset viventium operimentum, nec cingeret undecumque caput, ut ipse vocis cortex præfert: sudarium autem capiti tegendo in mortuis addictum, obvolveret illud omni ex parte.

SECTIO XVIII.

De Tegmine Capitis Sanctorum, Cælo illatorum.

NON agitur de operimento, quo Sancti in cœlo capita contegent. Nam in cœlo, beatos neque Sol per diem uret, neque Luna per noctem. Itaque non egebunt umbella, aut tutela capitis. Quinimo sub pennis illucentis sibi Solis justitiæ, erit sanitas, ut Malachias affirmavit. Multo sane liquidius esse debet, quod Sancti sint futuri in cœlis nudo capite, cum cætero corpore futuri sint nudi, ut recte statuit Lessius lib. III. *de summo bono* num. LXIII. & Antonius Ludovicus l. *de pudore* sub fin. Nam si Adam & Eva in statu innocentiæ nudi erant, & non erubescebant, quanto magis non erubescent beati in statu gloriæ, etiamsi investes plane sint, ac nudi prorsus? In ipsis Angelis, quos corporea specie exhibemus, Scripturæ & Patres, analogiam aliquam vestimentorum nostratium agnoscunt, & ut illis appingantur permittunt: videmus tamen semper pingi ac describi intectos capite, nec vel S. Dionysium, vel Tractatores Symbolicæ Theologiæ, inter alia corporea Symbola, quæ Angelis appingunt, recensuere unquam pileos, aut galeros, vel simile quodpiam Capitis tegmen. Itaque non est, ut dixi, hoc loco quæstio de cœlesti tegmine capitis Sanctorum. Nec est

A item quæstio, de tegmine Capitis, quod Sancti dum hic superessent, adhibuerunt. Usi enim sunt integumentis Capitis, receptis in oris quas incolebant. Et si alicubi non erat usus tegendi Capita, nudis erant Capitibus, quod dè Christo Domino pro more Judæorum, inter quos vivebat, receptum passim videtur.

Quod ergo hic exponendum suscipimus, spectat ad tegmina quæ passim videmus apponi Capitibus Sanctorum in picturis ac statuis. Passim quippe exhibentur Capitibus umbella radiante opertis,& veluti scuto fulgente contectis. Esseque hoc tegmen Sanctis peculiare usus docet. Nam quod Aleman-
B nus in dissertatione *de Lateranensibus parietinis* cap. IX. negat eam esse sanctitatis notam, difficile suadetur. Et quod unum opponit, de imaginibus Constantini & Salomonis; quorum neuter est probatæ in Romana Ecclesia sanctitatis, facile enodatur. Nam Constantinum, Græci passim, & Latinorum plerique habent pro Sancto. Salomonem quoque S. Ambrosius diserte *Sanctum* nominat, cui omnino multi, ejus pœnitentiam habentes ratam, sunt astipulati. Itaque ex ea sententia potuit orbiculatum diadema appingi Romæ Constantino, iis locis quos notavit autor Operis *de Sanctitate Il-*
C *lyriciana;* cum de Constantini rebus disserit. Et ex eodem sensu, Romæ in Sacello S. Sylvestri, ad ædem SS. quatuor Coronatorum, potuit Salomon eo orbiculato diademate insignis exhiberi, tanquam Sanctus, in eorum qui sic exhibebant sententia.

De hoc ergo Capitis Sanctorum tectorio, Josephus Scaliger *in Catalecta Virgilii* pag. mihi 475. approbante Henrico Salmuthio in *Notis ad Panciroli vetera deperdita* cap. *de fibula*, existimavit, aliud non esse, quam μηνίσκον, sive umbellam lunatam, capitibus statuarum impositam apud Ethnicos, ne avium stercoribus inquinarentur. Quod damnum sibi ab albis corvorum stercoribus, impre-
D cabatur Horatianus Priapus. Adducit in eam rem Scaliger, locum Aristophanis in *Avibus*, ubi Scholiastes ita expressit hanc vocem; tametsi quod notavit Henricus Stephanus in *Thesauro* V. μηνίσκος, apud Aristotelem, Polybium, Hesychium, & alios, vox illa non sonet quod ex Aristophane præmisimus. Hunc usum brevi umbella contegendi statuarum capita, a statuis extantibus, ad imagines, pictorum errore & Catholicorum (scilicet,) ruditate, transisse, pronunciant prædicti sectarii, sugillantes Ecclesiam, quæ tanquam honoris causa approbet, vel sinat apponi super Sanctorum Capita, quod a Gentilibus inductum primo est, ad averten-
E dam idolorum suorum inquinationem, per avium stercora. Annuit Favinus l. III. *theatri* pag. 564.

Negari non potest, quin aliquando Patres Ethnicis exprobraverint eam simulachrorum fœdationem per avium stercora. Lactantius lib. II. *Instit.* cap. IV. aves, quas Ethnici terrore falcis, alteriusve Priapo adjuncti abigi existimarent, simulachro illi fabrefacto, ac cæteris insidere, & ibi nidificare, sordesque egerere, subsannans dixit. Arnobius item lib. VI. *Non videtis sub istorum simulachrorum cavis, stelliones, sorices, mures, blattasque lucifugas nidamenta ponere, atque habitare? spurcitias huc omnes, atque alia usibus accommodata conducere, semirosi*
F *duritias panis, ossa in spem tracta; pannos, lanuginem, chartulas, nidulorum in mollitiem scilicet, & miserorum fomenta pullorum? Non in ore aliquando simulachri ab araneis ordiri retia, atque insidiosos casses, quibus volatus innectere stridularum possint, impudentiumque muscarum? Non hirundines denique intra ipsos ædium circumvolantes tholos, jaculariter stercoris plenas; & modo ipsos vultus, modo numinum ora depingere, barbam, oculos, nasos, aliasque omnes partes, in quascumque se detulerit deonerati pro-*

A *luvies podicis? Erubescite ergo vel sero, atque ab animantibus mutis, vias rationis accipite: doceantque vos eadem nihil numinis inesse simulachris, in quæ obscœna ducere neque metuunt, neque vitant; leges suas sequentia & instincta veritate naturæ.* Eo igitur spectasse vult Scaliger, operculum illud capitum statuis appositum, ut arceretur inquinatio ab avibus: & inde manasse ad Christianos abusionem similis tegminis, Capitibus Sanctorum, non expressis tantum, sed etiam pictis apponendi.

Hoc stercoreum spurciloquium, procul amandandum est. Neque enim vel Ethnici tegmen statuis imposuere ad abigenda ab avibus conspurcamenta; vel ullus Catholicorum cogitavit unquam,
B de hac Capitis Sanctorum tutela, ad arcendas sordes ab avibus prætervolantibus, aut insidentibus. De Ethnicis res est perspicua, quia si id intendissent, oportuisset eos non summo duntaxat vertici tegmen adhibere, arcens avicularum fœculentias, sed etiam toti faciei, ac reliquo corpori inducere, aliquid aptum tegendo simulachro, quod undecumque conspurcari contingebat, ut modo ex Arnobio audivimus. Deinde ut notavit S. Isidorus lib. XIX *Orig.* cap. XXXI. Ethnici circellum illum dixere *nimbum*. Id quod etiam habet Servius ad illud tertii *Æneidos:*

C *Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.*

Idem habet ad librum II. ejusdem Operis, ubi de Pallade Tritonia, quæ summas arces jam insederat, nimbo effulgens, & Gorgone sæva. Spectabant ergo in eo circello adhibendo Ethnici expressionem nimbi effulgentis, ut ætherium & cœleste quippiam insinuarent; non autem ut spurcitias a simulachris prohiberent. Quomodo vero umbella superponi potuit aut debuit, ad avertendas sordes a capite statuæ, in illo idolo quod S. Augustinus tract. VII. *in Evangel. Joannis* ait fuisse pileatum? Idolum quippe fuisse constat, quia habebat Sacerdotem, & ita recte agnoscunt ad eum locum
D Lovanienses, qui quod *paleatum* putant legendum, id est, paleis contectum, vel paleis opertum, non consonat cum vetustis Codicibus: ut nec lectio ingesta ab aliquibus, qui volunt legi, *palatum*, id est, *cœlum*, ex usu quorundam Latinorum, de quo D. Augustinus lib. VII. *Civit.* cap. VIII. ita ut sensus sit, Sacerdotem *Palati*, id est, Dei cœlestis Afrorum, seducere simplices; fingendo, bene Deo suo cum Christo convenire. Qua ratione, idolum, de quo D. Augustinus agebat, non fuisset pileatum. Sed, ut dixi, ea lectio dissonat omnibus antiquis Codicibus, qui constanter legunt *pileatus*, vel per librarii errorem *pilleatus*.
E Capiti itaque Idoli pileati, non timebatur conspurcatio per aves; ac proinde non eguisset ad eum finem umbella Scaligeri, sed aliquis alius erat usus operculi, statuis Numinum apud Ethnicos appositi. Liquida vero præsertim est inanitas Scaligeriani commenti, in imaginibus non extantibus sive eminentibus, cujusmodi sunt imagines pictæ, quibus ridicule apponeretur hujusmodi aliquod Capitis tegmen. Accedit quod in templis rite obseratis, non plus timendum fuisset Capitibus idolorum, a stercoribus avium, quam nunc timeamus operculis Capitis nostrarum statuarum Sacrarum; quæ opercula,
F quis unquam questus est conspurcari ab avibus?

Quod ergo notavit Lazius lib IX. *commentar. Reipub. Rom.* cap. XIX. apponebant Ethnici statuarum Capitibus circulum, specie dimidiæ sphæræ, tanquam coronam. Sic enim in hanc rem philosophatur, describens varias formas statuarum: *Cum ahenea Sphæra statuæ, ut hodie simulachra Sanctorum exprimuntur; supra quorum capita circulis semisphæram referens nectebatur, quod & ipsum erat coronationis statuarum genus, a Christianis postmodum receptum, & simulachris, quæ Martyribus & Sanctis Dei, ob merita in religionem ponebantur, impositum.* Meminit Marcellinus lib. XVII. de obelisco e Thebis Romam perlato a Constantino, sic locutus: *Per arduum inane protentus, diuque pensilis, hominibus millibus multis tanquam molendarias rotantibus metas, cavea locatur in media; eique Sphæra superponitur ahenea, aureis laminis nitens; qua confestim vi ignis divini contacta, ideoque sublata facis imitamentum in figura æreum itidem in auro imbracteatum, veluti abundanti flamma candentis.* Idem lib. XXV. sub fin. *Antiochiam venimus, ubi per continuos dies veluti offenso Numine, multa visebantur & dira, quorum eventus fore luctificos, gnari rerum prodigialium præcinebant. Nam & Maximiani statua Cæsaris, locata in vestibulo Regiæ, amisit repente sphæram æneam, formatam in speciem Solis, quam gestabat.* Ad hujusmodi coronas, sive Solares, quibus majores nostri Sanctos Dei expresserunt, alludit etiam Vellejus Paterculus, his verbis de Octavio Cæsare scribens: *Cui adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia. Et cum intraret urbem, solis orbisque super caput ejus curvatus æqualiter circumdatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.* Et sic patet causa, (concludit Lazius,) *quamobrem in hodiernum diem Sanctorum imagines cum tali semicirculo & pinguntur & sculpuntur.*

Prædictum ergo morem Ethnicorum, pie æmulatam esse Ecclesiam, Sanctorum Capitibus radios aut coronas superponentem, censet Lazius. Neque enim refugit Ecclesia, sicubi deprehendit inter sordes Ethnicismi aliquid honestum & utile, exprimere illud imitatione, vel potius ab iniquis possessoribus repetere ea, quibus illi abutebantur; & in usum pium convertere, quod multis exemplis illustrat Baronius ad annum Christi XLIV. sub finem, & Martinus a Roa, lib. *de die Natali* cap. I.

Teguntur itaque Sanctorum capita tectorio referente coronam gloriæ, qua potiuntur. Si enim reducibus e navigatione, imponebatur *corona salutis*, de qua Paschalius lib. II. *de Coron.* cap. IX. sub fin. quanto justius coronantur Sancti, tot perfuncti periculis in hujus vitæ mari? Plane hæc est *corona felicitatis*, de qua idem lib. VII. cap. VII. & *corona gloriæ*, ac *diadema speciei* apud Isaiam: nec non corona Cruci olim circumpingi solita, ex S. Paulino epist. XII. ad quem locum multa & bene Rosvedius. Significabat autem ea Crucem cingens corona posteriores glorias, ad quas per Crucem pertingitur. Et quia umbella capitis Sanctorum, cœlestem Coronam significat, idcirco ea Corona passim appingitur radiata, ut insinuetur gloriæ splendor, quo Sancti potiuntur ex Dei visione, & perventione ad optatam requiem, post labores. Sicut enim plerisque Sanctorum, jam ex hac vita, dum in tantis tenebris reptarent, facies radiavit, perspicuo argumento splendoris interni, ut variis exemplis declarat Bosius lib. XV. *de signis* cap. V. estque manifestum de Moyse, cujus facies cornuta, id est, radians visa est, ex consortio & familiaritate cum Deo: Ita iisdem Sanctis, in plena jam luce constitutis, merito appingitur ea gloriæ emphasis, quæ capitibus coronatis & radiatis continetur. Et vero fuisse Deitatis tesseram quandam, radiare tempora, & coronam habere radiatam, de Ethnicorum etiam sententia, tradit Dausquejus ad lib. III. Silii Italici ad illum versum:

Siderei juxta radiabant tempora nati.

Ubi observat, Domitianum affectatorem Deitatis, capite radiato, (quod Deorum insigne erat,) pingi ac effingi amasse, ut ex antiquis nummis docet. Ejusdem vanitatis, Persarum Reges insimulat

A Petrus Chrysologus serm. XX. tractans dictum Apostoli *Rom.* XII. *Nolite configurari huic seculo:* Ait enim, vetari præter cætera ab Apostolo; *ne simus ut Persarum Reges, qui subjecta nunc pedibus suis sphæra, ut polum se calcare per vices mentiantur, nunc radiato capite, ne sint homines, Solis resident in figura; nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant effœminantur in Lunam; nunc varias velut Syderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram; & nihil supernæ claritatis acquirant.* Vallaris item corona erat radiata, ut ex Livio lib. X. & XXX. B habetur. Quare corona radiata perbelle quadrat in Sanctos, vallum mortalitatis magno impetu ac violentia transgressos.

Cæterum minus apte Troilus Malvetius lib. *de S. S. Canonizatione* dub. I. num. XIX. & XX. distinguit inter *radios* & *coronam:* sive (ut vocat) *diadema:* affirmans, radios appingi beatis, iis scilicet, quorum æterna felicitas nondum est Ecclesiastica vindicatione plane comperta. Coronam vero tribui Sanctis, id est, iis, qui donati sunt canonismo. Quam minus congruam beatorum & Sanctorum distinctionem, nullo usu probatam, cumulat idem C author grammaticali ineptitudine, qua eam Sanctorum Coronam, *diadema* dici supponens, addit, nomen esse ductum a *dia*, quod est *duo*, & *demo:* quia caret perfecta rotunditate, ob dimidietatem circuli adeptam. Has notationis insulsæ gerras, Grammaticis converrendas & eventilandas permitto.

Maluere alii umbellam, Capitibus Sanctorum superpositam, interpretari scutum, seu clypeum. Quo pertinere potest, quod Paulinus, describens extrema S. Ambrosii tempora, cum dictante S. Antistite, Paulinus ipse exciperet, ultimam, ideoque D incompletam lucubrationem ejus *in Psalm.* XLIII. *Subito in modum scuti brevis, ignis caput ejus cooperuit; atque paulatim per os ipsius, tanquam in domum habitator ingressus est, & facta est facies ejus velut nix: postea vero reversus est vultus ad speciem suam.* Symbola hæc erant Sanctimoniæ B. Ambrosii, & afflatus Spiritus Sancti. Dimissis vero cæteris, insistamus scuto, quod capiti hominis Dei visum est incubare. Neque abs re Sanctorum capitibus impositus clypeus dicitur, quia Sancti Dei protectione Divina fruuntur: unde cantant gratu- E labundi, *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Verba sunt Gulielmi Durandi de hac Sanctorum umbella differentis, lib. I. *Ration.* cap. III. num. XX. Idemque habet S. Thomas; nisi quod scutum denique reducit ad coronam, distinguitque de scuto. Tractans enim illud Psalmi quinti, *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, cum præmisisset, bonam Dei voluntatem esse velut scutum contra omnia mala, addit: *Vel est hic, ut scutum protegens, in patria vero ut scutum coronans. Consuetudo namque fuit Romanis antiquitus, uti scutis rotundis; & in illis habebant spem victoriæ; & quando triumphabant illomet scuto, utebantur ut corona. Et inde Sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite, quia de hostibus adepti triumphum, scutum rotundum, ad instar Romanorum, gerunt in capite pro corona. Dicit ergo:* scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos; *quasi dicat, pro scuto coronationis nostræ, habemus bonam voluntatem tuam, quæ nos hic defendit, & ibi coronat.* Subscribit ad eundem Psalmi V. versiculum Ayguanus, & Molanus lib. IV. *de Imag.* cap. XXVI.

Scriptor per omnia eruditus, Laurentius Pignorius in *tabulæ Isiacæ expositione*, pag. mihi 23. hodiernum diadematis nomen, pedes solum Deum & Sanctos locum habere demonstrans; quorsum beatis cœlestibus appingatur, rationem reddit, ex usu antiquo orbem capiti circumscribendi, venerationis ac majestatis indicem. Observasse namque se ait, Imperatoribus quos supra mortalitatem elatos statuebant, Provinciis item ac urbibus primariis, & Deorum animalibus circumpositum hujusmodi orbem. Domitiani radiatum caput Plinius in *Trajani Panegyrico* subsannat. Erat autem id Statii pro Domitiano votum. Sic enim accipit Bernartius illud ex I. *Thebaidos:*

Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat.

Adulatur enim Papinius Domitiano, cui ex insano Veterum usu, Principum statuis apponendi quæ sunt signa Deorum propria, arcum radiantem, id est, coronam radiantem, apprecatur, qualis Augusto apposita est, ut nummi plerique docent. Suetonius item in *Augusto* cap. XCIV. his verbis suffragatur: *Sequenti nocte, statim videre visus est filium, mortali specie ampliorem, cum fulmine ac sceptro, exuviisque Jovis Opt. Maximi, ac radiata corona.* Antonini & Constantii numismata quæ exhibet Pignorius, tali circulo circundata capita præferunt. Justiniani & Theodoræ Augustæ imagines, Ravennæ in æde S. Vitalis, hodieque musivo opere residuæ, eodem circulo ambiuntur capita. In Notitia utriusque Imperii, & in tabula itineraria per M. Velserum edita, visuntur Provinciarum & urbium imagines, sic diadematæ. Eademque specie exhibetur pavo, quem Æternitas manu gestat, in antiquo nummo Faustinæ Augustæ. Ægyptii eum orbem summo capiti simulachrorum suorum circumdabant. Ab illis id mutuatos Romanos, & habita decoris ratione variasse; quod capiti, cui Divinum quid inesse putabant, eo situ corona aptaretur, conjectat Pignorius; addens eum ornatum insequentium Principum moderatione, tacitoque omnium consensu, Deo & Sanctis ejus in totum cessisse, retento antiquo *diadematis* nomine. Absunt ista a stercoreis Scaligeri sectarii, de Sanctorum umbella cogitationibus, quam longissime.

FINIS.

INDEX
RERUM & VERBORUM.

E.

F.

K.

L.

N.

O.

Olym-


Segmen-

T.

V.

F I N I S.




SPECIAL OVERSIZE N 5610 G871 V.6
82-B 1305
GETTY CENTER LIBRARY

